

15 p.s toda la Obra

33

R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA

CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:
Insuper & Cæremonias, Consuetudines,
& Ecclesiæ Placita,

e Gallico sermone in Latinum translata.

TOMUS PRIMUS,

IN QUO CONTINENTUR

MYSTERIA DOMINI NOSTRI

Ab Incarnatione ad Passionem inclusive.

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXXII.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

1772

R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA

CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS;

Insuper & Caeremonias, Consuetudines,

& Ecclesiae Placita,

e Gallico sermone in Latinum translata.

TOMUS PRIMUS,

IN QUO CONTINENTUR

MYSTERIA DOMINI NOSTRI

Ab Incarnatione ad Passionem inclusive.

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS. MDCCLXXII

EX TYPOGRAPHIA BALLONIANA

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

PRÆFATIO

Ubi oſtenditur, quo modo de Suggeſtu pertractanda ſint Religionis noſtræ Myſteria.



IN vobis partem alteram Bibliothecæ Concionatorum, continentem Religionis noſtræ Myſteria, quorum alia reſpiciunt Mundi Salvatorem, & alia Sanctam Virginem Matrem Dei. Eadem ſervata eſt Methodus, quam in parte priori ad Mores ſpectante ſecuti ſumus, hoc uno excepto, quod cum hæc tanto non eſſent in numero, ut in Alphabeticum Ordinem cogi poſſent, coordinata fuerunt ſecundum tempus, quo adimpleta ſunt, & quo eorum memoria recolitur ab Eccleſia ad excitandam eorum devotionem per eas ſollemnitates, quas quotannis concelebrat. Verum antequam ad ſingula Myſteria deſcendam, operæ facturum me duxi pretium generatim ſenſus meos expromere de modo, quo de Suggeſtu *illa pertractanda ſunt, non ut proponam regulas tot inſignibus*, zeloque ſuccenſis Concionatoribus, ſed ut, ſi fieri poteſt, illas reſtituam, quæ plurimos annos conſtanti conſuetudine valuerunt, & quas nonniſi ægre, & gravate jam obſoleviſſe ægre fero.

Profecto jure queruntur mortales, jam pridem fundamentalia Chriſtianæ Religionis Myſteria vix de Suggeſtu pertractari. Tantus Moralis diſciplinæ guſtus apud omnes pervaſit, ut in conſuetudinem abierit, & plurimi Concionatores laudi ſibi vertant, non aliud prædicare ipſis etiam diebus, quibus Eccleſia magnis illis Myſteriis eſt occupata. Abſit, quod eorum intentionem coarguam, quæ ſancta eſſe poteſt, neque zelum, qui ea conſectari videntur, quæ ſunt utiliora. Nolo in quæſtionem vocare, utrum peculiares temporum circumſtantiæ, & urgentior Auditorum utilitas probare valeant novam hanc agendi rationem; & utrum hæc priſtinæ conſuetudini debeant præpollere: Sed non nego, ne unum eſſe illorum, quibus minus arridet mos, qui cœpit invehi ne verbum quidem faciendi, vel pauca dicendi de iis, quæ ſunt potiſſima Fidei noſtræ Myſteria.

Ad evellendas ſpecioſas cauſſas, quas prætexunt, ſufficeret in medium afferre cohortationes, quibus utitur Eccleſia excitatura Fideles ad celebrandas haſce ſollemnitates cum ſenſibus non vulgaris devotionis; quod facere non poſſunt, niſi erudiantur de cauſſis, quibus excitari poſſunt; ideoque nonne neceſſum eſt, ut Concionatores illis ampliorem tribuant, & penitiorem cognitionem, quæ ſane tribui non poteſt ab illis, qui obiter, & per tranſennam leviter hæc argumenta perſtringunt? Si per inſignium harum veritatum prædicationem fides, re adhuc integra, conſtituta eſt; quomodonam roborari poteſt, ſi cum earum memoria recolitur, non ſatis impenditur curæ, ut earum magnitudo, neceſſitas, ſanctitas, & fructus inde percipiendus intelligatur? Nonne periculum eſt, ne ignorantiam principiorum Religionis, ſubſequatur morum corruptio, quam radicitus convellere conantur morum diſciplina, ac vitiorum omnium cenſura? Nonne dicere fas eſt, eos qui hac via bellum peccato,

publiciſque vitiis inferunt, ſimiles eſſe Principibus, qui recentes ſibi provincias ſubjicere quærunt, quin laborent eas in ſua ditione tueri, quas a Majoribus ſuis poſſidendas acceperunt. Neque prodeſt aſſerere, cum Fides hodierna die jam ſeſe in omnes Mundi partes effuderit; Chriſtianorum ſpiritum non ita indigere elucidatione Myſteriorum, ut eorum cor movendum, & excitandum eſt ad praxim virtutum, quæ mores, & vitæ ipſorum rationem informant; quia fides, & magnarum harum veritatum cognitio ſunt fundamentum moralis Chriſtianæ, & zelus quo feruntur ad illam prædicandam poteſt abunde alias invenire occaſiones ſibimet indulgendi per Adventum, & Quadrageſimam, nec non per anni dominicos dies, qui ſatis amplum prædicandi locum ſuppeditant. Si mea quæratur opinio, exiſtimo id inde profectum eſſe, quod plurimi velint evitare laborem pertractandi hujuſmodi argumenta, quæ omnes, qui hanc profitentur artem, uno ore fatentur eſſe difficiliora. His autem mihi reſpondere ſatis eſt, intempeſtiva hæc argumenta, & ab Auditore inexpectata, non ſemper effectum, quem cupiunt, obtinere; & præterquamquod ſingula argumenta habere debent tempus ſibi proprium (niſi hoc fieret aliquando varietatis gratia, & per mutuam hanc viciſſitudinem quæreretur Auditorum ingenio morem gerere) non deeſt temperamentum, & ratio utramque partem conciliandi, quod faciendum aggredior in brevi hoc tractatu de ratione cum fructu elaborandi Sermonem de Myſteriis, qui eſſe poterit veluti prolegomenom ad collectanea, quæ in hæc argumenta in unum congeſſi, & quæ publici juris facio. Ratus ſum me non ingratam rem facturum, ſi aliquorum afferam animadverſiones in hoc argumentorum genus ad materiam, methodum, ac formam, qua ab aliis ſermonibus ſecernuntur; ac denique ad ſtilum, & ornamenta, quæ adhibenda ſunt, quemadmodum in argumentis moralibus facere inſtitui.

Nullum nobis ſuppetit exemplum hujus generis Eloquentiæ in Profanis Oratoribus; neque enim rati ſunt, ſibi ad examen revocanda eſſe ſuarum ſuperſtitionum Myſteria; quod fortaſſe profuiſſet ad populi errorem auferendum: ſatis enim eſt illa reducto velo retegere, ut quam ridicula ſint, innoteſcat. Verum quidem eſt Julianum Apoſtatam, Porphirium, Libanium, alioſque nonnullos operam navaſſe, ut illa comprobarent, atque oſtenderent, non ita rationis, & boni ſenſus luminibus repugnare, quemadmodum illis objiciebant Chriſtiani. Sed illi Sophiſtarum more potius quam Oratorum ſeſe geſſerunt: & ea eloquendi ratio, quam ſecuti ſunt, ut illis aliquam veritatis ſpeciem allinirent, & auctoritatem conciliarent, non minori laborat infamia, quam principia, quibus fulcire adniſi ſunt eorum veritatem. Ex Sanctis Patribus, qui primi fuerunt Chriſtiani Oratores, quamvis hujuſmodi argumenta illis eſſent familiaria, nemo tamen regulas tradidit vel præcepta; & nemo artem conſcripſit novæ id genus Rhetoricæ priſcis omnibus ignotæ. Ipſi enim quiſque ſuo indulſerunt ingenio, ac zelo potius quam præcepta ulla ſecuti fuerint, & locuti ſunt potius ex abundantia cordis, quam ex methodo, atque induſtria. Liquet ſolum aliam conſueviſſe formam tribuere hiſce argumentis ad religionem ſpectantibus, ab ea, quam ſervabant in iis tradendis, quæ ad mores pertinebant; illos occaſionem ſumere ſolitos fuiſſe ex aliquo Scripturæ verbo, impugnandi Hæreticos ævi ſui, & probandi id, quod hodie ſupponimus tamquam certiſſimum, & in dubium non revocandum: cumque argumentum eſſet ſublimius, huic ſuas ſententias, & verba conformabant.

Tamen hodierna die ſumi nequeunt tamquam abſolutiſſima in novo hoc dicendi genere exemplaria; neque inde certæ regulæ excerpi, quæ omnibus ad imitandum proponantur. Sæculi hujus guſtus, & ingenium nimis differt ab illorum ingenio; & ſi quam mutuamur illorum locutio-

tionem, aut sententiam, hoc fit solum, ut ex auctoritate summorum illorum Virorum aliquid nobis roboris, & firmamenti accedat ad ea, quæ nobis probanda proposuimus. Neque illos ad imitandum deligere fas est, qui hujus sæculi initio summa cum laude floruerunt: in quibus profecto intuemur locos disertissimos, veritates luculenter expositas, & morum præcepta callide inserta, ad impressionem efficiendam aptissima; & dicere possumus eos invexisse modum concionandi, qui hodie in more positus est. Verumtamen illum dumtaxat adumbrare incœperunt; quandoquidem neque eorum methodus, neque sermo, neque ratio, qua res ipsas offerunt, plurimos habent sectatores: omnia prorsus immutata sunt. Alibi ergo quærenda sunt artis præcepta; quandoquidem Spiritus Dei sese aptare dignatur genio temporum, atque personarum: tandem enim rerum experientia satis aperte nos docet, non esse Apostolorum morem, ut nonnulli arbitrantur, proferre, quidquid in buccam venerit, sine methodo, sine præmeditatione; sed opus esse ut Orator sese Auditorum gustui, & captui submittat: vulgo enim Dei verbum nullam in animis mortalium efficit impressionem, nisi quatenus cum robore effertur, & eo modo tractatur, qui sit ad persuadendum appositus. Igitur divinum hoc Verbum adulterare, vel corrumpere non est, canones præscribere ad illud utiliter annuntiandum; immo hoc est viam digito monstrare, ex eo fructum, qui maximus inde oriri potest, percipiendi.

Profecto finis, quem sibi ob oculos statuere debet Orator sacer exponens nostræ Religionis Mysteria, non est solum edocere populum de his fundamentalibus veritatibus; verum etiam excitare illum ad conformandos mores fidei suæ, atque ex eadem fide, duplicem, ut ajunt, parietem dealbare, spiritum siquidem nutriendo, & cor promovendo: videlicet in corpore orationis conjungenda est morum doctrina cum theoria; tradendæ sunt fidei veritates, & inde haurienda argumenta, quæ nos ad bene vivendum compellant. Hanc nobismet adstruere, opus est, ideam sermonis de aliquo Mysterio; qui sane alius esse debet a sermone Accademico, ubi de moralibus quidem virtutibus agitur, quatenus hominem tantummodo formant, non autem Christianum: quod sermonis genus medium tenet locum inter Panegyricum, & Sermonem mere Moralem. In hunc igitur finem, atque secundum conceptum hunc hic in medium proferam, tum ea, quæ aliquem statuere obicem possunt, ne id ex voto contingat, tum ea, quæ aliquo esse possunt auxilio, ut id ipsum facilius, feliciusque assequamur.

Ante cetera hoc in loco supponendum est Mysteria a nobis appellari, non solum essentiales Religionis nostræ veritates, cujusmodi sunt, Unus Deus in Tribus Personis; Deus-homo; felicitas, vel calamitas æterna speranda, vel metuenda in altera vita, aliaque id genus: verum etiam hoc nomine complectitur facta, & actiones, quæ in salutis nostræ œconomia contigerunt, puta Nativitatem, Mortem, Resurrectionem Salvatoris, quo nomine nequaquam vocantur, nisi fortasse per metaphoram, aliæ actiones, quæ non ita immediate cohærent operi nostræ Redemptionis, qualia sunt ejus miracula, etiamsi naturæ vires excedant. Addimus tamen actionibus Salvatoris illas, quas operatus est Deus in Beatissimæ Virginis gratiam, Immaculatam ejus Conceptionem, Annuntiationem, Assumptionem, & illas ipsas, quas felix hæc creatura operata est, divino afflata Spiritu, & quæ aliquam habent cum salute nostra rationem: qualia sunt Mysteria Visitationis, Præsentationis in Templo, & Purificationis suæ, ut Mosaicæ legi obsequeretur. Illud vero potissimum animadvertendum puto: quamvis Ecclesia recentes vetustis festis diebus adjecerit, & his quoque Mysteriorum nomen deferatur, cujusmodi sunt Nominis, & Magnalium Jesu, Nominis, & Cordis Mariæ; Mysteriorum nomine cum iis utendum non esse, quandoquidem non sunt nisi effectus, vel partes eorum, quæ semper coluit; sunt

enim eædem perſonæ, quas ſub variis rationibus conſideravit ad excitandam, vel inſtaurandam fidelium devotionem. Igitur præſuppoſita communi hac notione quæ Myſterii,

Primum illud, cujus habenda eſt ratio diligenter in illius tractatione, delectus eſt argumenti, vel propoſitionis, quo nomine intelligo univerſam orationis œconomiam, ſynopſim, atque ſtructuram. Hæc propoſitio ſecundum hujus ævi morem, qui profecto optimus eſt, complecti debet aliquid ad mores pertinens, aliquod virtutis exemplum, ſecundum quod mores informari poſſint; vel aliquod documentum, quod nos excitet ad munera noſtra obeunda, vel denique veritatem aliquam, quæ tendat in praxim; alioquin hic erit potius ſermo Theologicus, quam Sermo de Myſteriis, cujus finis eſſe debet id explicare, quod nobis revelare voluit Deus, & inde ad vitæ noſtræ regimen aliqua percipere documenta. Exempli gratia, in Nativitate, vel Epiphania Salvatoris propoſitio non ſatis apte, & concinne eſſet diſpoſita ad locum aperiendum iis ſenſibus, quos pro virili parte debemus populo inſpirare, ſi hoc nobis oſtendendum ſuſciperemus, in altera quidem Verbum Divinum nullam feciſſe Magnitudinis, & Majeſtatis jacturam, eo quod factum fuerit Caro, & natum ſit in præſepio: in altera vero, illud verum Regem terræ fuiſſe declaratum. Oportet in propoſitione aliquid eſſe, quod noſtra intereſſe arbitremur, & quod pertineat ad nos, tamquam aliquid, quod naturaliter conſequatur ex ea veritate, quæ probanda, vel explananda proponitur.

Hic Canon, qui videtur conſentaneus fini, quem Sacer Orator ſibi proponere debet hodierna die a ſuggeſtu, tamquam edictum publico judicio prolatum, atque firmatum, proſcribit eas propoſitiones nitentes, quæ olim tanta cura, ac ſtudio conquirebantur; qualis eſſet exhibere *Filium Dei velut Orientem ſolem* pro ſermone de illius Nativitate, vel Sanctam Virginem in immaculata Conceptione ſua tamquam Lunam ſemper creſcentem; vel aliquod inter aſtra, vel meteora hieroglyphicum invenire, cum quo perennis fiat, ſemperque ſibi conſtans comparatio. Hujuſmodi magnifica argumenta non ſapiunt ultra niſi illis, qui ea quærunt, quibus multum quidem ſplendoris ineſt, parum autem ſoliditatis.

Verum e contra minime puto, ut hac in re bonum videaris ſenſum attigiſſe, in alterum extremum incidendum eſſe: quandoquidem in vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte; nonnullorum exemplo, quibus ſatis eſt aliquam dumtaxat moralem propoſitionem haurire, poſtquam Auditorem in exordio præparaverint, ita ut Myſterium, quod potiſſimum eſſe deberet Sermonis argumentum, non adhibeatur, niſi ut locus fiat Morali doctrinæ, quæ eſſe debet orationis fructus, atque concluſio.

Intelligere vos, arbitror, in hujuſmodi argumentis locum eſſe debere morum diſciplinæ; ſed addendum eſt, opus eſſe, ea, quæ ex morum diſciplina petuntur, eorumdem argumentorum eſſe propria: vitium quippe eſt ſatis vulgatum, quærere in ipſis Myſteriis nova Myſteria, eaque illic, ubi non ſunt, velle invenire; quod faciunt, qui ne communibus hæreant rationibus, quæ ultro in mentem incurrunt, atque Patrum, Eccleſiæque ſenſibus ſunt magis conformes, alias adferunt, quæ de longinquo arceſſitæ, longis ratiocinationibus, vix in mentem venire poſſunt, ut nimia ſubtilitate ea morum documenta inveniantur, quæ nondum alicui occurrerunt. Noſtræ Religionis Myſteria ſecum quodammodo geſtant moralitatem ſuam, & quæ maximæ naturalis eſt, minorem expetit ſpeculandi facultatem. Ad hæc nomine Moralis, argumenti propriæ, eam intelligo, quæ majorem habet affinitatem cum Myſterio, de quo agitur, quam cum Prædicatoris temperamento, ac ingenio. Itaque in iis argumentis, in quibus Dei Filius apertiora nobis reliquit amoris ſui

ris ſui monumenta, excitandi ſunt potius affectus ſuaves, quam terror incutiendus per in ectivas, aut minas iræ Dei; neque enim obliviſcendum eſt, humanum cor potius lenitate duci, ac beneficiis mulceri, quam judiciorum, atque cæleſtium ultionum metu deterreri.

Poſt argumenti delectum, vel etiam in ipſo delectu, habendo illud, cujus ratio habenda eſt diligentiſſime, unitas eſt, quæ in omni ſermonis genere ſervanda eſt, ſed ut plurimum difficilius ſervatur in Myſteriis propter moralem quæ immiſcenda eſt, ad hoc ut fiant apta ad docendum, & qualia hodierna die requiruntur. In hac commixtione, & varietate, in qua laus, & fructus omnis conſiſtit, non leve negotium eſt evitare multiplicitatem argumentorum, quæ recto ſenſui, & juſti ſermonis regulis adverſantur, ubi duo potiſſimum ſunt advertenda.

Quorum primum unitas eſt ejuſdem Myſterii, quæ ſervanda eſt, illud ab alio quopiam Myſterio ſejungendo, ut minime cum eo permiſceatur; quod illis accidit, qui Dei Incarnationem a Domini Nativitate non ſatis diſtinguunt, & Beatæ Virginis Nativitatem ab illius Conceptione, eo quod inter hæc Myſteria aliquid commune invenitur. Alterum vero, quod non minus eſt neceſſarium eſt, ut quidquid hoc in Myſterio eſt ad docendum appoſitum ad eamdem tendat morum Diſciplinam, cujuſmodi eſſent varii ejuſdem virtutis actus; vel diverſa peccata ab eodem vitio profecta, vel ex eadem animi cupiditate: ſufficit enim ad unitatem hanc ſervandam, ſi in genere eodem conveniant. Illud dumtaxat obſervandum eſt, moralem hanc, quæ expectatur eſſe debere aliquam magni momenti veritatem ad vitæ noſtræ regimen non inutilem, quale eſſet officium aliquod, & inevitabile munus ſtatus noſtri, vel noſtræ Religionis. Cum enim omnia Myſteria noſtra ſublimia, auguſtaque ſint, nequaquam converterentur in uſum ſatis præclarum, ſi proponerentur tamquam exempla modicæ alicujus rei; ſed non ſatis meditati ſunt, neque penitus, & in cute ſcrutati ſunt medullam argumenti ſui illi, qui unam dumtaxat habent moralem pro omnibus Domini noſtri Myſteriis; alteram vero pro illis, quæ ad Sanctam Virginem pertinent. Non minimum Oratoris negotium, nec minima laus eſt illam ſcite variare, & nihilo minus illam ex ipſis argumenti ſui viſceribus hauire, potiſſimum vero in Octavis, in quibus quiſque ſibi laudi vertit, generalem ſibi deligere propoſitionem, ad quam ea omnia redigantur, quæ dicenda ſunt. Exempli cauſſa in Octava Sanctiſſimi Sacramenti ſi pro argumento aſſumantur mirabilia in adorabili hoc Myſterio latentia, ut hæc ſingula quovis die pertractentur: eadem ſemper orietur imago, & idem adſtruetur conceptus tamquam Myſterii admirabilis, in quo Dei potentia eluceſcit; econtra vero ſi variis ex partibus, ex quibus ſpectari poteſt, conſideretur, non deerit locus variis doctrinis, & morum inſtitutis, quæ majori varietate condiantur.

Quod attinet ad diſpoſitionem atque ſtructuram ſermonis de Myſteriis, poſtquam immorati fuerimus in aliqua veritate, quæ aditum aperiat ad explicanda ea, quæ ſcienda ſunt, methodus, quæ mihi magis arridet, & æquior, atque temporis ingenio accommodatior videtur, hæc fere eſt. Primum partitio, atque ſermonis diviſio ita eſt inſtituenda, ut quævis Myſterii pars naturaliter deducat ad concluſionem propoſitam. Myſterii partes voco facta, quæ complectitur, vel fines, quos ſibi propoſuit Deus illud adimplens; vel rationes, quas Eccleſia, Patreſque memorant providentiæ Dei erga homines in eodem Myſterio: deinde facta hæc, & hæ rationes amplificandæ ſunt, & probandæ: alioquin morales concluſiones, quæ inde promentur, veluti ex principio non ſatis ſolide conſtituto, laborabunt, & nunquam in populo magnam vim obtinebunt; niſi primum in medium prolata fuerint argumenta quibus probentur. Errat quippe, & ſua abutitur ratiocinatione qui elicit concluſionem, quæ non ſatis liquet, utrum ex allatis rationi-

bus

bus rite fuerit deducta. Quapropter cenſeo operæ pretium facturum Concionatorem, qui antequam ſuis auditoribus inſpiret animi grati ſenſus erga Dei bonitatem, & oſtendat, quanta inde nobis utilitas ceſſerit, Concionatorem, inquam, ſi conatus fuerit ſublimem ciere conceptum Myſterii ſui, & ſignificare cauſſas, quæ Deum impulerunt, ut id ageret, & rationes, propter quas Eccleſia illud oculis noſtris conſiderandum ſubjecit, ut illum effectum aſſequatur, qui rationabiliter ſperari poſſe videtur. Verum illud potiſſimum cavendum eſt, ne unquam oculos a ſuo amoveat argumento, neque imitetur eos, qui cum re adhuc integra rectam ingreſſi ſunt viam, ut ad ſtatutum finem perveniant, aberrant aliam ſecuti; quippe ſæpenumero contingit, ut ad amplificandum locum aliquem ethicæ, qui ſeſe ultro offert, id tanto cum animi ardore fiat, ut nunquam revertatur illuc, unde oratio diſceſſerat; Vitium hoc defectus eſt aptæ, & concinnæ compoſitionis, & effectus fervidæ imaginationis, cui illi obnoxii ſunt, qui non ſatis digerunt argumentum ſuum, vel qui ſine ulla præparatione concionantur. Quod minime prohibet, quominus, ubi ſeſe offerat occaſio, modo impugnentur Hæretici, & modo *Religionis* contemptores iis argumentis, quæ afferuntur ad probandam *noſtræ Religionis* veritatem, & quæ ex ipſo, de quo agitur, Myſterio promuntur. Sed tunc haud abs re puto, auditorem eſſe admonendum, hæc per occaſionem tantummodo adferri, ne fortaſſe leviter perſtringendo tanti momenti argumentum arbitretur, non alias ſuppetere probationes, quibus id valeat evinci.

Ex hac animadverſione oboritur mihi quæſtio, quæ crebro ſolet agitari; videlicet utrum præſtet uno veluti ſpiritu, & ſine ulla interpellatione effundere, quidquid de Myſterio dicendum meditati ſumus, & integram ſermonis partem abſolvere, rejectis in partem alteram vel tertiam, *qui mos eſt Italorum, iis quæ ad morum diſciplinam pertinent*; an vero in ſingulas diviſionum, atque ſubdiviſionum partes ſubnectere nonnihil Ethices, maxime vero poſtquam quælibet propoſitionis pars ſolidis fuerit argumentis confirmata. Poſteriorem hanc rationem commendat varietas, quæ minus auditorem fatigat, & celerius optatum finem aſſequitur. Altera vero ſolidior videtur, tractat funditus Myſterium, & magis recedit ab uſu ſermonis, qui de moribus ſolet inſtitui. Sed reor hoc pendere a Myſteriorum natura, & a varietate factorum, quæ in illis occurrunt; veluti in Myſteriis Epiphaniæ, Purificationis Beatæ Virginis, & Dominicæ Reſurrectionis, ubi plures, eæque diverſæ actiones occurrunt; mallem ſingulas aliquod conferre argumentum doctrinæ, prout ſeſe nobis exhibent, quam differre ad calcem orationis quidquid ſpectat ad mores: quippe difficile eſt ſingulas partes, ex quibus conſtat Myſterium concurrere poſſe in unitatem moralis, quæ quoad fieri poteſt ſervanda eſt; quemadmodum omnes ad Myſterii unitatem concurrunt; cum alioquin partiri in plures veritates nullum inter ſe vinculum habentes quidquid ad mores pertinet, incidere eſt in vitium eorum, qui duplicem, vel triplicem inſtituunt in mores animadverſionem pro multiplici argumento, quod inſerunt; quod idem eſſe videtur, ac plures ſimul pannos aſſuere.

Non deſunt, qui rati, ſermonem nunquam eſſe poſſe ſatis moralem, occaſionem arripiunt ex omnibus textus ſui verbis, vel ex omnibus Scripturæ locis, ex quibus ſuas probationes eliciunt, ut aliquod moralis punctum inſtituant: ſed minime vident ſe contra mentem ſuam Homiliam potius, quam ſermonem conflare; nam quamvis Homilia ſit quædam ſpecies ſermonis, quæ nequaquam penitus hoc ſæculo abſolevit; tamen nequaquam Homiliam elucubrari ſe putant hi Concionatores hac moralis varietate, quæ illis accidit opportune.

Illud etiam ſedulo animadvertendum occurrit; ubi de Myſterio aliquo ſermo eſt, ea tantum eſſe dicenda, quæ certa ſunt, & omnibus proba-

probata, quin ambiguis, incertiſque immoremur, de quibus nullum extat in Scripturis, vel in traditione fundamentum; cujuſmodi eſſet inniti prodigiis quæ nonnulli ajunt, præceſſiſſe, vel ſubſecuta fuiſſe Nativitatem Filii Dei; & ſingularibus actionibus Infantiæ ipſius, vel Incolatus in Ægypto, quæ omnia inter apocripha rejicienda eſſe, ſuſpicioni locus non deeſt. Neque neceſſe eſt omnibus immorari circumſtantiis, ut inde petatur ratio ad probandum: ſatis enim eſt exponere ea quæ magis notanda ſunt, & magis ad rei eſſentiam pertinentia. Ita loquentes de Myſterio Viſitationis Sanctæ Virginis, ſatis eſt generatim verba facere de officiis Caritatis, quæ ab illa præſtita fuere Sanctæ Eliſabeth, quin excurramus in minuta quædam, & abjecta, quorum enumerationem ſuggeſtus dignitas, & ſermonis noſtri elegantia non patitur.

Tandem, ut iis defungamur, quæ ſpectant ad formam vel ſtructuram ſermonis de Myſteriis, cum ſolidus eſſe debeat, & Fidei principiis inniti, ſi fieri omnino non poteſt quominus ad Theologiam confugiamus; ſaltem evitandum eſt diligentiſſime, ne Theologorum methodum, diſputandique rationem imitemur; hoc enim eſſet ſeſe Prædicatoris munere abdicare, & Theologi perſonam induere. *Duæ facultates iſtæ*, quarum utraque ſuam methodum habent, inter ſe quamdam oppoſitionis ſpeciem in ratione cogitandi, & veritatem exponendi, habere videntur: Quarum alteram aridam, & jejunam eſſe conſtat, & unice argumentum ſuum enucleatius pertractando intentam; alteram vero de eodem exornando, & minus abſtractis rationibus explanando, ſollicitiorem. Igitur de Myſterio ſermo inſtituendus eſt iis verbis, quæ minime ſcholam redoleant, quin tamen argumentationis robur imminuatur, & addendi ſunt ornatus, qui neceſſarii ſunt, ut cum quadam oblectatione excipiatur. *Quapropter elocutio potius Panegyrica eſſe debet, quam ſermonis mere moralis propria.*

Sed hoc illud eſt, quod paucis ad examen ſupereſt revocandum. Hoc olim erat, extremum illud, cui animus adverteretur, & cujus minor haberetur ratio in hoc ſermonum genere, non ſecus ac in aliis. Hodierna autem die aliter ſæculi ſuadet elegantia. Quamvis autem inficias ire poſſit nemo, Noſtræ Religionis Myſteria cum ſint argumenta maxime ſublimia, de quibus ſermo de ſuggeſtu habeatur, ſententias quoque, ac dicendi ſtylum magis quam alibi uſpiam excultiſſimum, ac præſtantiſſimum eſſe oportere: Non ideo tamen a naturali diſcedendum eſt, neque ſemper utendum ſublimi; ſæpe enim contingit explicanda eſſe ea, quibus omnino perſpicue lux afferre non licet. Præſertim vero auctor eſſem, ut evitaretur ſtilus ſententiis refertus, atque conciſus, qui totidem fere ſententias continet, quot periodos, & pene dixerim lineas; ſed qui tandem mentes fatigat, & faſtidium creat. Quippe qui preſſius, & confertim, atque paucis verbis nimis multa ſtudet exprimere, hic ſere non patitur, ut per otium omnia excipiantur; atque iſta cogitationum atque ſententiarum congeries, quin lucem afferat iis, quæ intelligi velles, illa impedit, & involvit aliis cogitationibus ſæpe fallacibus, vel coactis. Hæc loquendi ratio nonnihil habet, quod primo intuitu mentis aciem perſtringit, & auditoribus placet; ſed jure optimo cum ſuaviſſimis liquoribus comparatur, quibus nihil blandius, ac jucundius palatum pertentant; ſed quorum copia, & frequentia nauſeam pariunt, & injucundam ſatietatem.

Altera ex parte minime probo ſtilum aſiaticum, ac verboſiorem, qui plurimorum verborum involucro pauca complectitur; quæ nimia extenſione fere in nihilum rediguntur: Operam igitur det, opus eſt Orator, ut ita ſuos promat ſenſus, ne fatiget Auditorem nimis prolixa explicatione, ſimulque, ne locum illi divinando relinquat nimis brevi preſſaque expoſitione. Hoc in omni ſermonum genere ſervandum eſt; ſed præcipue in Noſtris Myſteriis enunciandis, ubi cum ea non ſemper uti

liceat,

liceat, quam Rhetores appellant, amplificatione propter factorum, vel circumſtantiarum multitudinem, ducenda eſt ex ſententiis Patrum, atque Theologorum rationibus; & mox ſtilus aptandus eſt impreſſioni, quam in hominum mentibus conamur efficere: neque enim alii canones præſcribendi ſunt, niſi ratio magis, minuſque felix, qua quiſque gaudet ſenſus ſuos aliis communicandi.

Adde his, ſchæmata, quæ ſunt præcipuum ſtili ornamentum cautius eſſe adhibenda in ſermonibus de Myſteriis; quamvis arduum ſit in re hac aliquid præcipere: ſcitus enim Orator non attendit iis, quæ ab aliis fiunt, ſed iis tantum, quæ ſibi profutura arbitratur; præterquamquod argumentorum varietas ſtilum quoque variare opus eſt. Reor tamen, cum horum argumentorum dignitas atque magnitudo uberiorem eloquentiæ campum aperiat, figuras, quæ paſſim lumina ſermonis nuncupantur, hic vividiores eſſe oportere, & frequentiores. Cumque Apoſtrophe, & Exclamationes, crebro uſurpari conſueverint, evitanda eſt declamatoris adfectatio, & illæ nonniſi in locis maxime patheticis adhibendæ.

Quod ſi in ſermonibus de Myſteriis tot præcavenda ſunt, atque tot canones ſervandi, mirum eſſe non debet, ſi rei difficultas deterret aliquos, ita ut velint potius liberius in morum diſciplinam excurrere, quam ſeſe tot ſubjicere obſervationibus. Verum hoc minime probat, ideo uſum eorum eſſe exterminandum, vel non poſſe ex illis tantum percipi fructum, quantum ex ſermonibus aliis. Ad id autem, quin verba faciamus de operatione Spiritus Sancti, quæ minime obnoxia eſt præceptis, vel regulis Rhetorum, opus eſt, ut propoſitio, vel argumentum, quod probandum aggredimur, aliquid habeat morale, quod rationem habeat cum Myſterio *de quo agitur*; ſynopſim, vel partitionem hujus argumenti ad finem ſuum collimare, qui debet eſſe magni momenti documentum de officiis noſtris; ſermonem ita eſſe diviſum in ea quæ ad theoriam, atque ad mores pertinent, ut nequaquam dicit poſſit, illum vel eſſe mere theoreticum, vel mere moralem; ſed alterum altero fulciri, ac tandem ſtilum ſimul eſſe & ſublimem, & naturalem.

Hæc ea ſunt, quæ animadvertenda eſſe duxi, auditis celeberrimis ævi hujus noſtri Concionatoribus; non autem leges ſunt, quas aliis irrogare velim; non enim ea vis eſt animo, nec mens, ut aliorum quidem præceptor, aliorum cenſor audire cupiam, & in aliena opera ſeveram criticem auſim exercere. Immo vero illos, qui noſtra hæc quæcumque legere non gravabuntur, obſecro, & obteſtor, ut indulgeant mihi, ſi ego ipſe regulas haſce non ſatis accurate obſervaverim, & proficiant eo, quod non inconcinne, & Chriſtiane dictum invenerint.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

CONcediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia, di poter riſtampare il Libro intitolato *P. Vincentii Houdry Soc. Jeſu. Bibliotheca Concionator, continens Myſteria Domini Noſtri, & B. M. V.* oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 14. Febraro 1771. M. V.

(Sebaſtian Zuſtinian Rif.
(Alviſe Vallareſſo Rif.
(Franceſco Moroſini 2do Caval. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 88. al Num. 729.

Davidde Marcheſini Segretario.

TABULA ARGUMENTORUM,

Quæ in hoc primo tomo Mysteriorum Domini Nostri continentur,

Mysterium Incarnationis JESU CHRISTI Dei, & hominis. pag. 1.
Nativitas Domini nostri, & quidquid ad hoc pertinet Mysterium. 20
Mysterium Circumcisionis. Circumcisio Judaica, & Christiana; Circumcisio Spiritualis, vetus, & nova, 40
De Sancto Nomine JESU, 55
Mysterium Epiphaniæ, 69
Mysterium Transfigurationis, 97
Ablutio Pedum. 109
Mysterium Passionis JESU CHRISTI generatim, 119
Continuatio Passionis JESU CHRISTI, ubi agitur de qualibet parte singillatim. 137
De Doloribus interioribus Salvatoris in horto Olivarum, *ibid.*
Judæ Proditio, 148
Captura Salvatoris in horto Olivarum, 151
Quid acciderit Domino nostro apud Annam, & Caipham. 154
Lapsus Sancti Petri. 158
JESUS sistitur coram Pilato, 164
JESUS mittitur ad Herodem, a quo contemnitur. Injuriæ quibus affectus fuit in *Herodis aula*, 167
Novi conatus, quos exerit Pilatus, ut JESU CHRISTI vitam tueatur. 169
Ignava Judicis hujus politica, & quid ibi usque ad Salvatoris condemnationem contigerit. *ibid.*
JESUS CHRISTUS cum Barraba comparatus. 170
Flagellatio Domini Nostri ad Columnam revincti, 171
Spineæ Coronæ impositio. 173
Expositio verborum illorum: ECCE HOMO. 175
Quid præcesserit condemnationem Filii Dei quousque ad Calvarium adductus fuit. 176
Crucifixio JESU CHRISTI, & quid acciderit in Cruce, 179

BIBLIOTHECA
CONCIONATORUM THEOLOGICA,

Complectens

DOMINI NOSTRI MYSTERIA.

MYSTERIUM INCARNATIONIS.

Jesus Christus Deus, & Homo, &c.

MONITUM.



UM Verbi Incarnatio sit fons, atque principium omnis felicitatis Mortalium; est etiam primum mysteriorum, quæ Salvatoris Personam respiciunt. Scio equidem nimis infrequenter de suggestu verba fieri de hoc Mysterio, eo quod die Annuntiationis Sanctissimæ Virginis, quo Verbum æternum Caro factum est, Concionatores, ut plurimum de Matris laudibus loquuntur, quin in Filii humiliationibus immorentur; & tantum est hoc mysterium atque tam incomprehensibile, ut ejus altitudinem admiratione potius, & silentio, quam sermone assequamur. Sed quandoquidem Sancti Patres, Theologi, at tot Volumina de hoc argumento conscripta satis magnifice disseruerunt; opus nostrum sane mutilum erit, & mancum si prætermiserimus verba facere de præcipuo, & maximo nostræ Religionis Mysterio, quod fundamentum est ceterorum.

Qua in re animadvertendum est 1. *Adventum, & introitum Incarnati Verbi in Mundum duabus rationibus contigisse, altera quidem secreta, cum post beatissimæ Virginis consensum in illius sinu conceptum fuit per operationem Spiritus Sancti; altera vero manifesta, cum in lucem prodiit in Bethleemitico stabulo; unde factum est, ut sæpe duo hæc Mysteria sub uno tantum nomine Incarnationis Filii Dei comprehendantur; quantumvis sint distinctissima, & seorsim valeant pertractari; quod ipsi consilium secuti sumus.* 2. *Neque ideo existimandum est, per hanc distinctionem, ubi de Incarnatione loquimur, illud intelligendum esse unicum momentum, quo Verbum caro factum est, neque tempus, quo jacuit in utero Sanctissimæ Matris; verum etiam comprehendi ea, quæ inde consecuta sunt, effectus, omniaque bona, quorum adorabile hoc Mysterium fuit principium, & causa.* 3. *Animadvertendum quoque est, quamquam hoc argumentum non pertractetur ipso Annuntiationis die propter superius allatam rationem, hujus tamen Argumenti Sermonem locum nancisci posse in Adventu; & nescio, utrum inveniri possit alterum argumentum magis Christianum, uberius consolatione, & aptius ad ciendos in fidelibus animabus sensus spei, animique grati erga incomparabile hoc beneficium.*

***

vel ignorantiam : cum è contra omnes Filii Adam nonnisi per patris sui voluntatem peccaverint, & primus ille hominum parens ad Domini legem infringendam sermonibus, ac illecebris sathanæ fuerit actus, & præterea ab uxore deceptus, quam ipsam subductus Serpens fefellerat. Alias præterea causas, aliaque consilia, propter quæ placuerit Deo hominis potius misereri, quam Angeli; constat enim propriam illius bonitatem in causa fuisse, quod a nobis exigit æternos animi grati sensus, ne mereremur subire effectus justitiæ illius propter alia propriæ voluntatis crimina adjecta illi, quod hæreditario veluti jure a primis parentibus nostris accepimus. 2. Fusius sermo institui potest de prælatione homini concessa, pro cujus salute incarnatus est, relinquens Angelos in ipsorum calamitate, quamvis natura eorum sit nostra præstantior. Quid ipsi Deo feceramus, ut nobilissimis illis mentibus anteferremur? Nos inquam, quibus nihil inerat, quod allicere posset Deum, ut nostrum rationem haberet, cum alioquin rei essemus eorumdem scelerum, superbiæ videlicet, & rebellionis. Tamen illi æternum erunt miseri, quin sperent se aliquando a lapsu resurrecturos, & in nostra facultate situm sit frui beneficio Incarnationis, quandoquidem Deus factus Homo, factus est simul liberator, Medicus, & Salvator. O Dei bonitas! O Misericordia! O prælatio utilissima, quam nunquam satis celebrare in omnem licebit æternitatem! *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Psalm. 88.

Pars altera. Considerandæ sunt & oculis subjiciendæ miracula, quæ in magno hoc exequendo consilio contigerunt; vix enim Sanctissima Virgo præbuit assensum, cum Spiritus Sanctus eo de temporis articulo finxit corpusculum illud ex purissimo Mariæ Sanguine, creavit animam, quæ cum illo conjuncta fuit: simulque Verbum æternum, & unigenitus Dei Patris personaliter, & consubstantialiter utrique sese conjunxit, & ex hac conjunctione cum Divina Natura extitit hic Deus-homo, hæc persona adorabilis, quam JESUM CHRISTUM vocamus; verus simul Deus, & verus homo, quod dicimus Incarnationem, Mysterium hoc adeo suave est, & tot illecebris plenum, ut S. Augustinus illud satis admirari non posset; ibique omnes collucent Dei perfectiones ita ut nequeant magis coruscare; Sapientia, quæ viam nacta est satisfaciendi simul divinæ *justitiæ, & misericordiæ; potentia ejus nihilo secius refulget, quod simul ea conjunxerit*, quæ inter se opposita maxime videbantur, veluti creaturam cum Creatore, & humanæ naturæ infirmitates cum divinæ perfectionibus &c. Sed potissimum bonitas Dei ibi residet, quod cum alia plura non deessent illi nosmet salvandi media, hoc elegit quod nos magis decebat, quod magis nobis profuturum erat, & quod nobis magis testatam reliquit amoris ejusdem erga nos magnitudinem.

Pars tertia sita est in exponendis sensibus cordis Divini Hominis hujus in ipso Incarnationis suæ momento, ac eo tempore quo in Matris suæ sinu delituit. 1. Ex eo tempore incœpit fungi suo Salvatoris officio, pro quo venerat, offerens se Patri suo ad voluntatem ejus adimplendam, & futurus victima hominum saluti destinata: *Ingrediens in mundum dixit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; tunc dixi, ecce venio.* ad Hebr. 10. 2. Obtulit humiliationem, & exinanitionem status, ad quem se quodammodo exinanitum intuitus est, ut satisfaceret pro hominis superbia, qui eo voluerat ascendere, ut se Deo similem præberet. 3. Lætatus est videns se posse Patris sui gloriam reparare, illi honorem magnitudini ipsius parem procurans. 4. Sermonis hujus finis faciendus est; adorando Incarnatum hoc Verbum, ac illud cum Angelis colendo, eique æternas gratias profitendo.

II. In Incarnationis mysterio tria nobis præstitit Deus, quæ argumentum, ac partitionem sermonis possunt constituere.

1. Nostram suscepit naturam, ut suam nobis communicaret Divinitatem, idque personaliter, & substantialiter Sanctæ Salvatoris humanitati, qui hanc ob causam Dei Filius est per naturam, & hanc ob qualitatem meretur omnes hominum cultus, & Angelorum. Quod vero ad alios homines spectat præter incomparabilem honorem, qui cedit illis ex affinitate quam habent cum divino hoc nomine, quippe qui ejusdem sunt naturæ cum illo; illis etiam promeruit in hoc Mysterio, ut fieri possent Filii Dei per adoptionem, quemadmodum palam dilectus testatur discipulus: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, &c. quæ adoptio fit per gratiam sanctificantem, quæ quædam est divinæ naturæ participatio, quemadmodum S. Petrus explicat: *Maxima, & pretiosa nobis dona donavit, ut per hæc efficeremur divinæ consortes naturæ.* Joann. 1. 2. Petri 1.

2. Cum esset infinite beatus, & impassibilis subjecit se vitæ hujus ærumnis, ut nos faceret suæ felicitatis participes.

3. Cum sanctus esset, & sanctitas ipsa, induit peccatoris similitudinem, ut nobis gratiam, atque sanctitatem mereretur, & fieret nobis sanctæ, perfectæque vitæ prototypus.

Institui quoque potest sermo de præcipuis perfectionibus quatuor, quas confitetur, & colit fides in Suprema Dei majestate, quæ sese abjecit, & exinanivit in hoc Mysterio, ut loquitur S. Paulus: quoniam in eo potissimum enituerunt, & gloriosissime propter nos emicuerunt. III.

1. Ejus est potentia; hæc enim unica ratio est, quæ afferri potest sexcentorum incomprehensibilium miraculorum, quæ homines, Angelique in magno hoc Mysterio admirantur: *Fecit potentiam in brachio suo.* Si enim ex me quæsiveritis, quomodo Verbum potuerit communicare personam suam naturæ creatæ, quandoquidem se ipsum communicare nequit in Divinitate sua personæ increatæ; nil aliud respondere vobis possum, nisi quod in hoc incomprehensibili mysterio eximium *potentiæ* ipsius opus refulsit. Hoc ipsum potest responderi ceteris prodigiis, quæ in Incarnatione continentur, & quæ credere nos cogit Fides. Hic extremus est suæ Omnipotentiæ conatus, quæ toto cælo plura, & majora potest efficere iis, quæ humana mens valet comprehendere, ut dicit S. Augustinus. Cum loquitur Scriptura de cælis aliisque Dei creaturis dicit ea esse opera digitorum Dei: *Videbo cælos opera digitorum tuorum:* Incarnationem vero opus appellat potentiæ brachii sui: *Fecit potentiam in brachio suo.* In creatione exercuit potentiam suam in nihilo; sed in Incarnatione exercuit illam in semetipso, sese humilians, & exinaniens &c. Luc. 2. Psalm. 8.

2. Neque minus in magno hoc Mysterio infinita Dei sapientia refulget: si enim Spiritus Sanctus nos docet divinam hanc perfectionem ab uno ad alterum extremum pertingere, omniaque suaviter disponere: hæc in Incarnatione non solum complexa est duo extrema inter se longissime dissita; sed arcte conjunxit ea, quæ magis videbantur opposita, & quæ simul esse non posse videbantur; fecit enim, ut una eademque persona Creator esset, & Creatura, immortalis, & mortis legibus obnoxia, impassibilis, & passibilis &c. Secundo loco, si Sapientia *disponit omnia suaviter*, videlicet creata omnia ad extremum eorum finem adducit per media congrua, naturæ suæ conformia, & apta naturæ, & conditioni ipsorum, cum homo ad *vitæ suæ regimen*, & finem suum assequendum *indigeret prototypo*, qui simul & falli non posset, ut posset videri, Deus poteratne melius hoc munus obire, quam semetipsum in Incarnatione hominem faciens? Natura divina infallibilis erat, sed non erat visibilis; humana natura visibilis erat, sed errori erat obnoxia: *Deus sequendus erat, qui videri non poterat: hoc homo videri poterat, qui sequendus non erat.* S. Augustinus ait. Quid igitur Deus? Duas hasce naturas in una eademque persona collegit, ut quatenus homo videri posset, & quatenus Deus citra errorem tuto omnes sequerentur. Sapient. 8.

3. Mysterium hoc erat quoque necessarium ad ostendendam Dei justitiam, quæ tanta est, ut nihil mere humanum, nihil mere creatum, nihil finitum posset illi satisfacere pro uno tantum mortali peccato; ad id enim requiritur, ut satisfactio aliquam habeat rationem cum injuria, quæ est infinita; quandoquidem injuriæ gravitas desumitur ex magnitudine personæ, quæ injuria lacessita fuit, & quæ suprema est, & infinita Dei majestas. Igitur infinita tantum persona, & læsæ par pro nobis satisfacere poterat; & ob hanc potissimum causam Verbum Æternum incarnatum est, ut subiret pondus debitorum nostrorum, & ad extremum usque quadrantem justitiæ Patris sui satisfaceret.

4. Exercuit in hoc eodem Mysterio incomprehensibilem bonitatem. Si enim boni proprium est sese communicare, Deus nobis sua bona largitur, essentiam, vitam, usum creatarum rerum suarum, sed per Incarnationem dat se ipsum. *Ex Patre le Jeune. Tom. 7. Serm. 26.*

IV. 1. Hoc est magnum fidei nostræ Mysterium, & christianæ Religionis fundamentum, quippe in eo agnoscimus Deum hominem factum, ut sit hominum Salvator, atque Redemptor.

2. Hoc maximum est Spei nostræ argumentum; se enim omnibus subdidit ærumnis nostris, ut nobis gratis mereretur, & nobis media suppeditaret, per quæ æternum felices essemus.

3. Magnum est nostri amoris objectum; quandoquidem unicus ejus amor in nos fuasit illi hominem fieri, & per Incarnationem suam sese amori nostro subjecit, *Qui non amat Dominum JESUM sit anathema.* 1. ad Cor. 16.

V. In duabus sermonis partibus ostendi potest. 1. Quantam Deo gloriam pepererit, & quantam 2. Hominibus utilitatem attulerit hoc Mysterium.

Quoad priorem partem, gloria, quæ ex hoc adorabili Mysterio cessit Æterno Patri, 1. sita est in eo quod infinitus, & divina Majestate dignus honor præstitus fuit per cultum, obsequium, adorationem hominis-Dei, hoc est

hoc est personæ quæ illi æqualis est, sed quæ illi inferior est facta, ubi factus est Homo. 2. Mysterium hoc reparat gloriam summi Entis illius, delens peccatum, quod eandem illi abripuerat: 3. Hominibus viam aperuit, qua præstantius possent Deum in terra glorificare, quam possent alia simul omnia creata; offerendo in Sacrificium illi hunc hominem Deum, hujus virtutes imitando, eumque sibi tamquam prototypum ad imitandum proponendo; ac tandem æternum eumdem glorificando in cælis, quos divinum hoc Mysterium illis reseravit.

Ad pertractandam sermonis hujus partem alteram, S. Bernardus paucis complexus est bona quæ cesserunt hominibus ex hoc Mysterio, & quæ sunt infinita: *Venit Redemptor ad venditos, ad errantes via, medicus ad ægrotos.* 1. Venumdati eramus, ac dæmoni traditi per peccatum, quod durissimæ nos subjiceret servituti, a qua non nisi dissolvi poteramus ab homine-Deo, qui confregit vincula nostra, & vindicavit nos in libertatem Filiorum Dei. 2. *Venit ad errantes via.* Erraveramus, jam reliqueramus viam, quam nobis ostenderat Deus; & devii vagabamur extra semitas justitiæ, & viæ salutis: Sed Incarnatum hoc verbum, quod de se ipso testatum est, se esse viam, & veritatem, in viam nos revocavit, ac tuto nos eo reduxit per sua exempla, & præcepta. 3. *Medicus ad ægros.* Eramus infirmi, qui mortem evitare non poteramus sine ope cælestis hujus medici, qui sua pharmaca morbis nostris applicuit, & vitæ immortalis spem nobis restituit.

VI. Sermo de Incarnatione bifariam dividi poterit, & simul æque moralis, & hujus argumenti proprius fieri. Pars prior considerabit, & luculenter exponet, quid pro nobis fecerit in hoc Mysterio Dei Filius; qui fieri voluit Filius hominis, quo nomine passim
Matth. 16. semetipsum appellavit: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Pars altera considerabit, quid sit faciendum nobis, qui sumus, & in Scripturis vocamur
Psalm. 4. *hominum filii. Filii hominum usquequo gravi corde?* quid inquam nobis faciendum sit ut evadamus in Filios Dei; hoc enim facere voluit per hoc mysterium
Joann. 1. Verbum Incarnatum: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.*

Quod ad priorem pertinet partem diserte explicandus est hic Sancti Leonis locus: *Suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* 1. Deus hic majestatis sese humiliavit, & exinanivit, ut loquitur Sanctus Paulus; Explicandum est quomodo, & quousque se humiliaverit; ut cum esset id, quod erat, se nobis similem faceret: *Suscipitur a majestate humilitas.* 2. Ostendendum est quomodo per hoc mysterium sese subjecerit omnibus infirmitatibus, & ut Propheta inquit, omnibus languoribus nostris, factus homo, ille, qui quatenus Dei Filius constituit Sanctorum felicitatem in cælo, & qui, ut Sanctus Paulus ait, sustinet omnia creata *portans*
ad Hebr. 1. *omnia verbo virtutis suæ. Suscipitur a virtute infirmitas.* 3. Ostendendum, quomodo ille, qui ab æterno se ipso contentus erat, & infinite beatus, factus est homo, passibilis, & mortalis, ut beatam nobis promereretur æternitatem: *Suscipitur ab æternitate mortalitas.*

Pars altera, quid nobis faciendum, ut evadamus in Filios Dei, quæ fuit Dei mens per hoc mysterium nos ad tantam dignitatem attollendi. 1. Sensus sumendi sunt nova hac qualitate digni, & sustinenda est dignitas filiorum Dei virtutibus, & actionibus nostris secundum eximia illa ejusdem S. Leonis verba: *Agnosce o Christiane dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in priſtinam vilitatem degeneri conversatione redire.* 2. Nosmet debemus attollere supra infirmitates nostras per victoriam de vitiis, & affectibus nostris relatam, per gratiam, quam Deus caro factus ad hanc rem nobis promeruit. 3. Cum obnoxii simus, immo etiam damnati morte quatenus homines, ad beatam contendere debemus immortalitatem, quandoquidem post vitam hanc futuri sumus, quatenus Filii Dei, Regni cælestis hæredes.

VII. Acceptis pro textu verbis illis: *Sic Deus dilexit*
Joann. 3. *mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, egregius haberi potest hujus argumenti sermo, singula verba ponderando, eorumque vim ostendendo.

1. *Sic Deus dilexit.* Magnitudo amoris divini erga homines melius significari non poterat, quam hac emphasi: *sic dilexit.* Ad hunc usque excessum amavit, ut se eo usque prodigeret, ut homo fieret, videlicet, eo usque ut in una eademque persona duas adeo diversas naturas conjungeret, adeo longinquas, adeoque sibi oppositas, cujusmodi sunt creatura, & Creator, essentia, & nihilum; immutabilitas, æternitas, independentia, ceteræque divinæ perfectiones ex altera parte, ex altera vero infirmitas, passiones, & quidquid infirmius est, & magis obnoxium mutationi. Quæ vis! quod prodigium! qui excessus amoris in Deo! *Sic Deus dilexit.*

2. *Dilexit mundum.* Magnæ hujus dilectionis objectum fuit Mundus; alterum stuporis argumentum. Sic dilexit mundum nefarium, ingratum, perfidum, qui tantum abest, aut aliquid habeat, quod mereri possit hunc Dei amorem, ut immo meritus fuerit odium illius, & omnia flagella justitiæ, & ultionis illius, & nihilo minus *Sic Deus dilexit mundum.*

3. *Ut Filium suum unigenitum daret.* Hic effectus est magni hujus amoris Dei, dedisse proprium Filium suum, & cum hoc filio omnia bona, quæ possunt excogitari; & quo consilio, & quem ad finem dedit illum? ut nos redimeret, ut nos sanctificaret ut nos in ea omnia jura, e quibus excideramus, remitteret.

1. Dei in Verbi Incarnatione consilia; videlicet re- VIII.
parare gloriam Patris sui, & mundum sanctificare.

2. Ostendere hoc medium aptius fuisse, præsentius, IX.
ac dignius sapientia Dei.

Ostendere incarnationem Verbi esse Mysterium gloriæ simul, & humiliationis.

1. Est gloriæ Mysterium, nam Dei Filius, quem
ad Hebr. 1. hoc continet Mysterium, est gloria Patris sui: *Splendor paternæ gloriæ*; Quia hic Filius illam detegit, & manifestat; ac tandem mirum in modum reparat.

2. Mysterium est humiliationis: quia Æternum hoc Verbum exinanitum est, ut loquitur S. Paulus. Quia ibi celat omnes perfectiones suas, & ibi omnes retegit nostras infirmitates, atque miserias. *Ex adventu Biroat.*

In hoc adorabili Mysterio tria considerari possunt, X.

1. Causæ, quæ Deum impulerunt, ut carnem assumeret, videlicet miseriarum nostrarum miseratio, Reparatio gloriæ Patris sui, & intentio salvandi, & sanctificandi mundum.

2. Modus, quo hoc Mysterium adimpletum est; voluit enim habere Matrem, & novem menses in utero ejus latere.

3. Incarnationis effectus, videlicet peccati destructio, & hominis in omnia jura sua restitutio.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas concionum ideas replendas, & Auctores qui de hoc argumento verba faciunt.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib. de peccato Origin. c.* 27. ostendit, Verbi Incarnationem exhiberi tamquam mundi nativitatem.

Idem *lib. de Doctrina Christ. cap.* 11. & *in Enchridion cap.* 108. rationes memorat, propter quas Verbum Incarnatum est.

Idem *Serm.* 13. *de Verb. Apost.* docet Deum Incarnatum fuisse, ut salvaret homines, & quanta sit hujus beneficii magnitudo.

Idem *lib. cur, quando, & quomodo Deus homo*, ostendit Adam ante peccatum suum ignoravisse Mysterium Incarnationis; sed post peccatum agnovisse illud.

Idem *ibidem cap.* 6. ostendit non potuisse Deum mittere Angelum vel hominem ad homines liberandos.

Idem ibidem rationem adfert, cur in adorabili Trinitate Filius, non autem aliæ duæ Divinæ personæ carnem susceperint; & ostendit modum, quo Verbum Incarnatum est, non fuisse indecorum, sed dignissimum.

Idem, vel alius auctor hoc ipsum ostendit in libro Novi & Veteris Testamenti.

Idem *lib.* 13. *de Trin. cap.* 10. ostendit hoc ipsum.

Idem *lib.* 7. *Confessionum cap.* 18. docet Dei Filium carnem accepisse, ut nostræ mederetur superbiæ.

Idem *lib.* 10 *de Genesi ad litteram* rationem adfert propter quam JESU CHRISTI caro non fuit peccatis obnoxia.

Idem *Serm.* 3. *de tempore* rationem memorat, cur decuerit Verbum dumtaxat hominem fieri.

Idem *Epist. ad Velusianum*, ostendit cur Incarnatio facienda fuerit eo modo, quo facta fuit.

Idem *in Psalm.* 56. ostendit, Verbum cum homine toto simul se conjunxisse, cum anima, & corpore, quod ipsum dicit libro *de agone Christiano cap.* 21.

Idem *Epist.* 102. *ad Evodium*, loquitur de idiomatis communicatione inter Deum, & hominem vi Incarnationis.

Idem *lib.* 3. *de Trinit.* ostendit naturam nostram per Incarnationis Mysterium nobilitatam, & exaltatam fuisse.

Idem loquitur de tempore, quo adimpleta fuit Incarnatio, cum omnia late essent pacata. *Cap.* 7. *libri; cur Deus homo.*

Idem *Serm.* 152. *de tempore*, ostendit decuisse, ut Incarnatio fieret cum humilitate.

Idem *libro* 1. *de Doctrina Christiana* docet Incarnationis finem fuisse medicorum exemplo mederi hominem per contraria ejusdem infirmitatibus remedia.

Idem *Tractatus* 78. *in Joannem* divinitus explicat Mysterium Incarnationis. Qua de re alibi passim loquitur, velut in Sermonibus novis *cap.* 45. & 48. &c.

S. Fulgentius *de Incarnat. cap.* 4.
S. Eucherius, vel Euſebius Emiſſenus *hom.* 9. & 11. *de Paſch.*
S. Gregorius *in cap.* 20. *Job* verba facit de neceſſitate, cauſſis, & convenientiis Myſterii Incarnationis.
Idem *in lib.* 4. *Regum* oſtendit neceſſitatem Incarnationis propter Adæ peccatum.
Idem *Epiſt.* 61. tradit quænam ſit Eccleſiæ fides de Incarnationis Myſterio.
Idem *Homil.* 8. *in Ezechielem* docet Divinitatem humanitati conjunctam fuiſſe ſine confuſione.
Idem *lib.* 7. *Moral. cap.* 11. & *lib.* 18. *cap.* 26.
S. Cyprianus *de Nativitate Chriſti*, multa præclare loquitur de Incarnatione.
S. Ambroſius de hoc Myſterio librum edidit.
S. Joannes Damaſcenus *lib.* 3. *cap.* 1. *de fide orthod.* oſtendit omnes Dei perfectiones mirum in modum in Incarnatione clareſcere.
S. Baſilius Seleucienſis ſermonem edidit de Incarnatione Verbi.
S. Chryſologus *Serm.* 147. 148.
S. Cyrillus Alexandrinus tomo 2. operum ſuorum.
Theodoretus *Tomo* 2. *Sermone ultimo.*
S. Maximus *in Bibliotheca Sanctorum Patrum.* Caſſianus *lib.* 7.
S. Anſelmus *lib. de mediis redemptionis generis humani* cap. 3. affert rationes omnes propter quas æquum erat, ut Deus carnem induceret, quamvis nulla neceſſitas cogeret.
S. Athanaſius tom. 1. orat. 2. & in tomo 2. ubi quoque de hoc Myſterio verba facit.
S. Bernardus *Serm.* 4. *in vigil. Nativit.* oſtendit Incarnationem opus eſſe ſupra cetera Dei opera admirabile.
Idem *Serm.* 20. *ſuper Cant.* oſtendit potiſſimam rationem, quæ Deum impulit, ut homo fieret, fuiſſe ut amaretur ab homine.
Idem *Serm.* 3. *de Nativ.*
Idem *Serm.* 10. loquitur de tribus admirabilibus operibus, quæ Deus ſimul in Incarnatione conjunxit; videlicet Deum & hominem; Matrem Virginem, fidem, & ſpiritum humanum.
Idem explicans hunc Jeremiæ locum; *femina circumdabit virum* oſtendit JESUM CHRISTUM in ſinu Matris habuiſſe ſapientiam, eaſdemque perfectiones, quas habebat, cum virilem attigit ætatem.
Sanctus Leo *Serm.* 10. *Quadrageſ.* docet, ſi homo non peccaſſet, Verbum carnem aſſumpturum non fuiſſet.
Dionyſius Carthuſianus, *in Dialogo Fidei Catholicæ.*
Suarez in 3. *partem D. Thomæ.* Inſignis iſte Theologus funditus tractat hoc Myſterium in præclaro opere Myſteriorum, quæ reſpiciunt Filium Dei.
Afcetici, aliique.
Bellarminus *Tom.* 1. *controv. lib.* 3.
Leſſius *lib.* 12. *de perfectionibus Divinis cap.* 4. ubi ſermo de neceſſitate, convenientiis, & rationibus Incarnationis.
Idem *de beneficii Incarnationis magnitudine cap.* 7.
Granatenſis in tract. 2. de Amore Dei, conſideratione, 3. ubi agit de hoc inæſtimabili beneficio.
Idem in meditationibus cap. 1. ubi oſtendit occaſionem, quam habuit Deus ſe ſe faciendi hominem, & media, quibus ad id uſus eſt; & mirabilia, quæ in hoc Myſterio collucent.
Idem in Catechiſmo ſuo parte 3. dialogo 2. & 3.
Catechiſmus Tridentini Concilii de tertio articulo Symboli Apoſtolici.
A Ponte in Duce Spirituali tomo 1. cap. 15. ubi verba facit de iis, quæ fecit Dominus in hoc Myſterio.
Idem in parte prima ſuarum meditationum.
Arias. *De imitatione Chriſti lib.* 1. *tract.* 2.
Pater de Argentano e Capucinorum familia libro, qui inſcribitur *Magnalia Jeſu* Collatione 2. 3. & 4.
P. Griſel in libro, cui titulus: *Homo Deus.*
P. Ragon in volumine, ubi loquitur ſolum de aſſumptate Verbi cum ſancta Humanitate.
P. Cauſſinus in Aula Sancta tom. 1. tract. 2. Axiomate 7. de Divinitate.
Sanchez *de Regno Dei lib.* 3. *cap.* 1. & 2.
Cardinalis de Berule de ſtatu, & magnalibus JESU, ſermone primo.
P. Guilleminot in libro cui titulus; *Sapientia Chriſtiana*, fuſius ea proſequitur, quæ ad hoc pertinent Myſterium.
Liber cui titulus, *Paſſiones JESU CHRISTI.* Cap. 5. Paſſion. 2.
Concionatores recentes.
P. Texier in Tomo Myſteriorum ſermonem habet, ubi de Incarnatione tantum agit.
Sarazin in Tomo primo adventus, ſermone 2. oſtendit JESUM CHRISTUM a primo Incarnationis ſuæ momento reparatorem.
Lambert tomo 5. Homiliarum loquitur de æterna Verbi Nativitate.
Abbas du Jarry in ſermone Annunciationis, de Verbi Incarnatione fere verba facit.
Adventus P. Duneau continet plures ſermones de adventu Filii Dei.
Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta tomo 1. Myſteriorum ſermonem habet hujus argumenti.
Granatenſis in locis Communibus. *Tit. Chriſti Incarnatio, & Nativitas.* Qui collecta ediderunt.
Carthagena in Homiliis in hoc Myſterium.
Labatha. *Titul. Chriſti Incarnatio.*
Mangorii Monita.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Figuræ, Prophetiæ, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Miſit Deus Redemptionem populo ſuo. Pſalm. 110.
Egredietur Virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Iſaiæ 11.
Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Iſaiæ 7.
Generationem ejus quis enarrabit? Iſaiæ 53.
Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos. Iſaiæ 35.
Utinam dirumperes cælos, & ipſe venires. Iſaiæ 64.
Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt. Iſaiæ 40. XI.
Expectatio Iſrael, & Salvator ejus. Jerem. 14.
Ipſe erit expectatio gentium. Geneſ. 49.
Obſecro, Domine, mitte, quem miſſurus es. Exodi 4.
Deſiderium collium æternorum. Geneſ. 46.
Veniet deſideratus multis gentibus. Aggæi 2.
Fecit potentiam in brachio ſuo. Luc. 1.
Videbit omnis caro ſalutare Dei. Luc. 2.
Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Joannis 1.
Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joann. 3.
Abraham exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gavisus eſt. Joann. 8.
Inveſtigabiles divitiæ, & ſacramentum abſconditum a ſæculis. Ad Epheſ. 3.
Eramus natura filii iræ. Ad Epheſ. 2.
Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. 2. ad Corinth. 5.
Pro nobis omnibus donavit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donavit. Ad Roman. 8.
Novum creavit Dominus ſuper terram; femina circumdabit virum. Jerem. 2.
Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Ad Galat. 4.
Cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, & habitu inventus, ut homo. Ad Philippenſes 2.
Cum introducit primogenitum in orbem terræ, dixit, adorent eum omnes Angeli Dei. Ad Hebr. 1.
Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Ad Hebr. 2.
Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, tum dixit, ecce venio. Ad Hebr. 10.
In mundo erat, & mundus eum non cognovit. Joannis 1.
Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Lucæ 1.
Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum Verum, & quam miſiſti JESUM CHRISTUM. Joannis 17.
Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos. Pſalm. 79. XII.
Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum. Iſaiæ 45.

Figuræ, & Prophetiæ ſpectantes ad Verbi Incarnationem.

SImulac Adam, & Eva peccarunt, creditur, Deus illis revelaſſe Incarnationis Myſterium, quod futurum erat omnibus eorum malis remedium; adeo cupiebat oſtendere exceſſum miſericordiæ, & amoris ſui erga homines. Et profecto oſtendit ſe illos ad extremum uſque diligere; cum enim tamquam judex acceſſiſſet interrogaturus Adam, & Evam, & in eos poſt peccatum animadverſurus; nequaquam oblitus eſt ſe Patrem eſſe Miſericordiarum promiſitque eis eadem hora, non ſolum ſe pro ipſis humanam carnem aſſumpturum, ſed effuſurum quoque ſanguinem ſuum, ut illos a morte liberaret. Voluit ille hac promiſſione omnem auferre diffidentiam, quam haberе poterant de illius bonitate, eiſque certam ingerere ſpem remiſſionis ſceleris eorum, ut ex eo tempore illos inciperet pœnitere, eo quod tam bonum læſerant Deum. Itaque illos in æternum, cum omnibus eorum poſteris ejiciens de terreſtri Paradiſo, illis cæli portas aperuit. Eodem tempore quo jaculabatur in eos maledicta, aperiebat illis conſilium, quod ceperat mittendi ad eos benedictionum omnium auctorem. Revelavit Deus Adæ Myſterium Incarnationis poſt ejus peccatum, ne veniæ ſpem illi auferret.

Deni-

Denique dum illi Dæmonis fiebant mancipia, promittebat illis de eorum progenie naſciturum, qui ab adeo crudeli ſervitute eos ſalvos faceret.

Abraham peculiarem habuit revelationem hujus Myſterii.

Abraham primus eſt ex Sanctis Patriarchis, qui divini hujus Myſterii perſpicuam, diſtinctamque habuerit cognitionem; promiſit quippe illi Deus futurum, ut ex ſemine ipſius naſceretur: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit in ſeminibus quaſi in multis; ſed in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*. Hoc autem accidit, cum præſto fuit, ut unigenitum ſuum Deo ſacrificaret. Fidelitas, qua paruit imperanti Deo, merita fuit, ut Deus illum Amicum appellaret, eique polliceretur, ſe illius progeniem adeo multiplicaturum, ut poſterorum illius numerus cum numero ſtellarum cæli, & arenarum maris coæquaretur. Quæ quidem promiſſio in JESU CHRISTO dumtaxat adimpleta fuit; ſi enim intelligeretur ſolum de ſemine Abraham ſecundum carnem, Judæi quamvis frequentes, non erant tamen infiniti; cum JESUS CHRISTUS vere infinitum habuerit poſteritatem per fidem Gentium, quæ crediderunt in illum, & factæ ſunt veri Abrahæ filii. At hæc promiſſio eidem fieri non potuit ſine revelatione Myſterii Incarnationis. Quamobrem Salvator ipſe dicit in Evangelio, Abraham exultaſſe, & optaviſſe videre diem Domini; vidiſſe illum, & gaviſum fuiſſe.

Prophetia Jacob.

Jacob Patriarcha morti proximus plenus erat hoc Myſterio, cum propheticas ſuas benedictiones filiis ſuis impertiens, converſus ad Juda Filium ſuum, ex cujus Tribu Mundi Salvator naſciturus erat, protulit magnam illam, celebremque prophetiam quam in Geneſi legimus: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*: quod adimpletum eſt in Meſſiæ adventu, & per Verbi Incarnationem; nam ad illud uſque tempus Tribus Juda poſſidebat regnum in Metropoli ſua, quæ erat Jeruſalem, & quod ad alienum translatum non fuit, videlicet ad Herodem Aſcalonitam aliena poteſtate, videlicet per Auguſti electionem, tunc ſolum, cum Meſſias prodiit in lucem inſtituturus regnum aliud, quod nullum eſſet finem habiturum.

Geneſ. 49.

XIII.

Danielis Prophetia prænotato tempore adimpleta. Daniel 9.

Daniel Propheta narrat, poſtquam prolixas Deo preces fudiſſet pro populi ſui libertate, qui in Babylonica ſervitute detinebatur, ſibi apparuiſſe Angelum Gabrielem, ac dixiſſe, Daniel *animadverte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*. Quæ prophetia adimpleta eſt tempore prænotato juxta Hiſtoricorum rationes, qui omnes conſentiunt; & quæ non niſi de Meſſia qui Verbum Incarnatum eſt poteſt intelligi.

Prophetia Aggæi. Aggæi 2.

Quiſnam ad loquendum induxerat Aggæum prophetam cum ea majeſtate, quæ digna eſt Deo exercituum? *Adhuc modicum, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus omnibus gentibus, & implebo domum iſtam gloria*. Nonne idem erat Spiritus, qui mox operatus eſt ingens illud Myſterium, quod videmus, & quod tunc docebat fideles famulos ſuos.

Moyſes hoc Myſterium cognovit.

Non loquor de Moyſe, qui ut a ſe declinaret mandatum, quo a Deo jubebatur convenire Pharaonem, & liberare populum ſuum de tyrannide, qua premebatur, deprecatus eſt Dominum, ut hanc legationem mallet illi mandare, qui aliquando mittendus erat ad mundum liberandum de tyrannide, quæ crudelitate Pharaonicam ſuperabat: *Obſecro, mitte, quem miſſurus es*. Quod palam ſupponit revelationem, & cognitionem hujus Myſterii, quo homines eruendi erant de jugo ſathanæ, ac de tyrannide peccati.

Exod. 4.

David in Pſalmis oſtendit, ſibi Myſterium hoc fuiſſe compertum.

Regius Pſaltes palam oſtendit, ſe Myſterium hoc non ignoraſſe, per ea verba, quibus Sanctus Paulus Apoſtolus utitur probaturus Judæis, Meſſiam non per adoptionem dumtaxat eſſe debere Filium Dei, ſed vere, ac reipſa, eandem ſubſtantiam, atque naturam habentem. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Tandem enim de hac veritate non licet ambigere, quæ totius eſt Chriſtianæ Religionis fundamentum. Propheta hic ſermonem ſuum convertit ad Reges, atque omnes, quibus eſt regimen populorum, ut illos admoneat ad excipienda documenta ſua, & ad ſervanda hac in re ſedulo divina inſtituta, alioquin prolapſuros in indignationem Domini, & ultionis ejuſdem pœnas ſubituros. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus*. Idem Pſalmiſta alibi, ubi de Meſſia verba facit, quem Chriſtum, & Unctum Domini appellat, hæc habet verba, quibus oſtendit illum Deum eſſe debere: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: Virga directionis virga regni tui: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus*. Ubi animadvertendum eſt, hic mentionem fieri ungentis, & uncti, & utrumque Deum, Dominumque vocari; Meſſiam, & Chriſtum unum, & idem eſſe; ideoque Meſſiam eſſe Deum, & Deum, qui humanam carnem ſuſceperus eſt.

Pſalm. 1.

Pſalm. 44.

Ne in infinitum proceſſus fiat omnium Prophetarum teſtimoniis proferendis, ſufficiat nobis illud Iſaiæ, qui de Incarnationis Myſterio, de vita, & morte divini hujus hominis ita perſpicue locutus eſt, ut paſſim quintus nuncupetur Evangeliſta. Modo quærit *generationem ejus quis enarrabit?* Modo Deum loquentem inducit, ac teſtimonium Meſſiæ perhibentem: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator;* denique, ut oſtendat Meſſiam eſſe debere Deum, & hominem ſimul, & humanam carnem aſſumpturum, ait: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; videlicet *Deus nobiſcum*, vel *Deus Incarnatus*.

Teſtimonium Iſaiæ Prophetæ.

Iſaiæ 53.

Iſaiæ 45.

Iſaiæ 7.

Cum hoc Myſterium non ſecus ac ratio, qua adimpletum fuit, captum noſtrum excedat, mirum non eſt ſi nulla ejus in veteri, novoque Teſtamento inveniatur figura, quæ illius nobis adſtruere potuerit ideam, non ſecus ac nulla in rerum natura ſimilitudo, quæ nobis ejuſdem conceptum valeat ingerere. Sancti Patriarchæ, Prophetæ, & nonnulli Reges Iſrael fuerunt Verbi hujus Incarnati Figuræ, ſed ejuſdem Incarnationis nemo. Figuræ melius connotatæ, fuerunt, 1. Viſio Patriarchæ Jacob, qui per ſomnum vidit ſcalam in terris poſitam, cujus apex Cælo innitebatur. Figura, inquiunt Sancti quidam Patres, Incarnationis, quæ eſt veluti gradus, per quem Deus de ſummo Cælorum vertice deſcendit in terram. 2. Alia figura ſatis imperfecta, quam tamen Deus ipſe tribuit, eſt retrogradus Solis inceſſus notatus per umbram ſciotherici Ezechiæ Regis horologii, qui ſimul deſignabat, quomodo Deus ſeſe humiliaturus erat humanam carnem accipiens: unde factum eſt, ut Sacer Textus deinde ſubjecerit: *Ecce dabit vobis Deus ipſe ſignum, Femina circumdet virum*. 3. Columna quoque, quæ Iſraelitis in deſerto præibat, figura fuit Incarnationis, Sancto Auguſtino teſte, quia noctu lucebat, ac interdiu nubes erat opaca, & viſibilis; quod laudatus Pater applicat humanitati Salvatoris, qui quædam fuit nubes fulgens ob oculos fidei, quia ſe ipſam tradidit ſatis cognoſcendam per opera ſua mirabilia.

Verbum Incarnatum figuratum fuit in veteri teſtamento.

Geneſ. 28.

Jerem. 31.

Non ſupervacuum, neque abs re puto hoc in loco proferre teſtimonium Sybillarum, quas antiqui Eccleſiæ Patres, non ſecus ac celeberrimi Auctores apud Ethnicos cæleſti lumine afflatas agnoverunt, atque in puritatis ſuæ præmium Prophetiæ Spiritu præditas. Primorum ſæculorum Patres, cujuſmodi ſunt Sanctus Juſtinus, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Cyrillus earum teſtimonio uſi ſunt, ad Religionem noſtram probandam adverſus Ethnicos, & ſicuti oracula earum accepta fuerunt, pro veris inventa, ac in pretio habita diu ante Salvatoris Incarnationem, Sancti Patres inde probationis argumentum elicuerunt nullo pacto in dubium revocandum. En autem Sybillæ Cumææ teſtimonium de incarnatione allatum a Sancto Juſtino. „ Hic, inquit „ illa, cum ſit Verbum Dei, & cum indiviſibiliter „ habeat cum illo unam, eamdemque virtutem, „ unam eamdemque poteſtatem, poſtquam hominum „ induit naturam, Dei cultum reſtituit, & reparavit „ Religionem Primorum Patrum, a qua poſteri eo„ rum deſciverant per inſtinctum Sathanæ invidentis, „ ut abirent in fictorum Numinum cultum.“ Doctor Chriſtianus poterat ne apertius loqui?

Sybillarum teſtimonium.

S. Juſtinus in cohort. ad Gentes ſub finem.

Applicationes locorum aliquot huic argumento.

SIc *Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Joann.* 3. Audiviſtis quidquid Evangeliſta nos docuit de Divini Verbi præſtantia. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per ipſum facta ſunt; in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum &c. En quid nobis dono dederit Deus: donum hoc magnum eſt in ſe ipſo. Quid fingi pretioſius poteſt, quam Filius Dei Unigenitus? Non ideo tamen hoc unum illud eſt, quod nobis dederit Deus. Prima hæc gratia nobis longe plurimas promerita eſt, quæ recentia ſunt illius amoris erga nos argumenta. Igitur poſtquam Pater Æternus dedit nobis Filium ſuum, quid ab illo nobis expectandum non eſt? Hanc veritatem Sanctus Paulus nobis explicat, cum ait: *quomodo non omnia cum illo nobis donavit?* Omnes gratiæ, quibus in hac vita cumulamur, omnes illas, quas expectamus, & quæ promittuntur nobis poſt vitæ hujus peregrinationem, ſunt effectus primi illius muneris quo donavit nos Deus.

Deus dans nobis Filium ſuum, quodammodo cetera ſe nobis daturum ſpopondit.

ad Roman. 8.

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Joann. 1. Verbum Æternum venit ad homines illuminandos, efficiendoſque Dei Filios; ſed quid accidit? Plurimi non cognoverunt illum, atque ſe gratiis illius præbuerunt indignos: *Mundus eum non cognovit*; Videlicet, qui rerum terre-

Mundus non cognovit Verbum æternum homiuem factum.

terrenarum amore possidebantur, & qui se damnari intellexerunt placitis, quæ Dei Filius constituit. In propria venit, & sui non receperunt illum. Verba hæc explicantur de Judæis. JESUS CHRISTUS propter illos potissimum venit, quemadmodum ipse dixit Apostolis suis, cum misit illos ad prædicandum Evangelium: *Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Illi testes fuerunt miraculorum ejus. Heu! quid prætermisit Salvator, ut illos traheret ad se? Tamen non receperunt illum, & quamvis Dei Filius illis favere cuperet, coegerunt eum, ut sententiam hanc in illos proferret: Amen dico vobis: auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur populo facienti fructus illius.

Matth. 10.

Verbum caro factum est. Joann. 1. Ecce principium liberationis nostræ, & omnis nostræ felicitatis. *Verbum* caro factum est, videlicet factum est homo. *Caro* in Scripturis passim significat hominem totum, veluti cum dicit Evangelium, Omnis caro videbit Salvatorem missum a Deo; scilicet, Omnis homo videbit. Evangelium memorat solum id, quod vilius est in homine, ut intelligamus quousque se humiliaverit Filius Dei propter amorem nostri. *Verbum caro* factum est; quæ comparatio inter Verbum Dei, & carnem mortalem, ac perituram? Sed quemadmodum Verbum semper permansit, non destitit præbere nobis specimina magnitudinis suæ in ipsis etiam humiliationibus suis. Hoc nobis innuunt postrema illa verba: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia, & veritatis*. Vidimus gloriam ejus; gloriam inquam ejus, qui plenus est gratiæ, & veritatis, cujus plenitudinis fructus quotidie percipimus. Ille est plenus veritatis, vel potius veritas ipsa. Spiritus, ut dicit S. Joannes in Epistola prima, perhibet Testimonium, quod JESUS CHRISTUS est veritas.

Verbum Incarnatum servavit gloriam suam in maximis humiliationibus suæ Incarnationis.

Luc. 3.

Joann. 1.

In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Ad Philippenses 2. Deus creaverat hominem ad imaginem, & similitudinem suam; homo hic fuit ingratus, & adeo calamitosus, ut imaginem hanc per scelus deformaverit, & deleverit hujus similitudinis lineamenta Creatori suo non obtemperans. Quid fecit Dominus miserator, atque misericors? Fecit se ipsum ad imaginem, & similitudinem hominis, ut repararet malum, in quod ipsus erat. Quamobrem nasci voluit aliorum hominum more, & subire omnia mala, quibus illi sunt obnoxii, præter peccatum: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*. Factus est similis nobis, ut nos faceret similes sibi. Nos corrupimus, & profanavimus imaginem suam; ipse instauravit, & sanctificavit illam, nostram accipiens. Ceciderамus assurgere volentes; & nos sustulit per humilitatem suam se se exinaniens. Desieramus esse filii Dei & eadem nostram reparavit faciens se hominis Filium. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

ad Hebr. 4.

Deus testatus est amorem suum erga homines dans illis Filium suum, cum in illos jure suo debebat animadvertere.

Audite domus David, nunquid parum vobis est molestos esse omnibus hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dedit ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Isaiæ 7. Profecto hæc verba cient admirationem. Cogitabam Prophetam hunc postquam exprobravit Judæis criminum suorum enormitatem dicens: non sufficit vobis molestos esse hominibus per injustitiam, ac impotentiam vestram? Num opus est ut impietas vestra Deum ipsum lacessit. Cogitabam, inquam, post acrem hanc increpationem, zelo succensum ad tanti sceleris adspectum, *Propter hoc*, Scito populo ingrate, propter impietates tuas Deum immissurum in agros tuos sterilitatem, in urbes tuas luem, in ditiones tuas desolationem. Sed hujus Prophetæ sermo Dei nomine loquentis longe abest a minis hujusmodi; *propter hoc*, ait ille, Deus dabit sibi Filium suum non ad judicandum, sed ad salvandum te. Profecto Dei unius est ita minitari. Ipse unus est, qui excogitare possit recentem ulciscendi rationem de inimicis suis, iisdem benefaciendo, & se hominem faciendo, non ad illos condemnandos, perdendosque, sed salvos faciendos. *Adducet Dominus ultionem retributionis, ipse veniet, & salvabit nos.*

Isaiæ 35.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Joann. 1. Prima hæc Evangelii Sancti Joannis verba audiri non possunt, quin videatur Sanctus hic Evangelista aliter, & sublimius loqui de Incarnato Verbo, quam alii Evangelistæ. Sanctus Matthæus loquitur de JESU CHRISTO, quatenus homine, & in genealogia, quam ejusdem instituit, memorat Majores, a quibus genus deduxit. Sed Sanctus Joannes illum considerat quatenus Deum, eumque respicit in sinu Patris, antequam dicat eumdem in Matris sinu hominem factum fuisse: *& Verbum caro factum est*. Docet a Patre genitum fuisse ante omnia sæcula, antequam ab eodem daretur Mundo in plenitudine temporum. Quorsum autem ita loqui incipit de Verbi Incarnatione? nisi ut sublimem concipiamus ideam præstantissimi muneris, quod nobis largitus est Deus! ut cum apparebit, & se videndum præbebit hominibus, tunc cum conversabitur cum illis, ac se demittet ad ea, quæ videbantur indigna, tantam majestatem homines non oblivisceantur unquam, quid ille sit, & non separent hominem, quem sub oculis habent, a Deo, qui invisibilis est in una tantum persona.

Quo in statu mundus erat cum Deus illum amavit eo usque, ut illi Filium suum daret.

Cum benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris Nostri Dei, eramus insipientes, increduli, errantes, desideriis servientes, odibiles, odientes invicem &c. Sanctus Paulus nos docet, qualis erat Mundus, quem eo usque amavit Deus, ut illi Filium suum daret. Tunc sceptrum Israel, & Juda, quod fuerat propugnaculum cultus veri Dei, erat in manu Herodis, hominis politici, & Athei, cui nulla erat religio. Summi Sacerdotis officium per Simoniacos exercebatur: reliquæ nationes versabantur in tenebris infidelitatis. Cum nulla fere amplius esset virtutis cognitio, vitia super aras ascenderant. Verbo, Mores hominum tunc erant adeo corrupti, ut Deus per Isaiam illos comparet leonibus, draconibus, ac ferocissimis belluis. Et Sanctus Paulus, scribens ad Romanos asserit, humanum genus esse massam corruptam, & infectam veneno omnigenæ iniquitatis. Hoc erat Mundus, pro quo Deus tantum amorem concepit. Adspectus ingratarum, perfidarumque creaturarum nonne potius illius ultionem ciere debebat? Cælestes Angeli! Cum videbatis hominum impietatem eo usque evasisse, cum terram non nisi perhorrescere licebat vobis, nonne sperabatis fore, ut omnes illi peccatores quamprimum diluvii alterius fluctibus submergerentur? Sed, *o altitudo Sapientiæ, & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia tua*. Quam longe differunt viæ tuæ a viis nostris? Cum sol Idolorum cultoribus tantum, & sacrilegis lucet, cum tellus non nisi impios sustinet, & alit, cum Deum Mundus derelinquit, ejusque gloriam rapit, Deus diligit Mundum, adhibet sapientiæ suæ adinventiones, & exerit vires omnipotentis brachii sui, ut Mundum salvum faciat. O spectaculum stupore dignum! videre Deum in cælo amantem: quid autem? Mundum, qui se illius infestissimum hostem in terra professus est: *Sic Deus dilexit Mundum*.

ad Rom. 11.

Magnitudo dei, quod nobis largitus est Deus, ut testatum faceret nobis amorem suum.

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Joann. 3. In Incarnationis Mysterio adimpletum fuit hoc Mysterium amoris, quoniam Pater Æternus dedit nobis Unigenitum suum, & hic Altissimi Filius fecit sibi Sacramentum pietatis, justificatum per Spiritum, detectum Angelis, prædicatum gentibus, temporum lapsu, ac tandem consummatum in gloria; ita enim loquitur Sanctus Paulus. Denique in hoc Mysterio consistit primum, & maxime essentiale bonorum nostrorum. Primum dico, quia fons est, & origo ceterorum; maxime essentiale, quoniam alia hoc consequuntur, & humana mens potius, & facilius comprehendet Deum immensum, potentem, æternum, quam justam sibi adstruat ideam Dei, qui factus est homo, qui factus est mortalis, & similis nobis.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

FActus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Augustinus serm. 9. de Nativitate.

Deus abjectam humanæ naturæ societatem non exhorruit, sed exinanivit ipse se. Idem Epist. 120.

Ista naturæ humanæ tanta, & tam celsa, & tam summa subvectio est, ut quo attolleretur altius non haberet. Idem lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 15.

Ut homines nascerentur ex Deo, prius ex ipsis natus est Deus. Idem Tractat. 1. in Joannem.

Quo altius carnem nostram attolleret (Deus) non habuit. Idem Serm. de Tempore.

Tota ratio facti est potentia facientis. Idem Epistola 2.

Parce in te Christo, agnosce in te Christum. Idem de Verbis Apostol.

Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. Serm. 8. Idem.

Verbum Patris, quod est candor lucis æternæ, nubem humanam irradiavit. Idem Homilia 2. in Apocalypsim.

Venit grandis ad parvulos, membra contraxit, tamquam se ipsum exinaniens, ut efficeret corpus humilitatis nostræ configuratum corpori gloriæ suæ. Idem Serm. 2. de Verb. Apostol.

Misit Deus Pater Medicum, misit Salvatorem, misit eum, qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret: nihil addi ad istam benevolentiam potest. Idem Serm. 13. de Verb. Apostol.

Nulla veniendi ratio fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere: tolle morbos, & vulnera, & nulla erit medicina ratio. Idem in Enarratione in Psalmo 49.

For-

Formam viri assumendo, & de fœmina nascendo, utrumque sexum hoc modo honorandum judicavit. Idem contra Faustum.

Hac humilitate, & caritate incarnati Filii Dei, liquefacta est duritia Mundi, ut agnosceret saltem beneficium sua reparationis, qui non agnoverat excellentiam sua conditionis. Idem Serm. 19. de Sanctis.

Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Idem Epistola ad Volusianum.

Non jam desperandum est participatione Verbi fieri posse homines Filios Dei, quando Filius Dei participatione carnis factus est Filius hominis. Idem de Grat. Nov. Testamenti.

Quando (Deus) humana membra suscepit, opera Divina non deseruit. Idem Serm. 27. de temp.

Dispensatio futuræ carnis a Sanctis Patribus futura credebatur, sicut a nobis facta creditur, tempora variata sunt, non fides mutata. Idem in Psalm. 50.

Deus homo fieri dignatus est, quatenus tanto illum plenius diligamus, atque laudemus, quanto clarius ejus benevolentiæ gratia profectos nos cognoverimus. Idem lib. cur, quando, & quomodo Deus homo.

Quia primus homo ceciderat, oportuit, ut homo secundus conderetur, qui rectitudinem, quam primus homo non tenuerat, iste quasi emendando teneret. Idem ibidem.

Debitum quidem Adæ tantum erat, ut illud non deberet solvere nisi homo: sed non posset nisi Deus. Idem ibidem.

Verbum corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine, & Spiritu Sancto est. Idem, vel alius auctor lib. de Incarn. Verbi.

Necesse fuit Verbum Deum, & hominem in unam convenire personam, ut qui Filius est secundum Divinitatem, idem esset Filius secundum humanitatem. Idem lib. cur Deus homo.

Ab hominibus carnem assumpsit, sed non more hominum; nam Patrem habens in cælo, matrem elegit in terra, & illic natus sine Matre, & hic sine Patre. Idem tract. 26. in Joannem.

Amore Deus invisibilis, servis suis factus est similis. Idem Manual. cap. 22.

Si Deus peccatores non amaret, de cælo ad terras non descenderet. Idem tract. 49. in Joannem.

Totum hominem Salvator ipse suscepit, dignatus nobis totum liberare quod fecit. Idem de Continentia, cap. 12.

Totum hominem suscepit Verbum, & totus homo factus est Verbum. Idem in Psalm. 56.

Credimus pro nobis Deum hominem factum ad humilitatis exemplum, & ad demonstrandam erga nos Dilectionem Dei. Idem lib. 8. de Trinitate cap. 5.

Homo novus facti sumus, quia & ille homo novus venit. Idem tract. 30. in Joann.

Sanandæ miseriæ nostræ necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Idem lib. 13. de Trinitate, cap. 10.

Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei, sic homines præveniens: tam, inquam, vehemens amor, quod homo propter homines dignatus est fieri. Idem in Manuali cap. 26.

Ut familiarius diligeretur ab homine Deus in similitudinem hominis apparuit. Idem in Enchirid. cap. 26.

Quod natura non habet, usus nescivit, ignorat ratio, mens non concipit humana, pavet cælum, stupet terra, creatura etiam cælestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariæ promittitur, & per Spiritum Sanctum adimpletur. Hieronymus in Sermone de Assumptione.

Quem (Pater æternus) sine tempore genuit, cum tempore ostendit. Gregor. lib. 2. & 6. Moral.

Mediator Dei, & hominum, ut culpas nostræ transgressionis extingueret, venit mortalitatis nostræ flagella tolerare. Idem lib. 3. Moral.

O inæstimabilis dilectio Caritatis! Ut servum redimeres, Filium tradidisti. Idem.

Verbum carnem dicimus factum non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat: nostra auxit, sua non minuit. Idem.

Mihi quidem impossibile est generationis Divinæ scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum. Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 3.

Divinam, humanamque naturam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat. S. Leo Serm. de Nativ.

Suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Idem in sermonibus.

Propter liberandum hominem ab æterna morte, factus est Deus homo. Idem in sermone in Nativitate Domini.

Ideo filius hominis est factus, ut nos Filii Dei esse possemus. Idem serm. 6. in eadem Sollemnit.

Excedit, multumque supereminet humani Eloquii facultatem Divini hujus operis magnitudo. Idem Hom. 9. de Nativit.

JESU in carne apparitio ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentia. Dionysius de Divinis Nominibus.

Magnificentia Domini est Incarnationis arcanum. Cassiodorus in Psalm. 8.

Non pudebit me fateri hujus unionis ignorantiam habere, immo gloriabor potius, quod credam arcana, quæ nec ratio, nec mens valet percipere. Justin. lib. de Confess. Trinitatis.

Ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quam humanæ judicii erutinæ subjiciendum. Cyrill. ad Regin.

Paraturam (Incarnatio Verbi) deliberabat, ut credi posset. Tertull. 13. contra Marcionem.

Parce unica spei totius orbis, qui destruis necessarium decus Fidei. Idem contra eundem negantem Incarnationem, cap. 8.

Quodcumque Dei indignum est mihi expedit. Idem ibidem.

Per Christum in Christo se cognosci vult Deus. Idem in Apologet. cap. 21.

Dubitare jam desine quod & tu, qui Filius es Adæ, futurus sis Filius Dei: non enim se ipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Chrysostom. Homil. in Matth.

Tunc cælum terra facta est, cum cæli Dominum contineret. Chrysost. Homil. 2. in Joannem.

Venit secundus Adam, ut imaginem in nobis suam, ac similitudinem exemplis suis restauraret. Beda in Haxamer.

Si non esset peccatum, mansisset quod in principio erat Deus Verbum. Origenes in Numer.

Omnia quæ in natura nostra plantavit Deus, assumpsit Verbum, totus totum apprehendit, ut totam mihi salutem impertiret. Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa, cap. 60.

Qua reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, nisi omnium causam Mediator Dei, hominumque susciperet. S. Leo Epistola 97. vel 134.

Qua ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei æqualis est Patri, in forma servi esset particeps & nostri. Idem ibid. cap. 4.

Nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro salvari. Ibid. cap. 9.

Ut non esset vita ejus otiosa in utero, jam tum operabatur salutem in medio terræ. Bernard. Serm. 2. in Festo Pentecost.

Talia opera fecit omnipotens Majestas in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, ut talia nec facienda amplius super terram. Idem Serm. 3. de Adventu.

Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est, agnosce. Idem Serm. 22.

Quanto pro me vilior, tanto mihi carior. Idem Serm. 1. de Epiphan.

Venerandi hujus Mysterii inscrutabilis altitudo. Idem in quadam Epistola.

Abyssus plane imperscrutabilis Incarnationis Dominicæ Sacramentum, Abyssus impenetrabilis. Idem de Annunt. B. Virgin.

O dignatio mira! O humilitas summa! O caritas inexpectata! O pietas stupenda! quando Deo unitur limus, summus fit imus, fortissimus fit infirmus. S. Bonavent. Serm. 6. de Adventu.

Nullum ab æterno majus factum, quam Verbum caro factum. Simon Cassius de gestu Salvatoris.

Amplius Deus innotuisti in Filio, quam in Orbe; in hoc monstrasti quis esses, quid saperes, quid posses, quantumque amares. Thomas Villanovanus. Serm. 3. de Nativitate.

Advenientis personæ considerandæ Majestas, dignationis magnitudo, caritatis latitudo, humanæ naturæ exaltatio. Bernardus de Adventu Domini, Serm. 3.

Apparuerat potentia in rerum creatione, sapientia in rerum gubernatione, sed humilitas, & benignitas in humanitatis assumptione apparuit. Idem in Vigil. Nativ. Domini, Serm. 1.

Humanitas Christi fidem instruit, spem roborat, caritatem accendit. Idem in Epiphan. Serm. 2.

Christus sua Incarnationis & auctor, & opus est. Augustinus contra Felic.

Incarnationem Christi tota Trinitas operata est. Idem ibidem.

Incarnatio opus restaurationis est. Idem lib. de subst. dilect.

Venit Medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Bernardus ad Milit. Temp.

Quid futurus est homo, pro quo Deus factus est homo. S. Prosper.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi possit ad illustrandum hoc Argumentum.

Quid sit Verbi Divini Incarnatio.

UT cum ordine loquamur de sublimi hoc, & incomprehensibili mysterio initium sumendum est a nomine, quod illi tribuitur, dicendumque vocabuli *Incarnationis* ethymon desumi ex S. Joannis loco dicentis: *Verbum caro factum est*. Plerique Patres, atque Theologi hoc utuntur vocabulo, quia Sacer Textus ut plurimum adhibet nomen carnis ad innuendam naturam humanam, totum hominem compositum ex anima, & corpore, ut apud Sanctum Lucam: *Videbit omnis caro salutare Dei*. Hinc profectum est nomen Incarnationis consuetudine consecratum, pro quo Veteres quidam dixerunt *Corporationem*, ut Sanctus Hilarius, vel *Inhumanationem* adhuc magis barbaro nomine, quo usus est Sanctus Joannes Damascenus. Quod non aliud significat, quam Verbi Æterni cum integra Salvatoris humanitate conjunctionem, hoc est corporis, & animæ ejusdem in una persona, aut suppositо. Hinc conjunctio ista dicitur hypostatica, per quam sine ulla confusione, vel distinctione substantiæ, Divinitas, & humanitas simul conjunctæ sunt in unitate personæ.

Luc. 3.

S. Hilarius in Prolegom. in Psalm.

Jesus Christus non est compositum aliquod ex Divinitate, & humanitate, sicut homo ex corpore, & anima constat.

Quæri fortasse potest, utrum JESUS CHRISTUS sit compositum aliquod ex divinitate, & humanitate, ut hæretici quidam opinati sunt, eodem præter propter pacto, quo omnes homines compositi sunt ex *anima*, & corpore: Ita ut sicut anima est forma corporis, quæ dat esse, ac vitam, similiter Divinitas sit forma substantialis sanctæ humanitatis, dans illi esse divinum, vitamque divinam. Hic error est. Divinitas esse nequit forma alicujus Compositi; alioquin fieret pars totius, & comparatio, quam instituit Sanctus Athanasius in symbolo: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus: & homo unus est Christus:* Hæc inquam comparatio significat solum, sicut anima, & corpus simul conjuncta unum dumtaxat efficiunt hominem: ita ex divinitate, & humanitate simul conjuncta unum dumtaxat fieri JESUM CHRISTUM: & Sanctus Doctor nequaquam significare voluit unionem divinitatis cum humanitate in JESU CHRISTO similem esse unioni corporis, & animæ in homine.

Quænam sit Fides Ecclesiæ in mysterio hoc ineffabili.

Si scire placet quænam sit Ecclesiæ fides circa hoc Mysterium, id cognoscitur ex Antiphona, quæ canitur in die Circumcisionis. *Mirabile mysterium declaratur hodie. Deus homo factus est: id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit; non commixtionem passus, neque divisionem.* Videlicet, credit Dei Filium, cum factus est homo, nullam in divinitate sua mutationem passum fuisse; & quamvis homo sit Deus, esse tamen etiam hominem verum, quia continet in se utramque naturam divinam, & humanam, quæ cum sint simul perfecte conjunctæ nullo modo sunt confusæ. Sed sicuti nulla est commixtio in naturis, nulla quoque est divisio in persona & utraque natura unam tantum constituant personam, & unum JESUM CHRISTUM.

Quid sit unio hypostatica, & in quo consistat.

Dicitur quidem nexus hic adeo firmus, & validus, qui unio vocatur hypostatica, facer esse nodus, qui facit, ut Deus & homo non sint, neque unquam futuri sint, nisi una eademque persona; sed quis intelligere potest, in quo illa sit sita? Nulla est similitudo, quæ illam possit explicare: illæ enim, quibus utuntur Theologi, sunt ænigmata, quæ vix, & ne vix quidem in scholis enucleantur. Dicam, quod valeo intelligere, & ideam, quam mihimet fingere potui secundum ea, quæ gravissimi Auctores docuere. Certum est hanc non esse divinam, humanamque naturam, id enim est, quod utramque illam simul conjungit. Certissimum quoque est hoc non esse ens aliquod ab utraque distinctum, quod inter utramque sit tamquam gluten, aut vinculum, quo utraque conjungatur, quoniam per unionem maxime intimam non conjungerentur, quandoquidem inter utramque esset aliquid medium. Certum quoque est, si humana Salvatoris natura relicta fuisset naturali suæ dispositioni, hypostasim illius, vel personam emanaturam fuisse, & effluxuram ex propria substantia suapte natura, quin ulla necessaria esset unio ad naturam cum persona conjungendam, quemadmodum nullo opus est vinculo ad rivulum cum fonte jungendum. Sed sicuti divina persona, quæ supplet absentiam humanæ personæ in sancta Salvatoris humanitate non fluit naturaliter ab humana natura, & nullam habet cum illa proportionem, cum infinite excedat omnia creata, necessario aliquid requiritur longe potentius ad illas simul ita perfecte conjungendas, ut persona divina sit vere persona humanæ naturæ; alioquin dici non liceret, hominem esse Deum personaliter. Adest igitur aliquid quod utramque naturam conjungit, & aliquid valde admirabile; sed hoc intelligere nequeo, multoque minus possum explicare. Hoc unum dici potest, per hanc unionem, naturam humanam, cum intime conjuncta sit cum persona Divina, & locum teneat propriæ personæ quem non habet, sustineri, terminari, & perfici modo infinite nobiliori, quam fuisset in statu suo naturali; & cum sermo sit de hypostatica unione, nihil concipi, & nihil aliud intelligi, quam admirabilis iste modus, qui extremus est divinæ potentiæ conatus.

Propter hanc adeo intimam unionem naturæ unius proprietates alteri reciproce tribuuntur.

Cum duplex hæc natura inseparabiliter conjuncta sit in adorabili JESU CHRISTI persona per unionem adeo intimam, ut utraque unam tantum personam efficiant, accidit, ut omnes Dei perfectiones homini tribuantur, & omnes hominis infirmitates, exceptis peccato, & ignorantia, tribuantur Deo per idiomatum communicationem, ut loquuntur Theologi. Ita libere, & citra periculum in errorem incidendi, dicitur homo esse Deus, & Deus homo: Deus esse unius diei infans, & homo Deus æternus: homo esse omnipotens, & Deus esse infirmus, homo esse immortalis, & Deus mortalis. Verbo, omnia ita communia, & reciproca fiunt inter duas hasce naturas per hanc ineffabilem unionem, ut de alterutra nihil dicatur, quod nequeat de altera prædicari, dummodo semper considerentur simul conjunctæ in Incarnati Verbi Persona.

Quomodo confilientur omnes contradictiones quæ in specie occurrunt in Incarnationis mysterio.

Qui recte intelliget hanc Theologiam, quam Sanctus Augustinus, omnesque Patres docent, nullo negotio conciliabit simul contradictiones omnes, quæ occurrere videntur in Sacra Scriptura, in Prophetis, & Sanctis Patribus, qui sæpe sibimet adversari videntur, ubi de JESU CHRISTO loquuntur, cum alii ejus magnalia tantummodo celebrent, alii vero de illius humiliationibus tantum loquantur; alii gloriam ejus extollant; alii ignominias ostentent, alii probent ipsum unum, eumdemque esse cum Patre, alii eum Dei servum esse fateantur. Sanctus Paulus asserit illum in omnibus cum Patre æqualem esse: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; & Salvator ipse fatetur Patrem suum majorem se esse. Quæ omnia simul ita conciliantur, ut nulla adsit contradictio; quia modo sermo est de illius divinitate, modo vero de illius humanitate, modo de anima, modo vero de corpore. Quis autem ignorat, ut vera fiat contradictio, quæ sit absurda, unum & idem affirmandum, & negandum esse eodem tempore, eodemque modo?

Cur necesse erat ut in Jesu Christo duæ essent naturæ.

Hoc admirabile est artificium infinitæ Sapientiæ Dei, duas esse in JESU CHRISTO naturas; alteram humanam, quæ pati ac mereri posset pro nobis; alteram vero divinam, quæ passionibus meritisque ejus infinitam virtutem tribueret. Sola natura divina non potuisset pati, & sola humana natura nequaquam satis digne pati valuisset, ita ut satisfacere juste posset pro nostris criminibus. Oportebat igitur duplicem hanc naturam conjungi in una tantum persona divina, ut sicuti actiones, & passiones tribuuntur agenti, ac patienti, quidquid ad hanc duplicem naturam pertinet æque JESU CHRISTO tribueretur: nam quamvis verum sit ipsum in humana dumtaxat natura pati; nihilominus quia est divina persona, vere dici potest, Deus esse, qui patitur, & moritur.

Miracula quæ conjuncta videntur in Filii Dei Incarnat.

Quot miracula in magni hujus operis perfectione acciderunt! 1. Virginem sine Virginitatis detrimento ventrem ferre; ejusque Virginalem perfici pudicitiam, per maternitatem, quod miraculum! 2. Corpus humanum efformari in ictu oculi, cum omnibus necessariis dispositionibus ad rationalem animam recipiendam. 3. Animam hanc recepisse perfectum rationis usum eodem articulo, quo creata fuit, repletam fuisse omnibus scientiis, & illustratam omnibus cognitionibus, quæ perficere poterant mentem hominis divini. Ad hæc illam creatam fuisse, ornatam omnibus gratiarum thesauris, qui sanctificare poterant Sanctum Sanctorum, & tandem eodem momento animam hanc beatam fuisse, & gavisam eadem beatitudine, quam æternum possidebit, ita ut Sanctæ Virginis uterus fuerit primus Paradisus, in quo Salvatoris anima videre cœperit Deum facie ad faciem. Quænam miraculorum congeries! Virgo bajulat sinu suo perfectum virum, & omnipotentem Deum, beatum, & beatitudinem omnium hominum.

In opere Incarnationis quædam sunt naturalia & quædam supernaturalia.

Animadvertendum est tamen cum Tridentini Concilii Catechismo, in hoc mysterio plura esse, quæ ordinem excedunt naturæ, & alia, quæ sunt naturæ ejusdem effectus. Cum enim credimus Corpus JESU CHRISTI effectum fuisse ex purissimo Matris sanguine, in hoc naturæ opus cognoscimus, quandoquidem omnium hominum corpora ex matrum suarum cruore efformantur; sed hoc excedit ordinem naturæ, & superat captum mentis humanæ, modus videlicet, quo hic homo Deus conceptus fuerit, & corpus ejusdem formatum, & denique quomodo eodem momento fuerit simul Deus, & homo perfectus. Itaque nemo ambigere potest, quo minus opus hoc prorsus inauditum, & admirabile sit opus Spiritus Sancti.

De fide

Quamquam Jesus Christus conceptus fuerit ex Spiritu Sancto, & sit opus illius; tamen tres Trinitatis personæ aliquid contulerunt ad hoc Incarnationis mysterium.

De fide est, quamvis JESUS CHRISTUS Dei Filius, & unicus Dominus noster pro nobis humanam naturam susceperit in Virginis sinu, tamen nequaquam conceptum fuisse eo modo, quo alii homines concipiuntur; sed modo supernaturali, videlicet per operationem Spiritus Sancti: ita ut sicuti sæpe jam diximus, eadem persona permanens Deus, sicuti est ab æterno, facta sit homo, quod antea non erat. Sed prætermittendum non est, cum dicitur Dei Filius conceptus fuisse opera Spiritus Sancti, non ideo credendum esse, hanc unam Sanctæ Trinitatis Personam operatam fuisse Incarnationis mysterium. Verum est Filium dumtaxat humanam assumpsisse naturam, sed verum quoque est tres Sanctissimæ Trinitatis personas Patrem, Filium & Spiritum Sanctum nonnihil huic mysterio contulisse, quia quidquid Deus operatus est extra se commune est tribus personis. Tamen cum Scriptura plerumque uni tantum ex tribus personis tribuere consueverit, quod ceteris commune est, Incarnatio, quæ effectus est bonitatis prorsus singularis, Spiritui Sancto tribuitur.

Jesus Christus suæ conceptionis momento recepit gratiæ plenitudinem. Joann. 3. Joann. 1.

Statim ac Corpus filii Dei formatum fuit opera Spiritus Sancti, anima ejus repleta fuit omni plenitudine ejusdem Spiritus, & recepit affluentiam donorum omnium gratiæ; nam sicuti inquit S. Joannes, non dedit illi Deus Spiritum suum in mensura, ut aliis hominibus, sed effudit in animam ejus omnia charismatum genera tanta in copia, ut omnes de illius plenitudine acceperimus. Quamvis igitur eumdem receperit Spiritum, per quem Sancti fiunt adoptivi Dei Filii, non licet tamen hoc illi nomen tribuere: cum enim sit Dei Filius per naturam, error esset credere, adoptionis gratiam, vel adoptivi filii nomen illi modo ullo posse congruere.

Deus eo quod homo factus est non ideo mutatus est.

Facile intelligi potest Incarnationis Mysterium nullam in Deo mutationem peperisse, sed in homine tantum, & Deum omnipotentem, æternum, immortalem, immensum, factum fuisse hominem, infirmum, passibilem, & mortalem quin mutaretur. Cum enim verum sit, unionem hypostaticam, quæ vinculum est ineffabilis hujus mysterii, non aliud esse quam modum novum, & inexplicabilem, per quem natura humana subsistit, & per Divini Verbi naturam terminatur: Constans est, modum hunc ad solam humanitatem, non autem divinitatem referri. Maxima quidem videtur in homine mutatio, quia alia est persona, quæ sine Incarnationis Mysterio non fuisset: sed nulla in Deo mutatio videtur, quia non est alio modo ab eo, quo erat, sive in natura sua, sive in persona divina.

Utrum necesse esset, ut Dei Filius homo fieret.

Quæritur, utrum necesse esset Verbum carnem fieri ad genus humanum reparandum, cui quæstioni, ut respondeatur, sciendum est aliquid bifariam necessarium vocari posse. Primum necessitate simplici, & absoluta, mox necessitate convenientiæ, hoc est ad melius esse; quod explicatione non indiget. Sanctus Thomas ait simpliciter necesse non fuisse, ut Deus carnem assumeret, & ut loquitur ille, naturam humanam sibi desponsaret; poterat enim infinita potentia sua verbo genus humanum reparare, ac plures alias invenire rationes illud restituendi præter illam adorabilis hujus mysterii; sed necesse fuisse necessitate convenientiæ, Deum carnem suscipere, ut humana natura decentius repararetur, seu quod humanum genus satis digne redemptum fuit, & erutum a servitute sua hoc pacto, ex quo liquet quousque Deus dilexerit homines, qui in redemptionis ipsorum pretium Unigenitum suum dederit, seu quod secundum Sancti Augustini sententiam, quamvis Deus posset humanum reparare genus plurimis modis, nullus tamen hoc aptior aderat, quia hæc potissima erat via ad homines ad virtutem pertrahendos per praxim præstantissimarum virtutum, eosque a malo avertendos. Quæ sancti Doctoris sunt verba.

part. 3. q. 2. art. 2.

Quemadmodum Dei majestas non viluit, neque diminuta fuit eoquod sibi naturam humanam conjunxit; ita debita illi reverentia minui non debet, immo debet augeri propter hoc sublime mysterium, cum enim per illud perfectius cognoverimus naturam divinam, hoc illustrati lumine illius magnitudinem, infinitamque bonitatem cognoscimus. Hinc argumentum deprimere possumus illum honorandi, amandi, eique deserviendi majori cum affectione, & fervore, ut grati animi sensum melius illi testemur ob tantum beneficium. Hoc canit Ecclesia in Canone Missæ: *Quia per Incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.*

Finis, & ratio Incarnationis fuit auferre originale peccatum. S. Thomas q. 1. art. 4.

Prima, & potissima causa propter quam Dei Filius homo factus est, fuit, ut auferret, ac deleret originale peccatum potius quam actuale. Rationem adfert D. Thomas, qui ait, originale peccatum gravius esse actuali, hoc enim unum, tantum inficit, & coinquinat hominem, originale vero totum humanum genus corrupit. Sed animadvertendum est cum ceteris Theologis, JESUM CHRISTUM in Mundum venisse non solum ad delendum originale peccatum, verum etiam alia actualia quæ post primum illud patrata fuerunt; non quod omnia peccata extincta, deletaque fuerint per Incarnationem, sed quod mors, & merita Salvatoris, quæ nobis applicantur, remedium sunt sufficiens, ac abundans ad delenda peccata nostra, quemadmodum docet S. Paulus Apostolus, cum ait, originale peccatum gravius esse actuali, quia latius patet, ac se se in homines omnes effundit: sed minus esse actuali, quia minus est voluntarium; quia tale non est, nisi quia singulorum voluntas in Adæ voluntate continebatur.

Alia Dei mens Incarnatione videlicet, ut in hoc homine Deo divinæ perfectiones elucescerent.

Communis est Theologorum sententia, non extremam causam propter quam Deus se hominem facere voluit, fuisse hanc ut videlicet palam repræsentaret perfectiones suas, quæ aliquid ad majorem ipsius gloriam possunt conferre. Et sane proprium Filii Dei est, esse Patris sui imaginem; quoniam procedit per viam cognitionis, cujus essentia consistit in expressione, & repræsentatione objecti sui. S. Paulus illud appellat figuram substantiæ Patris, characterem gloriæ ipsius: sed characterem viventem, figuram substantialem, quæ exprimit perfectiones omnes principii sui, quas recepit per generationem æternam suam in ipso. Cum itaque vellet Deus se mundo cognoscendum præbere, Verbi intererat hoc munere fungi, ac humanam carnem induere, ut harum perfectionum exhiberet imaginem.

Cur Deus non effinxit Salvatori corpus eodem modo, quo corpus Adam.

Quandoquidem volebat Deus Unigenitum suum hominem fieri, nonne potius decuisse videtur hominis Dei hujus dignitatem, si immediate per Dei ipsius manus efformaretur, non secus ac primi hominis corpus, quam in Matris utero formari; ut mox non secus ac homines reliqui nasceretur, quodcunque tandem in sua, ac in ceterorum nativitate discrimen interesset? Sed animadvertendum est, non eam fuisse mentem Dei mittentis in mundum filium suum, ut novum hominem faceret, sed ut illum repararet, quem peccatum vitiaverat. Quærebat ipsum Adam, & semen illius, non autem hominem alium. Oportebat igitur ut ille nostram assumeret naturam cum omnibus infirmitatibus ejus, ut medicinam faceret illi, qui lethale vulnus acceperat. Poterat quidem Deus fecundi Adam efformare corpus, quemadmodum effinxerat primi; sed non induisset illum carne Adam, & ipse in mundo sub forma, & habitu peccatoris nequaquam apparuisset.

De tempore quo adimpletum est Incarnationis mysterium.

S. Thomas plures adfert rationes, propter quas minime decebat, ut Dei Filius statim post peccatum carnem assumeret, quarum prima est, opus fuisse ut aliquod temporis spatium elaberetur, ut homo suam cognoscere posset calamitatem, scelus suum sentiret, ac necessitatem liberatoris; & credi potest, Verbum tunc temporis carnem assumpsisse, cum videbat majorem Mortalium numerum ex divino hoc Mysterio profecturum esse, ut ait S. Augustinus. Sed tutior opinio est sese submittere ordini æternæ Sapientiæ, quæ ita disposuit, & imperavit, ut hoc mysterium adorabile adimpleretur in plenitudine temporum; quoniam operæ pretium non erat, ut JESUS CHRISTUS in ipsis Mundi primordiis carnem assumeret.

Prætermitto plurimas quæstiones, quæ agitantur in scholis de hoc Incarnationis mysterio; quæ cum theoreticæ tantum sint, ad tractatum potius Theologicum, quam ad sermonem pertinent. Id genus sunt, utrum Verbum Divinum factum fuisset caro, si primus hominum parens non peccasset. Cur Filius potius quam Pater, vel Spiritus Sanctus carnem sumpserit? utrum aliqua merita justitiæ, & de condigno præcesserint ex parte JESU CHRISTI, vel Sanctorum Patriarcharum; & alia id genus, quæ Concionator quidem ignorare non debet, sed quæ doceri auditores non admodum refert.

Nulla fuit, neque esse potest, vera Religio nisi per J. C. Deum & hominem.

Homines nullam veram habere possunt Religionem, quæ institutorem non habeat JESUM CHRISTUM, qui Verbum est Incarnatum, quia per hunc unum supremos reddere possunt honores, qui infinitæ Dei Majestati debentur. Religio Judæorum vera non erat, nisi quia innitebatur JESU CHRISTO, qui promissus erat, & illorum sacrificia ideo solum grata erant Deo, quia illius erant figura. Christiana Religio modo vera est, quia innititur JESU CHRISTO, qui illi datus est, & quia possidet veritatem, cujus altera illa non nisi promissiones, & figuras habebat.

De annihilatione Verbi in Mysterio Incarnationis.

Quæ major annihilatio, quam dicere Omnipotentem Creatorem factum fuisse creaturam suimet ipsius. Jure S. Paulus hoc illud appellat nomine, ut inquiunt Theologi, quod pressius ad litteram intelligendum est, non autem veluti species aliqua exaggerationis. Et hanc adferunt rationem, quia creatura non ita exinaniretur, quamvis ad primum originis suæ nihilum redigeretur; quandoquidem liquet infinite magis Deum a creatura distare quam a nihilo distet creatura.

De unione inter humanitatem, & divinam Verbi personam.

Ceterum semper hic supponendum est per eadem Philosophiæ principia ad duas naturas simul conjungendas, exempli gratia, corpus, & animam, necessario requiri inter utramque vinculum unionis, quo

hoc

hoc fœdus fiat, alioquin difficile esset intellectu, quomodo duæ diversæ subsistantiæ, quæ alioquin separari possunt, quin una ab altera amoveretur, possent unquam ad unionis terminos pervenire, nisi saltem ex parte aliqua quædam mutatio contingeret. Ita humanitas suam habet peculiarem unionem, qua Verbo Divino adnectitur, & quæ illi eo magis est necessaria, quo remotior est per naturæ suæ conditionem; quamvis Verbum, quod Cælum, terramque replet, nobis magis intimum sit, quam anima nostra. Ut autem se cum humanitate conjungeret, illud mutatum non est propter hanc affinitatem, quæ sit non tamquam civilis aliquis contractus inter duas diversas personas, sed per realem duarum naturarum in una, eademque persona conjunctionem.

Nihil majorem Deo gloriam procurare potest, quam filii sui incarnatio.

Verbum caro factum plus honoris, & gloriæ attulit Deo, quam omnia simul creata eidem criminibus, & contumeliis suis auferre potuerint. Nam Incarnatum hoc Verbum cum sit Deus simul & homo, actiones illius meriti infiniti extiterunt; cum e contra creatura, cum certis limitibus, finibusque contineatur tam in bono quam in malo, coarctata est in natura sua, & nihil nisi finitum operatur. Ita sicuti verum est dicere, Verbum carnem factum fuisse ad gloriam Patris sui reparandam, sic vere dicere possumus, ipsum majorem Deo gloriam procurasse, quam homines omnes tot sceleribus illi auferre potuerint.

Quomodo Dei Filius humanam carnem assumens sese exinaniverit.

Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo. Ad philipp. 3. Verba hæc notanda sunt. Duæ sunt in JESU CHRISTO naturæ, divina, & humana; alteram habet ab æterno, alteram a nobis in tempore mutuatus est. Per alteram infinite sublatus est super omnia creata; per alteram se se infra creatas mentes demisit. JESUS CHRISTUS, si divina spectetur natura, se humiliare non potuit; sed ut nobis præberet perfectæ humilitatis exemplum nequaquam consideravit quid ipse sit quatenus Deus, & respexit duntaxat quid sit quatenus homo: se ipsum humiliavit, & exinanivit & abscondens infinita magnalia sua sub forma servi, visus est tamquam novissimus hominum: *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

Nulla creatura singillatim, vel omnes simul mereri potuerunt hoc Incarnationis beneficium.

Dici non potest, Dei justitiam coactam fuisse, ut traderet mundo Unigenitum suum, vel homines mereri unquam potuisse, ut Verbum Æternum humanam carnem assumeret. Sanctorum Patriarcharum vota, Prophetarum suspiria, legis antiquæ sacrificia, innocentia Abel, fides Abraham, obedientia Isaac, & omnes eminentes virtutes Sanctorum veteris Testamenti insigne hoc beneficium promereri non potuerunt. Constat enim naturam universam sibi traditam non esse parem promerendo bono supernaturali, & multo minus fontem bonorum omnium supernaturalium, Verbi videlicet Incarnationem. Hinc sequitur ineffabile Mysterium hoc tribui non posse vel præstantiæ naturæ nostræ, vel meritis humanorum operum, sed uni gratiæ Dei, quemadmodum Sanctus Paulus testatur, *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.*

Ad Ephes. 1.

Quæ vera fuerit causa, quæ impulit Deum, ut magnum hoc opus susciperet.

Theologi abeunt in diversa quærentes causam propter quam Deus misit Filium suum in Mundum, ut ibi supremum hoc opus hominis Dei colluceseret. Quidam ajunt præcipuam Incarnationis Verbi causam fuisse oblectationem quam percepit Deus ex præstantia operis hujus admirabilis sapientiæ, potentiæque suæ; vel desiderium gloriæ, qui necessarius est finis omnium operationum ejus externarum, quod melius efficere non poterat, quam ostendendo terris admirabile istud compositum hominis Dei. Sed hac supposita causa tamquam præcipua, dici nequaquam posset vere, Deum ita mundi salutem dilexisse, ut pro eadem daret Unigenitum suum; quia hominum redemptio non fuisset præcipuum Incarnationis consilium. Quamobrem

S. Thomas, S. Bonaventura, ac plerique Theologi docent, præcipuam causam, sine qua Mysterium hoc non fuisset adimpletum, fuisse humani generis reparationem. Sententiam hanc S. Augustino arrisisse liquet ex pluribus locis operum ejus, præsertim vero sermone 8. de verbis Apostolorum: *si homo non peccasset*, vel *non periisset, Filius Dei non venisset: tolle mortuos, tolle vulnera, nulla erit caussa medicinæ.* Dicamus ergo solam Dei misericordiam illum impulisse, ut nobis suum daret Unigenitum. Nos ille dilexit, S. Paulus ait; & si magni hujus amoris causam requiritis, non aliam, nisi nimiam illius caritatem invenietis. *Propter nimiam caritatem, qua dilexit nos.* Ad id autem, quod alii tenent Theologi, Deum in omnibus extrinsecis operibus suis quærere gloriam suam: hoc quidem verum est; sed in hoc opere proprie loquendo, non agitur de gloria sapientiæ, & infinitæ potentiæ suæ, sed de gloria gratiæ suæ, S. Paulus ait, ideoque de gloria amoris hujus gratuiti, per quem dedit nobis filium suum, ut mera ipsius misericordia eluceseret: *in laudem gratiæ suæ qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.*

Ad Ephes. 2.

Ibidem.

Hæreses, quæ insurrexerunt

Sabelliani, qui non admittebant personalem distinctionem inter Patrem, & Filium in Sanctissimâ Trinitate, fateri tenebantur, Patrem æque ac Filium humanam assumpsisse carnem, quasi essent una, eademque persona significata duobus diversis nominibus, eo modo quo dicimus eundem Deum esse Creatorem, & Redemptorem. Hæresis hæc directe adversatur Trinitatis Mysterio, & consequenter Mysterio Incarnationis. Marcionitæ, Priscillianistæ, & Manichæi asserebant Incarnati Verbi carnem non esse terrenam nostræ similem, sed cælestem formatam ex ea materia, ex qua facti sunt Cæli. Valentiniani Incarnationem, & Nativitatem Salvatoris comparabant luci per crystallum transeunti, & negabant a Maria fuisse conceptum, cui per summam impietatem Deiparæ dignitatem negabant. Apollinaristæ aliud somnium effutiebant; docebant enim Verbum sumpsisse carnem inanimatam, & divinitatem illi pro anima fuisse, eo quod non intelligebant, carnem in Scripturis pro toto homine usurpari. Nestoriani erraverunt non admittentes veram, & substantialem unionem inter naturas duas in unitate personæ; atque hoc pacto ex eorum sententia Deus nequaquam se fecerat hominem, sed dumtaxat persona Verbi per uberiorem gratiam personæ JESU CHRISTI adhæserat, quam adhæreat aliis animabus justis, ideoque Sanctam Virginem Dei Matrem non esse. Eutichiani Nestorianis oppositi utramque naturam confundebant in una, & dicebant, alii quidam Verbum Carnem factum fuisse, alii vero naturam humanam in Verbi naturam fuisse immutatam. Nihil dico de Arianis, qui asserentes Verbum esse creatum, fateri non renuebant Deum incarnatum fuisse.

contra Incarnationis Mysterium.

Cultus & adoratio, quam Dei Filius præstitit Patri in ipso Incarnationis momento.

Cultus esse nequit dignus Deo illum recipiente, si qui Deum adorat, non est par adorato, & si victima non æque sancta ac ille, cui offertur. Hac de caussa Verbum Divinum Incarnatum est, cumque minime posset semetipsum exinanire in natura sua, alteram accepit huic humiliationi, & annihilationi obnoxiam, ut adhiberet Deo cultum, & offerret illi sacrificium quod divinitati illius perfecte respondere posset, præstititque illi profundam hanc adorationem in ipso suæ Incarnationis momento. Adoratio enim nihil est aliud, quam interior exinanitio coram Deo. Hinc qui adorat, se se coram Dei majestate submittit, quasi reversurus in nihilum suum, ex quo egressus est confitens Deum vere illum esse, qui est, & entia omnia quamvis perfecta, nihil esse cum supremo ente illo comparata. Hoc fecit Verbum hoc incarnatum nostram naturam suscipiens; se se dimisit usque ad annihilationem, uti Apostolus inquit, ut dignum præstaret obsequium Æterno Patri, quod nulla creatura mera unquam præstare potuisset.

Cum homo non posset suis humiliationibus injuriam reparare Deo illatam per superbiam, Verbum hanc Æternum per se reparationem facere suscepit.

Liquet, quandoquidem ambitio extitit caussa rebellionis primi parentis nostri, qui detrectavit obedientiam quam debebat Deo eo quod superbus erat, & funesta hæc dispositio fuit origo peccati ejusdem, opus esse, ut patratum reparet scelus per oppositam dispositionem; opus esse inquam ut se humiliet, ac se submittat in oculis suis, cumque cordis corruptio illum ad superbiæ fastigium evexerit, usque in humilitatis abyssum descendat, ut adorabili huic Majestati ablatum honorem restituat. Cum autem neque par esset, neque dignus, qui per se divinæ satisfaceret justitiæ, nec aliquam actionem faceret, quæ Deo esse posset accepta, Æternum hoc Verbum indui voluit mortali carne, ut in illius locum subiret, & a divina misericordia obtineret per omnia humiliationum genera veniam ingrati, ac inobedientis animi; ideoque venit in Mundum eo in statu, qui celavit oculos nostros quidquid erat. Hac de caussa quidam ex præstantissimis Ecclesiæ Doctoribus dixit: *Superbiam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliaret Altissimus.*

Augustinus de SS. Virgin. c. 20.

Quomodo Incarnati Verbi productio pertineat ad Spiritum Sanctum, & quomodo sit opus illius.

Omnes operationes ab extra communes sunt tribus personis Sanctissimæ Trinitatis; quæ cum unum sint in natura, in actionibus suis separari non possunt. Tamen actiones quædam singulis personis peculiariter tribuuntur secundum varia attributa, quæ singulis conveniunt. Patri accepta refertur creatio, quia cum sit principium sine principio, & ens antonomastice, illi melius convenit nomen Creatoris. Incarnatio tribuitur Filio; cum enim sit forma Dei; & vivens Patris imago, illius erat reparare hominem, videlicet reformare deformatam imaginem suam ac reficere magnum illud opus, quod peccatum corruperat. Denique formatio corporis Christi in Mariæ sinu Spiritui Sancto tribuitur, adeoque productio præcellentissimi hujus operis, hominis-Dei, illi est tribuenda. Hic solus est, qui nihil in æternitate producit. Pater gignit Filium per fœcunditatem essentiæ suæ: Pater & Filius per amorem reciprocum producunt Spiritum Sanctum. Spiritus vero Sanctus solus sterilis est, sed fœcundus evadit in plenitudine temporum. Fingit corpus Verbo, quod Pater Æternus mittit in terram, & æquum erat, ut illi præclarum hoc opus Deo dignum tribueretur.

Opus erat, ut Deus prior age-

In ea affinitate, quam voluit Deus inire cum homine, si Dei magnitudo spectetur, hominis erat primos

ret in ea affinitate quam cum nobis inire cupiebat per Incarnationem suam.

mos movere gressus, iturі ad Deum; sed si nostra spectetur infirmitas, opus erat, ut Deus prior moveretur venturus ad hominem. Deus nimis magnus erat, ut hominem prævertere cogeretur; homo nimis erat infirmus, ut Deum prævertere posset. Quid autem Deus? quantumvis magnus descendere voluit de magnitudine sua, & se se ad hominem usque demittere. Non substitit inter Angelos, infra illos adhuc descendit. *Nusquam Angelos apprehendit, sed apprehendit semen Abrahæ.* Dixerat hoc per os Prophetæ, se non cessaturum, ut amori suo faceret satis; & se se facturum similem nobis. Sed ad id oportebat, ut se ipsum exinaniret; id fieri oportebat, & fecit.

ad Hebr. 2.

Infinita est inter Deum, hominemque distantia.

Theologi, qui de hoc mysterio loquuntur, animadvertunt, majus interesse discrimen Deum inter, & hominem, quam mundum inter, & nihilum. Mundus enim non distat a nihilo, nisi quod est, & est finitum aliquid; unde sequitur inter mundum, & nihilum finitum dumtaxat interesse discrimen. Cum vero Deus infinitis spatiis superet hominem, inter ipsum, & nos infinita intercedit distantia. Sed amor viam invenit, qua duo entia adeo semota conjungeret, ens divinum, & ens creatum; ens supremum, & ens dependens; ens æternum, & ens mortale. Diceres illum in uno eodemque puncto cælum, terramque simul conjungere.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque concionatoribus loci.

Miracula, quæ commendant gloriam Incarnationis Filii Dei.

NE quid deesset ad augendam magni hujus Mysterii gloriam, antequam JESUS CHRISTUS nasceretur, vel potius in ipsius Mundi primordiis, omnibusque deinceps ætatibus promissus fuit Patriarchis, prænuntiatus per Prophetas, prædictus a sybillis, repræsentatus per omnes cæremonias, sacrificia, & Sacramenta legis antiquæ; & cum voluit de cælo in terras descendere, quæ circumstantiæ, quæ prodigia adventum ejus concomitata sunt uti decebat tantam Majestatem? Angelus a Deo missus nuntium attulit; ille conceptus fuit de Spiritu Sancto; purissima, & Virginum omnium castissima delecta fuit, ut in sinu illius carnem assumeret, & corpus, quod accepit, conjunctum fuit divinitati eo ipso temporis articulo, quo formatum est. *Granatensis in Meditationibus de vita Domini nostri.*

Humanitas magnopere exaltata est per unionem cum natura divina.

Ethnici arbitrati sunt indignum esse Majestate Dei, assumere substantiam adeo abjectam, qualis est caro nostra, sed facile est illis ostendere, quantum exaltata fuerit humanitas ista, quas divitias possederit, & quin Deo esset contumeliosa, non minimam factam inde fuisse gloriæ accessionem illi, utramque naturam in una tantum persona conjunxisse. In hoc miraculorum genere Dei Sapientia potissimum elucet: ita unus ille exaltare potest ea, quæ sunt humilia, augere, quæ sunt nihilum, & replere honore, & gloria, quæ erant contemptibilia. Quamvis enim per bonitatis effectum se se humiliare voluerit eo usque, ut homo fieret, nihilominus ita homo factus est, ut quin hoc illi cederet ignominiæ, infinitæ cesserit gloriæ; quandoquidem integrum erat illi fieri quodcumque placitum ipsi fuisset, quin alio uteretur medio, quam sola sua voluntate; sed quæ lingua exprimere posset donorum copiam, quibus Spiritus Sanctus Sacratissimam hanc replevit humanitatem, inter quæ eminet ineffabilis ejusdem conjunctio cum Divino Verbo, quod maximum est miraculorum omnium, quod Dei efficere valeat omnipotentia. Per hoc Sancta humanitas exaltata fuit super omnia, quæ a Deo creata fuerunt, eaque simul, quæ per infinitam potentiam suam creare potest; atque ut supremam hanc dignitatem comitaretur, quidquid illius decet magnitudinem, facta est fons omnium gratiarum: collata fuit illi generalis gratia, ut esset caput universale hominum omnium, ut per illam omnes cælestes thesauri filiis Adæ communicarentur. *Idem.*

Convenientiæ admirabiles, quæ in hoc occurrunt mysterio.

Quis non mirabitur admirabiles convenientias, quæ in hoc mysterio renident? Videlicet, quam accommodatum malis nostris illud fuerit remedium, quod ad nobis medendum divina eligere voluit Sapientia! nam sicuti per hominem perieramus, voluit Deus nos per hominem salvos fieri. Quemadmodum per unius hominis superbiam, qui Deo seipsum exæquare studebat, damnati fueramus, voluit ut in ejusdem gratiam reverteremur per humiliationem hominis novi, qui cum esset Deus, se vere hominem fecit. Ad hæc ullane erat tutior via ad solvenda debita nostra, quam Dei-hominis merita? Aliquid erat, quod magis nostram nobilitare posset naturam, quam sancta ejus humanitas? quis utilius suscipere potest pro nobis curam negotiorum nostrorum, quam qui potest omnia? Quis felicius causam nostram perorare potest, quam qui suo se offert Patri tamquam supremum illius Sacerdotem? Quis fidelius, & ad miserationem ciendam aptius se constituere potest mediatorem Deum inter, & homines, quam qui simul Deus, & homo est? Fieri non poterat, ut medium inveniretur aptius, dignius, & quod in se contineret uberius, quidquid necessarium erat ad nostram salutem æternam: ut mirum in modum S. Leo inquit, si JESUS CHRISTUS non fuisset verus Deus, non potuisset nobis medelam afferre, & nisi verus fuisset homo, non potuisset nobis exemplo esse. Quod enim medicamentum efficentius applicari poterat vulneribus animarum nostrarum, quæ adeo erant periculosa tantoque in numero? Quænam præsentiora recipere poteramus exempla, ut confunderemur, simulque inflammaremur, quam illa Salvatoris hujus, qui simul erat Verus Deus, & homo? Quomodo melius curari poterat superbia nostra, quam humilitate sua, & demum quonam modo tantus in Deo diligendo tepor melius excuti poterat, quam tali caritate? *Idem.*

Quantum sit Incarnationis beneficium, & quantum debeamus Deo.

Pro insigni hoc opere, & hoc incomparabili beneficio non elegit Deus aliquem ex Angelis suis, vel Seraphim; sed secundum Patris voluntatem, cujus infinita bonitas detecta est oculis nostris, ille, qui ipsius est imago, & Verbum, quin relinqueret gloriosum Patris sui sinum, ubi residet ab æterno, huc voluit descendere, ac se se conspiciendum tradere in sua humanitate. Ut nobis gratiam hanc impertiret, ex glorioso illo sinu descendit modo prorsus admirabili, quin humilis hujusmodi descensio effecerit, ut aliquid imminueretur ejus gloriæ, quam possidet in Cælo. Miraculum incomprehensibile! Dominus gloriæ omnia Dei magnalia conjunxit cum infirmitatibus hominis; & qui omnes creaturas effinxit, non dedignatus est servi formam suscipere, & non servi tantum, verum etiam peccatoris, quæ extrema est humiliatio, in quam descendere poterat. Usquequo Domine pertulisti in hoc incomprehensibili beneficio amorem tuum? Non satis tibi fuit esse Dominum nostrum, Creatorem nostrum, protectorem nostrum, sed fieri etiam voluisti sodalem nostrum, fratrem, carnem, & sanguinem nostrum. Quomodo fieri potest, ut post tantum, ac tam insigne beneficium non amemus illum? Cur nam aliquando nosmet non recipimus, ut interrogemus cor nostrum, quis igitur est ille cui ita carus sum, ut quin id meritus fuerim, se se mihi præstiterit Medicum, Salvatorem, Patronum, & hac arte usus fuerit, ut me pertraheret ad se, atque dignatus fuerit eo usque se se demittere, ut in se miserias meas susciperet, me facturus participem suæ beatitudinis, & omnium bonorum suorum? Cur ergo post tanta ejus in me merita, amore non ardeo? *Idem.*

Dei perfectiones nunquam magis quam in Incarnatione illuxerunt.

Quam longe distant a nostris judicia tua Deus! quis scrutari potest impenetrabile consilium tuum? Si judicium ferendum est de Incarnatione tua secundum oculos carnis, nihil nisi abjectum, nihil nisi humillimum videtur; sed si inspiciatur oculis fidei, omnia magna sunt, & admirabilia. Hoc præclarissimum opus est & potentiæ, & infinitæ misericordiæ tuæ. Adorabiles hæ perfectiones tuæ nunquam melius enituerunt. Dicam, Domine? Nunquam magis Deus fuisti, vel potius nunquam magis te ipsum gessisti tamquam Deum, quam cum homo factus es. Opus erat Sapientia, quæ tuæ par esset, ad inveniendum medium adeo excellens efficiendi, ut Deus homini, & homo appropinquaret Deos, alterius gloriam vendicandi, & alterius saluti consulendi; verbo delendi peccatum, & peccatorem salvum faciendi. Quænam erat dignior Patre tuo victima, nisi tu ipse; quomodo tu melius justitiæ illius satisfacere posses, & reparare injuriam, qua illum affecerat homo, quam utens humanitate tua, & hoc pacto ex ipso malo remedium eliciens? *P. le Valois in internis collocutionibus de Mysterio Domini Nostri.*

Necesse erat ut hominum Salvator Deus simul esset & homo, quod fieri non potuit nisi per Verbi Incarnationem.

Divine Salvator, cum nolueris ita salutis nostræ curam suscipere, ut curæ nostræ non essent amplius ita necessariæ, quam breviorem, apertiorem, perfectiorem regulam nobis proponere poteras, quam exemplum tuum; si Deus tantum fuisses, non potuisses pati, neque nostra persolvere debita passionibus tuis; neque temet nobis ostendere, ac per vestigia tua viam indigitare, quæ nobis esset arripienda. Si homo tantum fuisses, omnibus meritis tuis ne unum quidem scelus nostrum reparare potuisses; & alioquin obnoxius errori, ut homines ceteri, nobis certus dux esse non valuisses; sed quoniam simul es & Deus-homo, & homo-Deus, nihil per te desiderari potest ad copiosam redemptionem hanc, quæ universum terrarum orbem complectitur, & quæ sexcentis aliis orbibus redimendis sufficeret. *Idem.*

Miracula quæ proficiscuntur ex unione naturæ humanæ cum Divina.

Non nisi infinita potentia, Divinæ par, consociare potuerat utramque naturam Divinam simul, & humanam in una tantum persona. O unio incomprehensibilis! O admirabilis qualitatum, & nominum communicatio! Propter ineffabilem unionem hanc quidquid de homine dicitur, dici potest de Deo, fuisse in tempore, passibilem esse, obnoxium esse morti, omnibusque vitæ nostræ miseriis. Quidquid dicitur de Deo ipsum esse ante omnia tempora, genitum fuisse in splendoribus Sanctorum, esse Creatorem Mundi, & Dominum universorum. Ita o Homo Deus, & Deus Homo simul es. Omnipotens & imbecillus, infinitus,

finitus, & finitus, æternus, & mortalis, Dominus, & subditus, dives, & pauper, glorioſus, & obſcurus gaudens ſuprema felicitate, & omnium ærumnarum noſtrarum particeps. Nonne hic maximus eſt Cæleſtis Virtutis conatus? Nonne hoc maximum eſt opus dexteræ Altiſſimi? *Idem.*

Miſeratio, qua Æternum Dei Verbum miſertus eſt malorum noſtrorum, fuit potiſſima cauſſa Incarnationis.

Quid igitur, Domine, in me reperiſti, ut me tantum diligeres? Heu! nihil vides in me niſi infirmitatem, imbecillitatem, peccatum. Sed Deus meus, hæ ipſæ infirmitates, & miſeriæ meæ te ad miſericordiam exciverunt. Quo magis illas vidiſti, eo magis miſertus es! Conſuluiſti cor tuum, aurem præbuiſti amori tuo, & amor tuus ſilentium indixit juſtitiæ tuæ! O efficax amor, quoniam te pro nobis de Cælo detraxit! O amor annihilans, quandoquidem redegit te ad hoc, ut inter homines, & homo noſtri ſimilis naſcerere! O amor intimus, & miſericors, quandoquidem arcte adeo te nobis conjungit! O Sanctus, & perfectus amor! Cur non accendis, Deus meus, in corde meo eundem amorem erga te? *Idem.*

Deus elevavit corpus, & animam hominis per Incarnationem.

Ne reſpiciatis ultra corpus veſtrum, tamquam ſarcinam humiliantem, quæ dedeceat animam veſtram illi ſerendo addictam. Caro hæc principium eſt gloriæ veſtræ, quoniam eadem indutus eſt JESUS CHRISTUS homo factus. *Verbum caro factum eſt.* Neque putes id factum, quaſi Verbum non acceperit animam, quemadmodum accepit hominis corpus; ſed non conjunxit ſe cum hominis ſpiritu, niſi ut ſimul acciperet carnem, qua indigebat, ut pateretur, & fieret victima, qua Cælum cum terra erat reconciliandum. Accepit autem quidquid abjectiſſimum erat in homine, ut hominem attolleret ad id, quod ſublimius erat in Deo, & factus eſt Filius hominis, ut nos faceret filios Dei. Ille, Sanctus Auguſtinus ait, eſt *Deus Deorum, quia Chriſtus Chriſtianorum* eſt. Humana ambitio poteras ne altius attollere vota tua, quam ad divinæ hujus filiationis honorem? *Abbas du Jarry in Sermon. pro die Nativitatis Domini.*

Incarnationis Myſterium conſtituit morum ſanctitatem evertens cultum Idolorum, & Veri Dei cultum inſtituens.

Præſentiſſimum omnibus malis noſtris remedium, & inventio Deo digniſſima ad eorum coercendam vim hoc fuit, quod Filius Dei, una ex adorabilibus Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis noſtram induit naturam ut nos doceret cum factis, tum verbis Sanctitatem, & confirmaret animas noſtras in cultu veri Dei per ſoliditatem fidei ab omnibus rationis defectibus immunem. *Si enim Idolorum cultus, S. Paulo teſte,* cauſſa fuit vitiorum omnium, quæ late apud Ethnicos graſſabantur; oportuit e contra, ut Religio, quæ verum colit Deum cauſſa ſit omnium virtutum, quæ veræ ſunt. Hinc Abrahæ ævo, quo idololatria late in omnes terras evulgabatur, Deus promiſit illi futurum, ut omnes populi benedicerentur in Meſſia, qui ex illius ſemine proditurus erat ad exterminanda fabuloſa numina, quod ipſum diſertiſſimis verbis portendit Jeremias Propheta. *Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent vere, mendacium poſſederunt Patres noſtri.* Et profecto, Chriſtiani, modo ad evidentiam per Verbi Incarnati gratiam videmus horribilem infidelium cæcitatem, & colimus veritatem Dei, huic dicentes cum Baruc Propheta: Non es tu Domine ex numero Deorum non aliam figuram habentium præter eam, quam de opificis alicujus manu acceperunt, quorum oculi onuſti ſunt pulvere, qui excitatur pedibus adorantium; cujus facies atrum bibit colorem ex fumo victimarum, quæ in eorum ædibus cremantur; cujus viſcera tineis depaſta ſunt, quales producere poteſt materia, ex qua erant fabrefacta: *Te oportet adorari Domine.* Hic eſt magnus Incarnationis effectus. *P. Dozenne in libro, qui inſcribitur;* Divinitas JESU CHRISTI per opera ipſius.

Jerem. 15.

Baruc 6.

Omnis gloria & felicitas noſtræ humanæ naturæ pendet ab Incarnationis Myſterio.

Dei conſilium non erat ſe ipſum magnificandi, ſe ſe hominem efficiendo; infinita enim Majeſtas nullum recipere poteſt incrementum per ea, quæ ſunt extra ſe, ſed voluit infinite extollere humanæ conditionis noſtræ humilitatem efficiens, ut homo fieret Deus. Non defuerunt mortales, qui per non ferendam ambitionem Deorum cultum adfectarunt. Nabuchodonoſor, qui mortalis dumtaxat homo erat, voluit ab omnibus tamquam Deus immortalis haberi, & tamquam Deorum maximus; ideoque ſibi conſtari juſſit ſimulacrum ſexaginta cubitos altum, & ignis pœna propoſita edixit, ut omnes ſe ſe proſternerent fronte in terram demiſſa, & adorarent ſtatuam illam, in qua ſibi perſuadebat ſe divinos honores excepturum. Sanctus Chryſoſtomus hominis cæcitatem, ac dementiam demiratus exclamat: *Vide Regis dementiæ exceſſum, vivens ex non vivente ſplendidior apparere volebat.* Quid inde eſt adeptus? niſi quod ſe hominem eſſe & inſipientem omnibus ſæculis probavit. Ambitioſorum dumtaxat Regum dementiæ eſt ſe Deos facere; ſed quod illa nequit obtinere, id mirum in modum aſſecuta eſt infinita Regis Regum Sapientia, volens ut homo vere Deus eſſet, cum Deus vere factus eſt homo. Inexplebilis hic magnitudinis appetitus, qui in hominis corde ſuccenſus fuit, cum dæmon primos Parentes noſtros decipiens, pollicitus eſt illos Deo ſimiles futuros, in primi Adam perſona fraudatus fuit, ſed adimpletus, & cumulatus eſt etiam ultra vota in perſona alterius Adam JESU CHRISTI, in quo homo non ſolum eſt Deo ſimilis, ſed ipſe Deus. *Pater Dargentano Capucinus in Magnalibus JESU Collatione quinta.*

Homil. 23. ad popul. Antioc.

Cum video Deum meum pro me facere ea, quæ menti humanæ ſunt impoſſibilia, inde agnoſco magnitudinem donorum illius, quæ omnes hominum cogitationes excedunt. Quo magis ſpiritus ſentit ſe imparem illis concipiendis, eo magis attollitur cor meum ut ad ſublimiores grati animi ſenſus aſcendat. Scio equidem Domine, nihil tibi arduum eſſe, niſi quod facere non vis. Verum fas eſt dubitare quominus volueris in terram uſque deſcendere propter amorem mei, quandoquidem ſcio te velle me in cælum elevare? Ambigere ne poſſum, utrum volueris humanas induere miſerias quandoquidem vis mihi conferre tuam magnitudinem, & me participem facere vitæ ejuſdem & gloriæ qua ipſe gaudes? *Idem.*

Quid efficiat, ut facilius Incarnationis Myſterium credatur.

Quomodonam haberemus ſpem, quæ nos in exilio hoc noſtro conſolatur, niſi haberemus illum, qui ejuſdem ſolidum præſidium eſt, Deum hominem factum. Si quis mihi eripere vellet hunc felicitatis meæ fontem, dicerem illi, quod olim Marcioni Tertullianus: *Parce unicæ ſpei totius orbis.* Crudelis, ne auferas a mundo unicam mortalium omnium ſpem; relinque nos in poſſeſſione hominis Dei, neque per nequitiam tuam ſejungere audeas, quod Deus per bonitatis exceſſum arcte adeo conjunxit. Quod lucrum cedit tibimet perſuadenti, Deum non eſſe hominem, vel hominem non eſſe Deum in JESU CHRISTI perſona? Vereris, ut Deus tibi videatur nimis bonus, & cor tuum nimis cogatur amare illum, ſi firmiter credideris ipſum hominem factum propter amorem tui? Vel times, ut nimis in honore habeatur homo, & teneatur vitam vivere divinam; ſi credideris, ipſum vere eſſe Deum? Ferre nequis, Deum infinite bonum eſſe, vel inſignes caritatis actus, quos comprehendere non vales, operari? Vel ferre nequis hominem infinite beatum eſſe, quod habeat Deum adeo bonum, quod diligat illum, adhæreat illi, eumque in æternum poſſideat? *Idem.*

Qui non credit Deum hominem factum auferet omnibus ſuaviſſimam ſpem. Tertullianus *de Carne Chriſti.*

Ubinam Dei Magnalia, & perfectiones magis enituerunt, quam in hoc Myſterio? Dic quæſo, qua in re putas magnificentius ſupremam Dei omnipotentiam coruſcaſſe? Dices fortaſſe in Orbis terrarum creatione; namque ex nihilo tantum, & tam præclarum opus efficere, non niſi Omnipotentis eſt Dei. Verum ſi hoc eſſet quidquid illa facere poteſt, nequaquam eſſet infinita. Non mundi creatio, neque creatio decies millium mundorum ſatis eſſet ad oſtendendam magnitudinem divinæ potentiæ; hæc enim omnia finita ſunt, & poteſt ſemper Deus facere majora iis, quia finibus ſuis ſunt circumſcripta. Sed omnipotentia in Incarnationis Myſterio potiſſimum lucet, in eo tota ejus magnitudo, ac virtus refulget: nam faciens Hominem Deum, nihil majus poteſt unquam facere. Ideo Maria, quæ præ ceteris melius aſſecuta eſt hujus Myſterii Magnitudinem, quam aliqua mera creatura, in Cantico ſuo dicit; *Fecit potentiam in brachio ſuo.* In eo exeruit robur omnipotentis ſui brachii, & jure Myſterium hoc ineffabile vocari poteſt divinæ Omnipotentiæ triumphus. *Idem.*

Dei omnipotentiam nunquam magis eluxit, quam in Incarnationis Myſterio.

Luc. 1.

Alibine melius elucet infinita Dei Sapientia, quam in hoc Myſterio? verum quidem eſt quotidie hanc nos admirari in præclara mundi hujus diſpoſitione. Cum video ordinem, atque congruentiam partium omnium illum componentium, curſum hunc adeo celerem, juſtum, uniformem Solis ad tempora dimetienda, & ad temporum vices revehendas; cum video incomprehenſibile fœdus ſubſtantiæ mere ſpiritualis cum altera prorſus materiali in perſonis noſtris, ut nos ex ſpiritu ſimul & corpore coagmentaret; cum video admirabile opificium, quod aviculis quoque minoribus inſervit, & ipſis etiam apibus ad ea opera perficienda, quæ captum noſtrum excedunt, & quæ imitari non poſſumus, quin ullo edoceantur magiſtro præter divinam Creatoris ſui Sapientiam; ubique divinam hanc ſapientiam intueor, eamque in omnibus operibus ejus admiror. Sed quid hæc omnia ſunt, ſi conferantur cum prodigiis, quæ in Incarnationis Myſterio nobis ſpectanda propoſuit? Si Dei Sapientiam admiraris in Mundi hujus diſpoſitione, & in præclaro ordine partium illius: nonne potius admirari opus eſt mundum alterum compoſitum ex Creatore, & creaturis, ex tempore, atque æternitate, ex omnipotentia, & infirmitate, ex toto, & nihilo? In Incarnato Verbo conjuncta videntur hæc omnia, quæ simul nequaquam eſſe poſſe videbantur, & quæ tantopere diſtant; ibique adeo belle conciliantur, ut unam eamdemque perſonam per Myſterium Incarnationis conſtituant. Nonne extra noſmetipſos rapti exclamare debemus: O incomprehenſibile miraculum adorabilis Sapientiæ Dei! O *ineffabile Myſterium!* Si admiraris fœdus animæ noſtræ, quæ tota ſpiritus eſt, cum noſtro corpore, quod eſt materia; ita ut materia hæc, quæ mortua eſt, vivat vita ſpiritus, & ſpiritus hic,

In eodem Myſterio Dei ſapientia refulſit.

cui

cui nihil ineſt ſenſibile, ſenſibus corporis afficiatur: quanto magis admirari te decet nexum, & fœdus ineffabile, quod iniit Deus, qui impaſſibilis, & immortalis eſt, cum homine paſſibili, & mortali; Dei infinita gloriæ ſuæ luce coruſcantis cum homine contumelia, ac ignominia cumulato; Dei infinite beati cum homine calamitoſiſſimo; & fœdus hoc adeo intimum, atque perfectum, ut nihil ſit in homine, quod non ſit vere Deus, & nihil ſit in Deo, quod vere homo non ſit: Et nihilominus nihil adſit ex omnibus humanis infirmitatibus in divinitate, nihil ex divinis perfectionibus in humanitate? Quiſnam intelligat hoc prodigium, atque miraculum infinitæ Sapientiæ Dei? Nonne confitendum eſt, illam in hoc Incarnationis Myſterio potiſſimum emicuiſſe? *Idem articulo quarto.*

Verbi Incarnatio Mundi ſapientiæ ſtultitia videbatur, non ſecus ac Myſterium Crucis hujus hominis Dei.

At enim dicet fortaſſe aliquis, hoc bonum eſſe animabus ſanctis, quæ vident hæc oculis ſpiritus, & luminibus fidei; ſed hæc non ita videri Mundi Sapientibus, videntibus in hoc dumtaxat ſtultitiam, non ſecus ac in Cruce Salvatoris, ſecundum Sancti Pauli verba: cui enim bono, mundi ſapientes dicent, cui bono ſub adeo miſera ſpecie celavit ſe, qui veniebat, ut divinos honores exigeret? Cur exuit ſe iis, quæ Deum decebant, ac induit ſe iis omnibus, quæ ad calamitoſiſſimos hominum pertinebant? Num quis homo his faceret ſimilia, ſi integrum eſſet illi? Quorſum ergo redegit ſe ad hæc extrema prorſus indigna magnitudine Dei? Hoc feciſſe dicitur, ut ſalvas faceret animas hominum. Sed omnes mortalium omnium animæ erant ne tanti, ut mererentur Deum vel minimo dolore torqueri? Et mundus totus ſimul, & decies centena Mundorum millia cum Dei vita collata, nonne minus erant, quam atomus comparata cum Mundo hoc univerſo? Hanc in cruce propter homines effudiſſe, ac in terram deſcendere ad eamdem in hominum gratiam impendendam, aſſumendo omnes eorum miſerias; num deeſt aliqua ſapientibus Mundi cauſſa factum hoc ſtultitiæ nomine inſimulandi? Sed ego libentiſſime reſponderem cum Tertulliano Marcioni hæreſiarchæ: *Sit plane ſtultum, ſi de noſtro ſenſu judicemus Deum.* Eſto, ſententia noſtra verum ſit, hoc ſtultum eſſe: At nunquid neſcis ſcriptum eſſe, Deum elegiſſe quod ſtultum eſt, ut mundi ſapientiam confundat? Num licet tibi Dei Sapientiam ſtultitiæ reprehendere, eo quod non ſequitur regulas humanæ ſapientiæ? Num veritatem oraculorum ejus inficias ibis? *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt omnibus hominibus. Idem.*

Tertull. de Carne Chriſti.

1. ad Corinth. 1.

Incomprehenſibilis eſt modus, quo adimpletum eſt Incarnationis Myſterium.

Credo cum Eccleſia, Deum carnem factum fuiſſe in Incarnatione; ſed fides mea non ſatis illuſtrata eſt. Libenter dicerem, quod Maria dixit Angelo miraculum hoc nuntianti: *Quomodo fiet iſtud?* Quomodo fieri potuit unio ita admirabilis Dei, & hominis, videlicet Entis, & nihili? Divinitas, cujus magnitudo immenſa eſt, numquid abbreviata eſt, ut ſe ſe hominis exilitati adaptaret, quæ vix atomus eſt, ubi cum Deo comparetur; an humanitas in infinitum uſque magnificata eſt, ut parem ſe præberet immenſæ magnitudini Dei? Quis capere poſſet intimam hanc, adeoque perfectam unionem duarum rerum, quæ inter ſe ita diſtant infinite, nihil Dei eſſe, quod totum, ac integrum non ſit in homine, & infinitum totum in finito contineri? Heu! quomodo id tu poſſes intelligere? Intelligis ne quomodo cæli dimidium totum coarctetur in apice oculorum tuorum! aſcende in montis cacumen, & cælum reſpice; uno tantum intuitu totum hemiſpherium videre poteris. Dices-ne mihi quomodo fieri poſſit, ut tota hæc extenſio in oculorum tuorum pupilla coarctetur? Dices fortaſſe, non cæli ſubſtantiam, ſed imaginem ſolum ejus in compendium pingi in oculo tuo. Hoc verum eſt; ſed intelligis ne, quomodo fieri poteſt, ut tota hæc ingens extenſio concludatur in ſpatio fere indiviſibili, quod integram ingerit in oculos tuos, & illa huc ingrediatur, quin illos occupet, & illis incommodet, quaſi nihil eſſet in ipſis? Si veritas hæc certa eſt, ut quotidiana doceris experientia, quin valeas intelligere modum, quamvis ſit omnino naturalis; num mirum eſſe debet, non poſſe nos aſſequi modum, quo fit intima unio magnitudinis immenſæ divinitatis cum exilitate humanitatis noſtræ? Noſtrum non eſt conatum exerere ad intelligenda Mirabilia Dei. Si adeo nobis videtur admirabilis in operibus naturæ, non putas ipſum toto cælo admirabiliorem eſſe in operibus gratiæ, quando quidem hæc tantum reliquis præſtant, quantum non diſtat Cælum a terra. *Idem.*

Humiles dum Deitatem intelligunt ſublimia Myſteria in Filii Dei Incarnatione contineri.

Si quid intelligere cupimus de ſublimibus veritatibus Myſteriorum, in quibus adoramus Deum hominem factum, humiliemur oportet coram Deo. Heu quænam abyſſus ſatis eſſet profunda ad nos annihilandos, cum accedere volumus ad Deum exinanitum uſque ad noſtræ mortalis conditionis abyſſum? Si nos hac recta diſpoſitione ad id incubuerimus, a divinis miſerationibus ſperemus nos omnia conſecuturos: intelligemus, quo pacto Deus Pater miſerit ad nos unicum Filium ſuum, & quomodo hic Unigenitus Patris de cælo in terram deſcenderit propter noſtram ſalutem. Intelligemus duplex eſſe miſſionis genus perſonarum divinarum, alterum quidem viſibile, inviſibile alterum: intelligemus quomodo fiat admirabilis unio duarum naturarum, divinæ, & humanæ in JESU CHRISTI perſona; videbimus quo pacto formatum fuerit corpus adorabile Salvatoris in utero Virginali Deiparæ, ac tandem omnes conatus exeremus comprehenſuri quid ſit ſacrum hoc fœdus, quo Deus cum homine conjunctus eſt inſeparabiliter in JESU CHRISTO, & quæ unio vocatur hypoſtatica. *Idem.*

Privilegia, quæ ſanctæ humilitas Salvatoris recepit, eo quod cum divinitate erat conjuncta.

Quid putas de ſancta hac humilitate, cujus amore Deus Pater omnes ſuos theſauros exhauſit, illi tribuens propriam Unigeniti Filii ſui perſonam? Num cogitas, ſi propoſitum fuiſſet omnibus mundi Sapientibus, illam fuiſſe recepturam infinitum honorem hunc, ut Deus eſſet perſonaliter, & mereretur infinitum honorem, qui Deo debetur, illos judicaturos fuiſſe, hunc Hominem-Deum omnem habiturum eſſe Monarcharum potentiam, & omnes Mundi divitias, & gloriam omnem Principum, omneſque voluptates, quibus homo in hac vita frui poteſt? Omnes enim conſenſiſſent, hoc illi deberi. Et nihilominus o infinita Sapientia! quam profunda ſunt conſilia tua! & viæ tuæ quantum diſtant a viis hominum! Omne privilegium, quod hæc accepit humanitas ex arcta adeo conjunctione cum divinitate, hoc fuit, ut omnium hominum eſſet pauperrima, contemptiſſima, & afflictiſſima; ut ſe videret obnoxiam omnibus perſecutionibus, injuſtitiis, & vi humanæ crudelitatis. *Idem.*

Dei miſericordia potiſſimum elucet in Incarnationis Myſterio.

Dei Miſericordia nunquam fulgidius eluxit, quam in Divini Verbi Incarnatione, ex qua tamquam ex fonte manarunt poſt hominis peccatum tot gratiæ, inſigniaque beneficia, quæ nulla mens in mundo aſſequi poteſt. Fatendum nihilominus eſt, non defuiſſe Deo vias alias, per quas nobis noſtra peccata dimitteret, ſed nihil facere poterat, quo melius nobis oſtenderet juſtitiam, bonitatem, ſapientiam, & potentiam ſuam nos benigne deducens ad altiorem gradum felicitatis. Quiſnam juſtitiæ ipſius ſatisfeciſſet, niſi ipſe, noſtram aſſumens humanitatem, conſtituiſſet ſe veluti ſponſorem creaturæ ſuæ per integram ſatisfactionem, quæ infinite noxam ipſam ſuperaret? Quid poterat Patris bonitas amplius dare nobis Unigenito ſuo, qui de Cælo deſcendere voluit, ut nos ſalvos faceret per humilitatem, & ſatisfactionem, potius quam per abſolutam auctoritatem cum id verbo poſſet efficere? Quænam fuit Sapientia, quæ hoc iniit conſilium, quæ potentia, quæ illud adeo feliciter adimplevit, ita ut duæ naturæ toto Cælo diſtantes in una, eademque perſona conjungerentur? Deus enim non dedit humanitati ſimplicem luminum ſuorum radium; ſed omnem eſſentiæ ſuæ plenitudinem, ut conſtitueret medicinam omnibus criminibus certam, quamvis hæc quotidie in infinitum multiplicarentur. *Ex Leſſi ſermonibus de perfectionibus Dei ſermone 12. de Miſericordia Dei.*

Refelluntur nonnullæ hæreſes contra hoc adorabile Myſterium.

Quinam Spiritus dicere nobis poſſet, quomodo adimpletum fuerit hoc Myſterium, quod procul abeſt a ſpiritibus noſtris, & a ſublimioribus mentibus tam longe remotum? Neſtoriani crediderunt, Deum humanitatem hanc aſſumpſiſſe, ut ibi tamquam in Templo ſuo reſideret, vel ut illa tamquam veſte indueretur, vel tandem ut eadem uteretur tamquam inſtrumento in operandis miraculis; verum ſi Deus nihil præterea feciſſet, homo non eſſet, & homo non eſſet Deus, neque par ſolvendo debita noſtra, & delendo noſtrum ſcelus; neque nobis largiendo alteram nativitatem per gratiam, ut fieremus filii ejus adoptivi, & hæredes Regni ſui. Eutichiani prorſus oppoſitam viam ſecuti ſunt, & ut unam tantum Salvatori perſonam relinquerent, unam tantum illi tribuere naturam, perinde ac Divinitas per inauditum metamorphoſeos genus in carnem mutata fuiſſet, ut ſe palpabilem exhiberet; vel ex duplicis eſſentiæ commixtione, quoddam tertiæ alicujus naturæ compoſitum extitiſſet. Hoc eſt auferre Deo ſuam divinitatem, tribuendo illi corruptibilium rerum mutationes; & caro non eſſet amplius caro, vel eſſet alterius cujuſpiam naturæ; puta, cæleſtis, ut Valentinus autumat, vel phantaſmaticæ, quod aſſerunt Manichæi, ita ut Salvator non eſſet ultra neque Deus, neque homo. Errores hujuſmodi primis ipſis Chriſtianæ Religionis temporibus damnati fuerunt; ſed per communem Eccleſiæ fidem, quæ per ſexdecim ſæcula ad nos uſque pervenit, fatemur in uno JESU CHRISTO duas eſſe naturas, divinam, humanamque cum omnibus earum proprietatibus, & conditionibus naturalibus perſonæ Verbi Divini adhærentibus; ita ut ſit Deus ſimul, & homo, habens ex altera parte omnem gloriam Divinitatis, ex altera vero omnes humanitatis miſerias. At Dei hujus hominis perſona etiamſi ſola ſit, duabus æquivalet; adeo enim perfecte agit per utramque naturam, perinde ac unam dumtaxat haberet. *Idem.*

Familiares aliquot ſimilitudines, quibus

Ut aliquid intelligamus, & concipiamus de myſterio hoc ineffabili, & ut aliquam nobiſmet additua-

mus

Sancti Patres utuntur hoc mysterium explicaturi. Basil. de hum. Christi gen.

mus ideam juxta tenuem mentium nostrarum captum, uti possumus familiaribus quibusdam similitudinibus. Surculus insitus arbusto speciei diversæ, ita huic conjunctus, atque veluti idem corpus effectus inhæret per hanc, ut ita dicam, affinitatem cum stipite, a quo sustinetur, ut rami duo, alter naturalis, insititius alter unam dumtaxat arborem constituant, & æque vivant ex ejusdem radicis succo, quæ deinceps afferet fructus omnino diversos. Ferrum ignitum ferrum est, quamvis utraque substantia arcte adeo conjuncta sit, ut vix valeat dignosci; ita ut dicere possimus ignem secare, & ferrum urere per reciprocam actionum communicationem, etiam si a duabus diversis naturis proficiscantur. Ad hæc secundum Sanctum Athanasium, sicuti anima, & corpus sunt unus homo, ita Deus & homo unus est JESUS CHRISTUS; & nihilominus tantum discriminis intercedit animam inter & corpus, ut majus nequeat inveniri. Sed corpus hoc, quod per se adeo crassum est, terrenum, materiale, sine sensu, sine motu, statim ac animæ conjunctum est, motum habet, sensum, vitam, pulcritudinem, & gaudet omnibus honoribus partis superioris jure arctissimæ affinitatis. Ecce quodammodo, quo pacto Deus naturam nostram elevavit usque ad magnalia secundæ personæ adorabilis Trinitatis, quin ideo tamen Verbum Divinum conditionem mutaverit: si quid enim mutatum est, mutatio tota est in creatura, quæ ultra merita sua reperitur in statu adeo glorioso, qualis est sustineri a divina persona, quæ suas illi perfectiones communicat. *Idem.*

Athanas. in Symbolo.

Quomodo sustinere debeamus honorem affinitatis, quam dignatus est Deus cum nobis in hoc Mysterio contrahere.

Quoniam Divina bonitas nos ad hunc evexit honoris apicem per affinitatem, quam cum nobis contrahere dignata est, quo in pretio a nobis habendæ sunt animæ nostræ & corpora? Agnosce, Christiane, dignitatem tuam, & gloriam hujus affinitatis, & cave, ne polluas ullo crimine naturam, quam suprema sapientia tanti fecit. Memento, te nihil habere in te, quod non sit in Deo, vel quod non fit Deus, non quidem in persona tua, sed in persona Salvatoris tui. Manus tuæ, cor, Spiritus tuus ibi sanctificati sunt, vel potius Deificati, in manibus, inquam, corde, spiritu illius. Quomodo igitur audeas per scelera, & flagitia tua dedecorare Deum, qui se fratrem tuum vocat? & post tantam magnitudinis suæ humiliationem propter amorem tui, pro gloria tua, atque doctrina, quomodo ausus es non subjicere te mandatis illius, immo etiam per rebellem voluntatem illum offendere? *Idem.*

Quomodo Verbum Æternum se humiliaverit in hoc mysterio, & præbuerit nobis humilitatis exemplum.

Nonne verum est Filium Dei semet humiliasse in infinitum, cum de throno suo descendit usque ad novissimam creaturam, quæ rationis esset compos, cum descendit a suprema essentia usque ad hominem, usque ad carnem, usque ad nihilum, neque ad annos aliquot, sed in omnem æternitatem; quia semper erit Deus, & nunquam deseret hanc humanitatem, quam semel assumpsit; & opprobria, quæ passus est in hac aliena forma jugiter ob oculos illius versabuntur. Opusne igitur est, ut Deus nos doceat humilitatem, ut ita dicam, sumptibus suis? O Deus! Fac ut me humiliem in nihilo meo, & propter amorem tui patiar omnes confusiones, quibus suffundi possum in hac vita, ut in æternum adorem bonitatem, & misericordiam tuam, quæ effecerunt, ut temet ita submitteres, ut naturam nostram assumens, nostras subires infirmitates, atque miserias. *Idem.*

Dei Filius Incarnatus est potissimum, ut humanæ mederetur superbiæ.

Maximum atque periculosissimum hominis malum erat superbia, quæ attollebat eum contra Deum, & quæ illi persuadebat, ipsum magnum aliquod esse. Ut autem tumori huic faceret medicinam, & hominem de ipsius nihilo persuaderet, Filius Dei seipsum exinanivit, accipiens, ut Apostolus inquit, formam servi, & faciens te hominibus similem, qui videntes Deum adeo profunde humiliatum pudore suffusi sunt, & verum humilitatis spiritum conceperunt, atque intuiti, Deum tantam fovisse caritatem, ut propriam reliquerit gloriam, ut se eorum miseriis subjiceret, illi ipsi abrenunciaverunt naturali huic & ardenti cupiditati sese attollendi, atque ascendendi. Quod mirum in modum exprimit Sanctus Augustinus in confessionibus suis. *Verbum tuum, æterna veritas, ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret a se ipsis, & ad se trajiceret sanans tumorem, & puniens amorem, ne fiducia sui progrederentur longius, sed potius indignarentur, videntes ante pedes suos infirmam divinitatem, ex participatione tunicæ pellicæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam: illa autem surgens levaret eos.*

L. 7. conf. c. 18.

Vis, quam Verbum intulit amori suo erga animas tunc cum clausus manfit in utero Matris.

Propter zelum gloriæ Patris sui, quo absumebatur Verbum Incarnatum, extremam vim intulit amori suo, quamdiu clausus delituit in utero Matris differens illud opus, ad quod perficiendum in terram descenderat. Amor ignis habet naturam; acerrimus est ex omnibus motibus cordis, non secus ac ignis ex omnibus elementis ad agendum est ferventissimus. Hoc igne æstuabat Verbum Divinum in sanctæ Genitricis suæ sinu, præstolatus naturæ terminos, ut prodiret in lucem, ut nobis cælestem suam traderet doctrinam, ut sustineret pœnas, quas ipsi meriti fueramus, & ut super nos gratiarum suarum torrentes effunderet. Simul urgebatur desiderio opus suum perficiendi, plures menses aliquid operari prohibitus. Itaque amor ipsius nullum exitum reperiens, cum violenter prohiberetur, agebat in cor suum, illud vorabat, atque absumebat. Quæ autem tunc fuit beatissimæ ejus animæ pœna, videntis sibi expectandum esse momentum illud in æternis consiliis præstitutum, quo suo operi manum admoveret, videlicet, quo nos bonis cumularet, & quo a nobis obrueretur malis omnibus, quæ se subituram decreverat. *Liber cui titulus: Passiones Jesu Christi.*

Effusiones cordis nostri erga Verbum divinum in Incarnationis suæ momento.

Ergo venisti, o desiderium gentium, salus animæ meæ, vita vera, & spes unica peccatorum! Non jactitet ultra Cælum se unicam esse sedem tuam; factus es enim socius exilii mei; nulla me creatura contemnat, quantumvis nobilis illa sit; tandem enim Angelos non colo, & colunt Angeli Hominem Dei vivi Filium. Ecce, jam indutum video te carne mea, & miseriis meis obnoxium. Venis cum manibus plenis gratiarum, & tamquam fluvius misericordiis affluens, venis irrigaturus, seu potius submersurus terram Cæli divitiis; obliviscеris peccatorum nostrorum, & temet oneras nostris miseriis. Venis plenus gratiæ, & veritatis; sed cujus gratiæ, cujus veritatis! Heu! quam verax es in promissionibus tuis, Deus meus! Cum mundus hoc minime merebatur, cum in illo grassabatur scelus, cum natura universa erat corrupta, & cum tibi potissima erat causa nos odio habendi; tunc ostendisti veritatem tuam, tunc dedisti temetipsum nobis, tunc venisti, ut quæreres nos, ut nobis ferres opem tua præsentia, ut te nobis similem faceres. Tu unus ita verax es in omnibus, & nunquam cessas adimplere promissiones tuas, ubi earum adimplendarum tempus accesserit. Cum videris procul a nobis abesse, prope es; & facis, ut sentiamus præsentiam tuam, quam gratia & veritas semper concomitantur. Tecum enim advehis opes, salutem, vitam, pacem, magnitudinem, & veram felicitatem animarum, quas quæris, & mundi, quem vis salvum facere. Nequaquam, Domine, nequaquam solus venis, neque thesauros tuos in Cælo relinquis; tecum affers omnia bona tua; nihil perit de eo, quod es, factus, quod ego sum; non debeo amplius recedere a te per timorem magnitudinis tuæ, quandoquidem video te mea miseria circumdatum. O quam dives sum possidens te! quantum modo mihi invident Angeli, quia in te habeo privilegium, quo ipsi destituti sunt; etenim habeo Deum hominem, cum ipsi Deum Angelum non habeant. O beati Spiritus, illum adorate, qui supremum est bonum meum, atque vestrum! *Idem.*

De humiliatione Filii Dei in Incarnatione.

Divinum Verbum humiliatum est in Incarnatione sua, sed descendere voluit altius, quam homo voluerit ascendere. *Exinanivit semetipsum.* Nam sicuti magis distat Deus ab homine, quam esse distet a nihilo; Deus se hominem faciens, seipsum quodammodo exinanit. Sed non solum factus est homo, sed factus est caro: *Verbum caro factum est.* Factus est puer, qui de Virginis alvo transit in præsepe. Est *Verbum abbreviatum*, de quo loquitur Propheta. Stupendum illud prodigium, cujus figura fuit miraculum ab Eliæo Propheta patratum, cum coarctans corpus suum, illudque redigens ad mensuram pueri, quem vidua mortuum fleverat, ei vitam restituit; *Verbum abbreviatum. Abbas du Jarry in Sermone pro Nativitate Domini.*

4. Reg. 4.

Via nosmet attollendi usque ad similitudinem Dei, est descendere usque ad sui annihilationem, quod fecit Dei Filius per Incarnationem.

Omnis creatura intellectu, & ratione prædita attolli vult, & ascendere, idque eo magis, quo perfectior est, atque præstantior. Dicit cum Angelo, *Ascendam.* Deus non vertit illi crimini hoc magnitudinis desiderium, quod indidit illi, formans eum, & quod est veluti consequens aliquod nobilitatis essentiæ suæ, sed cum voluerit homo huic desiderio satisfacere per inobedientiam Creatori suo, de vera decidit magnitudine, neque illi alia reliqua est ad ascendendum via, nisi alia descendendi cum JESU CHRISTO in centrum humiliationum, quale fuit se hominem facere. In humiliatione inveniet homo gloriosam hanc similitudinem cum divinitate, cujus impiam cupiditatem illi dæmon afflavit. Sed superbia semper sathanæ vocem imitatur. Heu! Christiani per quot sinus, & ambages in animas nostras dæmon adrepit? sub grata colorum varietate versipellis virus suum instituat, & quas struit insidias illinit fuco, utiturque variis linguis, vobis dicturus, ut olim primis Parentibus nostris. *Eritis sicut Dii.* Vasa testacea, & figlina, vosmet attollitis, ut casu graviore ruatis, & ipsu vestro conteramini; abjicite ergo ridiculum, insanumque consilium evadendi similes mihi per magnitudinem, dicit Deus: sed vobis viam facilem aperio per humilitatem. Descendi usque ad abyssum miseriæ vestræ, ut vos elevarem ad cumulum dignitatis meæ. Viam stravi ad gloriosam hanc similitudinem divinitatis, quam quæritis, illam conjungens cum lineamentis humanitatis, quam assumpsi, & quæ hodie mihi est

Genes. 3.

hi est vobiscum communis. Accepi formam servi, ut vobis communicarem Domini dignitatem. Igitur in imitatione profundæ humilitatis Verbi Incarnati, homo invenire potest solidam, veramque magnitudinem; Humilitas hæc illum deprimit, quin contemptibilem reddat. Sancta est ambitio, quæ illum redigens in centrum nihili sui, ubi reperit Deum suum, attollit eum supra vanam, fallacemque hominis magnitudinem. *Idem*.

Angeli superbia causa fuit propria, quia noluit adorare Verbum Incarnatum. Isaiæ 14.

Rebellis Angelus detrectavit confiteri, & venerari Verbum Incarnatum, & hæc fuit causa lapsus, & interitus illius. *Ascendam*, ait ille, *& ero similis Altissimo*. Deus revelavit illi Mysterium Incarnationis. Ostendit illi Divinum Verbum nostra carne amictum; jussit illum in genua procumbentem adorare Deum hunc exinanitum, in obedientiæ argumentum. Sed spiritus superbus coruscans nitidissimis splendoribus Divinitatis, cujus opus erat præstantissimum, ratus est, se loco cedere, si Deum hominem factum veneraretur. Qui debuerat per humilitatem descendere, ut in gloria simul & gratia confirmaretur, ascendere voluit usque ad thronum Dei ipsius; per rebellionem cælum universum partitus est contra Creatorem suum, sed tandem spiritus hic superbus, & nequam de cælo præceps in abyssi altitudinem deturbatus est. *Idem*.

Deus nobis tentatus est, amorem suum se nobis tribuens, cum eramus objectum odii sui.

Ecce quousque procedit Dei bonitas erga nos, quod nobis tunc suum erga nos amorem testatus fuerit, cum moriebamur majores odii sui effectus experiri; quod Cælum nobis tunc aperuerit, cum scelera nostra nos inferno dignissimos fecerant; Verbo quod tunc ad nos miserit Salvatorem, cum nobis judex tantummodo esset expectandus: *Commendat Deus Caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo*. Ad Rom. 5. Non solum non excitatus fuit, ut se traderet nobis, consideratione meritorum nostrorum; sed quod mirabilius est, arripuit occasionem nobis insigne hoc beneficium conferendi, cum eodem essemus indignissimi, & perquam optime de nobis merendi, cum de illo pessime eramus meriti. Flammæ amoris sui factæ sunt fortiores, ac vividiores occursu nostrarum ingratitudinum, nequitiarum. O Deus! Tantum abest, Sanctus Augustinus exclamat, quod nostra opera bona, & merita illum de Cælo in terram detraxerint, ut nostra illum peccata potius deduxerint; neque enim Filius Dei venisset, nisi homo peccasset. *Non enim de Cælo ad terram bona merita nostra, sed peccata deduxerunt*. *Pater Texier sermone de Incarnatione, in Tomo de Mysteriis*.

Quantum Deus elevaverit hominem per Incarnationis Mysterium.

Deus, uti jam dictum est, mero bonitatis suæ motu actus per Filii sui Incarnationem reparavit humani generis interitum. Quin confundat superbiam primi parentis nostri, qui per summam temeritatem ausus erat ad Divinitatem anhelare, connivere velle videtur huic ambitioni; quandoquidem per effectum potentiæ suæ transfert homines illuc, quo naturæ suæ infirmitas eum elevare non poterat. In Mysterii hujus complemento videmus naturam nostram exutam propria, finitaque subsistentia sua, subsistere in JESU CHRISTO per infinitam Verbi Dei subsistentiam. Vi hujus unionis personalis, ingreditur in societatem bonorum cum Deo, & sicuti actiones omnes tribuuntur personæ, dicere possumus cogitationes, & verba hominis esse modo cogitationes, & verba Dei. *Idem*.

Idem sequitur argumentum. Jerem. 2.

Primus homo in rebellione sua, affectaverat omnis subjectionis onus excutere, & sui juris fieri; *dixisti non serviam*. Indulget quodammodo Deus ejus consilio, & per bonitatis excessum tribuit homini, quod ille per impietatem usurpare cupiebat: namque vi arctæ hujus affinitatis, quam contrahit Verbum cum humana natura, constituit hominem in JESU CHRISTO supremum Cæli, terræque principem, eumque præficit omnium rerum creatarum regimini. Hic est homo ille, qui palam profitetur; *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*; quapropter dicere possumus cum Ecclesia; o felix culpa, quæ nobis fuit veluti gradus, per quem usque ad Dei thronum ascenderemus. *Idem*.

Matth. 28.

Deus in hoc Mysterio ut justitiæ suæ satisfaciat, suscipit pœnam in se.

In hac autem indulgentia illud mirum est, quod cum hæc Divina Justitia diligens in exigendis iis, quæ sua sunt, vellet hominis ambitionem humiliari, ejusque rebellionem punire, amor, quo Deus prosequitur homines, eum coegit, ut in se punitionem reciperet; Deo in hoc Mysterio descendente, simul ac homo elevatur. Hæc sententia est Tertulliani, dicentis, Deum in Incarnatione sua Divinitatem cum humanitate commiscuisse: *Miscuit Deum, & hominem*; & in hac commixtione omnia commoda homini cessisse, Deo autem, omnia detrimenta; quoniam Deum posuit in infirmitatibus Hominis, hominem vero in Magnalibus Dei: *In virtutibus Dei posuit hominem, & in pusillitatibus hominis Deum. Tantum tribuit Homini, quantum detrahit Deo*. Hoc ipsum miratur S. Augustinus. Deus, inquit, nostrum scelus reparaturus, nos gloria coronat sua, & in se nostram recipit humilitatem. Hominem potentem facit, & illius sibi sumit infirmitatem; illum constituit Dominum, eique se subjicit; dicere enim verum est, hominem-Deum omnipotentem, & Dominum esse, & Deum hominem factum infirmum esse, atque mortalem. *Deus venit accipere contumelias, dare honorem, suscipere infirmitatem, dare virtutem*. *Idem*.

Dei Filius per Incarnationem procurat Patri gloriam infinitam.

Hæc propositio facile concipi potest; quandoquidem omnes actiones Filii Dei proficiscebantur ab infinito principio, ut loquuntur Theologi, videlicet a persona Verbi, & actiones hujus Hominis Divini cum referri minime possint ad alium finem, nisi ad Altissimi gloriam: sequitur necessario, Incarnationem ejus, quæ primum obsequium est, quod præstet Patri suo, esse pretii infiniti, adeoque infinitam procurare gloriam supremæ huic majestati; quod Verbum hoc Incarnatum in omnibus actionibus suis sibi proposuerat. Nulla in hoc est difficultas; sed non æque facile est modum intelligere, quo infinitam hanc illi gloriam procurat. Quæ enim ratio est inter gloriam, & humiliationem, vel potius annihilationem, ad quam ille in hoc Mysterio redigitur? Hæc tamen via est, qua Divina utitur Sapientia ad supremam Dei Majestatem honorificandam. O nos cæcos, qui sensus tantum consulimus, neque de rebus judicium ferimus, nisi per ea, quibus illi afficiuntur! Ad hæc judicamus secundum insanos affectus, qui dominantur in nobis. Quemadmodum ea solum habemus in pretio, quæ nitent, & fulgore quodam oculos nostros perstringunt; nos magnitudinis ideam cuidam exteriori pompæ subnectimus. Hoc magnum vocamus, & quidquid ab hac abhorret specie, abjectum, atque contemptibile ducimus. Hoc carnales Judæos impulit, ut crederent, Messiam, quem præstolabantur venturum ad sarciendas ruinas Israel, venturum esse cum magnificentia, & ingenti apparatu. Sibi enim persuadebant, hunc, cum Deo supremum redditurus esset honorem, venturum esse cum pompa & splendore digno infinita sua Majestate; & fortasse nos quoque non moleste ferremus intuiti hoc consilio probari illam animi voluptatem, quam ex iis rebus percipimus, quæ oculos nostros perstringunt. Vos pudeat, superbi mortales, vestra fallax sapientia, sapientia æterna confunditur. *Pater Masson, sermone pro die Nativitatis Domini*.

Cur Dei Filius factus non fuerit caro statim post peccatum Adæ.

Cur, putas, Dei Filius statim homo factus non est post primi parentis nostri prævaricationem? Vulnus illud adhuc recens illatum naturæ universæ nonne facilius curatum fuisset, quam si diu inveterascere, & occallescere permissum non fuisset? Verbi Incarnatio nonne fuisset nobis propitia, quod celeriter temperasset æstum peccati? Undenam ergo profectum est, ut adeo præsens Medicina tam sero adhibita fuerit; Inde, Tertullianus ait, quia Pater Æternus oblectabatur tot sæculis videre aliquot informes imagines Filii sui, qui humanam carnem erat susceperturus. Oportebat, ut immolatio Isaac, Sacerdotium Melchisedech, ac tot aliæ legis antiquæ figuræ præcederent. Hæc pulcra quidem est ratio, sed illa, quam Sanctus Augustinus affert, longe solidior est. Deus, inquit ille, quatuor annorum millia sibi sumpsit, quibus hominem humiliaret, ad sui cognitionem perduceret, & doceret, si ille per se labi poterat, non posse per se viribus suis resurgere. Opus esse, ut magnus descenderet de Cælo Medicus, ut insignes morbos curaret. Igitur toto eo temporis spatio distulit humanæ naturæ reparationem per Incarnationem Filii sui, *ut homo suam sentiret miseriam, & tantæ medicinæ cognosceret necessitatem*. *Ex Dictionario Morali, in Moralibus animadversionibus de humilitate*.

Quomodo Incarnationis Mysterium erat homini gloriosum.

Si nihil abjectius est Divino Verbo, quam Incarnatio, nihil homini gloriosius est, quam hoc idem Mysterium, quia, Deus, Sanctus Augustinus ait, *factus est homo, ut homo fieret Deus*. Principium annihilationis Verbi est idem ac nostræ elevationis, & hæc inæqualitas inter Deum, & hominem est mensura alterius quidem exaninationum, alterius vero gloriæ; *Unde ille humiliatus, inde ille glorificatus*. Nam quantumvis Verbum nequaquam hypostatice conjunctum sit cum omnibus hominibus, satis est, ut eorum unus hunc honorem acceperit, ut ceteri participes fiant eodem præter propter modo, quo Princeps non posset contrahere affinitatem cum obscuro loco nata puella, quin & sponsam, & familiam, ex qua prodijt, decoraret. O homines, agnoscite infinitam gloriam, quæ in vos ex hac affinitate manavit. Mementote vos fratres esse JESU CHRISTI & illum vobis tantum excellere jure Primogeniti; *Primogenitus in multis fratribus*. Ipse caput est, & vos membra; ille Filius est per naturam, vos autem per adoptionem; ipse legitimus hæres est, vos autem cohæredes. *Ex Specimine Panegyricorum pro die Annuntiationis*.

Spiritus S. instaurat in nobis quodammodo Mysterium Incarnationis per gratiam sanctificantem.

Quis credidisset Spiritum Sanctum instaurare quodammodo Mysterium Incarnationis in animabus, in quibus per sanctificantem gratiam inhabitat? Hæc quidem gratia non est ipse Deus; præsentia Dei non est divinitas, sed quod divinius est. Non sol est, sed lux; non thymiama, sed odor, ita ut dici possit,

Deum

Deum nos illustrare, nos odoramentis perflare, nos divinitatis gratia penetrare, ita ut evadamus tamquam dii. *Ego dixi, dii estis vos.* Per hanc igitur spiritualem Incarnationem, per unionem hanc, quam gratia parit, hominis cum Deo, acquirere possumus glorioſam hanc ſimilitudinem, quam neceſſario habere debemus cum JESU CHRISTO. *Idem.*

Pſalm. 81.

Nihil melius oſtendit ſupremam Dei magnitudinem, quam Verbi Incarnatio.

Præſtantia, & virtus cauſſæ bifariam poteſt cognoſci. Primum cum aliquem producit effectum, qui non poteſt aliud ab illa principium habere. Secundo, cum effectus hic non ſuperat ſolum vim reliquorum agentium, nihil tale, aut ſimiſe producere valentium, ſed præterea ita ſublimis eſt, ut hæc eadem cauſſa, quæ illi contulit eſſentiam, nihil majus valeat operari. Tunc hujuſmodi effectus maximum eſt virtutis cauſſæ ſuæ argumentum, & gloriam ejus commendat. *Priori* pacto oſtenderat Deus potentiam, ſapientiam, & bonitatem ſuam Mundum creando; ibi enim fecerat id, quod præter ipſum nemo facere poterat; quippe in nihilo fundavit, & uno Verbo ædificavit opus, quod tot complectitur miracula, quot partes habet, & quod nulla in re eſt adeo mirabile, quam in unione, ac ſimetria tot rerum tam diſſimilium. Sed quamvis Deus in ingenti hac productione adeo eximie virtutem ſuam oſtenderit, nondum exhauſerat illam, neque hic extremus ille erat terminus, ad quem ipſius omnipotentia valeret pertingere. Mundus erat illi, quod egregio pictori tabula, quam hic ſolatii, & oblectationis cauſſa, nulla artis adhibita cura adumbraſſet. Ita Deus ludens in orbe Mundum creavit, & ex nihilo producens ea, quæ noſtris apparent oculis id feçerat, quod ab uno illo poterat fieri. Hoc tamen nondum erat niſi ſpecimen exiguum eorum, quæ producere poterat. Quid ergo hoc majus præſtitit? Exhaurire voluit virtutem ſuam in opere prænobili, ita ut ille ipſe nihil excellentius facere poſſet; ut talis effectus cederet ſibi maximæ gloriæ, quæ ab extra illi accidere poterat; & opus hoc fuit opus Incarnationis. *P. Guilleminot in libro, cui titulus Sapientia Chriſtiana.*

Unum ex præcipuis Conſiliis Filii Dei fuit fieri nobis exemplum.

Joann. 4.

Joann. 11.

Non poſtremum Æterni Patris Conſilium mittentis in Mundum Filium ſuum, fuit illum nobis in exemplum proponere; & hæc ipſius Filii mens fuit in ſui Incarnatione. Propterea dicit nobis ſe non ſolum ducem eſſe, quem ſequi debemus, ſed etiam viam, per quam nobis *gradiendum eſt, ſi veritatem invenire volumus*, & ad æternam vitam pervenire. Propterea teſtatur ſe lucem eſſe, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum; & quicumque recenſeri vult inter ſervos, & diſcipulos ejus, hanc inevitabilem ſubire legem debet illum ſequendi. Propterea nobiſmet perſuadere debemus, in ſingulis vitæ ſuæ actionibus, id illum dixiſſe nobis, quod dixit Diſcipulis ſuis quorum pedes recens abluerat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ex quibus inferendum eſt, Divinum hoc Verbum non ſolum veniſſe in Mundum, ut noſter eſſet Redemptor, atque Salvator; ſed etiam, ut noſtrum eſſet exemplar. Dicam melius; non potuit ullo modo noſter eſſe Redemptor, atque Salvator, niſi noſtrum eſſet exemplar: etenim ad obeunda omnia Redemptoris, & Salvatoris officia non ſolum liberare nos debuit ab Inferni pœnis, quas meriti ſueramus, & a dæmonis poteſtate; ſed etiam a ſervitute peccati, quod efficiebat nos dignos pœnis hujuſmodi, & a tyrannide cupiditatum, quod facere non potuit, niſi exemplo ſuo nos impelleret ad praxim earum virtutum, quæ cupiditatibus noxiis adverſantur. *P. Nepveu l. 1. cap. 2. de Spiritu Chriſtianiſmi.*

Joann. 12.

Joann. 13.

Humiliatio Filii Dei in Incarnatione ſua.

Minus arduum non eſt verba facere de humiliationibus Verbi Incarnati, quam de Incarnati Verbi magnalibus, & ſicut tenebræ nos excæcant tantum, quantum nos fulgor nimius perſtringit; penetrare non poſſumus umbras temporalis generationis Verbi, quemadmodum ſplendores generationis æternæ ſuſtinere non poſſumus. Itaque dicere poſſumus, ipſum habitare nocem æque, ac lucem inacceſſibilem, & in utraque eſſe impenetrabilem. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Deus unus, qui carnem induit, concipere poteſt infinitam humiliationem, quæ in hoc Myſterio continetur. Si magis diſtat ab homine Deus, quam ens diſtet a nihilo, nonne aliquid amplius eſt transire a divinitate ad humanitatem, quam ab eſſe ad nihilum? Igitur hæc Apoſtoli verba, qui non veretur aſſerere, Filium Dei ſeſe exinaniiſſe, ſervi formam accipiendo; hæc inquam locutio, quamvis hyperbolem ſapere videatur, adhuc infirma eſt, nec ſatis exprimit, quod nos aſſequi poſſumus. *Ex Panegyricarum orationum ſpecimine Tomo 2. Argumento 2. pro die Annuntiationis.*

Pſalm. 138.

Noſmet humiliare debemus videntes humiliationem Verbi Incarnati.

Quemadmodum homo volens exæquare Deum, perierat; Deus ſe ſimilem hominibus fecit, ut ſalvaret illum. Verbum ad nos uſque deſcendit, ut nos ad ſe uſque attolleret. Te igitur attolle quoad placuerit, homo ſuperbe, S. Auguſtinus ait, Deus adhuc altius aſcendet; itaque nunquam uſque ad ipſum pervenies, & infinitum ſemper aderit ſpatium inter magnitudinem ejus, & exilitatem tuam. Humilia te, ingredere in nihilum tuum, ibique invenies Deum tuum. Ipſe non ſolum factus eſt homo, ſed aſſumpſit omnes naturæ tuæ infirmitates, & duo hæc verba, *Verbum caro* ſignificant unionem earum rerum; quarum altera maxima eſt, altera minima; altera potentiſſima, & altera infirmiſſima. Tertullianus carnem hanc, cui ſe Deus conjunxit, reſpicit tamquam abyſſum, in quam ſe præcipitem dedit: *Verbum humanatur, & cadit:* Sed quot ſunt gradus profunditatis ad Verbum humiliandum, totidem ſunt altitudinis ad homines attollendos. *Idem.*

Joann. 1.

Dei Filius ſenſit naturæ noſtræ miſerias in ſinu Matris, quod non contingit aliis rationis uſum non habentibus.

Infirmitas naturæ noſtræ nobis utilis eſt, cum nondum rationis uſum aſſecuti in utero matrum noſtrarum, non agnoſcimus, neque ſentimus ſtatus illius adeo triſtis infelicitatem. Sed cum radio Salvatoris illuſtrata fuerit ab ipſo ſuæ Conceptionis articulo, cauſſa fuit, ut ille videret, ſentiret, ac penetraret miſerias omnes, quas noſtra nobis abſcondit ignorantia; & glorioſum illud privilegium, quo ejus anima locupletata fuit, non profuit illi, niſi ut melius cognoſceret infirmitates carnis hujus, quam nuperrime acceperat. *Idem.*

Dei Filius ipſo Incarnationis ſuæ momento ſubjecit ſe omnibus humiliationibus, quas deinceps in vita erat paſſurus.

Hic homo Deus ex ipſo Incarnationis ſuæ momento in anteceſſum immolavit ſe omnibus mortis ſuæ contumeliis. De manibus Patris ſui accepit omnem amaritudinem calicis, quem bibiturus erat, & in voluntaria hac acceptione collegit omne meritum actionum, quæ illam ſubſecutæ ſunt. Ita dicere poſſumus omne pretium humiliationum multarum, quibus ſe ſubjecit, contentum fuiſſe in Incarnatione ſua; quia in hac illæ continebantur, non ſecus ac omnis virtus fructuum, qui ex arbore naſcuntur, in radice continetur. Quantumvis abſconditum eſſet Verbum, cum verſabatur inter homines, emicabat in ore illius neſcio quis fulgor divinitatis; S. Ambroſius inquit, qui inter umbras, quibus ab humanitate cooperiebatur, interniebat. In Myſteriis, quibus magis humiliabatur, Cælum, vel terra inſignia illi perhibuerunt teſtimonia, quæ quodammodo ejus abjectiones farciebant. In ejus Nativitate Reges ab extremis Orientis plagis ad honorem illi afferendum acceſſere; cum a S. Joanne baptizaretur in Jordane, repente audita fuit vox de Cælo, per quam Pater Æternus eum dilectum ſibi Filium confeſſus eſt, & Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie ſuper caput ejus deſcendit: dum penderet de cruce Sol eccliypſim paſſus eſt, ſciſſum eſt Templi velum, mortuorum corpora reſurrexerunt, peccatores converſi ſunt: ita ut in omnibus Myſteriis illius, magnitudo Verbi ſemper comixta fuerit cum humiliationibus ejus. Sed in ejus Incarnatione meras intueor exinanitiones ſine ulla elevationis commixtione. Non ſolum Diviſ nitas ſub umbra Humanitatis delitefcit, ſed ipſa etiam latet humanitas. Velamenta aliis tecta ſunt velamentis. In aliis Myſteriis operatur miracula, ut ſe oſtendat; ſed in hoc nulla operatur, niſi ut celet ſe ipſum, & ipſa ejus miracula cum eo contegantur. Tota exinaniti Dei hujus Majeſtas tumulatur in Virginali ſinu, ex quo carnem aſſumpſit; omnia in caligine, ac ſilentio tranſiguntur. Maria una ſentit in ſe mirabilia Spiritus Sancti opera. Hæc ipſe Joſeph ignorat, ita ut vere de illo dici poſſit: *Vere tu es Deus abſconditus.* *Idem.*

Iſaiæ 45.

Humiliari, & deſcendere opus eſt, ut ſimus ſimiles Deo homini facto.

Oportet ſane humilitatem virtutem eſſe magni pretii in oculis Dei, quoniam deſcendit in terram, ut illius præberet exemplum hominibus; & quodammodo exinanivit ſe, ut doceret homines humilitatem. Homo non oblitus fuerat in miſeria ſua ſe nobilem eſſe creaturam ad imaginem Dei elaboratam; & originis ipſius nobilitas in ejus animam ſuperbiæ ſenſum immiſerat, quo actus ad Deum uſque aſcendere optavit. Tamen volebat imitari Dei magnalia, quod ita periculo plenum fuit, ut homo ideo perierit, quod Deo ſimilis fieri concupivit. Ita quoniam neceſſe erat, ut Homo Deum imitaretur, & aliunde deſiderium eidem ſe faciendi ſimilem, cauſſa fuerat interitus ſui; Verbum carnem aſſumens exinanivit ſe, ut homo ſequens illum in hoc nihilum, ibi gloriam nanciſceretur, quam amiſerat, illius elationem ſtudens imitari. *Idem in argumento tertio pro die Annuntiationis.*

Deus in Myſterio Incarnationis conjunxit hanc duplicem qualitatem, alteram Patris, alteram Domini.

Deus bifariam conſiderari poteſt, S. Athanaſius inquit, tamquam Pater, & tamquam Dominus. Tamquam Pater producit Verbum, ac terminum dignum ſe; tamquam Dominus producit terminum nullam ſe proportionem habentem. Tamquam Pater gignit Verbum ſuum: *Deum de Deo:* tamquam Dominus producit creata nullam cum eſſentia ſua rationem habentia. Hæc finita ſunt, ille infinitus. Sed per Incarnationis Myſterium hæ duæ qualitates Patris, & Domini pares ſiunt. Pater Æternus invenit in JESU CHRISTO Filium, & ſubjectum dignum ſe. Nam ſubjectum eſt Filius ejus ipſi par per Divinam Naturam; & illi factus eſt inferior aſſumens naturam Humanam; & quatenus Homo ſit ſervus hujus Patris, cujus par eſt, quatenus Deus. *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens.* Ante Verbi Incarnationem imperium Patris Æterni non exercebatur, niſi in creaturas, quæ non poterant illi obſequia præſtare ipſo digna; quid enim

ad Philip. 2.

ſunt

Psalm. 38.

Isaiæ 49.

sunt entia quamvis perfectissima, ac præstantissima coram Deo? Sunt *tamquam nihilum ante te*. Sed in hoc Mysterio, Pater Æterne, vides servum, de quo jure dicere vales: *Servus meus es tu; & in te gloriabor*. Ita sane infinite adorabilis es, & in infinitum adoraberis. Sed superbus Homo, ut ascendat, eamdem arripit viam, quam Divinum Verbum, ut descendat. Verbum Deo par assumendo carnem inferiorem se constituit. Homo toto cælo Deo minor, peccando similis illi fieri conatur. Deus juris sui, subditus, subjectusque sit: homo mancipium appetit a nullo pendere, ac dominari violando Legem Dei, & jugum obedientiæ, quam debet, excutiendo. *Idem*.

Deus in hoc mysterio nos prætulit Angelis, & gloriæ suæ. Nos quoque gloriam ipsius commodis nostris præferre debemus.

Hæc adeo profunda Filii Dei humiliatio in se considerata meretur, ut veneremur ipsum in hoc statu, quem assumit pro nobis, eique cum Sancto Bernardo dicamus: *Quanto pro me vilior, tanto mihi carior*. O Deus eo nobis majori in pretio, & honore habendus es, quo magis te propter nos dejecisti, atque contemptibiliorem præbuisti! Ille nobis ostendit quanti nos faceret, quandoquidem ad expianda peccata nostra non misit Angelum, vel Archangelum quempiam, sed ipsum Unigenitum suum. Quod si tanti nos fecit, si tanta dilectione complexus est nos, nonne vicissim illum maximi facere, eique omnem dilectionem nostram debemus impendere, ac inde præclaram illam inferre conclusionem, quam eliciebat S. Cyprianus: *Christo nihil præponere debemus, quia nec nobis quicquam ille præposuit*. Heu! Cum de salute nostra ageretur, prætulit ille nos Angelis, voluptati, & gloriæ suæ, quam pro nobis sacrificavit: nonne ideo æquum est, ut in æstimatione nostra, & affectu præferamus ipsum iis omnibus, quæ sunt in orbe universo, & nobismetipsis? *Biroat in tertio Sermone Adventus*.

Magnalia Verbi Incarnati, quod factum est homo, ut fieret tantum pupillus, quantum magnus est.

Nihil dici potest, quod magis Dei-hominis gloriam commendet, quam illum cum S. Paulo appellare hæredem universorum, Creatorem mundi, splendorem gloriæ, characterem Divinæ substantiæ; quam illum repræsentare super Cælos omnes, sedentem ad dextram Supremæ Majestatis, quam inducere Deum ipsum dicentem illi, ipsum esse Filium suum, & se illum ab æterno genuisse; thronum ejus æternum esse, & sceptrum imperii ipsius, virgam esse æquitatis, atque justitiæ: Cælos quidem perituros, ipsum vero nunquam desiturum; ac tandem Angelos illius dumtaxat famulos esse, ac ministros, & jussos esse illi obsequi, eumque adorare. Hæc omnia singularia sunt, & uni Deo-homini communicabilia. Sed verbum hoc caro factum cum omnibus hisce titulis magnitudinis, infinite parvus factus est, & desiderium efficiendi Deum-hominem fecit, ut in ejus persona infinita magnitudo infinitæ abjectioni conjungeretur; ejusque infinita humiliatio cum magnitudine infinita conjungeretur, atque hoc pacto thronus maximi Regis simul inveniretur conjunctus cum humilitate minimi, & novissimi omnium mortalium; vel magnum hoc Divini hominis consilium fecit in semet omnem exilitatem, & magnitudinem consociare non solum, verum etiam duas hasce res prorsus oppositas ita connectere, ut altera vicissim alteri esset basis, & fundamentum, ita ut suam hauriret humiliationem ex magnitudine, & magnitudinem ex humiliatione. *Sarazin tomo secundo Adventus, Sermone vigesimoprimo*.

Magnitudo, & præstantia operis Incarnationis, quæ fecit hominem-Deum.

Ad exprimendam hominis-Dei magnitudinem, & quale extiterit conceptionis ejusdem momentum, dicere satis est, momento illo Deum taliter humanam naturam cum divina conjunxisse, ut inde exiterit homo, qui æque verus esset Deus, & homo. Non opus est eximium hoc opus verbis extollere, satis est illud ostendere fidei Christianorum, ut fateri teneantur, Deum nihil unquam fecisse, neque facere potuisse dignius magnitudine sua. Ceterum potestne quidquam concipi dignius Dei magnitudine, quam homo-Deus, & Deus-homo! quam homo, qui absque eo quod aliquam naturæ humanæ jacturam patiatur, habet quidquid ad Dei pertinet naturam; & Deum qui, quin Divinitatis suæ faciat detrimentum, habet quidquid spectat ad naturam hominis! Hoc paucis exprimit S. Leo magnus his verbis: *Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate*. Sed momentum, quo hæc miracula patrata fuerunt, nonne felicissimum est; & jure vocari potest momentum miraculorum? *Idem tomo* 1. *Sermone* 2.

S. Leo ep. 10. cap. 4.

Nullum est inconveniens, Deum hominem factum habuisse corpus & animam nostris similia.

Si diceremus, Deum hominem factum, Deum esse desisse, & spoliatum fuisse imperio suo, magnitudine, & essentia, credendi locus esset, Mysterium hoc fuisse simul & impossibile, & minus dignum Divina majestate; sed cum dicimus Deum venisse ad hominem ex mera propensione summæ bonitatis illius, quin extra se egrederetur: cum dicimus humanam naturam in Divino Verbo fuisse receptam, tamquam exiguum rivum in vasto mari, quin suam essentiam amitteret, & insitam fuisse in persona Verbi, nonne hoc est honorare potentiam, majestatem, & sapientiam Dei? Ad hæc, quanam in re sese divinitas abjecisset? Numquid faciendo opus adeo sublime, adeo divinum, quod meretur ciere admirationem in hominibus, & in Angelis in tempore, atque in æternitate? Quid jucundius, atque suavius est, quam sibi exhibere personam Salvatoris in se conjungentis quidquid insignius est in spirituali, & corporali natura, Dei scilicet, ac hominis, ut divinam majestatem redderet oculis, manibusque subjectam? Quæ dignitas videre in Mundo hominem-Deum factum Mundi partem, occupare ab æterno Spiritum Dei, sibi proponentis hoc opus tamquam terminum potentiæ suæ & primogenitum omnium creaturarum? *P. Caussinus in Tractatu secundo Aulæ Sanctæ, Axiomate septimo*.

Deus per Verbi Incarnationem reformavit hominem creatum ad Imaginem suam, sed peccato deformatum.

Homo factus ad imaginem Dei divitiis Divinitatis cumulatus erat: sed peccati labes primigeniam hanc formam fœdaverat. In nullam reditus spem perieramus, actiones nostræ nos salvos facere non poterant; nihil prohibere poterat, quominus in malorum omnium extremum, æternam videlicet damnationem, prolaberemur. Sed Deus tantorum malorum misertus est. Quamvis omnino sit ab omni affectu vacuus, miseratio subiit in locum justissimæ illius iracundiæ. Misit auctorem imaginis ad eam reformandam, eamque in pristinum decorem revocandam. Cum haberet formam naturæ Dei, assumpsit formam servi, ut compedes nostros infringeret, & nos in libertatem vindicaret, restituens nobis omnia privilegia. Hoc pacto reformati sumus, ac iterum recensiti in albo Filiorum Dei. *Ex sermone quodam Sancti Basilii Seleucensis*.

Incarnatio miracularum omnium maximum.

Cetera miracula sunt leves emanationes divinæ potentiæ. Hoc autem illam exhausit, & si reliquorum maximum est mortuos ex eorum sepulcris educere, ambigi nequit, quominus efficere, ut Deus de solio descendat, sit perrarum, & præclarissimum. Deus nihil unquam divinius operatus est, quam humanam carnem assumens, & cum S. Joannes Evangelista nos docet omnia facta fuisse per Verbum Dei, *omnia per ipsum facta sunt*, hoc toto cælo minus est, quam cum subjicit: *Et Verbum caro factum est*. Primum illud non aliud fuit, quam ex nihilo creaturas educere; alterum vero Creatorem exinanire. Igitur infinitæ potentiæ effectus est conjunxisse in eodem supposito Omnipotentem nostræ infirmitati, cum Deo nihil difficilius sit, quam sua uti potentia contra seipsum. *P. Dozenne, in tractatu de JESU CHRISTI Divinitate*.

Joann. 1.

Incarnatio est mysterium absconditum.

Verbum Æternum in Cælo lumen inaccessibile, in terris autem obscurissimam noctem inhabitat. Arca fœderis non solum in intima Templi parte latebat, sed ad hæc purpureis velaminibus tecta erat, & hæc ipsa densis pellibus tegebantur; figura Mysterii Incarnationis. Hæc nonnisi velamenta sunt, recessus caligine obsiti, nubes aliæ aliis superadditæ. Non solum latet Verbum in humanitate; sed ipsa etiam humanitas in Mariæ sinu latet, ac miraculosa Maternitas tegitur supposititia Josephi paternitate; & hæc Josephi paternitas illius humilitate, taciturnitate, & silentio fulcitur: *Abbas du Jarry in Panegirico Sancti Joseph*.

Dei amor præ ceteris illius perfectionibus in hoc mysterio renidet, & illum potissimum admirari oportet.

En complementum Prophetiarum, veritas figurarum, effectus promissionum, finis legis, gratiæ principium: Verbum caro factum, ut homines salvos faciat. In ceteris Mysteriis enitescere cernimus aliquot perfectiones peculiares Dei. Elucet justitia in passionibus Filii; potentia in illius resurrectione, gloria in Ascensione triumphali, ac reditu in Cælum, quo finem fecit laborum suorum. Sed in ejus Incarnatione dilectus discipulus nonnisi illius amorem miratur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Amor, qui ab æterno in Dei sinu conclusus effudit se extrinsecus ab initio Mundi in creatione, & se exhaurit per Mysterium Incarnationis Verbi missi ad illius reparationem. Ne expectetis a me vobis hoc in sermone explicari prodigia, quæ cum meam locutionem, tum meas excedunt ideas; hanc Dei cum homine unionem, qualitatem Virginis cum maternitate conjunctam, hanc affinitatem cordis humani, suæ libertatis zelotypi, cum fide illam captivante, æternitatis, & temporis. Neque expectetis a me conciliari extremam hanc oppositionem inter ens & nihilum, fortitudinis & infirmitatis, qualitatis Filii Dei & servi. Magna hæc objecta, in quibus Philosophorum curiositas semper oberravit, essent fortasse scopuli, in quos debilis ratio nostra alliderat. Sufficiat igitur nobis hæc admirari miracula, & cum Sancto Bernardo exclamare: *Amor est, qui hæc operatur*. Sermo manuscriptus.

Joann. 3.

Deus ostendit nobis amoris sui vim in hoc mysterio.

Amor Dei non minus est fortis, quam sapiens, quod nobis ostendit in hoc Mysterio. Tota vis caritatis ad hæc redigitur duo, ad obices omnes superandos, & ad sacrificanda objecta omnia, quæ nos avertere possunt ab eo, quod amandum est. Ex hac idea cognoscite Fideles Dei vestri caritatem. Fortitudo nullum invenit obicem, quem non superet, nullam, quam non dissipet difficultatem. Non Dei majestas, neque justa sententia contra peccatores prolata, neque pudor in se recipiendi similitudinem peccati, illum deterret. De omnibus agit

agit triumphum, omnia hæc infringit valla, omnes evertit obices, qui suis adversantur consiliis. Video illum cælum, terramque conjungere; de Deo hominem, & de homine Deum facere. Video illum infirmitatem attollere, magnitudinem abjicere, & quod minus prodigium non est, extinguere inimicitias, ut inimicos suos salvos faciat. Sed o admirabilem vim caritatis! quæ eo usque procedit, ut det Filium suum, Filium dilectum, in quo ab æterno sibi bene complacuit, delicias suas, qui in Cælo ipsius corona est, & gloria, inquit Tertullianus: illum ut ita dicam in terris annihilat, mox illum immolaturus in cruce; dilectum, inquam, hunc Filium, per quem creavit omnia, immolat omnia per eumdem reparaturus. Ah quid Deus meus! Si cupiebas, homines esse in terra, nonne potius creare poteras justos, quam Unigenitum tuum cum peccatoribus commiscere? Nonne etiam tibi glorioſius erat efficere, ut descenderet sermo tuus ad eos sanctificandos, qui a criminoso Patre originem duxerunt, quam mittere Verbum tuum in naturæ corruptæ miserias ad salvandos prævaricatores legis tuæ, & nominis tui profanatores? Non ita Fideles, opus erat, ut hoc illi staret Filio, quem unice diligebat, ut admiraremur vim amoris sui, qui pro nobis, & propter salutem nostram omnia sacrificat: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos. Idem.*

Oratio ad Deum ut beneficii Incarnationis efficiamur participes.

Domine Deus! Quandoquidem nullus fuit obex tuæ annihilationi, atque humiliationi quem misericordiæ erga nos tuæ conatus non fregerit, nullaque sit difficultas in Incarnationis Mysterio, quæ minime cedat amori liberali, quo nos prosequeris, fac igitur, ut noster erga te amor nullis cancellis coerceatur? Largire nobis gratum animum erga omnia beneficia, & gratias omnes, quas effudisti in nos. Imprime in nobis indelebiles Sanctitatis tuæ characteres, ad quam Incarnatio tua hodierna die nos attollit. Pater Æterne! Vivamus pro JESU CHRISTO, quemadmodum descendit, ut propter amorem nostri vitam vivat mortalem; parum enim esset cum eodem conjunctos esse vinculis ejusdem naturæ, nisi nobis eædem essent rationes, eadem studia, eædem intentiones, & nisi præsto essemus faciendo pro illo id, quod ipse fecit pro nobis. Sancte Spiritus, qui formasti hanc adorabilem humanitatem, & qui illam replevisti sanctitate tua, effunde in nos aliquod effluvium fontis hujus; nobis in rebus omnibus spiritum tuum immitte, ne in posterum quidquam faciamus nisi per te, & per sanctos afflatus tuos, ut deleto in nobismet veteri homine novum sequamur JESUM CHRISTUM. Tu vero Sanctissima Virgo, quæ hodierna die recipis Verbum Incarnatum, & cujus castus, & humilis amor illum in sinum tuum pertraxit, nobis immitte verum hujus puritatis amorem, qui efficiat, ut revereamur carnem, quam consecrat JESUS CHRISTUS per illam, qua indui dignatus est, & hujus humilitatis, quæ te subjicit omnibus voluntatibus ejus, & efficit, ut omnibus legibus ejus obtemperes, & omnia placita ejus sequaris. *Idem.*

Cur Dei Filius voluerit ut generationis suæ liber scriberetur.

Per hunc exinanitionis, & humiliationis Spiritum voluisti, Salvator hominum, ut genealogiæ tuæ liber institueretur, & ad unguem recenserentur illi omnes, a quibus originem duxisti. Nam aliquid ne magis humiliare potest te, te inquam, qui ab æterno es in sinu Patris Tui, qui Deus es, similis illi, quam in mundo videri similem filio hominum, & celare glorioſum hunc titulum filii Dei sub peccatoris imagine? Ex hac frequenti peccatorum serie, quos habes majores, & patres, nihil aliud argui posset, nisi hanc esse voluptatem tuam temet abjiciendi, ideoque voluisse te in terras descendere. Non defuerunt tibi aliæ causæ, propter quas velles oculis nostris subjicere ingentem hanc majorum tuorum enumerationem, cupiebas enim nos assuescere, ut eo te modo intueremur, qui nobis ad te liberum præberet accessum. Si enim apparuisses tamquam Dei Filius, formidabilis ista majestas nos terruisset, neque sine timore, atque tremore ad te nobis licuisset accedere. Quidquid audissemus de te, quidquid te operantem fuissemus intuiti, id vires excedere nostras nobis visum fuisset; sed cum videamus te hominem factum, recipimus præcepta, monita, consilia ex ore tuo emanantia, quasi nihil habentia, quæ nostram superet facultatem, & ultro ferimur ad te imitandum, & facienda ea, quæcumque te facere cernimus, ac sequendum te tamquam prototypum, ac vivens exemplar. *Abbas Frappensis tomo primo considerationum in Evangelium.*

Adorabile corpus Verbi Incarnati debet esse nostrorum exemplum.

Oportebat ab amore perfici hoc adorabile corpus, futurum nostræ Redemptionis, justificationis, & vitæ pretium. Omnes mortui eramus in Adam, quemadmodum inquit Apostolus; peccati ejusdem lues in miseram ejus progeniem manaverat, & rebellio carnis ipsius in nostram quoque migraverat. Corpus nostrum quod factum erat mancipium sensuum illius Spiritui suo rebelle, obnoxium omnibus infirmitatibus, miseriis omnibus, ipsique morti: Corpus, inquam, languens, ac subditum legi peccati, quo obrutum erat, semper resistebat rationi, & luminibus mentis suæ. Verbo; crudelis cupiditas in homine deleverat præclarum ordinem, quem Deus in eo collocaverat, creans illud in statu innocentiæ: Dei igitur erat opus hoc instaurare, quod præstitit in Incarnatione Filii sui, proferens corpus, quod ab Adam suam originem duxerat, sed citra nequitiam, quam primus ille parens posteris suis communicavit; corpus, quod nostrorum exemplar esse debet, ut reparetur in nobis ordo ille, quem originalis justitia instituerat, & ut nobis promereatur gratiam iterum subjiciendi carnem hanc rebellem rationis imperio, captivandi sensus sub fidei jugo, & consecrandi justitiæ membra hæc, quæ olim serviebant iniquitati; & efficiendi tandem, ut omnes homines, qui in Adam mortui erant, in JESU CHRISTO reviviscant: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Sermo manuscriptus.*

Fructus ex hoc mysterio percipiendus.

Meminerimus omnes nos esse portiunculam carnis, quam Dei Filius suscepit in Incarnatione sua, formati sumus per eumdem Spiritum Sanctum in Ecclesiæ sinu, quemadmodum ille in utero Mariæ. Omnes hujus Capitis membra; omnes nutriti corpore ipsius, ejusque sanguine saginati. Omnes per Baptismum insiti in illo, regenerati per gratiam, quam nobis promeruit, omnes in illo per caritatem incorporati. Hic fructus est Incarnationis Verbi: Sed heu! Scimusne inde proficere? Sanctitas Corporis JESU CHRISTI migrat ne in nostrum, cum ipsum in sacra synaxi recipimus? Ex eadem massa formati, sumus ne, ut ille, puri in desideriis, casti in cogitationibus, in honoribus humiles, temperantes in conviviis, pauperes in divitiis? Num illum in omnibus imitamur? Numquid nobis est JESU CHRISTI Corpus, ut redigamus illud ad pœnitentiæ, ac passionum labores. Numquid nobis sunt oculi JESU CHRISTI, ut fratrum nostrorum necessitates consideremus; manus JESU CHRISTI apertæ, ut illis opitulemur; cor JESU CHRISTI, ut illum diligamus; spiritus JESU CHRISTI, ut in omnibus illi obsequamur? Si talis sum, experior in me Incarnationis effectus. Cupiditatis flagitia in me deleta sunt ardoribus caritatis; & caro mea emundabitur per sanctam unionem carnis JESU CHRISTI cum mea. Sed heu! Caro ista polluitur, non sanctificatur; dedecore, non honore afficitur; servire cogitur iniquitati, non pœnitentiæ; & si mihi loqui licet cum Apostolo: membra per Dei Incarnationem puritati consecrata, obscœnissimis prostituuntur impudicitiis; per libidinem Sathanæ traduntur. Quid ergo in nobis simile est cum corpore, quod JESUS CHRISTUS assumit in Incarnatione? An ignoratis, voluptuosi, corpus hoc quod vestris obscœnitatibus coinquinatis, per hoc Mysterium factum fuisse rivum gratiæ, qua estis sanctificandi? Ignoratis Mundi asseclæ, corpus hoc, quod Mundo traditis, & omnigena flagitiorum contumelia fœdatis, aquis baptismi ablutum fuisse? Obliti ne estis, molles, & delicati, carnem hanc, cui nihil negatum vultis deliciarum hujus vitæ, vobis datam fuisse, ut saginetur corpore JESU CHRISTI, quod illius esse debet robur, & deliciæ; & carnem hanc, quam tot odiosis nominibus corrumpitis, destinatam esse, ut gloria immortali induatur? *Idem.*

Incarnationis Mysterium magnum est divinæ Sapientiæ consilium.

Dixi Incarnationem magnum esse divinæ Sapientiæ consilium; ita enim ab Apostolo Paulo appellatur: *Sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est.* 1. Quia Verbum, quod est Sapientia subsistens ingreditur in hujus Mysterii compositionem; ibi realiter invenitur, & in persona, & ejusdem potissimam partem constituit. Unum illud causa simul est, & effectus, & divinus hic opifex semetipsum in opere suo concluſit. 2. Hoc magnum est Æternæ Sapientiæ Consilium; quia nunquam magis illuxit, neque illucescere potest, quam illuxerit in Incarnatione. Bene nostis Christiani, Sapientiæ proprium esse aptissimas nanciſci vias, & maxime congrua eligere media ad eum finem, quo pervenire contendit. Sive igitur velit Deus se cognoscendum præbere, vel sibi hominum amorem conciliare; sive malit suam exercere misericordiam, vel Justitiæ suæ satisfacere; sive attollere gloriam suam, aut dæmonis superbiam infringere, aut hæc omnia simul animo volveret, poterat ne aptius, & præsentius medium invenire, quam hominem fieri? Poterat ne simul aliud assumere, quod esset admirabilius, & quod majorem cieret stuporem? Dic sodes, si in consilium vocasset omnes terræ sapientes, omnesque Angelos cæli, numquid illis in mentem medium hoc potuisset venire? Haud ita. Hoc adeo proprium est Æternæ Sapientiæ, ut jure hæc illud secretum suum posset appellare: *Secretum meum mihi.* Hoc est politicum Mysterium, quo mundi politia subversa, & perturbata fuit. Hoc magnum erat negotium illud, quod ab ipsis sæculorum primordiis machinabatur. *Alius sermo manuscriptus.* Isaiæ 24.

Incarnatio præexcellentissimum opus est potentiæ & bonitatis Dei. Abacuc 3.

Dicamus etiam Mysterium hoc esse omnipotentiæ, & divinæ bonitatis miraculum. Hæc mens erat Prophetæ exclamantis: *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Verum est, te fecisse Mundum hunc adeo admirabilem, cælum, solem, sydera, quorum adspectu oblectamur; mare adeo vastum, ac profundum, terram

terram adeo fertilem, & pretiosis metallis, tot arboribus, plantisque, necnon omnigenis animantibus affluentem: Verum est, te hominem efformasse ad imaginem tuam, & Angelos, qui te cognoscere, & diligere possent. Sed per te mihi dicere liceat, te nondum aliquid te dignum feciſſe: *Domine opus tuum*. Et quamvis centum mille mundos hoc majores, perfectioresque creares; quamvis de sinu infinitæ fœcunditatis tuæ educeres creaturas intelligendi vi præditas, ac semper tuis favoribus, gratiisque repletas, ego semper dicam, *Domine opus tuum*. Domine, specimen dumtaxat præbuisti virium tuarum, atque ad opus hoc te præparasti, quod in medio sæculorum videndum est: *In medio annorum vivifica illud*. Fatendum est ergo, Deum exhausisse omnes bonitatis, & potentiæ suæ thesauros in opere Incarnationis. Quantumvis liberalis ille sit, non posset se communicare magis, quam sese substantialiter, & personaliter creaturæ conjungendo; & quantumvis sit potens, tamen nihil facere posset, quod cum homine Deo valeat comparari. *Idem*.

Hominis elevatio in Incarnationis Mysterio.

Quamvis homo sit suapte Natura Angelis inferior, per gratiam tamen sublatus fuit ad eum gloriæ, & magnitudinis gradum, qui superat quidquid est in sublimibus his mentibus perfectissimum. Cui enim ex beatis hisce Spiritibus dixit unquam, filius meus es tu! O ineffabilem, & incomprehensibilem hominis gloriam! hoc obtinuisse privilegium evadendi in Filium Dei, partiendi cum Verbo Incarnato gloriosum hunc titulum; & efficiendi per adoptionem, quod ille est per nativitatis suæ privilegium? Mysterium Incarnationis principium est infinitæ hujus elevationis in homine. Scala Mystica, quam Jacob Patriarcha vidit olim in somnis, tandem visibilis facta est universæ terræ in JESU CHRISTI persona; quoniam unio hypostatica divinitatis in Verbi persona est realitas præclaræ, atque fulgentis hujus naturæ. Admirabile compositum hoc Dei, & hominis medium est ineffabile, quo usus est Deus ad replendum immensum hoc vacuum, quod videbatur statuturum æternam separationem illum inter & nos. Hæc scala illa, quæ de terra in cælum pertingit, per quam ad nos usque descendit, & efficit, ut homo ad ipsum usque ascendat, hunc uniens in naturæ suæ divinæ societatem, & dans nobis facultatem, per quam filii ipsius possumus fieri: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. *Abbas de Jarry in Mysterium Annuntiationis*.

Joann. 1.

Rationes quæ impulerunt Dei Filium, ut fieret homo; & quos sensus hinc debeamus concipere.

Quamvis nunquam satis liceat nobis scrutari Mysterium Incarnationis Filii Dei; veritates quas continet facile percellunt animam fidelem. Haud ægre assequitur, quid intereſt inter Justitiam, & Misericordiam Dei. Sed satis crebro his considerationibus assueta, easque passim auribus excipiens, parum afficitur, Deus assumit Corpus, ut patiatur, & moriatur, nam irritato Patri præbere cupit eam, quam exigit, satisfactionem pòst hominis inobedientiam. Ad hujus Dei-Hominis adspectum statim quidem magnum peccati horrorem concipimus, a quo adeo læditur Deus. Opus est, ut Deus tamquam victima immoletur, & se annihilet, ut mulceat iram, contra nocentem incensam. Quæ timoris causſa! Deus Victima, Deus exinanitus, ut nobis gratiam obtineat? Quod confidentiæ argumentum! Quid esset de nobis vilibus terræ vermibus, si traditi fuissemus ultioni Judicis nostri ad iracundiam incensi? Quid poteramus nobismet polliceri adorantes Deum, qui a nobis debitas pœnas reposcit? Quid nobis metuendum non esset de peccato, cum nobis funesti ejus effectus comparandi sint cum virtute meritorum JESU CHRISTI? *Liber, cui titulus; Animadversiones in varia Religionis, & Moralis Argumenta*.

Filius Dei Incarnatus vitæ suæ primitias consecravit reparationi gloriæ Patris sui.

Primus actus, quem elicuit Dei Filius in ipso Incarnationis suæ momento, postquam Patrem suum adorsus, & hominum saluti, ideoque obtulit illi animam, corpus, omnesque cordis sui motus, simulque objecit se pœnis, & laboribus omnibus, quibus & morti illum reddebat obnoxium qualitas Salvatoris. *Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.*

ad Hebr. 10.

Dei Filius carnem assumpsit futurus mediator noster apud Patrem.

Quodnam esse poterat reconciliationis medium, quo Deus propitius fieret erga homines, nisi mediator Deum inter & homines totius humani generis causſam susceppisset? Quomodo vere Mediatoris munus obiret, si æqualis Patri propter naturam, non fieret similis nobis in forma, & natura servi? Haud ita. Nullus hominum fieri posset salvus, nisi Verbum dignatum fuisset hominem fieri; & nihil magis oppositum est Evangelio, quam arbitrari, Dei Magnitudine indignam esse unionem Majestatis Verbi æterni, & impassibilis cum veritate carnis passibilis, & mortalis, quandoquidem non adest aliud medium, quo Salus hominum valeat reparari; si Verbum, quod Dei naturam possidebat, dedignatum fuisset servi naturam sumere. *In libro, qui inscribitur: Idea Sacerdotii Auctore Patre de Condren.*

Oportebat Deum hominem fieri, ut Divinæ Justitiæ plene satisfieret.

Ubinam gentium creaturam inveniemus, quæ Deo tantum honoris reddere possit, quantum eidem peccatum eripuit? Et quæ offerre valeat ejus justitiæ satisfactionem parem contumeliæ, qua per peccatum affectus fuit? Hæc ne quærenda quidem est. Deus unus potest Deo satisfacere. Sed id minime præstare potest in natura sua, ideoque illi assumenda fuit natura inferior, quam sibi propriam fecit; & conjunxit hominem uni ex personis suis, ut in hoc homine Deo debitam sibi reciperet satisfactionem, & ut posset reconciliare humanam naturam, eamque restituere in ea felicitate, unde per peccatum exciderat. Verum est, illum protulisse caritatem suam ultra id, quod ad hanc satisfactionem requirebatur; & jure suo S. Paulus illam nimiam appellat: *Nimiam caritatem*. Minima enim humiliatio cordis JESU CHRISTI erga Patrem Deum, minimus religionis actus, quem elicuisset anima ejus infinite sancta, & primus motus caritatis, ipsius erat sacrificium, quod satis esse poterat ad sexcentos orbes terrarum redimendos, & ad satisfaciendum majestati Dei a creatura læsi: tamen zelus gloriæ Dei, & amor ejus erga humanum genus, causſa fuerunt, ut suimet ipsius faceret sacrificium, accipiens corpus, ut fieri posset victima pro nostra salute. *Idem*.

Victima, quam Dei Filius oblaturus erat pro peccatis hominum non aliud est, quam propria ipsius caro, quam a nobis accepit eam pro nobis oblaturus. Nam, sicut inquit Apostolus, fieri non potest, ut taurorum, & arietum sanguine deleantur peccata; utque suppleretur inutilitati, ac invaliditati harum carnalium victimarum, Deus misit Filium suum in Mundum, edicens illi, se aptasse illi corpus hoc, ut esset victima, per cujus oblationem emundare volebat corda ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: quapropter dilectus hic Filius sese subjiciens voluntati Dei Patris sui se obtulit illi ex eo momento, ut faceret voluntatem ejus, & ut adimpleret, & perficeret per unicam oblationem corporis sui, quod multitudo tot victimarum, quæ præcesserat, præsignaverat quidem, ac promiserat, sed dare non potuerat. *Auctor anonymus*.

Dei Filius in Incarnatione obtulisse Patri victimam pro nostris criminibus immolandam.

Messiam recipere, atque in fideli hoc Mediatore præsens medium invenire nostræ reconciliationis cum Deo, unica salus erat naturæ corruptæ. Eo tendebant ejus suspiria, eo vota, eo virtutes omnes, quas primi Patres nostri exercebant. Hæc spes Prophetas, atque Patriarchas alebat; hoc animos addebat Abrahæ, Isaac, & Jacob; hoc consolabatur Joseph, roborabat Josue; hoc non efficiebat tantum, ut sancte viverent, verum etiam erat arrha fidelitatis, & causſa spei illorum. *Idem*.

Verbi Incarnatio unica erat salus naturæ per peccatum corruptæ.

Sancti Patres primis Ecclesiæ sæculis utebantur figuris, & prophetiis veteris Testamenti, ut redarguerent Idolorum cultores, eisque magni hujus Mysterii veritatem probarent, ostendentes illis hinc quidem prophetias sine ulla mutatione servatas in Sanctis bibliis, & per confessionem Doctorum Synagogæ recognitas, qui fatebantur nullam factam fuisse mutationem in sacro Bibliorum deposito, quæ sibi concredita fuerant; inde vero ostendentes illis has prophetias, & figuras adeo perspicue in Mysteriis Christianæ Religionis adimpletas, ut detrectare minime possent, quominus sese subjicerent testimonio adeo potenti, neque intelligere cæcitatem ac pertinaciam Judæorum victas dare manus nolentium. Consideremus divinas hasce figuras, & has adorabiles prophetias. Hanc a nobis Ecclesia postulat occupationem, quandoquidem ponit illas in ore Ministrorum suorum; exigit, ut illis omnia resonent templa, & ex illis orationes, & cantica sua elucubratur. Consideremus igitur in hoc mystico flore, qui ex Jessea radice germinavit JESUM CHRISTUM florem camporum, & lilium convallium ex fœcunda Virgine natum. Intueamur in matribus omnibus, Summorum Virorum, qui Messiam præfigurarunt, & qui in lucem editi non fuerunt nisi post Diutinam sterilitatem; intueamur, inquam, in omnibus illustribus hisce feminis viventes imagines virginalis Mariæ fœcunditatis, Magnum hoc, & inauditum maternitatis cum virginitate conjunctæ Mysterium præparabat Deus, efficiens, ut nascerentur Isaaci, Samsones, Samueles, Joannes Baptistæ ex parentibus senio confectis, & contra omnes leges naturæ. Quam præclarum est cum fidei spiritu meditari rubum ardentem, & incombustum! Exiguum lapidem, qui mox factus mons immanis prosternit ingens illud simulacrum pedes figlinos habens, & caput aureum! Moysem, quem ab incunabulis persequebatur Pharao, & qui ex illius furore integer evasit Dei populum liberaturus! Corpus Prophetæ abbreviatum, & ad parvitatem filii viduæ redactum, quem vult ad vitam revocare! Lapidem, quem unxit Jacob, ut illud erigeret in testimonium visionis, quam habuerat in somnis scalæ Mysticæ, per quam Angeli ascendebant, & descendebant! Quam admirabile est videre *Verbum abbreviatum*; Deum, quem Cæli, ac terra capere non possunt, conclusum in puero, in quo omnis divinitatis plenitudo corporaliter habitat! *Abbas du Jarry pro die Annuntiationis*.

De Figuris, & prophetiis veteris Testamenti, quæ Verbi Incarnationem respiciunt.

Isaiæ 11.

Exod.

In deplorabili statu, ad quem hominis lapsus illum redegerat, assecutus est, ut Creator in illum misericordiæ suæ intuitum conjiceret, quem minime fecit in Angelum; quia hic a carnis infirmitatibus immunis eam

Cur Deus carnem sumpserit ad hominem quidem redimendum, Angelum vero non item.

prætexere caussam non poterat, quæ hominis noxam venia digniorem efficiebat. Infelix hoc omnium rebellium cupiditatum ludibrium, folium hoc, quod vento rapitur, calamus hic variis, iisque secum pugnantibus ventis agitatus, tetigit cor Dei. Cum ejus misericordia pati non posset nocentis interitum, cujus infirmitas cum nequitia erat permixta; cum alioquin ejus justitia assentiri non posset, ut tantus peccator impunis abiret: hæc misericordia simul & justitia conjunctæ magnum conceperunt Incarnationis consilium, quo expleto utrique plenissime satisfieret. Damnatio quippe generalis omnium hominum nequaquam extitisset satis digna, & infinitati Dei æque congrua reparatio, ac labores, & mors JESU CHRISTI. Cæterum si Deus gratis omnibus pepercisset hominibus, ejus misericordia minus eluxisset in generali hac venia, quam hanc illis promeritus sese hominem faciens, ut pro iisdem satisfaceret. *Idem in Sermone Passionis.*

Veritas hujus Mysterii Prophetiis, & miraculis comprobata.

Unio Divinitatis cum humanitate in JESU CHRISTI persona per Incarnationem, prodigium est ita admirabile, ut ad ejus faciendam fidem postquam accidisset, prædicendum esset antequam eveniret. Sine Prophetiis miracula Mundum quidem perstringere valuissent, non autem hoc magnum Mysterium illi persuadere. Cum hic maximus sit Omnipotentiæ, & Amoris Dei erga homines conatus, æque, & prophetiis, & Miraculis erat statuendus. Deus utrisque usus est, ut liqueret, se ita Mundum dilexisse, ut ad illius salutem comparandam Unigenitum daret. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aternam.* Verum inter Prophetas Isaias ille est, qui omnium apertissime de hoc fuerit locutus. Cujus insignis locus est capite 52. *Propter hoc sciet Populus meus, nomen meum in illa die, quia ego, qui loquebar, ecce adsum.* Ah! quis est ille qui olim loquebatur per Prophetas? S. Paulus nos docet per hæc verba ex Epistola ad Hebræos desumpta. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio &c.* Hic igitur idem est Deus, qui nobis olim loquebatur; qui adest, & se visibilem præbuit in JESU CHRISTI persona: *Ego, qui loquebar, ecce adsum*; idem, inquam, Deus, qui olim nobis loquebatur. Nam quamvis non Patris persona, sed Filii, carnem assumpserit; verum tamen est dicere, Divinam naturam, quæ est in Patre, conjunctam fuisse naturæ nostræ in persona Verbi in Incarnationis Mysterio; quandoquidem Patris, & Filii una, eademque natura est; quapropter JESUS CHRISTUS dicebat in Evangelio: *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

ad Hebr 1.

Isaiæ 52.

Joann. 14.

En alius ejusdem Prophetæ locus ex capite 45. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Salvator Israel Deus est. Sed Israel non nisi per Messiam salvatus est; Messias igitur Deus est, sed *Deus absconditus.* Quippe divinitas ejus invisibilis est oculis corporeis, & præter lumen inaccessibile, quo septa est, tecta etiam est humanitate; quo in situ nonnisi oculis fidei detegitur. Quamobrem Prophetia Mysterium hoc his exprimit Verbis: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Et sane poterat ne Deus melius se ipsum abscondere redimens Mundum, & factus Salvator Israel, quam prodeundo in lucem sub pueri infirmitate, sub servi forma, & sub specie peccatoris? *Bastides in secunda parte libri, qui inscribitur: Incredulitas Deicarum.*

Ejusdem argumenti. Isaiæ 45.

Joann. 3.

NATIVITAS DOMINI NOSTRI,

& quidquid ad hoc Mysterium pertinet.

MONITUM.

IN Superiori Titulo jam monuimus, arduum esse Dominicæ nativitatis Mysterium a Mysterio Incarnationis ita sejungere, ut nihil in altero dicatur, quod alteri minime conveniat: quoniam hæc duo sunt Mysteria, quæ proprie loquendo unum duntaxat completum, ac perfectum efficiunt, & quorum alterutrum ab altero supponitur: ita ut primum sine altero absconditum, ignotumque permansisset omnibus, una tantum Maria Virgine, & S. Joseph exceptis; & secundum sine priore nequaquam dedisset nobis hominem Deum in Salvatorem, & Exemplar, quod aliis hominibus esset simile.

Quod si opus fuit, ut nasceretur, & in Mundo videretur, ut Dei consilia, & sollicita Sanctorum Patrum desideria adimplerentur, simulque ut hominum salus procuraretur; nativitatem ejus alioquin adeo mysticæ concomitantur circumstantiæ, ut sicuti illa seorsim ab Ecclesia celebratur, quæ inde præcipuam Festivitatem inter ceteras instituit, nos quoque de eadem singulariter verba faciemus, quin illam confundamus cum Verbi Incarnatione, & quin latius de nativitate æterna loquamur, quam supponemus loquentes de stabulo, ubi Salvator hic natus est in plenitudine temporum, de præsepi, ubi requievit, & de paupere apparatu, cum quo venit in Mundum. Intra hos cancellos nosmet coarctabimus loquentes de Nativitate JESU CHRISTI, ne alia permisceamus Mysteria, de quibus singulis suo loco loquemur.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

Multiplex Sermonum hujus Argumenti structura, & synopsis.

1. DIGERES Deum in hoc Mysterio abscondere voluisse ceteras perfectiones suas, ut unice in illo amor suus eluceret, & hoc pacto amabili, suavique violentia cor nostrum adigeret, ut se totum eidem impenderet juxta Sancti Chrysologi sententiam: *Sic nasci voluit, quia amari voluit*; videlicet se eo in statu collocavit, ubi facillimum esset sibi conciliare cor nostrum, quamvis omni sensu careret. Sermonis hujus divisio desumi potest a duobus obicibus validis, qui ante Dei nativitatem nostro erga ipsum amori adversabantur. Horum primus erat ex parte ipsius Dei, magnitudo videlicet Supremi hujus Entis, toto cælo supra nos positi. Alter vero ex parte cordis humani, quod alieno distinebatur, & possidebatur affectu, videlicet Mundi, ac omnium rerum sensibilium amore. Sed Filius Dei utrumque hunc obicem abstulit: nam ut nostræ indulgeret infirmitati, hinc quidem se collocavit intra jactum, ut ita dicam, amoris nostri, sese visibilem præbens, ac nobis simillimum, & prodiens in lucem non secus ac ceteri pueri; inde vero exemplo suo delevit quidquid illecebrarum Mundus habet, & prohibet, ne Deum amemus, qui in hoc Mysterio amorem suum erga nos ad summum usque apicem perduxit. Hæc est totius Sermonis partitio.

Prima pars. Quemadmodum infinita celsitudo summi hujus Entis efficiebat, ut inaccessibilis esset, & illi quodam obtendebat propriorum luminum velamentum; 1. Ut amaretur, necesse erat, ut se cognoscendum præberet; atque ut cognosceretur, se visibilem præbuit. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Sed ad id quomodo humiliandus fuit, ut semet in creaturarum suarum numerum insereret? *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Antequam in mundum prodiret, Ethnici non amabant illum, quippe quem non cognoscebant; & sapientiores, qui cognoscerent illum ex operibus, nonnisi crassam illius conceperant ideam; Judæus vero populus timore potius, quam amore docebatur; quandoquidem Deus sese illi tamquam terribilem Deum ostentaverat. Sed postquam se in terris videndum præbuit tamquam objectum sensibile, omnia nobis illius amorem suadent: *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri*: omni careat sensu opus est, qui illi cor suum, ac amorem negat. 2. Neque solum se visibilem præbuit, sed secundo loco cum sciret nihil aptius esse ad vincendos animos, similitudine; Deus per hoc Mysterium se nobis similem præbere voluit: *In similitudinem hominum factus:* Utque similitudinem hanc perfectiorem efficeret, conjungi voluit cum eo, quod in nobis abjectissimum est, accipiens corpus ejusdem naturæ, cujus nostrum est, atque hinc facile est conjicere, quantum semet exinaniverit, ut se amori nostro congruum præberet objectum. 3. Neque solum Æternum Verbum se præbuit sensibile, & similе nobis

Luc. 1.

ad Philipp. 2.

ad Titum 3.

ad Philipp. 2.

nobis quatenus homo ; sed præterea voluit nasci infans, ut sese nobis exhibens sub hac forma (quandoquidem homines suapte natura hanc ætatem diligunt) nostrum sibi amorem conciliaret. Sed ostendendum est, quomodo hæc recens humiliatio nobis testatam faciat amoris sui in nos magnitudinem, cum ad nostrum promerendum voluit se subjicere iis, quæ in homine maxime infirma sunt, & imperfecta.

Pars altera. Neque satis Deo visum est, fideles, primum obicem abstulisse, quo illum amare prohibebamur, supremam submittendo celsitudinem suam; alterum quoque evertit, amorem videlicet Mundi, qui in cordibus nostris dominabatur, & exercebat imperium ita, ut solum Dei nascentis exemplum regnum ejus posset infringere. Mundus autem ab hoc Deo vincendus, in eo quem hic intelligimus sensu, non aliud est, quam compositum quoddam ex tribus amoribus, quos dilectus discipulus concupiscentiæ nomine appellat :

1. Joann. 2. *Omne, quod in Mundo est, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 1. Enim quod attinet ad amorem divitiarum, quæ proprie est concupiscentia oculorum, vocari potest fundamentum placitorum omnium, æque ac caussa malorum omnium Mundi hujus. Salvator docet nos hujusmodi contemnere divitias, amplectens paupertatem, eamque in proprio corpore consecrans: *Sacram in corpore suo dedicat paupertatem.* Hoc loco ad vivum describendus est pauper apparatus, in quo Dei Filius nasci voluit; & qui illis

Luc. 2. exhibetur Evangelicis verbis: *Invenietis infantem pannis involutum* &c. 2. Ejus exemplum non minorem vim habet persuadendi nobis, ut abrenuntiemus amori voluptatum, videntibus, illum incipere pati, vivere incipientem. Profecto hæc prima fuit lectio, quam voluit, ut a se homines discerent. 3. Reliquum erat, ut nobis humilitatis præberet exemplum ad evertendum superbiæ spiritum, & ambitionem in Mundo late

Matth. 18. dominantem: *Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.*

II. Angeli, qui nuntiarunt Pastoribus nativitatem Salvatoris, paucis nobis explicuerunt universam hujus Mysterii œconomiam; simulque nobis proposuerunt æquissimam sermonis partitionem: *Gloria in excelsis Deo, &*

Luc. 2. *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc igitur erit sermonis divisio. 1. Verbi nativitas Dei gloriam procurat. 2. procurat hominibus pacem.

Pars prima. Gloria, quam temporalis Verbi Nativitas procurat Deo, tres habet proprios characteres. 1. Gloria vera est; quandoquidem venit ad formandos veros Dei cultores; ad Synagogam abrogandam, eique subrogandum populum recentem, populum perfectum, cujus ille caput futurus est. Cultus qui hactenus exhibitus fuerat Deo, mere extrinsecus erat, inquiunt Ecclesiæ Patres, & Judæi carnales ignorabant; quid sit Sacrificium cordis contriti, & humiliati; & cultus, quem Ethnici suis præstabant idolis, erat abominabilis; sed cultus, quem JESUS CHRISTUS instituit, solus est Deo dignus, per quem ille veram gloriam incipit obtinere. 2. Præterea gloria hæc est universalis; nam sicut gloria sita est in cognitione, quæ habetur meritorum alicujus, & laudis, quæ illi tribuitur; cum antea Deus vix, & ne vix quidem in Mundi angulo cognosceretur, Salvator venit ad illius cognitionem in omnes terrarum plagas effundendam:

ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos &c.* Unde sequitur eos, qui illum recipere noluerunt, vel qui vitam ducunt abnormem a Religione, quam ipse instituit, nativitatis ejusdem non esse participes. 3. Tertius gloriæ character, quam recipit Deus per temporalem Verbi nativitatem, est illam esse infinitam; quod facile concipitur: omnes enim actiones Filii Dei emanantes ab infinito principio, scilicet a persona Verbi, nativitas ejus, ceteræque actiones illius referri non poterant, nisi ad Altissimi gloriam; ideoque Deo infinitam gloriam procuraverunt.

Luc. 2. Pars altera: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* JESUS CHRISTUS veniens in Mundum pacem hominibus procurat; sed pacem inæstimabilem, & quam unus ille nobis largiri poterat; quoniam unus ille par erat nobis conciliandis. 1. cum Deo; 2. cum nobismetipsis, quod partis secundæ est argumentum. *Reconciliari tibi, reconciliari mihi*, S. Bernardus ait. En duplicem pacem, fontem omnium bonorum. Ostendendum est, quomodo nascens JESUS CHRISTUS nobis pacem attulerit, & diligenter ad examen revocandæ sunt hæ duæ propositiones. *Desumptum ex sermone Patris Masson Sacerdotis Oratorii JESU pro die nativitatis Domini.*

III. Nonnulli Sancti Patres, ac inter ceteros S. Joann. Chrysostomus, amorem, quem Dei Filius nobis in hoc Mysterio testatur, amorem vocant indulgentiæ, videlicet amorem, qui illum descendere, & ad nos usque descendere cogit.

1. Eramus in abjectione, & amor suus fecit, ut ad nos descenderet, ut nos ad se ipsum per dignitatem Filiorum Dei attolleret.

2. Eramus in ignorantia, & amor suus illum ad nos usque demisit, ut nos erudiret, suoque exemplo doceret.

3. Eramus in infirmitate & miseria, & amor suus fecit, ut ad eam curandam descenderet. Ita Dei Filius oriens attollit humilitatem nostram per fœdus, quod contrahit nobiscum quatenus homo. Illustrat ignorantiam nostram exemplo, quod nobis præbet tamquam prototypus. Denique medetur infirmitatibus nostris, atque miseriis per gratiam, quam nobis affert tamquam Salvator. *P. Giroust in sermone de Nativitate Domini.*

IV. JESUS CHRISTUS, qui est æterna Sapientia oriens in stabulo, damnat, atque evertit omnia Mundi placita per exemplum, quod tribuit hominibus paupertatis extremæ, admirabilis humilitatis, ac severæ mortificationis. Ille, cujus sunt omnes Mundi opes, omnibus caret: Rex gloriæ ad extremam redactus est humiliationem, & Deus cæli, qui a se ipso beatissimus est, & beatorum beatitudo, omnibus se subjicit nostris miseriis. Nonne hoc est damnare Mundum, qui divitias, honores, & voluptates deperit?

2. Mundus vicissim damnat, atque evertit placita JESU CHRISTI nos in sua nativitate edocentis. Quæso enim dicite mihi, hæ domus superbæ, opulenta hæc supellex, pretiosa indumenta conformia ne sunt huic stabulo, & præsepio, ac linteaminibus pannosis, quæ Angelus tamquam signum tribuit Pastoribus, ex quo illum agnoscerent? Comparate obscuram hanc, ignotamque divini hominis nativitatem, cum ambitiosis desideriis celsitudinis, ac dignitatis. Quæ major fingi potest oppositio? quænam apertior contradictio? Denique conferte vitam hanc mollem, has epularum delicias, hanc commodorum, & voluptatum in rebus omnibus sollic[illegible] curam cum incommodis, & austeritatibus sævissimi temporis; potestne quis magis mortificationem pati ea, quam infans hic dolorum in sua nos edocet nativitate?

V. 1. Cum Dei Filius venerit in Mundum satisfacturus justitiæ Patris pro peccatis hominum; hoc facere incœpit ab ipsa nativitate, humilians se, patiens, omniaque sibi vitæ commoda interdicens.

2. Cum venerit informes hominum mores reformaturus, id efficientius præstare non poterat, quam exemplo in ortu suo.

VI. Pro argumento, ac partitione assumi potest duplex hæc veritas. *Prima est Dei Filium in suæ nativitatis Mysterio nos erudire de iis omnibus, quæ ad salutem* nostram ignoranda non sunt. Alterum ejusdem exemplo nos excitari ad ea, quæ tradit, exercenda.

Pro parte priori: 1. Nobis aperit finem propter quem venit in Mundum, videlicet, ut homines salvos faciens Patris sui gloriam repararet. 2. Nos erudit de mediis, quæ nobis ingredienda sunt, ut cum illo cooperemur; & quæ ille ipse ingressus est, ut finem hunc assequeretur; quæ quidem sunt humiliatio, stabuli paupertas, dolor, & passiones. 3. Quomodo ipse usus fuerit his mediis; & quomodo iisdem utendum sit nobis. Nostrum igitur est videre, utrum ad finem hunc tendamus; utrum apta sequamur media, utrum simili ratione iisdem utamur:

Pro parte altera, videlicet, Exemplo Salvatoris orientis nos excitari ad ea facienda, quæ docemur: triplex est personarum genus, quibus hoc exemplum est necessarium. 1. Primi sunt illi, qui putant fieri non posse, ut ad hunc finem perveniant; quoniam media illis exerceri nequaquam posse videntur. Ecce quomodo Salvator illis aufert errorem. 2. Secundis hæc media nimis difficilia videntur, ac deterrentur. 3. Tertii putant ad ea se non teneri, sibique persuadent minori sumptu salvari posse.

VII. Sicuti Dei Filius suum nobis amorem testatus est in Nativitatis Mysterio, nos illi nostrum testari, eumque diligere debemus.

1. Per animi propensionem se nobis similem præbuit, & nostra corda similitudine conciliavit; præsertim cum ille, qui nostram quærit amicitiam sese submittit, suæque obliviscitur celsitudinis, ut nobis æqualem se præbeat.

2. Per gratitudinem; venit enim nos ab omnium malorum maximo liberaturus, & bonis ac benefactis cumulaturus.

VIII. 3. Per justitiam; Deus enim est in omni perfectionum genere infinitus, qui amorem nostrum meretur, & cui titulus hic debetur: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum &c.* Mysterium Nativitatis Domini allaturum est Mundo gaudium magnum.

1. Quia nihil gloriosius esse potest Deo, quam nativitas Dei-hominis venientis ad reparandum cultum Patris sui, ideoque gloriam ejus; ad acquirendum illis populum novum, penitus devotum illius servituti, ad evertendum imperium dæmonis post tot sæcula regnantis; ad peccatum exterminandum; & denique ad revocandas nationes omnes ad veri Dei cognitionem, in quo vere sita est ejus gloria: *Gloria in Excelsis Deo.*

2. Quia nihil esse potest utilius hominibus, quam nuntium dominicæ hujus nativitatis, quod illis adfert pacem tandiu expectatam, & a tot sæculis expectitam,

mediatoris, qui illos cum Deo reconciliaturus est, quem tanta fœvitia læserunt; liberatoris, qui illos educturus est de servitutis jugo, sub quo tandiu gemunt, ac tandem illis æternam pacem est procuraturus &c.

IX. In Stabulo Bethleemitico hic universorum Dominus, & Magister primum scholam aperuit nascens inter homines, ut eosdem homines, qui hactenus indociles fuerant, salutis scientiam doceret. Profecto lectionem tradidit nobis, quam ille prior in praxim redigit, & quæ omnia cælestis morum disciplinæ instituta complectitur: scilicet contemptum omnium terræ hujus magnalium, nasci volens in oppidulo, suis etiam ignotus, & ab omnibus derelictus.

1. Ejus condemnavit vanitatem humili sua nativitate, & electione eorum, quæ in Mundo sunt abjectissima, pauperrima, & maxime contemptibilia; hæc est prima lectio, quam nobis proposuit, & quæ corrigere debet fallacem ideam, quam de mundana felicitate animo imbibimus.

2. Damnavit, & reprobavit usum, vel potius abusum, qui ab hominibus fit hujus magnitudinis, illa utentibus ad commoda omnia procuranda omnesque vitæ hujus voluptates. Hunc nobis errorem Salvator auferre contendit, patiens quidquid durissimum est, & sese subjiciens omnibus austeritatibus, ac miseriis, quæ consequuntur paupertatem, obscuramque Nativitatem, quod sibi delegit veniens in Mundum, illum sanctificaturus.

X. 1. JESU CHRISTO nascenti amorem negare nostrum non possumus, si pueritiæ suæ illecebras respexerimus. XI. 2. JESU nascenti imitationem nostram negare non possumus, si vim exempli ejus consideraverimus. *Hæc est partitio Patris de la Peſſe.* Ostendere possumus Filium Dei in Bethleemitico ortum stabulo vicisse Mundum, qui teterrimus nostræ salutis inimicus, ex eo enim vires suas alii desumunt: *Confidite, ego vici Mundum.* Hoc autem potissimum præstitit in hodierno Mysterio, in quo magnam hanc victoriam complector, & dico:

Joann. cap. 16.

1. Vicisse Mundum in Nativitate sua opponendo rumorem, atque tumultum Mundi, silentium, & Nativitatis suæ solitudinem.

2. Divitiis, & voluptatibus Mundi paupertatem, ac stabuli miserias.

3. Falsæ sapientiæ, & superbiæ Mundi, pueritiæ simplicitatem, & humiliationem. *Ex ſpecimine ſermonum pro Adventu.*

XII. Erit etiam sermo huic aptus Mysterio, & omnino moralis, in lucem proferre Sancti Augustini sententiam dicentis, præsepe Filii Dei esse tamquam cathedram Doctoris, vel Oratoris diserti, pathetici, ac potentis, qui nobis tradit doctrinam novam quidem, sed

1. Sublimem atque profundam, quoniam cælestis est, & veteribus Philosophis, eruditisque viris ignota.

2. Doctrinam facilem ad percipiendum; oculis enim tantum opus est ad videndum illam in praxim redactam ab ipso docente, & mirificæ utilitatis, quia docet nos viam, quæ tenenda est ad summam felicitatem assequendam.

3. Doctrinam, quæ simul est concio pathetica, ad movendum apta, & ad persuadendum, & convincendum idonea.

XIII. Hæc quoque desumi potest divisio. 1. Quid in hoc Mysterio fecerit Deus ad amorem nostrum captandum: quid nobis faciendum, ut tanto amori respondeamus, & tali beneficio nos dignos præbeamus.

In priori parte uti possumus hoc loco S. Thomæ ex cap. 5. Opusculi 3. *Nullum tam evidens divinæ caritatis indicium, quam quod Deus factus est creatum: Dominus noſter, factus eſt Deus noſter; Filius Dei factus eſt filius hominis.*

In posteriori. Ut huic amori, & beneficio respondeamus, Pastores imitandi sunt. 1. qui iter ingressi sunt, simulac id nuntium auribus eorum accidit, ut cognoscerent, atque Deum natum adorarent. 2. Qui gratias egere Deo, quod illos ad hujus Mysterii cognitionem vocasset. 3. Qui propter status sui discrimen, non ægre sese conformarunt paupertati, & humiliationi, ad quam Salvator propter amorem eorum se redegerat.

Suppetit nobis in hoc Mysterio, unde satisfacere valeamus duobus sensibus, qui altius impressi sunt in humano corde, videlicet sensui gloriæ, & sensui miserationis.

XIV. 1. Gloriæ sensus. Homines similes esse cupiunt iis, qui in Mundo maxime excellunt, & quodammodo ipsi Deo, idque usque a primis parentibus nostris, qui sibi facile nimis verba dari, passi sunt: *Eritis ſicut Dii.* Illos hodierna die JESUS CHRISTUS eo collocat in statu, ubi satisfacere possunt immenso huic gloriæ desiderio, ita ut si minus Deo similes fiant, Deo placere non possint; quæ profecto suavis, & pretiosa necessitas est animo vere nobili. Post JESUM CHRISTUM natum, Deum imitor, Deum in me repræsento, in me exhibens virtutes illius. Quis ex maximis Christianam fidem profitentibus Regibus sibi ingenti gloriæ non verteret præ manibus habere eadem lineamina, quibus JESUS CHRISTUS fuit involutus? Sed quam longe major est gloria eandem habere humilitatem, eandem abnegationem, easdem virtutes, quas JESUS CHRISTUS habebat?

2. Miseratio nostra non minus quam gloriæ studium, conferet ad inserendum nobis amorem viæ salutis, quam JESUS CHRISTUS ingreditur, ut eandem cum illo ingrediamur. Oculi solum conjiciendi sunt in miserationem, quam ipse nobis in hoc mysterio præsefert. Ille ad extrema quælibet redactus est, Numquid propter se? Nequaquam, per naturam suam gloriosus, immortalis, impassibilis; amore nostri redactus in eum statum, in quo hodierna die videmus. Si potuisset condonare nobis pœnas, a nobis pro salute nostra luendas; nisi sapientiæ, æternæque justitiæ conforme fuisset, ut ille, qui salvandus erat, aliquid suæ saluti conferret, JESUS CHRISTUS omnes sibi ejusdem labores, & onera depoposcisset: Sed quid nobis reliquum facit in comparatione earum pœnarum, quas ultro subit? Vult etiam nobis habere gratiam propter illas, quas ipsi subimus, quasi eas subeuntes de illo mereremur optime. Quod cor posset non mirari tantam hanc miserationem! Qua e contra suffundentur suavitate illi, qui cum spiritu fidei ad hoc Mysterium animum advertent? *Ex libro, cui titulus; Verus Spiritus, ſanctuſque uſus ſolemnium anni feſtivitatum.*

Ortus Filii Dei in terra Mysterium est exstasis, & raptus. Hoc nomen illi adeo proprium est, & naturale, ut nullum, hoc excepto, melius explicet illius qualitates, & essentiam; quia nullum est, quod nobis admirabilius, & amabilius videatur. XV.

1. Hoc est admirabilius, propter admirabiles veritates, quas complectitur.

2. Hoc est amabilius propter infinita illicia, & delicias, quibus difluit. Mysterium hoc necessario stuporem ciere debet, & admirationem. Mysterium hoc efficere debet, ut corda omnia præ amore liquescant.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum ideas exornandas; & Auctores de illis agentes.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *ſerm. 2. de Purific. Virginis* loquitur de duplici Salvatoris ortu, divino, & humano.

Idem *Serm. 10. de temp.* loquitur item de duplici nativitate.

Idem integrum edidit librum *de duabus Nativit. Chriſti*; & in parvo libello *de Symbolo*, docet utramque admirabilem esse, & ineffabilem.

Idem aliis verbis, sed eodem sensu loquitur de eadem re *ſerm. 59. de diverſis*, & *ſerm. 26. de tempore.*

Idem, vel Auctor libri *de fide ad Petrum* loquitur adhuc de duplici Nativitate, unde infert illum juste, & vere esse mediatorem hominum.

Idem *lib. cur, & quomodo Deus homo cap. 8.* agit de Nativitate JESU CHRISTI secundum carnem.

Idem *ſerm. 20. de tempore* explicat, quot modis homo fuerit formatus; scilicet Adam, Eva, & reliqui homines; sed prorsus singularem esse modum, quo JESUS CHRISTUS formatus fuit, & venit in Mundum.

Idem *ſerm. 12. de Reſurrect. Domini* ostendit nativitatem hanc adeo singularem Salvatoris possibilem quidem fuisse, sed extitisse extremum Divinæ omnipotentiæ conatum.

Idem *ſerm. 1. de accident. ad gratiam* fusius loquitur de JESU CHRISTI Nativitate, & de Deipara.

Idem *ſerm. 56. de diverſis* ostendit causam, propter quam lætari debemus in Salvatoris nativitate.

Idem *lib. 4. de Symb.* refert miracula nativitatis JESU CHRISTI secundum carnem.

Idem denique de hac re loquitur in sermonibus de diversis ab 11. ad 26. & a 52. ad 63.

S. Hieronymus *Tom. 9. ſerm. 30. & in Tomo 4.*

S. Cyprianus sermonem edidit de nativitate; vel saltem sub ejus nomine sermo circumfertur.

S. Fulgentius de duplici nativitate Christi, & in *Hieroſolog.*

S. Ambrosius *Tom. 3. ſerm. 12. ad 16.*

Beda *Tom. 7. & in ſermonibus variis.*

S. Gregorius Nyssenus *orat. in natali Domini.*

S. Chrysologus *ſerm. 149.*

S. Leo P. plures habet sermones hujus Argumenti.

S. Gregorius Nazianzenus in tomo primo.

S. Chrysostomus *homil. ſuper Lucam, & in Tomo 2. ejus operum.*

Sophronii Jerosolymitani oratio *in Biblioth. Patrum.*

Sanctus Bernardus sex habet sermones in Vigiliam nativitatis; & 8. in diem nativitatis, quorum tres sunt positi post Epistolas Innocentii III. *ſerm. 3. Tomo 1.*

S. Bernardinus Tomo 3. Maxi-

Maximus Taurinensis, sermone de nativitate.
Sanctus Thomas sermonem habet de hac sollemnitate.

Ascetici alii-que.

Catechismus Concilii Tridentini in secundum Apostolici Symboli articulum.
Gerson, *Part.* 2. & 4.
Cornelius a Lapide *in cap.* 23. *Levitici*.
Granatensis l. 6. Memorialis cap. 4. & in Meditationibus de Vita Domini nostri.
Salmeron, de Infantia Christi *Tract.* 33.
Drexellius, de Christo nascente.
A Ponte in meditationibus de Mysteriis.
P. Ludovicus Franciscus Dargentan Capucinus de Magnalibus JESU CHRISTI collatione 3.
Cardinalis de Berulle lib. de statu Magnalium JESU, sermone undecimo, de secunda JESU nativitate.

Concionatores recentes.

Bastides in secunda parte libri, qui inscribitur; Deistarum incredulitas.
Biroet. Quindecim sermones Adventus sunt de Mundi damnatione.
P. Bourdalove in Sermonibus pro Adventu duos habet de JESU CHRISTI nativitate.
P. Cheminais de eodem Mysterio.
P. Giroust in ultimo sermone Adventus.
P. Texier in Tomo Mysteriorum, & in Adventu pro die nativitatis Domini.
Pater de la Colombiere in primo tomo sermonum duos habet deinceps pro die nativitatis.
Lambert Tomo 5. Homil. 58.
P. Masson in adventu.
P. Catillon in Sermonibus in Dominicos, & festos dies Adventus.
Abbas du Jarry in Tomo primo sermonum sermone de nativitate JESU CHRISTI.
Abbas Trappensis in collationibus, vel Instructionibus duas habet, alteram pro Vigilia, alteram pro die nativitatis.
Abbas de Monmorel sermone in Evangelium nativitatis.
Sarazin Tomo secundo Adventus, sermone pro die nativitatis, exhibet JESUM in nativitate sua judicantem Mundum.
Auctor sermonum moralium in Tomo Mysteriorum.
In specimine sermonum pro adventu, duo invenies pro die nativitatis, alterum in hæc verba; *sic Deus dilexit Mundum*; alterum vero in illa: *Confidite, ego vici Mundum*.
P. Duneau in Adventu.
Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, duos habet hujus Argumenti, alterum in secundo Tomo Adventus, alterum in primo Mysteriorum.
P. La Pesse Tomo 6. sermone de nativitate JESU CHRISTI.
Carthagena in homiliis, de duplici nativitate Christi.

Qui collecta-nea ediderunt.

Granatensis in Locis Communibus. *Titulo; Christi Incarnatio, & nativitas*.
Labatha. *Titulo; Christi nativitas*.
Mangotii Monita.
Joannes Lopez. In Epitome Sanctorum l. 3. c. 7.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum ad hoc Argumentum.

Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Isaiæ 9.
Generationem ejus, quis enarrabit? Isaiæ 58.
Erunt oculi videntes præceptorem tuum. Isaiæ 30.
Emitte Domine agnum Dominatorem terræ. Isaiæ 16.
Rorate Cæli desuper, & nubes pluant justum. Isaiæ 45.
Expectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus in terra. Jerem. 14.
Desiderium collium æternorum. Genesis 49.
Desideratus cunctis gentibus. Aggæi 2.
Lux gentium. Isaiæ 49.
Cum quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus prosilivit. Sap. 18.
Expectabo salutare tuum Domine. Genes. 49. Verba sunt Jacob morientis.
Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo Cælo egressio ejus. Psalm. 18.
Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat locus eis in diversorio. Luc. 2.
Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Ibidem.
Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Idem.
Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ibidem.
Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est. Ibidem.
In propria venit, & sui eum non receperunt. Joannis 1.
Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ibidem.
Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ibidem.
Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3.
Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Joann. 3.
Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Ad Galat. 1.
Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei. Ad Titum 3.
Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Ad Philipp. 2.
Ingrediens Mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, tunc dixi, ecce venio. Ad Hebr. 10.
Revelabitur gloria Domini, & videbi omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Isaiæ 40.
Videbimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratia, & veritatis. Joann. 1.

Testimonia, Prophetiæ, Figuræ Veteris, & Novi Testamenti.

Prophetæ, qui Messiæ nuntiarunt adventum, qui ex quibusdam characteribus illum cognoscendum tradiderunt, illum etiam annuntiaverunt tamquam Deum, eique promiscue omnes dedere titulos, qui ad Divinitatem tantummodo pertinebant. Hic prolixa habenda erit locorum enumeratio; præcipuos dumtaxat attingo. Isaias, cujus prophetia est veluti Evangelium Messiæ palam portendit Redemptoris adventum, eumque simul exhibet tamquam Deum, & Dominum. *Dominus ipse veniet, & salvabit nos, ait cap.* 35.

Prophetæ, qui nuntiarunt Messiæ nativitatem ostenderunt illum vere esse Deum.

Quemadmodum JESU CHRISTI Nativitas, ejusque purissima Conceptio complecti debebat infinita miracula, prudentiæ, sapientiæque Dei erat illa indigitare pluribus signis, & figuris, non secus ac Prophetiis. *Hæc autem nobis connotata fuit* secundum Patrum sententiam *per januam Sanctuarii*, quam Ezechiel clausam vidit, per lapidem, de quo loquitur Daniel, qui abscissus de monte, quin ab ullo divelleretur, visus est montis instar, & universam terram replevit: per Virgam Aaron, quæ una inter Principes Israel floruit, & rubum, quem Moises ardentem quidem vidit, sed incombustum.

Figura Nativitatis & Conceptionis JESU CHRISTI.

Ezechiel 44. Daniel 2. Num. 18. Exod. 3.

Deus in Sanctis Scripturis sumit nomen Dei Abraham, Isaac, & Jacob; & vult præclarum hoc nomen sibi permanere in omnes generationes; sed potissimum Incarnato Verbo, quod inter nos nasci voluit, hoc nomen congruit, cujus Sancti illi Patriarchæ eximiæ extiterunt figuræ. Abraham eminus vidit diem Domini, vidit, & gavisus est, cum post sublatum in caput Isaac filii sui brachium, jam jam immolaturus unicam spem innumeræ posteritatis illius quam toties Deus illi promiserat, recepit in præmium obedientiæ suæ spem, fore ut Messias ex ipsius progenie nasceretur, ita ut fuerit simul Messiæ Propheta, & figura. Versabatur ille ante oculos Isaac, cum deceptus mystico Rebeccæ dolo paterna benedictione *sua* locupletavit Jacob qui indutus vestibus Esau referebat JESUM CHRISTUM peccatoris specie involutum. Sanctus hic Patriarcha divino lumine illustratus, proculdubio prænoscens Incarnationis Mysterium minus locutus est Paterno more, quam Prophetico, eumque lacrymæ, & rugitus Esau, ut loquitur Scriptura, flectere non valuerunt, ut aliquid immutaret de illis, quæ dixerat. Jacob moriens plenus erat futura Messiæ Nativitate, cum largiens propheticas suas benedictiones filiis, qui simul convenerant ad excipienda illius verba novissima, & loquens ad Judam, ex cujus Tribu JESUS CHRISTUS proditurus erat, protulit magnam hanc, celeberrimamque Prophetiam, quam legimus in Genesi: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium*. Moyses plenus erat idea hujus Mysterii, cum ne mitteretur Dei nomine ad Pharaonem, a quo electus erat, ut liberaret populum Israel, caussatus indignitatem suam, dirus est verus liberator Israel, & spes, quam præstolamur.

Viventes figuræ, & revelatio Nativitatis J. C. facta Patriarchis.

Genes. 49.

Exod. 4.

Prophetia propior tempori, quod hodie recolimus, fuit Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ, qua confitetur Messiam futurum Mundi Salvatorem, verumque Deum. Et quomodo alloquatur filium suum futurum præcursorem illius, quem omnium vota expectabant: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*: qui procul dubio Æternus est Deus, & a nemine pendens; cujus Sanctus Joannes futurus erat præcursor, & Propheta: *præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*, Ibidem.

Prophetia Zachariæ Patris S. Joann. Baptistæ.

Luc. 1.

Secundum vim horum Scripturæ locorum adeo palam loquentium de Adventu, & Nativitate JESU CHRISTI hodierna die accedere possumus ad hunc puerum, eique cultum, & obsequia nostra deferre, ac ipsum in tanta infirmitate, atque humiliatione Dominum nostrum fateri.

Quod attinet ad historiam divinitatis JESU CHRISTI, necesse non est illam hoc in loco proferre; nemo enim unus ignorat, quid S. Lucas Evangelista de eadem scriptis reliquerit: Satis erit dicere, prima nuntia temporalis hujus nativitatis Verbi æterni, quod in Lege veteri figuratum, atque prænuntiatum fuerat, prima inquam nuntia allata fuisse pauperibus Pastoribus, quibus Deus aperuit Mysterium æque sublime, ac admirabile inaudito modo, ac prodigiis repleto, ut S. Joannes Chrysostomus inquit. Etenim 1. *Claritas Dei circumfulsit illos.* Obscura nox repente illustratur. Non fuerunt hæc fulgida phenomena, quæ nonnunquam natura parit; Non ita. Sed splendor supernaturalis generis prorsus insoliti. 2. *Et ecce Angelus Dei stetit juxta illos.* Lumen, quod illos perstringit, claritas est, qua circumdatus est Angelus illis Redemptoris nativitatem annuntians. 3. Angelo nuntianti accedit Cælestis concentus, ita ut videretur Empyreum e sedibus suis convulsum circum pastores illos se effudisse. *Facta est multitudo militiæ cælestis canentium* &c. 4. Apparitionibus accessere Prophetiæ: *Et hoc vobis signum, invenietis infantem pannis involutum* &c. Certissimum signum, nota evidens nuntiatæ veritatis hæc erit: invenietis in stabulo puerum fasciis involutum; ceterum, S. Cyprianus ait, hoc non est dumtaxat signum, ex quo Messias valeat dignosci; sed Argumentum ad probanda prodigia, quæ nuper audierant.

Luc. 1. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

Discrimen inter primi hominis formationem, & J. C. nativitatem.

Jucundum fuit protoparenti nostro spectaculum videre Mundum adeo pulcrum adspectu, Cælos, elementa, admirabilem hanc rerum creatarum varietatem, & hæc omnia, ut illi deservirent creata. At non ita accidit Adam secundo, quo nomine Apostolus JESUM CHRISTUM appellat; qui vidit se in statu a priori longe dissimili. Bethleem illi locum tenet speciosissimæ regionis Edem. Præsepe illi deliciarum est Paradisus. Adam repente creatus est homo perfectus, & vir. Salvator oritur tamquam puer vulgo; licet longe alia ratione fuerit conceptus. Nascitur, ut ita dicam, sub æneo cælo in tenebris noctis, in tristi, austeraque anni tempestate ab omnibus derelictus, quamvis potiori jure esset Rex, & Dominus universorum, quam fuerit Adam. Primus homo ex nihilo egressus est, ut omnes terræ divitias possideret; & Filius Dei venit in Mundum pauper, & rerum omnium egenus. Dives erat, & *cum dives esset, propter nos egenus factus est:* Et si verum est, quod asserit quidam Ecclesiæ Pater, Deus fingens primi hominis corpus, cogitabat de illo, quod Filius suus aliquando erat assumpturus. *Jam tum cogitabat Deus homo futurus.* O Deus! quodnam discrimen inter opus utrumque? Ibi enim extollit hominem eo usque, ut fingat illum ad imaginem suam, hic autem Deus se humiliat, usque ad sumendam imaginem, & formam hominis ejusdem: *In similitudinem hominum factus.* Ibi propriis ipse manibus humani corporis membra disponit, limum attrectans, ex quo format eum, eumque flatu suo animans: hic autem sese huic limo conjungit, illi se applicat, cum illo se commiscet, in illum se infigit. *Infixus sum in limo profundi.* Ibi efficit, ut homo divinæ nobilitatis characterem circumferat; hic autem humanæ infirmitatis, & nihili, suscipit characteres.

2. ad Cor. 8. Tertullianus. Psalm. 68.

Homines gaudere debent hac Dei-hominis nativitate. Luc. 2.

Angelus, qui primus felix attulit nuntium nativitatis hominis-Dei, nos docet, quo gaudio, qua lætitia nos oportet meditari fidem hujus Mysterii: *Evangelizo vobis*, ait, *gaudium magnum, quod erit omni populo.* Hoc ipsum percipimus ex laudum cantico, quod cecinit cælestis ille Angelorum exercitus, qui momento nativitatis Dei comites sese addiderunt Pastoribus. *Gloria in Excelsis Deo*, concinebant, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Ibidem.

Et sane promissio a Deo facta Abrahæ, cum dixit futurum, ut omnes nationes in semine illius benedicerentur, tunc cœpit adimpleri. Cum enim natus sit ex Abrahæ progenie per Mariam Sanctam genitricem suam, quis narrando referre potest omnes benedictiones, quas ejus nativitas attulit terris? Dicere sufficit, quemadmodum omnes homines mortui sunt in Adam, omnes simul spiritualiter reviviscere in JESU CHRISTO; & sicut omnes homines originem ducunt ab Adam, quoad naturam; ita illos renasci ex JESU CHRISTO, qui venit in Mundum tamquam auctor gratiæ, & gloriæ: *Qui ex Deo nati sunt.*

Joann. 1.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Magnum gaudii argumentum hominibus, nativitas Salvatoris.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator &c. Luc. 2. En, Fideles, vestræ lætitiæ causa: Messias per tot sæcula desideratus, *hodie natus est, & vobis hodie natus est, & natus est vobis hodie Salvator.* Nonne hoc vobis est magnum lætitiæ argumentum? Sed non Pastoribus solum, quibus Angelus felicissimum hoc attulit nuncium, verum etiam mundo universo; *Quod erit omni populo:* Sed ne quis decipiatur, & Salvator hic pro Simplici Propheta habeatur, non solum vocatur *Christus*, videlicet unctus, qui titulus plurimis datur, sed *Christus Dominus;* quæ unum illum qualitas decet; atque ad innuendum modo adimpletam fuisse promissionem, quæ data fuerat David, asserit Angelus, illum natum esse in civitate David: *Quia natus est vobis hodie Salvator in civitate David.*

Luc. 2. Ibidem.

Considerantes Filium Dei neglectum, & rejectum a suis; possumus ne optare, ut Mundo placeamus?

In propria venit, & sui eum non receperunt. Joann. 1. Salvator venit in mundum, & mundus illum agnoscere noluit; venit in propriam hæreditatem, & a suis receptus non fuit. Quam diluculo te persecuti sunt, Salvator amabilis! Mundus te odit, te ante ipsam nativitatem tuam rejicit; ego vero æternum Mundo placere vellem? Nunquid toto vitæ meæ spatio illi serviam? Sequar ne æternum ejus placita? Semper ne illius censuram extimescam? Nunquam ne illum probare, & ab eodem probari velle desinam? Quis audebit queri, Deum in partitione bonorum mundi hujus sibi non dedisse plura, quam Filio suo? O divine Salvator! paupertatis contemptus quantus est obex ad salutem! Quandonam ex hujusmodi exemplo proficiam? Si nequeo abrenuntiare bonis, quibus gaudere me vis, fac saltem, ne illis cor meum adhæreat, eaque in bonum usum convertam.

De Æterna, & temporali nativitate Filii Dei.

Generationem ejus quis enarrabit? Isaiæ 9. Quis mente complecti, & verbis exprimere potest nativitatem non æternam tantum, verum etiam temporalem hominis Dei? Non solum generationem hanc, ut Prophetæ verbis utar, per quam ab æterno genitus est a Patre sine matre, sed illam etiam, per quam in temporum plenitudine natus est a matre sine patre? Quis dicere poterit, quomodo exierit ex sinu Patris in splendoribus Sanctorum, & quomodo exierit ex utero Matris Virginis in tenebris noctis? Quis explicabit, quomodo sit inter Patrem, & Spiritum Sanctum secundum Divinarum processionum ordinem ab altero quidem productus, alterum vero producens: & cur in terris nasci voluerit inter Joseph, & Mariam, ut cum illis recentem componeret Trinitatem, prioris imaginem: *Generationem ejus quis enarrabit?* Non illam solum, propter quam in summo Cælorum vertice ad dexteram Dei viventis inhabitat, sed illam etiam, propter quam cubat in præsepi, inter brachia Virginis? Non illam solum, ubi septus est innumera Angelorum multitudine, verum etiam illa, in qua pannis involutus fuit non secus ac infantes alii: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quis tandem narrabit nobis generationem hanc, ubi est unigenitus Dei divitis, potentis, æterni; sed illam, in qua factus est Filius hominis pauperis, infirmi, mortalis, & vitæ hujus miseriis obnoxii? Non tantum, si dicere fas est, æternam admiror generationem, quam quæ in tempore facta est; tandem enim mirum non est Deum nasci de Deo; sed hic video Deum nasci de muliere, Creatorem de creatura. Deum de Deo genitum, Deum esse, ut ille est, eandem habere naturam, eandem potentiam, eandemque bonitatem, non admodum mirum esse debet; naturalis enim ratio nos docet hinc quidem unum tantum esse posse Deum; inde vero neminem posse gignere se ipsum; non secus ac semetipsum producere. Quod autem Filius æternus, uti Pater, iterum nascatur ex Matre, quis non admirabitur veluti portentum aliquod hanc nativitatem? in qua videtur Deus factus infans; Deus pannis involutus, Deus inter Matris suæ ulnas vagitus edens. Ah! mihi altus stupor incessit, & quæro, quomodo fieri possit, ut qui semper fuit, incipiat esse, & ille, qui replet Cælum, ac terram sua immensitate, egressus sit ex utero Virginis, postquam ibi novem menses delituit? Quomodo Cæli Creator natus sit super terram, quomodo regat astra, donec sugit lac ex uberibus matris. *Mundum implens in præsepio jacens, sydera regens;* ut loquitur Sanctus Augustinus.

De paupertate JESU CHRISTI nascentis.

Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Luc. 2. Quemadmodum Mundi Salvator venit facere, antequam doceret; admirabilis intercedit ratio inter ejus actiones, & verba. Incœpit admirabilem illum sermonem, quem habuit in monte, & in quo omnia complexus est Evangelii placita; incœpit itaque docens beatos esse pauperes spiritu: *beati pauperes spiritu,* & magnam hanc veritatem prædicavit ab ipsis primordiis vitæ suæ, quemadmodum docuit in aperitione Evangelii sui. Stabulum, præsepe, animalia, pauper, & contemptibilis *Jesu Christi* nascentis apparatus elata voce, ita ut ab omnibus gentibus, sæculisque exaudiantur, clamant: *Beati pauperes spiritu.*

Matth. 5.

Verbi æterni silentium docet nos veritates, quas mox tradidit populis.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri erudiens nos. Ad Titum 2. Heu Christiani! Quam eloquens est ad nos persuadendos, erudiendosque silentium Verbi in stabulo Bethleem! O divine Salvator! Cum enucleabas Discipulis tuis altissima tuæ Religionis Mysteria, cum revelabas illis in monte omnia arcana moralia, tum sancta, tum recentia, quorum futuri erant interpretes; cum admiratione replebas divinæ eloquentiæ

tuæ

tuæ vi populos, cum faciebas, ut benedictionibus cumularetur venter, qui te portaverat, & ubera, quæ tibi lac præbuerant; cum sub parabolarum, & figurarum integumento exponebas æternas hasce veritates, quarum magnitudo hoc egebat temperamento, ut facilius in animos populorum viam sibi facerent, eras longe dignior admiratione, quam sis in stabulo; verum nescio, utrum majorem haberes ad permovendum, & persuadendum vim, & utrum oracula sapientiæ tuæ majorem habere deberent virtutem, quam vagitus balbutientis infantiæ.

Rex cæli, & terræ venit in Mundum, ut alii mortales, iisdem miseriis obnoxius.

Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. Hæc Salomonis verba *ex cap. 7. Sapient.* nobis ansam tribuunt animadvertendi, quod si erat humilitas sine exemplo in hoc Rege agnoscere in semetipso omnes hasce miserias, & infirmitates sibi cum hominibus ceteris communes: miraculum longe majus est Dominum, & Regem Mundi totius confiteri posse se iisdem obnoxium fuisse. Hoc stuporem ciere potest in animis omnium, vere de secundo Adam dici posse, quod de primo non sine quadam irrisionis specie dictum fuit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Ex Granatensi in Meditationibus de vita Domini nostri.

Genes. 3.

Agnoscenda est in puero recens nato majestas Dei, quem colimus.

Transeamus, & videamus hoc verbum, quod factum est. Luc. 2. Ingrediamur in hoc stabulum, fidem nostram excitemus, & quin diu ratiocinemur, libertatem nostri cordis affectibus impertiamur; sub hujus corpusculi integumentis veneremur infinitam Dei nostri majestatem, & cum S. Thoma clamemus: *Dominus meus, & Deus meus.* Ita est. Parvulus hic infans est Deus meus, creator meus, & verus Dominus meus. Hic qui plorat gaudium meum est; ejus infirmitas virtus mea est; ejus paupertas divitiæ meæ. Parvulus infans, sed simul magnus Deus meus, adoro te tamquam Deum; complector te, arcte admoveo te cordi meo velut parvulum, qui datus est nobis. *Parvulus datus est nobis. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Venite, & considerate prodigia potentiæ, & amoris Dei. Videtur sancta fuisse æmulatio inter amorem, & omnipotentiam, uter majora operaretur prodigia, altera quidem Mundum faciente, altera autem illum reficiente. Amor videri vult admirabilis per vias longe oppositas illis, quas secuta est omnipotentia. Hæc stuporem ciet in mentibus nostris videntibus effectus admirabiles, quos illa producit: Amor econtra nos in admirationem rapit videntes immensitatem Dei in infantis corpusculo coarctatam: Omnipotentem infirmitate circumdatum; Æternum adhuc recentem ab utero. Sed fatendum est amorem palmam præripere, atque in inventionibus suis esse incomparabilem. Profecto magis admiror Deum parvulum, Deum infantem, Deum inhærentem uberibus Virginis Matris, quam Deum cælos volventem, ac triplici digito Mundi machinam sustinentem. Et præsepe, quod illi est pro incunabulis, longe mihi videtur admirabilius solio. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.*

Joann. 20.

Isaiæ 9. Psalm. 45.

Negandus non est aditus in cor nostrum Jesu Christo volenti nasci iterum nobis.

Reclinavit eum in præsepio, quia non erat locus in diversorio. Luc. 2. Cavendum est, sicuti JESUS CHRISTUS locum non invenit, ubi nasceretur in diversorio Bethleemico, ne similiter nunc, cum non sit amplius nasciturus secundum carnem, minime inveniat locum in corde nostro, in eo secundum Spiritum nasciturus; ardenter quippe cupit hanc sumere nativitatem præ vehementi salutis nostræ desiderio. Et quemadmodum homo factus est, natus, sanctificatus, & effectus sanctitas ipsa per virtutem Spiritus Sancti, quæ omnem excedit ordinem naturæ; opus est, ut nos nascamur *non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo;* ut nosmet præbeamus tamquam novas creaturas in novitate Spiritus & tueamur sanctitatem, & puritatem cordis, quæ decet illos, qui per Dei Spiritum regenerati sunt. Ita agentes, ut possimus in nobismetipsis exprimere imaginem sanctissimæ hujus nativitatis Filii Dei.

Consensus misericordiæ Dei cum veritate in præsepio Salvatoris.

Misericordia, & veritas obviaverunt sibi. Psalm. 84. Misericordia, & veritas, videlicet secundum litteralem sensum Psalmi, Misericordia, & justitia obviaverunt sibi; at ubi obviaverunt S. Bernardus interrogat? in stabulo, ubi natus est JESUS CHRISTUS: dicamus potius in JESU CHRISTO. Hactenus utræque prorsus aliam secutæ viam fuerant, immo oppositam, & nihil magis aberat a misericordia, quam justitia. Hodie vero sibi obviam occurrunt; *Obviaverunt sibi.* Hactenus altera alteri opposita visa est; quia justitiæ proprium erat punire, & misericordiæ proprium parcere. Hic autem simul occurrunt venia, & punitio. Punitio cadit in innocentem; passiones JESU CHRISTI in præsepio merentur veniam hominibus noxiis, & venia, quam obtinent nocentes, nequaquam conformis est æternis Dei decretis, sed passionibus JESUS CHRISTI, & pœnis, quas innocens subit & quibus subjacere dignatur.

In præsepio nobis ostendit amoris sui magnitudinem.

Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Ad Galat. cap. 2. Amavit me Deus, & amor erga me suus illum impulit, ut maximum bonorum omnium mihi conferret, tradens seipsum pro me. Vultis ne, fratres, Dei nostri amorem cognoscere? Venite, & videte Deum hunc Salvatorem nascentem in stabulo, cubantem in præsepio, paleis substratum, patientem, atque plorantem. Ad hoc spectaculum cor vestrum ad misericordiam commotum, penetratum, mollitum fortasse illi amorem pro amore retribuet. Amorem hunc illius erga nos plane cognoscimus in hoc infante recens nato, in lacrymis, quas effundit, in clamoribus, quos edit, neque dicere cesso per viscera caritatis suæ Altissimum nos visitasse, ut Sanctus Pontifex Zacharias loquitur: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. P. Giroust in Sermone de nativitate Domini.*

Quomodo Filius Dei se nobis præbuerit tamquam magistrum nos erudientem exemplo suo.

Erunt oculi videntes præceptorem tuum. Isaiæ 3. Per infinitam indulgentiam Deus noster descendit ad nos, seque obtulit oculis nostris sub humana forma, ut oculi nostri semper inhærentes illi detegerent vias, quas sequi oportet, & ad quas nobis indigitandas accessit. Vidimus divinum hunc magistrum, eumque audivimus; Verbo suo admirabilia nobis tradidit documenta, sed magis adhuc persuasibilia nobis factis proposuit. Visus est primum nascens in stabulo, & stratus in præsepio; mox visus est manuum operibus vacare, sese in abjectissimis quibusque officiis exercens. Visus est orans in secessu, integrasque noctes in jugi oratione traducens. Visus est cum hominibus versari, lustrare urbes, & oppida, ubique distribuere sanctam doctrinam, quam tulerat de cælo: sed illam nobis ostendit in praxi in præsepio, quanta maximi momenti placita, paupertas, humilitas, patientia ibi perfectissime elucebant. *Idem.*

Filius Dei in præsepio magister est, quem imitari debemus.

Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Matth. 17. Mihi videtur Æternus Pater in hac temporali nativitate Filii sui dicere posse omnibus hominibus id, quod deinceps dixit in Transfiguratione. Hic est Filius meus dilectus, quem misi in terram futurum hominum præceptorem, *ipsum audite.* Stabulum, præsepe, lacrymæ illius, omnia loquuntur. Audite illum pauperes, ac divites, summi, & imi, vos qui lugetis in miseriis, & vos, qui dies vestros in requie traducitis, & quos sæculum opibus cumulavit. Pauperes *ipsum audite*, Deum hunc *in paleis jacentem*, & ex illius documentis proficite. Vobis non est ultra conquerendi locus, cum videatis illum vobis pauperiorem. Immo conditionem vestram plurimi facere vos decet, hæc enim illa est, quam elegit. *Ipsum audite*, &c.

Discrimen inter consilia Dei, & Principum terræ.

Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Luc. 2. Quam longe aberrant a cogitationibus Dei hominum cogitationes! & quam varia sunt Cælestis Regis consilia a consiliis Principum terræ! Augusti edictum nonnisi effectus est superbiæ; & donec Imperator iste in id unum intentus est, ut suam ostentet potentiam, Filius Dei, qui regnat in Cælo, sese super terram humiliat, obedientiam exercet, parvulum se in hominum oculis facit. Vult matrem quoque suam, a qua in utero gestabatur censeri, ut pareat potestatibus, quibus dominatur, & hoc pacto nostram superbiam confundat. *Ex libro cui titulus: Recentes animadversiones in S. Lucæ Evangelium.*

Paupertas fuit causa, propter quam Joseph, & Maria a diversoriis omnibus rejicerentur.

Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Luc. 2. Peperit illum in præsepio. Terræ Principes magnificas habent ædes: opifex pauperrimus domunculam habet, ubi habitat, & Universorum Dominus nascens, nonnisi stabulum invenit, ubi se ab aeris protegat inclementia. Joseph, & Maria neminem inveniunt in Tribu sua, neque in familia sua, qui illos domi suæ velit excipere. Quam diluculo incipis, Salvator, hominum duritiam, atque contemptum experiri! *Ex eodem.*

Dei Filius agnitus non fuit ab expectantibus illum, & qui modo eum norunt, ex ejus adventu minime proficiunt.

In propria venit, & sui eum non receperunt. Joann. 1. Omnes Sancti Patriarchæ poposcerant hunc liberatorem Israel, & Dominus se adstrinxerat, se illos voti reos effecturum. Immo jurejurando pollicitus fuerat Abrahæ, & Judæorum nemo de illius promissionibus ambigebat. Tamen Liberator hic adeo exoptatus, adeo sollemniter promissus, adeo certe expectatus agnosci non potuit a suis tunc etiam, cum illis splendidissima præbebat divinæ suæ potestatis indicia. Stuterea liberator hic promissus populi illius! .... Præbat, ut illi inimicorum suorum jugum excuterent, eosque in statum adducere serviendi Deo sine timore, semperque ambulandi in via sanctitatis, atque justitiæ. Undenam igitur factum est, ut ingens numerus eorum, qui te agnoscunt, vivant adhuc in dæmonis captivitate, & in viis iniquitatis mordicus hæreant? Nunquid nimis parum egisti; nimis ab illis exegisti, ut vincula eorum infringeres? Causa humanæ infelicitatis nonnisi in hominis indocilitate, & cordis ipsius corruptione quærenda est.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

O Mira pietatis affectus! o inæstimabilis ardor caritatis! Quis unquam sperare posset, ut ex Deo ante tempora natus pro hominibus nasceretur, ex femina homo factus? S. Augustinus serm. 15. de sanctis.

Deus tuus factus est frater meus. Idem Serm. 19. de diversis.

Christus formam viri sumendo, & de Virgine nascendo, utrumque sexum honorandum judicavit. Idem contra Faustum.

Omnia miracula superat, quod Christus est de Virgine natus, Matris integritatem solus potuit nec conceptus violare nec natus. Idem tract. 91. in Joannem.

Nobilitas fuit nascentis in nativitate parientis, & nobilitas parientis in divinitate nascentis. Idem serm. 30. de tempore.

Vis nosse qualis est, qui sic natus est: audi quis, & quantus est: Verbum Patris; Artifex mundi, lumen cæli, pax terræ, hominum salus, errantium via, bonorum jucunditas. Idem serm. 1. de accedent. ad Grat.

Sic nasci voluit excelsus, humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem. Idem lib. 2. de symb. cap. 5.

Licet scire, quod natus sit, non licet discutere, quomodo natus sit: ineffabilis enim illa generatio: unde Isaias, generationem ejus, quis enarrabit? Ambros. contra Her.

Ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro; & quod nostrum non erat, ex suo nobis divina largitate donaret. Idem de Incarnatione.

Miror Deum in utero Virginis; miror omnipotentem in incunabulis. Christianus.

Nativitas Christi mors est vitiorum, & vita virtutum. S. Leo.

Sic nasci voluit, quia sic amari voluit. S. Chrysologus serm. 150.

Christus in spirituali præsepio quærendus. Chrysostomus serm. 9. in Epist. ad Roman.

Me illius infantis fletus abluunt, illa lacryma peccata mea laverunt. Euseb. Emissen. homil. de Symbol.

O nativitas honorabilis Mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii! investigabilis etiam Angelis sacri profunditate Mysterii. Bernard. in vigilia nativ.

Ubi aula Regia? ubi thronus? ubi curia regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus, præsepium, & totius curiæ frequentia Joseph, & Maria? Idem serm. de Epiphan.

Summus omnium, imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Idem serm. 24. in Cantic.

In Mundum venit, a quo non aberat, sed apparuit, qui latebat. Idem serm. 3. de Adventu.

Venit Medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Idem ad milites Templi.

Clamat stabulum pœnitentiam, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni in Christi nativitate. Idem serm. 6. de nativit.

Natus quibusdam nondum Christus est. Idem de resurrectione Domini.

Si nihil præter carnem carnalis homo novit audire, ecce Verbum caro factum est. Audiat illum vel in carne carnaliter, ut ita dixerim, prædicatum. Idem serm. de nativit.

Quod carni molestius est elegit. Idem.

In signum positi sunt panni, sed in signum, cui a multis hodie contradicitur. Idem ibidem.

In his omnibus judicium mundi arguitur, subvertitur, confunditur. Idem.

Pro peccatis lacrymas fundit, pro quibus & sanguinem fundet. Idem.

Lacryma Christi mihi pudorem pariunt, & dolorem. Idem.

JESUS CHRISTUS Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ. *Quid annunciari dulcius poterat? quid lectabilius commendari? quid tale unquam auditum est, aut quid simile unquam mundus accepit? o breve verbum de verbo abbreviato, sed suavitate cælesti refertum!* Idem serm. 1. in vig. nativ.

Nascitur JESUS, *gaudeat quisquis ille est, quem perpetuæ damnationis reum adjudicabit conscientia peccatorum.* Idem ibidem.

Aut ille fallitur, nempe CHRISTUS, *aut mundus errat &c.* Idem serm. 3. de nativ.

Quanto minorem se fecit Deus in humilitate, tanto se majorem exhibuit in bonitate, & quanto pro me vilior, tanto mihi carior. Idem serm. 12. in Cantic.

Intoleranda impudentia est, ut ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus infletur, & intumescat. Idem serm. 10. de nativ.

Quid mirabilius, quid cogitari potest dulcius, quam Deum videre factum esse fratrem nostrum? S. Bonavent. serm. 6. de Adventu Domini.

Christus non solum loquendo, sed etiam nascendo magister fuit. August. lib. 22. in Faustum.

Officium humilitatis (ita stabulum appellat.) Idem serm. 22. de tempore.

Doctrinam tandem humilitatis agnosce, etiam nondum loquente doctore. Idem serm. 24. de temp.

Studeamus esse sicut ille parvulus, discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde, ne magnus scilicet Deus sine caussa factus sit parvulus. Guillelmus Paris. serm. de Domin. 1. Advent.

O gratissimi, dulcesque vagitus! per quos stridorem dentium, æternosque ploratus evasimus. August. serm. 9. de tempore.

Cum in multis mirabilis, amabilisque appareat Deus; in nullo tamen sic mirabilem, amabilemque suam hominibus patefacit caritatem, sicut cum Deus homo factus est. S. Laurent. Justin. de casto connubio.

Advertite solem in nube, Deum in homine, in luteo vasculo carnis nostræ splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ. Guerrinus Abbas lib. 2. de nativitate Domini

PARAGRAPHUS V.

Quidquid ex Theologia penu depromi possit in hoc Argumento.

Dei Sapientia ad id, ut cognosceretur & coleretur ab hominibus longe admirabilior fuit, cum natus est in stabulo, quam cum eduxit terrarum orbem ex nihilo.

PRæclarum est Apostoli S. Pauli principium, quod cum mundus non cognovisset Deum in mirabilibus Sapientiæ ipsius operibus, voluerit Deus illum erudire ea agendi ratione, quæ insaniam, stultitiamque sapit, & se cognoscendum homini tradere omnes hominis cognitiones subvertendo. Profecto de Salvatoris præsepio dici potest, quod S. Paulus ait de illius cruce, & morte: Etenim quid stultius in speciem, quam velle ab omnibus hominibus adorari in præsepio? quam dare stabulum, pannos, puerum pro signis Regis Cæli, ac terræ Pastoribus, qui per se impares erant cognoscendo magnalia Regis invisibilis, & immortalis sub speciebus adeo humilibus, & contemptibilibus? Tamen hæc Dei ratio admirabilior est, ac Deo dignior ea, quam secutus est, ut nostrum sibi cultum conciliaret in creatione Universorum; & prima hæc adoratio Dei facti carnis in terra, nobis illum exhibet in statu digniori nostris obsequiis, quam in visibili pompa creaturarum, quæ sunt opera Verbi sui.

Consilium Incarnati Verbi in humilitate nativitatis suæ.

Præcipuum Incarnati Verbi consilium in suæ Nativitatis Mysterio fuit, 1. docere homines exemplo suo viam, quæ ducit in Cælum, videlicet contemptum divitiarum, & honorum Mundi hujus: quod constat. 2. Auferre Judæis ideam, quam de Messia conceperant, qui arbitrabantur illum in Mundum esse venturum cum omni magnificentia, potentia, & Supremi Monarchæ apparatu. Hac de caussa non norunt illum Legis Doctores, & sapienties Israel, qui hanc sibi proposuerant ideam Messiæ prorsus glorioſi, triumphantis, & cum omni comitatu eorum magnalium, ex quibus humana prudentia illum cognoscere posset. Hac, inquam, de caussa, abscondit se prudentibus sæculi, secundum oraculum verbi sui, cum interea sese prodat parvulis, hoc est, pastoribus Bethleem. Profecto mirum est, hos Legis Doctores, & consultissimos Jerusalem Scripturas præ manibus habentes, ac in jugi expectatione viventes Messiæ, & qui cognoscere poterant ex manifesto effectu prophetiarum, quæ complebantur, jam advenisse felicissimum nativitatis ipsius tempus: mirum, inquam, est, ipsos ne pedem quidem movere ad illum quærendum, eumque adorandum. Sed cum illi sibi concinnassent ideam Adventus Salvatoris sui omnino aliam ab ea, quæ erat futura, & cum confundissent circumstantias secundi Adventus ejusdem cum illis primi, sperabant, luce, rumore, & pompa, quæ nativitatem illius concomitarentur, se admonitum iri; & fallaci hac expectatione freti, mordicus occaluerunt in oblivione, quæ illis quidem funesta æque fuit, atque contumeliosa Messiæ; quoniam nemo ex carnalibus Judæis illis occurrit, ut illum recipiat, eique præstet obsequium.

Cur Salvator voluerit, ut magnitudo, & humilitas simul concurrerent in eo modo, quo nasci voluit super terram.

Quomodonam res adeo diversæ in Salvatoris nativitate consentiunt? habitare cum jumentis, & ab Angelis adorari, a quibus nativitas ejus nunciatur. Extollitur simul, & deprimitur, magnus simul, & parvulus; parvulus in stabulo, & præsepio, sed magnus in cælo, ubi astra illum honorant, & Angeli ejus laudes concelebrant. Quid sibi vult hinc quidem tanta magnitudo, inde vero humilitas tanta, quas divina Sapientia in uno tantum Mysterio voluit commiscere? Eu autem ratio. In JESU CHRISTI persona duo semper consideranda sunt; alterum quid ipse erat per se; alterum caussa propter quam venit in Mundum. Si consideratur id, quod erat, nullus est honor, nulla est gloria, quæ illi non debeatur, quoniam erat Dei Filius. Sed si caussam intueris, propter quam descendit in terras, operæ pretium erat, ut ibi in humilitate appareret, quoniam venerat nostram curaturus superbiam. Non igitur sine sapientia admirabili factum

est,

est, ut Salvator simul & humiliationem, & magnitudinem præ se ferret, altera quippe necesse erat, ut medicinam afferret tantæ, atque inveteratæ superbiæ, qualis nostra est; altera vero, ut liqueret quisnam esset ille, qui ad Mundum curandum accesserat. Alterum necesse erat, ut cognosceretur, qualis esset, alterum vero, quam ob caussam veniret.

Cum Dei Filio optio data fuerit nascendi in splendoribus, & affluentia, elegit stabuli paupertatem.

Nonnullorum Sanctorum Patrum, atque Theologorum sententia est, in ipso Incarnationis Verbi momento, Deum illi proposuisse duplicem viam prorsus oppositam homines salvos faciendi, videlicet per reterum omnium copiam, vel inopiam, per lucem, ac delicias regni, vel per tenebras, atque miserias nativitatis, & conditionis contemptibilis: Eique optionem factam, ut alterutram ingrederetur; eumque illam optasse, quam amplexum fuisse videmus. Opinio hæc in Scripturis non caret fundamento, neque sectatoribus in schola: sed quomodocumque res se habeat; sive Unigenitus æterni Patris per se paupertatem elegerit, vel æternus Pater optionem fecerit, certum est, in Dei æstimatione paupertatem prævaluisse divitiis, stabulum, & præsepium Bethleem Monarcharum ædibus, ac thronis, & Creatorem universorum in nativitate sua voluisse rebus omnibus indigere.

JESUS CHRISTUS natus in stabulo, & recubans in præsepio objectum est cultus nostri.

Asserere JESUM CHRISTUM in præsepio profundissimæ humiliationis suæ tempore ex tunc dignum esse objectum cultus nostri; veritas est, quæ nullam patitur dubitationem, ubi satis perpenditur. Re enim vera infans, qui vagitibus suis hodierna die nos emollit, idem est Deus, qui intra paucos annos naturæ leges daturus est, suscitaturus mortuos, sibimet vitam redditurus, suamque probaturus divinitatem mirificis prodigiis. Hinc ille modo, licet obmutescat, Verbum est; licet pannis involutus, liber est, & a nemine pendet: licet adhuc rubens ab utero, est ante Abraham, & ab æterno genitus in splendoribus Sanctorum. Itaque ut illum adorare possimus tamquam Deum, necesse non est, ut imperitaverit in cælo, in terra, & in mari, suprema hæc auctoritas olim conciliavit illi hominum cultum, & obsequia. Ab incunabulis, ab ipso in mundum ingressu jam est Verbum caro factum, & per paupertatem suam detegere jam valeo Deum meum, & Creatorem meum. Propter eandem caussam æternus Pater illius, S. Paulus inquit, eo momento, quo illum primum ostendit mundo *in paleis jacentem, pannis involutum, totis* artubus contremiscentem, gementemque, præcepit cælestibus Angelis, ut primi exhiberent illi honores illius debitos dignitati. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus.*

ad Hebr. 1.

In hoc Mysterio potissimum Deus ostendit nobis amoris sui magnitudinem.

Deo satis non fuit cor nostrum petere, illud lucrari voluit; & si nosse cupitis, quo pacto, dicam, hoc factum fuisse in hoc ineffabili Mysterio nobis detegendo omnem amorem, quo nos prosecutus est; unde factum est, ut S. Chrysostomus Mysterium Dei nascentis appellet, manifestationem amoris divini. Et ratio est, quia Deus in Mundi creatione ostendit potentiam suam, sapientiam vero suam in omnium creatarum rerum regimine præ se tulit; justitiam vero suam in extremo judicio manifestabit: Sed ubinam ejus amor eluxit? in nativitate sua cum se in terris humanitate nostra indutum ostendit. JESUS CHRISTUS in sinu Patris sui amabat homines, verum est; sed latebat adhuc quousque illos amaret: Amor iste erat absconditus; Sed Deus pauper, Deus humiliatus, Deus in passibili, mortalique carne, omnia detegit. Hoc apertissimum est testimonium, & ut ita dicam, opus præstantissimum amoris sui.

Filius Dei venit in terram futurus omnium virtutum prototypus hominibus.

Omnis Christiana perfectio in ea continetur morum disciplina, quam JESUS CHRISTUS oriens exercuit. Dei Filius secundum nonnullorum Theologorum sententiam, non venerat in terras solum ad peccatum hominis reparandum; verum etiam ad hominem virtutibus imbuendum. Se illi similem præbuerat non solum, ut eorum esset Redemptor, sed etiam, ut eorum esset exemplum: ita ut etiamsi homo paruisset, nihilo tamen secius Salvator humanam carnem assumpturus fuisset, ut illis præfulgeret exemplo obedientiæ Patri suo debitæ; quod coegit illum, ut ab ipsa nativitate ostentaret præcipuas virtutes, & maxime essentiales, quarum ideam proposuerat; ideoque S. Ambrosius testatus est, virtutes omnes in illius personam quodammodo incarnatas fuisse.

Quomodo Filius Dei factus fuerit similis nobis.

Cum Dei Filius se nobis similem præbere, se hominem faciens, nequaquam satis esse arbitratus est similem nobis fieri per ea, quæ in nobis excellunt, videlicet per animam intellectu, & ratione præditam, quæ nos super bruta extollit animantia. Sed ut omnimodam cum nobis haberet similitudinem, dignatus est se conjungere cum eo, quod in nobis humillimum est, accipiens corpus ejusdem naturæ, cujus est nostrum. Ad hæc similitudo ista, quam cum nobis habere voluit non est dumtaxat in speciem, velut illa, sub qua Angeli nonnunquam hominibus apparuerunt; quæ quidem hæresis est anathemate percussa a primis Ecclesiæ sæculis; sed similitudo realis, & effectiva; similitudo naturæ, quæ omnia habet lineamenta humilitatis, miseriæ, & infirmitatis humanæ: verbo ejus rei, quæ cum Dei natura omnino simul esse non potest.

Dei Filius, qui Dominus erat locorum, & temporum elegit nativitati suæ quidquid erat magis incommodum.

Existimandum non est Filio Dei id accidisse, quod aliis hominibus usuvenit, qui nascuntur, quin sciant, & qui sibi non eligunt tempus, vel locum suæ nativitatis: sed Salvator, qui in utero matris suæ de rebus omnibus disponere poterat, elegit, atque determinavit omnes hujus Mysterii circumstantias, ut docet S. Augustinus. Sed quomodo nam hac utitur potestate? ut nascens exerceat, quod homines docturus accesserat, mortificationem, paupertatem, humilitatem. Hac de caussa hyemis tempus elegit, quod maxime rigidum est; nasci vult in stabulo, expositus omnis aeris inclementiæ. Eligit concubiæ noctis tempus, quo vis frigoris maxime sævit; nascitur in extrema paupertate, sine ullis ad id commodis, ab omnibus generatim omni ope destitutus, ut sine solatio patiatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Sancta Virgo ab omnibus diversoriis Bethleem rejecta, secedere cogitur in stabulum in lucem cæli, terræque Dominum editura.

SEntiens Virgo sanctissima instare tempus puerperii in Oppidulo Bethleemitico diversorium quæsivit, nec invenit præ turba eorum, qui undique confluebant; cum domus ditioribus hospitibus reservarentur. Sancta Virgo, & Sanctus Joseph fortasse habebant, unde solverent pro secessu, quandoquidem hunc requirebant; sed procul dubio non erat in Betheleem locus adeo pauper, qui JESUM CHRISTUM excipe-ret. Huic opus erat macerie undequaque fatiscenti, opus erat stabulo, quo personæ duæ Deo carissimæ, & maxime verendæ, undique ejectæ sese recipere tenerentur. O Salvator, quam diluculo incipis Mundi superbiam damnare, atque confundere! Hoc in loco terrarum omnium abjectissimo natus est supremus Mundi Dominus. Quod spectaculum hoc mirabilius! Deus puer, & puer hic, qui Deus est, pro quo in cælo nihil satis magnificum est, & cujus thronus astris sublimior est, jacet in præsepio, flatu duorum animalium *calefactus, omnibus aeris contumeliis expositus, tempore anni sævissimo, cum interim tot Principes* subditi illius in magnificis oriuntur penetralibus, & in omni commodorum affluentia! Heu Domine! quam tandem concipere nos oportet paupertatis ideam! & quis merito conqueri potest de sorte sua, ubi videat hoc in statu JESUM CHRISTUM? *Pater Croiset Tomo 2. recessuum suorum.*

Sensus Sanctæ Virginis ad hanc necessitatem redactæ.

Maria præ ceteris agnoscens admirabiles Filii sui dilectissimi qualitates, non nisi silentio suam exprimere potest admirationem: quamvis hæc repulsa, non nisi propter Filium suum illi gravis extiterit. Quinam illius fuere sensus ad hujus præsepis, ad vilium jumentorum, & omnigenæ egestatis, ad stabuli hujus adspectum? Hæccine, dicere poterat, æterne Pater, incunabula sunt nativitati Filii tui destinata? Hoccine ejus palatium? Hæccine sunt honoris, & qualitatis ejus insignia? &c. Sed saltem quænam sunt nostra obsequia? *Idem.*

Salvatoris nativitas conformis fuit consilio, quod habuit elevandi hominem, quin intumesceret.

Humiliatio, quæ subit oculos vestros hodierna die, Fideles, vobis nequaquam stuporem injiciat. Infans pannis involutus, & jacens in præsepio! Quænam signa ad Deum cognoscendum? Hic ergo Messias ille per tot sæcula expectatus, tot oraculis promissus, tot figuris præsignatus; a tot Prophetis prænunciatus; desideratus gentibus, spes Israel, dæmonum terror, Mundi Redemptor, cæli, terræque triumphator? Agnoscamus ex mysticis hisce signis Incarnati Verbi admirabilem divinæ Sapientiæ rationem. Cum vellet hominem quidem elevari, sed citra superbiam, & deprimi sine sordibus, voluit ut nos ad ipsum usque ascenderemus, ipso ad nos usque descendente, ut nos adduceret ad apicem exaltationis per gradus, qui nos in humilitatis spiritu continerent. Voluit igitur ad id se adorari sub forma pauperis infantuli, infirmi, rerum omnium egeni, suam celare magnitudinem sub humiliatione, divitias sub paupertate, potentiam sub infirmitate ad infringendam hominis superbiam, ex peccato ejus profectam, quin auferat illi propriæ excellentiæ sensum profectum a Deo. *Abbas du Jarry Sermone pro Nativitate Domini.*

Dei Filius ostendit se magnum esse contemnens pompas, & opes terrenas in sua nativitate.

Principes terræ nascuntur in purpura, & vanitas eorum superbis titulis decoravit illos indigitantibus nitorem, & magnificentiam incunabulorum suorum; sed Rex cæli oriri voluit in paleis, quia Mundus, qui opus est manuum illius, nihil habet ipso dignum. Tamquam universorum Creator in sole posuit solium suum; sed quatenus Redemptor constituit illud in stabulo, & præsepium fuit ejus incunabula. Videre mihi videor omnes divitias, omnia magnalia, & fæculi pompas ad pedes divini hujus infantis. Ne immoremur in hac contemptibili specie, quæ in infantulo hoc Augusto nos posset deterrere; licet imbecillus,

Jus, infirmusque videatur, Isaias Propheta illum Deum fortem appellat. *Idem.*

Qua in re Dei Filius in nativitate sua ab aliis infantibus differat.

Hic infans est, S. Bernardus ait: *sed sciens eligere bonum, & reprobare malum.* Ceteri pueri plorant, & gemunt per infirmitatem; hic plorat, & gemit per Caritatem. Illi opem fletibus poscunt, hic affert: in illis patitur natura; in hoc gratia nos docet: In illis balbutire effectus est ignorantiæ; in hoc inventum sapientiæ. Hinc lacrymæ sunt humanæ infirmitatis solatium, inde sunt divinæ potentiæ temperamentum. Heu fratres! Si hoc non afficimur objecto, & non illustramur, quid flectere poterit cordium nostrorum duritiam, & mentium cæcitatem. *Idem.*

Salvator nascens in paupere statu, quid pleriſque Christianis dicere possit.

Consideremus, Fideles, Dei Filium in paupere suæ nativitatis apparatu; quid hoc in statu dicit nobis? Spiritu ingrediamur in stabulum, audiemus vocem dicentem nobis, pudeat vos domuum vestrarum, quæ totidem sunt palatia, tot supellectilium, ac inutilium indumentorum, cum ego habeam pro cubili præsepe commodatum mihi, & pro sociis meis duo jumenta. Pudeat vos magnificorum conclavium, ad quæ conamini prohibere aditum vel levissimum tempestatum incommodis, dum stabulum semiclausum me objicit tempestatis adeo sævæ frigoribus. Pudeat vos contemptus, in quo habetis quidquid humiliare vos potest; præcautionis, qua utimini, ne videamini eo in statu, quem vestra vanitas horret; artium, quibus estis abusi ad tegendam paupertatem, quam vobismet gloriæ vertere debebatis; horroris, quo execramini quidquid abhorret a pompa hujus sæculi, quam adfectatis. Pudeat vos gestare fortasse notas paupertatis, & humilitatis JESUS CHRISTI in statu vestro, & contendere, ut apud vos niteat luxus sæculi, & pompa, *Idem.*

Quinam sit hic infans, qui in tanta paupertate venit in Mundum, & quæ sint ejus qualitates.

Contemplemur magnum istud objectum, quod nobis exhibet fides; Spiritu ingrediamur in hoc stabulum; videamus Deum hunc absconditum, qui in tenebris noctis, in creatarum rerum omnium silentio, & rerum omnium egestate, se pauperem facit, nos locupletaturus. Filius hic nascitur in stabulo desertus, & ab omnibus derelictus. Hic Deus est, cujus omnia sunt opera, & cui omnia parent. Hæc est æterna Sapientia, quæ omnibus Dei consiliis adsistit, & quam ille possedit ab initio viarum suarum. Adorabilis ista sapientia in membris infantuli hujus abscondita, genita erat in splendoribus Sanctorum. Homo ingrate, & cæce cognoscere noluisti hanc divinam Sapientiam in divitiis Magnificentiæ ipsius, num cognoscis eam in stabuli paupertate? Tu cumulatus tot bonis, & benefactis non agnovisti manum illius, qui effudit illa in te tanta cum largitate; aurem obstruxisti voci huic per tot ora clamanti, quot sunt creata: o homo, adora Dominum Deum tuum! Amor industrius aliam illi vocem suppeditavit, ut persuaderet tibi, & per præsepii sui paupertatem te erudit. *Nunc ergo filii audite me. Idem.*

Proverb. 8.

Dei Filius Magister est nos in Bethleemitico statu erudiens.

Heu, Fratres mei! quid non dicit divinus hic puer, Verbum hoc divinum tacens, atque balbutiens? Ne laboremus quærentes regulas pietatis, quas sequamur: quidquid nobis sciendum, & exercendum est, ex hoc adorabili libro percipiemus. Omnes Prophetæ, Doctores omnes, omnes Apostoli loquuntur per os illius, qui os illorum aperuit. Stabulum Bethleem schola est, ubi omnes Christiani erudiri debent in scientia salutis. Omnes Cæli viæ, omnes salutis semitæ per illum incipiunt, & in illum desinunt, qui principium est, & terminus; & qui cum sit via, veritas, & vita, omnibus hominibus Cæli viam aperuit. Dei mei Providentia! S. Bernardus exclamat, quam admirabilis es! Carnalis, & animalis homo divina concipere non poterat; Sapientia ipsa facta est caro, ut se præberet sensibilem, atque intelligibilem carneis hominibus. Deus non profert amplius oracula sua per homines sancto furore correptos; non amplius mysticis locutionibus, involutis terminis, de summo montium cacumine loquitur inter fulgura, atque tonitrua, sed ex specu, ex præsepio, in tranquillæ noctis silentio loquitur per os Infantis pannis involuti increata loquitur Sapientia: *Ecce tibi in carne exhibetur Sapientia.* Venite sublimes spiritus, profundi Philosophi, callidi Politici, stabulum hoc ingredimini, ecce lyceum vestrum, vestra accademia. Venite, abjicite superba dogmata vestra, sermones elaboratos, captiosas argumentationes vestras ad pedes Doctoris hujus adorabilis, qui eorum detegit vanitatem, errorem, insciitiam. Totus Eloquentiæ fastus, totum Philosophiæ acumen, tota politicæ vestræ versutia ad magni hujus objecti adspectum evanescit: *Ecce tibi in carne exhibetur Sapientia.* Evangelici præcones! beata æterni Verbi hujus organa, quod vos mittit; quæ non secus ac Joannes Baptista voces estis, ut prædicetis in templis Dei Magnalia, prosternite vos coram Infante hoc, qui nonnisi vagitus edere potest; fatemini hunc esse Magistrum, qui Prophetarum, & Apostolorum linguas fecit esse disertas, qui in ore Martyrum, & Virgunculorum posuit verba, quæ confundere poterant Tyrannos, & Sapientes Ethnicos: cumque illum adoraveritis profundo, humilique silentio, loquimini, & in admirationem, ac laudes erumpite: consecrate omnia Eloquentiæ ornamenta in gloriam illius, qui vobis largitus est illam. Beati dociles auditores, qui aperientes cordis auriculam invisibili huic Concionatori, qui loquitur illis per os vestrum, audire possunt vocem Dei in hominum voce! Erudi nos igitur, divine puer. Non loquimur pro te, nisi ut hortemur Fideles, ut pro te nos audiant, & intelligant. *Idem.*

Dei Filius jam ex ipsa nativitate se Messiam prodidit, & Messiæ munere functus est.

Jam balbutientis Infantis vagitus silentium indicunt celeberrimis dæmonum oraculis; jam solis hujus radii in ipsa etiam eclypsi nova cient in cælo sydera, & dissipant densissimas Idololatriæ tenebras: jam Ecclesiæ fundamenta attolluntur, jam pax inter cælum, ac terram evulgatur; jam resonat aer plausibus, lætitiæque concentibus: adeo verum est hoc præsepium, hunc infantem, hos pannos esse conformes qualitati Messiæ, quandoquidem efficiunt, ut palam ejus potentia illucescat, & glorioſe Mynisterii sui munera prævertant . . . O nox pulcrior quocumque pulcherrimo die! qua fit aperitio Evangelii per Cælestes nuncios; qua Deus non annunciat amplius Messiam in Prophetiis, figurarumque involucro; sed ubi Angeli locum designant, & signa nativitatis ostendunt; qua rudes, rusticique Pastores, interius superno lumine afflati, supra semet elati vivido, acutoque vivæ fidei radio fiunt primi Incarnati Verbi adoratores. Quodnam objectum debet magis in tanta miraculorum congerie oculos nostros remorari, quam Dei nativitas continet! *Idem.*

Paupertas JESU CHRISTI nascentis.

JESU CHRISTI nascentis paupertas nos magis percellit in eo, quod celebramus Mysterio, cum primum sit signum, sub quo se nobis Mundi Salvator ostendit: *Hoc erit vobis signum &c.* Illa primum esse debet hominis Christiani lineamentum, & veluti basis Religionis. Idcirco Evangelium, bonum hoc nuncium, hæc apparitio Regni Dei, magnum hoc lætitiæ argumentum ab Angelis nunciatur Bethleemiticis Pastoribus simplicibus ovium custodibus, qui cum essent conditione, ac statu pauperes facilius fieri poterant pauperes spiritu, & affectu, ut primi quodammodo fierent Christiani, palam in personis suis præseferentes fundamentalem Evangelio suo regulam, docentes nos, humiles tantum, & pauperes spiritu dignos esse, qui assequantur Mysteria, quæ continentur in paupertate, & humilitate Dei nascentis in stabulo. *Idem.*

Idem sequitur Argumentum.

Ingrediamur spiritu in hoc stabulum, ubi Deum videmus rebus omnibus indigentem. Nonne in ipso vitæ suæ exordio nos docet hanc spiritus paupertatem, quam constituit sui Evangelii principium, hanc virtutem adeo caram Salvatori, qui cum nasci voluerit pauper, voluit deinceps pauper & vivere, & mori. Hæc virtus est, quam nobis in præsepio commendat. Beatus ille, qui assequitur Mysterium Dei exinaniti, ut bonis nos cumularet! *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* Beatus, qui per externam hanc egestatis, & miseriæ caliginem detegit Deum Majestatis, qui se pauperem fecit, ut nos divites faceret. *Idem.* Psalm. 40.

De statu, in quo Dei Filius venire voluit in Mundum.

Fingi ne potest ingressus in Mundum magis obscurus, miser, & incommodus statu Salvatoris? Mortalis redigi ne potest ad incitas magis, quam Beatissima Virgo, cum longo, molestoque itinere impedita, nullum nacta diversorium, & sentiens adventare terminum, quem Incarnata Sapientia præscripserat, ut in lucem prodiret: Virgo hæc peperit illum in derelicto stabulo, inter duo animalia, quæ illic inveniebantur. Ecce illum proculdubio a primo vitæ suæ momento sustinere paupertatem, humilitatem, mortificationem, qua nulla major fingi potest; nos autem econtra nonne eligimus domos, & ædes honoratiores, commodiores, quam possumus? Nonne studemus in mundo nitescere magis, quam possumus? Nonne majorem habere familiam, pluresque domesticos alere conamur? Nonne vellemus omnes Providentiæ leges susque, deque vertere, ut opibus, & honoribus cumularemur? *Idem.*

Cur Salvator nunciatus fuerit Judæorum principibus æque ac pastoribus.

Cur non imperavit Deus, ut Salvatoris Nativitas æque nunciaretur principibus, ditioribusque Judæorum, sicuti Pastoribus nunciata fuit? Nonne hac in re exclamare possum? *Abscondisti hæc a Sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Sed quid profuisset superbis illis mortalibus ista Angelorum apparitio? Quid illi dixissent? quid cogitassent; cum Angeli hanc Messiæ Nativitatem designassent illis ex pannis, ex præsepio, ex stabulo? Cum mordicus tenerent Messiæ adventum conjunctum iri cum ea pompa, & luce, quam animo conceperant, quod tulissent judicium de illius paupertate, silentio, miseria? Agnoscent illum aliquando, Sanctus Augustinus ait: inter fulgentissima divinitatis suæ signa, quemadmodum illum cognoscere valuissent ex solis suæ humilitatis indiciis? Cæci oculorum acie donati, sedatæ procellæ, mortui ad vitam revocati non valuerunt efficere, ut ponderis accessio fieret adorabili humilitati, quæ simul cum

Messiæ

Messiæ qualitate esse non posse illis videbatur. Quas igitur impressiones in eorum mentibus efficere potuisset tanta abjectio, infirmitas, & egestas? Sed cur ad conjecturas confugiendum est? quandoquidem negligentia horum Pseudosapientum Jerusalem in Messia quærendo satis, superque ostendit animæ illorum nequitiam, atque superbiam, quæ obicem omnibus divini Solis hujus luminibus statuebat. *Idem in sermone de Magnalibus JESU.*

Quænam gravior stuporis caussa inveniri potest, quam illa, quæ in Evangelio per hæc verba exhibetur: *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Mysterium incomprehensibile! Miraculum, quod facilius sentitur, quam exprimatur, & quod silentium melius repræsentat, quam verba! Nunquid est adeo mirum, quam videre eum Dominum, quem laudant astra matutina, qui sedet super Cherubin, qui tribus digitis universum appendit terrarum orbem, cui Cælum thronus est, ac terra scabellum; hunc, inquam, Dominum voluisse redigi ad ita extremam necessitatem, ut in terris nascens, in præsepio reclinari debuerit? Quænam visa fuit mater adeo pauper, & misera, ut deficiente loco, coacta fuerit Filium suum in præsepio collocare? Quisnam duo hæc extrema adeo invicem remota conjunxit, Deum, & præsepium? Nunquid est præsepio vilius, & contemptibilius? Nunquid altius, & sublimius Deo, qui super Cherubin sedet, & solium habet in sublimi cælorum vertice? Fieri ne potest, ut nostri compotes simus, cum cogitamus hæc duo simul adeo abhorrentia, Deum in stabulo, Deum in præsepio; Deum plorantem, & præ frigore contremiscentem; Deum pannis, ac vittis involutum! O Rex gloriæ! quid tecum habent commune lacrymæ, frigus, nuditas, quæ sunt criminum nostrorum pœna, & supplicium? O amor! o bonitas! o Dei nostri incomprehensibilis misericordia! Inveniri ne potest tuæ huic par humilitas? Amor, qui tuum exæquet! animi grati sensus tanto huic pares beneficio! *Granatensis lib. 6. Memorialis cap. 4.*

Immoremur paulisper in consideratione hujus præsepii, ibi enim nanciscemur caussas non cognoscendi solum, & adorandi supremam bonitatem, & incomparabilem Dei amorem, verum etiam discendi, quid sit cordis humilitas, mundi contemptus, corporis mortificatio, & hæc nuditas, & paupertas spiritus toties in Evangelio celebrata. Cælestis Doctor hic noverat, quanti interesset, homines edoceri, iisque persuasum esse de magnis hisce veritatibus. Noverat suavitatem, ac innocentiam, quæ reperitur domi illius, qui est pauper spiritu; e contra vero sciebat, quas turbas, curas, sollicitudines afferat secum inordinatum divitum desiderium, ideoque ex ipso præsepio, videlicet incunabulis suis tamquam de cælesti cathedra primum homines docuit exemplo suo condemnare avaritiam, quæ radix est omnium malorum, & venerari humilitatem, atque spiritus paupertatem, tamquam fontem omnium bonorum. Hoc, S. Bernardus ait, prædicant nobis hoc præsepium, hi panni, hoc stabulum. O beata domus! o stabulum gloriosius ipsis Regum ædibus, ubi Deus hic nascens exhederam sibi posuit, de qua Cælestis Philosophiæ tradet præcepta, & ubi Cæli Verbum obmutescens eo loquitur eloquentius, quo magis silet. *Idem in meditationibus in vitam Domini nostri.*

Quam admirabile sit mysterium nativitatis Dei.

Mundi hujus figuram, omnesque partes illius, quibus constat, Cælorum magnitudinem, naturæ totius ordinem non equidem miror, sed miror, ubi video horum omnium mirabilium auctorem prodeuntem ex Virginis utero, ubi novem menses delituit. Vix mei compos sum videns Omnipotentem in præsepio tamquam in incunabulis positum, videns Verbum carnem factum, & cum Deus sit spiritualis substantia, corpore humano circumdatum. Miror tot, tantaque requisita fuisse, tot effluxisse sæcula, ut Mysterium hoc perficeretur, quod illi tanti stetit. Unicum momentum opus hoc poterat complere, & JESUS CHRISTUS uno tantum verbo redimere poterat mundum, quandoquidem eumdem verbo uno creaverat. Hoc nobis palam ostendit, hominem creaturam esse longe materiali hoc mundo nobiliorem, quandoquidem ad illum salvum faciendum, ad ejus interitum evitandum, ad viam cæli illi indigitandam nasci voluit in terris, ac se nobis similem præbere. *Idem.*

Increata, & æterna Sapientia in terras descendit, ut nos in præsepio Betlemem erudiret. Job 28.

Antequam Cælum daret nobis admirabilem hunc Doctorem, qui in Bethleem apparuit, multo difficilius erat respondere interrogationi Job: *Unde ergo Sapientia venit? Quis est locus intelligentiæ?* Unum hoc scimus, quod *Abscondita est ab oculis omnium viventium.* Deus unus novit locum, ubi habitat, & vias quæ illuc adducunt: *Deus intelligit viam ejus, & novit locum illius.* Verum est, in veteri lege nobis dixisse Deum Verbum esse fontem sapientiæ: *Fons sapientiæ Verbum Dei in Excelsis.* Sed fons hic absconditus erat in sinu divinitatis; sublimes tantum intelligentiæ haurire poterant ex aquis ejus; videlicet, cum Verbum hoc lateret in luminibus æternæ generationis suæ, inaccessum erat hominibus. Si quando Sapientia hæc in terris apparebat ad homines erudiendos, illa apparebat sub Angeli alicujus specie Dei edicentis imperia. Sed modo adimpleta est Isaiæ prophetia. *Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* Non igitur ille nobis esse debet amplius labor, & cura, quæ negotium faciebat antiquis, sapientiam videlicet inquirendi: *Ecce jam trahitur de occultis revelata sapientia*, S. Bernardus ait: & ne aciem oculorum nostrorum perstringat, carnis nostræ velum assumpsit. *P. Texier Mysterio tom. 1. serm. de Nativitate.*

Isaiæ 40.

S. Bernard. serm. de nativ.

Scientia, quam Verbum caro factum nos docet in præsepio, nihil habet arduum, nihil ad intelligendum difficile. De Bethleemitica schola non idem sentiendum est, ac de antiquis Lycei, vel Accademiæ philosophis: ibi nonnisi magnæ mentes, felicia admittebantur ingenia; sed istic simplices, rudes benigne excipiuntur, & plerumque præ ceteris proficiunt. Videte, quinam primi fuerint divini hujus Magistri discipuli; simplices Pastores omnium primi invitati fuerunt. Hic minime quæritur, uti in Mundi scholis, ut dies, nocteque in profundis Theorematibus enucleandis transigantur. Oculi tantum quæruntur ad videndum, ac intuendum Verbum hoc Incarnatum, Sapientiam hanc puerum factam. *Transeamus, & videamus.* De JESU CHRISTO nascente vere dicere possumus, quod assentationis gratia de veteri quodam dicebatur; *illum vidisse, erudiri est.* Hoc innuit S. Joannes, cum ait, adeundum dumtaxat esse hunc Hominem Deum; adeamus tantum Deum hunc infantem, ut nobis sit persuasum de Christianis veritatibus, quarum absolutissimum exemplar est, & nosmet ad illius imitationem excitemus. *In conspectu ejus suadebimus corda nostra. Idem.*

Scientia, quam Divinus hic doctor docet in præsepio facilis est, & omni intellectui accommodata.

1. Joann. 3.

Scitote, S. Augustinus ait, in hoc scientia captus nostri modum ab amore nostro esse desumendum: *quantum quisque amat, tantum intelligit. Vis scire*, alius Pater addit, *Vis scire, quæ nescis, ama.* Verbo, ut quis in hac schola erudiatur, illi nequaquam vivendum est inter strepitus disputantium, sed in orationis silentio. Non tantum Magister quærendus est, quam cor præparandum. *Res ista non scholam quærit, sed cor*, inquit S. Bonaventura. Sed proh Deus! Quotusquisque huic scientiæ vacat? pauci sunt veri divini *hujus Præceptoris discipuli*, & jure instaurare possumus dilecti discipuli querimoniam. *Mundus eum non cognovit.* Triplex enim est Fidelium genus non proficientium ex nascentis JESU CHRISTI documentis. 1. Alii sunt, qui nolunt aperire cor suum, ut divinum hunc Magistrum recipiant; hoc est, qui illum audire nolunt, similes honestis Jerosolymæ civibus, qui in Bethleem se conferre noluerunt, ut oculis suis docerentur ea mirabilia, quæ audierant de recens nato Messia. 2. Alii se divinum hunc Messiam audire profitentur, & illius discipulos se jactitant, sed non abrenunciant quibusdam pseudo-doctoribus, quos Job vocat, *fabricatores mendacii*, & sunt amor Mundi, & amor sui. Hæc Doctrinæ oppositio eos prohibet quominus proficiant in scientia Salutis, eamque docenti adhæreant. 3. Alii tandem Divinum hunc præceptorem recipiunt, & qui in scholam illius admissi sunt, sed nunquam sibi sumunt tempus audiendi illum, & meditandi magnas illas veritates, quas docet. Hi nimis occupati sunt, & distenti rumore mundi circum illos obstrepentis, & multitudine negotiorum suorum. Si personæ ejusmodi vere diligerent Magistrum cælestem, qui illos erudire dignatur, nihil illis esset antiquius, quam ad præsepium confluere, ut doceerentur, & docentem audirent. Relinquerent omnes errorum Magistros oppositam doctrinam ferentes, denique in id omnem operam, curamque transferrent, ut veritates sibi a divino Magistro traditas in praxim redigerent. *Idem ex parte.*

Ratio vera discendi hanc scientiam, est amare docentem.

Hugo a Sancto Victore.

Scientia, quam divinus hic Magister nos docet in paupere stabulo, sublimis est, & profunda, quandoquidem complectitur Mysteria, & incomprehensibilia Dei Sacramenta, & inexhaustas JESU CHRISTI divitias, ut loquitur S. Paulus. Continet enim compendium totius Theologiæ, omnemque Christianam morum disciplinam. Satis est studere huic puero, & circumstantiis Mysterii Nativitatis ejusdem, ad acquirendam cumulatissimam omnium perfectionum Dei cognitionem. De hoc Divino Verbo in temporali sua Nativitate considerato dicere possumus, quod dicebat Sanctus Augustinus, illud considerans in nativitate ejus æterna; *nihil prætermissum est, cum in uno Verbo sint omnia*, videlicet virtutes omnes, quæ sunt exercendæ. Deus hic loquitur, ut nobis persuadeat, Sanctus Paulus ait: abrenunciandum esse impietati, & omnibus sæculi desideriis: *Ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, juste, & pie vivamus in hoc sæculo.* Supremus hic medicus non loquitur solum, ut nos erudiat, vult etiam pseudo-sapientiam sæculi erroris, & mendacii redarguere. *Nunc judicium est Mundi.* Et si Deus loquitur semper, ut Deus, videlicet fortiter, atque apte ad convincendum;

Quam sublimis sit scientia ab hoc magistro tradita. ad Ephes. 3.

ad Titum 2.

Joann. 12.

dum ; sermones illius sunt adhuc potentiores cum damnare vult fallacem Mundi Sapientiam: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Quoniam postquam considerandam proposuit infinitam Dei exinaniti potentiam, & Dominum hunc Universorum ab omnibus rejectum; eo usque, ut nasci coactus fuerit in stabulo, cum illi non esset locus in diversorio ; inde nobis inferendum est, Christianos esse insipientes : quandoquidem post Dei rejecti, contemptique exemplum, tanto persequuntur ardore vanos sæculi honores, & tanta cura, & festinatione in pretio haberi, & Mundi gloriam aucupari contendunt, *Idem*.

Psalm. 4.

Quantum Judæis præstamus habentes Deũ, qui se nobis visibilem præbuit: eum illum imitari possimus.

Procul dubio Judæorum conditio minus felix erat hac nostra. Audiebant illi vocem Dei sibi dicentis : *Estote Sancti, sicut ego Sanctus sum*. O nos miseros ! dicere poterat populus iste ; quomodo poterimus ipsi imitari sanctitatem tuam, quandoquidem non videmus illam! O miseram conditionem S. Augustinus inquit : *Sequendus erat Deus, qui videri non poterat; & non sequendus homo, qui videri poterat?* Modo in hoc statu minime sumus ; quoniam Deus factus est homo, ut illum, & videre, & sequi possemus. Ingrediamur ergo stabulum Bethleemiticum ; ibi oculis nostris videbimus hunc veritatis Magistrum, qui olim videri non poterat; & quem modo sequi possumus, & imitari. *Idem*.

Nunquam Dei Filius magis humilis, similque major visus est, quam in stabulo Bethleem, ubi nasci voluit,

Quem in statum, Domine, redactum te video! Tu natus in stabulo, jacens in præsepio, pannis involutus ! Tu Rex gloriæ ! Stabulum hoc palatium est, ubi excipiendus eras? Hoc præsepium sunt incunabula, ubi tibi erat quiescendum ? Panni id genus signa sunt auctoritatis supremæ, & dignitatis tibi prætersferendæ ! Quam distant, Domine, consilia tua a consiliis hominum! Quis autem scrutari potest impenetrabilia consilia tua! Si de nativitate tua ferendum esset judicium secundum carnem; in ea nihil est non abjectum, nihil non contemptibile, sed si oculis fidei spectetur, omnia ibi magna sunt, omnia admirabilia. Hoc simul præstantissimum opus est sapientiæ, potentiæ, & infinitæ misericordiæ tuæ. Nunquam adorabiles hæ perfectiones tuæ melius eluxere. Dicam Domine, nunquam magis Deus esse incœpisti, quam cum factus es homo. *Pater le Valois, tom. 4. operum Asceticorum, de Mysteriis Domini Nostri*.

Eundum est in spiritu ad præsepe Salvatoris, & erubescendum, ubi nosmet videamus parum conformes Deo pauperi, & patienti.

Ibo, Domine, ibo ad pedes præsepii tui. Me quantumvis peccatorem excipies, quandoquidem venis ad peccatores quærendos. Si minus Angeli tui me, ut Pastores olim, arcessunt, deducet me illuc gratia tua, ibique reperiam gratiam adhuc copiosiorem, atque recentem. Hæc mihi aperiet oculos, ut omnem vulnerum meorum profunditatem cognoscam, quorum medicina tanto tibi stat pretio. Hæc movebit cor meum, ut me docilem præbeam divinis præceptis, quæ mihi tradis ab ipsa nativitate tua, & facilem objurgationibus tuis ! O Deus pauper! O Deus humilis ! O Deus patiens ! Quod mihi documentum ; quod mihi pudoris argumentum, exemplum tuum ! Nasceris in paupertate, & rerum omnium indigentia; ego vero vivere volo in abundantia. Nasceris in caligine, ego autem in splendore vivere exopto! Tu nasceris in passione, ego vivere volo in deliciis . . . . Hæc, hæc, inquam, contradictio efficit, ut totis artubus contremiscam. Hæc me rubore suffundit, hæc mihi terrorem incutit videnti præsepium tuum. In Salvatore meo meum judicem invenio, & in salute mea, meam reformido condemnationem. Nam quomodo sperare possum, Domine, me sicut te in cælo glorificandum, si tibi in terra nequaquam similis fuero? *Idem*.

Quænam fuerit humiliatio Filii Dei, qui voluit nasci infans, non secus ac alii,

Infantia, & humiliatio hominum, & ætas illa, quantumvis amabilis propter innocentiam, & simplicitatem ; nihilominus ad animantium statum nos redigit; & dicere possumus infantem, hominem non esse ; non agere nisi per motum Matris; sensum suum non aperire, nisi per vagitus, & gemitus; nihil cognoscere nisi ubera, & lac; neque alia facere, quorum enumeratio argumentum esset idoneum eloquentiæ magis profanæ, quam sacræ, & omnino ad rem meam inutile, quia hæc ignorare non possumus. Oculos tamen conjicite in hoc præsepium: quid ibi videtis? Deum infantem; illum audite, S. Chrysologus inquit : *vagitu suo implorat Infans, quam præstitit ipse, pietatem*. Quid illum ab hominum novissimo distinguit? nunquid extrinsecus aliquis supremæ illius Sapientiæ emicat radius? Aliquod ne specimen tribuit infinitarum cognitionum suarum, & absolutæ suæ potestatis? Non ita; & ille, qui olim creaverat Adam in maturitate, ac perfectione viri sese redigit ad infantiæ infirmitates, ut sese prorsus exinaniat. *Ex M. S. Sermone P. Stephani Chamillard*.

Quid nobis Verbum hoc mutum portendat pertristem hunc apparatum, in quo natum est.

Stabulum, panni, præsepe Salvatoris mei quanta vobis inest eloquentia! Verum est; hic homo Deus loqui non potest : sed omnia loquuntur pro illo. *Nec dum loquitur lingua ; & quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, Evangelizant*, S. Bernardus exclamat : Omnia nos in errore versari monent: *In omnibus Numdi judicium arguitur, subvertitur, confutatur*. Paupertas ejus nos docet quanti nobis faciendæ sint divitiæ: humiliationes ejus nos admonent, quo in pretio habendi sint honores, quibus tamen inebriamur adeo frequenter, lacrymæ vero, & passiones, nos erudiunt, quem exitum habeant Mundi hujus voluptates. *Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacryma, clamant panni*. Tenera S. Bernardi verba; quæ quamvis communia, eandem semper habent pulcritudinem. Sed verba, quæ terrorem, ac turbam in cor plurimorum incutere possunt. Ad vos sæculi principes, & divites terræ directa sunt. Quo ore audetis accedere ad Templa? Nunquid ut cum veris fidelibus celebretis JESU CHRISTI nativitatem, vel potius, ut illi insultetis ? Vos quidem, ut illi nocte hac participes facti estis terribilium Mysteriorum; nulli nostrarum cæremoniarum defecistis; vos quoque hic congregati estis, ut hanc diem sancte, ac devote insumatis. Sed creditisne Deum hunc, qui renes scrutatur, & corda, & qui penitiores etiam illorum recessus cognoscit, contentum esse dolosa hac extrinseca specie? Nonne videt, tunc etiam, cum submisse eas auditis causas, propter quas ille paupertatem, & humiliationes amplectitur, vestra corda ferri in bona, & honores, dolentes dumtaxat, quod Mundi placita nequeant cum illis Religionis conciliari. *Idem*.

Cur Salvator sibi eligere voluerit nasci de matre paupere.

Cogitemus Mundi Salvatorem, qui longe alius a reliquis infantibus, eligere sibi poterat parentes opulentos, & humanam assumere naturam cum omnibus commodis, quæ illam ferendam efficere poterant, illam tamen assumpserit cum omnibus molestiis, quæ paupertatem, ac miseriam consequuntur. Si quærimus ergo cur de matre paupere natus sit, cur pertulerit frigoris vim nascens in stabulo, summa hyeme, & sub noctis dimidium ; Sanctus Petrus Chrysologus nobis respondit, ita nasci voluisse, quia a nobis voluit amari . . . Sed ecce rationem aliam, quæ nobis locum præbet admirandi Sapientiam Domini. Cum omnes vulgo opinarentur, Messiam venturum esse in Mundum ad restituendos Judæos, eosque efficiendos quam ante potentiores, & Judæi semper carnales, & rudes explicarent de temporali regno, quod de spirituali dicebatur, sperabant illum futurum esse Davide bellicosiorem, & magnificentiorem Salomone; ad quam fallacem de mentibus eorum revellendam ideam, Angelus, qui illius nativitatem nunciavit, dixit futurum ut illum invenirent jacentem in stramine, & pannis involutum in præsepio. *Invenietis infantem pannis involutum, positum in præsepio. Abbas de Mommorel Hom. in Evangelium Nativit.*

Luc. 2.

Exemplum humilitatis, quod Salvator Terræ principibus tribuit a sua nativitate. Ibidem.

Ex altissima humiliatione Filii Dei in temporali sua nativitate inferendum est, illis, qui præ ceteris opibus, dignitate, genere nitent, omnia hæc sublimia decora esse cum humilitate consocianda. Humilitas character est, & signum Christiani; ex hoc cognitus fuit illorum Magister, & Dominus: *Et hoc vobis erit signum*, & ex eodem sunt cognoscendi discipuli. Vosmet quantum vobis placuerit, abjicite, nihil de magnitudine vestra peribit : Quemadmodum Mundi Salvator homo factus, non ideo tamen Deus esse desiit, & eo quod in stabulo natus est, nihilo secius cultus fuit tamquam Rex a Regibus ipsis. Imitemur exemplum, quod nobis præbet, illius humilitatem nostra colamus, transeamus usque in Bethleem, ut ante præsepe illius procumbamus in genua; neque alios sequamur duces, nisi pastores, neque illos sequi dedignemur. *Idem*.

Quomodo imitari possimus Pastores, qui profecti sunt, ut adorarent Salvatorem recens natum, in stabulo Bethleem.

Pastores, qui consilium capiunt proficiscendi in Bethleem, quamvis hoc illis Angelus non imperaverit, nos docent, ex quo fidelis anima bonum agnoscit, ex quo Dominus illi sanctam hanc injicit mentem, hanc deesse gratiæ suæ, ubi non redigit illam in praxim ; & quin ex nostro hoc Mysterio egrediamur, vobis exempli gratia nunciatur JESUM in Bethleem natum esse ; vos in vobismet exciri sentitis zelum, quo Pastores animantur, & vobismet persuadetis, simili in occasione, vos eorum factum imitaturos fuisse ; ne vobis elabi patiamini optimum hunc animæ motum, sed ite, prosternite vos coram Altaribus, & ibi adorabitis illum ipsum, quem illi in præsepio adoraverunt. Ite, quærite illum in Nosocomiis, eumque ibi invenietis in ægrotantium persona ; excipite domi vestræ pauperem, quem omnes rejiciunt, & hospitem habebitis illum, qui locum non potest invenire in diversorio Bethleem. Nos nos ipse docet JESUS CHRISTUS, cum ait, se putaturum tamquam factum sibi, quidquid fiet suis, & se ali, indui, hospitio recipi, sibique ea caritatis officia præstari, quæ minimo ex fratribus suis præstita fuerint. *Idem*.

Mirabilia, quæ in Salvatoris nativitate inveniuntur.

Quot Miracula, quot in hodierno Mysterio præcepta inveniuntur! Æternus tempori obnoxius; impassibilis passionibus, immortalis morti. Mera creatura vitam tribuit Creatori suo ; Virgo fit mater, quin Virginem esse cesset; femina sine partus doloribus parit castum fructum, quem sine corruptione concepit: ille, quem Cælum, ac terra capere non poterant,

jacet

jacet in præsepio; qui circumdatus est lumine inaccessibili; pannis involvitur; Dominus, & Creator universorum, cujus est terra, & plenitudo ejus, non habet, ubi caput reclinet, & ab hominibus rejectus, recessum cogitur invenire apud bruta animalia; ut verbo me expediam, Verbum fit caro, Deus homo fit, & idem, qui ab æterno genitus fuit a Patre Deo sine matre, fit in tempore Filius Matris Virginis sine patre. Hic ergo in admirationem rapti duplicis hujus Nativitatis exclamare possumus cum Propheta Isaia: *Generationem ejus, quis enarrabit?* *Idem*.

Isaiæ 53.

Pauper apparatus Dei nascentis in speciem oppositus erat consilio ejus, quo agnosci volebat pro Messia, & Salvatore Mundi.

Quæ convenientia! Legitimus Rex Israel, supremus rerum Dominus, Salvator, & Deus totius Mundi, qui descendit totius orbis faciem mutaturus, omnia sublaturus præjudicia, superstitionem dissipaturus, effecturus, ut in locis omnibus ditioni suæ subjectis agnoscatur, & mundum universum instauraturus stabulum habet pro palatio, præsepe pro incunabulis, pro aulicis pauperes nonnullos Pastores, qui ad illum adorandum ad hoc tugurium accedunt. In hac tanta rerum inæqualitate majori in luce divinitas ejus coruscat. Nitor, affluentia rerum, & mundi luxus digna non erant, ut ex illis agnosceretur dignitas, ac meritum illius, qui tribuit rebus omnibus pretium, & qui per se infinite superat omnia. *Idem*.

Ingens prodigium est, quod Deus venire voluerit in terram, & in stabulo nasci.

Fieri igitur potest, dicebat olim Salomon, ut dignetur Deus in terra habitare, & cum hominibus conversari! Quis credidisset unquam Deum huc usque bonitatis, atque indulgentiæ venturum? Hoc tamen, Christiani, in diei hujus Mysterio contingit. Rex gloriæ, Deus exercituum, Dominus infinitæ Majestatis; Verbum Æternum, Omnipotens, verbo, Deus ille, quem cæli, & terra capere non possunt, hodierna die fit similis nobis, nasci vult infans, & commune mortalibus omnibus ingredi stadium. Mirum prodigium, admirabilis humiliatio! opus dignum brachio Domini subvertentis, ubi velit, leges naturæ. Miraculum denique, quod Angeli, homineſque mirantur. Sed ubinam homo-Deus hic natus est? Est ne in Mundo urbs, vel palatium satis magnificum ad recipiendum illum? Descenderunt ne Angeli in terram sedem illi paraturi? Nequaquam, Fideles, nil horum accidit, & omnia in hoc Mysterio sunt mirabilia? Deus fit infans, nascitur in oppidulo ignoto, in deserto stabulo, ut doceat homines, qui hactenus indociles fuerant veram salutis scientiam. *Auctor sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. Tomo 1. Mysteriorum: sermone de Nativitate Domini.*

Nihil aptius est ad auferendum ex humanis mentibus errorem de Mundi hujus opibus, quam Salvatoris nascentis præsepe.

Nihil auferre potest hominibus errorem, in quo plerique versantur, in iis, quæ ad Mundi hujus opes, honores, magnificentiam, & amorem pertinent, eorum omnium, quæ nitent, & quæ nutrire, & alere potius hominum possunt, quam explere ambitionem. Mundus tamquam Dominus, qui illos fallere quærit, hæc illis exhibeat satis est; ut eos in suam pertrahat servitutem; neque de alia quapiam re cum illis agit, ut foveat errorem illorum, & præjudicia, quæ secum ab incunabulis deferunt: Error, & præjudicium, quod sane multi operis, ac laboris erat auferre: nam antequam Dei Filius in Mundo appareret, dicere possumus hanc vulgatissimam fuisse mortalium illusionem. Festina igitur cælestis Magister, in teram descende, ut homines de hoc errore surripias. Mundus tot sæculis felix hoc momentum expectat, providentiæ tuæ decretis præstitutum. Impatienter expectamus quænam futura sit prima lectio, quam illis traditurus es: & hæc profecto illa est, cui attentiores nosmet præstare debemus, tamquam illi, quæ in animis nostris majorem vim est habitura. Sed mundus universus divini hujus Magistri doctrinam horret, &c. *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Ad auferendum igitur ab hominibus errorem hunc, delendamque ideam, quam de honoribus, opibusque concepit, Messias iste venit tandem in terras. Sed venit in noctis caligine ignotus, sine pompa, sine fulgore, sine tota hac magnificentia, quam Judæi sibi proposuerant; sed e contra præ se tulit omnem fastus hujus contemptum, quem homines tamquam magnitudinis characterem respiciunt. Quod, amabo vos, hoc est hujus Magistri documentum, quem ipsam esse sapientiam patet! Et si homines illud intelligunt, & norunt quid per hoc ipse velit innuere, nonne inde inferre debent, honorem, pompam, nitorem, & quidquid per ambitionem nostram tamquam magnum aliquid respicimus, objectum esse contemptus, & reprobationis Dei? Hæc igitur nobis fugienda sunt, tamquam nostri mali causa, tamquam primus, & maximus obex salutis nostræ, & tamquam fons maximorum flagitiorum, quæ in Mundo contingunt. Ita iste contemptus, & hæc fuga sunt primum illud axioma, quod hic hominum Magister instituit. In vitæ suæ curriculo auferet, delebitque vitia singularia, effectus omnes generalis hujus erroris, sed per se ipsum docere vult primum hoc, & maximi momenti placitum Æthicæ suæ disciplinæ. *Idem*.

Quid nobis inferendum sit ex hac contem-

O Mortales, quos inanis idea mundanæ pompæ occupat; si tot sæculorum experientia errorem vobis auferre non potuit, vobis ejusdem mobilitatem ob oculos ponens, ad quid tandem redigitur? Heu! Melius dirigite judicia, quæ vobis facienda sunt, ad normam illius, quod Sapientia incarnata constituit, & cum S. Bernardo hanc elicite argumentationem, quæ æque justa est, ac valida, & apta ad persuadendum. *Aut Mundus errat, aut Christus fallitur.* Necesse est alteruter in errore sit, vel Mundus, vel incarnatum Verbum; quandoquidem sibimet contradicunt. Alter quidem ostentat opes, divitias, nitentemque hanc pompam, quæ nos allicit, alter vero commendat paupertatem, humilitatem. Uter fallitur? uter verum docet? Heu! si rectum hinc judicium infertis, cum Sancto eodem vobis arguendum est: *Atqui impossibile est divinam falli sapientiam* tam in iis, quæ dicit, quam in iis, quæ operatur; quid ergo inferendum est, nisi Mundum os nobis sublinire, nos in errore versari, cum sequimur Mundi placita, & patimur oculos nostros perstringi inani hac luce, quæ præterit, & in fumum evanescit. *Præterit figura hujus mundi.* Idem.

peu, in quo Dei Filius habuit istas Mundi dignitates. Serm. de Nat.

ad Corinth. 7.

In Salvatoris stabulo, in deserto hoc recessu Mundi Magister primam suam scholam instituit; ubi Sanctus Augustinus omnes invitat terræ Principes, ut ibi discant humilitatem, & quanti facienda sint hæc omnia magnitudinis insignia, quæ ostentare gestiunt, & totidem sunt superbiæ monumenta. *Doctrinam tandem humilitatis agnoscite, etiam nondum loquente doctore.* Discite divites, & principes Mundi, vosmet humiliare ad exemplum Dei, qui ad extremum exinanitus est, & qui cum nondum loqui possit, docet vos humilitatem sub hoc paupere apparatu, quo septus est: Vestes magnificæ, quibus estis induti alunt ne vestram superbiam? Oculos conjicite in pannos, quibus est involutus. Superbæ domus, & conclavia pretiosis aulæis exornata inflant ne cor vestrum; ita ut vobismet vos aliquid esse persuadeatis, & mereamini, ut præ ceteris niteatis? Respicite stabulum, ac præsepium, ubi Deus vester in paleis recumbit.

Discimus humilitatem in stabulo Salvatoris, quod prima est schola divini Magistri.

Alloquium animæ piæ ad Jesum Christum.

Quam longe alius es ab eo, qui videris, infans Deus! Nequaquam satis perspicaces sunt hominum oculi, ut aliud dignoscant in te, nisi tenue corpusculum, infirmum, delicatulum, frigore adustum, rebus omnibus destitutum, humi jacens inter jumenta, tamquam hominum rejectanea; cum nihilominus sis Filius æterni Patris, *Splendor gloriæ, & character substantiæ ejus, Deus Infinitus, Omnipotens, divinarum opum thesaurus, beatarum animarum gaudium, deliciæ diligentium te, beaticudo cupientium*, & requies te possidentium. Quomodo magnus simul es, & exiguus, o Deus Infans! Temet hoc in statu posuisti, ut facilius amorem nostrum merereris? neminem rejicis. Nasceris in loco prorsus patente, unicuique patet aditus ad te, & permittis omnibus, ut te peramanter complectantur. Abscondis majestatem tuam, Rex gloriæ, ut homines citra timorem ad te valeant accedere, ac familiariter tecum pertractare; quis enim auderet adire coram te, nisi bonitas tua adeo facilem nobis ad te præberet accessum? Veni in animam meam, infans Deus, per recentem nativitatem & exple illud, quo flagrat possidendi tui desiderium; mecum mane, in me requiesce: emolli tua agni dulcedine duritiem cordis mei, ac me totum in tuum amorem transforma. *Ex libro, cui titulus: Passiones Domini nostri.*

Cur Dei Filius dure ad est tracta venite opus suum in sua nativitate.

Hominum Salvator ex eo tempore ostendit vias Dei longe remotas esse a cogitationibus hominum mundi hujus, cujus placita sola nativitate sua evertebat; parvi facienda esse commoda temporalia, quæ tanta cura quæruntur; & corpus nostrum cum sævitia tractandum esse: si enim JESUS CHRISTUS adeo aspere suum tractavit, quod purum erat, innocens, ac perfecte divinæ voluntati subjectum, quomodo tandem nostrum a nobis contemnendum est, quod est corpus peccati, & hostis apertus nostræ felicitatis? Voluit ergo, ut nos erudiremur, corpus suum quamvis sanctum, & delicatum, humi in palea collocari, quia cognoscebat, quantum amor carnis nostræ, & fallax pax, quam habemus cum illius concupiscentiis sit periculosa nostræ saluti, quia efficit, ut amittamus omnem fructum laborum, quos pro nobis passus est Salvator, & meritorum, quæ nobis adeptus est. Sed, Divine Salvator, Æterna Sapientia, si quæris homines, eosque ad tuum pertrahas cultum, cur non nasceris, ut illi, & inter illos? Cur in stabulo nasceris? cur saltem humanam tibi mansionem non eligis? cur adeo inhumane sævis in Corpus tuum? Non ita agis profecto, aut fortuito, aut per infirmitatem; quia ipsa es increata Sapientia, & potentia tua sustines Mundum. Ita nasceris, quia ita vis, & ea elegis, quæ pateris. Sed cur eligis tantam austeritatem, tantamque sævitiam corpusculo innocenti? Quia videlicet nostra intelligis mala, scuti illorum unicum es, verumque remedium. Scis corpus, & carnem nostros esse infestissimos hostes, membrorum legem in nobis contra legem spiritus rebellare, & efficere, ut jacturam patiamur fructus misericordiarum tuarum. Excipis carnem tuam, quamvis sit puritas ipsa, ac instru-

mentum

mentum infinitorum bonorum, quæ confers nobis, eo modo quo ipsi noſtram excipere deberemus. Heu! quam cæcus ſum! niſi video, quid hoc facto me doces. Quam vero miſer ego ſum, ſi hoc videntem non pudet me blandiri corpori meo, & parcere huic inimico ſalutis meæ eo uſque, ut illius commoda præferam gloriæ tuæ, ac offendam te, ut illi placeam. *Idem.*

Lacrimæ, quas fudit Salvator veniens in Mundum.

Ubi primum Salvator venit in Mundum, vagitus edidit, fuditque lacrymas, quod & alii faciunt infantes, idque nobis magnum eſt admirationis argumentum videre Filium Dei viventis ita æternam Sapientiam ſuam celare; Verbum Divinum obmuteſcere, Beatorum gaudium lacrymas emittere, & potentiam pannis involutam intra Virginis brachia geſtari. Tanta hæc miracula intuiti obſtupeſcere debemus: Nam quamvis ille ploret non ſecus ac alii infantes, cauſſa lacrymarum ejus longiſſime alia eſt. Videns ſibi demandatam provinciam expiationis omnium Mundi ſcelerum, Mundum ingreſſus ad vivum ſentit infinitum hunc peccatorum numerum, quæ Sapientia ſua ſimul omnia oculis ejus ſubjiciebat; ut ex eo tempore flere incœperit, & mox vitam ſuam tranſegerit in doloribus, & in illis obierit. Hæ lacrymæ pro peccatoribus effuſæ dignitati perſonæ ejus conjunctæ adeo valuerunt apud Deum Patrem ſuum, ut illum nobis propitium reddiderint, & criminum noſtrorum veniam nobis promeritæ fuerint. *Idem.*

Diſcrimen inter apparatum, quem fecit Deus Filio ſuo naſcenti, & illum, qui factus fuit Adam, cum in terreſtri Paradiſo crearetur.

Stabulum, præſepe, palearum manipulus, frigidiſſimum anni tempus, nox concubia, dirutus locus, & undequaque patulus; hæc ſunt Pater æterne parata Filio Tuo incunabula? Fieri ne poteſt, ut non aliud paratum ſit palatium ad recipiendum Magnum hunc Principem, quem tot ab hinc ſæculis omnes expectant? Noluiſti Domine ex nihilo primum hominem educere, niſi antea cælum ſyderibus, terram ornatu ſuo condecoraſſes, niſi omnia ita diſpoſuiſſes, ut ille ſtatim inveniret non ſolum pulcherrimum anni tempus, ſed compoſitum ex iis omnibus, quæ aliorum ſpeciem, & jucunditatem efficiunt. Locus manſioni illius deſtinatus fuit Paradiſus terrenus, in quo pulcritudines, & decora pretioſiora collegeras; & pro Adam ſecundo, pro illo qui redditurus erat tibi gloriam a priore ſurreptam, prorſus oppoſitas ingrederis curas, omnibuſque ceteris Sapientiæ tuæ conſiliis, ut ille omnibus rebus indigeat? *Pater de la Colombiere ſermone pro die Nativitatis Domini.*

Cur Dei Filius venerit in Mundum in ſtatu adeo paupere.

Quæ ratio gloriæ, quam hodiernum Myſterium allaturum eſt Deo cum humiliationibus? Hæc tamen via eſt, qua Æterna utitur Sapientia ad ſupremam Dei Majeſtatem honorandam. O nos cæcos, qui ſenſibus tantum ducimur; de rebus judicium ferimus ex eo, quod ſenſus afficit noſtros. Præterea noſtra conformamus judicia cum iis, quæ in nobis dominantur, cupiditatibus: cumque ea tantum habeamus in pretio, quæ nitent, & fulgore quodam oculos noſtros perſtringunt, magnitudinis ideam adnectimus cuidam exteriori pompæ; & quidquid ab eadem abhorret nobis abjectum videtur, & contemptibile. Hoc Judæos carnales impulit, ut crederent Meſſiam ad reparandas Iſrael calamitates venientem, appariturum eſſe in brachio forti ad illos de ſervitute eripiendos cum prodigiis, quæ excederent illa, quæ olim operatus fuerat, cum patres illorum de Ægypti eduxerat captivitate. Sibi perſuadebant, cum hic ſummum honorem præſtiturus eſſet Deo, appariturum eſſe cum pompa, quæ digna eſſet infinita ſua majeſtate, & fortaſſe nobis grave non eſſet videre hoc pacto probari eam cupiditatem, qua afficimur iis rebus, quæ maxime nitent. Pudeat vos homines ſuperbos. Sapientia veſtra Æterna Sapientia confunditur. Nil fallacius hiſce præjudiciis. Venit Meſſias ad Iſrael ſalvandum, & reparandas injurias, quibus Deus fuit coinquinatus. Ideoque apparere debet in hoc ſtatu in ſpeciem adeo contemptibili. Quid Deum ad iracundiam provocavit? niſi videre hominem ex divinis manibus egreſſum dominationem appetere, obedientiæ jugum excutere, creatis rebus inhærere cum illius contemptu, a quibus illæ creatæ fuerunt. Nonne ſatius erat ad flectendam Dei jure irritatam iracundiam, ereptamque illi gloriam reſtituendam, nonne inquam ſatius erat vias prorſus oppoſitas ſequi? Nonne ſpectaculum erat dignum Dei magnitudine videre proſtratum coram ſe, non Angelum quidem, qua in re nihil eſſet mirum; non hominem, cujus humiliatio minoris adhuc eſſet facienda, quia nihilo ipſius magis eſſet conformis, ſed Deum non ex neceſſitate, ſed voluntate humiliatum, & hoc modo humiliatum? Non ſuppetunt mihi verba, quibus ejus aſſequar humiliationem. Quod prodigium, Sanctus Hieronymus inquit; quem cæli, & terra capere nequeunt, & qui omnia replet immenſitate ſua, ſtabulo contineri! *Ut quod cælo non capiebatur, præſepio caperetur. P. Maſſon in Adventu ſermone pro die Nativitatis.*

Si Dei humilitas aliquid eſt mirabile, & incomprehenſibile, nonne verum eſt dicere, hominis cæcitatem poſt hoc exemplum, aliquid eſſe mirabilius? Ubi id S. Bernardus animadvertit ſancta correptus iracundia his verbis locutus eſt: *Intolerandæ impudentiæ eſt, ut ubi ſe exinanivit majeſtas, vermiculus inſletur, & intumeſcat.* Pater hic æquo ferre nequit animo Fideles ſe profiteri Dei adeo humilis diſcipulos, atque in moribus eorum tantam inveniri contradictionem. Succenſet ira videns homines conſectari tanta aviditate honores, dignitates, inane gloriæ phantaſma, quin Dei exemplo valeant deterreri. Quod judicium a nobis ferendum eſt de Mundo, qui ſpectat deſiderium ſeſe attollendi, promovendi fortunas ſuas, nitendique, tamquam magnarum animarum affectum, tamquam cupiditatem, quæ indigitat magnum cor, & ad magna natum? *Idem.*

JESUS CHRISTUS in nativitate ſua nos docet humilitatem.

Numquid nobis utilius, & ad coercendam mentis noſtræ ſuperbiam, & vanitatem aptius eſſe poteſt, quam ſæpe conſiderare, illum, qui ab Angelis in Cælo adoratur, in terris naſci voluiſſe? Deum ſeſe humiliaſſe ita, ut nos efficere voluerit ſuæ gloriæ participes, & noſtram induere miſeriam, atque infirmitatem? hominem fieri voluiſſe, & ſupremam hanc majeſtatem, ad cujus pedes, ut inquit Scriptura, *Columnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus*, Jobi 26. veniſſe ut hominibus deſerviret? Quandoquidem Deus pro nobis hæc omnia fecit, quid nobis faciendum non eſt, ut illi ſubmiſſionem, & gratum animum profiteamur? Quo gaudio debemus amare, amplecti, & adimplere omnia chriſtianæ humilitatis officia? Agnoſcamus ergo quam ſalubris eſt Doctrina, quam tradit nobis JESUS CHRISTUS per nativitatem ſuam ante etiam, quam ullum verbum valeat proferre. Naſcitur pauper, naſcitur tamquam hoſpes in commodato ſibi loco; naſcitur in ſtabulo; naſcitur in præſepio; naſcitur denique ſumma hyeme; quod Sanctus Lucas ſignificat per hæc verba: *Reclinavit eum in præ-* Luc. 2. *ſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Poterat ne loqui verbis, quæ melius exprimere poſſent humiliationem ejus, cujus majeſtas cæli, terræque gloriam conſtituit? Etenim non dicit ſolum, locum non fuiſſe in diverſorio, ſed non fuiſſe locum *ei*, qui profitetur, terram omnem, ejuſque plenitudinem, & quidquid in terra eſt, ſuum eſſe; quod alius Evangeliſta docet: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Joann. 1. *Ex Cætech. Concilii Tridentini in 3. Artic. Symboli Apoſtolorum.*

Debemus JESUS CHRISTUS in hoc, in quo ſeipſum poſuit ſtatu, amorem tenerum.

Debemus JESU CHRISTO in Bethleemitico ſtabulo, amorem tenerum, conſiderare ſtatum, in quo ſeipſum pro nobis collocavit. Tenerum, inquam, amorem; neſcio enim quinam celſitudini fulgor nobis familiaritatem cum Domino vetet, ubi illum in gloriæ ſuæ ſplendore conſidero. Magnitudo perfectionum illius perſtringit me, & ſæpe in admirationem convertit primos mei amoris conatus. Ubi illum in cælo contemplor, video illum ita a me ſemotum, ut oculi mei illum intuentes infirmentur: *at-* Iſaiæ 3. *tenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum.* Ipſæ gratiæ, quas ab illo recipio, quatenus Creatore, conjunctæ ſunt cum quadam potentiæ ſpecie, quæ mihi reverentiam, atque terrorem incutit; ſed cum illum mihi ſimilem video, & audeo dicere quodammodo inferiorem mihi, quatenus infantem adhuc ab utero rubentem, omne obſequium meum mihi in amorem vertitur, & tota religio mea in amore ſubſiſtit. *Parvus Dominus, & amabilis nimis*, Sanctus Bernardus exclamat, immutans Prophetæ verba: *Magnus Do-* Pſalm. 47. *minus, & laudabilis nimis.* Hic Filius eſt derelictus, aeris inclementiæ expoſitus, replens ſuis vagitibus ſtabulum. Sed quid mihi ſentiendum eſt conſideranti omnes qualitates, quas me celat in hoc ſtatu? Ubi cogito hunc eſſe Filium David, ex Regio ſanguine natum, hunc eſſe magni conſilii Angelum, ſplendorem gloriæ Patris æterni, Verbum Incarnatum; & hæc omnia abſcondita eſſe, obſcurata, exinanita, confuſa in perſona infantis infirmi! Ah! ingrediamur in Bethleemiticum ſtabulum, & ſinamus, ſenſus noſtros agere; ſi cor veſtrum hoc ſpectaculo non movetur, & ſenſu caret, abite, meremini omnia anathemata obdurationi pertinaciſſimæ reſervata. *Sermo MS. Pater Catron.*

Deus Paſtores elegit, quibus primis revelaret filii ſui nativitatem.

Quinam illi ſunt, quos Deus elegit, ut ante ceteros nativitatem ſuam revelaret? Paſtores, videlicet pauperes laboribus intenti, homines mundo ignoti, ſua obſcuritate, ac ſtatus ſui ſimplicitate contenti. Hi ſunt illi, egregie Sanctus Ambroſius inquit, ex quibus JESUS CHRISTUS facit primos electos ſuos; illi ſunt, quos primos ad ſui cognitionem appellat; illi a quibus prima vult obſequia recipere; illi, qui videntur eſſe primi Dei naſcentis domeſtici; qui illius circumdant incunabula, donec Judææ Magnates divites Jeruſalem, docti, conſultique viri Synagogæ ſibi, ut ita dicam, traditi, & derelicti, permanent in tenebris infidelitatis, & nullam habere partem videntur in nativitate Salvatoris. Ab his Paſtoribus Chriſtiana incœpit Religio. Talis extitit Oriſtoribus Chriſtiana incœpit Religio. Talis extitit Origo Eccleſiæ, quæ juxta Sancti Joannis Chryſoſtomi animadverſionem tota in Bethleemitico ſtabulo continebatur, quia extra illud JESUS CHRISTUS ne-

qua-

quaquam agnoscebatur. *P. Bourdalove in secundo Sermone Nativitatis.*

Pauper status, in quo nascitur JESUS CHRISTUS, & damnatio fastus, & superbiæ Mundi.

Quodnam spectaculum magis nostras meretur admirationes, quam Dei nascentis tamquam infantis in semiruto stabulo, quin sibi magnificum ædificet palatium, & imperet omnibus terræ Principibus, ut illum in ædibus suis recipiant? Admirabile, inquam, spectaculum, quod Deus nascatur jacens in paleis, & præsepium sit illi pro solio, & tota apparatus suæ nativitatis magnificentia ad hanc pauperiem redigatur! Sed quid in hoc agit statu? Quid hoc silentium significat, & quodnam judicium profert contra mundum hoc præsepium? Hoccine est fastum, ejus pompam, atque superbiam probare? Infans hic silentio, & contemptibili statu, in quo apparet, se primum prodit judicem, & censorem fastus, pompæ, & superbiæ hujus Mundi. Hoc innuit Evangelium per verba, quæ Angelus Pastoribus protulit: *Invenietis infantem pannis involutum*. Hic sermo nonne totus mysticus est? Natus est Salvator, Angelus dicit, videlicet Homo-Deus, & signum, ex quo cognoscetur, hoc est: invenietis illum jacentem in præsepio. Nonne hoc idem est, ac si Angelus diceret: Salvator iste venit, Mundum prorsus novum creaturus: sed agnoscetis illum in qualitate Judicis Mundi placita damnantis, invenientes illum natum, & in præsepio cubantem. Vult ergo Angelus admonere, Deum infantem habere non potuisse stabulum pro palatio, & præsepe pro solio, quin contorqueret terribile judicium contra pompam, & fastum Mundi, cui non sufficit palatiorum nitor, & magnificentia. *Serazin Tomo 2. Adventus Sermone 32.*

Luc. 2.

Ejusdem argumenti.

S. Bernardus serm. 3. de nativitate Domini.

Ita S. Bernardus concepit Angeli sermonem, cum ait: Nunc Mundus judicatus est, & confusa sunt, eversa, & reprobata omnia fallacia judicia, quæ profert; videlicet, præsepe, in quo Deus nasci vult, prorsus oppositum est vanis, & ambitiosis Mundi cogitationibus. Magnus hic Sanctus mirum in modum probat hanc Mundi condemnationem per Nativitatem JESU CHRISTI in misero eo statu, in quo illum Pastores invenerunt. Primum: ait ille, Dei Filius, qui nasci poterat eo, quo solebat, tempore, illud elegit, quod erat molestissimum, & quo mater sua vix habebat pannos, quibus illum involveret; & præsepium, ubi illum reclinaret. In urgenti hac necessitate, pergit ille, non auditur sermo de pellibus ad illum cooperiendum, ita ut si primus Adam se pellibus texit, secundus pannis involvatur. Hoc cum Mundi judicio non convenit. Nec satis; cum enim nasci posset cum splendore, nascitur noctu, & silet. Non ita Mundus consuevit, qui vult, ut omnes de se, deque sua gloria loquantur. Sequitur Sanctus exhibere Deum hunc nascentem tamquam judicem Mundi per stabulum, a quo recipitur, & qui illi est loco palatii. Quid ergo, inquit, stabulum elegit ille, cujus est universus orbis terrarum. Quorsum istud, nisi ut ferat reprobationis sententiam contra Mundi gloriam, & sæculi vanitatem condemnet? *Idem.*

Plerique Fideles parum moventur exemplo Dei ad hanc necessitatem redacti.

Satis constat, plerosque Fideles non affici ea veritate, quam illis hoc stabulum prædicat; quippe modestissimus quisque non cessat amare pompam, atque nitorem in rebus omnibus in ædium suarum conclavibus, in eorum supellectili, in indumentis. Ubinam gentium inveniuntur, qui velint, præsepii sordes normam esse vitæ suæ in iis, quæ ad ipsos pertinent? Satis est interrogemus superbos, & ambitiosos homines, ut sciamus, utrum respexerint umquam Salvatoris præsepe cum voto sibi aliud prorsus simile in suo saltem corde ædificandi. Ambitiosi, aperite nobis cogitationes vestras, & quid præsumatis, ostendite. Tebimini, vos ascendere velle eo altius, quo vobis licebit; nullam esse dignitatem, ad quam non contendatis, & nisi prohibiti fueritis; vos ascensuros eo usque, dum nihil supra vos sit; & existimatis vos prorsus posse vestram superbiam hac una ratione, licet videlicet sua proterre consilia, quocumque pertingere possunt. Sed si CHRISTUM sequi profitemini, judicium vestrum confusum est, ac reprobatum ab hoc Homine-Deo, qui natus est in præsepio, qui novissimus, ac humillimus locus est, ubi nasci possint homines, & Angeli verba vos damnant, ubi vos mittunt ad hoc præsepe illic visuros infantem Deum pannis involutum. *Idem.*

Mundus hac in re fallitur.

Argumentatio, qua S. Bernardus utitur, ostensurus Mundum a Salvatoris præsepio damnari, prætermittenda non est: Vel JESUS CHRISTUS fallitur, ait ille, vel Mundus errat. Atqui fieri non potest, ut sapientia ipsa fallatur; oportet igitur Mundum in illusione versari. Ideoque si Dei Filius elegit id, quod carni erat acerbius, fieri nequit, quominus Mundus erret; quandoquidem quærit semper, & aucupatur ea, quæ sunt suaviora; & si Deus novissimas prætulit abjectiones fastui, ac celsitudini, quomodo nam fieri potest, ut Mundus, qui nonnisi gloriam inquirat, non erret, ideoque non damnetur, & reprobetur a Deo, qui nasci voluit in stabulo, & extrema humiliatione? *Idem.*

Deus pauper; & omnium egenus damnat avaritiam, & abusum divitiarum.

Homo-Deus videri ne potest pauper, & in præsepio, ubi super commodatum palearum manipulum jacet, consecrare paupertatem, absque eo, quod illum agnoscamus tamquam judicem, a quo avaritia, & mundi concupiscentia damnatur! Certum est, si in Evangelio nullum est verbum, quod non sit censura, & cupiditatis damnatio; præsepe Salvatoris illius esse reprobationem. Nam quomodonam Deus frigore contremiscens, nudus in præsepio non habens, ubi caput reclinet, atque in extrema necessitate positus; quomodonam, inquam, Deus hic pauper non ferret damnationis sententiam in divites, qui nullos cancellos statuunt inexplebilibus desideriis suis, quibus peritura congerunt bona, *quæ mergunt homines in interitum?* Tandem enim serio considerandum esset, Deum, qui regula, & exemplum est vitæ nostræ, vitæ suæ initium facere voluisse per damnationem cupiditatis divitiarum. Ita infans hic in paleis jacens, quamvis mutus, loquitur, & arcessit omnes avaros, & crudeles, qui pauperum sanguinem exugunt, ut audiant ex ipsius ore judicium suum, quasi diceret illis: Ego sum Rex Vester, igitur vosmet mihi conservare debetis. Ego sum pauper: & in mundum veni mortalium pauperrimus. Vobis igitur vivendum est in bonis vestris, si quæ habetis, tamquam si pauperes essetis; & præsto esse illis relinquendis, si vobis præceperim. Vos igitur damno tamquam indignos, qui partem habeatis in regno meo, si vultis esse divites, cum pauperes sitis, & si cum divites estis, vobis non sit amor paupertatis, & si minime vivitis perinde ac pauperes essetis. Ecce sententia, quam infans hic Deus in palea recumbens, & in præsepio, profert. *Idem.*

1. ad Timoth. 6.

Salvator nascens damnat immodica desideria colligendi bona peritura.

Audiamus mutum hoc Verbum, quod de præsepio judicans Mundum terræ divites exprobrat, qui horrent paupertatem, & divitias depereunt. Hoc stabulum, in quo me videtis, damnat incompositam hanc cupiditatem prædia vestra aliis cumulandi; & profert adversus vos terribile hoc judicium, quod posui in ore alicujus ex numero Prophetarum meorum: *Va, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Nunquid habitabitis soli in medio terræ?* Paupertas, & nuditas mea, quam videtis in hoc stabulo, nonne judicat, nonne damnat fœnora, & rapinas vestras, quibus locupletamini, expoliando pauperes? *Quid? ego nudus, & rebus omnibus destitutus venio, ut vos salvos faciam; vos autem furtis, atque latrociniis aucti salvari vultis?* Non igitur satis condemnat vos paupertas mea? & alibi petendæ vobis sunt excusationes vestrarum injustitiarum, & concussionum? Quis alius Doctor vobis consulendus est præter me, & paupertas mea in hoc stabulo? Num expectabitis illam rapinis vestris suffragaturam? vel saltem futurum, ut conniveat lucellis quibusdam, quæ cæca cupiditas vestra excusare contendit? Possunt ne ex novissima hominis Dei paupertate cupientis salvos facere divites, & pauperes, sed divites per spiritum paupertatis; possunt ne, inquam, ex tali paupertate emanare monita, consilia, & judicia, quæ hæc eadem possidendorum terræ hujus bonorum desideria non exterminent? Sed inde aliudne potest emanare præter terribiles condemnationes injustitiarum, quæ a divitibus perpetrantur? *Idem.*

Isaiæ 5.

Dei Filius perferens in stabulo temporum, & paupertatis incommoda, damnat vitam mollem plurimorum.

Deus in ejusmodi ærumnis nascens, adeo male acceptus mundo, & sustinens paupertatis, ac temporis acerbitatem, mundanorum mollitiem injudicatam, & indemnem relinquet? Nequaquam, Sanctus Bernardus inquit, nam panni isti, quibus involutus est, signa sunt, quibus plurimi adversantur: *In signum, positi sunt panni tui Domine, sed in signum, cui a multis contradicitur?* At qui illis adversantur, & contradicunt? Nisi qui ferre nequeunt mutam condemnationem, qua Salvatoris nativitas damnat vitam mollem sensibus, & voluptatibus deditam, quam ducunt, & probare contendunt tamquam culpa vacuam, eo quod inter impudicas libidines non volutatur. Sufficit ostendere Mundo spectaculum nascentis Dei, dure cubantis, & sustinentis omnes miserias puerorum, qui maxime derelicti sunt, ad evincendum, si ille in hac vita beatus esse velit, si amet, & quærat delicias, si horreat incommoda, & passiones; si denique velit ducere vitam mollem, ac deliciis affluentem, jam judicatum esse ab hoc infante; & miseriam, & incommoda, quæ patitur, irrevocabilem esse sententiam, qua ejus molities damnatur. Heu! si fieri posset, ut tot pertinaces vitæ commodæ, ac voluptuosæ propugnatores in Bethleemiticum stabulum ingrederentur, ibique viderent illum, qui norma est vitæ suæ contremiscentem, & subeuntem omnia paupertatis incommoda, & omnium anni temporum sævissimum sustinentem, videremus ne christianam cum ethnica vitam confundi, & Christianos, qui in corporibus suis gestare tenentur JESU CHRISTI mortificationem, in voluptatibus, atque deliciis versari? Si id genus homines spiritu saltem in pauperem hunc locum ingrederentur, quid ibi viderent, quod favere posset mollitiei, ac desiderio, quod fovent, omnia aliquid voluptati ipso-

ipsorum conferre! Ibine viderent mensas exquisitis dapibus opipare instructas? Quid in hoc stabulo nanciscerentur? infantem vagientem, atque plorantem; matrem non habentem, unde illius opem ferat necessitati; puerum, qui clamoribus suis, & per ea omnia, quæ in illo, & circum illum videntur, damnat vitam voluptuosam, quam ducunt iidem patientis Dei hujus cultores. *Idem.*

Amandus nobis est Deus, qui propter amorem nostri factus est homo.

Quid faciet homo, & quid illi faciendum est pro Deo, qui propter ipsum factus est homo? Hæc sententia, atque interrogatio hæc est S. Prosperi: *Quid ergo facturus est homo propter quem Deus factus est homo?* Amor non nisi amore satis rependitur. Amor, Domine, fecit, ut ad omnia pro nobis descenderes; Nonne ergo te amare debemus, omnibus nosmet subjicere propter amorem tui? Mundus se falli non sinit, nisi fulgore, ac potentia, divitiis, & pompa! sed ego Domine tuis afficior humiliationibus. Cum ad stabuli, præsepisque adspectum mihi metipsi dico; ut me sibi similem faceret Deus infinite gloriosus, se fecit similem mihi, & pro me, audeo dicere, offudit caliginem gloriæ suæ, & abscondit se sub hac vili, & contemptibili specie; se, ut ita dicam, de gradu dejiciens pro me fecit non solum ultra quam expectare, verum etiam ultra quam concipere, & mihi fingere poteram: Cum, inquam, hæc, aliaque id genus cogito, sentio cor meum tui amore succendi. *P. Giroust sermone de Nativitate Domini.*

Filius Dei ostendit omnes virtutes tamquam in seipso incarnatas.

Vulgata est apud Ethnicos sententia, si virtus seipsam posset ostendere, virtus hæc adeo digna æstimatione nostra longe alios in nobis sensus exciturum ab iis, quos ciere possunt ea, quæ nobis tribuuntur præcepta. Deus autem noster sese homini conjungens, sensibus subjecit nostris virtutem hanc adeo eximiam, ac desiderabilem; hujus ipse vivens imago fuit, vel dicam potius exemplar; ipsa enim virtus in illo loquebatur, & agebat in ipso; vel si mavis, virtus, & christiana sanctitas non aliud erat, quam ipse. Manus nostræ attrectaverunt illam, dicebat S. Joannes; aures nostræ illius præcepta audiverunt, & oculi nostri viderunt illius vestigia: *Quod audivimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectaverunt.* Vidimus illum nascentem in stabulo, jacentem in præsepio, orantem in solitudine, integras noctes traducentem in jugi oratione; vidimus illum cum nobis conversantem, jejunantem, patientem, & in omnibus tribuentem æquissimam, simulque distinctissimam ideam Evangelicæ perfectionis, virtutis, & sanctitatis: *Quod audivimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectaverunt. Idem.*

Si Filius Dei nascens conseravisset divitias, & opulentiam non magis horreremus pauperiatem, quam horreamus.

Liceat per vos mihi maximi momenti quæstionem proponere, ad cujus disceptationem non admodum magno opus est studio; si Dei Filius, exemplo suo consecrasset opulentiam, si pro calamitoso statu, in quo natus est, apparuisset in solio, & in rerum omnium affluentia, terrenis cumulatus opibus, iisque congerendis, servandis, augendisque intentus, quæro ex vobis, utrum amplius in horrore haberetis hanc ipsam paupertatem, ad quam se redegit? Si ille humanam appetiisset fortunam; num majori sollicitudine illa conquireretur; num major ad illam acquirendam cura adhiberetur; num vehementius mortales agitarentur? Hoc a vobis quæro; insatiabilis hæc fames, hæc, quæ vos vorat cupiditas, magis ne posset inflammari. *Idem.*

Hoc ipsum quæri potest de ambitione, & voluptate,

Si Deus quem colimus sanctificavisset electione sua ambitionem; si natus fuisset in honoribus, atque vixisset in splendore, & fastu, dicito mihi, utrum major impenderetur cura, ut progrederemur, atque inter ceteros emicaremus; utrum proniores essemus ad iram, & ultionem, utrum ambitiosius honores appeteremus, utrum laudes, ac inania thura aucuparemur; utrum majori nisu contenderemus paribus præcedere, competitores de ponte dejicere; denique utrum fulgidas dignitates, ac provincias ambiremus? Dicito mihi; possunt ne longius provehi chimericæ magnitudinis ideæ, ac sese attollendi desideria, semperque altius ascendendi, & nunquam effrænatas has cohibendi cupiditates, quibus nihil unquam satisfacere potest? Similiter si animarum Salvator voluptates consecrasset, & non secus ac falsa Ethnicorum numina, voluptates ipsas in Religionis articulum convertisset; si quæsivisset ibi tranquillam procurare fortem, ac docuisset nos in vita molli omnia gustare oblectamenta vitæ; penes vos esto judicium; nunquid majori sollicitudine laboraremus ad omnia nostræ conditionis commoda procuranda? Num plures haberentur societates, cœtusque ad ludos exercendos, ad obeunda spectacula, ad festos dies celebrandos? Nunquid major videretur in vestibus luxus, in cœnis sumptus, in omni denique prodigalitatis genere effusio? Penes vos esto judicium. Quid addi potest huic corporis nostri curæ, quæ nonnunquam tota est mentis, temporisque occupatio? *Idem.*

Dei Filius se omnibus malis nostris subdit.

S. Augustini hac de re sententia sedulo est perpenda. Oportuit, inquit ille, ut tantus accederet Medicus, quia superiori, cælestique virtute opus erat, ut tantus curaretur ægrotus. *Magnus de Cælo venit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Deus ergo de Cælo descendit; beatam reliquit sedem æternæ felicitatis, ut in hanc lacrymarum, ac miseriarum vallem descenderet. Amor suus adhuc longius illum provexit. Se se omnibus malis nostris subjecit. Admirabile, & ineffabile remedium! S. Augustinus exclamat: *o admirabile, & ineffabile genus medicinæ, per quod voluit Medicus ægrotare, ut ægros sanaret!* Quis crederet voluisse Deum in se peccatum suscipere, ut salvos faceret peccatores! Æger Medicum convenire non poterat; Medicus Ægrum convenit. *Ipse ad ægrotum venit Medicus. P. Giroust.* dit, ut nobis mederetur.

Inflammata Verum Patriarcharum desideria adventus Messiæ.

Beatus Fidelis, qui sollemni hoc die assequitur, quantum potest spiritum Sanctorum Patriarcharum, & cum Ecclesia canit: *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem, fortiter, suaviterque disponens omnia, veni ad docendum nos viam salutis!* Eccli. 24. *O Adonai, & Dux Domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti, veni ad liberandum nos in brachio extenso!* Exod. 3. *O radix Jesse, qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare!* Id. 19. *O clavis David, & sceptrum Domus Israel, qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit; veni, & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, & umbra mortis!* Isaiæ 11. *O Oriens, splendor lucis æternæ, & sol justitiæ: veni, & illumina sedentes in tenebris, & umbra mortis!* Apocal. 4. *O rex gentium, & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum; veni, & salva hominem, quem de limo formasti!* Lucæ 1. *O Emmanuel Rex, & legifer noster, expectatio Gentium, & Salvator earum, veni ad salvandum nos, Domine Deus noster!* 1. Petri 2. Abbas du Jarry in Sermone de Annunciatione.

Verbum Æternum se visibile præbuit in hoc mysterio, ut per oculos potius quam per aures nos de veritatibus æternis erudiret. Lucæ 2.

Quemadmodum S. Chrysostomus de Cælis ait; illos enarrare nobis Dei gloriam per sydera, tamquam per tot ora, oculis nostris prædicantia: ita Deus, ut nos edoceret, oculis nostris loqui voluit, & Verbum suum nobis videndum exhibere. Ita Pastores, qui ab Angelis admoniti fuerunt, eo momento, quo Deus nobis locutus est in profundo noctis silentio, in quo æternum hoc Verbum Mundo expositum fuit, dicebant inter se: *Eamus, & videamus hoc Verbum, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Non dicunt illi; eamus, & audiamus Verbum, sed videamus hoc Verbum, quod continet in se omnia secreta cordis Dei; eamus, & videamus æternas cogitationes, quas celabat in se ipso ante ipsam Mundi creationem, & omnibus sæculis, quæ sunt elapsa. En jam explicitæ sunt extra ipsum; vult, ut cognoscamus secreta omnia sui cordis consilia, quandoquidem exponit illa ob oculos nostros. O quot miracula visuri sumus in hoc adorabili Verbo! quoniam hæc sunt omnia decora, quæ tenent suspensum in extasi æterna cor Dei, ipsumque replent lætitia. Sed quid putatis vos esse visuros in magno hoc Verbo, quod oculis vestris subjicit omnes Dei cogitationes? Cum de visibili Deo sermo est, quid putandum est videri posse in illo, nisi gloriam, magnalia, divitias, majestatem, voluptates, denique magnificentiam, quæ toto Cælo omnia terræ excedat magnalia? Tamen o cogitationes Dei, quam longe abhorretis a cogitationibus hominum! Infinita Dei Sapientia, quam longe opposita es insanæ persuasioni Mundi insipientis! Video Verbum hoc adorabile, & in illo omnes Dei cogitationes, quas subjicere dignatus est oculis meis, ut illas ita perspicue cognoscam, ut de illis dubitare non possim; & nihil video nisi paupertatem, passiones, infirmitates, humiliationes, & generalem privationem eorum omnium, quæ Mundus plurimi facit. Omnipotens Deus! Infinita Majestas! Hæccine sunt æternæ cogitationes tuæ? Hæccine illa sunt, quæ habes in pretio, quæ diligis, in quibus complaces tibi? Quam misera est Mundi cæcitas! Quis enim Mundi errorem auferre potest, si Dei Sapientia, quæ sese videndam præbet oculis nostris, non valet Mundi oculos aperire, ut videat illusionem, in qua versatur? Videte vos ipsi mortales, & legite in hoc visibili Verbo, quid magnum sit coram Deo, & quid sit Dei magnitudine dignum. Vosmet per oculos vestros erudite: *Per oculos, non per aures erudiens*, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus: ecce æternam veritatem, quæ se visibilem præbet, sensibilem, atque palpabilem sensibus vestris. Quid huic respondere potestis? *P. de Argentano Capucinus, de Magnalibus JESU, Collatione quinta.*

Quo rubore aliquando suffundendus erit Fidelis eo, quod sequutus non fuerit veritates, quas illi Verbum Incarnatum adeo palam ostendit.

Quid prodest veritatem cognoscere non sequentibus illam? Quid proderit Christiano viro, Deum ore proprio non locutum fuisse, eique in persona sua direxisse Verbum, ejusque oculis illud videndum præbuisse; & per hanc infinitam rationem, per quam, & in qua videt ipse, se Deum esse, fecisse, ut ille oculis suis videret, in quo situm sit verum bonum, & quid sibi amandum sit, ut placeat illi? Quid illi proderit, sibi persuasum esse, se spiritu saltem esse debere pauperem spiritu;

ſpiritu; hoc eſt, ne minima quidem ex parte adhærendum ſibi eſſe terræ bonis, & Deum unum eſſe theſaurum ſuum; ſibi contemnendos eſſe honores inanes, & in profunda humilitate vivendum, propter quam amat contemptum ſui ipſius, & Mundi, ut unice Deum habeat in pretio; ſibi fugiendam eſſe voluptatem ſenſuum, quærendamque crucem, atque paſſiones? Quid inquam proderit illi, Æternum Dei Verbum deſcendiſſe ad oculis hominum ſubjiciendas inſignes haſce veritates, ſi oppoſitum agit, quaſi vita ſua proteſtari vellet falſa omnino eſſe ea, quæ Dei Veritas ad nos docendos deſcendit! O Deus! quo pudore ſuffundendus eſt Chriſtianus die juſtitiæ, atque ultionis tuæ! O Verbum æternum! inquiet, cur temet objeciſti oculis meis, ut mihi oſtenderes veritates, quas me ſequi oportebat; cur ita palam mihi locutus es, ut omnem mihi excuſationis, atque prætextus locum auferres! O argumentum nimis validum, quod mihi in omnem objicies æternitatem! *Idem*.

Mundi principes, ac optimates imitari poſſunt JESU CHRISTI in ſtabulo naſcentis humilitatem.

Ne mirentur Mundi principes horrentes has intuiti imagines paupertatis, & humilitatis, quarum illis proponuntur exempla in incunabulis Salvatoris. In hiſce virtutibus duo ſunt, pars interior, exteriorque. Quænam eſt pars exterior, & corpus paupertatis, & humilitatis? Eſt reapſe abrenunciare divitiis, ac dignitatibus; ſed quæ pars interior, & ſpiritus harum virtutum? eſt cor avellere ab his honoribus, atque opibus, quin eorum luce perſtringamur; eorumque poſſeſſione intumeſcamus. JESUS CHRISTUS non præcipit vobis divites, ut exteriorem paupertatis, & humilitatis partem exerceatis juxta exempla ſua, *vel*, ut, quod fecit ille, dignitatibus, divitiiſque veſtris abrenuncietis. Sufficit illi pars interior, & ſpiritus harum virtutum; ſufficit *vos nimium* horum bonorum affectum moderari, & ſub honorum veſtrorum nitore cordis humilitatem tueri. *Biroat ſermone pro die Nativitatis Domini, in Adventu*.

Fieri debemus ſimiles Salvatori recens nato. 2.

Audite JESUM CHRISTUM, qui *jam clamat exemplo, quod prædicaturus eſt verbo*. Accedite ad ejus præſepe, quod ex Sancti Auguſtini ſententia eſt veluti cathedra, de qua prædicat JESUS CHRISTUS. Nihil vobis utilius, quam ad illam accedere. Status hic, ad quem ſuus illum redegit amor, ſecum gerit neſcio quam propitiam impreſſionem. Ab his ſacris incunabulis, non ſecus ac a cruce emanat, neſcio quæ virtus ſalutaris, & efficax, quæ nos facit infantes, ut ingredi poſſimus in regnum cælorum. Imitamini, quod ille *vivens aliquando fecit in terra*, puerum ſtatuens in medio diſcipulorum. Sancto hoc tempore, quod conſecravit Eccleſia ad colendam ſanctam Incarnati Verbi pueritiam, vobiſmet oculis fidei reveſtri: ac taciti vobiſmet dicite, niſi evaſerimus ſimiles Divino huic puero, non intrabimus in Regnum cælorum. *P. Maſſon Oratorii Presbyter, ſermone pro die Nativitatis Chriſti Jeſu*.

Dei Filius naſcens in terris attulit nobis pacem, reconcilians nos Patri.

Nemo unus ignorat, JESUM CHRISTUM eſſe illum pacis Deum Patriarchis promiſſum, prædictum a Prophetis, qui venturus erat in Mundum ad repanranda mala, quæ peccatum peperit, & qui unus cum Deo in gratiam nos poterat reconciliare. Filii iræ audeamus ne accedere coram infinita Majeſtate irritata contra poſteros Patris rebellis, qui contra illius imperia defecerat? Poſſumus ne obruti pondere iniquitatum noſtrarum, poſſumus inquam, oculos in Cælum attollere, imploraturi opem, & miſericordiam illius? Sed quamvis hoc nobis per illius gratiam facere licuiſſet, potuiſſemus ne ejus placare juſtitiam? Nobis opus erat Mediatore, qui Deo dignus nocentes ſalvos faciens, læſi jura tueretur; & hic erat JESUS CHRISTUS. Venit ille optatam hanc pacem procuraturus, quam ſe impetraturum certo certius noverat. Etenim poterat ne Deus hic Magnus, quamvis terribilis, non audire dilectum Filium ſuum, qui cum fœnore reparare poteſt injuſtitiam, quam ille ab hominum nequitia recipere potuit? Non ita; ne vereamur; hoc illud bonum eſt, quod nobis adfert ejus nativitas. Hæc nobis procurat pacem inæſtimabilem, pacem, quam unus ille nobis dare poterat; quia unus ille poterat nos nobiſmet, ac Deo conciliare. *Idem*.

Dei naſcentis Filius hominē ſecum reconciliat, eique pacem largitur.

Matth. 10. Luc. 12.

Jobi 7.

ad Epheſ. 6.

Dei Filius naſcens, non ſolum hominem cum Deo, ſed illum etiam cum ipſo reconciliat. Mirum! Homo cum ſeipſo concors non eſt, opus eſt, ut deſcendat de Cælo Deus, ut in illo pacem ſarciat. Quæ bonitas! Sed quomodo nam hanc illi pacem largitur? Nonne prorſus oppoſitum legimus in ſcripturis? Nonne ille ipſe teſtatur, *non veni pacem mittere, ſed gladium?* Nonne ait, ſe veniſſe, ut ita dicam, ad ſerendas diſcordias, & ad Filium a Patre, Filium a Matre ſeparandum? Nonne Spiritus ſancti Oraculum eſt, *militiam eſſe vitam hominis ſuper terram*? Nonne monet Sanctus Paulus nobis cum terribilibus hoſtibus eſſe dimicandum? *quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Deni-

que deſunt ne nobis inimici domeſtici? *Inimici hominis, domeſtici ejus*. Quomodo ergo pacem habere poſſumus? Quia JESUS CHRISTUS naſcens ſuppeditat hominibus id, quod neceſſe eſt ad veram pacem acquirendam. Duo enim valida ſuppeditat adminicula. Primum enim tribuit illis gratiam ſuam: deinde vero: eos ſuo exemplo confirmat, ita ut homo duplici hoc firmatus ſubſidio deſtruat in ſe quidquid prohibere poteſt, ne vera tranquillitate fruatur. *Idem*. Matth. 10.

Quantam vim Salvatoris Nativitas habeat ad inanem coercendam ambitionem, & nitendi ſtudiū. Iſaiæ 45.

Exemplum Dei, qualem hodierna die veneramur, quam potens videtur mihi ad acerrimas etiam cupiditates cohibendas? Quod enim pertinet ad ambitionem, creſcendi, nitendique cupiditatem, homo conjiciens oculos in illum, qui ſine rapina jus habet ſeſe Deo exæquandi, videns illum, qui cum ſit ſplendor Altiſſimi, & gloria, ac imago perfectiſſima ſubſtantiæ ejus, tamen non dedignatur naſci in ſtabulo: homo hoc ſpectaculo non commoveatur? & non dicat cum Propheta; tu Deus es, ſed vere Deus es abſconditus. Quam igitur malo tecum abſcondi, quam laborare, ut me proferam, & me attollam! Nam me tecum abſcondens, & humilians, Deum meum imitabor, & ſimilis illi fiam hac in re, qua nihil eſt illi antiquius, & quam etiam, atque etiam nobis voluit eſſe commendatiſſimam. *Idem*.

Salvator naſcens pauper, auferre nobis debet errorem, in quo ſumus, cum opes habemus in pretio.

Ubi mentem adjicio perpendendis Myſterii hujus circumſtantiis, & contemplor Deum iis omnibus indigentem, quæ ſunt ad victum neceſſaria, neque hoc per impotentiam; quandoquidem manum aperiat ſatis eſt, ut omnem effundat copiam, ac fœcunditatem, mecum reputo! Quam *longe* fallitur Mundus, cum arbitratur neminem eſſe poſſe beatum, qui dives non ſit! E contra video, paupertatem præferendam eſſe divitiis, quas actibus ſuis Deus reprobare videtur. Video ſaltem tutiorem eſſe ſtatum pauperum, quam eorum, qui magna poſſident bona. Tunc quin ingentes theſauros concupiſcam, & quidquam agam injuſte ad eos congerendos, cum Sapiente dico, Domine, ne dederis mihi ingentes divitias, & longius proferens præ hoc Rege perfectionem, eo tempore, quo terræ bona virtutis præmium eſſe *videbantur*, non dicam cum illo, Domine, ne permittas *labi* in pauperiem, tunc enim de te conqueri poſſem; ſed dicam illi, ſi hæc tua voluntas eſt, me pauperem fieri, ne permittas ſaltem me eo temeritatis attingere, ut de *te* querar. *Idem*.

Dei Filius naſci vult in corde noſtro, ſed illi aditū prohibemus, quod illi accidit in diverſorio Bethleem.

Dei Filius ad noſtri cordis oſtium pulſat; ſed in eo non invenit ſibi locum, Locum non invenit in diverſorio Bethleem, vel quia plenum erat: vel quia Joſeph, & Maria non eum habebant itineris apparatum, qui earum domum dominos in ſpem erigere poſſet, ut ex locatione earum lucrum poſſent referre. Præterea JESUS CHRISTUS eſt pauper; paupertas vulgo cauſſa non eſt, ut aliquis bene excipiatur. Ad JESUM CHRISTUM recipiendum, pauperes fieri nos oporteret; videlicet relinquere inordinatum bonorum Mundi hujus amorem, quo nomine ea omnia continentur, quæ poſſidentur; ſed pauperies hæc illis non ferenda videtur, & reſpicitur tamquam graviſſima, quæ illis contingere valeat, calamitas. Verum eſt JESUM CHRISTUM dicere, væ divitibus; ſed Mundus aliter loquitur, & Sermonem habet corruptioni ſtudiorum noſtrorum magis conformem; cui ideo facilius aures adhibentur. *Idem*.

Mundus viciſſim damnat Jeſum Chriſtum placitis ſuis prorſus oppoſitis.

Si JESUS CHRISTUS in præſepio Mundum condemnat; Mundus quoque viciſſim damnat illum. Cur, inquit, naſci *voluit* in paupertate, humilitate, in paſſionibus? Hæccine decebant Deum? Nunquid minori ſumptu hominem ſalvare non poterat? Quandoquidem nos adducere poterat in Cælum per viam magis facilem, ac ſuavem, cur nos per avia, & invia, per ardua, & aſpera voluit adducere? Ita loquitur Mundus, quia cæcus eſt; ita nos etiam ipſi fortaſſe loquimur, quia cæci ſumus: ſed quia JESUS CHRISTUS infinito lumine illuſtratus eſt; quia ille æterna ſapientia eſt, putat ſibi aliter & loquendum eſſe, & agendum. Veniebat ille curaturus ſuperbiam, impudicitiam, avaritiam noſtram, vel ſaltem moderaturus in nobis amorem divitiarum, voluptatum, & dignitatum, ſi illas amaviſſet, quæſiviſſet, ambiiſſet, nunquid nobis earum horrorem immiſiſſet? Nonne immo noſtram cupiditatem irritaſſet, quin illam vel curaret, vel imminueret. Si poſt exempla humilitatis, paupertatis, mortificationis, quæ nobis reliquit, nos reddere non potuit humiles, divitiarum contemptores, mortificatos: quid fieret ſi in illo animadvertere potuiſſemus amorem, & affectum bonorum, voluptatum, honorum? Nonne magis adhuc eſſemus avari, impudici, ambitioſi? *P. Nepveu. Tomo 4. Chriſtianarum Conſiderationum*.

Quandoquidem JESUS CHRISTUS in Mundum venit, ut nobis eſſet exemplo, ac oſtenderet nobis viam, quæ ducit in Cælum, nobis illi via erat connotanda, per quam omnes incedere poſſent, nobiſque adminicula ſuppeditanda, quibus adjuti æternam

beatitudinem noſtram promereri poſſemus, quæ in noſtra eſſent poteſtate, quæ omnibus liceret amplecti. Poteſt ne Mundus univerſus eſſe dives, eſſe nobilis, omnibuſque voluptatibus frui? Si hæc eſſet via, per quam in Cælum aſcendendum eſſet, quot illi abrenunciare tenerentur? Sed mortales omnes poſſunt eſſe humiles, pauperes, patientes; hoc unum requiritur, ut quis cæleſtem gloriam acquirat: ergo mortales omnes illam poſſunt indipiſci. Quamvis divitiæ, voluptates, honores magni ſint ad ſalutem obices, tamen quanta eſt hominum ſollicitudo, & cura, ut illa poſſideant? Si tanto ſtudio quæruntur hæc bona, etiamſi periculoſa ſint, atque funeſta ſaluti noſtræ, quid feciſſemus, ſi eadem fuiſſent media ad eam procurandam? Qua contentione illa obtinere fuiſſemus conati? Quotuſquiſque eſt, qui nobiſcum de noviſſimo loco contendat, quæ tamen tutiſſima via eſt ad cæli gloriam promerendam? *Idem.*

Senſus, quos fovebat Verbum Incarnatum videns ſe infantem, & redactum ad ſtatum in oculis Mundi contemptibilem.

Salvator in ipſa ejus infantia cognoſcitur; quid eſt enim hominis infantia? Ætas eſt omnium maxime infirma, cæca, contemptibilis: naturæ opprobrium eſt, rationis ſervitus, infirmitas ſtupida, innocentia ſine meritis. Quid porro infantia Dei? Hæc ſaltem in hominum oculis eſt, quidquid nuperrime dictum eſt, & præterea obſcurum velum, ſub quo latent nitidiſſimæ quævis perfectiones nativitatis, generalis privatio omnium honorum, qui noſtrum exigunt cultum, ſtatus, qui quodammodo deſtruit potentiam, ſapientiam, æternitatem, immenſitatem, immutabilitatem Creatoris: denique figura eſt, ſub qua divinus amor melius Deum poſſet abſcondere. Salvator in hac humiliatione, & hoc nihilo cognoſcitur; ſed quis dicere poſſet ſenſum Dei, qui videbat ſe in ſtabulo expoſitum rigori hyemis, iis carentem ſubſidiis, quæ miſerimus quiſque naſcens invenit. Ad judicium hoc ferendum, participes eſſe oporteret infinitæ plenitudinis luminum, quæ non ſinebat illum quidpiam vel magnitudinis, vel abjectionis ſuæ ignorare. *Pater la Peſſe, Sermone de Nativitate JESU CHRISTI.*

Jeſus eo in ſtatu æque noverat, & perfectiones ſuas, & noſtram indignitatem, & amor ſuus illum quodammodo excæcat in hoc.

O Salvator hominum! quomodo in triſti hoc ſtatu luminibus tuis utebaris? Quid cogitabas de divinitate, & infantia tua? Quam in corde tuo peperit impreſſionem oppoſitio magnitudinis, & humiliationis tuæ? Sciebas quid eſſes, & quid merereris; & ſciebas etiam quem in ſtatum ſe tuus amor redegerat, ſed amor, qui non abſcondebas JESU merita ejus, num abſcondis illi noſtram indignitatem? Gloriam ejus operiens, non ne noſtram auges? Cur nihil ſumus coram Deo? Cur adeo contemptibiles ſumus? Cur ſumus nihilum coram illo? Saltem, nunquam illi intuliſſemus injuriam; ſed præterquam quod miſeri ſumus; ſumus etiam nocentes; & JESUS perfecte novit cauſſas, propter quas nos contemnit, & odit: amor illius nequaquam obnoxius eſt humani amoris illuſionibus, qui ſe ipſum excæcat, ne videat vitia eorum, quos amat. *Idem.*

Dei Filius in hoc ſtatu vere nobis datus eſt. Iſaiæ 9.

Non immerito Propheta inquit; *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Se ipſum dedit nobis quia non pro gloria ſua, ſed unice propter nativitatem noſtram ſe dedit nobis. Dicamus aliquid ultra; quodam in ſenſu magis noſter eſt in præſepio, quam in gloria; in gloria ad ipſum ne cogitationibus quidem pertingere poſſumus; in præſepio illum oculis noſtris uſurpamus, & manibus attrectamus; in gloria lumen habitat inacceſſibile; in præſepio omnes recipit, omnes vocat; in gloria omnis doloris eſt expers, in præſepio patitur æque ac nos. In gloria multifariam oſtendit omnipotentiam ſuam: ibi ſua jaculatur fulmina, & emittit vocem terribilem, qua Libani cedros confringit, & concutit montes. In præſepio plorat nobiſcum, &, ut verbo me expediam, ad ipſum ſine timore, ac terrore accedimus, &c. *Idem.*

Nullam proferre poſſumus cauſſam, niſi ſequaniur Dei naſcentis exemplum.

Dignitas Domini noſtri nos damnat, illum imitari nolentes. Deus eſt, quem in deſerto hoc ſtabulo adoratis, Deus eſt, qui rebus omnibus indiget, qui alget, qui omnibus bonis, qui Mundi gloriæ abrenunciat eo uſque ut naſcatur ignotus, & rebus omnibus ad victum neceſſariis deſtitutus. Dei exemplum objectionem non patitur, & ipſam etiam prævertere debet cogitationem aliquid illi objiciendi. Non dices potentiæ defectu Deum ſuam pati pauperiem; univerſorum opifex poterat ſibi ædes ædificare, ubi cum nitore naſci poſſet. Non dices, illum propter parentum infortunium in ſtatum adeo miſerum inciſſe; poterat ſibi locum eligere inter capita coronata, & naſcens, purpureis pannis excipi; non dices ſuam caliginem, atque pauperiem reparaſſe nitentibus indiciis divinitatis, & magnitudinis ſuæ: Poſt exhauſtas tot repulſas jacet in palcis, eo quod Cæſaris imperio parere voluit; miracula, & plauſus, nequaquam efficiunt, ut in præſepio ſuo cognoſcatur. Noctis ſilentium non interpellatur concentibus Angelorum, quibus circum ſtipatus eſt; oriente hoc Juſtitiæ ſole tenebræ non diſſipantur. Ceterum nunquam procul dubio eo pervenies, ut putes, indignum eſſe, ſe ejus ſequi veſtigia. E contra credis honorificum eſſe tibi temet placitis ejus ſubjicere. Quomodo igitur coram Deo tuo naſcenti excuſabis non poſſeſſionem divitiarum tuarum, hanc tibi permittit; non amplitudinem generis, ac ſtatus tui, hanc non damnat; non ſtrepitum, ac nitorem, quem tua dignitas poſtulat, neque enim petit, ut illi abrenuncies; hac enim tecum uti dignatur indulgentia, quamvis jure tibi præſcribere poſſit eam abnegationem, quam ipſe exercuit; ſed quomodonam excuſabis coram illo inquietam hanc, & pertinacem adhæſionem, qua terræ bona, & honores conſectaris? hæc inſatiabilia acquirendi deſideria, furorem hunc incenſum creſcendi, æternum hoc inanis opulentiæ ſtudium, injuſtas, & crudeles artes ſemet infirmitatis, ac innocentiæ ſpoliis locupletandi? Quid vobiſmet ipſis negatis, cum adoratis JESUM CHRISTUM pauperem, patientem, humiliatum, Mundi aſſeclæ, qui totum vitæ veſtræ ſpatium impenditis vanitati, ac voluptatibus? *Idem.*

Quænam ſit impudentia eorū, qui Deum humiliatum adorant in præſepio, & intumeſcunt.

Improborum mortalium, ac terræ vermium eſt probare velle luxum mundanum, ac voluptuoſam pompam ad pedes præſepii JESU CHRISTI. Dicamus hoc cum Sancto Bernardo: *Intolerabilis impudentia eſt, ut ubi ſe exinanivit Majeſtas, vermiculus inflatur, & intumeſcat.* Heu! quandoquidem exemplum Dei cohibere nequit amorem, quo mundana hæc deperitis, concedite in ſtabulum Bethleem, ac poſt vos trahite hunc vanitatis, ac ſuperbiæ veſtræ apparatum: Illuc ite ibi locaturi ſpectacula veſtra, delicias, omniaque voluptatis, & ambitionis illicia: impudentia, iterum dico, quam perhorreſcere debemus! Et mundanus homo, qui credit Deum ſuum natum in ſtabulo, quid minus iniquum operatur. Nonne hoc eſt quodammodo inſultare illi, amplecti quidem veritatem exempli illius, ac tanta impudentia exemplum ejus oppugnare? *Idem.*

Uter, ſecundum S. Bernardum fallitur, Mundus ne, an JESUS CHRISTUS.

In hac occaſione Sanctus Bernardus celeberrimum illud propoſuit argumentum: *aut CHRISTUS fallitur, aut Mundus errat.* Aut fallitur JESUS CHRISTUS docens terrenarum rerum omnium contemptum; aut errat Mundus, vobis terrenarum rerum amorem ſuadens: uter in errore verſatur? Cautior ſum, quam ut vos hac urgeam quæſtione: Alteruter Deus eſt; alter vero mendax. Si ex alterutra parte mendacium eſt, jam noſtis utra in parte ſit veritas, & rectitudo. Sed ſi JESUS CHRISTUS neceſſario dicit vera, undenam fit, ut vos veris utamini, perinde ac nihil crederetis? cur quæritis lenimenta in placitis ejus, quæ illi adverſantur? cur vobiſmet ethicæ principia concinnatis, quæ e regione principiis ejus obſiſtunt? Divitias in pretio habendo, & mundi gloriam ſectando, fietne, ut deſinant eſſet contemptibiles, ſi Dei Filius eas contemptibiles eſſe probavit? Sexcentas excogitando rationes illas amandi, nunquam illas amore dignas efficitis; ſi Dei Filius edixit illas odio dignas eſſe, & execrabiles. *Idem.*

Dei Filius in terras deſcendit mundum reformaturus, & quomodo id præſtiterit.

Cum Dei Filius venit in Mundum magna in nobis mala deprehendit, ſed majores virtutes edocuit. Inordinatus erat ſpiritus noſter, cor autem corruptius; Mundi gloriam reſpiciebamus tamquam aliquid deſiderabile; abjectionem vero, & contemptum, tamquam odioſum aliquid, & non ferendum. Fallacia hominum judicia, & reformanda. Sapientes Idololatræ, politici, ſæculi Optimates, domini nequam eſtis: tuum eſt, Verbum Incarnatum, immutabilis, atque æterna veritas, erudire nos in re tanti momenti. Hoc jam præſtitit, Sanctus Auguſtinus ait. Quod nos plurimi facimus, ille abjectum, & contemnendum cenſuit; quod nos rejicimus, ille magnum, ac deſiderabile exiſtimavit. Neque hic ſubſtitit. Quemadmodum cordis noſtri corruptio ſequebatur mentis errores, voluit doctrinæ praxim adnectere, & veritatem doctrinæ, quam traditurus erat nobis, confirmare exemplo virtutum, quod nobis præbet in ſtabulo. *Ex Dictionario Morali ſermone primo de Humilitate.*

JESUS CHRISTUS nos docet humilitatem in ſtabulo.

Præſepium, ſtabulum Bethleemiticum, caligo, tenebræ voluntariæ Dei latentis, & exinaniti! Hic Domine Salvator humilitatem nos doces. Virtus hæc illi erat jucundiſſima, quandoquidem ſemetipſum tot rebus ſubjecit. *Ille eſt.* Per vos mihi liceat poſt Sanctum Joannem Chryſoſtomum hoc in loco moralem habere paraphraſim horum verborum Sancti Joannis Baptiſtæ. *Ille eſt*, Qui in Cælo glorioſus eſt, ecce ignotus, atque contemptus eſt in terra. *Ille eſt.* Ille cujus ſolium ambiunt Angeli in ſummo Empyrei vertice, cum deſcendit in terras, paſtores aliquot, & jumenta ſolum invenit. *Ille eſt.* Ille, cujus digitus a fundamentis uſque concutit univerſum orbem, habuit non ſecus ac alios infantes manus pannis involutas. *Idem.*

Ejuſdem Argumenti.

Dei Filius naſci voluit infans, ut diſceremus fieri parvuli per humilitatem, & ſimplices ſine nequitia. Chriſtus docuit nos pueritiam eſſe virtutem, dicens: niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum, ut Sanctus Ambroſius inquit. Pueri

Ambroſius in Pſalm. 36.

igno-

ignorant quid sit superbia, quid ambitio, non invident majoribus se; non succensent, ubi contemnuntur; æque nutricum omnium pupillas exsugunt, quæcumque illæ sint; nihil moliuntur contra æquales, superioribus non resistunt, neque opprimunt inferiores. *Malitia parvuli estote*, Paulus Apostolus inquit; & S. Petrus: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*. A puero JESU nobis discenda est innocentia, simplicitas, & humilitas. *P. Duneau in sermone pro die Nativitatis.*

Matth. 21. 1. ad Cor. 14. 1. Petri 2.

Præsepe Salvatoris est veluti cathedra Prædicatoris, ex qua docet placita Mundi placitis contraria.

Ingrediamur quæso in stabulum Bethleem, ad puerum hunc accedamus. Ipse in præsepio est tamquam in Cathedra, ubi fungi incipit munere magistri, & prædicatoris. Lacrymas ejus immoderata gaudia nostra condemnant, vagitus illius risus immodicos, panni vestium nostrarum vanitatem, fœnum, & paleæ curbilium mollitiem: frigus, quod patitur nimiam commodorum nostrorum curam; paupertas, inexplebilem divitiarum sitim; humilitas superbiam. Quamvis hic infans non proferat verbum, quidquid est circum ipsum pro illo prædicat, & censoria nota omnia mundanæ politiæ placita damnat. Quod nisi ex his præceptis profecerimus, semper verum erit dicere, JESUM CHRISTUM natum esse, non autem nobis. *Sunt, quibus non est natus Christus*, ut docet S. Bernardus; nam quamvis pro nobis natus sit, nullum ex illius nativitate fructum percipimus, quasi natus non esset. *Idem.*

Dei Filius nascens assumit qualitatem magistri nos exemplo suo docentis. Oportet, imitando Pastores conferre se spiritualiter in stabulum Bethleem ad audiendam vocem Divinam, & discendas veritates, quas docet.

Verbum caro factum est. Taceant homines, opus est, altumque teneant silentium, cum Verbum æternum in terras descendat ad homines erudiendos. Itaque Verbum hoc incarnatum hodierna die pro me fabrogare fert animus; nam quamvis in vita sua potens fuerit verbis; ut inquit Evangelista, nunquam tamen fuit eloquentior, quam nascens in stabulo, & recumbens in præsepio, ubi adhuc infans, ac impar loquendo vocem tribuit iis omnibus, quæ illi circumstant, & quæ oculis nostris occurrunt. Protecto oculi ejus loquuntur per lacrymas, quas fundunt, cor suum per singultus, quos profert; & *ipsa quoque infantilia membra non silent*. Et quasi omnia inanimata essent vocis ipsius imagines, panni, stabulum, præsepe, omnisque hic pauper apparatus efficit, ut hæc eadem vox in penitiori cordis parte resonet. O nos beatos, Christifideles, si huic voci attentas aures præbentes assequi possumus veritates, quas docet, ac nosmet victos dedere urgentibus sollicitationibus, *quibus nos excitat*. Quod si ex me quæritis, quid illa dicat, & quid nos doceat Verbum hoc caro factum; reddam vobis, hoc esse verbum substantiale, quod in intellectu Patris æterni exprimit omnia, sed in tempore nostra indutus natura modo erudit nos de omnibus muneribus nostris, aufert omnia præjudicia quibus ab ipsa nativitate imbuti fuimus, ac omnes dissipat errores, quibus mens nostra fuit occupata. Verum cum verbum hoc melius per oculos, quam per aures excipiatur, quoniam Incarnatum Verbum loquitur factis, & nos erudit exemplis: imitemur hodierna die Pastores, qui primi omnium de JESU CHRISTI nativitate admoniti dixerunt: *Transeamus usque Bethleem, & videamus Verbum hoc*. Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta; in Mysteriis, sermone de Nativitate.

Luc. 2.

Salvator evitare voluit pompam Nativitatis suæ & quare.

Mundi Salvator, etiam quatenus homo, jus habebat ad omnem pompam, quæ illum cognoscendum tradere potuisset, eique omne obsequium, ac venerationem populorum conciliare. Erat e regio sanguine, qui tunc potissimum in Mundo florebat, ortum quippe ducebat ex prolixa Patriarcharum, Regumque serie; idea quam sibi effinxerant homines de munere, & qualitate Messiæ. Uncti a Domino, & a Deo missi ad liberandos homines de servitute, in qua jampridem gemebant; suspiria, quæ in cælum emittebantur, ut ille suum properaret Adventum, præsignatum a Prophetis tempus, quod jam erat completum, & bona, quæ ex illius præsentia expectabantur, promittere videbantur, ut eo pacto reciperetur, quod meritis, & qualitati ejus congrueret, si cognosci, & mundum de sua nativitate certiorem facere voluisset. Sed ad hanc pompam, atque apparatum evitandum adeo oppositum caussæ propter quam descendebat in terras, init consilium, ut ignotus accedat, ejusque providentia omnia jampridem disposuit, ut quodammodo falleret homines, nascens sine strepitu, sine nitore, quin de illo cogitaretur . . . . Homines decepti sunt; neque enim putabant illum in hoc statu venturum; sed hoc æterna fieri voluit Sapientia, ut illis errorem, in quo versabantur, auferret, non solum quoad modum, quo venturus erat, sed multo magis quoad pretium, in quo habebant mundi gloriam, quam constituunt in exteriori pompa, quæ illos perstringit. *Idem.*

Ejusdem Argumenti continuatio.

Dei Filius, tamquam arbiter sortis suæ, omnium eventuum non secus ac omnium terræ bonorum, eligere poterat ipsum Mundi caput pro loco nativitatis suæ, ibique in superbis ædibus nasci, thronum pro incunabulis habere; nascens purpura involvi, quod cum aliquot Imperatoribus factum est, a Principibus omnibus cognosci in aula florenti, festivos ignes excitare ad publicam lætitiam significandam, ac tabellarios cursores ad id nunciandum in omnes terrarum plagas dimittere. Hoc illum facturum esse credebant; judicium enim ferebant ex eo, quod ipsi facturi essent, si optio illis fieret eligendi locum, atque alias circumstantias amplissimæ dignitatis. O homines pertinacius vano magnitudinis vanæ conceptui inhærentes! Si nondum vobis errorem auferre potuit rerum magistra experientia, vobis ostendens illius mobilitatem, & ad quid tandem redigatur; heu! saltem judicium de illa a vobis faciendum componite ad illud, quod incarnata Sapientia proposuit; & cum S. Bernardo illam instituite argumentationem, quam superius non semel in medium protulimus; quia, & fortis est, & ad persuadendum idonea: *Aut Christus fallitur, aut Mundus errat*. Necesse est ut alteruter decipiatur, vel Mundus, vel JESUS; uterque enim docent pugnantia. *Idem.*

Dei Filius in præsepio nos docet humilitatem, & contemptum divitiarum.

Stabulum, præsepium, panni signa sunt, Domine, tuæ nativitatis. Ne quæramus ultra alia argumenta, Mundi honores, ac pompam damnaturi. Satis non erat elegisse pagum, ubi ejus ingressus in orbem celebraretur, eumque Regni Metropoli prætulisse, quam majores ejus possederant; nisi paupertas effecisset, ut contemneretur, & rejiceretur ab omnibus, qui pagum eundem incolebant. Frustra quæsivit locum in angulo diversorii; omnia enim conclavia ditioribus erant reservata; & quia paupertatis ejusdem miserium est, toleratur, ut sub eodem tecto cum abjectis jumentis in rupe cava delitescat, quæ cum nunquam fuerit hominum habitaculum, ad recipiendum Deum est destinata. In hoc igitur derelicto specu divinus Magister scholam aperit, quo Sanctus Augustinus omnes terræ principes invitat, ut ibi doceantur humilitatem, & intelligant flocci facienda esse hæc dignitatis insignia, quæ totidem sunt superbiæ eorum monumenta. *Doctrinam tandem humilitatis agnoscite, etiam nondum loquente doctore*. Discite divites, & principes Mundi, vosmet humiliare ad exemplum Dei, qui in novissima situs est humiliatione, & qui, cum nequeat adhuc loqui, vos docet paupere apparatu, quo septus est. *Idem.*

Salvator nobis præbet exemplum mortificationis, aspere tractando corpus suum ex ipsa nativitate.

Dei Filius dure tractat corpus suum objiciens illud omnibus vitæ hujus miseriis. Videamus quid hic Magister, & hoc exemplum nos hac de re doceat. Vix accepit ille corpus, cum jugi omnium artuum suorum trepidatione, se algere significat; oculos habet, quos lacrymis aperit; vix tandem recepit vitam, cum primos illius motus, ac prima momenta doloribus consecrat. Hoc consilio omnia disposuerat, antequam nasceretur, ac permisit, ut omnia conferrent aliquid ad efficiendum, ut Mundi hujus experiretur miserias, simul ac in illum fuisset ingressus. Quin ætatis gracilitas, infirmitas corporis, & personæ suæ ratio aliquod illi conferat privilegium, experiri vult quidquid in paupertate durissimum est, quidquid asperrimum in ea anni tempestate, quidquid miserrimum est in omni inopia subsidii, & in Mundi totius desertione incommodissimum. Paulisper considera, Auditor, quam longe absint viæ Dei ab hominum cogitationibus, quorum placita omnia subvertit sola nativitate sua. Quam negligat ille commoda temporalia, quæ ita efflictim quæruntur, ut cupiuntur dignitates, quoniam sibi vicissim cohærent, & consequuntur; cogita duritiem, qua unicuique excipiendum est corpus suum; & intelliges in quanto, & quam periculoso errore hactenus fueris versatus. *Idem.*

Idem sequitur argumentum.

Filius Dei erat ipse Creator temporum, moderator tempestatum anni, & sibi durissimam elegit. Poterat illius mulcere austeritatem, & nascitur *in loco vi* frigoris exposito; permittit, ut matri suæ omnia ad puerperium commoda desint, & ut Bethleemitæ omne illi denegent in tanta necessitate subsidium. Tanta vero, ac tam admirabilis austeritas in tanto Deo, cujus sunt omnia, & cui omnia debentur, nonne manifesta est condemnatio abusus, qui ab hominibus sit opum suarum, cum sibi *jus* esse putant quærendi omnia commoda sua, & omnibus vitæ voluptatibus perfruendi? *Idem.*

Necesse erat omnino, ut ita se gereret Salvator ob eum finem, quem in Mundum veniens sibi proposuerat.

Cui bono, quæret quipiam, Deus subjecit se tot passionibus, eamdemque legem nobis imposuit, nisi quod censuit hoc remedium esse necessarium? Quibus addendum est, exemplum hoc tanti ponderis, tantæque auctoritatis nequaquam satis futurum fuisse, nisi dedisset illud nascens, & per ipsam suam nativitatem. Quomodo istud? Cum homines id unum quærant, ut suas excusent cupiditates; & illorum in sensuum voluptates propensio, efficiat, ut sexcentos colores inveniant, ut se ipsos illis mancipent, aliquem saltem speciosum excogitassent, si divinus hic præceptor primum hoc illis documentum tradidisset. Si ille vitæ suæ principium fecisset per ea, quæ vitæ sunt jucundissima, si divitiis cumulatus, ac gaudens eo jure,

eâque potestate, quam illi nativitas, & qualitas sua tribuunt, sibi elegisset, quæ magis sunt commoda, & nihil intentatum reliquisset ad vitæ hujus miserias mulcendas, si ab incunabulis ad solium sublatus fuisset, si superbum sibi palatium præparasset, & ingens ministrorum numerus jussus fuisset illi Mundum ingredienti ministrare; si ejus mollities, & magnificentia statim oculos perstrinxisset; quænam cupiditates in cordibus excitatæ fuissent? Viri principes quomodo hoc abusi fuissent exemplo ad probandum luxum, delicias, & horrorem, quo passiones omnes oderunt? *Idem.*

Jesus in hoc Mysterio est pœnitentiæ, & mortificationis exemplum.

Deus nascens in præsepio Oraculum est, quod loquitur, quin ulla inveniri possit ambiguitas, vel responsum. Spectaculum est venerabile, simul & efficax, quod palam ostendit solam salutis viam esse viam pœnitentiæ, mortificationis, & abnegationis. Frustra hanc inter claustra vellent amandari, JESUS CHRISTUS, ut hanc omnibus hominum conditionibus adneteret, venit; venit enim, ut esset omnium exemplum. Primis actibus suis in Mundo, tamdiu exoptatus, delegit ad supremum bonum viam illi divitiarum, honorum Mundi, ac voluptatum sensibilium prorsus oppositam. Hoc ille docere debet verbis toto vitæ suæ spatio: verum nisi incœpisset docere exemplo, non defuissent, qui dicerent: facile esse præclara proponere placita, illa vero in praxim nequâquam redigere. *Ex libro, cui titulus. Verus Spiritus, & usus sollemnium anni festivitatum.*

Cur voluerit Deus, ut Filius suus nasceretur in infirmitate, & caligine.

Si propriam sibi gloriam proposuit Deus faciens, ut JESUS CHRISTUS in iis nasceretur circumstantiis, quarum meminimus, cur exposuit illum hominum contemptui, a quibus non agnoscebatur? Nonne hoc erat in contemptum adducere ipsam divinitatem, eidem in mundo offundere caliginem? Nonne saltem Deo gloriosius fuisset procurare Filio suo ab ipsa nativitate cultum illum, quem mox per Christianismi institutionem illi procuravit! Sed hæc difficultas evanescet, si perpenderimus, nobis de gloria Dei judicium ferendum non esse ex infirmis, fallacibusque ideis; quoniam cælum testatur gloriam Dei inveniri in humiliationibus JESU CHRISTI: *Gloria in excelsis Deo &c.* Nobis persuasum esse debet de hoc; & per hasce cognitiones nostræ dirigendæ sunt: Ceterum caligo hæc, in qua Deus videtur relinquere Filium suum in nativitate, admirabiliorem efficiet Religionis institutionem, per quam usque ad sæculorum finem est glorificandus. *Idem.*

Si credimus per humiliationem Deum nos salvos facere velle, quinam est error noster.

Repetamus Mysterii hujus circumstantias: infans natus in stabulo, pannis involutus, jacens in præsepio. Quisnam hic infans est? Deus, summus Mundi arbiter, æterna Sapientia, quæ ad hunc se statum redegit: ut de iis me erudiret, quæ in æternum beatum sunt effectura. Hoccine credo? Fides mea me ambigere non sinit. Sed si hæc vera sunt, quanam in cæcitate Mundus universus versatur, qui fovet cogitationes adeo oppositas illis, quas hodierna die nobis JESUS CHRISTUS inspirat? In quo deplorabili errore ego quoque hactenus fui, qui illud bonum, magnum, utile, præclarum arbitratus sum, quod me beatum facit secundum motus sensuum, & avaritiæ? Tandem enim, vel fallor cum Mundo, S. Bernardus ait: vel in consiliis suis fallitur JESUS CHRISTUS amplectens tamquam necessariam spinosam salutis viam, quam ipse, & nos evitare potuissemus. Igitur fatendum est videntibus JESUM CHRISTUM flere, gemere, pati statim ac Mundum ingreditur; sensuum delicias non vacare periculo, vel etiam prorsus in via salutis esse pernicioſas. Ita est, fateor, Domine; fateor veritatem hanc, ad quam docendam exemplo in terram descendis. Credo illam, quoniam unus est ex præcipuis meæ Religionis articulis. Sed confirma me, Domine, in hac persuasione divina, & in his salutaribus cogitationibus, quas mens mea, gustus, & sensus horret, sed sine quibus nulla mihi salus esse potest. *Idem.*

Pudere nos debet, quod vita nostra a JESU CHRISTI vita abhorreat.

Si hujus Mysterii fidem teneo, nonne mihimet succensere debeo, & rubore suffundi propter hoc vitæ genus, quod sequor? Heu! vix leviusculam crucem ferre volo, mortificationem aliquam sustinere, aliquam ex Mundi hujus voluptatibus mihi interdicere. Excusationes nanciscor; quæro lenimenta, carnales rationes excogito, ut me ab *iis* dispensari putem, quæ mihi hac in re præscribit Religio? Sustine igitur, anima mea, sustine adspectum Dei, qui se tibi ducem exhibet jacens in stabulo; rerum omnium egenus. Hoc mihi memora iis in occasionibus, quas deserere non vis. Responde nascenti JESU CHRISTO, quod tibimetipsi, ut temet excuses in oculis tuis. Nunquid satisfactum est a te Religioni tuæ? Deus hic infans in humiliatione, & passione nunquid contentus est tui? O Sapiens, & Magnus Deus; qui hodierna die pro solio tibi elegisti præsepium, ubi abscondam me in conspectu tuo? Quam me pudet superbiæ meæ, cum ego terræ vermis me velim attollere, cum te in tanta humiliatione conspiciam? Quam me pudet vitæ hujus commoda, & voluptates quærentem, cum in primo actu tuo nihil non austerum videam, ut inde percipiam actus meos regere; quandoquidem vitæ meæ ratio e regione adversetur iis, quæ a me post nativitatis suæ humiliationem Deus expectat. *Idem.*

Dei Filius in hoc Mysterio non vult nobis terrorem incutere, sed amorem sibi conciliare.

Hic Deus homo non vult nobis terrorem incutere, sed sibi amorem conciliare. Non vult nos implere formidine, sed spe. Deus est, sed infans, & infans non quærit se formidabilem præbere. O bone Deus! de industria in hoc Mysterio abscondis mihi magnitudinem tuam, ut magis eluceat in illo misericordia tua! Pauperem te facis in oculis meis, ut cordi meo sis amabilior. Factus es filius hominis, ut ego Dei fierem Filius. Tu temet omnibus vitæ incommodis subjecisti, ut ego Cæli delicias merer er. O divine puer! o fortitudo æterna, pro me infirmitas facta! Hactenus obluctatus sum potentiæ tuæ, sed gemitibus tuis resistere non valeo. Adversus minas tuas insurrexi, sed propter amorem, & lenitatem tuam arma abjicio. Fac, Domine, ut divinis iis succendar ignibus, quos in terram affers, ut victima fiam in tempore, & æternitate. *Idem.*

Ad quem humiliationis gradum sese redegerit Filius Dei factus homo.

Fateor, lectissimi Auditores, deficit mens, cogitationes meæ confunduntur: Hiccine est Deus exercituum, Princeps pacis, magni Consilii Angelus, Filius Altissimi? Ubi majestas illa, quæ sibi conciliare debet Angelorum adorationem? Nativitas illa, propter quam Reges debent contremiscere? fortitudo, quæ ferreos compedes contritura est, & nos de servitutis jugo ereptura? Beati Spiritus quæso ne nos decipiatis? vos autem Christiani illum quæsivissetis ne in stabulo, qui superbas tantum domos incolitis? illum ne cognovissetis ex pauperibus pannis, qui mollibus induimini? En tamen quo illum redegit Adæ superbia, ut illam expiaret! Deus factus est homo, sed hoc parum est, si cum magnitudine amoris sui conferatur; in infantiæ infirmitate aliquid satis abjectum invenitur, ut illud velit amplecti; nascitur inter ea, quæ in hac ætate sunt indignissima, & humillima. Hic Dei Filius est, nostis; ecce illum novissimum hominum: æternus est, & Patri similis; ecce illum in tempore natum: immensus est; ecce illum in corpusculo clausum; brachium est Omnipotentis; sed ut regatur, eget brachiis Mariæ matris: Possidet omnes scientiæ thesauros; sed sensus suos vagitibus promit: ipsa est sapientia; sed hæc sapientia sepulta est in ætatis illius innocentia, quæ nullum inter homines discrimen admittit? Hæc satis ne sunt, Christiani auditores, ad confundendam spiritus humani superbiam? aliquidne validius requiritur ad illam humilitatis Christianæ legibus subjiciendam? Videre ne possumus altitudinem humiliationum Verbi, quin per humilitatis actus illi respondeamus? O Mundi sectatores semper chymericæ magnitudinis ideis affluentes, qui nec inferiores sine contemptu, nec superiores sine invidia videre potestis, nunquid humilitatis argumenta in JESU CHRISTI infantia invenietis, &c. *Ex manuscripto Sermone.*

Paupertas JESU CHRISTI in stabulo Bethleem.

JESUS CHRISTUS exinanivit se, inquit Apostolus, non solum quia sese ad hominem usque demisit, sed quia hominis miserias, & paupertatem assumpsit. Quisnam hominum nascitur æque pauper, ac Salvator meus, Filius David secundum carnem? Videbatur Bethleem illi perfugium offerre: concedit illuc; sed minime recipitur: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Advenæ, qui illuc censendi se conferunt, indiscriminatim in diversorii conclavia secedunt; sed ne angustus quidem illi reliquus est angulus: *Non erat ei locus in diversorio.* Dicam ne, Christiani? Cæli aviculæ suos habent nidos, & vulpes cubilia sua; unus Dei Filius non habet, ubi reclinet caput suum; recipit se in stabulum, quo jumenta non secedebant, nisi ad hyemis rigorem evitandum. Huc aciem vestram convertite, oculi infirmi, qui periturorum bonorum fulgore perstringi finitis, si cum S. Paulo creditis, JESUM CHRISTUM cum dives esset sese spoliasse, ut vos locupletaret, vos gratus animi sensus moveat, & quo tempore effundit in vos thesauros misericordiæ suæ, effundite in alios subsidia, quæ a caritate vestra exiguntur. Cognoscitis ne JESUM CHRISTUM in pauperum persona? Vos igitur eorum misereat, indigentibus opem ferte, & estote æque divites in misericordia erga fratres vestros, ut Salvator in vos. Ille nudus est in paupere, ne deneges illi, quod tuæ abundat vanitati; esurit in pudibunda familia; huic mensæ tuæ reliquias elargire; gemit in vidua, hanc solare; & singulæ miseriarum species aliquam in te misericordiæ speciem inveniant, quæ illas consolentur. *Idem.* Joann. 1. Luc. 2.

Sensus admirationis erga Deum nascentem.

Postquam Sanctus Bernardus de hoc Mysterio dixit, quidquid hanc in rem pietas, ac devotio illi suggerebant, tandem per horum admirabilium contemplationem extra se raptus, ac ineffabilibus voluptatibus perfusus, exclamat: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.... Parvus Dominus, & amabilis nimis.* O quam admirabilia sunt infantis Dei magnalia! Nequaquam; laudes,

laudes, & honores, quos ille meretur, nos illi præstare non possumus: Sed etiam quam amabilis est Dei infantis exilitas! Quamvis omnes homines illo absumerentur igni, quo Seraphin ardent, nondum satis illum amarent. *Auctor Anonymus.*

Cur Dei Filius non elegerit mediocrem conditionem in nativitate sua quandoquidem noluit nasci in magnificentia.

At enim, poterat saltem Deus eligere statum minus miserum, & magnificentiam recusans satis non erat se ad mediocrem redigere conditionem, in qua nobis traderet mediocritatis præceptа? Cur se ad extremam usque miseriam abjecit? Ad hæc respondeo, mali extremitatem, ad quam redacti eramus, non mediocrem petiisse medicinam; Dico extremitatem mali, in quo versabamur, sive consideretur excessus, ad quem hominis cupiditates evaserant, sive spectetur generalis corruptio, quæ super status omnes se effuderat. Quanam alia via Salvator Deus revocare poterat mentes ad eam mediocritatem, quam ratio, & Dei Lex postulat? Nostis, Fideles; Magnum malum juxta regulas Ethicæ, simul & Physicæ, contrario curandum est remedio; humana superbia, terrenorum bonorum cupiditas omnem modum excesserat, objiciendæ erant humiliationes, & paupertas, quæ ad extremum usque excessum perveniret. Omnia nostrorum Mundi sapientium temperamenta, nihil proficiunt; frustra qui commodam habent, facilemque fortunam, modestiam præseferunt. Nobismet persuadere non possumus, ipsos nihil ulterius contendere, donec illos cum voluptate videmus gaudere illis, quæ possident; ad fidem illis habendam cuperemus fieri periculum eorum, quæ tenent; sed ubi ad veram egestatem perveniunt, ita ut illis desint ad vitam necessaria sine sollicitudine, sine turba, sine querela, tunc jure suo loqui possunt. Nil minus requirebatur, Domine, ad hominum errorem auferendum; alioquin nihil caruisset suspicione, omnia inutilia fuissent. *P. Cheminais sermone de Nativitate.*

Filius Dei sese taliter subjiciens, & humilians nimis ne egit, ut nostram sanaret superbiam, & cupiditatem.

Non loquor solum ad infidelem, in quo Mysterium hoc nullam impressionem efficere potest; non loquor ad incredulum, qui in ipso etiam Ecclesiæ sinu infelix est, eo quod Fidem amisit: sed ad vos loquor Fideles, quibus JESU CHRISTI humiliationes, quem colitis, quem adoratis, & quem in præsepio cum pastoribus quæritis, non admodum scandalo fuerunt. Dei Filius nascens in stabulo, ac omnibus paupertatis incommodis sese subjiciens nimis ne passus est, ut humanæ mederetur superbiæ, ut inexplebilem, qua voratur homo, cupiditatem extingueret; ut obicem statueret rapido torrenti tot violentorum affectuum, quo trahitur? Ex vobis quæro, Patresfamilias, qui videtis in singulos dies perturbari pacem domuum vestrarum odiis, jurgiis, contentionibus, quas parit amor bonorum fortunæ. Ex vobis quæro Judices, quorum in manibus quotidie versantur lites Fidelium, Fidelium inquam JESU CHRISTI pauperis, humiliati; & qui circum vos fremere auditis acerrimas animorum perturbationes, pertinacem infectationem in mutuum sui nominis excidium, cæcum furorem nullum non movendi lapidem in suum commodum, atque utilitatem. A vobis quæro, Mundi principes, qui rei publicæ præestis; vos, a quorum nutu omnia pendent, gratiæ, dignitates, beneficia; JESUS CHRISTUS nimis ne operatus est, ut cohiberet eas cupiditates, atque sollicitudines, quarum vos testes estis? Quid igitur esset Deus meus, si apparuisses in terris amictus gloria, opibus cumulatus, in throno sedens? Si elegisses divitias, & opes, quasi hæreditatem tuam, quomodo inflammavisses insanas hominum cupiditates? ad quem excessum illi evasissent? Si nobismet dicere possemus, Deus, quem colo, fuit magnus, dives, potens; hunc sequi oportet; ejus exemplum lex est: quid fieret? Fidelis nonne nactus esset in Deo suo, non secus ac Ethnici in fabulosis numinibus suis, unde probarent turpissimas libidines suas! Agnosce igitur, o homo, quanta sit vulnerum tuorum altitudo; quandoquidem oportuit, ut Deus eam exhiberet medicinam, quæ tantis illi sumptibus stetit. *Idem.*

Cælum perhibet testimonium divinitatis Domini in Bethleem nati.

Vix Salvator hic in Bethleemitico stabulo in lucem prodiit, cum Angeli colunt illum in hoc statu annihilationis, ad quam redactus est in oculis hominum. Edocti de infantis hujus meritis, de magnitudine, quam capit exilitas ejus, sese prosternunt illum adoraturi. Quin ex illius paupertate occasionem scandali arripiant, eumque Dominum suum confiteri detrectent; armonicis concentibus ejus celebrant nativitatem, neque satis esse rati eidem sua obsequia præstare, homines ad illum agnoscendum, eidemque deferenda invitant tributa. Unus ex eorum turba adit Pastores, qui in finitimis agris servabant armenta, & tanta in luce coram illis refulsit, ut simul, & perstricti fuerint, & territi. Sed illos confirmavit Angelus, nolite timere, dicens: Evangelizo enim vobis felicissimum Nuncium, quod magnam allaturum est populo universo lætitiam, videlicet Nativitatem Messiæ, quem expectatis. Hic natus est in civitate David. Hæc signa sunt, ex quibus cognoscetis eum: Invenietis Puerum pannis involutum, jacentem in præsepio; quæ ubi Angelus locutus est, cælesti se socium addidit turbæ, ut una præclarum illud caneret epinicion; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Bastides in libro cui titulus: Deistarum incredulitas.*

Quod consolationis argumentum Fideli, adorare posse Deum infantem, Deum pauperem, & patientem! Potest illi fidenter suam repræsentare miseriam, offerre preces, nuncupare vota, quin exteriori luce perstringatur, qua suprema Majestas nostram deterrere posset infirmitatem; suas cum illius lacrymas miscere, dolorem lenire, cum illo pati, & discere ab illo mansuetudinem, submissionem, atque patientiam! Fidelis Religionis sensu percitus, nihil optare posset aptius, atque præsentius ad omnes pœnas leniendas. Sed Christianus, qui solam amat voluptatem, & externum appetit luxus nitorem, ac sese mancipat ambitioni inexplebili, quid cogitare potest jucundum, atque suave, meditans Mysteria, ubi omnia loquuntur de paupertate, humiliationibus, & passionibus Dei sui? *Ex libro cui titulus: Animadversiones in quadam Religionis, & Moralis Argumenta.*

Consolatio animæ piæ mœrentis in consideratione Dei nati in summa rerum omnium inopia.

Si hominibus mediocris tantum esset idea facti illius propter quod Deus inter illos versatur, cessare non possent, quo minus id cogitarent, & ægre alio suam cogitationem converterent. Quæ novitas! quod spectaculum! quod stuporis, admirationis, gaudii, grati animi argumentum! Verbum Divinum de sinu Patris descendit in sinum Virginis, & de sinu Virginis in stabulum inter duo vilia animalia, ut vivat inter nos, & similis nobis, ut fiat scopus invidiæ, odio, crudelitati, idque ut beatos faciat homines miseros, ingratos, insolentes, barbaros! *Idem.*

Incessanter semper animo revolvenda essent nativitatis Filii Dei mirabilia.

Præsepii humiliationes vobis non afferant scandalum animæ sanctæ! Stabulum Bethleemiticum, ubi nascitur JESUS, mentes vestras non turbet: panni, quibus involutus est, ne cieant in vobis cogitationes indignas illius magnitudine. Præsepium theatrum est potentiæ ipsius, ibi maxima quæque operatur miracula. Stabulum thronus est gloriæ suæ; ibi cum pompa ostentat divinas perfectiones suas. Cæli enarrant robur, ac fortitudinem brachiorum ejus, ac mundi potestates coram hoc infante curvantur. Quot mirabilia! vix natus est, cum ditionem regionum suarum tenere vult; nuncios mittit in omnes terrarum plagas, qui mortales universos faciant sui Adventus certiores. Angeli hunc Pastoribus in Judææ montibus nunciant; stella voluntatum ejus nuncia in Oriente hunc prædicat, Spiritus Cælestes in stabulum adoraturi descendunt: eo confluunt Pastores dignitati ejusdem honores præstituri; tres Reges præcedentis syderis motum, simulque illecebras gratiæ sequantur quæsituri puerum hunc recens natum, quem Judæorum Regem appellant. . . . Verum si vultis, ne consideremus ejus incunabula tamquam incarnatæ Sapientiæ palatium; neque respiciamus illa tamquam thronum, in quo Rex Cæli regnat, ac ubi suum exercet imperium; sed tamquam tribunal, de quo non quidem oris edictis, sed virtutum exemplis damnat nocentes, qui suo se subjicere detrectant imperio. Ne contendatis igitur, obdurati peccatores, ingredi in stabulum ad recipiendam ab hoc infante criminum vestrorum veniam, sed ad subeundam justitiæ ejus sententiam. Nam heu! nihil video, quod vestrum non portendat excidium. Extrema hæc paupertas, generalis hæc rerum omnium destitutio, & inopia, nonne e regione adversantur noxiæ cupiditati per quam terræ bonis inhæretis? Humiliationes hæ admirabiles, profundæ abjectiones, hæ exinanitiones Dei nonne condemnant fastum, atque Mundi superbiam? Rigores frigoris, quos patitur; aeris inclementia, cui patet; passiones, quas ab ipso vitæ suæ momento confecrat, nonne totidem judices sunt terribilem proferentes sententiam adversum mollia, & effœminata corda, delicijs adeo assueta, ac minimos pœnitentiæ rigores horrentia. *P. de Buc Theatinus in septem O Adventus.*

Stabulum Bethleem est theatrum mirabilium J. C. nascentis.

Stabulum est tribunal Judicis damnantis Mundi placita, & peccatores pertinaces.

Quærere, & invenire Deum in JESU nascente, opus est Fidei. Profecto quis credere potuisset, Deum descensurum ad extrema, ad quæ redactum se videt hic puer, qui replet vagitibus suis stabulum Bethleem! Quot gradus illi superandi fuere, ut ad statum indigentis, & querulæ infantiæ descenderet? Fortasse facilius cognovissem Deum meum, S. Bernardus ait, si vidissem illum sese conjungi cum aliqua ex superioribus illis intelligentiis, quarum natura propius accedit ad illam Creatoris: *Magis cognovissem Deum, si vidissem Angelum.* Minori cum difficultate consociasse ideas Dei, qui merus est Spiritus, conjuncti cum natura Seraphim immuni ab omni materia, quam videre Deum subjectum omnibus infirmitatibus naturæ crassæ, terrestris, & obnoxiæ necessitatibus, quarum nos pudet quotidie: *in similitudinem hominum factus.* Neque enim suscepit corpus simile illi primi hominis, parum sensibile dolori, præservatum ab impressionibus violentis extrinsecarum causarum,

Opus Fidei est facere, ut agnoscamus pro Deo puerum recens natum in tanta paupertate.

ad Philipp. 2.

ac immortale per gratiam præservationis. Sensit ille anni temporum intemperiem, ploravit, teneros clamores emisit, quomodo ex hujusmodi signis agnosci poterat pro Deo, sine fidei lumine? Sed hoc satis non est; descendit usque ad infantiam; non accipit ille corpus jam formatum, & quod jam usque ad ætatis maturæ perfectionem pervenerit; sed corpus tenerum, sensibile, minimis etiam obnoxium doloribus. Captivat rationem suam (absit invidia verbo) illam celat; expectat, ut annorum lapsu sese explicet, atque evolvat. Quomodo nam ex his omnibus infirmitatis, ac submissionis indiciis mecum agnoscam? Omnia me dissuadent, humanitas, peccati species, infirmitas, infantia. Sed fides nostra efficere debet, ut superemus fallaces imaginationes nostras, & JESUM in incunabulis fateamur eumdem esse Deum, qui auctor est vitæ nostræ, atque universorum Creator. *Ex MS. Sermone P. Catrou.*

Sine Fide concipi nequit humiliatio Dei in hoc Mysterio, Genes. 3.

Mihi videor hoc in loco applicare posse quod Deus olim primo parenti nostro dixit: *Adam ubi es?* Post Adæ peccatum dixit illi Deus: Ostende te, ut te videam: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Mihi liceat, Domine eadem de te verba dicere, quamvis in sensu longe alio. Ubi es Omnipotens? Quomodonam sub humanitatis nostræ integumento omnem potentiam, omnemque gloriam abscondis? Ubi es, o Deus immortalis! quomodo agnoscam te in carne fragili, in carne mortali? Ubi es, Creator rerum omnium, ideoque rerum omnium dominus? Nunquid in statu hoc nudo, ac egeno omnes divitias tuas conclusisti? *Ecce, quasi unus ex nobis factus est.* Quid Deus modo natus! Qui est ante omnia sæcula: puer est unius diei? Verbum ipsum Patris cælestis, Verbum non nisi vagitibus, querulisque gemitibus sensus exprimit suos! Deus agit sicut nos, ambulat sicut nos, sicut nos conversatur! Quid dicam? Deus æque parvulus uti nos, immo quam nos minor, obscurior, ignotior? Hic hæret ratio; nisi fide fulciatur, complecti nequit, & superatur. *Pater Giroust in Adventu, sermone de Nativitate Domini.*

Quid distinguat temporalem nativitatem Filii Dei a Regum nativitate, quia videlicet ab Angelis honoratur.

Animus advertatur ad omnes Dominicæ Nativitatis circumstantias, & innotescet nihil exæquare magnificentiam incunabulorum JESUS CHRISTI; & sanctitatem, atque divini hujus pueri excellentiam ibi enitescere. Tantum est meritum ejus, ut Cælum ad illi reddendum honorem se inclinet. Profecto ejus incunabula non renident propter luxum, & magnificentiam, sed virtutum excellentia oculos mentis perstringunt; decorantur enim præstantissimæ caritatis ornatibus. Angeli, quibus universus terrarum orbis videbatur exiguus, ubi illud cum Creatore comparant, magnum inveniunt in hoc annihilationis statu, in quo vident illum in præsepio. Beatæ illæ mentes procidunt ad pedes hujus infantis, illi sua obsequia præstituræ; cumque sint naturæ nobilioris, ac præexcellentioris, quam nostra, nihil se minus dignum facere putant, illum Deum, Dominumque suum profitentes, quod facere jussi sunt: Et cum *iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus.* Hoc igitur insigne privilegium est nativitatis JESU CHRISTI, quo ab aliorum infantium nativitate distinguitur, Regum etiam, & Principum; quod hæc una ab Angelis celebrata fuit, & hæc una promeruit Angelorum obsequia, & adorationem. Cælestes hi spiritus Cælum relinquunt, ut illam admirentur in terris, quia hic nihil admirabilius inveniunt, quam Verbum caro factum. Mysterium hoc contemplantur, adorant, & in omnem æternitatem mirantur. *Bastides in parte altera libri, qui inscribitur: Deistarum incredulitas.* ad Hebr. 1.

Cur Dei Filius sibi elegerit nativitatem obscuram, & absconditam.

Divinus ipse Salvator in Mundum venit, sed ita latenter, & abscondite, ut mundus ne senserit quidem. Vult homines salvos facere; & consilium suum dæmoni abscondit; quem, nisi id fefellisset, noverat obstiturum. Ut illum igitur magis hoc lateat Mysterium, temperat suæ divinitatis majestatem præsepii caligine, regnum suum specus illius, qui vidit illum nascentem, pauperie, & Angelorum adorationem contemptu, & contumeliis, quibus ab hominibus afficitur. Hæc agendi ratio omnes confundit humanæ sapientiæ regulas, sed in eadem profunda sapientia Redemptoris elucet. De Mundi redemptione agebatur, & quærebantur media præsentissima ad insigne consilium hoc obeundum. Horum autem præcipuum fuit nasci in obscuritatis caligine. Si voluisset Deus insignem præparare Filio suo nativitatem, & illum Victoris instar in Mundum inducere, hoc facile potuisset, &c. *Idem.*

***

facie populum suum a peccatis eorum. Secundo subjecit se legi circumcisionis, ut ostenderet se filium Abrahæ, & de genere illius, quoniam sine hac nota nequaquam haberi potuisset pro Messia. Tertiò tandem veterem abrogans legem cum cæremoniis novam instituit, qua continentur omnia munia, omniaque præcepta, a nobis necessario observanda, ut salutem nostram operemur.

Sed hæc Salvatoris qualitas Divino huic homini parta tribus hisce titulis, requirit, ut homines per tres alios titulos vicissim & ipsi cooperentur magnis Salvatoris ejusdem consiliis. 1. Opus est, ut in nobismet ipsis destruamus peccatum per christianam circumcisionem, abscindentes ea omnia, quibus in illud allicimur; videlicet occasiones, periculosa colloquia, & quidquid divina lege vetatur. 2. Nos notari opus est charactere Filii Dei, ac gerere notam similitudinis ejus, quod fieri non potest sine cordis circumcisione, ac jugi mortificatione per abscissionem omnium voluptatum, ac solatiorum, quæ per legem minime licent. 3. Sicut Salvator sese circumcisioni subjiciens, sese legi servandæ, quemadmodum ipse de se testatur, submisit: *Non veni legem solvere, sed adimplere*: Christiana Mortificatio, quæ novæ legis est circumcisio, sita est in observanda integerrime lege Evangelica, & præceptis, quæ continentur in illa: quoniam hæc salutis via est, quam ille ipse nobis indigitavit. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

Matth. 5.

Matth. 19.

In hoc constituta est propositio, & veritas, quam protuli; videlicet, quemadmodum Dei Filius Salvatoris nomen non accepit, neque officium subiit, nisi in circumcisione legis antiquæ: ita sine legis novæ circumcisione, quæ est sensuum, & rerum omnium, quæ proprium palpant amorem, mortificatio, salutem sperari non posse. Tria argumenta desumpta ex tribus relationibus, quas nova hæc circumcisio præscribit in Evangelio, cum illa legis antiquæ, omnem explebunt confirmationem. Primum est sine hac circumcisione peccatum evitari non posse, quod maximus est, unicusque obex nostræ salutis. Alterum, sine hac nunquam nos habitum pro Filiis Dei, nullam habentes similitudinem cum Deo homine circumciso, qui sine hoc signo, & charactere nequaquam habitus fuisset pro filio Abrahæ, ideoque pro Messia. Tertium denique sine circumcisione, & abscissione commodorum, & vitiorum nostrorum nos non posse servare legem Dei, cui omnes nosmet *subjecimus per Baptismum, qui in locum subiit circumcisionis*: quemadmodum Salvator Judaicam assumens Circumcisionem sese subjecerat adimplendis muneribus omnibus Legis Mosaicæ. Hæc est Sermonis partitio, cujus Argumenta fusius non amplifico, satis enim occurrent fusius pertractata in sexto Paragrapho.

II. Pro Argumento, ac divisione sermonis de hoc Mysterio assumi possunt ostendendæ

In priori parte obligationes, quas Dei Filius contraxit assumens qualitatem Salvatoris Hominum, quæ sunt illos salvos facere pretio Sanguinis sui; ad id enim se adstringit in rigorosa hac circumcisionis cæremonia; & illius arrhas, ac pignora dedit effundens primas sui Sanguinis guttas. 2. Se facere mediatorem nostrum apud Patrem suum, cum jam ex hoc ipso temporis momento habeat conditiones necessarias ad hoc officium, cujusmodi sunt, esse undequaque Sanctum, & immunem ab omni crimine, & ex altera parte habere speciem peccatoris ad irritandam in se Dei ultionem, ejusque justitiam integra satisfactione deliniendam. 3. Delere peccatum, quod unicus est obex nostræ cum Deo reconciliationis.

Pars altera respicit obligationes, quas nobis imposuit, & quas vicissim replere cogimur, ut salvaremur: sunt autem, 1. Nostram salutem operari per generalem circumcisionem rerum omnium, quæ Deo possunt displicere. 2. Pœnitentiæ vitam ducere ad satisfaciendum pro veris sceleribus nostris, quemadmodum Salvator cœpit pati pro nostris, ferre statim ac natus est, sese circumcisionis legi subjiciens. 3. Ad unguem observare legem Evangelicam, quemadmodum Salvator Circumcisionem accipiens, simul onus suscepit totam legem adimplendi.

III. Quandoquidem Filius Dei venit in Mundum, ut deleret peccatum, dici potest in iis omnibus, quæ fecit, & quæ passus est, semper id unum spectasse, quo pacto nos edoceret de iis omnibus, quæ a nobis facienda, ferendaque sunt ad illud in nobis expiandum, atque delendum. Sed in Circumcisionis Mysterio duo facit, quæ duplicem sermonis partem possunt constituere. Sustinet peccati pudorem sub specie peccatoris, & sustinet peccati pœnam sanguinem suum fundens in actu illo, qui summum parit dolorem. Hæc nobis sunt imitanda. Ferendus nobis est pudor peccati turpitudini inhærens. 2. Sustinenda nobis est pœna, quam meretur criminis magnitudo. In primo puncto ostendendum est, JESUM CHRISTUM bifariam sustinere sceleris opprobrium; ibi enim videtur peccator in oculis Patris sui, qui *posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, & omnes, qui videbant illum sumere peccati remedium, ipsum peccatorem esse censebant. Hinc ad illum imitandum, nobis agnoscendum est peccatum nostrum, & in oculis Dei illum humiliter confitendo, & in oculis hominum extrinsecus præ nobis ferendo omnia veri pœnitentis indicia.

Isaiæ 53.

Pro parte altera. Filius Dei in Circumcisionis Mysterio non solum passus est opprobrium peccati, verum etiam subire cœpit debitam peccato pœnam, effundens Sanguinem suum in dolorosissima operatione; quæ illi toto cælo præ omnibus aliis infantibus fuit acerbissima. Ejus autem exemplum nos impellere debet ad perferendum quidquid ille pertulit, & ad 1. abscindenda ea omnia, quæ peccato nostro materiam præbuerunt. 2. ad severe in nobis punienda antiqua peccata, ut eorum veniam promereamur; & ad evitanda recentia, quæ in posterum patrare possemus. *Ex sermone Abbatis de Monmorel de Circumcisione*.

Si in actibus Salvatoris nihil Mysterio caret, ejus Circumcisio inter omnia vitæ suæ Mysteria nobis esse debet cara, & adorabilis. Sed ut vobis æquam adstruam ideam Divini Hominis circumcisi & in circumcisione assumentis qualitatem Salvatoris, duas vobis maximi momenti veritates propono. IV.

Prima est hominem Deum hunc effundentem Sanguinem suum per vulnus circumcisionis justo titulo mereri nomen, & qualitatem Salvatoris Mundi, quia ex eo momento incipit magnum opus salutis nostræ, illius Circumcisio est obligatio illud aliquando in cruce perficiendi.

Posterior: per magnum hoc factum esse prorsus divinum exemplar, quod ostendit Christianis, quomodo cooperari teneantur in salutis suæ negotio.

Cum Sancto Paulo considerare possumus Dei Filium tamquam legis antiquæ consummatorem, & tamquam legis novæ institutorem. Tamquam legis antiquæ consummator, Judæorum Circumcisionem adimplet; tamquam novæ legis institutor venit ad prædicandam aliam longe perfectiorem circumcisionem videlicet eorum, qui vere Christiani sunt: hoc est, tamquam legis veteris consummator *circumciditur ipse secundum carnem*; & tamquam novæ *legis Fundator nos docet*, & jubet circumcidi spiritu, & corde. Ad id redigitur hodiernum *Mysterium*. *Ubi* ut respondeamus S. Bernardo *quærenti, cur expectatum fuit*, ut Infans circumcideretur, *ut deinde Salvatoris nomen illi imponeretur: oportebat ad hoc ut* JESUS CHRISTUS perfecte Salvator esset, non solum illud munus obire suum, verum etiam docere nos, quænam ad magni hujus operis complementum esse deberet nostra cooperatio. Sed in hoc Mysterio mirum in modum perfunctus est duplici hoc munere. 1. Incœpit nos salvos facere per obedientiam, quam præstitit legi circumcisionis antiquæ, quæ erat carnis circumcisio. 2. ac certum nobis suppeditavit adminiculum quo tuto nosmet salvos faceremus. V.

Pars prima. Incœpit JESUS CHRISTUS *salvos nos facere per obedientiam, quam præstitit legi circumcisionis antiquæ*: nam eo momento, quo circumcisus fuit. 1. Inventus est in proxima & necessaria dispositione, ut esse posset victima peccati. 2. Obtulit Deo primitias Sanguinis sui adorabilis, qui futurus erat peccati remedium. 3. Se ipsum obstrinxit ad hunc eundem Sanguinem uberius effundendum in cruce, ad integram peccati reparationem.

Pars altera. JESUS CHRISTUS *nobis tutum præbuit adminiculum, ut nobis opem ferret ad assequendam salutem per legem, quam tulit novæ Circumcisionis*. Nova hæc Circumcisio est Circumcisio cordis: 1. Hujus legem tulit. 2. Præceptum nobis explicuit. 3. Usum reddidit faciliorem. *Pater Bourdalove in tomo Mysteriorum*.

In Circumcisione Filii Dei invenimus *tres cupiditates difficiles*, quæ vincantur, perfecte sacrificatas, & subjectas Deo; & ejus exemplum nos docet, quid potissimum circumcidere debeamus. VI.

1. Cupiditatem *libertatis victam in obedientia*, quam Deus-homo præstitit legi, qua non tenebatur.

2. Cupiditatem *honoris victam in contumelioso* peccati charactere, *cujus* opprobrium sustinere dignatus est.

3. Cupiditatem voluptatis victam in cruenta, ac dolorosa operatione, quam passus est. *Hæc est divisio partis alterius in sermone Pater Bourdalove*.

Circumcisio legis antiquæ vocatur pactum impressum in carne: *Erit pactum meum in carne vestra*. Sed Salvatoris Circumcisio vocari jure potest, pactum in corpore suo. VII.

1. Pactum est, quod pepigit cum æterno Patre suo dans illi primas sui Sanguinis guttas, reliquum effundandam justitiæ illius.

2. Pactum est, quod percussit cum *hominibus in* hoc inchoato corporis sui sacrificio, *se perfecturum* salutem ipsorum per integram immolationem sui in

cruce

cruce faciendam. *Bivat in sermone secundo Circumcisionis.*

VIII. Filius Dei in Circumcisione medetur tribus malorum fontibus, qui in plerisque hominibus inveniuntur; & qui ad illius exemplum nobis sunt corrigendi.

Primus est amor dominandi, quod primi hominis peccatum fuit, & tamquam hæreditario jure migravit ad posteros. Ad tollendum amorem hunc in Circumcisione sua JESUS CHRISTUS subjecit se legi, a qua jure se ipsum dispensare poterat, vel potius cui ille nullo pacto erat obnoxius; sed ille obsequi voluit sententiæ summi Legislatoris, qui sibi complaceat videns jussa sua tunc etiam sedulo observari, cum ad illa observanda nos strictim non adigit.

Alter est negligentia, & mora in salutis nostræ cura. Negligentia, & mora adeo communis, ut plerique in finem usque vitæ rejiciant de salute sua sollicitudines. Salvator in Circumcisione nobis econtra ostendit admirabilem sollicitudinem incumbendi in opus nostræ redemptionis, cujus ille provinciam susceperat. Hanc nonnisi passionis tempore consummaturus erat; sed quoniam statim post Nativitatem nanciscitur occasionem incipiendi sui Sanguinis effusionem pro hominibus, ad id festinat, id optat.

Tertius est contemptus praxium religionis, quas non admodum necessarias censemus. Dei Filius veniebat ad Circumcisionem abrogandam, quia non erat amplius necessaria; sed adhuc apud Judæos in veneratione erat posita. Institutio illius sancta fuerat, praxis ejus erat a Deo profecta, & adducebat ad Deum. Hoc facto docere nos voluit nihil credendum esse contemptibile, quod referri potest ad cultum Dei; ubi hæc non essent nisi exteriora quædam, & meræ cæremoniæ, quæ pro temporum varietate mutari possunt.

IX. Dei Filius Salvatoris nomen assumit, & in Circumcisionis Mysterio munus hoc obire incipit.

1. Dolorem patitur cruentæ operationis; quia hoc medium erat a Patre suo præscriptum ad homines salvos faciendos; unde inferendum est, passiones etiam viam esse ad salutem.

2. Obedit legi humiliationem afferenti, ut discamus sine exacta, & sedula obedientia Dei legibus præstita neminem salvum fieri posse.

3. Per hoc subjicit se morti, cui Mundi salus erat adnexa, ut disceremus in antecessum mori per jugem mortificationem, certam salutem nostram facturi.

X. Sanctus Bernardus in tertio Circumcisionis sermone docet, in hoc Mysterio objecta quædam inveniri, quæ nostram merentur admirationem, amorem, imitationem, *In Circumcisione Domini habemus, quod amemus, & admiremur, habemus etiam, quod imitemur.* Quod sermonis argumentum, ac partitionem potest suppeditare.

1. Admirationis nostræ argumentum esse debet, videre, in hoc Mysterio inveniri congeriem, & commixtionem rerum per oppositionem, quam nobis habere videntur cum Natura divina; scilicet Deus supremus, & a nemine pendens, subjectus legi, quamquam rationes omnes æquissime illum dispensare possent. Deus impassibilis, & immortalis, dolorosissimam sustinens operationem, Ille, qui eadem Sanctitas est, peccati speciem suscipiens, & peccator videri volens.

2. Amoris, & gratitudinis causa nobis esse debet, videre, nos ab illo ita amari, ut nos salvos facere velit, sumptibus gloriæ, sanguinis, adeoque vitæ etiam suæ, nam circumcidi volens sese adstringit ad mortem aliquando pro nobis subeundam in cruce.

3. Argumentum vero imitationis nostræ est ejus Paternis imperiis obedientia; patientia in circumcisionis doloribus sustinendis; humilitas profunda, qua peccator videri voluit, cum ipse eadem sanctitas esset, quod nostram debet confundere vanitatem, atque superbiam, qua vellemus videri prorsus alii ab iis, qui sumus.

XI. Quidquid festivitatis hujus proprium est, ad puncta duo redigi potest. Primum est Mysterium Dei Salvatoris, qui in Circumcisione hanc assumit qualitatem. Alterum est Exemplum, quod nobis præbet sustinens sævam, cruentamque operationem eodem ferme tempore, quo vivere cœpit.

Pro priori. Si Sanctus Bernardus quærat, quis adsit nexus inter Circumcisionem, & Salvatoris qualitatem, respondere possum. 1. Illum hoc nomen assumentem in hac cæremonia, sese ad illud promerendum adstringere, ad illius officium obeundum, & hominem salvum faciendum. Hanc ille contrahit obligationem; cujus contractus dat arrhas, & pignora: vadem se constituit, & hujus officii adit possessionem. 2. Hoc ipsum officium incipit in Circumcisione sua; omnes enim passiones, & humiliationes ejus non aliud sunt, quam effectus, & continuatio, vel potius solutio, & exercitium eorum, quæ in hoc Mysterio promittit.

Alterum punctum, quod spectat ad exemplum, quod tribuit nobis Deus hic circumcisus, nos docet in Circumcisione ejus, quemadmodum ipse nonnisi per hoc medium Salvator est, ad hoc ut salvi simus assumendam nobis esse spiritualem circumcisionem, cujus institui comparatio non potest cum corporali, quæ simul turpis erat, dolorosa, & onerosa, quarum trium qualitatum applicationem instituere possumus cum illa, quam lex Evangelica nos subire cogit.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas sermonum structuras exornandas, & Auctores, qui de hoc agunt Argumento.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib. de peccato originali cap.* 32. tractat de Circumcisione, tamquam Figura Baptismi: simili modo de eadem verba facit: *lib. 2. contra Julianum cap. 6. & lib. 6. cap. 3.*

Idem *lib. 3. de peccat. merit. cap. 5. & lib. de pec. orig. cap.* 31. *&* 32. Rationem addit, cur die octavo fieret Circumcisio.

Idem *serm. 66. ex novis*, ostendit hoc legis Antiquæ Mysterium significare veteris hominis expoliationem in nova.

Idem *serm. 50. ex novis* ostendit circumcisionem esse signum, characterem, & Sacramentum veteris Testamenti.

Idem *ep. 89. ad Hilarium, & serm. 15. de Verbis Apost.* rationem adfert, cur infantes die octavo circumciderentur.

Idem *tract. 30. in Joann.* explicat, quid significet judaica circumcisio.

S. Cyprianus, *lib. 1. ad Quirinum cap.* 8. ostendit, corporalem circumcisionem abrogandam fuisse, & illi Spiritalem subrogandam; qui tamen liber illi attributus est.

Idem *lib. 6. Epist. Epist.* 42. docet, quomodo circumcisio fuerit peccati Originalis remedium.

S. Hieronymus *Epist.* 20. loquitur de circumcisione Judaica.

Venerabilis Beda homil. in Evang. agit de corporali, & spirituali Circumcisione, de Baptismo, & nomine Christiani.

Sanctus Bernardus tres habet deinceps sermones de hoc die festo, in quorum primo ostendit Dei Filium sese huic legi subjecisse non ex necessitate, sed per humilitatem. In altero verba facit de circumcisionis præcepto, & cur Salvator se illi submiserit, quamvis minime teneretur. In tertio tandem ostendit voluisse illam accipere tamquam remedium, non quidem sibi, quia non indigebat, sed nobis, ut nos curaret.

S. Bonaventura aliquot habet hujus argumenti sermones, in quorum aliquo loquitur de spirituali circumcisione, cujus figura erat corporalis.

Yvo Carnotensis in sermone quodam loquitur de tribus rebus, quæ ad hoc pertinent Mysterium; quarum prima est, cur Salvator legem hanc adimplere voluerit; altera, cur die octavo; tertia agit de circumcisione litterali, allegorica, & morali.

Sanctus Laurentius Justiniani in sermone in hunc festum diem, rationes adfert, propter quas Dei Filius non dedignatus est sese huic legi subjicere.

Sancti Zeno Veronensis ostendit Judaicam circumcisionem figuram esse illius, quæ in Christiano exercetur. Ascetici, aliique.

Gerson sermone in hæc S. Pauli verba; *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri &c.* plura dicit egregie de hoc Mysterio.

Hugo de Sancto Victore *in Institutionibus Monasticis serm.* 49.

Cornelius a Lapide *in cap.* 17. *Genes.* verba facit de causis, & usu veteris circumcisionis.

Carthagena in tomo Mysteriorum Domini pluribus in capitibus agit de circumcisione.

Franciscus Suarez in tomo, ubi agit de Mysteriis, fusius verba facit de hoc.

Raynerius de Pisis *in Pantologia.*

P. Croiset in Anno Christiano, vel Asceticis exercitationibus pro singulis anni diebus, die prima Januarii.

In libro, cui titulus, *Passiones Domini nostri. Passione prima.*

In libro, qui inscribitur: Verus Spiritus, & sanctus usus sollemnium anni festivitatum.

Quicumque scripsere Meditationes de vita Filii Dei, Mysterium hoc non prætermiserunt. Hi fere sunt, qui copiam suppeditare possunt in hoc Mysterio.

P. Bourgovin in veritatibus, & sublimibus excellentiis Verbi Incarnati.

P. Haineuve in prima parte Meditationum, Meditatio-

tatione pro 3. die Januarii, ubi fusius loquitur de spirituali circumcisione.

P. Novet prima parte Hominis Orationis Meditatione 2. pro 2. Januarii die, ubi loquitur de obedientia, quam JESUS CHRISTUS præstat Patri suo in hoc Mysterio.

P. A Ponte in secunda parte Meditationum de Mysteriis fidei, Medit. 20. ubi loquitur de virtutibus, quas in Circumcisione Salvator exercuit.

Concionatores Recentes.

Matthias Faber conc. 10. in festo Circumcisionis.

Biroat in Tomo de Mysteriis Domini duos habet sermones de Circumcisione, quin loquamur de aliis, qui prædicari possunt in hujus diei festivitate.

In Specimine Sermonum, tres adsunt hujus argumenti.

In sermonibus Moralibus.

P. Texier in tomo de Mysteriis.

P. Duneau pariter in tomo de Mysteriis.

P. Masson in ultimo sermone Adventus.

Abbas de Monmorel tomo 6. Homiliarum, habet Homiliam, & sermonem hujus argumenti.

P. Bourdalove in tomo primo Mysteriorum, funditus hoc pertractavit.

Abbas de Jarry sermonem edidit de hoc argumento.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in tomo Mysteriorum Domini explicite agit de Circumcisione.

P. Castillon in Adventu.

Sarazin in fine tomi secundi Adventus.

Qui collectanea ediderunt.

Bercorius, Labatha, Spanher, Polyanthea sacra. *Titulo* Circumcisio.

Carthagena *homilia* de Circumcisione.

Eusebii Nierembergii, *Homilia* de Circumcisione.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, & vos. Genes. 17.

Circumcidite præputium cordis vestri. Deuteronomium 10.

Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde. Deuteron. 30.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Psalm. 39.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaiæ 12.

Omnis Domus Israel incircumcisi sunt corde. Jeremiæ 9.

Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. Jerem. 4.

Non veni legem solvere, sed adimplere. Matth. 5.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2.

Non qui in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Judæus est; & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Ad Roman. 2.

Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si autem prævaricator Legis sis: circumcisio tua præputium facta est. Ibidem.

Abraham signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ, & fidei, quæ est in præputio. Ad Roman. 4.

Empti estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. 1. ad Cor. 6.

Mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes. 2. ad Cor. 4.

Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Ad Galat. 4.

Si circumcidamini; Christus nihil vobis proderit. Ad Galat. 5.

Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Ibidem.

In Christo, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per caritatem operatur. Ibidem.

Circumcisio cordis in spiritu. Ad Roman. 2.

Circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi. Ad Coloss. 2.

Non sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, gloriamur in CHRISTO JESU, & in carne fiduciam habentes. Ad Philip. 3.

Dura cervice, & incircumcisis cordibus. Actor. 7.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. Ad Galat. 5.

Exempla, figuræ, præcepta veteris, novique Testamenti ad hoc Argumentum pertinentia.

Judaicæ Circumcisionis origo.

CUM Deus inveniſſet Abraham juxta cor ſuum, ex mera erga Sanctum hunc Patriarcham bonitate fœdus cum illo voluit percutere; & ſicuti quilibet contractus mutuam adfert inter contrahentes obligationem, Deus pollicitus eſt Abrahæ, & in ejus perſona omni ipſius poſteritati, ſe habiturum illum tamquam electum, dilectumque populum ſuum præ cæteris gentibus, ſed voluit etiam, ut Sanctus hic Patriarcha, quem eligebat futurum ducem, & Patrem hujus populi, nomine ſuo, ſuorumque poſterorum, polliceretur, ſe ſuoſque præter ipſum neminem Dei loco habituros. Pactum hoc ſignari juſſit Deus, & ſignum hoc factum fuit in carne propria eorum, & eo modo, quem nemo non novit: *circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me, & vos.* Ubi animadvertite ſigno tribui nomen rei ſignificatæ; cum circumciſio pacti nomine vocetur; Quamvis ſignum eſſet tantummodo, ſicuti contractum, & obligationem vocamus chirographum ſignatum, qui tamen non aliud eſt, niſi ſignum. En fons, & origo legis hujus irrogatæ populo Judæorum, quæ viguit uſque ad Baptiſmi inſtitutionem, & prædicationem Evangelii.

Mors imminens oyſi, eo quod filium circumcidere neglexerat.

In quarto Exodi capite legimus, Angelum, a quo Deus repræſentabatur, Moyſi apparuiſſe, minitabundum quaſi mortem inferre vellet illi in negligentiæ pœnam, qua filii ſui circumciſionem diſtulerat. Quod ubi Sephora Moyſis uxor cognoviſſet, accepto lapide in cultri formam acuto, Filium circumcidit, ut virum ſuum liberaret a morte, dicens ei: *Sponſus ſanguinum mihi es.* Me coegiſti, ut circumciderem primogenitum meum, & modo hoc ipſum mihi faciendum eſt, cum minore natu. Conſtat Moyſem non obtemperaviſſe legi, qua Parentes jubebantur octava die mares circumcidere; & veriſimile eſt, ipſum hoc neglexiſſe, ne contriſtaret uxorem, quæ cum eſſet idolorum cultrix, atque Ethnica, teſtata eſt ſe ægre, & gravate primogeniti ſui circumciſionem tuliſſe.

Actio, quam fecit Joſue antequam *Iſraelitas* in terram promiſſam introduceret, ſimul exemplum eſt obedientiæ, quam præſtitit legi Dei, & figura ejus, quod faciendum eſt Chriſti fideli in Cælum contendenti. Noluit Deus populum hunc in terram promiſſam inferre *pedem antequam circumcideretur*; quapropter imperavit Joſue, *ut traducto Jordane ſeſe diſponeret* ad ingrediendam terræ illius poſſeſſionem per generalem circumciſionem omnium filiorum Iſrael, quod ad unguem adimpletum eſt. Hoc exemplum eſt obedientiæ magni illius Imperatoris exercituum Domini; ſed ſimul veritas eſt ejus, quod tunc accidit in figura: videlicet neminem ingreſſurum in Regnum Dei, quæ eſt terra viventium nobis promiſſa, qui circumciſus non fuerit, & cui ademptum non fuerit vitiorum omnium, omniumque cupiditatum opprobrium, quæ obſtruunt aditum hujus regni, & prohibent, ne adeatur poſſeſſio terræ illius, ut fecit Joſue per circumciſionem: qua abſoluta dixit: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis.* Joſue 5.

Exterior Circumciſio legis antiquæ erat figura interioris præſcriptæ in lege nova perbaptiſmum.

Si circumciſio quamvis ſenſibilis, atque exterior in lege Moyſi innuebat tamen aliquid intrinſecum, & ſpirituale; num dubitari poteſt, quominus Baptiſmus in lege JESU CHRISTI, cujus figura erat circumciſio, ſit viſibile ſignum rei inviſibilis; ſignum extrinſecum, quod in perſonis noſtris recipimus, interioris abalienationis, quam habere debemus in animabus noſtris? Hujus ſinceræ, veræque abalienationis neceſſitatem inſtaurat nobis Eccleſia, at ineluctabile præceptum in Myſterio Circumciſionis Salvatoris, quam objicit oculis noſtris. Interior hæc cordium noſtrorum circumciſio verum conſtituit Fidelium characterem.

Quomodo poſſumus imitari Salvatorem in Circumciſione, & in quo.

Exterior circumciſio non viget amplius, & antiquata eſt lex, quæ illam jubebat. Ita non poſſumus hac in re Mundi Salvatorem imitari: poſſumus tamen multo meliori modo imitari illum colligentes ſpiritum magni ejus exempli, quod præbuit nobis per terreſtrium affectuum abſciſſionem; ſine qua non ſumus niſi Chriſtianorum phantaſmata, & omnis pietas illuſio mera eſt.

Quid J. C. det? & quid ſe daturum obſtringat per Circumciſionem.

Cum conſideramus Salvatorem ſub humiliante, ac doloroſo cultro Circumciſionis: poſſumus jam illum in cruce poſitum nobis repræſentare, & dicere, ſanguinem, quem fundit in hac legali cæremonia pignus eſſe illius, quem aliquando effuſurus eſt in Calvario. Poſſumus etiam meminiſſe, Deum in lege veteri præcepiſſe, ut ſibi offerrentur primitiæ frugum terræ; ſed quia Filius ſuus in tanta pauperie erat naſciturus, ut nihil haberet proprium, Pater æternus exegit primitias ſanguinis dilecti hujus Filii. Salvator alacri animo ſeſe ſubjecit, & nihil prohibere illum potuit quominus pro nobis in ætate adeo tenera pateretur: quia octava ab ortu ejus die dedit nobis primas hujus Sanguinis guttas, qui totus effundendus erat in cruce, & poſt mortem ipſum per lateris hiatum emanaturus.

Appli-

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum huic Argumento.

Deuter. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Si Dominus vellet oculos aperire nostros, & auferre velum, quo teguntur, ut videre possemus præstantiam Circumcisionis, de qua loquitur nobis, & quam nobis præscribit; nequaquam ita rudes essemus, ut illam pro corporali circumcisione acciperemus, quoniam cor ejusdem capax non est. Quænam est ergo hæc circumcisio cordis; quam hic Dominus pollicetur, nisi illa excessus, & superfluitatis nostrarum cupiditatum, quæ nascuntur ex corde, & quæ incredibilem afferunt obicem amori illius? Pollicetur ille se cum gratia sua aridos hosce ramos amputaturum, ut corde ita circumciso, omnis illius succus, & virtus per hunc unum divini amoris ramum emanet. Tunc veri erimus Israelitæ; vere circumcisi a Domino, cum abstulerit ab anima nostra amorem omnem, & cum Deo unice erit repleta. Sed quomodonam Dominus, postquam testatus est hoc se facturum, imperat alio in loco, ut hoc ipsi faciamus: *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum.* Cur Domine me jubes facere id, quod te ipsum mihi facturum promittis? Si hoc tibi faciendum est, cur me illud facere jubes, & si faciendum mihi, cur te id recipis facturum? Hæc difficultas facile solvitur per illa Sancti Augustini verba: *Da quod jubes; & jube, quod vis.* Domine da mihi gratiam tuam, ut faciam quidquid mihi præceperis, & præcipe mihi quidquid tibi placuerit: ita ut qui præcipit, quod mihi faciendum est, ipse mihi id faciendi tribuat facultatem. *Granatensis in Duce Peccatorum.*

Jerem. 4.

I. 10. Confess. cap. 3.

Mira exinanitio Salvatoris in Circumcisione.

Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Psalm. 8. Dei Filius non solum caro factus est, & caro patiens, sed o prodigium humilitatis! caro notata similitudine peccati; quoniam subjecit se legi circumcisionis, quæ cum apud Judæos esset baptismatis nostri figura, & ad peccati remissionem instituta, illius erat, ut Sanctus Bernardus ait, tamquam character, vel ut melius dicam, cicatrix. Verum si in Incarnatione, hic idem Sanctus ait, Deus imminutus est paulo minus ab Angelis; in circumcisione nonne dicere fas est, illum multo minorem Angelis effectum fuisse, quia non hominis tantum, sed peccatoris formam accepit? *In Incarnatione minoratus est ab Angelis, in circumcisione multo minus, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris.* Post peccatum nihil abjectius est, quam figura, & forma peccati. Sed Verbum æternum hodierna die suscipit propter amorem nostrum formam peccati: neque enim potest peccatum ipsum suscipere; hoc igitur extremum illud est, quod valeat efficere, ut sese humiliet: *Non plus ultra.* Quamvis Deus sit, non potest tamen magis descendere; Hoc, ait S. Chrysostomus, est, quod a Sancto Paulo dicitur *exinanitio: Semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* quasi, cum in Incarnatione, & nativitate sua servi formam accepisset, longius processisset in Circumcisione, & sese exinaniisset quoad poterat accipiendo formam peccatoris; & ecce quomodo in Incarnatione sua se exinanit, hoc est contemptibilia reddit attributa sua; cum enim peccatum oppositum sit contradictorie divinitati, & cum Dei natura simul esse non possit, non poterat recipere peccatoris notam, quin se objiceret periculo, ut pro peccatore haberetur, ideoque quin apud homines divinitatis suæ fidem ad nihilum redigeret. *P. Texier Sermone de Circumcisione.*

ad Philip. 2.

Quam pauci hodie exercent cordis Circumcisionem.

Omnis domus Israel incircumcisi sunt corde. Jeremiæ 9. O Deus! quam procul absumus ab hac cordis circumcisione, quam Deus exigit a nobis in nova lege! hoc est ab hac perfecta abalienatione, in qua nostræ Religionis essentia consistit; & quomodo hodierna die conqueri possem, ut olim Deus per Jeremiam Prophetam: *Omnis domus Israel incircumcisi sunt corde.* Tot inter Christianos vix unus, & ne vix quidem invenitur, qui sit vere circumcisus corde, videlicet intrinsece a mundanis rebus avulsus. Inexplebilis, & universalis cupiditas impune elucet in aperta ambitione hujus; clam gliscit sub adfectata illius modestia, alii secretam nonnullorum invidiam, fovet aliorum morositatem, pascit principum superbiam, infirmorum parit obmurmurationes. Sanctus Chrysostomus ait Circumcisionem potissimum Judæos prohibuisse ne se cum idolorum cultricibus nationibus commiscerent, ne earum idola in veri Dei locum obreperent: quemadmodum contigit quotiescumque hoc mandatum perfregerunt. Hoc autem est inevitabile officium, quod secum affert nomen Christianum. Vos consecrati, ac devoti estis Deo per Baptismum, qui Circumcisioni successit; igitur vestrum est modo nullam ultra fovere necessitudinem cum flagitiosis sæculi sectatoribus, vosmet rebus in omnibus secernere ab amatoribus, & sectatoribus vanitatis; secedere quam longius fieri potest ab infidelibus, atque idololatris, qui clam cultui veri Dei abrenuntiarunt; verbo circumcidere, & abscindere quidquid adversatur cultui Supremi Domini, cujus servitio vosmet addixistis: *Ex Specimine Sermonum.*

Qua in re circumcisionis sacrificium, & illud Crucis Domini conveniant.

Offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii Matutini. Considerantes Dei Filium in die Circumcisionis suæ, in memoriam revocare debemus duo sacrificia, de quibus verba facit Scriptura, alterum quidem matutinum, alterum vero vespertinum. Sed notandum est matutinum hanc ad vespertinum rationem habuisse, ut utrumque eodem ordine, iisdemque cæremoniis esset immolandum. *Offeretis ad vesperam juxta omnem ritum sacrificii matutini.* Sacrificium vespertinum est sacrificium Crucis, cui JESUS CHRISTUS sub finem vitæ suæ suffixus fuit; ratio, quæ inter utrumque animadverti potest, hæc est, quod JESUS CHRISTUS in Sacrificio matutino, quod est Circumcisio; ibi effudit primitias sanguinis sui, & effusio hæc conjuncta est cum omnibus excogitabilibus humiliationibus: cujusmodi erunt illæ crucis ipsius. Victima semper erit eadem, amor, qui illius causa est urgentissima, erit tunc quoque, & hujus finis erit semper hominis salus, non secus ac die isto. *Pater Masson Sermone Circumcisionis in Adventu.*

Numer. 28.

Dei Filius per Circumcisionem omnem aufert Judæis ansam sese de illo scandalizandi, & non recipiendi illum pro Messia.

Postquam impleti sunt dies, ut circumcideretur puer. Luc. 2. Si JESUS CHRISTUS non observasset legem circumcisionis, hæc esse potuisset causa, propter quam Judæi illum non agnoscerent Messiam; quia Messias esse debebat Abrahæ filius, cujus posteritas generatim erat huic legi subjecta. Si non fuisset circumcisus, dicere potuissent, nonspotuimus recipere JESUM CHRISTUM. Injuria quidem hoc dixissent, sed non ideo fuissent scandalizati. Ad prævertendum fallax hoc scandali argumentum Dei Filius dignatus est subire dolorem, ac probrum circumcisionis: cum dolor levissimus, vel illius subeundi metus, sæpe nobis aufert metum scandalum asserendi fratribus nostris. Supponimus nobis jus esse in eorum gratiam non discedendi a nostra utilitate; quamvis etiam salutis eorum causa id a nobis exquireret.

Dolor, quem Sancta Virgo passa est in circumcisione Filii.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2. Interpretes nonnulli animadverterunt, S. Lucam Evangelistam non asserere explicite Filium fuisse circumcisum; sed significare tantum hanc fuisse consuetudinem, & cum advenisset tempus circumcisionis, tunc impositum fuisse illi nomen JESU. Numquid horruit ille factum adeo severum, in quo Filii Dei sanguis effusus fuit? An pepercit verbis, quæ illud ob oculos ponerent, ne in argumento adeo luctuoso moraretur animos nostros post lætitiam, quam narratio nativitatis Domini pepererat? Fortasse silentio præteriisset cruentum istud Mysterium, quod alii fecerunt Evangelistæ? Nunquid mentio illi erat facienda Circumcisionis propter nomen, quod filiis imponebatur, ut hodierna die fieri consuevit in Baptismo? obiter attingit cæremoniam, quæ eodem tempore fieri consueverat. Sed Mysterium, quod Evangelista adeo paucis verbis enarrat, fortasse illud est, quod maxime necessaria continet ad salutem documenta, & pulcherrima obedientiæ, humilitatis, religionis, patientiæ, mortificationis exempla, & ita, quamvis ex omnibus Filii Dei Mysteriis hoc illud sit, quod paucioribus verbis exprimatur, illud tamen sit, quod majorem a nobis postulet attentionem.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. Sine metu hujusmodi in occasione applicari possunt Sanctæ Virgini verba, quæ Sanctus senex Simeon dixit illi aliquanto post in alia cæremonia. Neque enim adfuit huic dolorosæ actioni Maria, quin fieret consors doloris Filii sui, cui fortasse, ut satis probabiliter creditur, propriam manum commodavit. Dubitari nequit quominus factum illud perhorruerit; idque eo magis, quod sciebat ipsum ea lege nequaquam teneri. Sed cum illi persuasum esset, hoc omnino faciendum esse, satis fortis fuit, ut videret, vel etiam, ut arrepto manu sua cultro ipsa in tenera, & delicata filii sui carne cruentum illud opus perageret. Et sane si clavi, qui terebrarunt pedes, manusque Salvatoris in Calvario, Sanctæ Virginis pectus transverberarunt; non ambigimus quo minus gladius idem, qui abscidit carnem illius in adeo tenera ætate, cor ejusdem sciderit; sed fortasse maluit ipsa hanc per se functionem exequi, quam alteri cuipiam faciendam committere, sperans se minorem dolorem allaturam, propter cautissimam sedulitatem, quam erat adhibitura. Sed illud maxime probabile videtur, ipsam lacrymas suas cum Filii sanguine miscuisse, ac se non temperasse quo minus diceret Spiritui sancto: *Sponsum sanguinum mihi es.* Oportebatne, Spiritus divine, ut puer, quem te operante concepi, hac plaga afficeretur? Tamen tuæ obsequor voluntati.

Exod. 3.

Dei Filius voluit circumcidi, & videri peccator ut confunderet superbiam illorum, qui vere sunt peccatores.

Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Justitia Dei. 2. *ad Corinth.* 5. Dici non potest, peccatum in JESU CHRISTO fuisse; Absit tanta blasphemia. Semper fuit sanctus; innocens, & purus in tota vita sua, & omni sorde immunis; nihilominus sicut ille, qui non noverat peccatum,

res, & nolunt videri.

catum, peccatum factus est pro nobis, inquit Apostolus, ut justi efficeremur: sicut ille vere non fuit peccator, fuit tamen circumcisus, quasi peccator fuisset, ut peccatorum hominum superbiæ, ac præsumptioni mederetur. Quid dicemus ipsi ob hoc humilitatis exemplum, cum vani simus, ac tumidi? Ille, qui nec vulnus, neque plagam habebat, non abnuit remedium accipere; nos vero pudet adhibere medicinam veris ægritudinibus nostris, quæ sunt nostra peccata, & nostris mortalibus vulneribus, quæ illa nobis infligunt.

Dei Filius humilitatem, & obedientiam exercuit in hoc Mysterio.

Humiliavit semetipsum factus obediens, usque ad mortem. Ad Philipp. 2. Obedientia, & humilitas duæ sunt virtutes ita conjunctæ, simulque connexæ, ut prima illa nunquam sine altera valeat exerceri. Quicumque obedit, subjicit se imperanti, & quo abjectiora, & difficiliora præcipiuntur, obediens eo magis suam testatur subjectionem. Hinc Apostolus Filii Dei humilitatem probavit ex ipsius obedientia. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Sed si oblata eidem fuisset occasio, nonne verissime dicere potuisset: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad circumcisionem?* Neque enim minus fuit obediens legi circumcisionis, quam præcepto moriendi propter homines. Verum est ipsum nequaquam obligatum fuisse ea lege, quatenus irrogata Abrahæ, & semini ejus: Sed Pater, qui volebat illum mori propter homines, volebat quoque, ut propter illos in paupere statu nasceretur, & circumcideretur. *Propter quod siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus, nihil horum propter se, sed omnia propter electos*, Sanctus Bernardus ait. Mihi autem persuasum est Deum-hominem hunc a primo vitæ momento, ad novissimum usque ne unam quidem actionem feciſſe, nisi ut Patri suo morem gereret; ideoque severæ huic circumcisionis legi nonnisi de ejusdem mandato se subjecisse, & exercuisse duas hasce admirabiles virtutes, videlicet Obedientiam, & Humilitatem, quarum nobis præclarum in hoc Mysterio præbuit exemplum.

Dei Filius incipit in circumcisione effundere sanguinem salutis nostræ pretium.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaiæ 12. Cur Mundi Salvator vix in hanc editus lucem cœpisti effundere pretiosum Sanguinem tuum fontem, simulque pretium gratiarum tuarum, quas tuus Propheta aquas salutis appellat! Hinc reor, ut cognoscceremus salutis nostræ momentum, & magnitudinem mali, quod est nobis inevitabile, nisi resperdimus desiderio, quod habet nos *salvos faciendi*. Advertamus animum ad *divini hujus* pueri admirabilem sanguinem. Admiremur ejus caritatem, quæ non patitur octavum vitæ suæ diem excedere, nisi antea nobis pretiosum hoc vitæ suæ pignus tradiderit. O quam libenter, & alacriter illud nobis tribuit? Quantopere illi cordi est nostra salus! Quo habet in pretio animam nostram! Satis ne persuasum est nobis, nullum esse negotium, quod nostras curas potius meatur, quam illud salutis nostræ, neque aliud malum magis timendum, quam animæ nostræ excidium, ad quam salvam faciendam Dei Filius incipit hodierna die suum effundere sanguinem, totum aliquando in cruce effusurus?

Amor, quem nobis Salvator in hoc Mysterio testatur, & quæ nam esse debeat nostra gratitudo.

Ecce quomodo amabat eum. Joann. 11. Judæi olim videntes Dei Filium super Lazari sepulcrum plorantem, sibi mutuo dicebant: *Ecce quomodo amabat eum.* Si lacrymæ sunt amoris indicium, quid dicendum erit, cum fluere videamus pretiosum sanguinem, cujus Salvator nobis primitias largitur, ut certos nos faciat amoris sui? Heu! videmus quousque nos diligit, & semper illi erimus ingrati? Patiemur amorem proprium illi præripere primos annos vitæ nostræ, & primos cordis nostri motus, illo interim nobis primas sui sanguinis guttas effundente? Heu! tot jam effluxerunt anni, & nondum te diligere incœpi! Hoc est nimis morari. Ex hoc ipso momento volo incipere tibi præstare fidem, nunquam deinceps cessaturus.

Semper mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris. 2. ad Corinth. 4. Si vita Christiana incipere, & finire debet, ut JESUS CHRISTUS, qui prototypus est, atque exemplar incœpit, & finem fecit suæ, Circumcisionem ejus, quæ princeps est actionum illius, respicere non possumus nisi tamquam primam regulam actionum nostrarum, & principium vitæ hominis Christiani, quod longissime abhorrere debet a principio hominis Ethnici. Mirum proculdubio spectaculum est videre hominem Deum sub cultro Circumcisionis; & arduum est assequi, cur ille, qui venit liberaturus homines ab hac lege dura, durisque imposita hominibus, ut Sanctus Bernardus ait, voluerit seipsum illi subjicere. Videtur nequaquam necesse fuisse, ut aliquando effusurus totum sanguinem suum per ea vulnera, quibus confiendus erat in cruce, hodierna die illum guttatim per Circumcisionis vulnus effunderet. Si nihil mysterio vacuum est in Salvatoris hujus actionibus, hæc sane nonnisi prorsus adorabilis esse potest, & sanguini huic ex hoc primo vulnere mananti non adhibebimus omne illud obsequium, quod debemus, neque illum considerabimus tamquam impositam nobis necessitatem incipiendi, & producendi in omne vitæ nostræ spatium circumcisionem, quæ illius referat speciem: videlicet mortificationem omnium sensuum nostrorum, omniumque cupiditatum, ita ut vita nostra ejus vitam imitetur, & inde innotescat, nos vere esse JESU CHRISTI imitatores.

In circumcisione Salvator coram Deo peccator visus est, & ut loquitur Apostolus, factus est peccatum.

Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 2. *ad Corinth.* 1. Videlicet ille, qui non norat peccatum, apparuit coram Deo, quasi ipse esset peccatum? Sed quonam momento vitæ Salvatoris nostri admirabilis hæc propositio potissimum adimpleta fuit: & quandonam dicere possumus JESUM CHRISTUM prima vice sese obtulisse oculis Patris sui, quasi ipsum esset peccatum? Hoc sane fuit Circumcisionis momento. Clarius loquar. Ab ipso ortus sui principio homo erat; sed nondum aliquid habebat commune cum peccatoribus. Ejus Incarnatio, antonomastice opus Spiritus Sancti, generatio ejus in sinu Virginis semper Virginis, miraculosus ejus in Mundum ingressus; hæc omnia illum a minima etiam peccati specie amovebant: sed hodierna die, S. Bernardus ait, cum subjiciat se legi circumcisionis cum lex ista nonnisi pro peccatoribus fuerit irrogata, apparet peccator, atque eo in statu est, in quo illum volebat Deus, ut illum suæ justitiæ immolaret. Antequam legem hanc subiret, Deus læsus victimam quærebat, qua sibi satisfieret; & non inveniebat: *Super quo percutiam*, dicebat ille per Prophetam. Super qua iram meam exonerabo? Super nocentes, qui sunt peccatores? ubi eos omnes delevero, nunquid reparata erit gloria mea? Super hoc justo, nuper in stabuli caligine nato? Hic est dilectus Filius meus, in quo mihi bene complaceo, & in quo nihil video, quod possit mereri ultionem meam. Sed cum modo gerat, quatenus circumcisus peccati, characterem, per te nobis liceat Domine, asserere fidenter; habemus tandem Salvatorem; & quæris super quo percussurus sis, ut ultionem reposcas? *Super quo percutiam?* Super hoc divino puero; habet enim, quidquid opus est, & quidquid cupere vales, ut de illo sumas, ac tu tibi integram tribuas satisfactionem. *Ex sermone primo P. Bourdalove hujus Mysterii.* Isaiæ cap. 10.

De Sanguine, quem Salvator effudit in Circumcisione sua.

Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Jobi 16. Quis non mirabitur videns Deum dolore suo reparantem noxiam voluptatem, quam homo in peccato percepit, puerum dies octo natum, & omni culpa vacuum pro nocentibus pati? Hic sanguis sunt amoris ejus primitiæ donec reliquam partem effundat, & in cruce Salvatoris officium perficiat. O sanguis Dei, nostræ pretium redemptionis! *Terra ne operias sanguinem istum*; relinque mihi pretiosas has Dei reliquias, quoniam gutta una sufficit pro mundi totius redemptione; tu vero Pater æterne audi vocem sanguinis Filii tui, vehementius clamantis, quam nostra peccata; quam enim satisfactionem reddere tibi possunt omnia inferni supplicia, si cum unica sanguinis hujus gutta conferantur?

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

Quanti æstimavit Deus hominem, qui pro eo unici Filii sanguinem fudit! Augustin. in Psalm. 142.

Ligari se volunt homines, & fecari, & uri, pro incerta valetudine dolorum magnam mercedem; Deus te certius curat; & gratis. Idem in Psalm. 102.

Inter omnia testamenti veteris Sacramenta, nihil circumcisione sollemnius antiqua celebravit Religio. Idem in Psalm. 5.

Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc agit pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Gregorius 4. moral. in 8. Jobi.

Ut primitias sanguinis proprii, ei, qui totum sanguinem oblaturus erat, offerret, & communia singulorum sacrificia Christi præcederet holocaustum. Cyprianus de Circumcis.

Ubi Christus venit, cessarunt sacrificia, & jam cordis, & omnem affectionum pestilentiam gladio spiritus resecari immutabili decreto mandavit. Idem ibidem.

Non jam in expoliatione carnis agitur circumcisio, sed Spiritus Sancti virtute veritatis antiquæ sanies expurgatur. Idem ibidem.

Sane Originale peccatum a primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, ompi tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim planam significantia non habuerint, donec ad ipsam vem ventum, quæ figurarum operiebatur velamine. Idem l. 5. Epist. Epist. 42.

Circumcidi voluit Christus, ut obediendi virtutem suo commendaret exemplo. Epiphan. Hæres. 30.

Circumcisio fuit illius temporis Sacramentum, quod figurabat nostri temporis baptismum. August. lib. 2. de anima, ejusque origine.

Ab ad-

Ab adventu Domini à circumcisione carnis ad circumcisionem cordis transitum esse. Idem in expositione Psalm. 6.

Christus sicut suscepit pro nobis mortem, ita & circumcisionem non respuit, ut nos spiritu circumcideremur, Idem homil. de circumcis.

Signum circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis; illa membrum amputat, ista peccatum. Ambros. lib. 5. Epist. 42.

Prior circumcisio desecat carnem, secunda animi desecat vitia, illa ferro, hac spiritu, Zeno Veronensis.

Verbum abbreviatum in carne, amplius abbreviatur facta circumcisione. Bernardus serm. 1. de Circumcis.

Minoratus paulo minus ab Angelis Dei Filius humanam naturam induit, sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Idem ibidem.

Circumciditur puer, agnus sine macula, & si non eguit, voluit tamen circumcidi. Idem ibidem.

Nec vestigium quidem nullum habens vulneris, alligaturam vulneris non refugit. Idem ibidem.

Non sic, impii, non sic agit perversitas elationis humanæ, erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Idem ibidem.

Quem nemo arguere potest de peccato, ipse peccati remedium, & verecundum pariter, & austerum sine ulla necessitate suscepit. Idem ibidem.

Nos e contra inverecundi ad obscænitatem culpæ erubescimus agere pœnitentiam: quod extrema dementiæ est; male proni ad vulnera, pejus in remedia verecundi. Idem ibidem.

Circumcisio magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur, & Salvatorem circumcidere decet magis quam circumciді. Idem ibidem.

Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis. Idem ibidem.

Circumciditur tamquam Abrahæ Filius, Jesus vocatur tamquam Filius Dei. Idem ibidem.

Et nos fratres circumcidi necesse est, & sic nomen salutis accipere. Idem ibidem.

Optime prorsus circumcidit nos, & superflua resecat universa voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ. Idem ibidem.

Merito sane dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cœperit salutem nostram operari, immaculatum illum sanguinem fundens. Idem serm. 2.

Propter hoc circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Idem ibidem.

In circumcisione Domini habemus quod amemus, & admiremur; habemus etiam quod imitemur. Idem sermon. 3.

Jam minoratus est multo minus ab Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris. Et infligitur velut quodam cauterio latronis. Idem serm. 3.

Quid mirum si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? Idem ibidem.

Qui peccatum non fecit, non dedignatur se peccatorem reputari. Idem serm. 1.

Si quo modo posset Pater æternus non agnoscere Filium, in quo bene complacuit, ex hoc maxime signo poterat ignorare. Idem serm. 3.

Parum erat semel putasse sæpe, putandum est, immo si fieri potest, semper, quia semper quod putari oportet si non dissimulas, invenies. Idem serm. 58. in Cantic.

Per circumcisionem significari arbitror excisionem voluptatum, quæ mentem fascinant. Philo Judæus de circumcis.

Non est opus, ut viritim Sanguis singulorum fundatur, cum in sanguine Christi circumcisio universorum celebrata sit, Ambrosius lib. 9. epist. 77.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologis sentibus hauriri valeat in hoc argumento.

Quid sit Circumcisio, ejusque institutio.

CIrcumcisio erat prima Judaicæ Religionis cæremonia, & mares omnes illam subire tenebantur; ita ut octava post Nativitatem die præputium illis abscinderetur cultro, quemadmodum ad hanc quoque diem Judæi in synagogis suis facere consueverunt. Deus hoc præscripserat Abrahæ, ab ipso, & a posteris ejus faciendum. Quadringentos post annos præceptum ipsum instauravit Moysi, proponens illi alios Legis articulos. Connotatum non erat neque ubi, neque a quo puer esset circumcidendus; & duæ hæ circumstantiæ in ipsa JESU CHRISTI circumcisione ignorantur. Deus hanc cæremoniam Abrahæ præceperat tamquam signum fœderis, quod contrahebat cum ipso, & posteris ejus, ex quo sibi facere cupiebat populum peculiarem, & dilectum. Cum autem Circumcisio hæc esset singularis character populi, qui ex Abrahæ semine profectus destinatus erat futurus hæres benedictionum promissarum soboli ejus, oportebat, ut JESUS CHRISTUS, in quo illa progenies erat benedicenda, hoc signaretur charactere, ut liqueret, unde nam promissus Messias esset profecturus.

Circumcisio instituta fuit, tamquam originalis peccati remedium.

Hæc circumcisio in se, & juxta divinam institutionem suam, erat veteris legis Sacramentum, & signum justificationis peccatorum. Et sane ex nonnullorum Theologorum sententia, in Israelitis delebat originalis peccati maculam, eisque gratiam communicabat. Hoc nihilominus, ut alii passim docent juxta S. Pauli Apostoli sententiam, non fiebat vi ipsius Circumcisionis, sed per fidei professionem ab illo factam, qui recipiebat illam, vel factam ab illius genitoribus: & hujus fidei objectum erat promissio, quam fecerat Deus, se salvum facturum populum suum per Messiam, quem erat missurus. Itaque ex capitali hoc loco Judaica, & Christiana Religio est eadem, cum utriusque objectum cultus sit ipse Deus, & Messias idem cum hoc tantum discrimine Messiæ, qui adhuc a prioribus expectatur, & a posterioribus jam advenisse cognoscitur.

Erat signum fidei eorum, qui recipiebant eam.

Erat etiam demonstrativum signum fidei eorum, qui recipiebant illam, ut inquit Sanctus Paulus ad Rom. cap. 4. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* Voluit Deus, ut Abraham, & Filii ejus fidem suam profiterentur sese circumcisioni subjicientes, & per hanc protestationem distinguerentur a nationibus infidelibus, & idolorum cultoribus, & in numero filiorum Dei recenserentur. Igitur Circumcisio signum erat fidei, & justitiæ; sed illius caussa non erat; neque enim habebat virtutem hominis justificandi, & peccatum originale, vel actuale delendi, qualem hodierna die habet baptisma; sed erat solum conditio requisita, sine qua nemo justificabatur.

Discrimen inter adultos, & infantes in lege veteri.

Ne quid prætermittamus ad hoc pertinens argumentum, animadvertendum est, quid interesset discriminis inter adultos, & pueros; videlicet inter eos, qui rationis usu pollebant, & eos, qui secus. Priores videlicet justificari non potuisse, nisi per fidem suam, & præcipue per illam, qua credere tenebantur Messiam nasciturum ex genere Abraham. Et si in lethalis peccati statu essent præter fidem, elicere debebant actum contritionis perfectæ; nam sicut dictum est, circumcisio per se non habebat vim justificandi. Infantes vero mundabantur a sordibus originalis peccati per fidem Parentum, cum ipsis hoc applicabatur signaculum, quod erat conditio, sine qua obtinere non poterant gratiam justificationis; postquam ita præceperat Deus.

Rationes propter quas Dei Filius non tenebatur lege circumcisionis.

Dei Filius semetipsum subjecit legi Circumcisionis, quamvis plures non deessent rationes propter quas eadem lege non teneretur. Primum; immunis erat a lege per ipsa legis verba, quia non duxerat originem ab Adam, vel Abraham per communem viam, quandoquidem Spiritus Sancti opera fuerat conceptus. 2. Cum Circumcisio esset legis antiquæ Sacramentum, per quod qui profitebantur se credere, & sperare in Messiam venturum, a peccato originali liberabantur; Sacramentum hoc supponebat peccatum, cujus erat medicina. Sed Salvator, qui erat auctor gratiæ, & agnus Dei, qui tollit peccata Mundi; ideoque impeccabilis, quatenus Deus & quatenus homo, non minus immunis erat a necessitate deferendi hunc peccatoris characterem, quia alienus erat ab omni crimine. 3. Lex hæc constituta fuerat tamquam publica professio fidei Messiæ, quem Israelitæ præstolabantur. Sed cum ipse JESUS CHRISTUS esset Messias promissus, atque expectatus; non poterat alium expectare, neque idcirco teneri ad ostendendam per Circumcisionem fidem, & spem, quam habebat in se. 4. Circumcisio erat non fœderis a Deo cum Abraham percussi, quo Deus pollicitus fuerat, se habiturum pro populo progeniem Isaac, & populus e contra receperat, se nunquam alium pro Deo habiturum, nisi Deum Abraham, & Isaac, cum reliquæ gentes propter idololatriam reprobatæ fuissent: sed cum venerit JESUS CHRISTUS ad colligendos sine ullo discrimine, qui vivere, & mori vellent sub una, eademque lege, nec non ad salvandos mortales omnes, qui vellent vivere, & mori in fide, & amore suo; poterat non ferre præ se characterem pacti illius, quod mox abrogaturus erat, ut illud ad omnes nationes extenderet. 5. Quemadmodum corporis Circumcisio cogebat Israelitas ad cordis sui duritiam, ceteroſque affectus amori, & legi Dei oppositos abscindendos, cum JESU infinita esset puritas, nihil in illo erat, quod esset abscindendum. 6. Salvatori non erat cur Dei servitio adhærere, & consecrari per exteriorem hanc consecrationem, quandoquidem delibatus erat per unctionem divinitatis, & connatus charactere Verbi. Itaque cum neque generali lege, neque alio quopiam peculiari teneretur præcepto ad Circumcisionem subeundam; huic ultro, & sponte semetipsum subdidit.

Rationes, quæ impulerunt Dei

Sancti Patres plures memorant causſas, cur Dei Filius volue-

Filium, ut se rigidæ huic legi subjiceret.

voluerit seſe huic Circumciſionis legi ſubjicere. 1. Voluit, S. Epiphanius ait, auferre Judæis cauſſam, quam prætexere potuiſſent ignorantiæ ſuæ, ſi ille non fuiſſet circumciſus. 2. Circumciſio erat divinæ Inſtitutionis; noluit Salvator ſecum diſpenſare. 3. Hac doloroſa cæremonia probare voluit, S. Thomas ait, ſe vere hominem eſſe contra errorem Manichæorum, qui corpus phantaſticum, & in ſpeciem tantummodo ei tribuebant; Apollinariſtarum, qui affingebant illi corpus ſpirituale, & eidem divinitati conſubſtantiale: Valentinianorum, qui dicebant corpus JESU CHRISTI eſſe materiæ Cæleſtis. 4. Voluit præbere exemplum perfectæ obedientiæ ſubjiciens ſe legi in omnibus memoratis circumſtantiis. 5. Voluit, inquit Apoſtolus, ſubire legis jugum, a quo nos exemerat, & finem facere omnibus legalibus cæremoniis illas obſervans, & hoc uno Religionis actu majus gloriæ incrementum Deo conferre, quam omnes ſimul homines potuiſſent per ſedulam legis obſervantiam uſque ad finem ſæculorum.

S. Thomas 3. p. quæſt. 37. art. 1.

Circumciſio abrogata fuit per novæ legis prædicationem.

Non ideo legi Circumciſionis Dei Filius ſemetipſum ſubjecit, ut illam ſubiremus: quandoquidem illam recipiens abrogat: nam ſicut evaneſcit umbra, oriente Sole, ita lex antiqua, quæ futurarum rerum umbra erat, & figura, evaneſcit ſtatim ac JESUS CHRISTUS legem novam nuntiavit. Verum ſicuti quidquid in veteri contigit, erat figura eorum, quæ in nova futura erant; Patres aſſerunt, Circumciſionem Judæorum præfiguraſſe Chriſtianorum circumciſionem: inter quas hæc intercedit ſimilitudo, quod prior erat remedium, quo uti conſueverat ad peccati carnem curandam; poſterior vero abſcindit vitia, & ipſum peccati corpus deſtruit: Etenim ſi quæ eſt peculiaris circumciſio ad Religioſos pertinens, & in eo poſita, ut omnibus abrenuntient non iis ſolum, quæ præceptis prohibentur, ſed etiam omnibus, quæ obſiſtunt conſiliis, quæ JESUS CHRISTUS nobis in Evangelio reliquit: alia generalis eſt, quæ ineluctabiliter omnes cogit Chriſtianos, & quæ in hoc ſita eſt, ut amputetur quidquid legi Domini adverſatur. Verum ſi quid ſimilitudinis intereſt inter veteris, novæque legis circumciſionem, plura deprehendi poſſunt, in quibus differunt. Altera carnem, altera vitia abſcindebat; ferrum priorem operabatur, poſterior opus erat Spiritus. Illa mares tantum obligabat, hæc ſexum utrumque; ut cetera omittamus.

Circumciſio erat ſignum, & figura baptiſmi novæ legis. ad Coloſſ. 2.

Ambigere non licet, Circumciſionem fuiſſe ſignum præfigurativum baptiſmi, & gratiæ, quæ per illum confertur. Hoc enim teſtatur Apoſtolus ad Coloſſenſes: *Circumciſi eſtis Circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed circumciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo.* Inter hæc duo Sacramenta multa quidem ſecum convenientia, multa vero longe diverſa videntur. Utrumque inſtitutum fuit, ut eſſent gratiæ ſigna; ſed alterum erat figura duntaxat, alterum vero ſimul & cauſſa eſt. Etenim novæ Legis Sacramenta continent quod ſignificant, & virtutem habent ſaltem moralem producendi gratiam, quæ deerat ſacramentis legis antiquæ, quæ ideo a S. Paulo vocantur: *infirma, & egena Sacramenta.* In Circumciſione Judæus erat cauterio, vel ſtigmate notatus, ut Sancti Patres loquuntur, deferens in corpore tuo notam, quæ illi originis ſuæ turpitudinem exprobrare videbatur; in Baptiſmo recipit Chriſtianus in anima ſua ſpiritualem characterem ſibi honorificum. Circumciſio remedium erat moleſtum, & cum dolore conjunctum, quod nonnunquam mortem afferebat, & imponebat arduæ, ac difficilis legis obſervantiam. Baptiſmus e contra nonniſi legem amoris plenam irrogat, & cujus jugum leve eſt, atque ſuave.

ad Galat. 2.

Quid ſignificaret vetus circumciſio pro lege gratiæ, & pro Chriſtianis.

Cum Circumciſio in Lege Moyſis adeo eſſet inſignis, dubio locus eſſe non poteſt, quominus magnum aliquid portenderet pro Lege Gratiæ, & videtur in re illam non amiſiſſe præſtantiam, quam in figura obtinebat. Quid ergo præſignabat nobis exterior hæc Circumciſio, quæ in Judæorum carne fiebat, niſi interiorem Circumciſionem in Chriſtianorum corde efficiendam? Quod eo verius eſt, quia interior hæc circumciſio, quæ Chriſtianæ Religionis eſſentia eſt, quolibet tempore fuit tamquam anima cultus veri Dei; & quamvis in lege Judaica multa ſint prorſus externa, cogitandum non eſt, Deum externis duntaxat acquieviſſe, ut Salvator toties exprobravit Scribis, & Phariſæis, qui externæ duntaxat ſpeciei, ac litteræ inhærebant.

JESUS CHRISTUS in hoc Myſterio ſeſe legi Moyſis ſubmittit, ut nos ab eadem eximat. Lib. 10. contra Fauſtum c. 13. ad Galat. 4.

Præter exemplum humilitatis, & obedientiæ, quod Salvator nobis ſuppeditat in ſuæ Circumciſionis Myſterio, aliam potiorem recipimus utilitatem; quoniam per actum hunc incœpit ſeſe ſubmittere Legi Moyſis, ut ab ea nos eximeret, & nos per mitiores deduceret vias, irrogans nobis legem amoris, pro hac lege timoris; & Sacramenta *Virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora*, ut docet Auguſtinus. Salvator tanta uſus eſt caritate erga homines, ut ipſe ſibi depoposcerit quidquid durum erat, moleſtum, ac difficile, ut viam cæli nobis ſterneret faciliorem. Hæc eſt Apoſtoli ſententia: *Ubi venit plenitudo temporis miſit Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Dederat Deus populo ſuo legem ſeveram, quæ illum ſubjiciebat plurimis, iiſque moleſtis cæremoniis; erat minarum plena; jugum ejus erat adeo grave, ut non ferendum videretur; teſte Sancto Petro Apoſtolo, de quo in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt, ipſum decidiſſe quæſtionem de hujus legis neceſſitate, & exclamaſſe, cur vultis tentare Deum, & imponere JESU CHRISTI diſcipulis jugum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus. Certum eſt igitur, Dei Filium veniſſe, ut nos de ſervili hac eximeret lege ſeſe eidem ſubjiciens; quod beneficium eſt, propter quod illi æternæ nobis habendæ erunt gratiæ.

Quæ ſit illa Circumciſio, quam in nova lege nobis præcipit Deus. Matt. 15.

Quamvis concupiſcentia regnet in membris omnibus, in eo vero potiſſimum, in quo ſit Circumciſio, tamen illa imperii ſui, vel tyrannidis ſedem potius habet in corde: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.* Cor concipit, cor concupiſcit, cor peccatum parit: Caro nonniſi inſtrumentum eſt, quo utitur, ut ſuis ſatisfaciat deſideriis; oculis, ut videat; auribus, ut audiat; lingua, ut loquatur; ore, ut comedat, & bibat, manibus, ut attrectet. Igitur in corde reſidet concupiſcentia, & ibi, tamquam in corrupto fonte omnes corporis, animæque facultates vitiantur. Quandoquidem ergo malum ex corde proficiſcitur, illi medicina applicanda eſt; quæ non aliud eſt, niſi ſpiritualis circumciſio; cum enim corporalis fieret per amputationem partis alicujus a corpore; ſimiliter ſpiritualis poſita eſt in amputandis omnibus illicitis deſideriis, & per hanc abſciſſionem fit generalis Circumciſio hominis totius per emundationem cordis, ex quo tot rivuli veneno infecti emanant.

S. Paulus non abſtulit circumciſionem, ſed mutavit duntaxat modum illius, efficiens illam ſpiritualem, quæ erat corporea.

Ex iis omnibus, quæ docet Theologia de Circumciſione tum veteris, cum novæ legis, inferri poteſt, Circumciſionem perfectius ſubſiſtere debere in lege Moyſi, & Sanctum Paulum Apoſtolum tantum abfuiſſe, ut illam aboleverit, quod videtur feciſſe in ſua ad Romanos Epiſtola, ut immo illam confirmaverit, mutata ſolum ratione illam exercendi; cum enim antea eſſet exterior, fecit, ut in animarum noſtrarum ſubſtantiam migraret. Umbram illius diſſipavit, ſed retinens corpus figuram abſtulit; & rem confirmans litteram, quæ occidit, eripuit; ſed dans ſpiritum, qui vivificat, prohibuit Circumciſionem Judaicam, irrogans Chriſtianam eo excellentiorem, quo lex gratiæ Moyſis legi antecellit.

1. Reg. c. 18.

Legimus in Scripturis Prophetas, & Sacerdotes Baal in celebri contentione, quam habuere cum Elia, ſuperſtitioſo adductos zelo in Dei ſui honorem cruentas in ſemet inciſiones exercuiſſe, donec ſuo cruore manarent. Sed hodierna die videmus Deum, qui per ardentis caritatis exceſſum vult circumcidi, ut populi ſui ſaluti proſpiciat. Quænam oppoſitio inter JESUM CHRISTUM, & Baal, vel potius inter Baal, & veri Dei cultores! in Templo Baal homines ſuum effundebant ſanguinem pro Deo ſuo; & in veri Dei Templo Deus ipſe ſuum pro hominibus cruorem effundit.

Dei Filius per circumciſionem ſuam fuit in ſtatu ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris.

Eo momento, quo Dei Filius circumciſus fuit, inventus eſt in proxima, & neceſſaria diſpoſitione, ut poſſet eſſe peccati victima, ideoque perfecte Salvator. Ut enim ſalvum faceret hominem, qui in Dei odium inciderat, requirebatur, ut poſſet pati, & mori. Crux, & Mors erant ad id requiſita media in æternæ Sapientiæ conſilio conſtituta; quod omnes nos docent Scripturæ. Ut par fieret patiendo, atque moriendo, habendus illi ſaltem erat peccati character. Res per ſe patet, & in hoc tota vertitur S. Pauli Theologia. Hic autem character peccati, nonniſi per circumciſionem hanc imprimendus erat in innocua JESU CHRISTI carne; & ſane circumciſio, quamvis illam ſanctam in Salvatoris perſona concipiamus, erat in ſe, & ex inſtitutione divina, Sacramentum, & ſignum juſtificationis peccatorum. Hinc autem ſequitur, antequam JESUS CHRISTUS circumcideretur, defuiſſe illi quamdam, ut ita dicam, conditionem, ſine qua nondum eſſe poterat victima cruenti hujus ſacrificii, quam Deus ad noſtram redemptionem poſtulabat; & conditio hæc erat circumciſio: quod Evangeliſta videtur innuere per hæc verba: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JESU, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur;* quaſi vellet innuere; hactenus, quantacunque eſſent illius merita, illum nondum tamen hoc nomen obtinuiſſe, quia nondum habebat, quod neceſſe erat, ut actu Salvator appellaretur.

Circumcidendus erat, & ſaltem habere debebat ſpeciem peccatoris, ut haberet conditiones requiſitas paſſus.

Ad Peccatores, & nocentes ſalvandos opus erat juſto, S. Auguſtinus ait, in quem caderet maledictio, quam trahit poſt ſe peccatum, & pœna illi debita. Juſtus hic erat JESUS CHRISTUS. Hic non debebat eſſe peccator; nam quatenus peccator repulſam

tas in mediatore, qui satisfaceret pro hominibus.

passus fuisset a Deo: neque satis erat illum justum esse; neque enim potuisset esse objectum ultionum Dei; sed quatenus Mediator, debebat, quamvis immunis esset a crimine, immo etiam impeccabilis, aliquid tenere medium peccatum inter, & innocentiam; & medium hoc inter peccatum, & innocentiam, S. Augustinus addit, erat signum peccati. Itaque oportebat, ut JESUS CHRISTUS vere justus esset ad hoc, ut posset justificare peccatores, & peccator in speciem, ut in se detrahere posset Dei supplicia: Deus enim quantumvis irritatus adversus homines, non poterat succensere JESU CHRISTO, donec in illo justitiam, & sanctitatem duntaxat videret; sed postquam sumpsit in Circumcisione formam peccatoris, fuit eo in statu, in quo esse debebat, ut vere fieret pro nobis Mediator.

Circumcisio Filii Dei erat pignus mortis ejusdem in cruce.

At enim, inquies, non Circumcisioni, sed Morti Filii Dei adnexa erat hominum salus: fateor equidem, sed meminisse etiam opus est, Circumcisionem fuisse pignus Mortis ejusdem. Mementote eo tempore, quo circumcisus fuit, sollemni promissione illum pollicitum fuisse, se consummaturum in Cruce cruentum Sacrificium, cujus primam tunc duntaxat oblationem faciebat; & inde fateamini, Mundi Salutem quemdam habere nexum cum Circumcisionis Mysterio. Hæc explicita est S. Pauli doctrina docentis Galatas omnes, qui sese Circumcisioni objiciebant, in virtutem Circumcisionis ipsius, munus subiisse universam legem adimplendi. Oneroſa conclusio, a qua dispensari noluit Filius Dei; quoniam palam professus est se venisse non legem solvere, sed adimplere. Sed legis complementum, S. Hieronymus ait, habita JESU CHRISTI ratione, mors erat ipsius JESU CHRISTI; quia ille ejusdem finis non nisi per consummationem sacrificii sanctæ humanitatis suæ futurus erat.

ad Galat. 5.

Difficultates a Salvatore superandæ, ut huic legi subjiceret.

Difficultates, quæ a Salvatore superandæ fuerunt, ut obtemperaret legi Circumcisionis, sunt. 1. Lex erat illi admodum severa, habita ratione ætatis suæ, & mollissimi temperamenti, debebat sanguinem fundere, & vitam objicere morti, in cujus discrimen vulneris dolor adducebat. 2. Lex hæc turpis erat; quandoquidem illum rejiciebat in numerum servorum; & nihilo secius suscipit hanc servitutis notam, ac peccatoris: ita ut inter Circumcisionem, & Crucem hæc inveniatur similitudo, ut *in illa censeatur in numero peccatorum, tamquam Adæ Filius, quia illius suscipit characterem; in hac autem sceleſtus habeatur*, uti loquitur Propheta: *& cum sceleratis reputatus est*, quia eodem supplicio damnatur, quo scelerati plectuntur. 3. Lex hæc erat admodum oneroſa; nam, ut S. Paulus ait, qui Circumcisionem recipiebat, sese ad alia legis præcepta observanda obstringebat; ita ut Dei Filius ex eo tempore sese subjecerit ad exequenda quæcunque de se scripta fuerant in veteri Testamento, eaque mox ita sedulo omnia adimpleverit, quasi illi integrum non esset, semet ab iis dispensare.

Isaiæ 53.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Dolor, quem expertus est Mundi Salvator in circumcisione sua ad salutis nostræ opus inchoandum.

DE hoc Mysterio Verba facturi considerate primum dolorem extremum, quem passa fuit caro adeo tenera, & delicata Salvatoris in novo hoc genere Martyrii. Tantus erat hic dolor, præsertim vero die octavo, ut vitam sæpius auferret. Conjicite hinc, quantum debeatis puero, qui diluculo incipit pati, & satisfacere pro peccatis nostris: primo ipso nativitatis suæ die lacrymas effudit, & Sanguinem octavo, ut intelligeremus, caritatem ejus non fatigari; eo magis procedere, quo majori pretio stat illi hominis salus. Ad hoc objectum S. Joseph, qui paterno amore diligebat Infantem lacrymas continere non potuit; non secus ac Sancta Mater ejus, cujus amor magis adhuc tener erat, & quæ blanditiis suis mulcere consuerat dolores, & vagitus pueri, quem Deum suum esse noverat, & quæ sedulo colligebat Sanguinem, cujus pretium non ignorabat. Animadvertite hoc in loco, Fideles, Dei Filium, ut nostram salutem operaretur satis sero prædicare incœpisse, sed diluculo incœpisse pati. Trigesimum agebat annum cum primas habuit prædicationes; & octavum agebat diem, cum per Circumcisionem suam cœpit fungi Redemptoris officio. Admiremur bonitatem, ac fidelitatem divini hujus hominis, qui cum venerit in Mundum ad homines redimendos, vix ingressus arrhas præbere voluit, in antecessum fundens sanguinem pignus illius, quod affluentius in posterum erat effusurus. *Granatensis in Memoriali. Serm. 6.*

Humilitatis exemplum, quod Dei Filius nobis in hoc præbet Mysterio.

Admiremur non solum Incarnati Verbi caritatem, verum etiam perfectam humilitatem, quam voluit elucescere in ipso vitæ suæ primordio, quoniam virtus hæc est veluti radix ceterarum. Nam poteratne magis sese humiliare ille, qui peccatoribus medetur, quam peccatoris similitudinem accipiens? poterat se in humiliori, & abjectiori statu collocare ille, qui ipsa est innocentia, quam volens se veluti nocens haberi? Agnus sine macula, S. Bernardus ait, quin circumcisione indigeret, voluit circumcidi; & qui ne minimam quidem levissimi vulneris notam habebat, excipi eo pacto voluit, quo illi, qui vulneribus deformati sunt. Non ita se gerit homo superbus; sua jactitat scelera, ac illum pudet semet remediis subjicere. Nulla nobis est verecundia; non pudet ea committere, quæ nos pudore suffundere deberent, & pudet nos ad pœnitentiæ remedia confugere, quibus omnis labes detergi potest. Improbi sumus per eam facilitatem, qua nos patimur vulnerari; & improbiores, quia nos pudet, vulneribus nostris fieri medicinam. Et nihilominus, qui semper ignoravit peccatum non puduit eum, peccatorem videri, & nos jugiter peccare volumus, & pro peccatoribus haberi non volumus. Ita loquitur S. Bernardus. *Idem in Meditat. de vita Domini nostri.*

Dei Filius nunquam majorem erga nos amorem testatus est, quam sese subjiciens humiliationi circumcisionis.

Divinus Amor, qui nullum obicem nanciscitur, quem non infringat; virtutem suam ostentare voluit subjiciens Deum legi, quæ minime decebat illius Majestatem. Deus tantus est, ut magnitudine crescere minime valeat, & magnitudo ejus minus elucet in magnis efficiendis, quam in se ad minima submittendo. Ita JESUS CHRISTUS majorem nobis caritatem testatus est sese subjiciendo miseriis nostris, & operibus humiliantibus nostræ humanitatis, quam operando potentiæ suæ mirabilia. Hoc confundere debet quoddam superbiæ genus adeo commune filiis sæculi, qui non verentur gravia coram Deo peccata committere, & verentur pro peccatoribus apud mortales haberi. Hinc accidit, ut Sanctus Bernardus ait, illos non pudere malorum animæ, & nullam habere medicinam, qua valeant curari. Volens JESUS CHRISTUS exemplo suo delere in nobis hanc propensionem adeo irrationabilem, atque injustam, viam sequitur prorsus oppositam; nam quamvis in ipso nihil sit nisi veritas, puritas, sanctitas; celat omnes hasce perfectiones sub specie peccati. Circumcisus est, perinde ac esset peccator; accipit remedium mali, quod non habet, ut doceat confundi non posse, qui peccator videtur, & non est: sed eum qui peccator est, & non videtur, semper coram Deo esse contemptibiliorem. *Liber, cui titulus. Passiones Domini nostri J. C.*

In circumcisione nihil accidit, quod Salvatoris divinitatem testaretur, ut in aliis Mysteriis.

Videtur nobis singularis habenda esse gratia Salvatori, eo quod in Circumcisione luit pœnas, ac tulit characterem peccatoris: in aliis enim vitæ, mortisque suæ Mysteriis elucebat semper per ipsas peccati species, radius aliquis Majestatis in ipso absconditæ. Cum natus est contremiscens, ac plorans, non secus ac alii Adæ Filii, Angeli, Pastores, & Magi ad eum adorandum venere. Cum oblatus fuit Templo tamquam peccator, Sanctus Senex Simeon, & Anna Prophetissa illius divinitatem testati sunt. Cum baptizari voluit in Jordane cum peccatoribus, Spiritus Sanctus, qui in columbæ speciem super ipsum apparuit, Vox Patris æterni, quæ audita fuit, & S. Joannes, qui baptizavit illum, professi sunt illum esse Dei Filium. Cum se tentari passus est in deserto, visi sunt Angeli tamquam Domino suo ministrare; cum laboribus fatigatus erat, miracula ejus potentiam significabant. Cum se capi passus est in horto Olivarum, unico verbo prostravit eos, qui ad ipsum capiendum accesserant. Cum inter latrones cruci suffixus fuit; Sol, qui in Ecclypsim incidit; terra, quæ tremuit; clamor, quem ipse expirans emisit; Centurio, qui illum confessus est; & velum Templi, quod scissum est, adeo insigne divinitatis ejusdem perhibuere testimonium, ut illi ipsi, qui illum affixerant cruci reverterentur percutientes pectora sua, & illum vere Filium Dei esse fatentes. Ita in occasionibus, in quibus peccator videbatur, aliquid semper elucebat, quod illius proderet divinitatem. Una fuit circumcisio, in qua sui videtur oblitus. Non Angeli, non videntur miracula, ex quibus cognosci valeat, quinam sit; tunc enim volebat totam gustare dulcedinem voluptatis, qua suffundebatur videns se similem nobis, ut nos cogeret ad hoc ut illi similes fieremus; & quamvis deinceps majores pœnas subierit; hæc tamen non ideo minori habenda est in pretio, quandoquidem sese illi subdidit amoris nostri causa eo usque, ut omnino suæ magnitudinis obliviscetur. *Idem.*

Quam gravem dolorem Filio Dei attulerit circumcisio.

Si Circumcisio non aliam JESU CHRISTO pœnam attulisset præter dolorem, hic ob unam hanc causam sese illi subjecisset; venerat enim in Mundum cum tanta perferendi cupiditate, ut illi non admodum facile esset servare modum, ac se redigere ad ea solum sustinenda, quæ alii pueri sustinebant. Tamen hic dolor ingens esse debebat, quia Circumcisionis instrumentum erat culter lapideus, quo usam scimus uxorem Moysi cum filiis suis, & silicio cultro præcepit Deus, ut universus Israel circumcideretur, antequam in terram promissam ingrederetur. Infantes vulgo patiebantur, quin cognoscerent, quæ res in illis doloris sensum minuebat; sed JESUS CHRISTUS, qui ex eo tempore perfectum rationis usum obti-

obtinebat, acerrimum ſenſit ex eo vulnere dolorem, & eodem amore modicum illud ſanguinis effudit, quo mox ad extremam uſque guttam per ſæviſſima tormenta in cruce ſuffixus prodegit. *Idem*.

Præceperat in veteri lege Deus, ut ſibi offerrentur primitiæ omnium fructuum terræ; & quia Filius ſuus naſciturus erat in tanta paupertate, ut nihil proprium haberet, ne locum quidem, ubi caput reclinaret; Pater æternus exegit ſanguinem dilecti hujus Filii. Salvator alacriter dicto paruit, nihilque obfuit, quominus pateretur pro nobis ætate adeo tenella; nam octava die a nativitate ſua dedit nobis primas illius Sanguinis guttas, qui totus in cruce effundendus erat, & etiam poſt mortem ex lateris ſui hiatu erat effluxurus. En quid fecerit JESUS pro illis, qui primos ætatis annos in ignorantia, adoleſcentiam ſuam in vitiis, & reliquum vitæ ſuæ ſpatium in turpi corporibus ſuis adhæſione traducunt. O quot confuſionis, ac verecundiæ cauſſas iſtic nancisceretur homo divino illuſtratus lumine, adeo prave abuſus vita ſua, ſi hæc cum JESU CHRISTI vita conferretur, qui nullum vitæ ſuæ diem præterire paſſus eſt, quin ad ſalutem noſtram operam ſuam impenderet, & ſuum nobis amorem teſtaretur. *Idem*.

Ex eo, quod Filius Dei paſſus eſt pro nobis in Circumciſione ſua intelligere debemus, quanti ſalus noſtra ſteterit illi.

Neque ſine cauſſa voluit Salvator ſalutem noſtram tanto ſibi ſtare pretio; ſtudebat enim efficere, ut intelligeremus, nos ab ipſo pluris fieri, quam quidquid ab ipſo creatum eſt. Mundi creatio illi non ſtetit pluris, quam formicæ; fecit omnia ſolo motu voluntatis ſuæ, ſine cura, ſine labore; & nullo habuiſſet in diſcrimine creatarum rerum interitum. Itaque ſi tantum operatus, & perpeſſus eſt ad avertendam hominis perniciem, ſi voluit circumcidi primis vitæ ſuæ diebus, & crucis ſupplicio vitæ ſuæ finem facere; hoc ille præſtitit, ut amoris ſui in nos magnitudinem intelligeremus, & cognoſceremus, ſi creatio noſtra illi facilis extiterit, redemptionem noſtram illi infinito pretio ſtetiſſe. Hinc S. Paulus aſſerit, nobis offerendum eſſe corporum, animarumque noſtrarum ſacrificium illi, quandoquidem pretio magno ab illo fuimus redempti. Verum eſt, illum potuiſſe nos pretio minori redimere, ſi voluiſſet; ſed quod ſaluti noſtræ ſatis erat, ſatis non erat amori ſuo; cui ut faceret ſatis, vita opus erat laborioſa, quæ a doloribus inciperet, & per crucis mortem deſineret. *Idem*.

Senſus admirationis, gratitudinis, & amoris erga Salvatorem, qui voluit ſeſe ſubjicere legi adeo auſteræ propter noſtram ſalutem.

Nihil tibi arduum videtur, Domine! Cum *id agitur*, ut mihi tuum teſteris amorem: ætatis tuæ gracilitas, majeſtatis tuæ magnitudo, ſeveritas legis, quæ pro te facta non eſt, minime obſtant. Quo major es, a nemine pendens, abſolutus in temetipſo, eo mihi videris amabilior, humilians te propter me; Amor tuus eſt lex una, quam ſequeris; facis omnia, quia amas; ſed quis eſt Domine, quem amas? Nihil vides in me dignum amore tuo; niſi peccata mea tuam alliciant miſericordiam, & locum tibi præbeant efficiendi, ut in miſeriis meis infiniti miſericordiæ tuæ theſauri refulgeant. Satis non erat amori tuo, facere te hominem, naſci infantem, & recipere in carne tua puriſſima remedium peccati; quamvis peccatum ita abſit a te, ut ſi peccare poſſes non eſſes amplius, quod es. Verum ſi adeo peccatum horres, quomodo nam aſſentiri potes, ut pro peccatore habearis? Peccati turpitudo infernum adeo horribilem facit. Labes, quam imprimit in animabus noſtris, efficit, ut cæli jacturam faciamus, & nos dignos facit odio tuo. Quare igitur Deus meus! cum ſis eadem ſanctitas ſuſtines, & quæris formam peccatoris; non ſolum in carne Adam peccatorum omnium anteſignani; verum etiam temet ſubjiciens remedio, quod non niſi ad peccatorum expiationem præcepiſti? Vis circumcidi, quamvis Sacramentum hoc non inſtitueris, niſi ut peccatores illud recipientes declararent fidem, quam habebant in te, & per hanc confeſſionem conſequerentur originalis peccati remiſſionem. Tu vero, o puritas infinita, qui verus es Meſſias, per fidem, & amorem cujus ſalvi ſumus; qui ipſe es ſalus peccatorum, quomodo medicina peccati indigebas? Te amo, amor infinite! te adoro bonitas immenſa; & benedico incomprehenſibilia æternæ Sapientiæ tuæ conſilia. *Idem*.

Cur Dei Filius ſe ſubjecerit legi circumciſionis cum minime teneretur.

Dei Filius ultro ſe ſubjicit legi Circumciſionis quamvis eadem minime teneretur. Circumciſio erat remedium præſcriptum ad carnem emundandam; & Salvatoris caro omni labe erat vacua: ſed ex quo JESUS CHRISTUS eſſe voluit hominum Salvator, oportet, S. Auguſtinus ait, ut peccatoris notam ſuſcipiat, qua poſſit in caput ſuum ſupplicia peccato debita convertere. Ut eſſet perfecte Salvator, pergit Doctor idem, juſtus requirebatur, in quo Deus ſibi ſummopere complaceret, & in quem nihilominus animadvertere poſſet tamquam in peccatorem, ut in paſſionibus, & humiliationibus ejus invenire poſſet cumulatiſſimam ſatisfactionem, & congruam Majeſtati Dei læſi, ac juſtitiæ ſuæ ſeveritati. *P. Croiſet in libro cui titulus: Aſcetica exercitationes, vel annus Chriſtianus pro die prima Januarii.*

JESUS CHRISTUS per circumciſionem

Antequam Myſterium hoc impleretur, nondum erat JESUS, qui eſſet hoſtia propitiationis pro peccatis noſtris. Deus nihil inveniebat in divino hoc puero, in quo ſibi non complaceret; ſed ex quo dilectus hic Filius per Circumciſionem ſub ſpecie peccatoris apparuit, in perſona ſua collegit duas qualitates, quæ erant neceſſariæ, ut eſſet Salvator. Nam quin eſſe ceſſaret Filius dilectus, factus eſt victima, quam poſtulat Deus. Ideo non niſi hac die Salvatoris nomen accepit, & hac potiſſimum die ſemet onerans iniquitatibus noſtris, ſeſe ſolemni ritu ad omnes pœnas ſubeundas obſtringit. Vita pauper, & vita laborioſa, & humiliata, opprobria, ſupplicia, mors in cruce: hæc omnia ſunt effectus duræ obligationis, quam contrahit in hoc Myſterio. Nihil patietur in vita, & paſſione ſua; quod ille ſponte, ac libere in Circumciſione ſua non acceptaverit. *Idem*.

ſuam in ſe colligit duas Salvatoris qualitates.

JESU CHRISTI Circumciſio vocari poteſt Magnum Humiliationum ejus Myſterium, primitivum noſtræ ſalutis pignus; Legis antiquæ conſummatio; arrha, & primum novi teſtamenti ſignaculum; & dicere poſſumus hac ipſa die Filium Dei poſſeſſionem adire qualitatis Salvatoris; quia hac die primum fungitur primis Salvatoris officiis per primam ſanguinis ſui effuſionem. Hæ dolorum ejus primitiæ quam validum ſunt nobis amoris, & gratitudinis argumentum! Quid actum eſſet de nobis, niſi talem habuiſſemus Salvatorem? Sed quid de nobis fiet, ſi inutile effecerimus, quidquid divinus iſte Salvator operatus eſt, ut nos ſalvos efficeret? *Idem*.

Hac die, & per hoc Myſterium Dei Filius incipit Salvatoris officium.

Deus meus! Quot in uno Myſteria! ſed quot in eodem ſummi momenti documenta! Quæ JESU CHRISTI ſollicitudo in replendis omnibus Religionis officiis! qua ſedulitate legi paruit! Poteratne apertiora nobis tradere ſui erga nos amoris monumenta? Poteramuſne ipſi habere Salvatorem, qui magis noſtri cordis amorem mereretur? Poteramuſne perfectiorem prototypum invenire? Heu! quomodo ſolers hæc JESU CHRISTI obedientia damnat in nobis nimis indulgentes legis interpretationes, ac importunas diſpenſationes! Hæc præmatura Salvatoris humiliatio quanto rubore ſuffundit ſuperbiam noſtram! & hæ dolorum primitiæ quam validum afferrent amori noſtro proprio remedium, ſi intus Myſterii hujus Spiritum aſſequeremur! *Idem*.

Lectiones, quas nobis proponit Dei Filius in ſuæ Circumciſionis Myſterio.

Vetus ideo deſiit in JESU CHRISTO circumciſio, *quia recentem inſtituit*. Hæc non eſt amplius, Apoſtolus, *inquit*, *exterior carnis circumciſio*: *in expoliatione corporis carnis*; interior circumciſio eſt, quæ in ſpiritus fervore peragitur: *Circumciſio cordis in ſpiritu*. Sine hac circumciſione cordis, hoc eſt, ſine hac abſciſſione inanium, & inquietorum deſideriorum, incompoſitarum, mundanarum, immoderatarum, illicitarumque cupiditatum, quæ naſcuntur in corde, quæ illud corrumpunt: denique ſine hac circumciſione generoſa, & perſeveranti circumciſione affectuum noſtrorum, fruſtra nobiſmet blandimur, rati nos eſſe diſcipulos JESU CHRISTI, eo quod extrinſecus, ut ita dicam, ſignaculo ejus ſignati ſumus. Interior cordis noſtri reformatio a S. Paulo proprie dicitur Circumciſio legis gratiæ, cum ait, nos hodierna die eſſe Circumciſos, qui Deo ſpiritu ſervimus. *Nos enim ſumus circumciſi, qui ſpiritu ſervimus Deo*. Vita chriſtiana eſt vita crucis, & circumciſionis. Amor proprius accendatur, ſpiritus rebellet; ex hoc ſigno verus Fidelis cognoſcitur. Qui non habet hunc interioris reformationis ſpiritum, habendus eſt pro incircumciſo. *Idem*.

Mutatio Veteris circumciſionis in novam, quæ cordis eſt. ad Coloſſ. 2.

ad Philipp. 3.

Nihil magis *adverſatur majeſtati*, & *ſanctitati* divinæ, quam *humiliatio*, quæ a peccato procedit. Dei Filius omnia contemnit, cum agitur de noſtra ſalute. Recipiens *hodie* peccatoris characterem, ejuſdem recipit etiam ignominiam. Noſtram miſeratus calamitatem præfert mortis ignominiam in Cruce vitæ ſuavi, & tranquillæ. Ecce ad quid ſe obſtringat per Circumciſionem: alia quælibet minoris pretii victima, non poterat delere peccatum Mundi. Ecce quanti ſtet noſtra ſalus! Sed Deus meus quam me pudet, & pœnitet adeo male hactenus tantæ dilectioni vicem rependiſſe! Vix natus es, cum mihi teſtatam facis amoris tui magnitudinem effuſione tui Sanguinis; & quantumvis inſignis peccator ſim, ecce me proximum finidierum meorum, *quin* tibi lacrymam dederim: dignare ſaltem Domine, recipere quidquid reliquum eſt vitæ meæ; hujus tibi hodie offero ſacrificium. *Idem*.

Dei Filium ſuum nobis reſtatur amorem in circumciſione ſuſtinens propter ſalutē noſtram dolorem, & ignominiam.

Quamvis JESUS CHRISTUS immutabiliter eſſet objectum, in quo Pater æternus ſibi complacebat; tamen ex quo dignatus eſt peccatoris formam ſuſcipere, quanam cum ſeveritate in ipſum animadverſum fuit? & quam duro vitæ genere ſeipſum condemnavit? Nos vere ſumus peccatores, & vivere volumus in mollitie: quandonam pœnitentia noſtra peccatis reſpondebit? Sola peccati ſpecies ſatis fuit, ut Deus minime paroeret Sancto Sanctorum. Nox ſexcentorum peccatorum ſordibus inquinati ſumus, & vivimus perinde ac nihil eſſet nobis metuendum. *Idem*.

ſi dilectus Filius adeo male habitus fuit, eo quod ſpeciē peccati gerebat quid nos manet veros peccatores?

Non minima noſtrorum malorum cauſſa, & fortaſſe omnium perniciosiſſima eſt velle peccare, & nolle vel alienis, vel propriis oculis peccatores videri.

Filius Dei videri voluit peccator, quamvis peccare

non posset; nos vero qui veri peccatores sumus tales nolumus videri.

Homo ideo peccat adeo frequenter, & graviter, quia seipsum, & sibimetipsi crimina sua vult excusare, vel saltem illa excusabilia esse sibi blandiri. Ut discere-mus nosmet in oculis nostris confundere, & pudore suffundi coram Deo, JESUS CHRISTUS dignatus est in Circumcisione sua per peccati speciem in hominum oculis confundi. Profecto hodierna die subjecit se cæremoniæ pro peccatoribus solum institutæ; & secundum communem sententiam institutæ ad delendam peccati originalis labem, quam JESUS CHRISTUS contrahere non potuerat, quia erat Sanctitas ipsa. *Liber, cui titulus: Verus Spiritus, & usus solemnium anni festivitatum.*

Salvator subjecit se legi, qua non tenebatur, ut deleret in nobis amorem dominationis.

Ad delendum dominationis amorem prohibentem, ne nos legi subjiciamus, tunc maxime cum ineluctabiliter eadem tenemur; JESUS CHRISTUS in Circumcisione sua vult se legi submittere, a qua jure suo se poterat dispensare, vel potius qua nullo pacto tenebatur; sed intellexit voluntatem Legislatoris, qui oblectatur videns leges suas ad extremum usque apicem observari, tunc etiam cum arcte non obligat, quoniam legum suarum observantiæ zelotypus est. *Idem.*

In Circumcisione ostentat desiderium operandi salutem nostram, ut nos de nostra negligentia redarguat.

Vita nostra nihil est nisi series quædam negligentiarum, ac dilationum in iis, quæ pertinent ad salutis nostræ negotium. E contra vero JESUS CHRISTUS in Circumcisione sua præsefert admirabilem servorem operandi nostram redemptionem sibi demandatam, quam tamen in passione sua debet perficere. Sed quia post nativitatem suam occasionem nanciscitur incipiendi suam pro hominibus Sanguinis effusionem, ad hanc toto pectore fertur. Hoc pacto nobis tribuit exemplum arripiendi statim omnes, quæ sese nobis offerunt occasiones obsequendi consiliis, quæ favent saluti nostræ, & non afferendi moras ei negotio, quod totum vitæ nostræ spatium debet occupare. *Idem.*

Rationes propter quas Salvator se subjicere voluit Legi circumcisionis.

Quare voluit Deus sese submittere legi adeo duræ, qualis est Circumcisionis? Quia per immutabilia adorabilis Trinitatis decreta statutum est, ut ille nos per suas passiones salvaret: Quia ad divinam Justitiam mulcendam adeo rigorosa requirebatur satisfactio: Quia cum Creatoris imago in creatura deformata per peccatum fuisset, reparari non poterat, teste S. Paulino, nisi per incisiones doloribus plenas in eo peractas, qui peccatum non fecerat: Quia denique redemptio nostra alligata erat huic pretio, & quia sine Sanguinis effusione speranda non erat remissio; ideoque incœpit hodierna die illum effundere, quo ejus primitias Patri suo offert. *Ex sermonibus moralibus.*

De obedientia Filii Dei legi circumcisionis. S. Thomas 3. P. qu. 17. art. 1c.

Inter plures rationes propter quas circumcidi voluit Dei Filius, in illa immoremur Sancti Thomæ, qui putat id ab eo factum, quia exemplo suo nos alicere vellet ad obedientiæ virtutem imitandam: dicit enim S. Doctor illum, qui supra leges est, voluisse legi obtemperare, ut qui eidem subditi sunt, eidem æquo, alacrique animo sese subjicere discant. Salvator autem sese Circumcisionis legi subjecit, etiamsi non solum hominem deprimeret, atque magnum dolorem inferret; verum etiam sibi multo majorem, quam infantibus reliquis dolorem esset illatura. Post autem adeo validum exemplum obedientiæ, quam prætexere nobis licet causam, ut nobiscum dispensemus ab Evangelicæ legis observantia, videntes hominem Deum sese huic legi veteri adeo molestæ, ac duræ subjicientem? Bona fide fatemur, novam prorsus oppositam esse naturæ sensibus; sed hæccine ratio est, propter quam eidem parere detrectemus? Lex jubet, non disputat; & cum Dominus, S. Augustinus ait, vocem profert, sive nos jubeat credere, seu facere ea, quæ rationi nostræ, vel sensibus adversantur; nihil nobis reliquum est, nisi ut imperata faciamus. Verbo, si legi Evangelicæ nihil molestum, acerbumque inesset; Salvator frustra illam Circumcisionis sustinuisset, quoniam illi se subdidit, ut ejus acerbitatem suo nobis deliniret exemplo. *Abbas de Marmorel in homil. dici Circumcisionis.*

Obedire opus est legi, quantumvis esset magis severa, Salvatoris exemplo, qui se Circumcisionis legi subjecit.

Quamvis Domini lex longe durior esset, nunquid æqua esset querela videntium hinc quidem exemplum, quod nobis præbetur a Filio Dei semetipsum illi subjiciente, inde vero mercedem, quam ad unguem observantibus illam, proposuit? Heu! S. Augustinus ait, nonne quotidie sinimus nos aligari, nos igni, ferroque torqueri, sperantes finem daturos dolori, quo premimur, & producturos ad aliquot annos miseram vitam, cujus periculum subimus in crudeli medentium abscissione, vel ustione perferenda? Hoc autem in loco fluxam, brevemque postulo mortificationem, qualis est Spiritualis Circumcisio, ut perfruamini gaudio, quod nunquam destiturum est; e contra vero profitebor, si per insipientiam Domini Legem contemnere volueritis, vos certissime æternis suppliciis esse afficiendos. Conferte igitur voluptatem fluxam, ac perfunctoriam cum supplicio nullum finem habituro; & pœnam brevem cum æterna, & judicium ferte, utrum nimis a vobis exquiratur? ubi quæritur, ut pareatis legi Evangelicæ, quam corruptæ naturæ adversari non inficiamur, cum videatis Salvatorem vestrum sese legi toto cælo severiori subjicere. *Idem.*

De Spirituali Circumcisione.

Inter veteris, novæque legis circumcisionem plura connotari possunt discrimina; sed in duobus præcipue possumus immorari, quæ nobis locum præbent constituendi maxime essentiales Ethnicæ Christianæ veritates. Primum est, Judæorum Circumcisionem exiguam dumtaxat carnis amputasse particulam; Circumcisionem vero Christianorum, non tantum ad omnes corporis partes, sed etiam ad omnes facultates animæ pertinere; interiores, exterioresque simul sensus afficere: a planta pedis usque ab verticem capitis nihil in nobis sanum esse, nihil non infectum veneno cupiditatis; ideoque opus esse, ut spiritualis circumcisionis *gladius penetrabilior omni gladio ancipiti pertingat* ad Hebr. 4. *usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullarum.* Cum igitur de Circumcisione loquimur, ne putetis satis esse abscindere aliquid de sumptibus, dapibus, magnificentia, servorum caterva; hoc quidem bonum est, & omnino necessarium eo tempore, quo luxus non aliis arctatur finibus, nisi quos vel avaritia, vel indigentia illi constituit: sed exterior ista circumcisio non sufficit; in eo totus rerum cardo vertitur, ut cor circumcidatur, & nosmet emundemus ab iis omnibus, quæ polluunt illud. Visne scire, quid sibi velit circumcidi, Pater quidam ait? hoc est, non furari, non mentiri, non concupiscere aliena, nemini injurias inferre; nil indecorum audire, nihil inhonestum videre, nil noxium cogitare. En quid sibi velit, esse interius, exteriusque circumcisum: En quid Judæorum Circumcisio significet; en quodnam sit necessarium Christianorum omnium officium; ideoque abscindamus ab auribus, oculis, ore, lingua, manibus, spiritu, memoria, corde nostro, quidquid per Dei Legem est nefas. *Idem.*

Judæorum circumcisio semel fiebat. Christianorum vero jugis esse debet.

Alterum inter Judæorum, & Christianorum Circumcisionem discrimen est; illam quidem semel fuisse perferendam, hanc vero quotidie instaurandam a pueritia ad extremum usque vitæ spiritum. Cum enim hæc instituta fuerit, ad superandum hostem, nobis invitis in nobis semper manentem, & nonnisi cum nobismet vivere cessantem; jugis Christiani operatio est semper Evangelii ensem distringere ad abscindendas indesinenter malas corruptæ naturæ productiones; ad amputanda desideria, quæ cupiditas semper corrumpit, ad semovenda quæcumque ipsum in peccatum illicere possent. Hoc vocatur cordis contritio, quæ haberi potest tamquam Christianismi compendium: medulla disciplinæ JESU CHRISTI, & Spiritalis Circumcisio. *Idem.*

Sustinenda est peccati confusio ad Salvatoris exemplum in Circumcisione.

Sustinere opprobrium peccati est proprie illud cum humilitate, & contritione in pœnitentiæ Sacramento aperire; detegere secretiores, turpioresque cogitationes, incondita desideria, affectus sordidiores, ac nocentiores, est sincere confiteri invidiam, qua rumpimur, zelotypiam, qua voramur, impurum ignem, quo incendimur, quin criminibus nostris velum obducere, vel alium allinere colorem quæramus peccatis, quorum sola cogitatio rubore suffundit illos, illasque, qui, vel quæ pudori nuntium non miserunt omnino. Dæmon semper in perniciem nostram intentus, duo agit; peccatum patrandum est? aufert pudorem, qui prohibere posset, ne quid improbe auderemus. Ad confessionem confugiendum? rursus immittit pudorem ad os obstruendum, & prohibendum, ne verum recipiatur. Sed si verecundiam abjecimus, ut peccaremus; absit verecundia, cum nosmetipsos accusamus. Sacrificemus Domino naturalem hanc reticentiam, quæ suboriri potest detegentibus ei, qui similis est nobis, peccata nostra, quæ nobismetipsis vellemus abscondita; quoniam sacrificium hoc a Deo institutum est ad misericordiam obtinendam. Quid? ipsum JESU CHRISTI exemplum, qui licet integerrimus, hodierna die non refugit induere speciem peccati, non satis valebit, ut nostræ medeatur superbiæ? Non ita: humana superbia tale exemplum horret; pudet medicinæ nos, qui aliquando eo insolentiæ pervenimus, ut de malo ipso gloriemur. Ille, quem nemo arguere potest, vult sine ulla necessitate confugere ad medicinam, quæ tantum illi probrum, ac dolorem erat allatura: Nos vero e contra, quin erubescamus propter ea, quæ sunt turpissima, erubescimus gestare pœnitentiæ insignia. Qui non cognovit peccatum, non dedignatus est peccatorem videri: nos autem peccatores esse volumus, & simul obtinere piorum hominum famam; Sauli similes, eo tempore, quo clam peccata nostra confitemur, palam in honore haberi volumus. *Idem in Sermone de hoc Mysterio.*

Judæorum circumcisio erat figura circumcisionis, quam observare tenentur fideles.

Quemadmodum Lex antiqua erat novæ figura, Judæorum Circumcisio indigitabat futuram apud Christianos Circumcisionem aliam, quæ non in carne abscindenda consisteret, sed in amputandis vitiis, & quid quid fuit peccati materia. En unde initium ducendum est Christiano sincere ad Deum redire cupienti; opus est, ut qui de fratribus suis detrahebat, non detrahat amplius; ut qui intemperans erat, sibi temperet; ut qui hanc, vel illam personam invisebat, cujus

frequens visitatio conjuncta erat cum crimine, aut scandalo, hoc abscindat commercium, & omnino recedat. Sed nondum satis; nam ut S. Chrysostomus inquit, non sufficit evellere telum ex corpore illius, qui vulneratus est, applicanda sunt etiam necessaria pharmaca ad illatum vulnus curandum. Itaque credendum non est, quod cessare a malo sit malum reparare; sed illud in nobis puniendum est per pœnitentiam, quæ justitiæ Dei satisfacere valeat, idque per christianam Circumcisionem. Illicitis voluptatibus dedimus operam? abstineamus a licitis. In excessu cibi, & potus deliquimus? Jejuniis malum hoc reparemus. Injuriam verbis, vel factis proximo intulimus? hanc officiis, & beneficiis sarciamus. *Idem.*

Dei Filius corpoream antiquæ legis circumcisionem mutavit in spiritalem novæ.

Recipiens JESUS CHRISTUS dolorosum Circumcisionis Sacramentum, ab hoc homines exemit; sed illis spiritualem imposuit Circumcisionem, videlicet amputationem corruptorum desideriorum, quæ in Scripturis peccati corpus vocantur; quæ circumcisio quia interior, non ideo tamen est minus molesta. Hæc generalis est Circumcisio, & quæ toto vitæ spatio perseverat. Oculi, ceterique sensus, circumcidendi sunt; potissimum autem cor, quod est fons omnium pravarum cupiditatum. Vulgata omnium fallacium pœnitentiarum, ac devotionum hæc est, quia plerumque quodammodo christiana Circumcisio in legalem convertitur. Exterior tantum species reformatur, ad ipsum affectuum fontem non pervenitur, ac interior superbia non amputatur. Vetus homo novo tegitur, non deletur; sub exteriori specie ad regulam, & mortificationem composita magna intrinsecus alitur immortificatio. Hoc non est ad novam pertinere legem, quia per hoc non exercetur cordis Circumcisio. *Ex specimine Morum.*

Necessitas exercendi spiritualem circumcisionem.

Cum Dei Filius Circumcisionem receperit, simul ac Salvatoris nomine fuit nuncupatus; significavit se illos tantum salvos esse facturum, in quibus nanciscetur veritatem, cujus legalis illa Circumcisio erat figura; videlicet Circumcisionem cordis, Circumcisionem spiritualem, quæ ad salutem est necessario servanda: Etenim Salvator nos a legis Circumcisione dispensans, arctius nos obligat ad cordis circumcisionem, quæ veritas erat hujus figuræ. Hac conditione salutem nobis offert, atque largitur.

Attamen plerique homines mortificationem, & Circumcisionem, de qua loquimur, respiciunt tamquam consilium, quod sequi non tenemur, nisi ut altiorem perfectionis apicem assequamur. Fatalis error, quo Christianismi spiritus ad nihilum redigitur, & per quem homines credunt se Christiani qualitatem servare posse, & simul omnibus se se voluptatibus ingurgitare, & affectuum suorum torrente rapi. Error idcirco a JESU CHRISTO auferendus, tamquam fons malorum omnium, quæ hodie in mundo late grassantur. *Ex eodem non sine aliqua additione.*

Circumcisio erat baptismi figura. Qua in re baptismus circumcisioni antecellat.

Circumcisio authenticus erat character, quo legis antiquæ fideles distinguebantur; quemadmodum Baptismatis sacramentum veros Dei Filios in nova distinguit. Sed illa hujus umbra dumtaxat erat, & figura; baptismus enim toto cælo majoribus gaudet prærogativis. Profecto neque cruentus est, neque dolorem parit; quovis tempore conferri potest, & in ipso etiam vitæ primordio, inexpectata die post nativitatem octava; denique per se utrique sexui gratiam communicat. *Liber, qui inscribitur: Verus Spiritus, & sanctus usus festivitatum anni.*

Circumcisio magis exinanivit Filium Dei, quam Incarnatio, & Nativitas. ad Philipp. 2.

Nullum in universa Religionis, ac Redemptionis nostræ œconomia reperio Mysterium, in quo magis eluceat humilitas. Verum est, Apostolum de Incarnatione loquentem dixisse: Dominus *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*; sed proprie loquendo, verum non est Dei Filium sese exinaniisse, humanam carnem assumendo: si enim illum consideramus quatenus Deum, humiliari non potest, cum neminem habeat, cui se subjiciat; sin autem consideramus illum quatenus hominem, certum est per unionem cum persona Verbi illum infinite honoratum, non autem fuisse exinanitum. Si igitur in Incarnationis Mysterio non liquet Salvatorem fuisse humiliatum, neque secundum Divinitatem, neque secundum humanitatem; nos e contra jure asserimus illum magnopere exinanitum fuisse assumendo in se signum peccati. Quod pertinet ad Nativitatem, inficias ire non possumus, Salvatoris illuxisse humilitatem. Quis non admiraretur hominem-Deum, videns illum in stabulo inter duo animalia nasci? Sed quis non magis illum admirabitur videns illum peccatoris charactere notatum? *Ante paucos dies*, S. Bernardus ait, *celebravimus Adventum Christi in carcerem hujus mundi ideſt diem natalis. Hodie vero celebramus quod catenas, & vincula nostra suscepit.* Non omnes, qui in carcerem ingrediuntur pro nocentibus habentur, sed ii tantum, qui manicis, & compedibus onerantur. Salvator nascens, mundum, tamquam carcerem, ingressus est; sed ubi circumcisus fuit, tunc subiit onus catenarum, & vinculorum nostrorum, & tamquam peccator apparuit. *R. Duneen in sermone Circumcisionis in Tomo Mysteriorum.*

Serm. 3. de Circumcis.

Audebimusne circumcisionis humilitatem cum crucis humilitate conferre? Homo-Deus moritur in cruce medius inter latrones, tamquam sceleratus, & infamis: fingine potest major exinanitio? Ita sane; Velle enim circumcidi est multo magis humiliari; & constat ratio. Injuste damnari morte, & velle mori ad salvos faciendos nocentes, non est indignum magni cordis generositate. Innocentem mori ad plurimorum vitam servandam, glorioſum est. Sed applicare sibi peccati remedium, est quodammodo se peccatorem fateri, & talem haberi velle, non quidem per falsos testes, injustasque calumnias, sed vero, atque authentico charactere, cui confessio publica adjuncta est; nonne hoc est magis humiliare se, quam si iniquorum injustitia talem prædiceris? Salvator igitur ultro recipiens in se notam, & characterem peccatoris, magis seipsum exinanit, quam cum patitur in se ad inimicorum preces, tamquam in sceleſtum hominem animadverti. *Idem.*

Circumcisio quodammodo majorem habet humiliationem quam Crux.

Cordis Circumcisio, cujus figura fuit Circumcisio corporis Judæis præscripta, tanti momenti est ut explicari mereatur ad hoc, ut aliquando tandem æqua illius idea concipiatur. Hæc igitur Circumcisio, quæ nobis in Evangelio præscribitur, non est abscissio partis alicujus e corpore, quæ olim fieri consueverat; non est illa Circumcisio, quæ fiebat per gladium lapideum, aut ferreum, quod nemo ignorat; non illa, quæ imperata fuit Abrahæ, & quam Lex, donec viguit, servavit. Circumcisio nostra est spiritualis, neque alium habet ministrum, nisi JESUM CHRISTUM, ut inquit Apostolus: *Dico enim CHRISTUM JESUM Ministrum fuisse Circumcisionis.* Circumcisio nostra fit per gratiam, quæ tamquam gladius abscindit, non particulam concupiscentiæ cordis, sed quidquid in illo invenit improbum, & abnorme. Nova hæc Circumcisio non immoratur in iis tantum, quæ supervacanea videntur; sed quærit quidquid intrinsecus latet: Denique Circumcisio nostra illa est, quæ nos efficit Christianos interiores, & veros; non autem ut olim Judæos, qui extrinsecus tantum erant circumcisi. Ecce quænam sit nostra Circumcisio, & quomodo omnem cordis concupiscentiam abscindens nos efficit spirituales, atque interiores. *Sarazin in tomo 2. Adventus in sermone Circumcisionis.*

Quid sit cordis circumcisio, quæ novæ legis est circumcisio.

ad Rom. 15.

Dei Filius nulla Circumcisione indigebat, cum esset *Agnus sine macula, innocentia, & sanctitas ipsa.* Sed sicuti *elegerat in parte sibi passiones, ignominiam*, & dolores circumcisionis inhærentes, hæ ipsi erant cordi, neque ab illis dispensari passus est impatiens testatum hominibus faciendi amorem suum. Cum alacritate primas fundit pretiosi ejus Sanguinis primitias, quem ad extremam usque guttam effusurus est: Haud ægre subjicit cultro Circumcisionis carnem innocuam, quam aliquando traditurus est sævitiæ tortoris profunda hac submissione primum præbens specimen illius obedientiæ, quæ ipsum est perductura usque ad crucem mortis: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Cum autem facere debeat, antequam doceat, prævenit exemplo suo documenta, quæ traditurus est ore: mihi videntur omnes legalis hujus cæremoniæ, cui adeo humiliter se ipsum subjicit, idem nobis dicere, quod alia in occasione dicturus est Apostolis suis: *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Ex specimine Sermonum pro die Ascensionis.

Salvator se subjicit circumcisioni, ut nobis suum testetur amorem.

ad Philipp. 2.

Deus carnaliter, ut ita dicam sese gerebat cum Judæis, qui erant carnales; *imponebat illis carnalem* Circumcisionem, ut ex eorum corporibus *illos* Dei esse liqueret; quemadmodum ad hanc quoque diem armentis exteriores, sensibilesque notæ inuruntur, ut innotescat, cujus domini sint. Sed nobiscum agitur honorificentius, etiamsi minori cum sedulitate. Circumcisionis dolor in carne brevi evanescebat; sed dolor Circumcisionis cordis, est circumcisio vitæ totius; efficienda nonnunquam cum abscissionibus adeo molestis, ut fortasse tales non essent illæ, quæ lapideo, vel ferreo cultro olim peragebantur. Ne fallamus nosmet; trepidemus, ubi audimus Deum profitentem, se exterminaturum de populo, quicumque carnalem hanc in se non habuerit Circumcisionem: nec dubitemus, quin similiter dicat, eum, qui non habuerit cordis circumcisionem, exterminatum iri de populo, cui benedicet in æternum, & qui veram promissionis terram est possessurus. Quapropter ubi in secretis desideriis affectibusque nostris deprehendemus quidpiam, quod displiceat Deo, & quod nos circumcidere jubeat, ne hæreamus; obediamus illi eadem alacritate, qua Abraham; quantumvis inde mœrorem, doloremque simus experturi. Recogitemus tantum magnitudinem præcipientis Dei, ac nos beatos existimemus tamquam Abraham quod habeamus occasionem testandi nostram fidelitatem, & per hanc promerendi, ut habeamur ex numero populi sui, qui est populus obedientiæ. *Auctor Recens.*

Deus non minus exigit spiritualem circumcisionem a populo Christiano, quam corporalem exigeret a Judaico.

Quis comprehendere, vel etiam sibi fingere posset, Deum, qui Dominorum est Dominus, apparere voluisse sub forma servi? Hoc nihilominus egit die

Filius Dei quodammodo exinanivit se accipiens formam servi in

Circumcisione sua, quæ tegit quidquid magnum est in persona ejus.

die Circumcisionis: Namque in hoc Mysterio tota ejus latuit divinitas; omnis nitor ejus caligine offusa obscuratus est; omnis ejus magnitudo exinanita est: verbo, hodie fit universalis amputatio earum rerum omnium, quæ in ipso nitent. Octava jam dies est, ex quo ipso in lucem prodeunte, Angeli curam susceperunt evulgandi ejus nativitatem; & suavi concentu in aere modulantes annuntiarunt pastoribus, jam venisse Messiam, eumque in paleis recumbere in stabulo Bethleem; ac stella coruscans, ubi esset novus hic Sol, indigitavit. Hodierna die nihil pro eodem loquitur. Lex, cui se subjicit, eum peccatorem ostendit; mater, quæ videbatur illum immunem a lege probatura, ipsa fortasse illum Circumcidit. Denique nomen augustum, quod illi imponitur, pretium est Sanguinis ipsius, & qualitas Redemptoris hominum, hodierna die non ita cognita est, ac illa peccatoris. *P. Masson in Adventu Sermone ultimo.*

Humiliatio Salvatoris in hoc Mysterio proficiscitur ab ejus amore erga peccatores.

Ita est: Salvatoris humiliatio proficiscitur ex illius amore erga peccatorem. Ab illa immunis est per impeccabilitatem; tamen se subjicit illi, ne distinguatur, sed cum illo permisceatur, in cujus gratiam id agit. Hoc in argumento, Fideles, exclamo cum S. Bernardo: *Amor dignitatis nescius.* Amor, quo prosequitur homines, quorum Redemptor futurus est, ad statum hunc redigit illum, ita ut, ne officium suum in finem usque vitæ suæ differat, hac incipit die, & ne quid excipiatur, quod amori suo tribuendum est, gloriam, & existimationem suam sacrificat. Haberi vult pro peccatore, & fieri peccatum, ut loquitur S. Paulus, ut nocentem irritato Patri suo reconciliet. O Deus! oportebat ne, ut tantis tibi sumptibus staret amor erga nos tuus; & ut dolori accederet ignominia? Permitte mihi, ut ad te accedens, honorem vulnus, unde primæ Sanguinis tui effluunt guttæ, & colam tuam Salvatoris qualitatem, quam amor tuus sub peccatoris qualitate celavit. *Idem.*

Quam acceptæ Patri æterno fuerint Sanguinis guttæ a Salvatore effusæ in Circumcisione.

Certo certius est, singulas guttas Sanguinis Salvatoris, quocumque tempore effusæ fuerint, infiniti pretii fuisse, atque infinitæ dignitatis; & idcirco minimam guttam Sanguinis illius valere ad placandam Justitiam Dei, satisfaciendum plene pro peccatis hominum, omnesque inferni flammas extinguendas. Fatendum tamen est eas, quas sua in Circumcisione primas effundit, privilegio quodam peculiari frui, utpote quæ sunt primæ quæ ab ipso effusæ fuerint, & quæ ante oculos æterni Patris sese sistentes, ejus altare conspergunt. Deus postulavit semper primitias bonorum quæ in homines confert; quapropter ipsi consecrabantur primogeniti hominum atque animalium, & primi fructus terræ: sive ut prompto hoc grati animi testimonio significaretur ipsum haberi pro principio eorumdem bonorum; sive ut ipse primus nostris facultatibus, & filiis uteretur. Percipi haud ægre potest quanta cum gloria viderit Deus venas Salvatoris primum aperiri, & quanta cum voluptate acceperit primas Sanguinis guttas, quas Servator ipsemet suis incunabulis illi obtulit: Deus, qui usque tum alias oblationes non acceperat præter eas, quæ ipsi ab hominibus fiebant; neque alii sanguini præterquam animalium sua altaria perfundi viderat. *Bircat sermone primo de Circumcisione.*

Primus hic Sanguis Salvatoris est firmissimum testimonium amoris ejus erga homines.

Si primus hic Sanguis adeo pretiosus est in oculis Dei, non minus esse debet in oculis hominum. Sanguinis testimonium procul dubio magis validum, atque authenticum est ad ostendendum, aliquem amari, & in pretio haberi, seu quod egreditur ex corde, seu quod vitæ principium est. Sed Salvator satis non esse putans se amorem suum nobis fuisse testatum sustinendo frigus, & hyemis incommoda, vult etiam præbere nobis Sanguinis sui testimonium per primas, quas fundit guttas, idque eo magis, quod fundit illas statim post nativitatem, & primis vitæ suæ diebus; & Sancti quidam Patres animadverterunt, voluisse ipsum se legi Circumcisionis subjicere, ut occasionem nanciscereturpatiendi, & effundendi Sanguinis sui, statim ac vivere incœpit. Qua in re duo observanda sunt, quæ nobis ejus amorem ostendunt, primum quod ætate adeo tenera, & delicata sustinet adeo grave tormentum; alterum vero, quod nihil magis ostendit amoris magnitudinem, quam impatientia faciendi, vel perferendi aliquid pro amici sui commodo: sed quomodo nam Salvator posset apertius nobis ostendere amoris sui impatientiam, quam per primum Sanguinem quem fundit, & per illius fundendi festinationem! Heu Salvator! nunquid deerat tibi tempus, quo tuum nobis modo ita cruento amorem ostenderes? Ætas tua te ab hujusmodi rigore dispensat: reserva pro cruce Sanguinem tuum; nonne satis illum effundes in Calvario? Clavi, flagella, spinæ non ne satis affluentem copiam elicient? Verum est, sed amor meus pati nequit hujusmodi dilationem; festino primas guttas effundere, pignus ejus desiderii, quo reliquum effundere cupio. *Idem.*

De Humiliatione Filii Dei in circumcisione.

Liquet nihil abjectius, nihil Salvatoris turpius esse, quam species hæc peccatoris: hoc unum nomen delere potest ceteros honoris titulos, quos illi officii sui, suæque divinitatis sanctitas tribuit, & nihil illum magis contemptibilem efficere poterat, quam ista labes. Attamen hac ratione sacrificat suam existimationem, vult circumcidi; quantumvis vere peccator non sit, omnes tamen peccatoris species assumit, & in hominum judicio pro tali debet haberi. Ipse vulneratus est primi nocentis plaga, & recipit medicinam huic vulneri curando destinatam. Incomprehensibilis amor Salvatoris mei! non solum habet hominis formam, illam etiam peccatoris assumit; Divinitatis suæ decorem peccatoris charactere voluit dedecorare; patitur id, quo humana justitia punit nocentes: cum in aliqua corporis eorum parte turpem notam inurit, in criminis pœnam, & opprobrium. Hæc sensibilis est impressio, quam parit circumcisio in corpore Salvatoris: ignominia est subsistens in membris ejus, & impressio hæc æternum erit dedecoris monumentum. Admiror, Domine, humiliationes tuæ nativitatis; sed invenio sacrificium gloriæ tuæ longe majus in tua Circumcisione; & divinitas tua magis mihi videtur abscondita eousque, S. Bernardus ait, ut si Pater æternus posset non cognoscere Filium suum, id accedere poterat in hoc uno statu, in quo omnia videbantur adversari veritati gloriæ, & divinitatis illius. *Idem.*

Ignominia circumcisionis quodammodo major est, quā mortis.

Verum quidem est in passione Salvatoris ignominiam ejus insigniorem fuisse, & magis manifestam; quoniam judicum sententiis damnatus fuit, & carnificum manu cruci suffixus; sed aliunde circumstantiæ, & probationes innocentiæ suæ majores fuere. Quomodo istud? Quia in judicum damnatione, pœnæ, quas infligunt, a legibus quidem destinatæ sunt in scelerum punitionem, sed non semper certa sunt scelerum signa. Judices falli possunt; testes possunt corrumpi, ut liquet in morte ejusdem Filii Dei, ubi judicum injustitia, ac testium criminationes ad illius innocentiam probandam profuere; sed circumcisio per se certissimum est indicium peccati. Innocentes quidem ad supplicium rapti fuerant, sed nonnisi nocentes circumcisi. Ceterum id præcipit Pater, id Mater exequitur, cujus utriusque interest illius existimatio, uterque contulerunt ad augendum sacrificium gloriæ ipsius per humilitatem ejusdem, quia nihil dedecus ejusdem imminuit. *Idem.*

In Circumcisione nullum contingit miraculum & nihil ostendit, quinam sit, ut in aliis mysteriis.

Scite etiam Patres, atque Interpretes animadvertunt in omnibus Mysteriis Salvatoris, Providentiam Patris ejusdem semper gloriam suam cum humiliationibus ejus permiscuisse, & miracula sua cum illius objectionibus. Nascitur in præsepio, sed ad nativitatem ejus evulgandam prodit stella de cælo: baptizatur in Jordane quatenus peccator, sed Spiritus Sanctus super illum in columbæ formam apparens, sanctitatis ejus perhibet testimonium: tamquam latro crucifigitur, sed simul tellus contremiscit, scinduntur lapides, sol eclypsi laborat. Quorsum ista commixtio, ut humiliationes ejus per hujus gloriæ comparationem majores fiant: verum etiam ut hæc gloria remuneretur, consoletur, & imminuat ejus humiliationes. In Circumcisione dumtaxat, Deus hunc ordinem non servat; in hoc dumtaxat Mysterio miraculum non operatur: gladius Salvatoris corpus scindit, & lapides non confringuntur; primæ Sanguinis ejus guttæ decidunt in terram, & terra non contremiscit, neque novum emicat sydus, ut hoc gloriæ suæ sacrificium remuneretur. *Idem.*

Nobis applicare debemus meritum Sanguinis Jesu hac die, qua illum incipit fundere.

Recipiamus, Christiani, primas Sanguinis hujus guttas, quas nobis exhibet in hoc Mysterio: illas nobismet applicemus, & sicut olim filii Israel posuerunt sanguinem Agni in limine januarum suarum, ut sese ab Angelo exterminatore tuerentur; ponamus Agnum hunc circumcisum in principio omnium actionum nostrarum, ut nos protegamus a tentationibus dæmonis & illusionibus Mundi. Hic primus est Sanguis, quem pro nobis effundit: itane erimus insipientes, ut illum fluere videamus, quin illi grati animi sensus testemur, & quin illi exhibeamus corda nostra cum corpore suo Patri immolanda? Quoniam patitur propter amorem nostri, statim post nativitatem suam, tot annos in peccatis vivemus, quin aliquid propter illius amorem sustinere velimus, & ut nobis utilem Sanguinem ejus efficiamus? Denique cum illum tanta cum liberalitate effundat, itane ingrati erimus, ut nullum mortificationis actum eliciamus propter affectum, quo ipsum diligimus? Heu! Fideles, primus hic anni dies, primus sit dies nostræ Sanctitatis: incipiamus vivere JESU CHRISTO, & recipiamus primas cruoris ejus guttas tamquam pretiosas strenas, quas exhiber nobis, ut gloriam, quam possidet, acquiramus: *Idem.*

Dei Filius in Circumcisione sua periculum facit nostræ Redemptionis.

Filius in Circumcisione sua satis esse non putat in statu nos salvos faciendi; vult sese legi huic subjiciendo periculum facere, & nanciscitur medium. Quidnam istud? Deo offerens primitias Sanguinis sui qui futurus est pretium salutis nostræ: Verum est, inquiunt Theologi, minimam Filii Dei actionem propter personæ dignitatem satis esse potuisse nobis redimendis: sed in ordine secretorum Dei, & rigorosæ hujus satisfactionis, cui se ille subjecerat, opus erat, ut

hæc

hæc illi ſtaret Sanguine. Ita conſtitutum erat in æterno Conſilio, ut tractatus fœderis Deum inter & nos ratus haberi tunc inciperet, cum Redemptoris cruor inciperet fluere; unde factum eſt, ut ipſe etiam illum novi teſtamenti Sanguinem appellaverit: Matth. 26. *Hic eſt Sanguis meus novi, & æterni teſtamenti.* Ita præceptum erat, ut in lege gratiæ *ſine Sanguinis effuſione non fieret remiſſio*, & Sanguis JESU CHRISTI ad Hebr. 9. ſolus vim haberet nos emundandi, atque abluendi. Nunc autem adimpletur conditio, & cum video naſcentem hunc Deum ſub gladio Circumciſionis, melius, quam Moyſes dicere poſſum: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum.* Hodie igitur Exod. 24. proprie incipit Mundi Redemptio: & Dei Filius adit poſſeſſionem officii ſui quatenus Salvator; quia hodie primum ejuſdem munus exercet. *P. Bourdalove, ſermone de Circumciſione.*

Dei Filius in ſpirituali Circumciſione quam inſtituit, validum, & neceſſarium ſalutis medium tribuit nobis.

Quid agit hodierna die Filius Dei? Ut diſcamus quomodo cooperari debeamus ſaluti noſtræ, nobis medium proponit æque divinum ac ineluctabile, & neceſſarium, videlicet hanc myſticam, ſed realem ſpiritus, & cordis Circumciſionem, quam nobis veluti legem irrogat, cujus præceptum explicat, cujus uſum etiam efficit faciliorem. Proponit nobis Circumciſionem cordis, & ex ea legem conſtituit: antiquat enim veterem Circumciſionem, vel ut magis proprie dicam, vetus circumciſio in illo ceſſat, quia novam inſtituit, & ut S. Auguſtinus inquit, ejus umbram, & figuram ſuſcipit, quia illius lumen gerit, & veritatem. *Suſcepit umbram allaturus lucem, ſuſcipit figuram daturus veritatem.* Sed lumen, & veritas hæc erat, ut omnes circumcideremur corde, ſicuti Judæi erant circumciſi carne. Circumciſio cordis, hoc eſt amputatio inutilium, mobiliumque deſideriorum, inquietorum, inconditorum, carnalium, mundanorum, nocentium, & illicitorum, quæ naſcuntur in corde, & illud corrumpunt. Id ita S. Paulus intellexit, & quia hæc pernicioſa deſideria excitantur in nobis per vana objecta, quibus illicimur; per fallaces ſpes, quibus excæcamur; per noxias occaſiones, quibus trahimur, atque pervertimur; hæc cordis Circumciſio eſſe debet omnimoda ab hujuſmodi objectis ſeparatio: perfecta omnibus utilitatibus abrenuntiatio, ſalubris ab occaſionibus fuga: hoc enim per Judaicam Circumciſionem figurabatur; ad hoc Deus mundum parabat, cum jubebat Abraham, & poſteros ejus circumcidi. Salvator autem nobis hanc ſpiritualem proponit Circumciſionem, tamquam medium ad ſalutem maxime neceſſarium: quid enim ad ſalutem magis neceſſarium eſt, quam revellere, jugulare, mortificare, delere, quidquid nobis eſſe poteſt damnationis origo, & principium? *Idem.*

Qualitates & deſcriptio ſpiritualis Circumciſionis.

Spiritualis hæc Circumciſio non exterior tantum Circumciſio eſt, ſex talis, ut ad penitiſſimas animæ partes, ut ita dicam, pertingat: *Non quæ in manifeſto eſt Circumciſio.* Circumciſio, quæ non eſt opus ad Coloſſ. 2. manuum humanarum, ſed opus Dei, & quæ hominem coram Deo ſanctificat: *Circumciſio non manufacta.* Circumciſio, quæ conſiſtit non in ſpoliatione carnis, ſed Ibidem. in vitiorum, atque concupiſcentiarum carnis abnegatione: *In expoliatione corporis carnis.* Circumciſio, cujus duo principia æque, ac ſubjecta ſunt ſpiritus, & cor; principia quidem, quia per illa adimpletur, ſubjecta vero, quia in illis eſt: videlicet Circumciſio cordis, quæ fit non ſecundum litteram, ſed in fervore ad Rom. 2. ſpiritus. *Circumciſio cordis in ſpiritu, non littera.* Hæ ſunt vividæ Apoſtoli locutiones ad definiendum id, quod novam Circumciſionem voco. *Idem.*

Opus eſt ut qui in mundo, & qui in clauſtris degunt, circumciſi ſint corde; ſed ſi utrorumque neceſſitas ſpectetur, hæc cordis circumciſio quodam in ſenſu magis eſt neceſſaria in mundo, quam in religione viventibus, quibus profeſſionis vota jam omnia abſtulerunt. Qui enim in mundi luce verſatur acriora habet cupiditates præ Religioſis; quia longe plures habet objecta ad illas ciendas præſentiſſima; quia qui in mundo vivit, multo magis patet, quam cœnobita, vitæ periculis; ideoque ſibimet attentius invigilare debet, & majores exercere conatus, ut ſe ipſum tueatur, & ſibi caveat. Poſt primum Religioſi hominis greſſum; poſt primum illud ſacrificium, quo ſe omnibus exuit, nihil illi, quod offerat reliquum eſſe videtur; ſed tu in mundo, quid hactenus dediſti Deo, vel quid non reſtat illi ſacrificandum? *Idem.*

Quomodo Salvator cruentam hanc ſuſtinet operationem, quo ardore, qua cura.

Oculos conjiciamus, Chriſtiani Auditores, in exemplum Salvatoris mundi, in hoc Myſterio: quomodo Sanguis fluit a vulnere; quomodo per Sacerdotum Legis, vel alterius cujuſpiam miniſterium, pium hoc ipſi præſtantis officium prævertit furorem carnificum, qui futurum eſt, ut aliquando totum ex venis illius cruorem eliciant; videte quomodo deſiderium, quo flagrat expiandi ſcelera noſtra, non patitur ipſum expectare tempus obitus ſui: *Quantum ad ſuſcipiendos labores feſtinavit*, S. Bernardus ait, quam promptus Sanguinem effundere, *diem octavum a nativitate ſua vix expectat.* Ardor, feſtinatio, ſancta impatientia! quæ Deum cogit effundere Sanguinem, quem paucis ante diebus receperat; quæ expectare nequit tempus crucis ſacrificio deſtinatum, & illud incipit adhuc rubens ab utero. Ejus tamen Circumciſio ab aliis erat diverſa, quod alii eam perferebant pro peccato, quod ſecum naſcentes afferebant in mundum; ſed Salvatoris Circumciſio erat ad expianda peccata noſtra, & ad nos erudiendos quo pacto ſaluti noſtræ cooperari debeamus per aliam Circumciſionis ſpeciem, quæ eſt chriſtiana mortificatio. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtianæ argumenta, Sermone de hoc myſterio.*

Per ſpiritualem Circumciſionē ſimiles eſſe debemus Salvatori, & veris filiis illius.

Similitudo, quam habere debemus cum Salvatore, ſi ſalvi, ac prædeſtinati eſſe volumus, poſita eſt in ſpirituali circumciſione, & ſenſuum mortificatione, quæ imprimit nobis apertiſſima, ac naturalia ſigna mortis, & paſſionis illius. Hic character probaturus eſt illum adoptionis noſtræ; hæc Circumciſio nos ſigno illius notabit, efficietque, ut pro veris filiis ejus agnoſcamur. Itaque ſicut veri Abrahæ filii corporea circumciſione diſtinguebantur ab aliis nationibus, quas Deus non vocarat in partem benedictionum inhærentium uni poſteritati magni hujus Patriarchæ: ita per Circumciſionem, novamque legem, videlicet per chriſtianam mortificationem ſumus veri filii illius, qui naſci voluit ex Abraham: nos ille ex tali qualitate cognoſcet, donec hanc præ nobis feremus ſimilitudinem: ſed ille ipſe nos confundet cum infidelibus, qui circumciſi in Scripturis vocantur, niſi hoc diſtincti fuerimus charactere. Hoc in ſenſu nonnulli Sancti Patres explicant S. Pauli verba: *in quo & circumciſi eſtis, circumciſione non manufacta, ſed in Circumciſione Chriſti.* *Idem.* ad Coloſſ. 2.

Humiliatio Filii Dei in Circumciſione.

Nihil abjectius fuit JESU CHRISTI obedientia, quam teſtatur ſe ſe Circumciſioni ſubjiciens. Dei eſt a nemine pendere; & cum Verbum Divinum neque inferius ſit Patre, neque ſubditus illi quatenus Deus, hominem ſe fieri voluit, ut illi pareret, & cum veritate diceret: *Ego ſervus tuus, & filius Ancillæ tuæ.* Ubi primum in Mundum ingreſſus eſt dixit Æterno Patri; ecce me paratum, ut faciam voluntatem tuam. Statuit legem ejus in medio cordis ſui, & amor ſuus ibi inſculpit characteribus indelebilibus, tamquam in libro, in quo totum illius ſtudium, totaque vitæ impenditur applicatio. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* In Circumciſione vero traducit legem hanc a corde uſque ad corpus ſuum; *imprimit illam cruentis* characteribus; non refugit *tota vita ferre turpem ſervi, & peccatoris notam, & ille qui venit ad liberandos Adæ poſteros ab infami* ſervitute, onerat ſe quodammodo catenis, ad quas perfringendas deſcendit. *Abbas du Jarry in Sermone Circumciſionis.*

In ea magis videtur humiliatus, quam in cruce.

Nihil Deo antiquius gloria ſua, & per prophetam ait, ſe illam nemini ceſſurum: *Gloriam meam alteri non dabo.* Tamen in Circumciſionis Myſterio illa ſe abdicat Salvator. Magis exinanitur ſubjiciens ſe legi inſtitutæ ad peccatum delendum, quam obediens uſque ad mortem crucis; in altero quippe ex his Myſteriis ſuſtinet, tamquam innocens victima, quæ ultro ad nocentes ſalvos faciendos ſe immolat: in altero vero peccati characteres in ejus corpore inuſti, paſſiones ſuæ illum dedecorant in oculis hominum; Sanguis Incarnati Verbi fluens ſub cultro Circumciſionis, cui ſe ſubjicit, ad litteram probat admirabile illud Apoſtoli verbum, aſſerentis, peccati reparatorem ſe ſe tamquam noxium ſubmittere, ſancta cum impatientia peroptare baptiſmum Sanguinis, quo abluere debet ſtolam humanitatis, qua indutus eſt; feſtinat effundere primitias hujus pretii inæſtimabilis redemptionis hominum. Vix corpus aſſumit, cum urget ſe ſe eodem uſurus in finem deſtinatum, ſemet ipſum tamquam victimam immolans. Subjicit circumciſionis ferro carnem carnificibus aliquando tradendam, & in ſancta hac cæremonia conſocians exempla, & præcepta eorum, quæ nobis propter ipſum facienda ſunt cum merito, & excellentia eorum, ad quæ facienda pro nobis deſcendit. *Idem.*

Qua in re conſiſtat Circumciſio cordis nobis in lege gratiæ præcepta.

Cum Patribus dico circumciſionem cordis primum conſiſtere in deſtructione hominis hujus animalis, & in mortificatione hujus concupiſcentiæ, quam peccati corpus vocat Apoſtolus: legem hanc membrorum repugnantem legi ſpiritus: hanc Babylonis fornacem, ut loquitur S. Cyprianus, cujus ſcintillæ ſemper ad ſe ſe effundendum paratæ terribiles gignunt clades in animabus. Filii circumcidebantur, hic pater ait, ut ſanguis Adæ corruptus, qui in venis eorum manebat, emundaretur ſanguine, quem in ſancta hac cæremonia fundebant; ut ille quem fundebant præ dolore in ſacra abſciſſione, eſſet tamquam temperamentum illius, qui futurus erat in ipſis cauſſa noxiæ voluptatis; & ut per primum hoc experimentum dolorum, qui illis inferebantur ab incunabulis docerentur reſiſtere voluptati ſenſuum per vitæ mortificatæ auſteritatem. *Idem.*

Salvator non audit rationem aliquam ex iis, quæ ipſum eximere poterant a lege circumciſionis.

Advertamus pauliſper animum ad modum, quo JESUS CHRISTUS ſubiit ignominiam inhærentem legi, cui ſe ſubmittit, & dolori, qui inde ſeparari non poterat. Salvator amplectitur utrumque inauditis rationibus, quibus ſe poterat ab iis diſpenſare. Etenim

nonne dicere poterat, Sanctum Sanctorum non teneri lege peccatoribus dumtaxat illata? Statum, ad quem semet redigebat, infirmare posse auctoritatem sibi necessariam ad obeundam missionem suam; & difficilius se persuasurum esse hominibus divinitatem suam, ubi recordarentur humiliationis, in qua ipsum conspexissent. Cæremoniam hanc melius convenire salvando, quam salvaturo. Non ne affici poterat ægritudine Matris suæ, quæ cum ægerrime ferret filium suum tamquam hominem vulgo haberi, quin hoc officeret fidei, quæ habenda erat de illius Sanctitate, & de iis, quæ Spiritus Sancti opera in sinu ejus contigerant; omnes has rationes nullo habet in discrimine; gloria Patris sui, & hominum sanctificatio illum movent, atque determinant. *Abbas Trappensis in Collatione pro die Circumcisionis.*

Heroicæ virtutes quas exercuit Deus in circumcisione sua.

Circumcisio Salvatori non solum fuit patientiæ materia, quomodo ceteris erat infantibus; verum etiam occasio præstantissimarum virtutum exercendarum. Virtutum ejus prima fuit fidelis obedientia legi; nam quamvis posset quatenus Deus, & supremus Legislator sexcentis de caussis legitimis, & si rem ad juris apicem ponderare velimus, ab illa immunis erat, eo quod originalis noxæ labem nequaquam contraxerat; tamen submitti voluit præcepto adeo molesto, simulque subiit onus omnium observationum legis antiquæ. Virtus altera, quam exercuit, humilitas fuit: cum enim non posset haberi peccator, quia neque erat, neque esse poterat; voluit saltem peccatoris notam assumere, & circumcidi, sicut alios infantes in peccati sordibus genitos; ita ut quicumque videbat illum sub cultro circumcisionis credere posset illum esse peccatorem. Quod sane pro nobis ingens est confusionis argumentum; cum enim vere nocentes simus, nos pudet pro talibus haberi, & justos duci affectamus. Tertia denique virtus, quam ostendit, fuit ardentissima Caritas, quæ effecit, ut parum illud sanguinis tanto amore, & adeo generoso effunderet zelo, ut jam reliquum ex tunc effundere præsto esset, si ad salutem nostram necesse fuisset. Ad id reapse obtulit se, & Patri suo testatus est, se æquo alacrique animo pro illius quidem gloria, nostra vero utilitate, omnia esse perpessurum. *Pater a Ponte in secunda parte Meditationum de fidei Mysteriis.*

Sensus Cordis Salvatoris recipientis circumcisionem.

Heu! Fratres! penetremus, si fieri potest, cor JESU hoc momento, quo circumciditur; videamus ibi, sed cum animi grati sensu, sensus, quos fovet tot rebus implicitus; quomodo acceptat pœnas nostris criminibus debitas; pœnas, quas, quodam in sensu dici potest simul omnes pati ipso Circumcisionis suæ momento; quia omnes simul menti suæ obversantur, & offert se Patri suo quatenus victimam ad eas expiandas. Solus amor meus, dicet ille vobis, mihi satis est, ut bibam calicem hunc amaritudinis plenum, qui vobis paratus erat. Utique, bibam illum; subibo pondus iniquitatum vestrarum, & pœnas luam: & quantumvis Sanctus sim, propter amorem vestri non abnuo videri fecisse peccatum, ut pœnam videar meruisse. *Ex Sermone Manuscripto.*

Dei Filius in hoc Mysterio offert se Patri tamquam victimam, ut nos cum illo reconciliet. ad Hebr. 10.

Propter officium, cui se se JESUS CHRISTUS implicuit in hoc Mysterio, invenit se obrutum omnibus Mundi iniquitatibus, quas posuit Deus in illo tamquam in victima, super quam ostendere debet pondus brachii sui: *Posuit in eo iniquitates omnium nostrum*; quo in statu Salvator omnium pœnarum generа meretur, omne illi debetur supplicium. Huic ille se subjicit, & modo vere dicere potest Patri suo, quod illum dicentem in ipso nativitatis articulo inducit Apostolus; sanguis animantium jam nihil habet, quod obtutus tuos allicere mereatur: *Corpus autem aptasti mihi*, hoc hodierna die tibi offero in sacrificium aliquando tibi immolandum. Heu! quid moratur, quominus jam compleam hunc sanguinis mei baptismum, quo abluturus sum omnes homines, ut illos tibi reconciliem? *& quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Homo tua est imago; deformata quidem per peccatum, verumtamen ad similitudinem tuam creata; illam ne perire sines, & pereundo satisne digne offensam reparabit? Ecce me, omnis Justitiæ Deus! venio pro hisce rebellibus, & in locum eorum, & tamquam illorum victima, ut eam reparationem instituam, quam merito postulas: feci quidquid opus est, ut fierem objectum iræ tuæ. Gesto peccati notam; verum nihil ne in me est ad gratiam illis promerendam? Nunquid me ignoras? & quia passibilis effectus sum, nunquid esse desii Filius ille dilectus, in quo tibi complacere consueveras? *Idem.* Luc. 2.

Excellentia novæ legis, quam Salvator instituit, cum per circumcisionem abrogat veterem.

Dei Filius in hoc Mysterio Judaicam abolet circumcisionem, quæ carnem dumtaxat mortificabat, & aliam instituit circumcisionem, quæ non servatur ad litteram, quæ occidit, sed secundum spiritum, qui vivificat. Per circumcisionem suam finem imponit antiquæ legi, quæ in illius persona erat desitura, & novam irrogat legem: legem sanctiorem, perfectioremque iis omnibus, quæ præcesserunt; legem, quæ ipsas amovet peccatorum caussas per placita prorsus opposita illis, quæ regnum peccati perennant; legem, quæ docet contemnere honores, & opes, quæ sensuum voluptates prohibet, quæ condemnat quidquid a mundo probatur; quæ habet in pretio, quidquid mundus contemnit; legem gratiæ, quæ efficit, ut tuta inveniatur felicitas in paupertate, magnitudo vera in humiliatione, pax cordis in abnegatione, dulcedo in lacrymis, solida voluptas in ipsa etiam voluptatum amputatione: vera gloria in venia largienda, & benefaciendo illis, a quibus injuriis afficimur; & alia id genus placita, quæ nova lex docet, & quæ veterem quæ jam obsolevit, non norant. *Idem.*

Evangelica circumcisio quam fit ad salutem necessaria.

Armari debemus gladio circumcisionis, ut nobismet utilem efficiamus Mediationem Dei Salvatoris. Accipe gladium, & sine ulla assentatione circumcide voluptuosa hæc oblectamenta, hæc libera, & prava colloquia, has delicias. Tu vero, mundana mulier, has immodicas sollicitudines, quibus Mundo placere studes; hunc amorem, vel potius idolatricum hoc tuimet ipsius cultum. Abscinde, homo vane, ac superbe, insanos hos magnitudinis conceptus, hanc tuimet ipsius existimationem, & generatim quidquid obstat gratiæ Dei tui. Sine hac Circumcisione *Christus nihil vobis proderit.* Sed fallor; Sanguis JESU CHRISTI non fluit in cassum: proderit ille, sin minus fortasse ad vos salvos faciendos, nisi volueritis; saltem ad Deum excusandum, & avertendam ab illo perditionis vestræ caussam. *Perditio tua Israel.* Reddenda vobis erit Deo ratio sanguinis hujus pro vobis effusi, cujus minima quælibet gutta salvare vos poterat. Ratio quidem terribilis; verumtamen justa, & æqua! & Sancti Senis Simeonis Oraculum non ne adimplebitur in plurimis; eritque vitio eorum ipsorum pernicies? *Positus est hic in ruinam multorum.* Utique JESUS CHRISTUS est Salvator omnium; sed nemo erit particeps Redemptionis ejus, nisi fuerit circumcisus, videlicet, nisi præ se tulerit christianam mortificationem spiritus, cordis, sensuum, affectuum, & earum rerum omnium, quæ sunt Evangelicæ legi contraria. *Idem.* ad Galat. 5. Osee 13. Luc. 2.

Cum loquor de circumcisione, eam circumcisionem intelligo, per quam peccati operibus abrenuntiamus; eam quæ veterem hominem exuit, quæ domat cupiditates eo usque, ut nihil contra spiritum moliri audeant; quæ ex corde revellit radicitus, quidquid valet peccati regnum augere, aut perennare: circumcisionem quæ intelligenda est de omnibus facultatibus hominis, quæ fuerunt peccati consortes. Circumcisionem mentis propter tot cogitationes, quæ illam dissiparunt, propter sexcentas obscœnas imagines, quæ illam conspurcarunt, propter tot supervacuas curas, quæ illam distraxerunt: Circumcisionem cordis, quod se se tot desideriis ingurgitavit; quod infinitis oppositis motibus perturbatum est; ambitione inflatum, avaritia coarctatum, invidia disruptum, tristitia prostratum, iracundia raptum, metu conturbatum. Circumcisionem oculorum, qui peccato servierunt, & per quos mors in animam penetravit: Circumcisionem linguæ imprudentis in verbo, ardentisque in obtrectatione, ac proximi laniena. Ita per circumcisionem in ipsa origine peccatum evertendum est. *Idem.*

Luc. 12.

catum illi abripuerat, Pater ſuus ad remunerandum illius meritum, ejuſque paſſiones, & humiliationes dedit illi nomen JESU. *Propter quod exaltavit illum.* Oſtendi poteſt hanc ſemper hominum ambitionem fuiſſe, illuſtre nomen gerendi, quod præclaram aliquam teſtaretur dignitatem. Nullum autem unquam gloriosius eſt illo, quod ex meritis deſumptum eſt: ideoque Filius Dei JESUS appellatus eſt ob factum omnium glorioſiſſimum homines ſalvos faciendi eo modo, quo ipſe operatus eſt.

Pars poſterior eſt oſtendere glorioſum hoc nomen fundamentum eſſe omnis ſpei in hominibus propter
Act. 4. quorum amorem illud accepit. *Non aliud nomen eſt, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* 1. Spes hæc innititur
1. ad Corint. 2. pretio, quod perſolvere dignatus eſt: *Empti eſtis pretio.* 2. Innititur extenſioni virtutis ejuſdem: quia Salvator eſt univerſe omnium mortalium. 3. & uberi co-
Pſalm. 129. piæ ejus Salutis quam nobis promeruit: *Copioſa apud eum redemptio.* Quod S. Bernardus triplici verbo complexus eſt, *pretium*, *virtus*, *meritum*. Hæ tres ſpei cauſſæ fuſius expreſſæ, & amplificatæ deinceps in ſubſequentibus paragraphis inveniuntur. *Hæc eſt partitio Auctoris Sermonum in omnia Æthica Chriſtiana argumenta in tomo* 1. *Myſteriorum.*

III. Pro ſermonis argumento deſumi poteſt nomen Salvatori impoſitum in circumciſione ſua.

1. Quid fecerit JESUS CHRISTUS ad promerendum glorioſum Nomen JESU, & ut vere mortalium omnium eſſet Salvator paſſus eſt, ſe humiliavit, inſumpſit vitam ſuam in ſexcentis laboribus, ut illos ad obſequium ſuum pertraheret, ac tandem in cruce mortuus eſt.

2. Quid nobis faciendum, ut fiamus conſortes ejus felicitatis, quam procuravit nobis; videlicet ut ſalvi ſimus, & efficiamus, ne ipſe inutiliter hoc vocetur nomine cauſſa noſtra: namque ſicut hoc a nobis modo pendet, quandoquidem ipſe præſtitit, quidquid in ipſo ſitum erat; nos unice cauſſa ſumus noſtræ perditionis, nos illi gloriam eripimus nominis ſui, niſi cum illo ſaluti noſtræ cooperati fuerimus.

IV. Unus Dei Filius hoc nomine antonomaſtice vocari meretur JESUS, videlicet Salvator, & liberator, non quidem corporum, quales nonnulli fuerunt in lege veteri, ſed potiſſimum animarum, quæ gloria eſt, & prærogativa uni illi debita. Itaque Salvator eſt cum triplici circumſtantia, quæ illum ab aliis omnibus ſecernunt, & tria ſermonis puncta poſſunt conſtituere.

1. *Nos liberat a graviſſimis Mundi hujus malis* a
Matth. 1. peccato liberans: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* A miſeriis, quæ illud conſequuntur, ignorantia, errore, pœnis ſive temporalibus, ſive æternis, quas peccatum meretur: ita ut nullum accidat malum, cujuſcumque generis tandem ſit, a quo incomparabilis iſte Salvator nos ſalvos facere nequeat. Quod ſi contulerimus Salvatorem hunc cum illis, qui in lege veteri hoc nomine appellati fuerunt, ſtatim inferemus eo excellentius, ac præeminentius ad illum pertinere, quo mala, a quibus nos eruit, ſuperant illa, a quibus alii Dei populum liberaverunt.

2. Quia nequaquam ſatis eſſe ratus, nos ab impendentibus malis liberaviſſe, quæ nunquam ſine illius opera, & ope evitaſſemus, nobis etiam procuravit maxima bona, ut gratia Redemptionis noſtræ eſſet gratia numeris omnibus abſoluta. Profecto ipſe nos ſanctificat, ipſe nobis ſapientiæ ſuæ lumina communicat; illi ipſi debemus jus illud, quod quatenus filii ipſius habemus ad æternam felicitatem; utque tribus me verbis expediam, quod fuſius amplificandum eſt; quatenus Salvator noſter, Mediator noſter eſt apud Patrem ſuum; ſanctificator noſter, quoniam juſti non ſumus, niſi quatenus vivimus, & operamur per illum, & propter illum; Noſter eſt glorificator, quia ipſe nos adducet in poſſeſſionem coronæ, & gloriæ.

3. Salvator eſt, quia ſingulari modo nos ſalvat, & ſibi acquirit hoc nomen pretio ſanguinis, & mortis ſuæ; quia nos ſalvat ex mera miſericordia ſua, quin in nobis ſit aliquid, quod mereri potuerit gratiam hanc, ut ille ſatisfaceret pro nobis juſtitiæ Patris ſui; quamvis futurum ſciret, ut mortalium plerique beneficio adeo ſingulari abuterentur.

V. Æternus Pater Filio ſuo recens nato Nomen imponens, videtur in Nomine JESU omnia collegiſſe feliciſſima auſpicia nominum, quæ Sancta Biblia tribuunt filiis veterum Patriarcharum, quorum alia nomina ſunt celſitudinis, & gloriæ, alia ominis fauſti, quæ tribuebant locum ſpei magnæ alicujus felicitatis, & alia tandem nomina dulcedinis, & conſolationis, quæ portendebant lætitiam, & gaudium, quo tota cognatio ex eorum nativitate afficiebatur. Hoc ipſum dicere poſſumus de Sancto, & adorabili Nomine JESU. 1. Nomen hoc eſt auguſtum, & glorioſum, quia nihil Deo glorioſius, quam homines ſalvos facere. Ipſe etiam oſtendit quanti faceret illud, emens illud caro pretio, & nihil prætermittens, ut gloriam hanc mereretur. 2. Nomen eſt ominis fauſti, quia ſalutem pollicetur; quod nunquam in irritum cedet, quia ab ipſa nativitate incipit illius veritatem oſtendere, & conſecrat vitæ ſuæ primordia huic operi nobis veluti arrham tribuens primas Sanguinis ſui guttas, omnem effuſurus ad eumdem finem in cruce. 3. Nomen eſt plenum lætitiæ, gaudii, ſuavitatis, conſolationis, quia præſens eſt remedium omnibus vitæ hujus malis, & debet conſolari nos, ac ſpem facere futurum, ut per ipſum conſequamur miſericordiam, & mereamur coronam gloriæ, quam promittit confidentibus in ſe.

Præſupponendum eſt, nomina quæ tribuuntur hominibus, potiſſimum tribus finibus deſervire. 1. ad repræſentandam illorum nativitatem, & qualitatem. 2. ad exprimendas eorum actiones. 3. ad eos alliciendos, ut ſuis perfungantur muneribus per eamdem gloriam titulorum, qui ipſis deferuntur. Quæ tres ſunt propriæ Qualitates Nominis JESU. VI.

1. Hoc nomen repræſentat nativitatem, quam recepit ille a Patre ſuo; & ſicuti in æterna nativitate ſua eſt imago vivens ſubſtantiæ ipſius, ac divinarum perfectionum ejus, quatenus Verbum ejuſdem; ita Nomen JESU quod illi Pater impoſuit in temporali ipſius nativitate eſt veluti imago, & repræſentatio ſapientiæ, bonitatis, miſericordiæ, juſtitiæ ipſius, & omnium, quæ propria ſunt Dei facti hominis.

2. Compendiaria eſt hiſtoria actionum omnium, quas fecit propter ſalutem noſtram, laborum, humiliationum, & paſſionum; quia glorioſum hoc nomen earum remuneratio eſt, & cum illud proferimus, harum rerum omnium ideam concipere debemus.

3. Pignus eſt eorum, quæ illi perficienda ſunt ad abſolvendum opus ſalutis noſtræ, ſed pignus, quod inceſſanter illi ob oculos ſubjicit neceſſitatem obeundi munera huic Nomini inhærentia, & quorum oblivisci non poteſt non ſecus ac Nominis, quo vocatur. VII.

1. Ex omnibus nominibus, quæ Verbum Incarnatum jure ſuo accipere poterat, & quæ Prophetæ dederunt Meſſiæ, quem præſtolabantur, nullum ſapientius impoſitum illi fuit, quam Nomen JESU, quoniam illi inditum fuit ab eo, qui eadem eſt ſapientia.

2. Nullum eſt, quod magis deceret perſonam, cui impoſitum eſt, quoniam perfecte exprimit provinciam ab illo obeundam, qualis eſt homines ſalvos facere, & ad hunc finem omnes cogitationes, conſilia, & labores intendere.

3. Nullum pluribus repletum myſteriis in ſignificatione; quoniam exprimit quidquid proprium eſt naturæ, & perſonæ ipſius quatenus Deus, & Homo eſt.

1. Non potuit Deus melius honorare Filium ſuum, VIII.
quam illi dando nomen JESU; ſimul enim contulit illi omnes honoris titulos, qui Salvatoris decent dignitatem, & quæ ſunt tamquam decora ejuſdem.

2. Dei Filius melius non potuit honorare Patrem ſuum, quam obeundo omnia nominis hujus officia: nihil enim majorem Dei gloriam adfert, quam ſalvare animas, quas creavit ad imaginem ſuam, & pro quibus creavit quidquid in orbe univerſo continetur.

Merito dicit Evangelium; *Vocatum eſt nomen ejus JESUS.* Hoc illi proprium eſt nomen, in cujus poſ- IX.
ſeſſione ſemper permanſit; ad eum quippe omnibus pertinet titulis, quibus aliquid ad legitimum poſſeſſorem pertinere poteſt.

1. Per donum, quod illi Pater æternus largitus eſt: *Donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Donum a Principe ſubdito factum ſecum fert commendationem, pretiumque ſuum; licet quid minimum eſſet. Pretioſe aſſervatur, tamquam pignus æſtimationis, & amoris largientis. Quid autem cogitari poteſt de titulo Salvatoris, quo Dominus Deus dignatus eſt Filium ſuum?

2. Nomen hoc ad illum pertinet emptionis jure, eo quod nos redemit pretio magno: *Empti eſtis pre-* 1. ad Cor. 6.
tio magno. Perſolvit ille pretium ſanguinem ſuum, cujus gutta una ſexcentos mundos redimere poterat, & divinæ ſatisfacere juſtitiæ, quidquid illi homines debent.

3. Pertinet ad illum jure acquiſitionis, tamquam glorioſus titulus, ſignificans victorias ejus de inferno, de peccato, omnibuſque humanæ ſalutis hoſtibus relatas. Itaque auguſtum hoc nomen præmium eſt meritorum, & inſignium actionum illius.

In illa Jeremiæ Prophetæ verba cap. 10. *Magnus es* X.
tu, & magnum eſt nomen tuum.

1. Nomen hoc magnum eſt in ſignificatione Verbi facti carnis, & Dei facti hominis.

2. Magnum in comparata ſalute humani generis, quæ actio eſt omnium præclariſſima, & glorioſiſſima.

3. Magnum in expreſſione omnium munerum, & officiorum Salvatoris, quæ hoc nomine deſignantur.

Primum; Nomen hoc Dei Filio fons eſt gloriæ, XI.
quoniam hæc Salvatoris qualitas complectitur inſignio-
ra, & glorioſiora munera, quæ excogitari poſſint.
1. Reparatoris humani generis per primi hominis pec-
catum

catum perditi. 2. Mediatoris inter Deum & homines, ad hos cum Patre suo reconciliandos, cujus irritaverant justitiam, & ultionem per scelera sua meriti fuerant. 3. Redemptoris, persolventis pretium redemptionis eorum, & liberantis eos a Dæmonis servitute, cui peccatum illos turpiter subjecerat.

Deinde; glorioſum hoc nomen eſt nobis arrha ſalutis. 1. Quia per merita illius, qui hoc appellatur nomine, obtinemus gratiam noſtræ converſionis. 2. Obtinemus robur, & vim ſuperandi vitia, affectus, & tentationes, quæ ſunt ſalutis noſtræ impedimenta. 3. Quia per hujus Nominis virtutem perſeveramus in bono, & adipiſcimur gratiam finalis perſeverantiæ, quæ cumulum addit ſaluti noſtræ.

XII. 1. Nomen JESU dignum eſt veneratione, & obſequio propter eximias, divinaſque perfectiones, quæ in præclari hujus nominis ſignificatione continentur. Continentur enim ſapientia, bonitas, ſanctitas, miſericordia, & amor Dei erga homines; continentur omnia officia Magiſtri, Medici, Judicis, Advocati, Paſtoris, Patroni, quæ Dei Filio quatenus Salvatori conveniunt. Ad hæc, exprimit etiam, & continet omnia beneficia amabilis hujus Salvatoris erga homines, puta, remiſſionem peccatorum, victoriam tentationum, acquiſitionem virtutum, donum perſeverantiæ, & ſupremæ beatitatis poſſeſſionem.

2. Peculiarem in eo habere debemus confidentiam, tribus rebus innixam, quæ illi ſunt propriæ, & quas S. Bernardus tribus verbis complexus eſt: *Pretium, virtus, meritum*. Pretium, quo illi ſtetit, oſtendit deſiderium, quod habet nos ſalvos faciendi. Virtus ſignificat poteſtatem hoc faciendi, atque poteſtatis hujus extenſionem. Meritum denique, quod illi hoc peperit donum &c.

XIII. Ut ſit vere Salvator hominum, & det illis arrhas ſalutis ipſorum, Filius Dei accepit Nomen JESU. Nomen glorioſum Filio Dei; Deus ipſe hoc illi imponit Angeli miniſterio: *Quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* Luc. 2.

Nomen ſalutare omnibus hominibus, quos ſalvos facere debet: *Non aliud nomen eſt, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 4. Nomen tamen oneroſum, tum Filio Dei, cum homini propter munus, quod illis imponit, alteri quidam ut ſalvaturo, alteri vero ut ſalvando. Itaque, ut vobis juſtam tribuam ideam Myſterii, quod colimus, in hac immoror animadverſione, eamque ſermonis hujus partitionem conſtituo. 1. Nomen JESU glorioſum eſt Filio Dei, ſed oneroſum, quia magna illi imponit officia ad illud digne ſuſtinendum. Hoc in parte priori videbimus.

2. Nomen JESU nomen eſt homini ſalutare, ſed quodammodo oneroſum, propter munera, quæ imponit illi, ut inde utilitatem percipiat. Munera hæc in parte poſteriori expendentur. Officia Dei Salvatoris; officia hominis redempti innixa Nomini JESU.

Pars Prior. Suppoſita in Deo voluntate hominem ſalvum faciendi, & Salvatorem evadendi JESUS Deus, & homo Salvatoris qualitatem nequit ſibi vindicare, vel digne gerere, quin ſimul ſubeat onus eorum officiorum, quæ eadem illi imponit. Hæc tria potiſſimum eſſe mihi videntur. 1. Homo erat peccator, & ſalvus eſſe non poterat niſi per expiationem criminis ſui; ideo requirebatur Mediator, & Victima: JESUS ſe homini offert, & Mediatorem, & victimam, ut ſatisfaceret juſtitiæ Dei ad apicem juris, cum unus ille id facere valeat; & reconciliare hominem cum Deo ſuo, qui ab eodem læſus fuerat. 2. Homo a peccato liberatus indigebat duce, a quo in via ſalutis erudiretur, & Magiſtro, a quo ſua doceretur officia, ut Cæli gloriam mereretur. JESUS CHRISTUS faciens ſe hominum Salvatorem onus aſſumit erudiendi, & deducendi hominem per legem novam, quam inſtituit, & exemplum, quod tribuit. 3. Quamvis homo Deum ducem, & exemplum haberet, nimis infirmus erat, ut ſe propriis viribus ſalvare poſſet, ideoque cæleſti indigebat auxilio; & JESUS CHRISTUS quatenus Salvator, validum hoc illi præbet ſubſidium per gratias, quas illi promeruit per mortem, & pretium ſanguinis ſui.

Pars altera. Quænam ſint officia, quæ ipſi contraximus quatenus homines redempti. Etenim ſicut diximus, titulus hic æque nobis, ac Salvatori eſt oneroſus; & operæ pretium eſt ad examen vocare onera, & officia, quæ ille nobis viciſſim imponit. 1. Ut ſit Salvator JESUS CHRISTUS offert ſe nobis in victimam; nos vero ut ſalvemur, fieri & ipſi debemus totidem viventes victimæ per corporum, ſenſuumque noſtrorum mortificationem: *ut exhibeatis membra veſtra hoſtiam viventem*, inquit Apoſtolus. ad Rom. 12. 2. Ut ſit Salvator, offert ſe nobis ducem, & exemplum in via ſalutis; nos vero ut ſalvemur, illum debemus ſequi, ejus ſervare legem, & exempla imitari. 3. Quatenus Salvator nobis ſuppeditat gratias, & auxilia, ſine quibus ſalvari non poſſumus; ut ipſi ſalvemur, fideles nos eſſe oportet hujuſmodi gratiis, eaſque inutiles nequaquam efficere.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Sermonum partitiones exornandas, & Auctores de his agentes.

SAnctus Auguſtinus *l.* 4. *de peccatorum meritis* c. 29. loquitur de nomine JESU ejuſque ſignificatione. Sancti Patres.

Origenes *Tom.* 2. *l.* 1. *in c.* 1. *Job* in hæc verba; *Sit nomen Domini benedictum*, poſt relata omnia nomina, quæ Deo tribuit Scriptura, oſtendit, Nomen JESU præ ceteris eſſe ſuave, venerabile, & amabile.

S. Gregorius *Homil.* 21. *in Evang.* oſtendit unum Dei Filium eſſentialiter Salvatorem eſſe, & mereri hoc Nomen.

Sanctus Bernardus præ ceteris Patribus fuſius verba fecit de Nomine JESU. In tertio ſermone ſuper *Miſſus eſt*, oſtendit illum vere vocari Salvatorem, & quare.

Idem *ſerm.* 15. *in Pſalm. qui habitat &c.* docet nomen hoc paſſim ignorari, & a quibus ignoretur.

Idem ibidem oſtendit gratias, & bona, quæ nomen hoc nobis procuravit.

Idem ibidem ait Nomen JESU eſſe nobis auxilio, & pharmaco in afflictionibus, & anguſtiis.

Idem in ſerm. 2. de Circumciſione oſtendit, Nomen JESU eſſe naturale, & eſſentiale Filio Dei, & continere omnia nomina, quæ Prophetæ dederunt illi,

Idem *ſerm.* 10. *ex parvis*, explicat omnia nomina, quæ Iſaias tribuit Meſſiæ, & quæ ad Salvatoris nomen referuntur; quod ipſum præſtat Sermone 15. in Cantica.

S. Thomas *de ſermonibus feſtivis ſerm.* 2. multa præclare dicit de Nomine JESU.

Sanctus Bonaventura *ſerm.* 4. *de Circumciſ.* loquitur de Nomine JESU, deque bonis, quæ inde recipimus.

S. quoque Bernardus de hoc nomine loquitur in duobus ſermonibus, videlicet in tom. 1. ſerm. 49. & tom. 2. item 49.

Gerſon in ſerm. circumciſionis. Aſceticialiique.

Catechiſmus Tridentini Concilii explicat quid ſignificet Nomen JESU in 2. articulo ſimboli Apoſtolorum.

Hortus Paſtorum, labor ſatis notus, hoc ipſum facit in ejuſdem Symboli explicatione.

Velaſques in *Epiſtolam ad Philippenſes* amplius hoc argumentum pertractavit, & nihil ab eo videtur prætermiſſum.

Granatenſis libro 6. Memorialis, ubi ſermo de Myſterio Circumciſionis, & l. 5. §. 3.

P. Ludovicus a Ponte in Meditationibus de Myſteriis Fidei, parte 2. Medit. 21. prolixam, & præclaram habet meditationem de Nomine JESU impoſito Filio Dei in Circumciſione.

P. Novet in prima parte *de l'homme d'oraiſon*, meditatione pro 3. Januarii die; quæ eſt de devotione nominis JESU.

Idem in meditatione ſequenti, loquitur de adoratione Nomini JESU debita.

Idem in meditatione pro die 4. Januarii docet, quomodo ferendum ſit Sanctum Nomen JESU.

P. Bourgoin in veritatibus, & excellentiis Incarnati Verbi Meditatione 3. pro die 2. poſt Circumciſionem.

Liber cui titulus: *Paſſiones Domini noſtri*; editus a Pater Thoma a JESU ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini, loquitur de Nomine JESU in Circumciſione.

P. Nepveu in animadverſionibus in ſingulos anni dies, conſideratione pro die prima Januarii.

P. Le Valois in Operibus Aſceticis habet ſermones de Myſteriis Domini, ac inter ceteros unum de Circumciſione, & Nomine JESU.

Toſtatus *in c.* 20. *Exodi quæſt.* 7.

Serrarius in Joſue *tom.* 1. *c.* 2.

Suarez in Myſteriis vitæ Chriſti *quæſt.* 37. *ſect.* 2.

Exercitia pietatis pro ſingulis anni diebus P. Joannis Croiſet ex Societate J. loquens de Circumciſionis Myſterio agit de Conſiliis Dei in Myſterio Nominis JESU.

Liber cui titulus: *Verus Spiritus, & ſanctus uſus Solemnium anni Feſtivitatum*, de eadem re agit in Myſterio Nominis JESU.

Quicumque de Circumciſionis Myſterio verba fecerunt, de adorabili JESU Nomine locuti ſunt; quia utrumque hoc Myſterium eodem tempore, eodemque in loco peractum eſt.

Oſorius, qui latine ſermones edidit licet præteriti ſæculi, de induſtria ſermonem edidit in diem Feſtum Nominis JESU, ubi quoſdam habet locos, quibus noſtri hujus temporis concionatores uti poſſunt *Tom.* 4. Concionatores Recentes.

Idem tom. 1. ubi de Circumciſionis Myſterio.

Biroat tres habet Sermones de Circumcisione, in quorum primo nonnihil habet de nomine JESU, in reliquis vero duobus fusius agit de eodem, quandoquidem uterque est ejusdem argumenti.

P. Texier aliquid habet in Circumcisionis Mysterio.

P. de la Colombiere in primo tomo, qui continet Mysteria, unum habet.

P. Bourdalove non separat hoc Mysterium ab illo Circumcisionis, ostendens in toto sermone suo, per illud incœpisse nos salvos facere, & Salvatoris nomen mereri.

P. Castillon in Sermonibus pro Dominicis, festisque diebus Adventus integrum habet de nomine JESU, quod impositum fuit Filio Dei in Circumcisione.

Sarazin in prolixo Sermone pro die Circumcisionis utrumque conjungit Mysterium.

P. Masson in Adventu non nisi in secunda parte Sermonis de Circumcisione verba facit.

Lambert in Homiliis in Evangelia Festivitatum Anni, Homil. 62. de Festo Circumcisionis fere tota est de hujus nominis dignitate.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, unum habet de nomine JESU.

Collectores hujusce modi argumenti.

P. Duneau inter Sermones Mysteriorum JESU, CHRISTI unum habet de præstantia nominis JESU, & quomodo colendum sit.

Berchorius Titulo JESUS.

Carthagena in Homiliis de Mysteriis.

Raynerius de Pisis. *Titulo nomen JESU.*

Labatha *Titul. de nomine JESU.* Collectanea illius haberi possunt potius pro Libro, quam pro Tractatu.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, Figuræ, Applicationes Scripturarum huic argumento.

OMnipotens Nomen ejus. Exod. 15.

Quam admirabile nomen tuum in universa terra! Psalm. 8.

Confiteantur nomini magno tuo. Psalm. 98.

Sanctum, & terribile nomen ejus. Psalm. 110.

Magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. Psalm. 137.

Exaltatum est nomen ejus solius. Psalm. 148.

Non nobis, Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam. Psalm. 113.

A Solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. Psalm. 112.

Turris fortissima nomen Domini. Proverb. 18.

Quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti. Proverb. 4.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. Psalm. 24.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1.

Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi. Isaiæ 9.

Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator. Isaiæ 43.

Nomen novum, quod os Domini locutum est. Isaiæ 62.

Excelsum nomen ejus. Isaiæ 12.

Polluerunt nomen sanctum tuum. Ezechiel. 36.

Suscitabo David germen justum, & hoc est nomen, quo vocabunt eum; Dominus justus noster. Jerem. 23.

Quid quæris nomen meum, quod est mirabile. 1. Jud. 13.

Imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam JESUS Nazarenus &c. Matth. 27.

In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marc. 16.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Joann. 14.

Vocatum est nomen ejus JESUS quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Luc. 2.

Non enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4.

Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5.

Venit Filius hominis salvum facere quod perierat. Luc. 19.

Ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Act. 9.

Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum ad Philipp. 2.

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini JESU facite. Ad Colosſ. 3.

Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto. 1. ad Corinth. 12.

Tanto melius Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Ad Hebr. 1.

Salvare in perpetuum potest. Ibidem 7.

Sanguis JESU CHRISTI emundat nos ab omni peccato. 1. Joann. 2.

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Ibid. 2.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod CHRISTUS JESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere. 1. ad Timoth. 1.

Omnis, qui invocaverit nomen Domini, hic salvus erit. Ad Rom. 10.

Ostendam in te virtutem meam, ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ad Roman. 9.

Justificati estis in nomine Domini nostri JESU CHRISTI. 2. ad Corinth. 5.

Ut clarificetur nomen Domini nostri JESU CHRISTI in vobis, & vos in illo. 2. ad Thessal. 1.

Ipsi audivimus, & scimus, quia ipse est Salvator mundi. Joann. 4.

Ego sum JESUS, quem tu persequeris. Auctor.

Qui est Salvator omnium hominum. 1. ad Timoth. 4.

Deus misit filium suum Salvatorem Mundi. 1. Joan. 4.

Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus. Ad Titum cap. 2.

Omnes gentes quascumque feceris, venient, & glorificabunt nomen tuum. Psalm. 85.

Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. Ps. 78.

Propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ibidem.

Afferte Domino gloriam nomini ejus. Psalm. 93.

Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Psalm. 5.

Exempla, & figuræ Antiqui, & Novi Testamenti.

LEGIMUS Exodi capite 33. Deum excitare volentem populum suum ad legem suam observandam, promisisse se daturum illis Angelum, a quo tamquam duce regerentur, ideoque serio eum ipsi debitum adhiberent honorem, quoniam ipse illi daturus erat nomen suum tamquam arrham eorum, quæ ipse pollicebatur. *Et erit nomen meum in illo.* Imbecillis figura fœderis, quod dignatus est Deus cum hominibus percutere. Deus qui illos cælo creavit, vult eos æternum beatos efficere in hac terra promissionis; neque satis esse putat in scripturis suis indigitare illis viam, quam sequi debent illuc perventuri: nam videns viam, quæ illuc adducit arduam, & difficilem esse, & plerisque ignotam, ac periculis, atque erroribus plenam; dedit illis non solum Angelum ducem, sed Regem Angelorum, qui illis præiret, ac eos tuto deduceret. Sed quoniam prævidebat inter eorum multitudinem qui hanc viam sequuntur, & qui ideo viatores appellantur, alios diffidere posse de promissionum suarum magnitudine, & alios de ducis sui fidelitate, Deus cito huic duci, & Angelo visibili nomen imposuit, quod illos confirmare posset, & nomen hoc est JESUS, Salvatorem significans. Nomen quod est velut pignus certissimum, ipsum promissi Fidem præstiturum esse, & consummaturum in Cruce, ubi hoc ipsum retinebit nomen id quod se executurum recepit excipiens illud; videlicet nos salvos esse facturum, & deducturum nos ad beatum hunc terminum, quo tendimus.

Nomen quod Deus imposuit Angelo, quem dedit populo suo, ut ab eodem regerentur figura est nominis Jesu.

Tres occurrunt spectabiles in veteri Testamento viri, qui hoc Salvatoris nomen, sed diversis de caussis adepti sunt. Joseph vocatus fuit Mundi Salvator eo quod Ægyptum universam a fame tutatus est. Josue fuit Israelitarum Salvator in bello contra populos, qui terram promissam occupaverant. Jesus Filius Sirach medicus erat, & opitulatus est populo Dei in iis morbis, quibus afficiebatur. En tres Jesus, vel tres Salvatores; Primus in fame, alter in bello, tertius in peste, ac ægritudine corporis. Sed unus fuit Dei Filius, qui salvos fecerit homines liberans illos a peccatis. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hæc peculiaris est divini hujus hominis gloria. Pater non poterat gloriosius de illo consilium concipere; neque poterat Filius augustius Nomen recipere, quam hoc Salvatoris peccatorum.

Tres spectabiles viri in lege veteri hoc nomine JESU appellati sunt.

Matth. 1.

Jacob Patriarcha cum nocte tota luctatus fuisset cum Deo, petiit ab eo quo nomine appellaretur: *Dic mihi quo appellaris nomine?* Cui nihil respondit, nisi: *Cur quæris nomen meum?* Quasi diceret, Nomen meum est ineffabile; & quid ad te attinet illud scire, quoniam illud nequis comprehendere? Manue in Judicum libro hoc ipsum quæsivit ab Angelo, qui Dei Majestatem repræsentabat. *Quod est tibi nomen?* qui non aliud tulit responsum, nisi: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile,* & humana mente incomprehensibile? Quis dubitare poterit, noluisse Deum aperire hoc pacto mirabilia, quod aliquando complexurum erat Nomen JESU, quod plurimi, iique gravissimi Auctores censuerunt idem esse, ac ineffabile nomen JEHOVAH quod proferre licebat nemini.

Nomen quod Deus aperire noluit Patriarchæ Jacob, & Manue repræsentabat Nomen JESU. Genes. 32. Judic. 13.

S. Chrysostomus inquit de nomine Abram, quo S. Patriarcha Abraham appellabatur, antequam circumcideretur, esse historiam de fide, & actionibus magni hujus Patriarchæ. Profecto ante circumcisionem Abram appellabatur, sed postquam accepit in corpore suo hunc characterem, incœpit vocari Abraham deferens signum, ac mercedem magnitudinis virtutis suæ. S. hic Doctor animadvertit, Nomen JESU Salvatori impositum fuisse, cum subdidit se legi Circumcisionis: sed adden-

Mutatio nominis Abram in Abrahamfigura meriti Nominis JESU.

addendum eſt, hoc illi impoſitum fuiſſe tamquam hiſtoriam earum rerum omnium, quæ fecit deinceps pro hominum ſalute. Unde conjicere licet, figuram, & veritatem perfecte conciliari, quoniam Apoſtolus aſſerit, Nomen JESU fuiſſe præmium humiliationis, quam pertulerat, ut fieret hominum Salvator.

Figura reverentiæ, quæ debetur Nomini JESU.

Judæi tanta reverentia colebant Nomen Jehovah, ut ne proferre quidem illud auderent, & ubi illud legentibus Sacra Biblia occurrebat, quod ad hanc quoque diem faciunt, in ejus locum proferebant Adonai. Tamen Summus Sacerdos illud gerebat in fronte in aurea deſcriptum lamina, & ſemel tantum quotannis proferebat illud, cum in *Sancta Sanctorum* ingrediebatur. Et S. Thomas pluribus rationibus probat, nomen hoc illud eſſe, quod unum omnium maxime proprium ſit Deo, eique conveniat. Verum ſi conferatur Nomen JESU cum nomine JEHOVAH, facile innoteſcet, illud plura in ſignificatione ſua complecti Myſteria: quoniam duo maxima Religionis noſtræ Myſteria, Trinitas, & Incarnatio in ſacro hoc JESU Nomine continentur. Quapropter mirum videri non

ad Philipp. 2. debet, ſi dicit Apoſtolus: *Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et ad

ad Epheſ. 1. Epheſios. *Nomen ſuper omne, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.*

Diſcrimen inter JESUM CHRISTUM & alios, qui in lege veteri hoc nomine appellati ſunt.

Verum eſt, ex Scripturis innoteſcere, plures geſſiſſe nomen Salvatoris, cujuſmodi ſunt Patriarcha Joſue, Joſedech, de quibus locuti ſumus, ſed vere, & jure fatendum eſt Dei Filium nomen hoc fuiſſe promeritum, illum, qui non ſolum ſalvum fecit, vel in libertatem vindicavit, vel illuminavit populum peculiarem, quod alii fecerunt, ſed generatim omnes homines, qui non ſolum premebantur corporali fame, vel tyrannica Ægypti, vel Babylonis captivitate; ſed qui ſepulti erant in tenebris, & in umbra mortis, detenti ſub ſervitute dæmonis, & peccati; acquiſito illis jure ad Regni cæleſtis hæreditatem. Itaque omnes iſti viri, quos narrat Scriptura Jeſus vocatos fuiſſe, non niſi figuræ extiterunt JESU CHRISTI: non ſecus ac gratiæ, quas Judæorum populus per illos accepit, fuerunt dumtaxat figuræ earum, quas homines per JESUM CHRISTUM ſunt recepturi.

Similitudo, & oppoſitio inter mundi Salvatorem, & Moyſem Iſraelitarum liberatorem.

Ex omnibus legis antiquæ figuris exitus de Ægypto illa eſt, quæ magnificentius, ac preſſius exprimit myſterium Redemptionis noſtræ, quæ per JESU nomen ſignificatur. *Populus Iſrael ex diuturna erutus* ſervitute fugit per mare rubrum, quo omnes illius hoſtes merguntur. Denique liberatur virtute virgæ crucem referentis. Multa ſane inter duas haſce liberationes conveniunt; tamen magnam mihi videre videor oppoſitionem inter utrumque liberatorem. Vix Moyſes eligitur futurus Salvator Iſrael, cum ex ſimplici paſtore ſit populi ſui caput, & Deus Pharaonis. JESUS e contra vix iniit nos ſalvos faciendi conſilium, & ad id vix JESUS vocatus fuit, cum, quamvis ſuapte natura Deus eſſet, & Rex jure nativitatis ſuæ, ſit homo, & hominum omnium noviſſimus. *Deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum.* Moyſes percutit Ægyptios, flagellis opprimit, & afficit plagis. Moyſes virgam tenet manu, tamquam juriſdictionis inſigne; JESUS CHRISTUS tamquam nocens cruci ſuffigitur. Denique Moyſes cum populo per Erithræum mare ſalvatur, & JESUS CHRISTUS proprio Sanguine immergitur.

Iſaiæ 52.

Joſue illuſtris fuit Salvatoris figura, & JESUS vocatus eſt.

Joſue una fuit ex præſtantiſſimis figuris Salvatoris Mundi, & ex numero eorum, qui ex nomine ejus vocatus fuit. Hoc Duce Judæi terram promiſſam ingreſſi ſunt; nomen ejus tanti fuit apud Deum, ut Deus ipſe illi obedire voluerit: *Obedience Domino voci hominis.* Propterea Tertullianus adverſus Marcionem ait, magnum hunc virum, qui figura erat JESU CHRISTI, qui venturus erat ad homines ſalvos faciendos, JESUM fuiſſe appellatum. Sed potentia Filii Dei hoc nomen ferentis, quod ſibi Sanguinis ſui effuſione comparavit, tanta eſt, ut Eccleſia petat quidquid obtinere cupit per merita JESU Chriſti, & ipſe teſtetur, quidquid ipſi in nomine ſuo petierimus a Patre, nos eſſe conſecuturos.

Joſue 10.

Excellentia nominis JESU impoſiti Filio Dei die circumciſionis ejuſdem. Luc. 2.

Mos erat Judæorum filiis nomen imponere ipſa die Circumciſionis eorum. Non erat hoc Dei præceptum, ſed conſuetudo innixa exemplo Abram, quem Deus vocavit Abraham, cum eidem circumciſionem præcepit. Quomodocumque ſit, hoc factum eſt cum Filio Dei: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur.* Hæc circumſtantia non ſinit nos dubitare quo minus magna in hoc Nomine continerentur Myſteria. Et profecto continet id quod de Meſſia glorioſiſſimum prædictum fuerat: quandoquidem ſecundum Iſaiam vocandus erat *Emanuel*, videlicet *Deus nobiſcum, admirabilis, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps Pacis.* Sed omnia hæc nomina, eorumque ſimilia non niſi Nomen JESU ſignificant, hoc eſt Salvatorem.

Iſaiæ 9.

Ethnici diis ſuis nunquam Salvatoris nomen dedere.

Nunquam ſuperſtitio Diis gentium detulit titulum Salvatoris. Hic uni reſervabatur JESU CHRISTO, & proprie ad illum pertinebat. Ethnici, ſicut palam S. Auguſtinus oſtendit in admirabili tractatu de Civitate Dei, Ethnici potius erant Deorum ſuorum Salvatores, quam ab illis ſalvarentur; nos vero Chriſtiani, addit ille, adoramus Deum, & Deum Salvatorem; & ex duabus hiſce qualitatibus altera ad alteram eliciendam conducit; quia ſcimus Deum nullis peperciſſe ſumptibus, ut nos ſalvos faceret, quia noſter erat Deus & dubitare non poſſumus, utrum ſit Deus noſter, nec ne; quia nos ſalvos facere voluit pretio ſanguinis ſui.

Nomen JESU acceptum fuit a Verbo Incarnato.

Ambigi nequit, utrum Nomen hoc acceptum ſit, nec ne filio Dei, quandoquidem prætulit illud omnibus titulis honoris, quos illi tribuebat divina Filiatio, & omnibus magnificis elogiis, quæ Prophetæ eidem ante nativitatem temporalem ejus ei detulerunt. Quapropter ſecundum S. Hieronymi mentem hoc illi fuit loco mercedis congruæ omnibus humiliationibus crucis ſuæ, omnibuſque vitæ laboribus. Ideo in ipſa etiam cruce detulit illud, tamquam honoris diadema; cumque paſſus fuiſſet a Judæis ſibi coram Pilato Regis titulum denegari, paſſus non eſt ſibi negari Nomen JESU; quamobrem in univerſa terra hoc prædicari voluit, quia nihil naturæ magis conſonum eſt, quam gloriari de nominibus illis, quæ nobis virtus noſtra peperit, potius quam de illis, quæ nobis fortuito contigerunt, vel ex generis nobilitate obtinuimus.

In inſtitutione Chriſtianæ Religionis Apoſtoli tot operabantur miracula.

Rabbinorum error erat cenſere nihil eſſe impoſſibile illi, qui ſciret, uti opus eſt, proferre nomen Jehovah; & huic nihil non ceſſurum eſſe ſententia; & Moyſem, cum ſecretum hoc didiciſſet, tot retuliſſe victorias, quot prælia commiſerat, & in Ægypto ea omnia, quæ legimus, operatum fuiſſe miracula: Salomonem, eo quod Nominis hujus vim non ignorabat, nihil ignoraſſe, quod eſſet in rerum natura; ac tandem omnia miracula, quæ Prophetæ veteres operati fuerant, accepta referenda eſſe modo, quo nomen hoc proferendum eſſe cognoverant. Hoc inane commentum; ſed conſtans eſt veritas, miracula omnia, quæ operabantur Apoſtoli ad Religionem inſtituendam, & confirmandam, qualia ſunt cæcis oculorum aciem, ſurdis aurium uſum reddere, mortuos ad vitam revocare facta fuiſſe virtute Nominis hujus Omnipotentis, quemadmodum ipſi palam prædicabant: *In Nomine JESU ſurge, & ambula*, dixit Sanctus Petrus Paralytico. Et quin neceſſe ſit alia congerere exempla, dicere ſatis eſt, adorabile hoc nomen fuiſſe velut inſtrumentum, quod Salvator ipſe reliquerat ad operanda inſignia miracula, ut inde omnes populi poteſtatem, & Magiſtri ſui divinitatem cognoſcerent. *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis* &c.

Act. 3.

Marc. 16.

Primi Fideles gaudebant pati pro Nominis hujus confeſſione. Act. 5.

Primis Salvatoris Diſcipulis Sanctum hoc nomen inſculptum erat in corde; nam ut Sacer Textus ait, gloriæ ſibi vertebant omnia contumeliarum, & cruciatuum genera ſubire, ut illud profiterentur, & coram judicibus, atque tyrannis prædicarent. *Ibant gaudentes a conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum ad hoc argumentum.

Cum Dei Filius incipiat obire munus Salvatoris, & nomen aſſumere, ſtatim a nativitate nos differre non debemus ſalutis noſtræ curam.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumideretur puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS. Luc. 2. Ubi tempus acceſſit, Salvator legem adimplere non diſtulit. Cur nolim hac in re ſequi exemplum JESU? Video equidem ſerius opus mihi ſaluti meæ eſſe cooperandum. Quod video JESUM pro me facientem, ut ſalvet me, revocat mihi in mentem, hoc faciendi neceſſitatem. Sentio equidem hoc ſine difficultate fieri non poſſe; ſed hoc differre, quid proderit? Hodie vult Deus, ut ſerviam illi, non in craſtinum; differre jam eſt legi ipſius adverſari, imperat enim, ut in præſentiarum obediam. Ubi confiteor, Deo aliquando ſerviendum eſſe, & ſtatim illi non ſervio; miſere mihi met adverſor: non ne hactenus ſatis abuſus ſum tempore? Nonne ſatis mihi fuit temporis, ut cognoſcerem, me omnia a Deo obtinuiſſe, & me unice Deo omnia debere? Tempus, dies, momentum jam venit: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo.* Heu! Numquid octo dumtaxat præterierunt dies, antequam adeo eſſentialia munera adimplerem? Numquid octo anni dumtaxat? an potius totum fere vitæ meæ ſpatium? & quod ſupereſt, fortaſſe non erit ſatis prolixum, ut defleam præteritos errores meos. Sed dignatur Deus hoc oblivioni tradere, dummodo hodierna die illi obſequi incipiam. Vult etiam eſſe Salvator meus; dummodo hodierna die velim ſalvus fieri.

Nomen JESU continet quid magnificum, & glorioſum de Meſſia Prophetæ decinerunt. Supra.

Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Ad Phil. 2. Sæpe admiratus ſum, quod cum Iſaias inſtituerit recenſere glorioſos Meſſiæ titulos, viſus ſit obliviſci præſtantiſſimum, graviſſimum, & glorioſiſſimum. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps Pacis.* Hæc quidem magna ſunt nomina, ſed magne Propheta, ubinam illud eſt, quod eſt ſuper omne nomen? Iſaiæ mens erat, Sanctus

Ber-

Bernardus ait, per horum nominum varietatem explicare magnalia, quæ nomen JESU complectitur; exprimendo omnes hos illustres titulos, qui sunt decora officii Salvatoris. Si enim est *Admirabilis*, talis potissimum est ineffabili unione duarum harum naturarum toto Cælo distantium, quæ adorabilem JESU personam componunt. Si Dei *Consiliarius* vocatur, hoc fit, quia quatenus Salvator particeps est Consilii Altissimi, ut cognoscat prædestinatorum ejus negotia. Si *Fortis* dicitur, ideo hoc vocatur nomine, quia quatenus Salvator mortem, infernum, & peccatum vicit. Quatenus JESUS est *Pater futuri sæculi*, quia moriendo parit vitam immortalem. Est autem *Princeps Pacis*, quia quatenus JESUS, & Salvator Sanguine suo pacem conciliat cælum inter, & terram; ita ut omnes specioſi tituli, quorum meminit Isaias, non aliud sint, nisi totidem radii, qui magnum, & augustum Nomen JESU circumdant.

Suavitas, aliæque proprietates Nominis JESU oleo comparatæ.

Oleum effusum nomen tuum. Cantic. 1. Sponsa Canticorum ait, Nomen dilecti sui effusum esse instar olei, quia ut S. Bernardus ait, instar olei *lucet, pascit, ungit*. Illustrat mentem, eamque luminibus replet; inserit in animas simplices ipsum colentes intelligentiam omnium veritatum Religionis; *Lucet prædicatum*, seu nutrit animas, quæ meditantur illud, & adorabilia, quæ in eo continentur, Mysteria. Pietas cor inane relinquit, nisi Nomini JESU innitatur. Cum Veneratione prolatum instaurat robur, & fervorem virtutis; *Pascit meditatum*. Nomen est, in omnibus necessitatibus invocandum, quia inferno terribile est, & amovet tentationes. Nomen hoc adorabile toties in Ecclesia repetitum, quod in omnibus Mysteriis, Sacramentis, cæremoniis invocatur, est quodammodo anima totius Sanctitatis, & earum rerum omnium, quæ in Religione sunt maxime venerabilia.

Nomen JESU præ ceteris Incarnato convenit Verbo; & melius exprimit naturam, & perfectiones ejus.

Quod est Nomen ejus, aut Nomen Filii ejus? Si nosti. Proverb. 30. *Si nosti*, Utique, novimus; quia placuit Deo illud revelare nobis, ac nobis tradere cognoscendum. Nomen Verbi hujus Incarnati est JESUS; & sicuti nullum est Nomen, quod perfectius explicet Naturam Patris, quam Verbum, quod est imago substantialis omnium perfectionum illius; ita nullum est, neque esse potest, quod melius repræsentet dignitatem, officium, & perfectiones Incarnati Verbi, quam Sacrum Nomen JESU. Non igitur Sapiens ultra quærat: *Quod est Nomen ejus, aut Nomen filii ejus?* Etenim ecce illud, quod ei Pater Æternus imposuit, & quod ipse ceteris prætulit, tamquam expressionem eorum omnium, quæ in eo potissimum emicant. Cum enim illum Salvatorem dico, simul concipio, JESUM, hæc significantem, esse unicum Æterni Patris Filium, manu ejus unctum, atque sacratum, ideoque Regem, & Dominum dominantium; *Rex regum, & Dominus dominantium*. In hoc JESU agnosco, & colo cum Sancto Paulo illum, qui Angelorum omnium est Caput, illum, per quem creata sunt omnia; & hoc pacto Nomen hoc est super omne Nomen. Itaque hoc illud est, quod universa pedibus subjecit suis, quod meritum est omnium creatarum rerum obsequia: *Ut in nomine JESU omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum;* quoniam oportet, ut coram illo, qui hoc gerit Nomen quidquid in natura præstantissimum est, Angeli, homines, Cælestes Intellectus in genua procumbant, eique exhibeant obsequia parum ab annihilatione semota.

ſ. 6.

ad Philipp. 2.

Per hujus Nominis gloriam Pater clarificavit Filium in præmium honoris, quem Filius hic illi præstiterat.

Pater ego te clarificavi super terram, & tu nunc clarifica me. Joann. 17. Hæc est oratio, quam obtulit Patri suo JESUS antequam proficisceretur ad mortem; ubi considerare possumus, quid illi responderit Pater: hoc æquum est, & jam feci, & adhuc faciam in tempore, & in æternitate. Volo Nomen tuum in Cælo, in terra, & apud inferos coli, & quotiescumque prolatum fuerit in Magnitudinis tuæ documentum omne genu flecti: *Ut in Nomine JESU, omne genu flectatur Cælestium, terrestrium, & infernorum*. Preces omnes, quæ mihi fient in Nomine tuo, exaudiam. Volo creata omnia tuis legibus obsequi, linguas omnes de tuis laudibus loqui, ac te ab omnibus veluti Salvatorem haberi. Verbo, nomen tuum eo haberi in pretio, & iis honoribus coli, quibus meum. Hoc fiet; fierique in omnem æternitatem videbimus. Hic honor est, quem pro illo, quem mihi procurasti, retribuo: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*.

Hoc Nomen ex D. Paulo est præmium obedientiæ Patri præstitæ.

Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen. Ad Philipp. 2. Sanctus Paulus nobis repræsentat Nominis hujus Majestatem, tamquam præmium obedientiæ Salvatoris. Hic infinite humiliaverat se obediens severitati legum ejus, ejusque præceptis; Pater vero in præmium dedit illi Nomen nominum omnium præstantissimum. Sed quamvis videatur Apostolus referre mercedem hanc ad extremas mortis ejusdem humiliationes, pertinet quoque ad primas vitæ ipsius obedientias, eam vero præsertim, quam exercuit se se Circumcisionis legi subjiciens. Nomen hoc duplici Sanguinis genere imbutum fuit, primi illius, quem effudit in hoc doloroso mysterio, & alterius, quem de Cruce effusurus est, cum hoc discrimine, quod Deus hodie tribuit hoc Nomen Filio; post mortem vero, & resurrectionem suam, Nominis gloriam daturus est. *Nomen JESU obedientiæ remuneratio est*, S. Bernardus ait; videlicet remuneratio obedientiæ, quam præstat Legi Circumcisionis, & Patris imperio, quo jubetur mori statim ac vivere incipit.

Quanti hoc Nomen stet Filio Dei.

Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati. 1. Petr. 1. Quæ recens ratio animarum redimendarum, non usus est auro, aut argento, neque corruptibili aliqua pecunia, quæ in humano adhibeatur commercio; sed suum effudit Sanguinem, cujus vel minima gutta pluris æstimanda est, quam omnes possibiles Mundi. Illum fundere cœpit fere statim ac vivere incœpit, eumque ad extremam usque guttam effundet in cruce per inhumana supplicia. Sed in solo Nomine JESU colligit Sanguinem hunc, quem effudit in præsepio, & in cruce propter salutem nostram, quoniam hoc Nomen Salvatorem significat, & inevitabiliter eum adigit ad illud promerendum, & adimplendum per hunc Sanguinem. Heu! Salvator mi, quam caro tibi Nomen hoc stat pretio! Quam pretiosum esse debet tibi, quandoquidem Sanguinis, vitæ, laborumque tuorum pretio comparasti!

Nomen JESU causa est mortis ejus, ut habet titulus Pilati jussu cruci affixus.

JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Joann. 19. Hæc fuit epigraphes, quam Pilatus jussit affigi Cruci Salvatoris Mundi. S. Ambrosius considerans sacrum JESU Nomen, quod videbat cum aliis titulum hunc componentibus, animadvertit Pilatum dixisse Judæis, se nullam mortis causam deprehendere in hoc viro, qui ad seipsum ductus fuerat, ut ab eo damnaretur; & nihilominus Evangelista de cruce loquens ait, hanc fuisse causam mortis ipsius. Pater laudatus inquit; *Lego super caput causam illius mortis scriptam*. Salvator in se nullam habet causam, innocens est, sed in Nomine suo mortis suæ causam gerit. Nomen JESU illum morte damnat, quod illum obligat homines salvare, & subire mortem, ut vitæ gratiam tribuat illis, qui ejusdem jacturam fecerunt per peccata &c.

Matth. 19.

In Nomine JESU & meritis hujus omnē salutis spem nobis esse collocandam.

Non aliud Nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. In hoc Nomine JESU, & in meritis illius, qui illud propter nostram salutem accepit, spem nostram constituere debemus futurum ut aliquando salvemur: hoc in sensu accipienda sunt hæc S. Petri verba, cum ait, non aliud nomen datum fuisse hominibus, per quod possint salutem nanciſci: per hoc nobis fidenter accedendum esse ad Deum, nobis viam patere ad cor illius, & gratias ab eo per idem esse petendas. Nos opem ejus implorare; & re ipsa per sacri hujus Nominis invocationem obtinere, quemadmodum ipse pollicetur: *Quidquid petieritis Patrem in Nomine meo dabit vobis*, Propter solemnem hanc, validamque promissionem Origenes Nomen JESU vocat nomen omnipotentiæ, quæ æque in cælo, ac in terra se extendit; in cælo quidem, ut illud suis beneficiis aperiat; in terra vero, ut inde inexhaustum detrahat imbrem gratiarum, & benedictionum. Quapropter Ecclesia, quæ callet omnipotentem hujus Nominis virtutem, vult hoc semper versari in ore, & corde ministrorum suorum; ideoque est velut anima animans, & sanctificans augustissima Mysteria; hac denique ex causa jubet, nullam precationem institui, quæ hoc adorabili Nomine non concludatur, ad certum effectum illius efficiendum.

Joann. 14.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod CHRISTUS JESUS venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 1. *ad Timum* 1. Verbum consolatione plenum! nuntium omnibus lætitiæ, & alacritatis sensibus excipiendum! Dei Filius venit in terram, non tamquam judex, vel vindex humanorum scelerum, qualiter in sæculorum fine venturus est; non tamquam terribilis domitor ad omnes populos sibi subjiciendos, ac inferendum quocumque Nominis sui terrorem, non denique qualem Judæi commiscebantur ad eos de barbarorum dominatione, & jugo liberandos, sed ad illos de æterna calamitate eruendos: *Venit JESUS peccatores salvos facere*. En unice ad quid venerit. En causa, quæ illum de cælo in terram detraxit. Hoc est glorioſum illud consilium, ad quod exequendum accessit. Ita ut si, uti decet, illius mentem assequimur, nunquam nobis Sanctum hoc JESU Nomen sit proferendum, vel ab aliis proferri audiendum, quin spem concipiamus misericordiæ Dei, qui in Mundum non venit, neque Salvatoris nomen assumit, nisi ut mulceat timores nostros, & auferat diffidentiam, quam habere possemus de sincera illius nos salvos faciendi voluntate; & sicuri S. Bernardus olim dicebat, se non posse cogitare augustum hoc Nomen, quin menti ejus occurreret infernus domitus, dæmones subacti, cælum apertum, gratiæ large effuseque concessæ: similiter nunquam meminisse debemus Nominis JESU, nisi in eo detegamus certitudinem misericordiæ, cujus arrha est, quidam S. Pater ait: *Misericordiæ pignus nomine portat*.

1. ad Tim. 1.

Quid facies Nomini magno tuo? Josue 7. Mecum reputans,

Oratio ad Salvatorem ut No-

mea JESU efficax sit nobis.

putans, Domine, quo tibi stet pretio sanctum, & adorabile Nomen tuum, simul intelligo, quanto tibi simus in pretio, cumque nulli peperceris sumptui, ut illud tibi compararet, nihili tibi antiquius sit, quam nostra salus. Sed quoniam tu non salvas me sine me, pariter sine te salvari nequeo. Adhibe virtutem Sanguinis tui, omnemque gratiæ tuæ vim, cujus præmium est, ut utrimque efficax hoc Nomen efficias; neque priver felicitate, quæ simul est effectus, & medium ad id obtinendum. Hoc in sensu audeo tibi dicere cum insigni hoc Exercituum Imperatore, qui tuum gessit nomen, & quo usus es, ut salvum faceres populum tuum: *Quid facies Nomini magno tuo?* O magne Deus! quid proderit tibi tanto pretio comparasse Nomen hoc, si permiseris, ut hoc Nomen inane sit habita nostrum ratione? Nos sumus divitiæ tuæ, acquisitio tua parta sudoribus, lacrymis, & Sanguine tuo; si permiseris nos privari fructu passionis tuæ: *Quid facies Nomini magno tuo?* Quæ utilitas erit Sanguinis tui; & quomodo vocari poteris Salvator secundum omnem præclari Nominis hujus significationem? Sed nos ipsi, si eo processerimus, ut illum frustremur eo fructu, quem exoptavit, si reddiderimus hoc Nomen inutile culpa nostra; si tanto hoc abusi fuerimus bono, nonne hoc erit evertere unicum spei nostræ præsidium; namque sicut Apostolus inquit, non aliud est Nomen, neque alius Salvator, a quo nos salvos factum iri speremus.

Magnitudo JESU per Nomen hoc repræsentata.

Vocabis Nomen ejus JESUM &c. *Luc.* 1. JESUS magnus erit, sed infinitæ magnitudinis; magnus vita, magnus doctrina, magnus operibus, & verbis; magnus sanctitate, Sapientia, auctoritate, & potentia. Taliter erit hominis Filius, ut sit etiam vere Altissimi Filius. Denique Deus Pater constituet illi regnum æternum in domo Jacob; videlicet in Electis, qui super terram, legibus ejus submissi, deinde cum illo regnabunt in cælo.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Quid est JESUS nisi Salvator? ergo JESU propter temetipsum, fac mihi secundum Nomen tuum. S. Augustinus, vel alius Auctor in Meditat. c. 39.

JESU est Nomen dulce, Nomen delectabile, Nomen confortans peccatorem, & Nomen bonæ spei. Idem ibidem.

O bone Domine! si admisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Idem ibidem.

Salvatorem suum fecerunt, reprobi *damnatorem suum*. Idem ibidem.

*Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me feci*sti, *debeo tibi meipsum, & quia redemisti, deberem plus quam me si haberem.* Idem ibidem.

JESUS meus, & omnia! Ambros. lib. de virginib.

Christus dedit semetipsum redemptionem omnibus nullo excepto. S. Prosper.

Misericordia pignus nomine portat. Gregorius Nyssen.

Nomen continens totum bonum. D. Chrysostomus.

Nomen JESU, nomen Omnipotentiæ. Origenes.

Hoc Nomen Domini sit benedictum in sæcula, quod iram avertit, quod maledictum abstulit, quod dæmones terruit. Idem in cap. 1. Jobi.

Multi nunc JESUS dici possunt, non tamen substantialiter, sed nuncupative. Gregor. Hom. in c. 11. Marci.

Maria genuit Salvatorem, & vocavit Nomen ejus JESUM, quia in hoc nomine deitatis adoratur tota Majestas. Chrysologus.

Si mortem times, vita est; si in cælum tendis, via est; si febribus æstuas, salus est: si alimento indiges, cibus est: si labore opprimeris, requies est; si in certamine versaris, corona est. Ambrosius.

Ne creatura ulla gloriam sibi nostræ redemptionis usurparet, neve nos tamquam redemptricem veneremur, & non soli Deo tanti operis gratias referremus, hanc gloriam ipsemet Salvator noster esse voluit. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo.

JESUS Salvator interpretatur, anima mea liquefacta est in sermone isto. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris? Alioquin unde salus, vel salutis spes in isto afflictionis loco! Bernardus in serm. 6. in vigilia Nativitatis.

Non enim ad instar priorum meus iste JESUS Nomen vacuum, aut inane portat: non est in eo magni Nominis umbra, sed veritas. Idem serm. 1. de Circumcis.

Unde putas in tota urbe tanta, & tam subita fidei lux, nisi de prædicato JESU? Nonne in hujus fidei luce vocavit nos Deus in admirabile lumen suum. Idem serm. 15. in Cant.

Vocatum est Nomen ejus; vocatum plane non impositum, nempe hoc ei Nomen ab æterno, a natura propria habet, ut Salvator, innatum est ei hoc Nomen, non inditum ab humana, vel Angelica creatura. Idem serm. 2. de Circumc.

Nomen ejus gloria ejus. Idem.

Nomen JESU obedientiæ remuneratio est. Idem.

Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, quam invocatio Nominis JESU. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri hoc in Argumento possit.

Quid significet Nomen JESU.

JESUS est Nomen proprium illius, qui simul & Deus, & homo est, & Nomen hoc Salvatorem significat, Nomen hoc illi neque casu aliquo, neque ex voluntate, & hominum consilio, sed Dei jussu, & imperio impositum est, quod docemur verbis, quæ Angelus Mariæ dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM.* Idemque Angelus præcepit Joseph, ut puero hoc Nomen imponeret, docuitque, cur ita esset vocandus: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus JESUM, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Quis illum dederit, cui, & quare.

Luc. 1.

Matth. 1.

Pater æternus Filio suo hoc Nomen imposuit.

Putandum non est, Angelum, vel Mariam Virginem, vel Sanctum Joseph imposuisse Verbo incarnato augustum hoc Nomen; non enim imponi potuit nisi ab Æterno Patre; nam quantumvis sit puer, adeo egregias habet perfectiones, & supra cognitiones spirituum sublimiorum, ut creatura nulla, vel in cælo, vel in terra par sit excogitando Nomini, quod ejus exprimat excellentiam. Dei igitur unius erat illum ex Nomine appellare, quoniam ipse unus illum cognoscit, quippe Filium suum, & novit propter quid carnem assumpserit. Quamobrem S. Bernardus asserit juxta Scripturæ sanctæ fidem, Nomen hoc illi proprie impositum fuisse, cum fuit circumcisus, sed illud secum de cælo attulisse, & declaratum dumtaxat fuisse die circumcisionis.

Cur Filius Dei acceperit Nomen JESU incruenta circumcisionis suæ operatione.

Mos erat Judæorum Nomen cum circumcisione infantibus dare. Ideo voluit JESUS CHRISTUS, ut sanctum Nomen suum, quod Salvatorem significat, scriberetur in carne sua cum eodem Sanguine, quem aliquando effusurus erat pro salute nostra; cum enim JESUS CHRISTUS sit essentialiter mundi salus, nascens appellandus erat Nomine, quod statum ejus deceret. Sed Verbum Incarnatum est vera salus animarum nostrarum: habet ab ipsa natura sua quidquid significat Nomen JESU, & voluit Nomen hoc publicari eodem die, qua effudit Sanguinem suum in circumcisione, quia Sanguis hic futurus erat omnium vulnerum nostrorum medicina.

Quam apte gloriosum hoc Nomen impositum fuerit FilioDei. D. Thom. 3. p. q. 37. art. 2.

Adorabile Nomen JESU, quod Salvatorem significat, aptissime impositum fuit JESU CHRISTO: docet S. Thomas; non solum quia Angelus illud beatæ Virgini, & Sancto Josepho prædixerat; verum etiam quia ille, cui inditum fuit, receperat magnificum gratiæ munus homines omnes salvos faciendi. Hæc sunt Sancti hujus Doctoris verba, & sicuti JESUS CHRISTUS divinitus receperat per hypostaticæ unionis gratiam potestatem omnes homines salvandi, adorabile Nomen JESU, quod exprimit hoc donum, & singularem hanc gratiam aptissime illi cælitus impositum fuit. Præterea, ut alii quidam loquuntur Theologi, nominandus erat homo-Deus compositum duarum naturarum in una, eademque persona subsistentium. Redemptor, Reparator, Mediator. Creaverat Deus novum, quod nunquam visum fuerat super terram. *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Inveniendum igitur erat Nomen novum, hactenus inauditum: *Et vocabitur Nomen novum, quod os Domini nominabit.* Opus erat nomine, quod non significaret Deum solum secundum aliquam perfectionem, veluti *Jehovah, Adonai, Elohi*, neque hominem solum, ut *Adam, Abraham* &c. neque simpliciter hominem Deum, ut *Emmanuel*, sed quod exprimeret perspicue, & distincte officium, & qualitatem Salvatoris: *Vocabis Nomen ejus JESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hinc sequitur, augustum hoc Nomen esse Nomen proprium, & distinctum JESU CHRISTI.

Jerem. 31.

Isaia 62.

Matth. 1.

Hoc Nomen JESU quadrare potest justa omnem significationis suæ latitudinem.

Ad salvandos homines, satisfaciendum erat justitiæ Dei læsi, & opus erat illi veniam mereri, qua erant indigni. Sed Deus solus satisfacere non poterat, quoniam ipse læsus erat, & sibi satisfieri flagitabat. Homo solus satisfactionem præbere non poterat propter indignitatem suam; & quia divina justitia non nisi per integram satisfactionem placari poterat. Opus igitur erat homo-Deus, qui in se satisfaciendi provinciam reciperet, ut divinitate tribuente pretium, atque valorem actionibus hominis, solutio par esset debito. Quis autem non videt hæc omnia mirum in modum significari Nomine JESU, quod hac de causa aliis tribui non potest secundum omnem significationis suæ latitudinem?

Deus unus imponere potuit hoc Nomen Verbo.

Necesse erat, ut Deus Filio suo Nomen imponeret; quia unus ipse illum perfecte cognoscit, & Nominis impositio supponit rerum cognitionem; quamobrem S. Dionysius dixit, Deum omnibus, præterquam sibi esse

esse ineffabilem, quia omnibus præterquam sibi est incomprehensibilis: *Nemo novit filium nisi Pater, neque quis patrem novit nisi filius.* Matth. 4. Nemo ergo poterat Filio Nomen dare, nisi Pater Æternus, qui illum perfecte noverat, & quatenus Deum, & quatenus hominem; & omnes ejus perfectiones, quæ utramque naturam decebant. Hinc S. Bernardus asserit, Nomen hoc essentiale esse Incarnato Verbo, ac esse titulum proprium naturæ illius. *Nempe hoc ei Nomen est ab æterno, a natura propria habet, ut sit Salvator; innatum hoc ei Nomen, non inditum ab humana, vel Angelica creatura.*

Nomen JESU complectitur omnes divinas perfectiones, sicuti hæ contulerunt aliquid ad hujus Nominis dispositionem.

Nomen JESU Nomen est Sapientiæ, Nomen potentiæ, Nomen justitiæ, Nomen misericordiæ. Quamobrem nemini stuporem injicere debet varietas nominum Messiæ occurrentium in Prophetis; quoniam omnia in Nomine JESU continentur. Cum dicis JESUM dicis Omnipotentem; quomodo enim homines salvare posset nisi infinita esset ejus potentia? Cum dicis JESUM dicis justum; quomodo enim satisfacere posset justitiæ Dei læsi, & contra homines irritati, si justus non esset? Cum dicis JESUM dicis Emmanuel, hoc est, *Nobiscum Deus*: quomodo enim Salvator esset, nisi simul & Deus esset, & homo? Hinc liquet Divinam Sapientiam hoc Nomen inveniisse; & omnes alias perfectiones ad id contulisse. Omnipotentia, exempli gratia, voluit Messiam vocari Omnipotentem; *Omnipotens Nomen ejus.* Exod. 15. Justitia suum illi Nomen dare voluit; & induxit Jeremiam dicentem: *Hoc est Nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Jerem. 23. Misericordia, cum coegisset Verbum ad humanam carnem sumendam per Isaiam dixit: *Vocabitur Nomen ejus Emmanuel, nobiscum Deus.* Isaiæ 7. Tamen existimandum non est inter divinas perfectiones litem obortam fuisse, ut singulæ Incarnato Verbo Nomen darent: Omnes perfectiones in Deo conjunctæ sunt, vel potius una tantum sunt essentia, eademque causa, cujus effectus sunt multi, & universæ consenserunt, ut homo-Deus JESUS nuncuparetur.

Extensio significationis Nominis JESU quatenus Salvatoris omnium hominum.

Salvatoris nomen Dei Filio impositum, in tota latitudine vi, & sublimitate significationis suæ assumendum est; quod innuit Evangelium per hæc verba: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Primum quidem Israelitis promissus fuerat Messias Salvator, quæ promissio multoties, & infinitis figuris deinceps fuit instaurata. Sed nihilominus omnes terræ gentes erant populus illius, quippe Pater æternus universas illi donaverat: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psalm. 2. Quamobrem sanctus senex Simeon illum inter ulnas tenens pari gaudio celebrat & lumen, quod illucescebat omnibus gentibus, & gloriam, qua Israel erat cumulandus. Profecto nemo privandus est luminibus solis hujus divini; quia secundum S. Paulum Apostolum, vult Deus omnes homines salvos fieri, & ad veritatis cognitionem pervenire, quod intelligendum est adeo explicite de omnibus hominibus, quicumque sint, ut Sanctus Paulus hanc asserat voluti caussam orandi pro omnibus; ita ut eamdem tribuat extensionem illis, pro quibus orandum est, & illis, quos Deus vult salvos facere. Adde his, Apostolum eumdem alibi etiam testari, JESUM pro omnibus mortuum esse, & inde argumentum elicere ad probandum omnes mortuos esse; innuentem eamdem extensionem pro omnibus; qui in Adam mortui sunt, ac pro omnibus, pro quibus JESUS CHRISTUS est mortuus.

Virtus Nominis JESU & Salvatoris hujus divinitas in hoc apparuit, quod nos a peccatis nostris liberavit.

Titulus, & Nomen JESU divinius adhuc videbitur consideranti, quod adjicit Evangelium; *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*: peccatum enim quodammodo malum est infinitum, sicut Deus bonum est infinitum. Ergo ad peccati malum perfecte avertendum; opus erat Salvatore, qui Deus esset, & sicuti divinitas continetur in qualitate Salvatoris, qui venit ad nos a peccatis nostris liberandos; hinc quidem nulla sunt adeo enormia peccata, neque ita innumerabilia, ut Salvatoris Sanguine detergi non possint, quia hic Sanguis est Dei: inde autem nullum peccatum ab Adam ad novissimum hominum, qui in terris apparuit, quod minime debeat justificationem suam Sanguini, & Nomini Salvatoris Dei. Denique ut verbo me expediam, quod ad salutem pertinet, nihil nisi per Salvatorem habemus, & per illum habemus, quidquid necessarium erat ad procurandam nobis plenam, uberamque reparationem injuriæ, quam nobis pepererat primi hominis peccatum, quod est reliquorum omnium origo.

Quomodo colendum sit Nomen JESU.

Operæ pretium est nosse, quo pacto colendum sit Nomen adeo Augustum, & Venerabile. Posito igitur, quod cultus, quem adhibemus Nomini non stet in exteriori verbi sono, quod profertur, sed migret ad personam quæ nominata est: Non litteræ, neque syllabæ coluntur a nobis, sed id quod per illas significatur; quemadmodum crucis adoratio refertur ad JESUM crucifixum; & Imaginum cultus ad Sanctos, quorum imagines sunt. Ita honor, qui adhibetur Nominibus, hic non subsistit; signa sunt, & imagines sonoræ, in quibus personas veneramur. Mos igitur laudabilis est, exteriori aliquo signo testari reverentiam, quæ debetur sacro Nomini JESU; & Supremus Pontifex Joannes XXII. largitus est ducentos Indulgentiæ dies illis, qui auribus excipientes hoc Nomen honorem illi testarentur signo aliquo exteriori. Et sane si colitur crux, quia repræsentat Salvatorem in ea crucifixum, cur adorari non poterit Nomen, quia personam repræsentat?

Deus Salvator est omnium hominum etiam reproborum. 1. ad Timoth. 5.

Constat, Dei Filium quodam in sensu Salvatorem esse hominum omnium, etiam reproborum, quoniam de illo dicit Apostolus, *qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Si enim omnium, & præsertim fidelium Salvator est, aliquo in sensu est etiam Salvator Infidelium, qui nunquam salvabuntur. Sed inficias ire potest nemo illum magis proprio, & peculiari modo Salvatorem esse Fidelium, qui saluti suæ cooperantur per fidem, & bona opera, quam infidelium, qui culpa damnantur sua, & qui salvi fieri potuissent, si saluti suæ cooperari voluissent. Hac de caussa dicunt Theologi JESUM omnium hominum Salvatorem esse, *quoad efficaciam*, & Prædestinatorum *quoad efficientiam.* Salvatorem esse omnium quoad virtutem; non quoad effectum, quia non omnes hanc sibi virtutem applicant. Unde inferendum est in nostra potestate esse positum, nobis cum Dei gratia hanc applicare virtutem, ideoque in nostra potestate esse positum, quod JESUS CHRISTUS re ipsa sit Salvator noster. Talis ille cupit esse: *Vult omnes homines salvos fieri.* 1. ad Timoth. 2. Si ergo vivimus in salutis nostræ contemptu, ac negligentia; nos illum ea re privamus, qua nihil ipsi est antiquius, qualis est, esse Salvatorem nostrum, & Salvatoris Nomen habita nostrum ratione deferre.

In nobis situm est efficere, ut Dei Filius JESU vocetur juxta omnē nominis latitudinem. Serm. 14. de verbis Apostoli.

Omnia nomina, ac tituli, quos Deo tribuit Scriptura, illi absolute conveniunt, non autem relate ad nos, & nobis, ut ita dicam, invitis. Sine nobis ille est, qui est, etiamsi nollemus. Ille Dominus est, & sibi sufficiens: quidquid obnitamur. Omnipotens est, Justus, Admirabilis, Deus exercituum, etiam sine nobis; sed dicere possumus illum esse JESUM pro nobis, sine nobis non posse. *Qui fecit te, sine te*, S. Augustinus ait, *non salvabit te, sine te.* Sequitur ergo, sine nobis illum nunquam nobis Salvatorem futurum. Quid igitur agit peccator, cum perit, ac damnatur? Quantum in se est, eripit Filio Dei præclarum hoc Nomen JESU, & vetat, ne illi in omni significationis suæ latitudine conveniat.

Hunc Deum-hominem revereri, & colere debemus, sub Nomine JESU & SALVATORIS.

Dei Filius coli, & adorari potissimum vult sub hoc Nomine JESU; ideoque huic nomini præsertim adnectere voluit orationum nostrarum ratificationem: *Amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Vult, ut ita dicam, illas hac nota distingui: quod bifariam contingere potest; 1. Dirigendo preces nostras Æterno illius Patri, ut in virtute Nominis Salvatoris, hoc est, in virtute meritorum, quæ hoc continet Nomen, ea nobis concedat, quæ petimus, sicuti facit Ecclesia omnes preces suas per Sanctum illius Nomen concludens. 2. Loquendo cum illo ipso sub hoc Nomine JESU, pro certo habentes invocationem hanc certissimam esse viam ad obtinendum gratiarum ejus subsidium.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Adoratio Nominis JESU Filio Dei a Patre dati aptissimum est ad præbendam Verbi Incarnati cognitionem.

LIQUET nomina esse signa, & imagines rerum; ideoque instituta esse ad earum cognitionem tradendam, propriumque characterem connotandum. Hinc vulgo dicitur, Sapientum esse illa imponere. Quamobrem Deus, cujus infinita sapientia est, hominum parenti scientiam infuderat qualitatum, discriminum, ac naturalium proprietatum cujuslibet rei, ut illis nomen imponeret, quod in mentibus æquam imprimeret ideam ejus, quod erant. Verum cum hanc eamdem scientiam non communicaverit Deus ceteris hominibus, nomen, quod tribuunt rebus, ac præsertim reliquis hominibus sibi similibus, non semper rectam, veramque tribuit notionem qualitatum eorum, neque ejus, quod reipsa sunt; sed nihilominus confert nonnihil, ut cognoscantur, & alii ab aliis secernantur; ita ut cum illos nominari audimus, eorum ideam in nobis excitari sentimus, & nominatim cognoscimus de quo verba fiunt. Sed quidquid sit de ceteris nominibus, in quibus libido, vel fors vulgo majorem sibi vindicat partem quam ratio, & veritas, augustum, & adorabile Nomen JESU nequaquam impositum fuit sine cognitione caussæ ab illo qui fallit non potest, & qui solus illum noverat, quoniam est Verbum suum incarnatum, quod cum voluerit manifestum facere Mundo, ut loquitur S. Paulus, donavit illi Nomen hoc, tamquam aptissimum ad illius cognitionem tradendam. *Auctor recens, & anonymus.*

Dei unius erat dare Nomen Verbo facto Homini.

Potentiæ Dei est sibi Nomen dare, & infinitæ ejus intelligentiæ prærogativa est unico verbo exprimere quid-

quidquid comprehendit ex se unico intuitu ; itaque dici potest hoc augustum Nomen JESU, quod hodierna die tribuitur Filio Dei, sensibilem esse expressionem æterni illius *Verbi*, per quod Deus, qui semel tantum locutus est, omnia comprehendit, & omnia expressit: certus enim sum, quicumque animadverterit characterem Divinæ eloquentiæ, cujus est multa paucis complecti, haud ægre crediturum, quemadmodum Æternum hoc Verbum præsentissima est productio infiniti illius intellectus, omnemque illius exhaurit fœcunditatem; similiter pulcherrimum fuisse sapientiæ suæ inventum, Incarnato Verbo tribuere Nomen, quod illud distinguere posset, & cognoscendum tradere quid erat, tempore eodem, quo se humiliat in Incarnatione recipiens formam peccati, & abscondens omnem magnitudinem, ac potentiam suam sub infirmitate pueri patientis, atque vagientis. *Idem.*

Filius Dei sumit sibi Nomen non a vitiis populis, aut dirutis urbibus, sed a populis quos salvos effecit.

Dei Filius non sequitur Regum, & Imperatorum exemplum, quibus nulla sapiunt nomina, nisi quæ desumunt ab effectibus furoris sui, & a populorum excidio. Urbs æquata solo, Provincia igni, ferroque vastata, dirutum Imperium locum tribuerunt eximiis titulis gloriæ, atque ambitionis eorum. Nomina mutuati sunt a Provinciis quas debellaverant; sed in nominibus suis præsetulerunt sanguinem, & lacrymas populorum. Heu! dicebat quidam Orator olim Magno Duci; *quanto justius es ab iis, quos servaveris appellari*! Nomina, quæ Deo magis placent ea sunt, quæ ab hominum salute desumuntur. Esto quidem in Veteri Testamento magnifica acceperit nomina, ac terribilia; Vocatus ille fuerit Deus exercituum, atque præliorum; in lege gratiæ Nomen JESU recipiet, quod plenum est amore, & suavitate, & si quam habet sanguinis guttam, vel lacrymam, hic sanguis est, hæ sunt lacrymæ, quas ipse fundit. *Bivoat in sermone 2. de Circumcisione.*

Hoc Nomen JESU ciet memoriam omnium bonorum quæ nobis procuravit Verbum Incarnatum.

Cum Creatoris Nomen proferimus, quod respicit Deum tamquam Mundi principium, tribus tantum syllabis teximus historiam creationis, penetramus, quod significat, videmur interesse creationi universorum, & videre de abyssis Cælos emergere, & elementa. Ita cum auribus accidit nostris Nomen JESU, meminisse debemus omnium bonorum, quæ nobis procurat, & malorum omnium, a quibus nos liberat: *Hæc omnia mihi insonant*, S. Bernardus ait. Idem est ac si in compendium gratiæ historiam redigerem, & idem ac si viderem inde emanare gratias, & Sacramenta, Cælum, & gloriam æternam. Hanc in hac Nomine historiam video, sed eo majori in luce, quo amor illius agens, & patiens refulget pro me, ab initio vitæ suæ Nomen JESU recipiens. *Idem.*

Dei Filius hoc Nomen recipit quam per illud magna efficere teneatur.

Vulgo apud Ethnicos etiam adagium illud percrebuit; magna Nomina ingentes esse stimulos ad virtutem, tunc vero potissimum, cum a Regibus, & ad magna, magnique momenti negotia peragenda tribuuntur. Credimus ea cum honore esse deferenda, & perfecte replendam gloriam, quam continent: *Nomen auspicium rei*, inquit Cassiodorus. Si ergo nomina ab hominibus imposita tantam vim obtinent apud eos, qui illa recipiunt, quid tandem efficiet Nomen JESU in corde JESU CHRISTI? Heu! cum hoc respicit Nomen, ac reminiscitur, se destinatum a Patre Mundi Salvatorem; eamus, dicere potest, eamus ad replendam Nominis hujus Majestatem; satis non est ad id primum sanguinem ab ipsis incunabulis effudisse cruenta circumcisione, reliquus mihi in Cruce fundendus est. Hoc mihi faciendum est, Salvatoris Nomen accipio, hoc me facturum polliceor, recipioque: neque enim aliter replere valeo gloriosum hoc Nomen, neque augustam hanc sustinere dignitatem nisi obeundo mortem, ut homines salvos faciam. *Idem paulo amplificatior.*

Eadem sententia aliis verbis.

Præsupponendum est titulos, & nomina apud homines esse hortamenta ad eadem, magnis, atque præclaris actionibus sustinenda. Intelligimus, nobis nihil prætermittendum esse, ut nosmet his nominibus dignos præbeamus, & perfecte horum titulorum dignitatem repleamus, ne tituli vacui sint, & ut post veterem nescio quem loquitur S. Bernardus: *Magni Nominis umbra.* Hinc conjicere licet, quam impressionem fecerit in corde JESU hoc, quod gerit Nomen. Hoc illi detulit Pater, ut jugiter illi repræsentaret officium Salvatoris, quod illi erat obeundum; hoc ille recepit hac conditione; donec ille in terris versatus est, hoc erat illi veluti pignus ad exequendum hoc munus, ideoque omnem ille prætulit sollicitudinem, ut illi satisfaceret incipiens Sanguinem suum effundere, statim ac vitam recepit. *Idem.*

Ratio vera colendi Nomen JESU est cooperari saluti nostræ.

Quomodo colere possumus Nomen JESU, quod Dei Filius in hoc recipit Mysterio, nisi quantum in nobis est cooperantes saluti nostræ? Sanguis, quem illefundit, effusus est pro salute nostra, & nonnisi in salute nostra potest triumphare. Virtutem illius ad nihilum redigere est, illi gloriam auferre salvandi nos. Hoc Nomen JESU similiter a salute nostra sumptum est; illud colere volumus? permittamus, ut nos salvos faciat. Quo plures salvi sunt, eo magis JESU Nomen extenditur. Qui damnantur, auferunt illi, ut ita dicam, partem nominis hujus. Audebimusne cooperari huic injustitiæ, & per interitum nostrum auferre illi Nomen Salvatoris, quod ille suo Sanguine promeritus est? Dæmoni relinquamus funestam hanc mentem ad nihilum redigendi gloriam Nominis hujus per hominum cladem; nos vero per fidelitatem nostram efficiamus, ut sanguis hic nobis prosit: & ut in partem Nominis hujus & nos censeamur, videlicet ut ille ex nostra quoque parte Salvator sit, qualis est ex sua. Ipse ad id fecit quidquid ipsi erat faciendum; nostrum est facere, quod restat cum ejus gratia & ope, quæ nunquam est nobis defutura. *Idem sermone 2. Circumcisionis.*

Reverentia Sancto huic nomini adhibenda.

Augusto huic Nomini omnia, quæ excogitari possunt, debemus obsequia: Primum quidem nunquam dicendo ne minimum quidem verbum contra hujus Nominis gloriam; secundo impendendo omnes animarum nostrarum, corporumque facultates in ejus obsequium, flectendo genua audito hoc adorabili Nomine, & id præstando quod S. Paulus docet: *in Nomine JESU omne genu flectatur.* Nomen hoc amoris, salutis, & gratiæ moveat corda nostra; omnia consilia nostra, actiones, & opera fiant in Nomine hoc, quemadmodum idem suadet Apostolus: non alium habeamus finem, nisi gloriam ejus; omnia debemus illi, illi ergo referre debemus omnia quæ facimus. Admitamur etiam hanc eamdem reverentiam imprimere in mente proximi nostri, & potissimum pro virili parte, & secundum id, quod status noster patitur, adversemur funestæ huic licentiæ blasphemorum, qui directe Sanctum hoc Nomen lacessunt. Etenim heu! quo cum doloris sensu videre possumus hoc Nomen, quod tanta pietate veneratur Ecclesia, quod Angeli incessanter laudant, & extollunt in Cælo, quod Dæmones in inferis reformidant, quomodo inquam illud videre possumus pollui, inquinari, blasphemiis proscindi, ore impuro eorum, qui illud sibi vertunt in ludibrium? Nonne opus est, ut Christianorum zelus exardescat, & vallum statuant huic blasphemantium inundationi Magistratus edictis, Concionatores adhortationibus, mundus universus exteriori obsequio, ubi has evomi audiunt blasphemias? *Idem ex parte, in 3. sermone Circumcisionis.* ad Philipp. 2.

Ratio colendi Sanctum hoc Nomen est, singularem erga illud habere devotionem.

*Quid Christiano faciendum est, ut Sanctum hoc Nomen habeat in honore? Erga illud singularis est fovenda devotio; sin autem scire vultis qua in re hæc devotio consistat, dicam. In eo sita est, ut sæpe Nomen hoc non in ore solum versetur, sed in mente, imprimatur in corde; ut illud ratio, & fides nostra crebro illud meditentur; ut proferatur eo spiritu, reverentia, & honore, quo decet. Quæ devotio nobis fovenda, ac retinenda esset, nisi alius nobis fructus sperandus esset, dumtaxat propter usum, qui a nobis in mortis articulo faciendus est. Identidem reminisci debemus quantæ utilitatis opus futurum sit nobis in extremo vitæ nostræ momento Nomen hoc proferre. Prudentiæ laus est in milite occasionem prævertere, ac discere armis suis uti, ut in die prælii seipsum cum illis valeat tueri. Heu! Fideles! nobis confligendum erit cum morte, & cum periculosis tentationibus, quas dæmon tunc temporis ingerit: Ecclesia nobis tribuet hoc Nomen JESU velut clypeum ad propulsandos Sathanæ insultus: Confessarius insusurrabit in morientis aures Nomen JESU: Quomodo uti poterimus hoc Nomine in obitu, quo nunquam usi fuerimus in vita? Proferendum erit cum pietate, cum meditatione significationis ejusdem, cum confidentia; ad id nunquam fortasse animum advertistis; & credetis Deum miracula patraturum, ut id tunc cogitetis, & immissurum vobis sensus necessarios ad obtinendam misericordiam, cujus certum pignus est hoc Nomen. Prævertite ergo extremum illud momentum per usum quem ejusdem facturi estis in vita, ut eodem præclare utamini in morte. *Idem.*

Nemo eorum qui JESUS vocati sunt, exstitit Salvator populi præter JESUM CHRISTUM.

Plures in lege veteri JESUS appellati fuere, quia liberaverunt populum Judæorum a captivitate, vel alio quovis corporis malo; sed Verbum Incarnatum meliori titulo gloriosum hoc possidet Nomen; non enim Judaici tantum populi liberator est, sed venit generatim ad omnes homines salvos faciendos. Illi dimicandum non est contra Principes terræ; potestatis suæ terminus non est adversari injustis conatibus tyrannidis eorum; tradita est illi longe glorioſior provincia, & nobis utilior. In terras venit bellum illaturus Principi Tenebrarum, prostraturus cardines inferorum, eruturus nos de dæmonis potestate. Ideo vocatur JESUS, ideo superat illos omnes, qui ante ipsum hoc eodem nomine appellati fuerunt. Quidquid de insignibus illorum expeditionibus nobis narratur, umbra tantum, & figura est victoriarum Salvatoris Mundi. Unus fuit JESUS CHRISTUS de quo dici potuerit. *Vocabis Nomen ejus JESUM, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Lambert tomo 5. Homiliarum Evangelicarum Homilia 62. de festo Circumcisionis. Matth. 1.

Quamvis ad præclari hujus Nominis JESU laudem nil

Nomen JESU, & merces hu-

miliationum hominis Dei.

nil aliud dicerem, nisi hanc justam esse mercedem, quam Deus Pater dedit Filio suo pro exinanitione ad quam descendit homo factus, & peccatoris qualitatem assumens in circumcisione sua; id satis esset, puto, ut sublime Nominis hujus conceptum vobis adstruerem. Minimæ Filii Dei humiliationes infinitam merentur exaltationem; quid ergo meretur postremus suæ humilitatis excessus? S. Paulus non meminit nisi Nominis hujus, veluti remunerationis ejusdem! Mirum! Alia insignia nomina Æternæ Sapientiæ, characteris viventis Substantiæ Patris, Creatoris, Regis, Judicis summi viventium & mortuorum, nullo stant pretio JESU CHRISTO. Quatenus Deus recipit illa a Patre per essentiæ communicationem, & quatenus homo per unionem hypostaticam; sed ubi sermo est de Sancto JESU Nomine, fit, ut ita dicam, contractus inter Patrem, & Filium; Pater non vult dare Filio Nomen hoc, nisi viderit illum per circumcisionem descendere in humilitatis abyssum. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est Nomen ejus JESUS.* Ut hunc titulum indipiscatur, signet opus est sanguine suo professionem, quam emittit, se obedientem futurum, usque ad mortem crucis. *P. Texier in secunda parte sermonis de Circumcisione.*

Luc. 2.

Effectus, quos perciperemus ex virtute Sancti hujus nominis, si cognosceremus divitias gratiarum, quæ in eo continentur.

Si, uti oportet, uti sciremus Sancto Nomine JESU; admirabiles perciperemus effectus. Nomen est fulgoris intellectui nostro; illius dissipat tenebras, efficitque, ut videat pulchritudines gratiæ, & Sanctitatis. *Si sciremus assequi secreta, quæ in speciosо hoc* nomine delitescunt, detegeremus inæstimabiles divitias infinitæ Caritatis Dei erga homines; videremus magna, & admirabilia Dei de nobis consilia, nec non gratiarum thesauros, quos nobis præparavit, si nos in Nomine JESU petierimus. Hoc balsamum est, & oleum effusum super nostras voluntates, quod illas dociles, faciles, & flexiles facit motibus gratiæ, & quod invictam tribuit virtutem, ad omnes, qui occurrunt, obices superandos: *Oleum effusum Nomen tuum*. Hujus ope generosi Christianæ Religionis athletæ, videlicet Martyres, descendentes in certamen contra Tyrannos, atque Carnifices, fiebant invicti. *Hoc oleo uncti sunt Martyres*, S. Ambrosius ait: Sacrum hoc Sancti hujus nominis balsamum, eruditus inquit Idiota, *sanat languidos, recreat fessos, penetrat duros*. Hoc nos docet experientia peracta in mente quidem cæca, & corde obdurato, quale fuit Sancti Pauli: vix JESUS explicuerat illi nominis sui virtutem, cum illico illectum, dispositumque fuit ad ea facienda, quæcumque Dominus vellet; & si in iis difficultatibus, quas in Dei servitute experimur, sciremus nobismetipsis dicere; JESUS, Deus noster hoc petit a nobis, profecto, vel difficultates nostræ cessarent, vel in nobis invictum ad eas superandas robur repente nanciscemur. *Idem.*

Sanctum hoc Nomen non solum nobis est clypei loco ad nos protegendos, sed etiam teli ad subigendos hostes, qui sunt vitia nostra, & cupiditates. Prov. 18.

Quemadmodum Sanctum hoc Nomen rebus in omnibus nobis fert opem, ita etiam terrore plenum est adversus omnes inimicos nostros: *Terribile Nomen ejus*. Turris est inexpugnabilis, Sapiens ait, in quam Prædestinati se recipiunt, & ad quam inferni potestates non audent accedere. *Turris fortissima Nomen Domini*. Turris hæc omni armorum genere munita est, non solum ad propulsandos salutis nostræ inimicos, verumetiam ad domesticos, a quibus majus imminet periculum, & qui nostra sunt vitia, malæ cupiditates, habitusque pravi, exterminandos. Audacter in certamen descendere possumus cum hisce gigantibus, quocumque terrorem incutientibus, & quibus plurimi turpiter cedunt. Possumus, inquam, in certamen descendere, ut olim David adversus Goliath, & cum eodem dicere: *Ego venio ad te in Nomine Domini*. Infelix ira, quæ efficis, ut tot scelera committam, maledicta superbia, quæ causa fuit, ut sæpe debitam Deo gloriam mihi vindicaverim; venio ad vos sine timore; in Nomine JESU, quod Nomen est virtutis, & gloriæ *vobis bellum indico*: in robore, ac virtute Sancti hujus Nominis confido, ac per ipsum spero me de vobis triumphum esse relaturum. Credite mihi, Sanctus Bernardus ait, hoc præsentissimum est remedium contra vitia, & cupiditates: *Nihil ira ira impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ*. Et constat ratio: nam proferens Nomen JESU, propono mihi mitissimum, humillimum, purissimum omnium hominum, qui quatenus homo, animat me exemplo, quatenus Deus, me sua gratia corroborat. *Idem.*

1. Reg. c. 17.

Quanti nos fecerit Filius, qui vitam suam dedit pro salute nostra & emit hoc pretio Salvatoris qualitatem.

Mirum est, Dei Filium voluisse nos salvos facere vitæ suæ pretio, pro salute nostra impendendo hanc vitam ipsam, quam a nobis acceperat, divinamque in sua fecerat persona. Quod nos aliquo habuerit in pretio, non admodum mirum est; quandoquidem sui sumus, & creaturæ ipsius; quod vero nos pluris fecerit, quam vitam suam quod voluerit ipse, quamvis sit Deus, fieri hominis pretium: *ut homo, Deum valere videatur*, Sanctus Hilarius ait, hoc est nos immodico pretio redimere; certum est enim vitam hanc humanam Dei, spectantem ad Deum, & per Divinam Personam subsistentem, esse pretii infiniti, non solum si juxta omnem latitudinem suam accipiatur, verum etiam, si accipiatur secundum minimam partem durationis illius. Igitur sacrificare Divinam hanc vitam tot doloribus, atque laboribus, illam etiam omnino perdere ad nos salvos faciendos, vitam hanc, cujus unum momentum pluris erat, quam salus non dicam mundi unius, sed plurimorum; quandoquidem satis esse poterat, ut omnes salvos faceret. Nonne hoc est nosmet nimio in pretio habere, & salutem nostram plus æquo æstimare? Videte ergo, quo usque ille nos amavit, quanti fecit, & quam caro pretio comparare sibi voluit glorioſum titulum Salvatoris hominum. *P. Andreas Castillon in Adventu sermone de Circumcisione.*

Cum Filius Dei honori sibi vertat esse Salvatorem nostrum, nostram salutem negligere est illum dedecorare.

Tenemur ipsi colere, amare, & invocare sæpe præclarum hoc Nomen in vita, & in morte; sed potissimum illud nobis efficax efficere per curam salutis nostræ a nobis suscipiendam potius, quam omnium mundi hujus negotiorum; proprie enim Dei Filius, quatenus Salvator, honorem petit a nobis, eique adjiciamus extremum illud decus quod non habet. Ille nondum perfecte nobis est JESUS; neque sine nobis esse potest; honorem hunc petit a nobis, & obtinebit, si salvabimur. Cura igitur, quam aggrediemur salutis nostræ, maximus est honor, quem illi deferre possimus; & e contra salutis nostræ contemptus est contemptus qualitatis Salvatoris, qua gaudet; & maximum dedecus, quo a nobis affici possit. Tandem enim si illius honor est nos salvare, illius quoddam dedecus est nos perdere. Honori sibi vertit nos salvos facere; hunc ergo amittit honorem nos perdens. Salus nostra negotium est, quo nihil illi antiquius; gloriam quærit non ex eo solum quod nos eduxerit ex nihilo, sed etiam ex eo quod nos ab æterno subtraxerit supplicio, quod meriti sumus. Itaque nos illi dupliciter tenemur, & illi cedet voluptas, & honor. Hæc ille a nobis recepturum spopondit; si post hæc defuerimus illi, nonne in ejus probrum, & dedecus cedet, Deum tot, tantaque præstitisse, suam pro nobis exhausisse sapientiam, atque omnipotentiam, & id frustra? Hæc omnia gloriosa consilia in nihilum cedere propter pravam voluntatem nostram; hosce Dei labores nobis inutiles esse, omnia illius verba, & præcepta in irritum abire, tomumque illius sanguinem nihil prodesse; Dæmonem gloriari quod sine labore nos ille possideat cum damno Dei, qui tot, tantaque passus est, ut nos possideret? Heu! quæ confusio, si ita loqui fas est, huic Salvatori! quid non ille exprobraturus nobis est aliquando, cum nobis prodeundum erit, & audiendum, cur ille debebit nos perdere postquam se laboribus, & ærumnis nos salvos facere fuerit adnisus. Ita sane; puto infernum, omnesque illius ignes magis fene; puto infernum, omnesque illius ignes magis serendos reprobis fore, quam adspectum JESU, & acres ejusdem exprobrationes. *Idem.*

Contra inanem confidentiam quæ haberi potest in Salvatoris qualitate a salutem suam negligentibus.

Quamcumque habere debeamus confidentiam in bonitate, & misericordia Dei, tamen semper reminiscimur debemus, qualitatem hanc quæ nonnisi gratiam, misericordiam, salutemque nobis promittit, non debere tamen in animis nostris inanem fovere spem; inde enim coram Deo erimus nocentiores, quod non defuerit quidem nobis Salvator, sed salvati non fuerimus; quod illi hunc dolorem tribuerimus, ut cum ipse noster esset Salvator, & nos salvare cuperet, illum coegerimus nos damnare, ut S. inquit Augustinus: *Salvatorem suum fecerunt damnatorem*. Nihil tam nos jubet saluti nostræ cooperari, quam Salvator, qui salutem nobis pollicetur, eamque vult nobis largiri; & mirum est, quod cum de terrenis agitur negotiis, non ita a Dei providentia pendemus, & cum agitur de salute, omnino in eo requiescimus. Nihilominus nullum est negotium, in quo magis opera nostra requiratur; quia nullum est, quod æque pendeat a nobis. Quasi Dei Filius noluisset uni sibi deferri nostræ salutis honorem, voluit nos in partem ejus accedere, & quamvis hæc Salvatoris qualitas illi tanti steterisset, eam tamen subjicere libertati nostræ futurus eorum dumtaxat Salvator, qui vellent salvari; ita ut in nobis situm sit illum perfecte, & efficienter Salvatorem efficere, & integrum tribuere complementum huic Salvatoris qualitati, quam sibi maximum in honorem cedere existimat. *Idem.*

Nomen JESU fons est gloriæ Filio Dei, & bonorum nobis.

Nomen JESU reparat satis humiliationes, obedientiam, passiones Filii Dei; quoniam hoc Nomen exprimit, & repræsentat omnem magnitudinem, omnesque perfectiones hujus hominis-Dei. Nam si Salvator est, quemadmodum Nomen JESU significat, vere Deus est, cum unus Deus esse possit Salvator hominum eo, quo intelligimus modo, & si Deus est, bonus est, misericors, sapiens, sanctus, omnipotens; & eum hæc omnia esse oportet, ut sit Salvator. Nomen hoc omnes virtutes complectitur; si enim est exemplum nostrum opus est, illum humilem esse, patientem, mitem, obedientem, caritate refertum. Si Noster Salvator est, omnes habere debet magnitudinis,

dinis, & bonitatis rationes nobiscum. Ergo Rex noster est, mediator, advocatus, medicus, dux, Frater, Pater, Pastor. Si JESUS, & Salvator est, nobis est fons bonorum omnium, quæ procurat nobis liberans nos ab omnibus malis *JESUS meus, & omnia*! Exclamabat insignis quidam Sanctus. Quæ illi gloria, quæ dignitas! Quæ vero nobis felicitas, & consolatio! *P. Nepveu in Christianis animadversionibus pro singulis anni diebus in Mysterium Circumcisionis.*

Cum Dei Filius Salvatoris Nomen meritus non fuerit nisi per corporis circumcisionem, nos non nisi per cordis circumcisionem salvari possumus.

Si Verbum Incarnatum credidit se Nomen JESU mereri non posse nisi patiendo, sese humiliando, ac subjiciendo; possumus ne in partem accedere virtutis Nominis ejusdem, & ad salutis nostræ bonum contendere, cum simus peccatores, nisi per cordis circumcisionem, videlicet humiliando spiritum nostrum, subigendo nostras cupiditates, & cor nostrum affligendo? Peccator per peccatum subjecit se omnibus creaturis: Peccati centrum vel nihilum est, vel infernus, ibi esse debet peccator; potestne igitur sese nimis demittere? potest se nimis humiliare? Peccator, ut salvetur, debet subigere affectus suos, crucem figere libidini suæ; potestne melius reparare fallacem, ac miseram libertatem, per quam Domini jugum excussit? Peccator, ut salvetur, agere debet pœnitentiam: & potestne ille agere pœnitentiam, quin affligat cor suum, quin conterat illud acri dolore? Deberet ille suum effundere sanguinem ad eluenda peccata sua, illa saltem suis lacrymis detergat. Quinam labores ad salutem suam procurandam; sed quæ felicitas illam procuravisse! Heu! quam large hæc felicitas omnes hujusmodi labores sarcit. *Idem.*

Elogia, & Nominis JESU præstantia.

Deus unus puero nuperrime nato Salvatoris Nomen dare poterat; non solum, quia ad id superior requirebatur auctoritas Angelica, & humana; sed quia Deus unus poterat perfecte comprehendere omnem sensum, & omnem hujus Nominis extensionem; Nominis Divini, & nonnisi cum reverentia appellandi, & per peculiarem Spiritus Sancti motum proferendi:

1. ad Cor. c. 12. *Nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto.* Nominis venerabilis, ad quod omne flectitur genu, & quod omnem humiliat magnitudinem: *In Nomine JESU, omne genu flectatur*: Nominis sacri, quod reformidat infernus, ac potens est ad dæmones fugandos: *In Nomine meo dæmonia ejicient*: Nominis pleni virtute, in quo maxima quæque, & maxime authentica patrata sunt miracula: *In Nomine JESU-CHRISTI surge & ambula*: Nominis salutaris, ex quo omnia novæ legis Sacramenta omnem hauriunt efficientiam: *His auditis baptizabantur in Nomine Domini JESU*: Nominis omnipotentis, apud Deum, cujus infinita merita Patrem Cælestem ad hominum preces exaudiendas impellunt: *Quodcumque petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis*: Nominis glorioši, quod Apostolorum zelus tulit ad Gentes, & Reges terræ: *Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram gentibus*: Nominis, per cujus confessionem Sancti gloriæ sibi verterunt pati gravissimas contumelias, & exscentis objici opprobriis: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine JESU contumeliam pati*: Denique Nominis incomparabilis, & unici; *Nec enim aliud Nomen est, in quo nos oporteat salvos fieri*. Tale est Nomen, quod hodierna die recipit Filius Dei: *Vocatumque est Nomen ejus JESUS*. *Pater Bourdalove in Mysteriis Tomo primo.*

ad Philipp. c. 2. Marc. c. 16. Actor. c. 3. Actor. 19. Joann. c. 14. Actor. 5. Actor. 4.

Jure Nomen JESU impositum fuit Filio Dei; neque frustra illud gerit. Serm. 1. de Circumcisione.

Jure optimo Salvatoris Nomen inditum fuit homini-Deo. Salvatorem hunc nequaquam ut alios considerare debemus, Sanctus Bernardus ait, etenim JESUS non est similis antiquis illis Salvatoribus populi Dei, nec frustra hoc nomine appellatur. *Neque enim meus iste JESUS Nomen vacuum, & inane portat: Non est in eo magni Nominis umbra, sed veritas.* Cum Reges in terra nascuntur, illos appellamus Reges, Monarchas, Principes; sed hi tituli significant id, quod futuri sunt, non quod sunt. Tantum abest, ut pares sint regendo populos, nondum illos cognoscere possunt, & in tenella ætate hac, sine ulla rerum experientia, eorum infirmitas illos redigit huc, ut se a subditis suis regi permittant, antequam ipsi illos regere valeant. Sed JESUS CHRISTUS tunc incipit assumere Salvatoris qualitatem, cum incipit eamdem exercere, & ex illa die de eo dici potest, quod Scriptura dixit de strenuo Eleazaro; *Dedit se, ut liberaret populum suum, & acquireret sibi Nomen æternum*: Adhuc rubens ab utero tradit se pro salute suorum, & ut acquireret Nomen immortale, quod est Nomen JESU. *Idem.*

1. Machab. c. 6.

Filius Dei gloriam suam constituit in salvanda anima nostra.

Hic homo Deus non possedit Nomen JESU, nisi titulo acquisitionis. Illud meritus est salvos faciens peccatores, & incœpit servare illos volens effundere sanguinem suum, & circumcisionis legem subire. Sed nunquid Deus meus tantane gloriæ tibi accessio fiebat, abjectos captivos redimenti? in tantam tibi laudem cessura erat hæc tua pro illis humiliatio; & homines expiandi erant sanguine adeo pretioso qualis tuus est? Ita est, auditor mi, en quanti valebat anima tua, & quanti erat secundum Dei tui judicium. Tanti fecit illam, & pro illa sanguinem effundens suum, nimis se dare non credidit; amor enim ejus quantumlibet liberalis sit, non ideo tamen est prodigus. Semper a Sapientia sua edoctus conformat media fini, & quandoquidem Deus tantum pro nostra sustinet salute, opus est, ut salus nostra sit justum pretium Passionum Dei. Itane illam vosipsi æstimatis? Ita ne judicatis? Videte, S. Augustinus ajebat, videte quid anima vestra, vel potius salus animæ vestræ steterit Deo Salvatori, qui ejusdem victima factus est, & ex sanguine, quem fudit, intelligite, quid se emere cogitaverit. *Vide quanto emit, & videbis quid emit.* Sed si illam facitis, non dico, quanti fieri meretur, sed saltem quanti illam facere potestis, & debetis, cur illius obliviscimini? cur illam periculo objicitis? cur adeo facile illi nuntium mittitis? Ipse sibi gloriæ vertit, & officium suum putat salvare nos; nos autem salutem nostram periculosæ subjicimus aleæ. Ergo magis intererat sua nos salvare; quam interesset nostra salvari? Si ille Salvator est, nunquid sibi est? Sin nos salvi sumus, nonne nobismetipsis salvi sumus? Si Salvator non esset, nunquid minus esset beatus, nunquid minus esset Deus? Nisi salvamur, quid esse possumus? Quod anathema in caput nostrum prolapsurum est? Tamen illi, ut Salvator fiat nihil operosum, nihil arduum videtur; ut salvemur ipsi, omnia nobis fiunt impossibilia. *Idem.*

Nomen JESU significat Verbum carnem factum esse mundi totius Salvatorem.

JESUS Salvatorem significat, & sicuti Pater Æternus Filio suo dare non potuit Nomen falsum, vel imperfectum cum tribuit tibi, Domine, Nomen JESU, tribuit etiam facultatem salvandi, non quidem unicum tantum populum, non homines tantum sæculi unius, sed omnes populos terræ, sed omnes omnium sæculorum homines. Neque tantum confert tibi potestatem salvandi illos a malis corporis, sed a malis spiritualibus, neque id ad tempus, sed in omnia tempora, sed in omnem æternitatem. Nomen hoc gerere vis in omne vitæ tuæ spatium; in morte ipsa hoc inscribi, & configi vis super caput tuum, & in calo etiam gloriæ tibi vertes hoc Sancto Nomine appellari. Verum si tibi gloria est esse Salvatorem meum, quænam mihi gloria erit te hoc *tibi gloriæ vertere*? si ita beatus fuero, ut salver a te, quæ mihi consolatio erit, cogitare, me a te salvatum fuisse? Si ita infelix fuero, ut peream, quis dolor erit mihi habuisse Salvatorem, & tantum Salvatorem, atque illum coegisse, ut Nomen hoc amabile, ac salutare in illud converteret judicis, & ultoris! Meum igitur est, absit invidia verbo, hoc Salvatoris Nomen tibi servare; saltem, in me situm est efficere, ne illud mihi feras in vacuum: nam sicuti nunquam salvus ero, nisi velim, & efficaciter velim; si hoc noluero, vel si noluero, uti opus est velle, amittes quodammodo mei habita ratione Salvatoris qualitatem. *P. le Valois, in interioribus colloquiis de Mysteriis Domini nostri.*

Elogia, quæ in Nomine JESU continentur.

Cum dico puero impositum fuisse Nomen JESU, in uno hoc nomine complector quidquid majus, quidquid præstantius, quidquid divinius in mundo est. Profero Nomen, quod Pater Æternus tribuit Filio suo recens nato propter salutem hominum: Nomen, quod Angelus de Cælo tulit in terram, & a MARIA fuit impositum; Nomen, quod est spes hominum, dæmonum terror, afflictorum consolatio, robur infirmorum, miserorum subsidium. Nomen, per quod peccatores reconciliantur, justi in via justitiæ confirmantur, pusillanimes roborantur, cæci illuminantur, rudes erudiuntur, Adæ posteritas per culpam perdita in primis juribus suis instauratur; Nomen, per quod unum salvi sumus faciendi. *Non est aliud Nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Actor. 4.

Nomen, S. Paulus ait, *quod est super omne Nomen*, ut eo audito *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, inquit idem Apostolus, & omnis lingua confiteatur, quod qui eodem appellatur Deus est, & est in gloria Dei Patris. *Sermo Manuscriptus.* ad Philipp. 2.

Libenter sufferet dolorem, & humiliationem circumcisionis ad promerendam gloriam Salvatoris.

Ita est, unice quia hic homo-Deus est JESUS, caro ejus abscinditur, gravissimus dolor vulneris illi infertur, ille sese humilianti circumcisionis legi submittit, ac exterius peccatoris characterem assumit, Hoc Salvatoris Nomen illum occupat, atque allicit ita, ut patet ad illud promerendum nihil unquam satis vel fieri posse vel sustineri; nullam esse gloriam, quæ sacrificari non debeat; nullam esse vitam, quæ non debeat impendi; nullas humiliationes, vel passiones, quæ subeundæ non sint; nihil tandem inausum, ac intentatum relinquendum, ut illud obtineatur. *Idem.*

Exprobrat Dei Filius . . . , qui diffidunt de eo qui propter illos Nomen Salvatoris suscepit.

Christiani infideles, nobis ait JESUS CHRISTUS, qui ut mihi Salvatoris titulum eripiatis, diffiditis de mea erga vos caritate, nunquam ne mihi vos æquos judices præbebitis? nunquamne credetis, mihi nihil optatius esse, quam esse JESUM vestrum? Nunquid satis nondum egi, ut hoc vobis probarem? Sanguis ex venis fluens, confusio, qua suffundor in hoc Circumcisionis Mysterio, vulnus, quod tantum mihi adfert dolorem; gloria mea, cui labes offunditur,

nonne satis ostendunt me ad extrema hæc decessisse, ut vos salvos facerem? Heu! populo ingrate, oportet ne, ut tua de nominis mei virtute diffidentia, & metus, ne illius meritum vobis applicetur, omnia mea subvertat consilia, quæ cœpi, ut vobis illud utile efficerem! & postquam tanti mihi stetit illud assequi, me invito in perniciem ruatis? Pater meus inde glorificatus est, hoc mihi ad tormenta mea delinienda satis est; sed propter usum, quem illius homines faciunt, toto cælo meis consiliis oppositum, nonne mihi æquissima suppetit pœnitentiæ caussa, quod tot pertulerim adeo molesta, & dura, ut essem Salvator eorum.

Nomen JESU significat Filium Dei esse generatim Salvatorem hominum.

Dei Filius sumere, ac gestare voluit Nomen JESU, ut omnes intelligerent illum esse voluisse Mundi totius Salvatorem; neque sine impietatis nota dicere possumus unum esse, quem salvum facere nolit. Veritas e regione opposita blasphemiæ hæreticorum, qui impias ob caussas cum nequeant pati JESUM CHRISTUM haberi omnium hominum Salvatorem, homines in hanc fidem impellere studuerunt, meritum nominis ipsius non ita late proferendum esse, sed applicandum solis prædestinatis; Dei Filium Sanctum hoc Nomen assumentem eorum duntaxat rationem habuisse, ceteros vero nequaquam meritorum Nominis hujus participes fore. Impium dogma! Quod scandalum non peperisset inter fideles, si Scriptura, Ecclesia in Consiliis congregata, Patres, qui illius sunt organa, funestos exitus non cohibuissent, nisi jaculati fuissent anathema contra doctrinam hanc pernicioſissimam, antequam per tempus grassari, ac late diffundi potuisset? *Incertis, utrum essemus ex electorum numero, quos salvos facere vellet, quid nobis supereſſet consilium præter desperationem?* Temperare nunquid possemus, quominus sexcentas evomeremus blasphemias contra Deum, qui nobis vitam tribuens, id unum cogitasset, ut videlicet sua emicaret justitia, nos æternum miseros efficiendo; qui nos in prærupta videns abysso, unde emergendi facultas deesset, noluisset ad nos eruendos manum tendere; qui cum sanguine suo plures posset mundos salvos facere, ita durus fuisset, ut pro me illum nollet effundere; qui nobis ea præcepisset, quæ a nobis fieri non possent; & qui nos æternis ignibus adjudicaret, eo quod ea non fecissemus, quæ nostras superant vires; qui tyrannis sævissimis sævior nostris oblectaretur suppliciis, a quibus cum potuisset nos liberare, per pravam in nos voluntatem, noluisset. *Si principium adeo execrabile semel locum inveniſſet, quis nostrum gratias haberet JESU CHRISTO*, eo quod tanta pertulisset mala, & in vita, & in morte? Quis nostrum posset in illo confidere, quis illum amare, & tamquam Salvatorem habere? *Idem.*

Omnia facit & pertulit Dei Filius, ut esset Salvator; & quia Salvator est, & JESUS.

S. Bernardus, qui optime norat, quid significaret Nomen JESU, gaudebat ex Dei Filio scisciteri, discurrens per molestos, ac doloribus plenos status, per quos in vitæ suæ mortalis cursu transierat; scisciteri, inquam, quamobrem tot mala fuisset perpessus; neque aliud sibi responsum dabat, nisi quia voluit esse JESUS; hoc est Salvator; at hoc pacto in ejus nomine detegit humiliationum, & passionum ejus principium; *Cur natus?* Cur, magnus *iste* Sanctus in amabili cordis sui exultatione inquit, cur Domine relinquens solium gloriæ tuæ nasci voluisti in stabulo, & extrema pauperie? Ah! non aliam inquiramus caussam nisi quod voluit esse JESUS. Cur voluisti peccatorum more circumcidi? *Quia JESUS*; ut mereretur jure appellari Nomine JESU. Cur postquam duxisti vitam adeo pauperem, austeram, humiliatam, gravi cruce oneratus fuisti? Cur illi in Calvario suffixus fuisti? Cur sanguinem tuum ibi effudisti, & vitam tuam sacrificasti? Quia Salvator est, & quia vult JESUS vocari, in quo nomine totam constituit gloriam suam. *Quia JESUS. Sermo M. S.*

Nomen JESU Nomen est misericordiæ, & salutis.

Qui locuti sunt de Nominibus præstantibus viris tribuendis, animadvertunt, illa inniti debere insigni actioni cuipiam, vel eximiæ qualitati, quæ in illis in eminenti gradu refulget. Quænam autem, sententia vestra hæc est nobilis qualitas in JESU CHRISTO primo, & omnium hominum maximo? Cum habitans in stabulo, & cubans in palea, tolerat in præsepio eruentam Circumcisionis operationem; nonne in eo elucet misericordia? quandoquidem nihil est in illo, quod non prædicet illam? Quid aliud sibi volunt ejus suspiria, & lacrymæ, illius humiliationes, paupertas, passiones, præsertim vero Nomen JESU, quod recipit, ac retinet usque ad mortem? Nonne hæc omnia clamant Misericordiam propter homines; & Deus, quamvis irritatus adversus illos, potest ne aures claudere voci Sanguinis JESU pro illis gratiam deprecantis? Præclarum hoc Nomen cujus adeo excellenter omnem sustinet gloriam, quia nihil illi deest eorum, quæ significat, non retinet brachium justitiæ Omnipotentis, non convertit illius severitatem in bonitatem, atque misericordiam? Cur hic Homo-Deus assumens augustum Nomen JESU non fungitur officiis omnibus glorioso huic Nomini inhærentibus? Cur non redimit nos per Sanguinem, quem effudit? Non sanctificat nos per gratias, quas meritus est illum effundens? & per Sanguinis hujus virtutem non tribuit nobis jus ad gloriam, quam nostra nobis peccata eripuerant? Quos effectus, simulque quam majorem habere possumus cautionem Misericordiæ Dei, quam Nomen, & qualitatem Salvatoris, quam assumere voluit? *Idem.*

Idem sequitur argumentum.

Quamvis terribilem ipsi concipiamus ideam Divinæ Justitiæ, quid nobis ab illa timendum est si ad nos confirmandos uti noverimus iis bonis, quæ in adorabili JESU Nomine invenimus? Numerus, & gravitas scelerum nostrorum nos terret; Justitia judicis adeo formidabilis, qualis Deus est, efficit, ut totis artubus contremiscamus; terror judiciorum ejus nos prosternit, & animum concutit? Adspectus præmaturæ infelicitatis imminentis ciet in nobis tristem desperationem? Volumusne has sedare procellas, quas in nobis excitat metus? meminerimus Nominis JESU, cogitemus hoc Nomen esse Misericordiæ, & Deum olim adeo terribilem jam iras posuisse placatum sanguine, quem Filius suus pro nostra effudit reconciliatione: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Multæ, ac magnæ nobis sunt metuendi te causſæ, cum immersis in nostrorum peccatorum abysso nobis desperandum esset de illinc emergendo; nobis justa suppetit ratio metuendi fulmina, quæ æquissima indignatio tua suspensa tenebat super caput nostrum; sed ex quo Filius tuus se præbuit Salvatorem nostrum, & accepit Nomen JESU, audacter dico, Domine, iram tuam non reformido; severa justitia quam exerces in Filium tuum certam facit meam requiem, & te cogit, ut nostri miserearis. Nomen ipsum, quod illi imposuisti, revocabit in te memoriam obligationis, qua teneris parcere mihi, tamquam signum fœderis, quod ille tecum percussit. *Idem.*

1. Joann. 2.

Dei Filius ut augustum hoc Nomen sibi compararet, impendit sanguinem suum, vitam, gloriamque suam. Hoc ille pretium persolvit, sed quid inde se consecuturum speravit? Num aliud quidpiam cogitavit, quam nos salvos facere? potestne ille obire Salvatoris officia, nisi nos in spem adduxerit futurum ut Pater suus nostri misereatur? Nonne adorabile hoc Nomen universale medium est, quod nobis reliquit ad obtinendas gratias, quæcumque nobis erunt ad salutem consequendam necessariæ? Ejus vero meritum, ac virtus nonne satis ampla sunt, ut spem eandem *omnibus hominibus* tribuant? *Copiosa apud eum redemptio.* Ratio admirabilis, qua redemit nos, est copiosa; & quia Salvator est mundi totius, & neminem excipit, qui velit accedere in partem virtutis Sanguinis sui; & quia Nomen ejus nobis bonum est, quod quodcumque faciamus, a nobis exhauriri non potest. Fundus est, quem alienare non possumus eodem præter propter pacto, quo pueri quantumvis in insanos erogent sumptus in pupillari statu patrimonium, hoc tamen semper manet illis. Ita est. Salvatoris hujus merita nobis erunt bonum, quod est inalienabile, quod ad nos pertinet, & quod obligurire non possumus. *Idem.*

Dei Filius Salvatoris Nomen assumens, & sibi comparans illud pretio sanguinis sui, nil aliud voluit, quam nobis dare universale medium salutis, & fontem inexaustum ejusdem.

Psalm. 129.

Non ita, Domine Deus meus, non assumeres Nomen JESU tanto cum dolore, & cum tui Sanguinis effusione si aures tuas obstrueres voci miseriæ meæ; si voluisses, etiam antequam nascereris, Angelum nuntiare te JESUM vocatum iri, quia peccata eras condonaturus, ecce peccatorem ad pedes tuos provolutum, Salvator hominum! Si die octava ab ortu passus es, ut diutius pati posses, & si jam assumpsisti Nomen JESU ut citius salutem nostram operareris: incipe a me, amabilis JESU! Nihil a te petere volo; tu nosti necessitatem animæ meæ; fac quodcumque tibi placuerit: Sanctum Nomen tuum sufficit mihi; cum illo ibo quocumque volueris; scribam illud in oculis meis, in omnibus membris meis, & in corde meo, per illud terribilis ero dæmoniis, Celo cognitus, & tu quoque ex hac me nota cognosces. Tu non esses Salvator meus, nisi peccator essem; ego vero peccator esse non possum, quin mihi Salvator existas. Etenim quid significat JESUS, nisi Salvator? Tu es JESUS, quia Salvator es, & meus es Salvator, quia peccator sum ego. *Liber, qui inscribitur Passiones J. C.*

Sensus pietatis erga Nomen JESU, & oratio ad Salvatorem, qui hoc nomine nuncupatur.

Ad remunerandas profundas Incarnati Verbi humiliationes, Pater Æternus tribuit illi Nomen, quod est super omne Nomen; Nomen magnitudinis, gloriæ, fortitudinis, ac potentiæ. Audito hoc Nomine omne flectitur genu Cælestium, terrestrium, & infernorum. Nomen hoc dæmones fugat, nosque invictos reddit in certaminibus Religionis; hoc Nomine Mundi Salvator usus est ad prosternendos hostes, carnem, mundum, & dæmonem. Nomen hoc illud est, quo auspice tot victorias, atque triumphos reportarunt Apostoli; Nomen hoc effecit, ut Martyres de carnificum sævitia tot palmas referrent; Nomen hoc imbecilles fragilesque Virgines coram Tyrannis imperterritas & media in corruptione reddidit incorruptibiles; Nomen hoc sese in omnem terram effudit ad illuminandos populos, qui demersi erant in tenebris; & mo

Sancti Nominis hujus elogia; quam firmitatem, & constantiam Sanctis inspiraverit.

deſer-

deserta loca eremitis, ac pœnitentibus frequentavit. Omnes specioſi tituli, quibus decorati fuerunt Reges, ac domitores terræ, non æquant præclarum hoc Nomen JESU; quia nihil tantum eſt, quam eſſe mundi Salvatorem, & Redemptorem hominum. Divinum hoc Nomen cum fide, & Religione prolatum ſecum fert omnem divinitatis virtutem, & unctionem gratiæ. *Ex ſpecimine ſermonum pro Adventu, ſermone ultimo.*

Nomen JESU hodie effuſum eſt in omnes terrarum plagas.

Quiſnam locus in univerſa terra inveniri poteſt, quo nondum JESU CHRISTI Nomen pervaſerit? Quocumque oculos conjicias ſive ad Ortum ſive ad Occaſum, ad Boream vel ad Meridiem, omnia reperies adorabilis hujus Nominis Majeſtate repleta. *A ſolis ortu, uſque ad occaſum laudabile Nomen Domini.* Suaviſſimi hujus thymiamatis odor ſeſe in omnem terram effudit; ubique Nomen Domini celebratur; gloria ejus ab uno ad alterum Cæli polum extenditur; & tandem hoc Nomen JESU apud gentes omnes, & in omnibus terrarum regionibus reſonat, ita ut jure ſuo illud oleum effuſum appellet, quoniam virtutem ſuam non in Cælum, terramque dumtaxat extendat, ſed etiam ad inferos, ex omnibus creatis cultum, & obſequium repoſcens. *In Nomine JESU omne genu flectatur*, &c. *P. Novet in vita JESU CHRISTI in ſtabulo Bethleem.*

Pſalm. 112.

Nomen hoc omni tempore omnibuſque in locis colendum.

Tempus, vel locus nihil officit cultui, qui debetur illi. Donec JESUS erit in Cælo, ac Beati perfruentur felicitate, quam ille his comparavit, gerent Nomen ejus ſcriptum in frontibus ſuis, & quemadmodum cum illorum felicitas erit ſine tædio, illorum laudes, benedictiones, obſequia erunt ſine fine. Illius igitur duratio non minor eſt ipſius extenſione, & ſicuti ejus immenſitas non habet limites, nullis cancellis æternitas ejus continebitur. Quamobrem dicere poſſumus, Nomen hoc novum eſſe, neminem ante illum hoc nuncupatum fuiſſe, neque poſt illum eodem iri nuncupatum; neminem, inquam, ante illum nuncupatum fuiſſe, (quod intelligendum ſemper eſt eo in ſenſu, quem explicuimus) quia illi inditum fuit ab æterno; neminem poſt illum nuncupatum iri; cum enim tempus ſit veluti baſis omnium titulorum, omniumque mortalium honorum, duo tantum nomina Æternitas ſervatura eſt, videlicet Nomen JESU, hoc eſt Salvatoris, & Nomen Salvati. Adnitiminor, ut ex hoc numero ſitis, & toto vitæ veſtræ ſpatio horum duorum Nominum prius in honore habetote, ſi tamdem poſterius aſſequi optatis. Inſculpite alte in corde veſtro Nomen JESU, *ut ſæpe illud habeatis in ore*; verum nunquam illud proferte niſi cum reverentia, quia ſemper, & ubique æque eſt adorabile. *Idem.*

Malum eorum qui polluunt Sanctum hoc Nomen, & quomodo polluant illud. Pſalm. 110.

Quin utamur Sancto hoc Nomine ad promerendos effectus miſericordiæ, illius quodammodo naturam immutamus, & Nomen bonitatis, & miſericordiæ convertimus in Nomen metus, atque terroris. *Terribile Nomen ejus.* Hoc certiſſime accidit, cum illius Sanctitatem polluimus; cum quod nobis eſſe debet Nomen Dei Salvatoris, ipſi nolumus ſalvari; cum patimur, Nomen, quo Pater Æternus remuneratus eſt Filium ſuum propter ſanguinem effuſum ab illo, nequitia noſtra irritum fieri. Ipſi mihi hujus ſanguinis rationem eſtis reddituri; ad examen vocabo, quem perceperitis fructum, ex mea Salvatoris qualitate; ſuccendam zelum meum propter gloriam nominis mei; & juſte irritatus ulciſcar nominis hujus profanationes: *Aſſumam zelum pro nomine Sancto meo.* Hoc ſecundum conſilia mea eſſe debebat ſalutis veſtræ cauſſa; per contemptum veſtrum cauſſa fiet veſtræ damnationis; miſericordia, cujus certiſſimum erat pignus, in juſtitiam mutabitur, & vos peribitis per id, per quod eratis ſalvandi. Heu! quid illi reſpondebimus, cum die illa, quam ſuis ultionibus deſtinavit, oſtendet nobis, nos Salvatorem habentes ſalvatos non fuiſſe, & cum eſſet ille Salvator noſter, & nos ſalvos facere vellet, nos per ſcelera noſtra illum coegiſſe, ut noſter judex fieret, & condemnaret. Quid dicemus, cum oculis noſtris objiciet, quæ pro nobis operatus eſt; Sanguinem in Circumciſione ſua effuſum, gloriam inquinatam, vitam ſacrificatam, & hæc omnia per noſtram licentiam in irritum ceſſiſſe? Deinque quid illi reſpondebimus exprobranti coram Cælo, ac terra, nos illi præripuiſſe gloriam Salvatoris, quantum ad nos attinet; quemadmodum ille eſt vi Nominis ſui Salvator. *Sermo Manuſcriptus.*

Ezech. 37.

Oratio ad Salvatorem, ne ſimus ex eorum numero, qui polluunt Sanctum Nomen ejus.

Abſit, Domine, nos eſſe ex eorum numero, qui polluunt Sanctum Nomen tuum. Tantum hoc a nobis malum averte per gratiam tuam; neque permittas, ut per nequitiam noſtram fruſtra erga nos Salvator nuncuperis. Eſto nobis JESUS, & fac, ut hoc experiamur effectu. Imprime hoc Nomen in corde noſtro, ut liqueat nos tuos eſſe, in lingua noſtra tamquam frænum, ne unquam obloquatur; in manibus noſtris, ut bonorum operum fertiles ſint; in oculis noſtris, ut illos claudamus perniciosis objectis, quæ noſtram nobis eripere poſſent innocentiam. Da nobis hodie ſacrum Nomen JESU tamquam pretioſum amoris tui, & miſericordiæ illius pignus, quam a te expectare debemus; da illud nobis, ut hoc in infirmitatibus roboremur, ut nobis in neceſſitatibus opituletur; ut auxilietur in periculis, ut conſoletur in anguſtiis, ut per illud de ſalutis noſtræ inimicis victoriam referamus, & omnibus inferni poteſtatibus reſiſtamus. Per Nomen JESU *vivere incipimus* gratiæ, per hoc naturæ morſamur; Vim nobis tribue illud ſæpius proferendi in vita, ut ſancte proferamus illud in morte. *Idem.*

Dei Filius in circumciſione JESUS vocatur, & quare.

Quod ſpectaculum, fideles, Legislator ſubditus Legi! Juſtus confuſus cum peccatoribus! Sanctus Sanctorum peccati ſpecie tectus! Æternus paſſibilis, & mortalis effectus! Deus-homo ſub cultro Circumciſionis! Hoc Myſterium omnibus temporibus fuit ſcandali occaſio, & in hominum carnalium oculis viſum eſt ſtultitia. Ne ſcandalizemini, Auditores Chriſtiani, & in hac, quæ ſtultitia videtur, altiſſimam recognoſcite Sapientiam; & quin immoremini in cortice *hujus* cæremoniæ, quæ cum eſſet ſignum juſtificationis peccatorum, non poterat obligare illum, qui per eſſentiam ipſa ſanctitas eſt, gradum facite ad ſpiritum hujus cæremoniæ, & conemur aſſequi cauſſas, quæ hodierna die adducunt in Templum Dei Filium legem circumciſionis ſubiturum. Has univerſas complecti videtur Evangeliſta in Nomine JESU, quod hodierna die recipit Chriſtus. *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS.* Luc. 2.

Et profecto ante Circumciſionem nondum videbatur Filius Dei profeſſus fuiſſe palam, quid eſſet; incœperat quidem a primo ſuæ Incarnationis articulo Salvatoris munus obire, ſed nondum Salvatorem ſe eſſe palam edixerat. *In ipſa proprie* Circumciſione profeſſus eſt, quod eſt, JESU Nomen recipiens, & Salvatoris qualitatem: *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS.* Ibid.

In hoc proprie Myſterio tribuit hominibus certa argumenta ejus conſilii, quod inierat illum ſalvandi: nam in hoc Myſterio ſollemni pacto hanc ſubit provinciam ultro ſe circumciſioni ſubjiciens, cujus vi ſit *Debitor univerſæ legis faciendæ*, & homines redimendi; ideoque recipit Nomen JESU. *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS. Ex Manuſcripto ſermone.* ad Gal. 5.

Deus læſus eſt, & citra injuſtitiam *permittere* poteſt, ut pereat homo: tamen *hoc ſibi depoſcit* onus pro illo ſatisfaciendi. Hic ſemet in *rebellis* hominis locum conſtituens, *dignatur meritis ipſe ſuis* ſupplere *impotentiæ naturæ nimis infirmæ*. Hic cum quatenus *Judex haberet jus puniendi hominis inobedientiam*, *offert ſe victimam idoneam ad ſubeundam* pœnam, quam *hominis inobedientia merebatur*; quomodo iſtud? Quia Deus ſe conſtituit Salvatorem hominis; & quatenus talis ſe ipſum diſpenſare nequit, quominus in ſe ſuſcipiat debitum peccatorum hominis. Ita magne Deus! omnino juſtitiæ tuæ ſatisfiet, & homo tecum redibit in gratiam. Tu jus tuum vindicabis, & homo illud reparabit, cujus jacturam paſſus eſt per inobedientiam. Victimam habemus, quam rejicere non licet; te quippe digna eſt; Mediatorem habemus, qui a peccato immunis eſt, & ideo par eſt criminibus noſtris expiandis. *In quo non eſt peccatum, ipſe venit auferre peccatum.* Sanctus Pater ait. Hæc victima ſub circumciſionis cultro humiliata incœpit te ad lenitatem vocare. Excipe primitias Sanguinis puri, & innocentis, qui pro nobis fluit, & qui copioſius aliquando effluxurus eſt. Effluxurus, inquam eſt; ſi enim hic Deus-homo vere Salvator eſt, qualitas hæc illum deſtinat morti; quippe hominum redemptio adnexa eſt huic pretio, & ſine hac Sanguinis *effuſione*, *Deus hic* Salvator (*poſitis æternis Dei Patris ſui decretis*) ingens opus amoris ſui conſummare non poteſt. Itaque circumcidi, Salvatoris qualitatem aſſumere, Nomen JESU deferre Filio Dei, idem eſt, ac ſeſe obligare ſollemni conventione ad omnia ſuſcipienda media a divina juſtitia propoſita ad illi ſatisfaciendum, & ſe conſtituere victimam hominis ad illius expianda crimina, eumque ſalvum faciendum. *Idem.* Dei Filius accipiens Nomen JESU obtulit ſe victimam pro ſalute noſtra.

Oblivioni tradamus antiquos Iſrael Salvatores, qui proprie loquendo Salvatores non fuerunt. Nomen quidem geſſere, ſed fuit titulus honoris, quem minime meriti ſunt, niſi ob aliquot temporalia bona, quæ populo procuraverunt, quorum provincia illis credita fuerat. Hoc Nomen JESU CHRISTO Nomen eſt acquiſitionis. Salvator eſt, non eo quod liberaturus eſt populum ſuum ab aliquo perfunctorio malo, vel illi levem aliquam utilitatem procuraturus. Salvator eſt, quia liberaturus eſt populum ſuum a peccatis eorum. *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Hoc igitur Nomen eſt proprium JESU CHRISTI, cujus veteres umbram duntaxat habuerunt. Salvator eſt, quia ad ſalvandum populum ſuum, omnibus ſe ſubjicit oneribus erga Deum, ut illa diſſolvat. Idcirco hanc Salvatoris qualitatem in Circumciſione recipit tantum, quia in Circumciſione tantum palam onerat ſe peccatis populi ſui, & quia tunc incipiens effundere Sanguinem ſuum, illa incipit expiare. *Idem.* Dei Filius longe alia ratione Salvator eſt ab illis, qui ante ipſum hoc nomine vocati ſunt. Matth. 1.

Per hoc Nomen JESU voluit Deus, nos petere ea, quibuſcumque egeremus; neque enim dicit, quidquid peti-

Vis, ac virtus nominis eſt ſubſidium

quod inde expectare debemus in omnibus neceſſitatibus.

petieritis, ſed quidquid petieritis *in Nomine meo*, id aſſequemini: Nomen efficax, & omnipotens, quod orationem efficit omnipotentem! Utique, Domine, quamvis minime dignus ſim, qui exaudiar; dicere audeo, me repulſam a te ferre non poſſe. In Nomine JESU, per Merita JESU te obſecro, & obteſtor: ipſe JESUS orat pro me, ſuamque vocem meæ adjicit. Nomen plenum ſuavitate, quod conſolatur in anguſtiis, quod in teterrimis ſuppliciis ſolatio eſt:

Actor. 5. *Ibant gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro Nomine JESU contumeliam pati.* Nomen terribile inferno, formidabile ſalutis noſtræ inimico, cujus arma dejicit,

Marc. 16. *In Nomine meo dæmonia ejicient.* Nomen, cujus virtute peracta ſunt, & quotidie maxima peraguntur

Actor. 3. miracula: *In Nomine JESU ſurge, & ambula.* Nomen omnipotens, quod robur, & fortitudinem inſpirat. Quod aliud Nomen adigit S. Paulum, alioſque Apoſtolos ad terram luſtrandam, illud ubique nuntiaturos? & cur videmus adhuc ex regno hoc egredi homines vere Apoſtolicos, quos amor patriæ retinere non poteſt, quos labores non deterrent, quibus pericula non incutiunt formidinem, quos barbari mores eſterati populi ab initis conſiliis non amovent? Quid eorum conſtituit fortitudinem? quid illis animos addit; in cujus protectione confidunt? In cujus nomine loquuntur? Ah! Fratres Nomen JESU illis eſt omnia. Hoc cognoſcendum nationibus tradere volunt, ut ab illis adoretur; hoc eorum ſtudium eſt:

Actor. 9. hæc contentio: *Ut portet Nomen meum coram gentibus.* Eccleſia divino ſemper animata ſpiritu credit ne, ullum eſſe Nomen magis efficax ad Deum movendum? Quibus tamdem armis Fidelis moriens munitur ad firmandam fidem, fovendam ſpem, & caritatem perficiendam! Solum Nomen JESU noviſſimis illis momentis eſt robur illius; beatum ſe putat, cum illius reminiſcitur, & voti compos moritur, ſi moriatur proferens ſanctum hoc Nomen, ſub cujus auſpiciis non timet ſemet ſiſtere ante ſui Judicis Tri-

In Oratione Eccleſiæ cum aliquis morti proximus eſt. bunal: *Proficiſcere in Nomine JESU.* Ita in Nomine JESU omnia invenimus ſubſidia, quæ deſiderare poſſumus, ſubſidia pro omnibus neceſſitatibus; ſubſidia contra omnes inimicos, ſubſidia certa, ſubſidia, quæ ſemper præſto ſunt. Qua igitur cum pietate colendum nobis eſt ſanctum hoc Nomen, quod tot nobis bona procurat! quæ nobis in illo habenda eſt confidentia. Quinam amor, quinam grati animi ſenſus erga illum, qui eodem appellatur, & qui nobis illius meritum applicat, atque virtutem? *Idem.*

Omnia opera noſtra ſecundum Apoſtolum facienda ſunt in Nomine JESU. Nulla eſt actio, ut Sanctus Paulus inquit, quæ facienda non ſit per ſancti Nominis hujus invocationem. *Omne quodcumque facitis, in verbo, aut opere, omnia in Nomine Domini JESU facite.* Hic optimus eſt ordo, quem ſequi poſſitis in negotiis veſtris, & omni vitæ veſtræ ratione. Si ad illam beatam efficiendam opus eſt, ut JESUS illius benedicat exordio, progreſſui, ac fini, benedictionem ejus melius promereri non poteſtis, quam invocantes Sanctum hoc Nomen, quod pretium eſt Sanguinis, vitæque ſuæ. Verum eſt ad hoc, ut ſatis digne id faciamus nos ejus ope indigere; ſed nimis zelotypus eſt gloriæ ſuæ, ut nobis negare velit ſua lumina, neque timendum eſt, quominus velit bonis deſideriis noſtris velificari, quia ipſe eadem nobis inſpirat. Illi ergo aperiamus cor noſtrum, ut in eo ſculpat Nomen ſanctum ſuum, & ſi recipere cupimus divinas illuſtrationes ejus, præbeamus nos dignos ſalute, quam pollicetur. Nobiſmet perſuadeamus, maximum honorem, quem præbere poſſumus Filio Dei, quatenus Salvatori, eſſe ſtrenue omnia amplecti media quæ nobis offert ad nos ſalvos faciendos. Beatitudo noſtra adeo implicita eſt cum gloria ipſius, ut noſmet perdere nequeamus, quin illi contumeliam inferamus, & eripiamus ei id, quo nihil habet antiquius, videlicet æternam ſalutem noſtram. *P. Novet, in prima parte Hominis Orationis. Vita JESU CHRISTI in ſtabulo Bethleem.*

Si ſanctum hoc Nomen altius nobis inſculptum eſſet in corde, difficile eſſet, illud ſæpe non eſſe etiam in ore; ideſt, illud a nobis paſſim non pronuntiari; neque pro viribus nos aduiti, ut illud in alienis etiam cordibus imprimeremus. Hoc enim ſuave unguentum eſt, quod ſeſe diffundere quærit; fons eſt aquæ vivæ, quæ nunquam magis perſpicua eſt, ac magis fœcunda, quam cum ſe magis communicat, & plures ad illam hauriendam confluunt; lumen eſt, quod univerſo Mundo enitescere debet. Quanta gratia eſt, aliquid conferre poſſe ad gloriam JESU, & ſancti Nominis ſui venerationem! Heu! ſi conſequi poſſem, ut omnes homines illud colerent, & omnium ora illius magnalia prædicarent! Hoc eſt maximum, & æquiſſimum omnium votorum meorum, ut audito ſancto Nomine JESU *omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria eſt Dei Patris. Idem.*

Zelus habendus pro adorabili Nomine JESU.

ad Philipp. 2.

Vera erga ſacrum JESU Nomen devotio eſt, ſalutem operari noſtram; nam illam operati impleimus maximum Salvatoris noſtri deſiderium, & pro virili parte aliquid conferimus ad id, quod illi glorioſiſſimum eſt, videlicet ſalutem noſtram. Salus noſtra ab illo pendet, & a nobis. In ea aliquid ſui eſt, & aliquid noſtri. Ipſe per ea affluenter contulit, quidquid neceſſe erat, ut nobis media ſuppeditaret ad feliciter perficiendum magnum, maxime neceſſarium, & unicum æternitatis negotium. Omnes morbos noſtros curavit, nobis amuleta, & ſalutaria contra omnigena vitia paravit remedia; nos de ſathanæ captivitate liberavit; omnia debita noſtra perſolvit, omnes ſalutis noſtræ obices abſtulit, nos Patri reconciliavit, & per amoris exceſſum, pro nobis totum ſuum cruorem effudit, ac inter teterrimos cruciatus in cruce expiravit: ſed niſi tot gratiis, ut opus eſt, uſi fuerimus, quantum in nobis eſt, eum omni Nominis ſui gloria privamus. *Idem.*

Nomen JESU vere colitur ab iis, qui ſalutem ſuam operantur, & illud ſibi efficax reddunt.

Adde his præcipuam erga Nomen JESU devotionem eſſe, amare, & procurare pro virili parte ſalutem proximi. Nihil Deo antiquius, quam animæ ſalus. Hoc palam probant vita illius laboribus plena, & mors plena doloribus. Quanti ergo vocationem ſuam facere debent, qui ad ſanctum Divini Verbi miniſterium incumbunt, aliiſque vacant muneribus, quæ ſpectant ad ſalutem animarum, quas ille ſuo Sanguine redemit? Quæ gloriæ, illos in miniſterii ſui ſocietatem vocatos fuiſſe, ipſis concreditum fuiſſe diſpenſationem meritorum, paſſionum, & mortis ejus? Hinc conjicite vos, quos ille vocavit, & ſancto huic, glorioſoque muneri applicuit, lucrandarum animarum, & pro earum ſalute laborandi. Quo illum dedecore afficeretis, ſi frater veſter per negligentiam veſtram periret? Quid porro fieret; ſi quin animabus lucrandis operam daretis, illis ſcandalum afferretis per flagitia veſtra, atque abnormem vitæ veſtræ rationem? Heu! Comparate id, quod eſtis cum eo, quod eſſe deberetis. Vos cum hominibus converſantes totidem eſſe debetis Salvatores; illos ædificantes exemplo, ſanctis collocutionibus erudientes, curis veſtris juvantes, jugibus orationibus ſuſtinentes, ac per zeli, & caritatis ardorem voſmet in eorum ſervitio abſumentes. Audite igitur vocem Sanguinis Salvatoris miſericordiam clamantis, voſque per Nominis ſui virtutem, ſuæque caritatis exceſſum obſecrantis, ut quantum in vobis eſt conemini opem ferre, ut Nomen ejus cumulatiſſime efficax fiat, ſalvantes animas, & efficientes, ut gaudeat fructu Sanguinis ſui, ad quem promerendum illum effudit. *Idem.*

Proximi ſalutem procuraret eſt maximum huic Nomini honorem defera re.

MYSTE-

DE SANCTO NOMINE JESU.

MONITUM.

Monuimus Circumcisionem Filii Dei, & impositionem augusti, atque adorabilis Nominis JESU duo esse Mysteria, quæ ab Ecclesia una, eademque die celebrantur; & quæ in suggestu, ac libris ab aliis simul, ab aliis sensim, & in variis sermonibus pertractantur. Nobis e re visum est seorsim utrumque argumentum pertractare cum propter illius copiam, tum quia pluribus in locis Sanctissimi Nominis JESU festivitas alia die celebratur: quod non prohibebit, quominus de singulis singillatim agendo etiam de altero sermo possit incidere, tamquam necessaria circumstantia, quæ prætermitti non potest: ideoque consulendum erit quidquid de utroque argumento dixerimus.

Ut igitur solide verba faciamus de hoc adorabili Nomine, & omnem effugiamus æquivocationem, curandum est, ut Auditor intelligat, ubi verba fiunt de Nomine JESU, de illius virtute, & potentia, semper fieri habita ratione personæ, quæ hoc nomine appellatur; vel potius nomen illud accipi pro eadem persona, non autem pro litteris, syllabisque nomen ipsum componentibus, vel sono vocis, quo pronuntiatur. Supponendum quippe est, nomen repræsentare illum, de quo sermo est, secundum communem consuetudinem, ac illum præsentem constituere spiritui ita ut, quidquid de illo dicitur, personæ eidem tribuatur.

Argumentum hoc pertractantibus satis esse non debet prolixius verba facere de dignitate, merito, & sanctitate personæ, quæ Sancto hoc Nomine infertur, neque ostentare elogia, quorum nullus est finis: sed immorandum est in fructu inde recipiendo, qualis est respondere consiliis Filii ejusdem Dei, qui Salvatoris nomen accepit; videlicet reddendi nobis hoc nomen efficax, quantum in nobis est cooperando ad salutem nostram per eadem media, per quæ ille præclarum hoc nomen adeptus est, per obedientiam legis, per humilitatem, passiones, & virtutes omnes, quæ eluxerunt in hoc Mysterio, ex quo judicium ferri potest, sermonem de Nomine JESU amplissimum præbere locum morum disciplinæ, quæ solida sit æque, & necessaria.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum Synopsis hujus argumenti.

I. ADORABILE Nomen JESU hodierna die occupare debet omnes cogitationes nostras, & constituere sermonis hujus argumentum. Etenim fieri ne posset, ut vox nobis deficeret, cum omnia creata, licet sensu carentia, illi certatim benedictionum, & laudum concentum tribuunt? Soli ne erimus, qui Magnum hoc nomen non revereamur, & celebremus; cum infernus quoque illius virtutem agnoscat, ac potentiam adoret? Verum ut aliquem ordinem, & aliquos cancellos constituam elogio, quod sum exornaturus, omne argumentum referam ad considerandas tres augusti hujus Nominis qualitates, quæ infinitam illi reverentiam conciliant. Prima desumitur ex nominis ipsius significatione, quæ complectitur, quidquid magnificum, & admirabile est in aliis nominibus. Altera est veritas, quæ innititur merito illud recipientis, ac æquo jure deferentis: etenim, ut S. Bernardus ait: *Non enim nomen vacuum, & inane portat, non est in eo magni nominis umbra, sed veritas.* Tertia est ejus incommutabilitas, quæ illud efficit ita Verbi Incarnati proprium, ut ipsi uni liceat hoc nomine nuncupari, ita ut qui ante ipsum hoc nomine appellati fuerunt, figuram illius exhibuerint, rem autem minime habuerint. Loquor apertius, & ajo ad hoc ut nomen illustre sit, tres requiri conditiones. 1. Opus est, ut nobilis sit ejus significatio, & repleat mentem idea aliqua sublimi; cum enim nomen essentialiter ad objectum suum referatur, inde mutuatur, quidquid gloriæ, & magnitudinis obtinet. 2. Opus est, ut sit vera, cum enim suapte natura rei signum sit, & institutum sit ad eam repræsentandam, nomen esse desineret, si cessaret esse illi conforme, neque amplius hanc obtineret conformitatem, si verum esse cessaret. 3. Opus est, ut sit proprium, & peculiare illi, qui eodem vocatur; cum enim sit nota quædam, ex qua homines invicem distinguuntur, liquet ipsum non posse convenire pluribus, non secus ac propria natura & personales qualitates aliis nequeunt communicari. Sed quamvis nulla creatura concipere, & exprimere queat omnia mirabilia, quæ hoc Nomen JESU complectitur, & ille solus, qui hoc imposuit, Æternus videlicet Pater, norit, & comprehendat infinitas perfectiones illius, qui Verbum suum est, hoc tamen, mea quidem sententia illud est, quod aptissimum est ad nobis adstruendam ideam, & excellentiæ nominis hujus, & gloriæ illud hac die recipientis. Nomen est continens quidquid in aliis maxime nitet, nomen est verum desumptum ex meritis, neque inanis est honoris titulus, ut alia pleraque; Nomen est Incarnati Verbi proprium, quod uni illi jure congruit. Hæc elogii nominis hujus, atque sermonis partitio est. Ratus sum necesse non esse prolixius tres explicare partes, quandoquidem omnes earum rationes, & probationes maxime naturales in subsequentibus paragraphis latius explicitæ occurrent.

Serm. 1. de Circumcisione.

II. Gloriosum hoc Nomen JESU duplicem habet rationem, alteram quidem ad eum, qui eodem nuncupatur, alteram vero ad homines propter amorem quorum ille hoc nomen assumit. Etenim ratione habita Incarnati Verbi, cumulus est, & apex gloriæ ipsius, *& nomen super omne nomen*, quemadmodum illud Sanctus Paulus appellat. Habita vero hominum ratione, in quorum gratiam assumitur, fundamentum est totius spei, *non enim aliud nomen est sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*: Gloria est Salvatoris, quia est expressio naturæ ipsius, officii, meritique, quæ ex S. Bernardi sententia tria sunt, ex quibus nomen est desumendum, ne vacuum sit nomen. Et est spes nostra, quoniam assumit illud fundans sanguinem suum, opus salutis nostræ incohaturus. Hæc duo quæ complectuntur totum Mysterium, totumque diei hujus Evangelium, efficient utramque partem elogii augustissimi hujus Nominis JESU. II. Act. 4.

Pars prior. Præclarum hoc nomen Incarnati Verbi gloriam constituit 1. quia nobilissima est expressio ejus, quod est: Si enim nomen esse debet declaratio naturæ alicujus rei ad exprimendam paucissimis verbis extensionem perfectionum ejusdem, quis dubitare potest, quominus cum inventum fuerit ab Æterno Patre, & de Cælo allatum non exprimat perfectissime id, quod proprium est hujus hominis-Dei? Profecto si homines Salvatore indigebant, hic esse debebat Homo Deus; & si Deus de Cælo descensurus erat, & inter homines conversaturus, hoc fieri oportebat, ut illos salvos faceret: ita ut hoc Nomen factum tamquam propria illius differentia, ab aliis ipsum distinguat. 2. Hoc ipsum nomen desumptum est ab officio, quo fungitur in terra, quale fuit nos salvos faciendi. Non opus est magnis argumentationibus ad hoc probandum, satis est dicere ipsum unum adimpleviſse omnia hujus provinciæ munera: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; ideoque Salvator vocabitur. Quemadmodum ergo calamitas, in quam nos peccatum demerserat, omnia complectitur mala excogitabilia, ita ut Salvator esset, ac perfungeretur omnibus muneribus huic oneri inhærentibus, eos ab omnibus hisce malis liberare debebat; sed quid egit ille, aut quid agere potuit, Dei Filius liberans nos a peccato, quod illorum est causſa? In hoc omnes vitæ suæ labores, omniaque impendit momenta &c. 3. Nomen hoc inde glorioſius fit, ac nobilius, quod desumptum est ex meritis ejus, uti Sanctus Paulus testatur: *Propter quod exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Neque mirum; nam sicuti ad salvandos homines, illi patiendum fuit, & infinite semet exinanire debuit, ad Æterni Patris sui gloriam reparandam, quam peccatum Matth. 1. ad Philipp. 2.

MYSTERIUM EPIPHANIÆ.

MONITUM.

EX Mysteriis omnibus, quæ respiciunt vitam, & actiones Filii Dei, nullum est, quod uberiorem suppeditet dicendi copiam Oratoribus sacris, & plura argumenta de suggestu pertractanda. Magi ab Oriente profecti ad hominem-Deum recens natum adorandum; Stella eos deducens ad Salvatoris præsepe; obsequia, quæ illi præstant; munera, quæ offerunt; difficultates, quæ illorum discessui adversantur; præcautiones, quas in reditu capiunt; cæcitas Judæorum; vocatio Gentilium in eorum locum subrogatorum; audax Magorum consilium in exoticam aulam veniendi, ut doceantur de Regis nativitate diversi ab eo, qui ibi tyrannicum exercebat imperium; Crudelis Herodis versutia consilium barbarum dissimulantis; omnes denique glorioſi hujus Mysterii circumstantiæ totidem Sermonibus locum tribuunt. Quam ob rem ad hæc omnia uberem suppeditabimus copiam, quin tamen quidquam repetamus eorum, quæ semel a nobis in medium allata sunt de Gratia tomo hujus Operis secundo, vel quæ tomo tertio a nobis dicta sunt de fallaci prudentia; qui loci tamen, si fuerit opus, erunt consulendi.

Ceterum nemini negotium facessere oportet, ut uno tantum sermone complectatur, quod pluribus argumentum suggerere potest, sed eligat, quidquid sibi visum fuerit mysterio huic accommodatius, & inde moralem hauriat argumento magis congruentem; neque eorum vestigiis insistat, qui sub moralem Sermonem efficiendi specie Auditori ansam præbent conquerendi, nihil fere delibari de die festo adeo celebri, & apto ad ciendam devotionem, gratique animi sensum erga inæstimabile beneficium vocationis nostræ ad Christianam Religionem, & fidem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopsis.

I. *VIdimus Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Matth.* 2. In hujus diei festivitate veri Dei cognitio, quæ in Judæa sola continebatur, tandem omnibus gentibus revelata est; dissipatæ sunt tenebræ Gentilitatis, & Fidei lux sese in terras omnes cœpit effundere in personas trium Magorum venientium ad præstandum Salvatori honorem, & cultum. Hinc Magno huic Mysterio nomen factum est Epiphania, videlicet Manifestatio Filii Dei, qui videtur nunquam magis ignotus, vel absconditus fuisse, quam cum in terris videri voluit. Hoc igitur Mysterium, quod temporibus omnibus tantopere in Ecclesia celebratum fuit, quippe quod in mentem revocat Gentilium vocationem ad JESU CHRISTI fidem, hodierna quoque die tamquam principium totius nostræ felicitatis habetur. Quod autem in incomparabili hoc beneficio, cujus hodie memoriam recolimus, majori nos lætitia debet afficere, hoc est, quod exemplum est peculiaris manifestationis, quam efficit Deus Christianis omnibus, qui in ignorantiæ ac peccati tenebris sepulti sunt, efficiens, ut illis elucescat stella gratiæ, quæ illos illuminet, & revocet de errore, & mox in viam salutis adducat. Hoc Fideles est argumentum, quod ex plurimorum multitudine, quam hæc festivitas nobis suppeditat, elegi. Hoc profecto vulgatissimum est, verum etiam aptissimum, atque utilissimum huic Mysterio. Neque minus naturalis est ejus partitio, quia ex ipsis Evangelii Verbis desumpta est. *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* 1. Vidimus stellam, & gratiæ lumen recepimus; hæc est vocatio peccatorum, quos Deus arcessit per stellam hanc, & quæ in his omnibus circumstantiis multum rationis habet ad Regum istorum vocationem: *Et venimus adorare eum.* 2. Hæc fidelis est & mutua consensio a peccatoribus afferenda. Quæ duæ erunt sermonis hujus partes.

Matth. 2.

Pars Prima. In secreta, & particulari hac manifestatione, quæ fit per gratiam, quæ idcirco vocatur sydus, quod nos in viam salutis adducit, tria animadvertere possumus ratione stellæ, quæ Regibus Magis apparuit. 1. Hæc illos convenit in Oriente, in regione longissime dissita, ut doceret illos nativitatem novi Regis, quem expectabant Judæi. Novi hujus syderis lumen re adhuc integra oculos Regum horum percussit insueto fulgore, simulque illos intrinsecus illuminavit, eisque mentem immisit iter suscipiendi, ut ad natum Regem adorandum sese conferrent. Hæc prima est operatio gratiæ in peccatore; illum illuminare; ideoque lumen vocatur, cujus duetu cognoscit, quod nondum intellexerat, saltem adeo palam, atque cum iisdem animadversionibus. Explicandum est, quod gratia vocetur: hæ subitæ, & inopinæ cogitationes mortis, æternitatis, rerum ad vitam alteram pertinentium, quæ nos adducunt ad cogitandum de statu conscientiæ nostræ, de periculo æternæ salutis, in quo sumus, de mundi hujus mobilitare &c. 2. Hæ gratiæ illos ne cogitantes quidem conveniunt, cum longissime distant a Deo per scelera, in altissima oblivione Dei, & immersi in abyssо libidinum suarum, in crassa ignorantia, vel in omnimoda oblivione earum rerum omnium, quæ ad ipsorum salutem pertinent. Hæc lumina concomitantur sancti motus, qui illos urgent, atque sollicitant, ut sese colligant, & revertantur ad Deum. Ita Deus egit cum Magis, qui eodem tempore se lumine cælesti afflatos, ac sollicitatos senserunt, ut ad Deum adorandum sese conferrent; qua in re cognoscere possumus, & admirari virtutem, & potestatem gratiæ, quam peccatoribus largitur Deus, quæ illis addit animum, ac robur simile illi Magorum ad infringendos omnes obices, quibus detinentur, & nexus, quos habent cum Mundo, cum bonis illius, & cum voluptatibus. 3. Hæc eadem gratia per admirabilem divinæ misericordiæ indulgentiam, se accommodat atque conformat eorum ingenio, naturæ, statui, officio, & propensioni, eosque admonet per novum sydus, quod unus ex Prophetis suis portenderat, ut ad illum adorandum confluerent. En ratio, quam sequitur gratia erga Peccatores, quæ in illis utiles ciet cogitationes de bonitate Dei, quæ nos prævenit semper, & quæ prior ipsa nos quærit, cum ab illo maxime recedimus, & minus meremur curas, & perquisitiones illius, qui videtur studere nostræ indoli, ut illi suam accommodet gratiam, & qui nunquam obliviscitur nostri, ubi videt in nobis spem aliquam nosmetipsos lucrandi: quæ res in nobis ciere debet sensus admirationis, grati animi, potissimum vero confidentiæ in divina illius misericordia.

Pars Altera. Magorum exemplum nos docet fidelitatem, qua respondere nos decet gratiæ, quæ Deus nobis se peculiariter manifestat. Qua in re dico imitandam nobis esse fidelitatem, quam præ se tulerunt Magi, & per quam venerunt in cognitionem Dei-hominis facti, ut mox fierent primi ejus Apostoli. Fidelitas eorum maxime enituit celeriter obtemperando vocationi Dei illos arcessenti, quin moras necterent, quin rationem ullam haberent vel commodi populorum suorum, vel itinerum difficultatis. Unde intelligimus parendum esse statim ac Deus jubet, alioquin imminere periculum, ut gratia evanescat, & nunquam revertatur. 2. Fidelitas hæc esse debet generosa, non secus ac illa Magorum, quam nulla ratio potuit ab incœpto deterrere. 3. Hæc debet efficere, ut habitus, & vitia nostra abjiciamus, primamque vitæ rationem mutemus, aliam prorsus rationem secuturi, ut Magi, qui per aliam viam reversi sunt in regionem suam, postquam personas suas cum muneribus obtulerunt huic homini-Deo, qui illos ad sui cultum adeo insigni, & singulari vocatione arcessiverat.

II. Circa eamdem peculiarem, ac interiorem manifestationem, quam operatur Deus per gratias, quas tribuit, licebit nobis verba facere de ea ratione, qua nobiscum operatur gratia, per stellas, quæ illius symbolum sunt, quemadmodum per diei hujus Mysterium docemur; & possumus in gratia tria considerare, quæ sunt illi cum astris communia, præsertim vero cum stella, quæ in Oriente Magis apparuit. Videlicet, 1. Lumen, quod nos illuminat, & nobis aperit illa, quæ alioquin cognoscere minime possumus. 2. Mo-

2. Motum, quo de uno in locum alium migrant, & magna percurrunt spatia, ut variis regionibus illucescant. 3. Influxus, secretamque potestatem, quam habent in hæc terrena. Tres id genus proprietates gratiæ habita stellarum ratione, sermonis hujus erunt partitio.

Punctum Primum. Lumen stellæ, quæ Magis apparuit, nitore suo re adhuc integra oculos illorum percussit: *Vidimus stellam ejus in Oriente*. Hoc non magnum obtinuisset effectum, nisi lumen aliud, quale est gratiæ lumen, eorum mentes illustrasset, atque effecisset, ut secum reputarent, quid sibi vellet hoc sydus, cum signum esset, quod illis Propheta quidam tribuerat nativitatis Regis novi; quod nos docet, ut attendamus eventibus, quæ accidunt in mundo, per quos nos illuminat gratia, nobis loquitur, & erudit de eo, quod eos flagitat Deus; itaut quin immoremur ratiocinantes de causis horum casuum, qui nos in admirationem rapiunt, animum advertamus ad monitum, quod per illos nobis ingerit Deus: cujus generis sunt subitæ mortes, publicæ calamitates, funesti nostrorum consiliorum exitus, apertæ divinæ Justitiæ punitiones in eos, qui vitam abnormem ducunt, & quos ipsi novimus. Hujusmodi cogitationes, & salutares animadversiones totidem gratiæ sunt, quas adnectit Deus his eventibus nequaquam communibus; per quos nos illuminat, admonet, & erudit de suis voluntatibus. His ergo debemus attendere, neque aures obstruere huic voci: sæpe enim Deus non alia loquitur lingua, eique studere, atque illam intelligere nostrum est.

Matth. 2.

Punctum Alterum. Quod attinet ad syderum motum, ad quem gratia rationem habet; stella quæ Magis apparuit motum habebat prorsus peculiarem, quoniam remorabatur, & evanescebat nonnumquam, neque uniformem habebat cursum; tamen hoc illi commune erat cum aliis syderibus, quod reges deducens transierat per diversas regiones, ubi nemo quærebat, quid novum hoc sydus portenderet. Ita gratiæ stella non servat in suo cursu eamdem uniformitatem; Deus ad libitum de illa disponit, modo illam dat, modo illam retrahit, in aliis est fortior, in aliis infirmior. Verum hoc in loco per gratiæ motum non intelligo motus interiores, & consilia quæ nobis inspirat; videlicet illam non solum de personis, ad alias migrare personas; sed etiam de *populis* ad *populos*, de regionibus ad regiones, de nationibus ad nationes alias, Deo illam transferente ab illis, qui rejiciunt, vel contemnunt illam; ad eos, qui illam recipiunt, ac eisdem se præbent fideliores. Hoc videtur in hodierno Mysterio; ubi videmus, cum Judæi Salvatorem suum agnoscere recusaverint, quamvis illi primi ad veritatis cognitionem fuerint evocati, ut populum electum constituerent, tamen in locum eorum Gentiles vocavit. Ubi præclara morum præcepta, atque considerationes locum habere possunt.

Punctum Tertium. Virtus, & potestas gratiæ, quam syderum influxus repræsentant, id proculdubio est, quod in gratia est spectatissimum. Ut de hac loquamur, quatenus ad hujus diei Mysterium refertur, satis est ostendere, si Deus cæli syderibus utitur pro omnibus naturæ effectibus, immutasse munus in illo, quod Regibus Magis apparuit, quod quidem admirabiles habuit effectus in eorum mente, ac corde; quandoquidem fecit, ut regias ædes, regiones, ac ditiones suas relinquerent, quamvis tot rationes ibi illos retinere debebant, ut sese conferrent adoraturi puerum in *stabulo*, & in præsepio. Hoc fit quotidie in hac particulari manifestatione, quam Deus hominibus facit per gratiam, quæ prorsus admirabiles parit effectus in mente, & corde peccatorum maxime rebellium, & in nequissimis flagitiis immersorum; quoniam efficit, ut relinquant bona, cognatos, amicos, & abrenuntient omnibus vinculis, quibus adhærebant mundo, ut se penitus Dei servitio mancipent. Sed quid non operatur gratiæ virtus, & ad quid non adigit nequissimos etiam peccatores? &c.

III. Favore novi hujus syderis, quod Reges Magos ad Bethleemiticum adducit stabulum, magna Mysteria decegimus: quia nuntium nativitatis Hominis-Dei in remotissimas plagas adfertur; Reges de extremis Orientis partibus evocantur ad illius adoranda incunabula, & locus discitur, ubi nasci debebat omnium Salvator; sed addo, novi hujus syderis beneficio nos cognoscere jucundissima spectacula; Videmus enim Deum in noctis caligine natum, & populo ignotum modo a principibus coli, & adorari; sapientes sæculi interioris luce illustrari, qua dissipantur tenebræ infidelitatis, simul ac exterior hæc lux perstringit oculos corporis; ac tandem nos in Gentium vocatione habere primum, ac felicissimum nostræ beatitatis præsagium. In tanta hac turba Mysteriorum, & spectaculorum immoror potissimum in Divini hujus hominis manifestatione. Non minimum ex hoc Mysterio fructum percipiemus, & ab hoc Magorum Regum exemplo, si spiritu præsentes Salvatoris præsepio, ibi meditati fuerimus terræ hujus Optimates coram Deo nascente prostratos; sæculi sapientiam confusam, & celsissimas terræ potestates infirmitati infantis subjectas. Hoc mihi consilium præbet ostendendi vobis in hoc sermone, stellam, quæ hodie apparet, detegere quidquid stabulum occuluerat. Quid autem celabat? tria, quibus ut mentem advertatis postulo, quandoquidem totam hujus Sermonis partitionem constituunt.

1. Celabat Magnitudinem Dei, qui usque ad extremam sui exinanitionem in hoc stabulum descenderat.

2. Vim, ac potentiam ejusdem Filii Dei, sub pannis, quibus erat involutus.

3. Denique celabat infinitam Verbi Incarnati Sapientiam sub infantis specie, qui nulla in re ab aliis differre videbatur. Sed hodie Magnitudo hæc manifestata est, quandoquidem videntur Reges ad illius pedes prostrati. Vis, & potentia illius elucescit, ac se prodit terræ principibus, sibi apud alios reverentiam concilians, & aliis timorem incutiens. Denique Infinita ejus refulget sapientia triumphans de Magorum prudentia, & confundens Herodis versutiam. *Hujus partitionis ornatum, & argumenta invenies apud Auctiorem sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, Sermone primo de Epiphania.*

Deus hac die complere incipit magna suæ Providentiæ consilia. IV.

1. Manifestat sapientiam suam glorificans Filium suum infinite humiliatum in nativitate sua per Magorum adorationem venientium ab extremo Oriente ad obsequia, & munera illi deferenda,

2. Exercet misericordiam suam erga infideles, quos de longinquo accersit, & ad fidem convertit per stellæ portentum.

3. Ostendit justitiam adversus Judæos illum agnoscere detrectantes, in locum ipsorum evocans alienigenas.

Cum Magorum vocatio fuerint primitiæ, & exemplar vocationis Gentium, quod fecit Deus erga Magos ad illis manifestandum JESUM CHRISTUM, eosque adigendos, ut illius cultum amplecterentur, hoc ipsum facit cum omnibus hominibus, quos vocat ad Christianam Religionem, ut hujus munera ab illis adimpleantur. Quod autem fecerunt Magi, ut Deo vocanti responderent, hoc a nobis fieri voluit Deus, ut vocationi nostræ respondeamus. V.

1. Deus vocat Magos per apparitionem syderis miraculosi saluberrimam efficientis impressionem in eorum spiritu, & corde. Talis est invisibilis gratiæ stella, quæ nos evocat ad Christianismum; cui nosmet præbere debemus attentos, ut sciamus, quid a nobis exigat Deus.

2. Magorum docilitas videtur admirabilis: Quærunt quid hæc stella significet, & quid de eadem Propheta quidam portenderat. Fidem habent Prophetæ verbis, portendentibus Dei Nativitatem, qui quærendus erat, & adorandus. Huic sese dedunt testimonio sine ulla suspicione illusionis, & quin credant phenomenon hoc fortuitum esse; & quin aliud inquirant, illud sequi constituunt. Quinam exstitisset sermo indocilium, incredulorum, & rebellium gratiæ spirituum? Potuissent ne in hujusmodi occasione consilium capere hujus itineris ingrediendi?

3. Vis, & magnitudo fidei eorum ad superandas humanas rationes, & sermones illorum, qui initum ab eis consilium reprehendere poterant, ad evitandum, ne Herodis metu crudelis, ac suspicios illuderentur Reges, ad vincendam animi repugnantiam, quæ illis suboriri poterat, ne pro Deo haberent infantem eo in statu, in quo illum invenerunt. Hæc etiam illa vis est, quam gratia fidelibus inspirat, ne placitis Religionis nostræ deterreantur.

De varia agendi ratione Magorum, & Herodis erga JESUM CHRISTUM. Magi iter instituunt, ut illum quærant, inventumque venerentur. Sed Herodes illi molitur excidium; qua in re ostendemus: VI.

1. Exemplar solidæ sapientiæ fidelium in Magis quærentibus Dei Filium. Hæc prima pars erit, ubi ad examen vocabuntur omnes characteres fidei eorum in principio, progressu, & perfectione.

2. In altera parte ostendemus fallacem reproborum, & impiorum sapientiam in facto Herodis JESUM CHRISTUM persequentis, & ostendemus fallacem hanc Sapientiam esse inimicam Dei, & mox Deum vicissim illius esse inimicum; quæ causa est ejusdem interitus.

Cum ea omnia, quæ in hoc Mysterio acciderunt, intra unius sermonis cancellos nequeant contineri, fatagemus præsertim ex horum Magorum exemplo profiscere, ut ab illis discamus eas dispositiones, quæ comitari debent adorationem Dei in spiritu, & veritate. VII.

1. Venerunt adoraturi Salvatorem viva animati fide, quæ fecit, ut sua Regna relinquerent, & subirent omnes prolixi itineris difficultates; qua in re ostendendum est fidem esse adorationis principium; etenim ratione duce unus quidem cognosci potest Deus, sed in spiritu, & veritate adorari non potest, sine fide, quæ docet quid ille sit, & quid illi debeamus.

2. Illi munera obtulerunt, quibus profitebantur se illum habere tamquam Deum, Dominumque supremum

mum ſuarum perſonarum, & rerum omnium, quas ab illo receperant, quarum illi tributum perſolvebant cum eo obſequio, quod illos decebat. En exemplum a nobis imitandum in cultu, quem Deo debemus.

VIII. Stella myſtica, quæ cognoſcendam præbuit Regibus Magis novi Regis nativitatem habita ſemper fuit a Sanctis Doctoribus tamquam fidei ſymbolum, & figura. Quo poſito conſiderare poſſumus; primum Magos Matth. 2. vidiſſe hanc ſtellam in Oriente: *Stellam, quam viderant in Oriente.* 2. Illos eam ſecutos fuiſſe uſque ad locum ubi erat JESUS CHRISTUS: *Antecedebat eos uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer.* Tertio. Poſtquam illam ſecuti ſunt, & poſtquam radiorum ejus ope Salvatorem invenere, ſeſe ad illius pedes proſtraſſe, atque adoraviſſe. Quæ tres Evangelii circumſtantiæ nobis innuunt, nativitatem, progreſſum, & fidei perfectionem in anima.

1. Apparitio ſtellæ ad Magos nobis exhibet prima lumina, quæ fides oriens effundit in animam quærentem Deum.

2. Progreſſus ſtellæ accedentis ad Bethleem, ac eo Magos deducentis, repræſentat nobis fidei incrementum in anima, quæ fidelis luminibus illius pervenit uſque ad cognitionem JESU CHRISTI, ac ſublimiorum veritatum Religionis.

3. Demum ſtella gradum ſiſtens ſuper ſtabulum, ubi Salvator natus eſt, donec Magi illum adorant, figura eſt perfectionis fidei in anima, ex qua elicit perfectiſſimos actus perfectionis. *Ex ſpecimine ſermonum pro Epiphania.*

IX. Adſtrui nequit auguſtior idea magnitudinis hujus Myſterii, quam oſtendendo hanc eſſe feſtivitatem Regni JESU CHRISTI a prima ejuſdem infantia. Qua in re ſupponendum eſt, cum regnum ſit qualitas ex aliis plurimis compoſita; omnes redigi poſſe ad haſce tres præcipuas. Continet illa auctoritatem, quæ efficit, ut ſibi obediatur; potentiam, qua ſui timorem injicit; & majeſtatem, qua ſibi hominum reverentiam, & venerationem conciliat. Quamvis autem Salvator omnes haſce poſſideret qualitates longe perfectiori modo, quam omnes ſimul Reges Mundi, quandoquidem ab æterno Patre receperat cum Natura auctoritatem, potentiam, & jus majeſtatem ſuam præ ſe ferendi, ubi e re futurum cenſeret; verum tamen eſt, Regnum ejus non fuiſſe de hoc mundo, & ipſum regnare noluiſſe ſuper terram niſi per contemptum omnium terrenarum dignitatum. Epiphania unicum fuit myſterium, in quo apparuerit qualis erat.

1. Hac die præ ſe tulit erga Reges ipſos ſupremam auctoritatem, eos ſibi obedientes efficiens.

2. Præ ſe tulit ſupremam patientiam, ſui timorem ipſis altioribus poteſtatibus incutiens.

3. Præ ſe tulit ſupremam majeſtatem, concilians ſibi Regum ipſorum obſequium, qui illum Deum confitentur, & adorant. *Hæc partitio eſt Patris de la Colombiere in ſermone primo de hac feſtivitate.*

Magi primi fuerunt ex Gentibus, quibus dici poteſt Dei Filius fuiſſe via, veritas, & vita: *Ego ſum* Joann. 14. *via, veritas, & vita.*

1. Illis via fuit, quia deduxit ad ſummam beatitudinem, docens eos viam, quam ſequerentur ad illum inveniendum venturi.

2. Illis fuit veritas, illuminans illos interiori luce omnium cognitionum, quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ; dum exterior altera oculos eorum perſtringebat.

3. Illis fuit vita fidei, quæ juſtorum eſt propria; vita gratiæ, quæ illos ſacrificavit, iiſque attulit neceſſaria ſubſidia ad chriſtianam vitam ducendam; & demum vita gloriæ, tamquam primis prædeſtinatis ex Gentibus.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes unde hauriri copia poteſt ad has Sermonum ſtruituras exornandas, & Auctores de hoc argumento pertractantes.

Sanctæ Patres. SAnctus Auguſtinus tomo 10. plures habet ſermones de Epiphania; de qua fuſius verba facit in undecimo. In duodecimo vero docet, quo tempore ſtella Magis apparuerit.

Idem in ſermonibus *de tempore* 30. ad 36. verba facit de hoc inſigni myſterio. In 35. loquitur de admirabili vocatione, & fide Magorum. In 30. hortatur Principes ut metuant mundi Salvatorem, tamquam Judicem, ac Dominum, non tamen ſicut Herodes illum metuebat.

Idem in ſermonibus de *diverſis* 28. & 29. & *a* 64. *ad* 68. tractat de hoc Myſterio, & in 67. ad examen vocat quomodo Magi per ſtellam hanc cognoverat Meſſiam natum eſſe. De eodem argumento loquitur etiam in primo ſermonum recens inventorum, & in ſermonibus ad *Fratres in Eremo*, quorum non creditur Auctor.

S. Ambroſius *l. 2. in Lucam, cap. 2.* verba facit de muneribus, quæ Magi Domino obtulerunt.

Idem loquitur de rebus diverſis ad hoc argumentum ſpectantibus in ſermonibus. 18. 19. 20. 21. & 23.

S. Gregorius homil. 10. in Evangelia narrat, & explicat munera, quæ Magi obtuleruut.

S. Hieronymus *lib. 1. comment. in caput 2. Matthæi*, loquitur de ſtella, quæ Magis apparuit & de Magorum muneribus.

S. Baſilius, *homil. 25.*

S. Fulgentius *de Hæreſcologia ſerm. 5.*

Origenes, vel alius aliquis Auctor *homil. 8. in diverſis.*

S. Chryſoſtomus *ſerm. 6. in cap. 2. S. Matthæi*, egregias proponit quæſtiones, de vocatione, & adoratione Magorum.

Opus imperfectum in S. Matthæum, quod eidem refertur acceptum.

S. Chryſologus quinque habet ſermones de Epiphania.

S. Cyprianus ſermonem unum elucubratus eſt.

S. Epiphanius ſimiliter unum.

S. Maximus habet hujus argumenti homilias octo.

Euſebius Emiſſenus, unam.

S. Leo plures habet de hoc myſterio ſermones.

Petrus Damiani in ſermone hujus argumenti loquitur de rebus pluribus ad illud pertinentibus.

S. Bernardus *in ſerm. de temp.* tres habet, ubi habet plura ad Nativitatem, & Circumciſionem ſpectantia.

S. Thomas *in ſermonibus feſtivis* duos habet ſermones in feſtum Epiphaniæ diem.

S. Bonaventura quatuor, in quibus explicat, quidquid ad hoc *Myſterium pertinet.*

Guerricus Abbas, ſimiliter quatuor.

S. Laurentius Juſtiniani, unum.

Hugo de Sancto Victore, duos.

Innocentius III. unum.

Gerſon, item unum.

Aſceticis, aliisque. Suarez in Commentariis, & diſputationibus in tertiam partem ſummæ S. Thomæ tom. 2. ut Theologum decet ad examen revocat, quidquid ad hoc ſpectat Myſterium, omneſque illius circumſtantias.

Liber qui inſcribitur: Paſſiones Domini noſtri Luſitano idiomate editus a Patre *Thoma a JESU* & Ordine Eremitarum S. Auguſtini, *in paſſione octava*, ubi de fuga in Ægyptum, & de Herodis perſecutione ſermo eſt, *loquitur de ingreſſu Magorum in Jeruſalem, deque iis omnibus, quæ in hoc Myſterio acciderunt.*

P. Valeſius *in aſceticis* egregium ſermonem habet de hoc Myſterio.

Granatenſis in memoriali.

Liber cui titulus: Conſiderationes in dies Dominicos, & feſtos Myſteriorum; Tomo 2. continet undeviginti conſiderationes in omnes partes hujus Myſterii.

P. Joannes Croiſet in libro, cui titulus: *Pietatis exercitationes in ſingulos anni dies; vel Annus Chriſtianus.*

P. Nepveu tomo primo cogitationum, vel animadverſionum Chriſtianarum in ſingulos anni dies.

Liber, cui titulus: Verus ſpiritus, & ſanctus uſus ſollemnium anni Feſtorum.

Baſtides in parte altera libri, cui titulus: Confuſa Deiſtarum Incredulitas.

Omnes, qui meditationes elucubrati ſunt in dies feſtos, & anni myſteria, Myſterium Epiphaniæ non prætermiſerunt. Qui vero uberiorem copiam ſuppeditare poſſunt huic argumento *hi fere ſunt.*

P. Bourgoin in *libro latine ſcripto*, & mox in Gallicum ſermonem *traducto de veritatibus*, & excellentiis Incarnati *Verbi*, non deſunt Meditationes pro ſingulis diebus Octavæ hujus feſtivitatis.

P. De Ponte in altera parte Meditationum in Fidei Myſteria. *Meditat. 22. & 23.*

P. Suffren in tom. 3. anni Chriſtiani.

P. Novet in prima parte Hominis Orationis partitur omnes hujus Myſterii circumſtantias in Meditationes octo, pro omnibus octavæ diebus.

Concionatores Recentes. P. Caſtillon in ſermonibus in dies Dominicos, & feſtos adventus, hunc abſolvit Adventum duobus ſermonibus de Myſterio Epiphaniæ.

Biroat in Tomo *Myſteriorum* Domini noſtri duos habet ſermones *hujus* argumenti, quorum poſterior jugem habet cum Euchariſtia comparationem.

P. Texier in Tomo Myſteriorum vitæ Domini noſtri, agit de Magorum exemplari.

Sarazin tomo 2. Adventus in prolixo ſermone hujus Myſterii.

P. de la Colombiere in tomo primo ſermonum duos habet ſermones de Epiphania; in quorum priori agit de regno JESU CHRISTI, & in altero oſtendit media, & commoda, quæ ſuppetunt divitibus, & principibus viris operandi ſalutem ſuam, & Deo inſerviendi.

Auctor ſermonum Moralium.

Fromentiere.

Abbas de Monmorel habet Homiliam, & ſermonem hujus Myſterii.

Abbas Trappensis duas habet Collationes in sermonum formam de Regum sollemnitate, ubi de hoc loquitur Mysterio.

Abbas de Bourzeis in sermonibus in varia Religionis Mysteria.

P. Duneau in tomo sermonum de Mysterio JESU CHRISTI, duos habet de Epiphania.

Lambert in tomo 5. Anni Evangelici homilia 64. est de Epiphania, vel Manifestatione JESU CHRISTI.

In specimine sermonum pro Dominicis tomo primo, tres sunt sermones, vel sermonum compendia in hoc Mysterium.

P. Bourdalove in sermonibus recens editis de Mysteriis, de hoc agit, & optimas inde morum regulas elicit.

Abbas du Jarry argumentum hoc egregie persecutus est.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta tomo Mysteriorum Domini nostri duos habet sermones in hunc diem, in quorum priori ostendit, in quo consistat publica manifestatio Salvatoris Mundi; in posteriori vero loquitur de peculiari manifestatione singulis nostrum per gratiam.

Non desunt antiquiores Sermonum editores, qui argumentum hoc pertractaverunt, & ex quibus plurima utilitate depromi possunt. Id genus sunt tres Granatensis sermones; sermo Bellarmini, & Osorii.

Ex editoribus Collectaneorum unum vidi Carthaginam in homiliis, qui coegit, quidquid ceteri dicere potuissent.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes servient ei. Psalm. 71.

Populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Isaiæ 9.

Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Isaiæ 60.

Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum; & gloria Domini super te orta est. Ibidem.

Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Ibidem.

Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domini annuntiantes. Ibidem.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum vivum, & quem misisti JESUM CHRISTUM. Joannem 17.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Matthæi 2.

Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Ibidem.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Ibidem.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. Ibidem.

Tunc Herodes, clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem, dixit: ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Ibidem.

Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Ibidem.

Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Ibidem.

Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Ibidem.

Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Ibidem.

Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. 1. ad Timoth. 2.

Deo igitur gratias per quem vocati sumus in societatem Filii ejus, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ. Ad Colossi. 1.

Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Ad Rom. 11.

De tenebris vocavit nos in admirabile lumen suum. 1. Petri 2.

Figuræ, Prophetia Veteris Testamenti, & elucidatio eorum, quæ dicit novum hoc in argumento.

Vocatio, & obedientia Magorum figura cujus fuit obedientia Abraham, cui præcepit Deus, ut terram patriam relinqueret.

Sanctus Chrysostomus celebrat fidem, & obedientiam Abrahæ, qui jubente Domino: *Egredere de terra tua*, &c. patriam reliquit, & in longinquas regiones se contulit, quin sciret terminum itineris sui, paratus ad extremas usque terrarum plagas adeundas. Sed dicimus, Reges Magos exæquare in re aliqua obedientiam Abrahæ, & in alia eam superare; illam æquant, quia re adhuc integra faciunt imperata Dei, sequuntur gratiæ motum, & quin sciant, quo sibi eundum sit, per universum terrarum orbem Dominum inquirunt; sed quodammodo illum superant; nam Deus loquitur cum Abraham veluti præsens cum præsente, voce perspicua, ac intelligibili, ut agnoscatur, sed JESUS CHRISTUS non loquitur ad Reges nisi eminus, atque tanto terrarum spatio divisus. Non nisi stellæ voce, quæ legatione fungitur, tamquam Angelus; & nihilominus hi Reges adeo sapientes cedunt lumini stellæ hujus tanta cum facilitate, ut celeriter illam sequantur.

Adventus Reginæ Saba in Jerusalem ut videret Salomonis sapientiam, aliquam habet cum Magorum vocatione similitudinem.

Tertio Regum libro capite 10. legimus, Reginam Saba, cum audisset, quibus laudibus ubique celebraretur Salomonis sapientia, voluisse per se cognoscere, utrum vera essent quæ ferebantur. Hunc ob finem reliquit regionem suam, & ab Orientis regionibus Jerosolymam petiit collocutura cum Rege, quem fama tamquam sapientissimum mortalium omnium ferebat. Narrat Scriptura illam magnifico cum apparatu accessisse, ac secum attulisse aurum, & ligna suavissime olentia, omnesque aromatum species, inter quas dubitandum non est, quominus thus, & myrrha inveniretur. Regina hæc admirata est sapientis hujus Regis aulam, ingentem numerum Ministrorum, regiæ domus sumptus, magnificentiam ædium, qua ita capta fuit, ut tandem confessa fuerit sibi ne dimidium quidem narratum fuisse eorum, quæ suis oculis videbat. Antequam Jerosolyma discederet, Salomoni munera sua obtulit, ac in terram patriam redux abiit voti compos, & itineris suscepti contenta, nec non sapientior, quam illinc discesserat. Hæc historia plurimis in rebus non abludit in Epiphaniæ mysterio: Stella insuetæ magnitudinis Magis apparuit, iisque nuntiavit novi Salomonis nativitatem priori longe majoris, & sapientioris. Iter corripuerunt, ut illum viderent, & adorarent, eique munera obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Sed illum nacti sunt in statu longe alio ab eo, in quo Regina Saba Salomonem invenit. Regia illius civitas erat angulus pagi Bethleemitici; ædes Regiæ stabulum; solium præsepe; cubile palea; Ministri domus Joseph, & Maria; vigiles, & excubiæ, duo jumenta.

Prophetia de Nativitate Salvatoris, cujus signum esse debebat stella.

Mirabitur aliquis fortasse, Magos argumentatos fuisse Judæorum regem natum esse, eo quod ejus stellam viderant in Oriente; quæ enim esse poterat ratio inter hanc stellam, & Salvatoris Nativitatem? Sed hoc inde factum est quod vetus Propheta ejusdem regionis, cujus erant Magi, prædixerat fore ut *oriretur stella ex Jacob*. Per hæc verba annuntiaverat ille Messiæ nativitatem, qui jure vocari poterat stella refulgens; quoniam nasciturus erat e cælo, & homines illuminaturus. Prædictionis hujus memoria usque ad Magorum ætatem vigebat, ejusque complementum præstolabantur. Magi per Prophetæ prædictionem edocti, per stellæ apparitionem, multoque magis interiori lumine afflati, quod effudit Deus in mentem illorum, non dubitant, quominus novum sydus, quod sese illis ostentat, certum sit testimonium Nativitatis Messiæ: ideoque hanc illius stellam appellant. *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.*

Cæcitas Judæorum in Nativitate Domini, cujus figura fuit cæcitas Ægyptiorum; cum interim Israelitæ solis luce illustrabantur.

In Salvatoris Nativitate, Judæi habita Gentilium ratione id fuerunt, quod fuerant olim Gentiles in Ægypto ratione Judæorum. Judæi luce undique circumdati erant ibi, ubi ab Ægyptiis secreti incolebant; sed hodierna die Judæi sepulti sunt in tenebris, dum JESUS CHRISTUS lucet tamquam nova stella Gentilibus, & quocumque lumen effundit suum, secundum prædictionem Baal prophetæ, non secus ac Scribarum, qui & ipsi admirabiles portenderant effectus Nativitatis Messiæ, ut *Videntes non videant*, quod visum est in Judæorum populo, & potissimum in Sacerdotibus, qui *Videntes* vocantur; & ut *non videntes videant*, quod accidit Magis, qui antea erant in tenebris, non secus ac reliqui infideles, & idololatræ.

Evangelium notavit tempus & locum Nativitatis Domini designata a Prophetis, & quæ ipsi cognoverunt Judæi.

Non temere describit Evangelium locum ubi natus est JESUS CHRISTUS, & Principem, qui tunc imperitabat in Judæa. Nota hæc magni momenti est, quia nobis in mentem revocat duas antiquas Prophetias, quæ adimpletæ inexcusabiles reddunt Judæos, qui non cognoverunt Messiam ex indiciis adeo perspicuis, authenticisque. Michæas Propheta prædixerat Messiam nasciturum in Bethleem, & Evangelium ostendit veritatem, & complementum hujus vaticinii, asse-

asserens JESUM in Bethleem natum fuisse. Neque minus intererat nobis observandum proponere, Herodem tunc in Judæa rerum summa potitum fuisse. Herodes quippe erat alienigena, quod satis superque probat sceptrum non fuisse amplius in domo Juda, & adveniſſe tempus, quo secundum prædictionem Patriarchæ Jacob, ille venturus erat, quem Deus se missurum promiserat, & qui erat expectatio Gentium: Hac de causa Evangelium memoravit diligenter locum, ubi JESUS CHRISTUS natus erat, hoc est in Bethleem, regnante Herode: *Cum natus esset JESUS in diebus Herodis Regis.*

Matth. 2.

Vocatio Magorum est primitiæ fidei & salutis gentilium.

Dei Filius nobis dat fidei primitias, cujus figura est stella, qua usus est in hoc Mysterio ad illustrandos Magos, & ad tradendam illis cognitionem adventus sui in Mundum. Hic Deus erat absconditus, secundum Isaiam. Si Cælum locutum minime fuisset, nemo cognovisset illum; nam sine fide, non humana ratio, non scientia, neque mundi sapientia detexissent vias salutis. Qua in re fateri debemus non sine gratiarum actionibus magnitudinem beneficii, quod in Magorum persona recepimus, & bonitatem, quam Dei Filius ostendit nos cum illis vocans ad cognitionem, & amorem.

Deus exorsus est ab his Magis infidelibus nullam admittere personarũ acceptionem, & ad cognitionem sui omnes gentes vocare.

Deus, qui antequam Magos vocaret, Judæum Populum respexerat tamquam dilectum, electumque populum suum, postmodum in visione, quam S. Petrus habuit, declaravit, se hanc distinctionem ulterius admittere nolle, & deinceps unum tamen populum ex omnibus nationibus conflatum se habiturum. Hoc legitur in Actis Apostolorum capite 10. ubi legimus. *Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam; & cum esuriret voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre; occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine: quia nunquam manducavi omne commune, & immundum: Et vox iterum secunda ad eum: Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter; & statim receptum est vas in cælum. Et dum intra se hæsitaret Petrus quidnam esset visio, quam vidisset . . . . Aperiens Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

Per Magorum vocationem discimus Deum gratias suas ab aliis auferre ac transferre ad alios.

Magorum ad Fidem vocatio non solum ostendit Dei bonitatem in horum Principum persona, qui sunt gentium primitiæ; verum etiam est Mysterium justitiæ ipsius erga Judæos, a quibus recipit suas gratias, & lumina, eo quod se illis indignos præbuerint per contemptum, & abusum earum; & inde duas insignes, maximique momenti veritates percipimus, quarum altera est bonitas, & misericordia Dei erga nos, quod nos evocaverit ad fidem, & regni sui hæreditatem, nos inquam, qui, ut loquitur S. Paulus, eramus alienigenæ, & ab illo quam longissime dissiti; altera vero quæ terribilis est, quod videlicet gratias suas Judæis abstulerit, qui, ut ita dicam, erant filii, & legitimi hæredes.

Stella, quæ Magis apparuit est figura gratiæ nos vocantis, & adducentis ad Deum.

Stella erat miraculosa, & gratia est supra naturam: hæc donum est gratuitum, creaturæ non debitum, sed ex mera Dei bonitate profectum. Stella visa est in nativitate JESU CHRISTI; & nonnisi per illum, & cum illo facta fuit. Gratia nobis datur propter Incarnationem illius. Stella in Oriente visa est, & gratia est nostræ salutis aurora, & principium æternæ felicitatis nostræ. Stella aliquam habebat rationem cum Magorum cognitione, qui astrorum scientiæ operam dabant; & gratia accommodat se ingenio, ac spiritui hominum, ut suavius, & efficacius operemur. Deus illam nobis tribuit statui nostro congruam; Stella non habebat motum regularem, quales habent stellæ firmamenti; motus ejus pendebat ab Angelo, qui eam stellæ impressionem communicabat, quam idoneam existimabat, ut Magos deduceret: gratia vero in productione sua, motu, & duratione pendet a Dei voluntate. Stella ad tempus evanuit, & gratia non semper sensibilis est; occulit se nonnunquam secretis de caussis, quas ignoramus. Denique Stella ducebat reges ad JESUM CHRISTUM, & ad præsepium, in quo erat; gratia vero nos adducit ad Deum, & ad Crucem, ubi invenitur.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ huic Argumento.

Mirum est Magos venisse ad quærendum, & colendum Regem novum.

Ecce *Magi ab Oriente venerunt &c. Matth.* 2. Nonne videtur Evangelista hic velle alludere ad qualitatem horum Magorum, de longe venientium ad inquirendum JESUM CHRISTUM, & ad illum adorandum? *Ecce Magi ab Oriente venerunt*: quasi diceret, attendite, quinam illi sint, qui veniunt, ut hoc Religionis fungantur officio; non sunt hi e plebe, sed eximia nobilitate præditi propter genus, munus, dignitatem, & locum quem inter ceteros homines obtinent. Sapientes sunt, reges, & magno in pretio habendi. Quodnam autem Mysterium Sacer deprehendit historicus, vel quod miraculum, ut velit id peculiariter attendi? Nunquid novum est, atque inauditum, viros illustres, & genere, & opibus, obsequia præstare Deo, & Domino suo, cui omnes debent, quidquid habent? Esto, hoc novum non est; sed ita rarum est, ut omnem attentionem mereatur; quandoquidem videmus eos, qui hujusmodi generis sunt, vulgo superbos esse, ambitiosos, qui sese subjicere dedignantur, & quærunt potius subditorum, vel inferiorum obsequia, quam illis obsequi, quos sibi præstare cognoscunt. Itaque non injuria, & non sine quadam admiratione considerandi sunt hi tres Magi, qui tamquam Regem, Deumque suum venerantur puerum recens natum in stabulo, & in paleis cubantem.

Lumen quo illustrati sunt Magi in nativitate Filii Dei.

Claritas Dei circumfulsit illos. Luc. 2. Quod Evangelista dicit de Pastoribus vigilias super gregem habentibus, ubi Angelus nunciavit illis Salvatoris Nativitatem, hoc procul dubio dicere possumus de Magis Regibus, cum stella non vulgaris magnitudinis, & claritatis hoc ipsum nunciavit illis in Oriente: *Claritas Dei circumfulsit illos.* Ita addi etiam potest JESUM CHRISTUM simul natum fuisse in Bethleem apud Judæos, & in locis ubi Principes isti incolebant inter Ethnicos; locus enim est credendi, stellam hanc Regibus hisce in patria ipsorum apparuisse eo tempore quo in Judæa natus est JESUS CHRISTUS. Ita obortum est tamquam lumen magnum Gentibus eodem tempore, quo Messias natus est in tenebris apud Judæos, qui non cognoverunt qualis erat qui nascebatur; cum e contra Reges omnium etiam Gentilium nomine, agnoverunt illum, simulac hoc illis sydus illuxit. Non dubitarunt illi terras patrias deserere, & adeo longum iter ingredi ipsum adoraturi; si Deus novi hujus luminis fulgore in Cælo, non replevisset animam eorum lumine fidei una cum ingenti amore, qui causa fuit, ut illi contemnerent labores, & hujus itineris pericula, quod ingressi nequaquam fuissent ob solum adspectum stellæ, nisi simul interiori illustrati fuissent lumine, quod illos discedere coegit, ut in loci faciem tale Mysterium cognosceret.

Tres Magi tantum solertes fuerunt ad cõsiderandam stellam, & ad exequendum quod Deus illis inspiraverat.

Multi vocati, pauci vero electi. Matth. 20. Dicere possumus, tunc adimpletam fuisse terribilem sententiam illam, quam Dei Filius mox alia in occasione protulit. *Multi sunt vocati, pauci vero electi:* nam tanto ex mortalium numero, qui tunc temporis erant in Oriente, tres tantum erant electi, ut fierent primitiæ prædestinatorum apud Gentiles, quoniam ex tot mortalibus, qui stellam viderunt, aut videre potuerunt, tres tantum ita affecti fuerunt, ut id exequerentur, quod illis Deus inspirabat. Alii nihil profecerunt, vel quia illam non satis considerarunt; vel quia illam nullo in discrimine habuerunt, vel quia iter incommodum aggredi noluerunt. Heu! quanta est hominum cæcitas? Terrenarum rerum adspectus nostras mentes illicit; hæ illas incredibili cura cognoscere adnituntur, cum interim negligant lumina cælestia. Cælestia paucos admodum movent; pauciſſimi illa inquirunt, & fideliter Deo vocanti respondent: *Multi vocati, pauci vero electi.* Hoc semper ita fuit, eritque semper.

Magorum fides fuit admirabilis.

Non inveni tantam fidem in Israel. Matth. 8. Dei Filius intuitus horum Magorum fidem, labores ab illis susceptos, & pericula quibus se objecerant, ut ad ipsum adorandum sese conferrent, *jure potuit* ex eo temporis articulo dicere: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Et sane, quærit S. Augustinus, utrum magis admirari debeamus, fidem ne Magorum, an cæcitatem, & infidelitatem Judæorum? Judæi secum habebant JESUM CHRISTUM, eumque ignorabant. Magi erant procul semoti, & tanta quamvis locorum distarent longinquitate veniunt quæsitum illum in Judæam, eumque reperiunt. Judæi illum agnoscere noluerunt, quamvis in patria ipsorum natum, & Magi, licet alienigenæ, illum adoraverunt. Hi viderunt ipsum in paleis ad abjectissimam hominum conditionem redactum, & nihilominus procidentes adoraverunt eum, quamvis loquendo minime parem. Illi testes insignium miraculorum, quorum hic erat auctor, conspexerunt eum agentem cum potestate Dei; tamen non præstiterunt illi ea, quæ justitia, vel caritas postulabant, & quæ homo homini negare non potest. Ut verbo omnia complectar: quænam in Magis fides! quam inaudita cæcitas in Judæis!

Dei Filius nobis adorandus est ad Magorum exemplum.

Venite adoremus, & procidamus ante Deum. Psalm. 94. Hoc nobis dicere videtur Magorum exemplum. Venite adoremus, & procidamus ante Deum, qui dignatus est fieri infans propter amorem nostri, nasci in stabulo, ac sese redigere ad pauperem, miserumque statum, in quo videmus illum. O Reges! O beati Sapientes! qui vidistis id, quod tot alii Reges, & Prophetæ videre concupierunt, & videre nequiverunt; veri adoratores incarnati Dei, quibus scandalo non fuit hujus infantis pauperies, malusque incunabulorum ejus

ejus apparatus. Stabulum, & præsepe, paleæ, & fænum, scruta, & panni non deterruerunt vos quominus illi vestra præberetis munera, & obsequia; neque taciti vobiscum dixistis: si Infans hic esset Rex ille, quem quærimus, profecto non ita derelictus, ac destitutus esset, omnibus vitæ commodis, uti est; meliores haberet socios, meliores famulos; alium sane in omnibus apparatum conspiceremus. Vobis non defuerunt cogitationes sublimiores; primi fuistis, qui eum Regem, Deumque vestrum cognosceretis, & divina luce afflati confessi estis eum, qui servi formam acceperat, vere esse Dominum universorum. Imitemur, Auditores hac in re Magos, & quoniam nobis non contigit nostra Puero huic obsequia præstare in Bethleemitico stabulo, quæramus eum in aris, ubi inveniemus eumdem hominem-Deum, in stabulo natum, ibique a Regibus adoratum. Ibi inveniemus illum, non quidem pannis involutum, non stratum in præsepio, sed sacramentalibus tectum speciebus, sine fulgore, sine pompa, sine apparatu; sed in hoc statu debemus illum de genu adorare, eumque Regem, & Deum nostrum confiteri: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum.*

Tepor nostrorum in cultu Dei cum Magorum fervore collatus.

Vidimus stellam ejus, & venimus adorare eum. Matthæi 2. Magi sunt adhuc tyrones in fide; unum dumtaxat signum viderunt, quod illis novum in cælis apparuit; & nihilominus statim de adorando cogitant, ac sese illius voluntati subjiciendo; quid porro fiet, cum illud viderint, & ab illo plenitudinem luminum receperint? O Deus! Quodnam confusionis argumentum illis, qui cum plures transegerint annos in Dei famulatu, postquam tot intuiti fuerint miracula novo hoc sydere fulgidiora, fidem habent adhuc languidam, ac frigidum amorem erga Deum propter ipsorum salutem hominem factum. Verbum Incarnatum, quo mihi in pretio es habendum; quandoquidem Reges, qui te nunquam viderunt ad te tanto fervore festinant, & ad te quærendum omnia relinquunt! Heu! Si te cognoscerent homines, quid propter amorem tui, & ut se tibi penitus devoverent, sibi non putarent relinquendum?

Adimpletur Prophetia vocationis gentium & reprobationis Judæorum.

Venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob: filii autem regni projicientur in tenebras exteriores. Matth. 8. Ecclesia vidit adimpleri, quidquid hæc prophetia portendit. Populi venerunt de longe, venerunt quippe de idololatriæ sinu ad fidem conversi. Quænam Ecclesiæ lætitia in tanta electorum multitudine? Nunquid ad nos quoque pertinet hujus lætitiæ caussa? Oraculum formidabile! Multi venient ab Oriente, & Occidente, & in convivio recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno Cælorum, donec Filii Regni projicientur extra illud in tenebras. Cuinam posteriores hi acceptam referre debebunt tantam calamitatem, nisi nequitiæ suæ? Qui Deum Patrem habere detrectat, habendus non est in numero Filiorum ejus.

Magis nequaquam scandalo fuit, videre Judæorum incuriam in Messia quærendo.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, quodcumque ergo dixerint vobis, servate, & facite, secundum vero opera eorum nolite facere. Matth. 23. Non minima tentatio ad fidem Magorum labefactandam erat proculdubio ignavia Sacerdotum Legis, alios quidem docentium, sed minime utentium iis monitis, quæ aliis suppeditant. Differunt ubi Messias erat nasciturus, sed ne gradum quidem faciunt, ut illuc se conferant. Sciunt advenisse tempus, quo ille in mundum venturus est, sciunt Prophetas, majoresque suos ardenter ejus adventum concupiisse, & suspiria in Cælum emisisse, ut mora illius abrumperetur, & nihilominus nuncium quod illis adfertur nativitatis illius, qui eos in libertatem erat vindicaturus, & a quo sperabant omnia terrenorum bonorum genera accepturos; nuncium inquam hujus nativitatis, quod lætitiam illis pariturum erat, eis negotium facessit. Quid cogitandum erat Magis de hac Sacerdotum incuria? Quamvis non ignorassent, quod mox docuit Salvator, tamen nequaquam prudentius locuti fuissent, neque cum Spiritu magis christiano. Illi sederunt super Cathedram Moysi; audiendi sunt igitur, cum docent veritates salutis; sed cum opere non complent, quod ore docent, non sunt imitandi. Illi quidem se nocentiores præbebunt; sed ipsi non vacabimus culpa, si quamvis mala nobis præbuerint exempla, non sequemur regulas Sanctas, quas nobis præscribunt.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum in hoc Argumento.

Ducatum nobis præbeat velut stella Cæli, lux fidei. Augustinus serm. 29. de Tempore.

Stetit Stella supra ubi erat puer, quasi dicens, hic est, ut quia monstrare loquendo non poterat, stando demonstraret. Idem in Matth.

Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cuna ferebat infantis? Idem serm. 2. de Epiph.

Quid erat stella, nisi mirifica lingua Cæli, qua inusitatum Virginis partum inusitato fulgore clamaret? Idem serm. 31. de Temp.

Quid erat ista stella nisi magnifica lingua Cæli, qua narraret gloria Dei. Idem serm. 3. de Epiphania.

Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in Cælo. Idem.

Quis est iste Rex tam parvus, & tam magnus, nondum in terris loquitur, & in Cælis edicta proponit. Idem.

Sacramentum præsentis fieri oportet esse perpetuum. Idem serm. 5. de Epiph.

Non ita natus est Christus, ut Reges nascuntur in sæculo, quia natus est, & ille cujus regnum non est de hoc sæculo. Idem serm. 30. de Temp.

Credat jam Deo omnis terra, quia de Cælo loquitur Christus; natus enim in angulo hodie, declaratur in Cælo. Idem serm. 11. de Epiph.

Non potest tantum Nomen abscondi, quod vides sydéris indicio publicari. Idem ibidem.

Pastoribus Angeli, Magis stella demonstrat, utraque loquitur lingua Cælorum, quia jam cessaverat lingua Prophetarum. Idem ibidem.

Ne Deus in carne positus esset obscurus, servit Cælum, reddunt & ipsa sydera testimonium. Idem ibid.

O infantia, cui astra famulantur ad cunas! cujus est ista magnitudo, ad cujus cunas sydera obsecundant, & reges trepidant, sectatores sapientiæ ingeniculantur! Idem ibidem.

O beatum tugurium! o sedes Dei secunda post Cælum, ubi non lucerna, sed stella fulgebat. Idem ibidem.

Illa luce inchoata est fides gentium, illis tenebris accusata est perfidia Judæorum. Idem sermone 31. de Tempore.

Hæc Magorum illuminatio magnum testimonium cæcitatis Judæorum: in terra eorum isti requirebant, quem illi in sua non cognoscebant. Idem serm. 2. de Epiphania, qui est 30. de Tempore.

Sapientia hujus Mundi ignorat Deum, quem solum deberet inquirere. Ambrosius in Psalm. 129.

Alia venerunt Magi via, alia redeunt; qui enim Christum viderant, Christum intellexerant, meliores utique, quam venerant, revertuntur. Idem cap. 2. in Lucam.

Magi sacramentalia munera obtulerunt. Sanctus Cyprianus.

Quid est, quod sic turbaris Herodes? Inanis est ista turbatio tua. Rex enim, qui natus est, non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare. Fulgentius serm. 5. qui est de Epiphania.

Cujus timet infantiam nascentis, magis timere debet potentiam judicantis. Idem ibidem.

Indevotus est vacuus adorator. Chrysolog. serm. 103.

In loco humili, & supellectile vili Rex Regum, & Dominus Dominantium invenitur, cognoscitur, adoratur. Gregorius Nyssenus orat. de sancta Christi nativitate.

Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri. S. Leo serm. 1. de Epiphania.

Magi adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum Majestatis. Idem serm. 2. de Epiph.

Jam tunc Cæli enarraverunt gloriam Dei, & in omnem terram sonus veritatis exivit. Idem ibidem.

Agnoscamus in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fideique primitias. Idem ibidem.

Veritas, quam Judæorum obcæcatio non recipit, omnibus nationibus lumen suum invexit. Idem ibidem.

Quem Magi infantem venerati sunt incunabulis, nos omnipotentem adoramus in Cælis. Idem ibidem.

Ad omnium hominum spectat salutem, quod infantia mediatoris Dei, & hominum, jam tum universo declarabatur Mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Idem serm. 1. de eodem festo.

Mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Idem ibidem.

Qui Magos adduxit, ipse & instruxit, & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. S. Bernardus serm. 1. de Epiph.

Videte, quam oculata sit fides, in stabulo videt Deum. Idem.

Vide quam certa fides, & nihil hæsitans, Magorum: *non quærunt utrum natus sit, sed interrogant sine hæsitatione, ubi natus sit.* Idem.

Non illis utique Magis *sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantiæ: procidentes adorant ut Regem, adorant ut Deum.* Idem serm. 2. de Epiph.

Ex consideratione Regis futuri non timebant Magi *Regem præsentem.* Chrysostomus in cap. 2. Matthæi.

Prædocuit eos Spiritus Sanctus quod postea prædicavit Apostolus; stultus ut sit sapiens. S. Bernardus.

PARA-

PARAGRAPHUS V.

Quidquid ex Theologia penu ad hoc Argumentum valeat deprimi.

Quid ſit Epiphania & cur hoc nomine appellata fuerit,

EPiphania, quæ vox apparitionem, vel manifeſtationem ſignificat Domini in Mundo, ſemper habita fuit tamquam una ex præcipuis Eccleſiæ feſtivitatibus, ſeu propter alia Myſteria, quæ complectitur, ſeu quod ſemper habita fuit, tamquam feſtivitas, ut ita dicam, Vocationis Gentium ad fidem. Fidei conſonum eſt eodem momento, quo Angeli annunciabant Paſtoribus Salvatoris Mundi Nativitatem in Judæa, novum ſydus eamdem in Oriente nunciaſſe. Illud a pluribus viſum fuit; inſolitus fulgor, quem fundebat, cauſſa erat, propter quam ab aliis ſyderibus diſtinguebatur; ſed Magi ſolum, qui magis adhuc interiori lumine illuſtrabantur, cognoverunt, quid novum hoc phenomenon portenderet, nec dubitarunt, quominus ſtatim iter ingrederentur illum, quem ſtella annunciabat, quæſituri.

Quinam erant Magi, quibus apparuit ſtella, & cur hoc appellarentur nomine.

Magi ab Orientalibus vocantur Sapientes, Philoſophi, & Reges. Nomen hoc Perſicum etiam eſt, & apud Perſas ſignificat Sacerdotem. Populus infinito illos colebat obſequio, eoſque conſiderabat veluti Religionis, & ſcientiæ ſequeſtres. Illi, de quibus loquitur Evangelium edocti procul dubio de promiſſione Judæis facta fore, ut daretur ipſis Rex, qui futurus erat Mundi Salvator, ac de celebri Balaam prophetia quæ adeo aperte deſignabat Meſſiam per novam ſtellam in Iſrael, iter ingreſſi ſunt Jeroſolymam verſus, ſtatim ac viderunt novum hoc aſtrum, quod illis dux erat, non ſecus ac olim nubes lucida Iſraelitis in deſerto. Poſtquam Jeroſolymæ ſciſcitati ſunt, ubi novus eſſet Rex, & audierunt Meſſiam in Bethleem eſſe naſciturum, fide, ac reverentia pleni coram illo procidentes adoraverunt eum, tamquam ſupremum Dominum & hominum Salvatorem; & ſicuti mos erat in regionibus illis nunquam manibus vacuis ſeſe offerendi, obtulerunt illi quod pretioſiſſimum erat in patria ſua aurum, thus, & myrrham, atque tunc adimpletum eſt quod prædixerat de Meſſia David, futurum ut Reges Arabum, & Saba munera offerrent.

Quid doceat S. Thomas de manifeſtatione Nativitatis Domini. 3. p. quæſt. 30. art. 1. & 2.

JESU CHRISTI Nativitas non fuit generatim omnibus hominibus manifeſtanda, quia humani generis redemptio, quæ per crucis Myſterium adimplenda fuit, impedita fuiſſet; ſi enim Judæi, qui crucifixerunt illum, eum, qualis erat, cognoviſſent, ut Apoſtolus inquit, minime illum crucifixiſſent. Præterquam quod cum fides ſit de iis rebus, quæ non apparent, videlicet, quas nonniſi per rationes evidentes concipimus; ſi temporalis JESU CHRISTI Nativitas ab omnibus fuiſſet cognita per indicia manifeſta, fides, per quam Verbum Incarnatum venit ad omnes homines ſalvandos, & juſtificandos detrimentum paſſa fuiſſet meritorum ſuorum; quod enim meritum eſt credere, quod videtur, & id, de quo ſenſibus omnino perſuaſum eſt? Nihilominus Sanctus hic Doctor adjicit, Nativitas Filii Dei manifeſtanda fuit, ſin minus omnibus, aliquibus ſaltem, quorum opera ad aliorum cognitionem pervenire poſſet: ſeu quod ſi omnibus fuiſſet abſcondita, nemini profuiſſet, ideoque inutilis extitiſſet, ſeu quod divinæ ſapientiæ ordo poſtulat, ut Dei dona non æque omnibus diſtribuantur, ſed immediate aliquibus communicentur, ut per illos, tamquam organa, communicentur ceteris.

Cum non deberet Salvator per ſe manifeſtare ſuam Nativitatem illam manifeſtavit per Angelos Paſtoribus, & per ſtellam Magis.

Ex doctrina S. Thomæ hoc in argumento conſequitur, JESUM CHRISTUM non debuiſſe per ſe ſuam manifeſtare Nativitatem, quia cum eſſet infans ſimilis reliquis in exteriori ſpecie, declarare non debuit, quis eſſet, & cur in mundum veniſſet, quia infantes alii hoc minime faciunt, & facere nequeunt. Ad hæc ſicuti in ſemet oſtendit Nativitatem prorſus ſimilem, ſecundum infirmitates naturæ, communi hominum Nativitati, & manifeſtavit divinitatis ſuæ virtutem per creaturas, non debuit quoque ſuam manifeſtare Nativitatem per ſemet, nec dicere quis eſſet. Sed hæc etiam Nativitas hominis Dei ſuper terram, ut idem S. Thomas docet, congrue manifeſtata fuit Paſtoribus per Angelos, Magis per ſtellam, & per interiorem afflatum juſtis S. Simeoni, & Sanctæ Annæ Prophetiſſæ, quia cognoſcendus erat a Judæis, a Gentibus, a Juſtis, a peccatoribus, a ſimplicibus, & a ſapientibus; unde inferri poteſt ipſum non potuiſſe eligere media iis aptiora, quæ elegit, ut omnibus perſonarum generibus ſeſe manifeſtaret.

Idem D. Thomas art. 4. & 5.

Dei in hoc Myſterio conſilium erat adimplere promiſſiones, & prophetias factas de Gentilium vocatione, qui cognoſcentes, & adorantes verum Deum, & JESUM CHRISTUM, filium ejus Deum, & hominem, vocandi erant ad veram religionem. Talis erat promiſſio Abrahæ facta, numerum filiorum ejus æquatum iri cum numero ſtellarum cæli; nam filii Abrahæ ſunt omnes veri fideles; ita quemadmodum Judæi exiſtimati fuerunt vocati ad cognitionem JESU CHRISTI in perſona Paſtorum, Gentiles quoque cenſentur vocati in perſona Magorum. Cum igitur eorum vocatio fuerit tamquam primitiæ, & exemplum vocationis nationum, vel gentilium, quod fecit Deus erga Magos illis manifeſtaturus JESUM CHRISTUM, atque impulſurus ad amplectendum cultum illius, hoc fecit erga omnes homines, quos vocat ad Chriſtianam Religionem, ut ejuſdem perfungantur officiis; & quod Magi fecerunt, ut Deo vocanti reſponderent, id eſt, quod a nobis fieri voluit Deus, ut noſtræ vocationi reſponderemus. Deus Magos vocat intuitu ſtellæ miraculoſæ, efficientis ſaluberrimam impreſſionem in eorum corde, ac mente. Talis eſt inviſibilis gratiæ ſtella, quæ nos ad Chriſtianiſmum vocavit, & cujus impreſſiones ſequi debemus, ut Magi, hinc quidem cum docilitate, & ſubmiſſione, inde vero cum fortitudine, & conſtantia.

Voluit Deus in vocatione Magorum dare nobis exemplum vocationis noſtræ ad fidem & Religionem Chriſtianam.

Quemadmodum Regum Magorum vocatio eſt primus potentiæ Salvatoris triumphus, & prima gratiæ ejuſdem victoria de peccatoribus, dicere poſſumus hanc eſſe velut ideam ceterarum vocationum, & converſionum omnium, quas deinceps in Eccleſia operatus eſt; & hodierna die facere incipit, quod deinceps ſæculorum lapſu facturus eſt. Sed Deus, ut plurimum utitur duplici gratiarum genere, quæ paſſim conjunctæ ſunt; gratiæ exterioris, quam vocare poſſumus tamquam corticem, & corpus gratiæ. Gratia altera interior eſt, & ſecreta, motus Spiritus Sancti, inviſibili pacto tangentis cor; quam Theologi vocant animam, & partem interiorem gratiæ: ſed cum admirabili relatione utriuſque hujus gratiæ, quæ unicam componunt vocationem accommodatam naturæ hominis, qui conſtat ex anima, & corpore. Ita Magos vocaturus, duplici hoc utitur medio, altero quidem exteriori, quod producit in cælo, quod ſydus eſt; altero interiori, quod refulget in anima, & hæc eſt Spiritus Sancti gratia: ſed cum tali concentu, ut lumina gratiæ ſecreto explicent in ima cordis parte quidquid ſtella ſuis radiis annunciat, quorum virtus omnis in eo vertitur, ut cognoſcendum tradant Regem recens natum in Mundo. Hoc ipſum accidit in vulgaribus hominum vocationibus, ſeu peccatorum ad gratiam, ſeu infidelium ad fidem. Utitur Deus exteriori aliqua re, puta, Concionatoris voce, aliquo bono exemplo, occaſione, inopinato eventu; quod ſemper cum interiori gratia conjungit, quæ lux eſt hominem illuminans, & efficiens, ut ille cognoſcat, quid ſignificet hic eventus, & mox cum ſancto motu, qui illum tangit, & excitat.

Deus in communi hominū vocatione, ſive ad fidem, ſive ad gratiam paſſim id agit, quod cum Magis egit.

Magi Aſtrorum ſtudio operam dabant, & Aſtrologiam profitebantur; ideo mittit ad eos ſtellam, ut motum illius facilius ſequerentur. Ita uſus indulgentia admirabili, ut ſeſe illorum accommodaret ingenio, ac profeſſioni; efficiens ut illis novum illuceſceret aſtrum longe ab aliis diverſum, ut oculos eorum percelleret magnitudine, ſpecie, & motu prorſus ſingulari. Hoc pacto Deus nobiſcum paſſim facere conſuevit; ſtudiis, ingenioque noſtro ſe accommodat, muneri, & profeſſioni: iis utitur, quæ reperit in nobis, ut nos trahat ad ſe, & veluti amantiſſimus Pater, qui filiorum ſuorum infirmiorem partem cognoſcit, nullum non lapidem movet, ut nos convertat, & ſalvos efficiat.

In fulgentia qua Deus cum Magis uſus eſt vocans illos per novum ſydus; qua nobiſcum quoque ſemper agit.

Non ſolum ex Magorum exemplo diſcimus modum, quo Deus nos ad cultum evocat ſuum; ſed illi nos etiam docent, quomodo reſpondere debeamus vocationi cæleſti, celeriter, & ſine mora, ſtrenue, omnes perfringendo obices, qui conſilio noſtro adverſantur, & potiſſimum quo pacto noſmet devovere debemus illi, qui tanta nobiſcum utitur miſericordia. Ita Magi grato recolentes animo inſigne illud beneficium, quo fuerant affecti, teſtati ſunt magnam ſollicitudinem inviſendi Regem novum, qui ſeſe illis cognoſcendum tradiderat via adeo inſueta, ſuperaverunt omnes difficultates, & cogitationes, quæ illos deterrere poterant ab incœpto, ac tandem procubuerunt ad pedes ejus, & muneribus ſuis oſtenderunt, ſe omnino & bona, & perſonas ſuas illius ſervitio, & gloriæ conſecrare.

Magorum exemplum nos docet, quomodo reſpondere debeamus vocationi Dei.

Ex quo Magi iter ingreſſi ſunt, viderunt ſtellam præeuntem, tamquam ducem iter ſubſequentibus indigitantem. Exemplum ex quo intelligimus, ſi fide pura, & ſincera quæſiverimus Deum in uno illo fidentes, ipſum nobis daturum ducem fidelem, qui nos tuto deducat. Dux hic erit Spiritus ejus, qui cum gratia vocationis noſtræ, tamquam cum lumine ſtellæ deducet nos in omnes vias noſtras, non ſecus ac olim ducebat Iſraelitas in deſerto, interdiu quidem per nubis columnam, quæ illos ab ignitis ſolis radiis protegebat; noctu vero per columnam ignis, quo illuminabantur, ut quovis tempore iter agere poſſent citra metum deerrandi.

Cum quærimus Deum Magorum exemplo, Deus ducem nobis præbet, a quo tuto deducimur.

Cum Sancti Reges iſti poſt aliquot itineris dies perveniſſent prope Jeruſalem, repente evanuit ſtella & omnino oculos eorum fefellit; quæ res gravem illis attulit mœrorem: ſed Deus ita diſpoſuit, ut diſcerent, cum non haberent amplius in cælo ducem viſibi-

Magorum exemplum nos docet cum exiſte lumen deeſt, confugiendum eſſe ad media conſue-

ea, hoc est ad vocem Pastorum.

visibilem quem sequerentur, sibi confugiendum esse ad regulam, a Deo in terris constitutam ad homines dirigendos, quæ sane est Doctorum, Præsulumque directio, quibus Ecclesiæ gubernaculum credidit. Propterea Magi cælitus edocti animum non desponderunt, neque se deceptos esse putarunt, sed e contra sibi Jerosolymam versus iter instituendum esse censuerunt, ut aliquod perciperent nuncium illius, quem inquirebant, ibique a legis Doctoribus didicerunt Messiam in Bethleem esse nasciturum.

Ut Magi stellæ ita nos gratiæ lumen sequi debemus; & eorum consilia qui nobis præsunt.

Magi Jerosolyma, & de Herodis aula egressi magna affecti sunt lætitia, ubi iterum illis refulsit stella, quæ paullò ante evanuerat, ejusque cursum secuti sunt quin ad lævam iter flecterent vel ad sinistram; gradum sistebant, eadem quiescente, & eadem sese movente, iter prosequebantur. Illam pro viribus imitari debemus pro norma sequentes fidei lumen, divinos afflatus, lumen nostrorum superiorum, vel directorum. Hæc sunt lumina, quæ nos illustrant, quæ nos in viam bonam deducunt, quin nos avertant; nostra quippe interest sequi viam, quam hæ stellæ nobis indigitant, ne viarum errore decipiamur.

Nosmet attentos præbere debemus iis, quæ gratia postulat a nobis, quemadmodum Magi attenti fuerunt iis, quæ stella significabat.

S. Augustinus stellam, quæ ducebat Magos ad incunabula Filii Dei, vocat linguam cæli, quæ secreto sermone sese explicuit, cui si Principes illi attentas non præbuissent aures, nunquam JESUM CHRISTUM videre potuissent. Eorum discamus exemplo, si nos attentos præbuerimus gratiæ, quam nobis exhibet Deus in pluribus, numeroque carentibus occasionibus, nos facile assecuturos, id quod naturalis nobis videtur eventus, stellam esse, quæ nos illuminat, vel potius linguam, quæ nobis loquitur, & nobis dicit, quid sit faciendum, quo eundum; & si eadem nobis fidelitas fuerit, quæ Magis, in voce hac audienda, nos æque ac illos tuto ad JESUM CHRISTUM esse deducturam. Huic igitur attentos nosmet præbere debemus, ita cum aliquis inopinatus accidit casus, quo Deus nos vocat, & erudit, non solum nobis immorandum sit in earum rerum natura, quæ sua novitate in nobis cient admirationem, sed audiendum quid sibi velit Deus, idque eo attentius, quia Deus non semper loquitur per lumen astrorum, sed utitur modo umbris, & figuris, & modo eventibus, qui accidunt vel nobis, vel aliis; quem sermonem minime intelligemus, nisi curam, operamque ad illum assequendum impenderimus.

Adoratio Deo debita secundum Regum Magorum exemplum,

Evangelium duplici explicat verbo cultum adorationis, quem Magi Salvatori præstiterunt: *Et procidentes adoraverunt eum*. Semet prostravere; hæc est exterior adoratio, simulque divinitatem ejus confessi sunt; inde supremæ illius magnitudini sese subjecerunt; hæc est interior adoratio, qua nosmet humiliare decemur coram divina Majestate. In adoratione nostra duplex conditio requiritur, ut sit accepta Deo. Altera quidem est, ut fiat in spiritu, & veritate; *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Adorare in spiritu est habere sensus interiores magnitudinis illius, quem adoramus exterius. Altera vero est adorare in veritate, hoc est adorare id, quod vere dignum est adoratione; videlicet unum Deum: qui enim creaturas adorant, adorant mendacium. Magi adorant in spiritu, quia exteriora submissionis suæ signa, interiori cum submissione conjungunt procidentes corde æque ac spiritu coram hoc puero; adorant etiam illum in veritate credentes, & confitentes ipsum esse verum Deum.

Joann. 4.

Ex hominibus alii sunt, qui gratiæ stellam detegunt, alii, quibus stella se detegit. Primi qui detegunt stellam illi sunt, qui per rectæ rationis lumina intelligunt fidem, & JESU CHRISTI revelationem nonnisi a Deo proficisci posse; nam quamvis fides donum sit Dei, quod non potest acquiri naturalibus rationis viribus; potest tamen animari, & roborari hac ratione, quam gratia applicat perquisitioni veritatis: neque enim nisi per rationem cognosci potest infallibilitas Oraculi, quod nobis Mysteria Religionis aperuit. Itaque quamcumque spiritus submissionem fides exigat, illam non exigeret Deus, nisi ratio ipsa probaret. Hoc pacto in hoc Mysterio Magi sese gesserunt. Primum quidem stellam viderunt, & de hac apparitione argumentati, censuerunt hanc illam esse, quam vetus Propheta prædixerat, futuram signum Nativitatis novi Regis: sed gratiæ stella, quæ subsequebatur exterius hoc signum, prior sese illis detegit, quandoquidem ne cogitantibus quidem apparuit, & illos in sui sequelam excivit, ut funditus de hoc Mysterio erudirentur; ita ut dici possit, fidem, & rationem, lumen naturale, & supernaturale aliquid contulisse ad illos illustrandos, & ad JESU CHRISTI cognitionem pertrahendos.

Adoratio præcipuus est Religionis actus. Tributum est, quod exigit Deus ab omni creatura rationis, & intellectus participe; & est tamquam necessarium consequens cognitionis hujus Entis supremi. Nobis integrum non est, Deum non cognoscere. Divinitatis ipsius characteres indelebiles sunt in animabus nostris; voluit, ut secreta quædam persuasio existentiæ suæ, quæ oritur cum nobis, & nonnisi cum nobis moritur, esset in omnibus hominibus tamquam adumbrata Religio, quæ illis præcipue indigitaret officia, quorum observantia, vel negligentia eorum fatum deberent constituere. Sed primum officium, quod nobis hæc imponit cognitio, est Deum adorare. Adoratio hæc omnem fere veterum Patriarcharum Religionem constituebat primis illis Mundi temporibus, antequam Deus illis revelasset suæ legis miracula, & fidei nostræ Mysteria. Sancti illi viri, qui ambulabant coram Deo in sui cordis innocentia non aliam vitæ habentes regulam nisi conscientiam, & rationis suæ lumen; nec aliud Domino adhibebant obsequium, quam cultum adorationis; & offerebant illi primitias fructuum terræ in suæ submissionis, & obedientiæ testimonium. Cultus hic emundatus fuit sacrificiis in lege scripta, quibus illum jussit consociari, ut apertius per victimarum excidium indicaretur interior exinanitio, ad quam homo sese redigere debet coram ea, quam adorat, Majestate. Sed cultus hic, quem adhibemus Deo per adorationem extremum puritatis, & perfectionis gradum obtinuit in lege gratiæ; uti liquet ex adoratione Magorum, qui primus fuit cultus, quem Dei Filius recepit a Gentibus, postquam adeo insigni pacto sese illis manifestavit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecta ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus Argumenta.

Hæc dies proprie dicitur manifestatio Filii Dei.

FIlius Dei non pro Judæis tantum natus erat, sed pro Mundo universo; ideoque a primis diebus nativitatis suæ incœpit se Mundo manifestare. Ignorantiæ tenebræ supra terræ faciem effusæ incipiunt evanescere; qui sepulti erant in umbra mortis repente ingenti lumine illustrantur, & gentes idolorum cultrices ad veri Dei cognitionem accedunt. Mundi Salvator nondum nisi in Judæa cognoscebatur; verum hodierna die Ethnicis quoque se tradit cognoscendum. Immo ne in Judæa quidem nisi ab aliquot Pastoribus cognitus erat, sed hac die ad sua arcessit incunabula Sapientes, Principes, Reges. Ad annunciandam Pastoribus nativitatem suam, mittit Angelum ad illos, & ad eamdem Magis nunciandam, jubet novum sydus in Cælo nitescere. Denique Pastores non venerant oblaturi nisi rustica quædam, & egena munuscula; at omnia Mysteriis plena sunt in Magorum donis, omnia magnifica sunt, & glorioſa: hæc sunt diversa tributa, quæ præbentur illius divinitati, humanitati, dominationi, quapropter Ecclesia magnum hunc diem proprie Salvatoris manifestationem appellat. *Pater de Valois in Asceticis sermonibus de Mysteriis Domini nostri.*

Veræ fidei conditiones in Magorum fide enitent.

Magorum fides humilis fuit, & submissa; ad illos persuadendos stella fuit satis; nos vero, Domine, rebelles lumini post tot miracula, & rationes quoties per criminosam audaciam argumentari voluimus de tuis divinis Mysteriis, & judices fieri adorabilium veritatum tuarum? Quoties irrisimus, vel quoties saltem aures præbuimus sermonibus licentioribus, & procacibus? Magorum fides prompta fuit, & practica. Statim ac stellam viderunt, discedendi consilium inierunt, eodemque momento initum consilium executi sunt. Sed rubore suffundimur coram te, Domine, propter vitæ nostræ inutilitatem. Credimus, sed nihil operamur; hæc est fides mortua, & dæmonum fides; immo in hoc potiori jure damnandi sumus, quia illi non sunt amplius in statu operandi; in nostra vero potestate situm est, quotidie fructum percipere ex talento, quod præ manibus habemus. Illa firma fuit fides, & generosa. Quid illis ab Herode non erat timendum? quibus se periculis objiciebant loquentes in Judæa de alio Rege ab hoc violento, & sævo tyranno? Non quæsiverunt illi dissimulare sui itineris caussam; immo eam præ se tulerunt; sciscitati sunt de novo Judæorum Rege; quæsiverunt, ubi natus esset, & quamvis turbaretur Herodes, perstiterunt in consilio eundi ad illum adorandum, & cognoscendum. Nunquid eadem nobis in simili casu esset constantia, nobis, quibus irrisio, jocus, dicterium timorem injicit, & de sententia deturbat? Denique hæc fuit constans fides, & perseverans; eamque ad extremum usque vitæ exitum conservarunt. Heu! Domine, quod triste naufragium passi sunt? quod in fide alti, & instituti illius jacturam fecerunt seu propter supplicium illis a tua justitia inflictum, seu in pœnam criminum suorum? Nunquid fortasse ex hoc numero sumus? &c. *Idem.*

Fidei virtus mirum in modum in Regibus Magis enituit.

O miraculum! O omnipotens fidei virtus! Tres principes Judæorum Regem, vel potius Dominum Mundi quærunt. Ut hunc conveniant, longum iter ingrediuntur; pro itineris termino inveniunt stabulum, huc ingrediuntur & in stabulo vident infantem in palea cubantem, & inter duo animalia positum. Quid hac re illis dictabat, quid dictare debebant sæculi

ſæculi prudentia, in tanta pueri imbecillitate? Fides detegit illis in puero Altiſſimi Majeſtatem; in carne fragili, & mortali Deum immortalem agnoſcunt, ſtabulum tamquam palatium tuum, Domine, intuentur, præſepe tamquam thronum tuum; tantum abeſt, ut abjectus humilis domus ejus adſpectus deterreat illos, ut immo exultent præ gaudio. Quin inania miſceant verba, & vana colloquia de paupere ſtatu, in quo ab illis videris, ubi te viderunt in terram procidentes te coluerint. Hi ſapientes claudunt oculos omnibus ſapientiæ ſuæ luminibus, ut ſanctam amplectantur Evangelii ſtultitiam. Reges iſti ad pedes tuos omnem abjiciunt magnitudinem ſuam, ut attollant ſpeciem tuæ humilitatis, atque ſeſe tuæ legi ſubjiciant. Ethnici iſti omnibus idolis ſuis nuncium mittunt, te verum, & unum Deum adoraturi: Quis non admirabitur potentiam hujus fidei, & gratiæ tuæ, Deus meus! *Idem*.

De muneribus, quæ Magi Domino obtulerunt.

Magi, Domine, thus offerunt tibi, & hoc thure tuam recolunt divinitatem. Thus in Sacrificiis adolebatur; conſumptum igni ipſum quoque fit ſacrificium; & uni tibi, Domine, adolendum eſt. Myrrham offerunt tibi, & per hanc Myrrham tuam agnoſcunt humanitatem. Myrrha utebantur ad linenda corpora poſt mortem; & hoc pacto confitentur, licet Deus ſis, te eſſe etiam hominem mortalem. Denique offerunt tibi aurum, & auro recognoſcunt dominationem tuam. Hoc tributum eſt, quod ſupremis Principibus perſolvimus in teſtimonium ſervitutis noſtræ, & in honorem celſitudinis eorum. Accedo ad aras tuas, Domine, id facturus quod ad præſepii tui pedes illi fecerunt; venio adoraturus divinitatem tuam, eique adorationis tributum præſtiturus; humanitatem tuam, & illi grati animi, & amoris tributum perſoluturus; dominationem tuam, eique ſubmiſſionis, & obedientiæ ſacrificium oblaturus. Coram te venio inſtauraturus id, quod ego met feci in baptiſmo meo, vel quod meo nomine in illo factum eſt. Venio abrenunciaturus Mundo, omnibus pompis, & erroribus Mundi, ut tibi adhæream per viam, docilemque fidem perferventem, ſtrenuamque praxim. Tales ſunt Deus meus ſenſus mei, talia conſilia &c. *Idem*.

De Gentilium ſubſtitutione in locum Judæorum qui JESUM CHRISTUM recognoſcere noluerunt.

Ne patiaris, Domine, id mihi accidere, quod Judæis: Meſſias medius inter illos verſabatur; illi hujus erant populus, & non cognoverunt illum, dum alieni illum in Judæa quærebant, & ex remotiſſimis terris ad illum adoraudum accedebant. Luminum Pater, hæc quotidie ſuper infideles gentes effundis, eaque revocas a Chriſtifidelibus, qui iiſdem abutuntur. Non poſtulo, ut ceſſes cæcos illuſtrare populos; immo e contra obſecro te, ut eorum memineris; verum ne ſimul obliviſcaris mei: eos reple quidem, ſed eorum plenitudo non fiat paupertas mea; etenim heu! nunquid trans maria aliquis eſt idolorum cultor, ad quem velles transferre fidei talentum, ex quo ille centuplum referret, & quod in manibus meis eſt inutile? Hæc translatio, & ſubrogatio effectus eſt juſtitiæ tuæ, quam reformido eo quod hactenus hoc pretioſo munere abuſus ſum! Hoc pacto operatus es cum Judæis, qui hodie in terribili cæcitate ſqualent, cum interim alieni in eorum locum ſubrogandi evocantur. Proh Deus! Omnia a me aufer, omnia inquam temporalia dona; Si ut tibi fiat ſatis, his ſum exuendus, non abnuo; ſed nunquam aſſentiar jacturæ muneris adeo pretioſi, qualis eſt fides. Hæc eſt ſpes mea, hoc ſpei meæ fundamentum, hoc primum meæ ſalutis principium. Hanc incipio pluris facere, quam antea; cognoſcere incipio hac amiſſa, me amittere omnia; quapropter mea tibi vota ingemino, & obſecro, ne auferas a me hoc fidei donum, quod accepi a largitate tua, & quo toties me indignum præbui per meam nequitiam. *Idem*.

Magi ex eſſi ex regionibus ſuis quærebant ſolum Regem terrenum recens natum.

Quamvis Magi ſtellam vidiſſent, atque agnoviſſent hoc ſignum eſſe, quod Propheta tradiderat nativitatis novi Regis, nondum tamen Dei conſilia erant aſſecuti. Quam ob rem ſuſceperunt iter, nonniſi quæſituri Novum Regem in Regni ſui Metropoli, ubi ſe viſuros putabant magna quædam gaudii, lætitiæque ſigna. Permiſit Salvator, ut nihil invenirent, quod reſponderet conceptui, quem habebant terrenæ hujus magnitudinis, & ut ægre ipſum invenirent, ut illorum perquiſitione manifeſtante ejus adventum in terram, homines bonæ voluntatis excitarentur ad tantum bonum hoc inquirendum, & alii ad excutiendum præaltum ſoporem in quo erat ſepulti. Itaque Magi Jeroſolymam ingreſſi, omnia ibi quieta, atque tranquilla invenerunt, ita ut ne ſermo quidem haberetur de hoc novo Rege, cujus ſtellam in Oriente ſe intuitos fuiſſe dicebant. Hinc liquet illos nequaquam repente illuſtratos fuiſſe, neque intellexiſſe magnum hoc Myſterium Dei hominis facti, niſi cum pervenerunt in Bethleem, & viderunt illum in ſtabulo, in quo natus erat. *Ex libro, qui inſcriptus eſt: Paſſiones Domini Noſtri.*

Quomodo cum Magis Herodes ſe geſſerit.

Populi, qui gemebant ſub tyrannide Principis Iudæi adeo alieni erant, ut cogitarent de felicitate, quæ tunc temporis erat eventura, ut etiam perterriti fuerint præ metu, ne Rex, cujus nativitatem Magi portendebant, Judææ malorum, & belli cauſſa futurus eſſet. Sed hoc nuncium neminem magis perterruit quam Herodem audientem quæſtiones, quæ fiebant a Magis Jeroſolymæ de loco, ubi novus hic Rex erat naſciturus; ſciebat enim per eam, quam habebat cum Judæis neceſſitudinem, ab his Meſſiam expectari tamquam auctorem libertatis oppreſſæ; & timuit, ut rumor percrebeſcens eſſet principium interitus ſui. Diſſimulavit tamen perturbationem animi ſui; Magos alacri animo excepit, conſultiſſimos ex Judæis in Conſilium adhibuit, ab eis quæſivit, quid de Meſſia Scripturæ portenderent, prohibiturus ne Magi deciperentur; ſed reipſa ubi facti veritatem didiciſſet, ſtatuit JESUM CHRISTUM in ipſis incunabulis tollere, & hoc pacto imminens capiti ſuo periculum avertere. Prava conſilia ſua zeli, & religionis ſpecie celavit; privata inſtruit colloquia; ab illis ſciſcitatus eſt quo modo, quo tempore, aliaſque circumſtantias ſtellæ, quam viderant, & cauſſas, quæ illos impulerant, ut novum hunc Regem conquirerent; doluitque ſuam infelicitatem, quod ſibi in Regno ſuo videre negatum fuerat, quod ipſi in remotiſſimis terris agnoverant. Illos etiam obteſtatus eſt, ut de Bethleem reduces Jeroſolyma iter relegerent; ipſum certiorem facturi de eo, quod inveniſſent; quod ubi ſibi nunciatum fuiſſet, ipſum quoque cum aula ſua profecturum eſſe ad obſequia tanto Regi præſtanda; atque curaturum, ut in regiis ædibus nutriretur ea pompa, ac nitore, qui illius deceret dignitatem. Magi ergo Bethleem conceſſerunt nihil de veris Herodis intentionibus ſuſpicantes, quin euntes quiſquam vel ex aula, vel ex civitate comitaretur; quippe univerſus ille populus cæcutiebat, & id negligebat, quod unum maxime erat neceſſarium. Magi intrinſecus illuſtrati prociderunt Divinam Majeſtatem adoraturi ſub infantis imbecillitate latentem; eique aurum, myrrham, ac thus obtulerunt. Sed Deus contra cujus conſilia humana nihil poteſt nequitia, Magos in ſomnis admonuit, ne Jeroſolymam iterum redirent; quapropter per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam, & hoc pacto fallacem Herodis prudentiam fefellerunt. *Idem*.

Quomodo cum Magis ſe geſſerit Deus, & quomodo ageret nobiſcum ſi afflatibus ejus reſponderemus.

Magos hos, Divina Lux, evocaſti per ſyderis materialis fulgorem; ſed illos ſimul etiam excitaſti interiori motu, ut quærerent te; & quamvis lateres ſub pueri figura, pannis involutus, in paupere domo docuiſti illos, ut agnoſcerent te, atque tamquam Dominum, Deumque ſuum adorarent. Illic omnes terrenas cogitationes abjecerunt; illic deſideria ſua extulerunt ad te, ſuumque tibi amorem dedicarunt; mentem, libertatemque ſuam legi, ac ſervitio tuo ſubjecerunt, te tamquam theſaurum ſuum reſpexerunt; tu vero in illis incœpiſti, tamquam in primitiis gentium adire poſſeſſionem animarum, ad quas perquirendas in terram deſcendiſti. Illos vocaſti Domine, illos deduxiſti, illos ſecreta docuiſti conſilia tua, omnia eorum deſideria repleviſti, & cor eorum gaudio, & conſolatione cumulaſti. Sed o Deus, quas nobis gratias non conferres, quibus beneficiis nos non cumulares, ſi ſequeremur voluntatem tuam, ſi fideles eſſemus divinis afflatibus tuis? Niſi noſmet ſurdos præberemus voci tuæ, ſi ſaltem ſecundi amaremus te, quandoquidem primi te amare non poſſumus; ſi ita dociles eſſemus, ut ſequeremur te, quandoquidem non ita fortes ſumus, ut te perquiramus; ſi te operari ſineremus, ſi minime adverſaremur iis, quæ a nobis expetis, quamprimum tales eſſemus, quales eſſe nos cupis. *Idem*.

Quomodo cum Magis egerit Deus.

Mundi Salvator Magos prævenit, eoſque educit de ipſorum *infidelitate*, ut oſtendat in illis admirabile lumen ſuum. Illos ſuaviſſimo attrahit modo per novi ſyderis lucem, cujus adſpectus jucundum præbere debebat ſpectaculum hominibus ſapientibus aſtrorum contemplationi operam dantibus. Efficit, ut hæc ſtella ipſos præcedat ad itineris minuendam difficultatem, quam ſi ad aliquod tempus abſcondit, hoc agit ad eorum amorem, fidemque emundandam, & ingeminandum hoc periculo gaudium, quod percepturi ſunt iterum videntes illam, ac tandem invenientes theſaurum, quem quærunt. Ecce quomodo ſeſe gerit nobiſcum Deus per ſuæ bonitatis exceſſum. Nos primi ad pedes illius ire deberemus, ac in genua illum adoraturi procumbere; ille nos prævertit, a nobis preces extorquet, ut cum illo redeamus in gratiam; debemus noſmet conformes præbere voluntatibus ejus, atque in id toto pectore incumbere, ut illi ſatisfaceremus; ipſe vero ſeſe noſtris ſtudiis accommodat, velificatur noſtris deſideriis, & ſuas addit gratias, & lumina noſtris mentibus congrua. Videte Magorum ſtellam; hæc ad vivum repræſentat omnia media, quibus utitur Deus, ut nos ad ſui evocet cultum, ſed potiſſimum interiorem gratiam, quæ præcipuum eſt ſui amoris, atque ſapientiæ inſtrumentum. *Pater Novet in vita JESU CHRISTI in ſtabulo Bethleemiti de Myſterio Epiphanis.*

Magi heroicum fidei actum exer-

Cum Magi ingreſſi ſunt in ſtabulum ubi ille erat quem

cuerunt Salvatorem in Bethleemitico ſtabulo adorantes.

quem quærebant, illico refulſit lumen longe divinius illo Syderis, quod ipſos illuc uſque deduxerat. Lumen hoc eorum penetravit corda, & oſtendit eis Infantem illum Deum eſſe, & Salvatorem eorum, in quo omnes Divinitatis theſauri latebant. Quis non admirabitur hoc in loco fidem Regum Sanctorum, quæ ad perfectionis cumulum evaſit. Jam heroicum illius actum elicuerant, cum ſtella apparuit in Oriente; quapropter patriam ſuam deſeruerant, fide freti jam natum eſſe Regem univerſorum. Alium etiam, eumque præſtantiorem elicuerunt, ubi hæc ſtella evanuit ab oculis eorum Jeroſolymam ingredientium, quin ne hilum quidem caritas tepeſceret, ipſis ſemper in iiſdem ſenſibus permanentibus; ſed ille, quem exercuerunt in ipſo ſtabuli aditu, duos priores magnitudine ſuperavit: videntes enim puerum in præſepio ſtratum, quamvis omnia, quæ in oculos eorum incidebant maximam teſtarentur pauperiem, atque humilitatem; crediderunt tamen ipſum vere Deum eſſe, & Monarcham univerſorum. O quam potentes ſunt oculi fidei! Hæc Dei majeſtatem ſub infantis parvitate ſecernit. *Idem*.

Judæorum cæcitas cum interim Magi illuminantur.

Mirum! Magi de remotiſſimis terris accedunt Mundi Salvatorem adoraturi; & Judæi, quos inter nuperrime natus eſt, illum minime agnoſcunt! Nunquid apertiora habere debebant indicia? Sed quid prodeſt lumen cæcis, oculos obſtruentibus ſibi? Quis prohibet, ne Herodi eadem, quæ Magis, acciderit felicitas? Deus mittit ad eum tres Reges advenas, illi nunciaturos nativitatem Salvatoris Mundi in Judæa; permittit etiam, ut doctores populi funditus illum erudiant de loco, ubi Meſſias natus eſt; quid omnes hujuſmodi proſunt cognitiones? quid omnes hæ gratiæ in corde ambitioſo, & impio? Tumultus, verſutia, crudelitas, anima mundana, hypocrita, Religionem ipſam poſthabent politicæ, ambitioni, inexplebili cupiditati. O quam verum eſt, Deum ſemper inveniri, cum bona fide quæritur. Nunquam deficit ſubſidium, neque dux. Omnia pendent a rectitudine intentionum noſtrarum, & a noſtri cordis ſinceritate; cordis hujus nequitia extinguit, vel irritum facit lumen gratiæ. Hæc fruſtra lucet, ſi quis oculos claudit, ne videat. *F. Croiſet in anno Chriſtiano*.

Quid fecerint Magi in terras patrias reverſi.

Quod ſpectat ad Reges, quibus contigit adorare Mundi Salvatorem, eique ſua offerre munera, facile eſt aſſequi, quanam gratiarum, ac ſupernaturalium bonorum affluentia cumulati fuerint; quanam viva fide, quam ardenti caritate, quam puro, ſtrenuoque zelo domum ſuam fuerunt reverſi, ubi poſtquam ea nunciaverunt mirabilia, quæ viderant, meriti ſunt mortem Sanctorum obire. Et profecto gratia, & adeo ſingularis vocatio, fidelitas adeo generoſa, & ſollicita non alium invenire poterat exitum. Hoc ſane credit Eccleſia permittens illis publicum adhiberi cultum. *Idem*.

Quinam fuerunt ſenſus lætitiæ, admirationis, amoris, & reverentiæ ſanctorum horum Regum, qui ſtatim ac pervenerunt in Bethleem, viderunt ſe non deceptos fuiſſe, & viderunt divinum hunc Salvatorem, in quo ſupernaturali lumine illuſtrati agnoverunt reſidere corporaliter totam divinitatis plenitudinem. Acti acribus religionis ſenſibus quanam reverentia, quibus pietatis ſenſibus proſtraverunt ſe coram illo? Quam grata Salvatori Mundi iſta adoratio? qua fide coram illo cor ſuum effuderunt? Quamvis pretioſa eſſent illorum munera, eorum tamen devotio, & caritas fuit pretioſior apud Deum. Cor noſtris largitatibus pretium tribuit; quod ſi deſit, oblationes noſtræ Deo gratæ eſſe non poſſunt. Quot mortales inanem adhibent cultum Deo, quia cor eorum longe abeſt ab illo! Eheu! Salvator, quot, quantaque nanciſcor exempla in primis adoratoribus ſuis? Nunquid eo quod minori ſumptu invenire te poſſum, opus eſt ut minori cum ſollicitudine te ipſum inquiram, te minori cum reverentia colam, tibi infrequentius mea præſtem obſequia? *Idem*.

Quanta æſtus affecti ſunt Magi eo, quod paruerint voci Dei.

Quam plurimi homines hanc Sanctorum Regum credulitatem in ludibrium verterunt; quid dictum non fuit de hoc illorum itinere? Sed cum Magi id nacti fuerunt, ad quod inquirendum venerant, nunquid illos pœnituit, ſe præſto fuiſſe ad vocem Dei ſequendam? Num puduit illos ſimplicitatis ſuæ? num conqueſti ſunt de laboribus itineris inſtituti? De hoc conjecturam facite ex iis ſenſibus, quos fovemus cum ad vitæ terminum pervenimus. Heu! quodnam diſcrimen inter Herodem, & hos Sanctos Reges! Quot mortales eamdem ſtellam viderunt, & eamdem fortaſſe, quam Magi mentem habuerunt? Sed eumdem animum non habuerunt, neque eamdem docilitatem; ſors eorum longe fuit alia. Hæ gratiæ quas ipſi contemnimus, hi ſalutares afflatus, quos ſequi detrectamus, quamplures fideles animas ad Deum adducunt. Quod malum eſt indociles eſſe! & aliquando quæ pœnitentia! *Idem*.

Magorum docilitas exemplo nobis eſſe debet in perquiſitione veritatis, & officiorum Religionis. Stella eos vocat, & ducit, & nihilominus indigent adhuc hominum cognitionibus. Accedunt prope Jeroſolymam, & ſtella evaneſcit. Magi cenſere ne poterant, ſe ſatis feciſſe? Sed cum Deus operæ pretium non putat per ſeipſum ſuas nobis voluntates aperire, nobis ad homines confugiendum eſt, quos inſtituit, ut ab illis edoceamur. Noverant Magi Jeroſolymam ſequeſtrem eſſe prophetiarum, quæ Meſſiam reſpiciebant; illuc ſe conferunt, ut locum nativitatis ejuſdem edoceantur. Querunturne, ſe a Deo derelinqui, quia redacti ſunt ad minus inſignem viam cognoſcendi, quid a ſe velit Deus? Nequaquam. Quid intereſt animæ docili, quanam via placeat Deo illam adducere ad ſe, dummodo tuto ad ipſum ducatur. Via, quæ maxime ſimplex, ac naturalis eſt, ſæpe etiam eſt melior ad humilitatem noſtram exercendam, ac majus docilitati noſtræ meritum conferendum. Magi audiunt, JESUM CHRISTUM natum eſſe in Bethleem ex Doctorum reſponſionibus. Innixi hinc quidem ſtellæ miraculo, inde vero doctrinæ Interpretum Legis in tuto ſunt. Ita nos quoque, ut illi, erimus incumbentes fidei noſtræ per miracula peracta in Chriſtianæ Religionis inſtitutione, & in gratiam ejuſdem, & deciſionibus Eccleſiæ, quæ per non intermiſſam Paſtorum ſeriem ſubſiſtit ab eo tempore, ut ad nos tranſmittat uſus, & oracula, quæ ab eodem didicit JESU CHRISTO. *Ex libro, cui Titulus: Verus ſpiritus, & uſus ſollemnium anni feſtivitatum*.

Difficultas, quam habere poterant Magi infantem hunc pro Deo adorantes.

Quænam difficultas Magos avertere potuit, ne pro Deo puerum omnibus rebus egenum adorarent; Hicine igitur dicere poterant Meſſias ille, gentium gloria, & ſumma humani generis felicitas? Quam levior ſatis eſſet difficultas ad longe plurimos deterrendos fideles, qui nihil invenire vellent in Religione, quod ſenſuum ſuorum ſtudiis, & carnalis rationis ſuæ conſiliis adverſaretur? Magi tamen non ideo minus parati ſunt, ut JESUM CHRISTUM adorent. Meminerunt juſtarum cauſſarum, propter quas crediderunt, Puerum hunc ſua munera, & ſacrificia mereri: hoc ſatis eſt, ut immobiles maneant in eo, quod ab ipſis petit Deus. Ita quilibet verus Chriſtianus agere conſuevit; ſciens, quid a ſe expetat Deus, adhæret illi, quamvis aliud ſenſuum, & humanarum idearum ſuadeat rebellio; quamvis in virtutis via magna ipſi occurrant pericula, quamvis plurimos inveniat obices, quos illi homines vellent objicere ſermonibus, exemplis, & auctoritate. *Idem*.

Non humanæ rationes non hominum verba illos deterrent.

Quid objici non potuit Magis, ubi viſi ſunt patrias domos relinquere, ut longum iter ſuſciperent, & ignotum Regem conquirerent, quin ſcirent, ubi eſſet inquirendus? Sed ille, quem inanes morantur ſermones, nondum primum movit gradum in Dei ſervitio. Quod dicit Sapientia, & veritas æterna, efficit, ut in audientibus evaneſcant ea, quæ in oppoſitum dicunt homines, quorum alioquin facile eſt agnoſcere nihilum, & mendacium. Neque moratur illos potentiæ, & humanæ auctoritatis obſtaculum. Norunt Herodem, characterem ejus zelotypum, & crudelem. Nihilominus coram illo videntur intrepidi. Vult ille ſolus in Judæa regnare; & cum eo loquuntur de novo Judæorum Rege, cujus ſtellam viderunt. Verum eſt, illos ad Herodem nequaquam rediiſſe, poſtquam Salvatorem venerati ſunt; hoc enim fuiſſet ſeſe periculo objicere ſine neceſſitate, & ſine fructu: ſed ſi actum fuiſſet de quærendo, quod a Deo quærere jubebantur, neque Herodes, neque ſexcenti alii tyranni illos dimovere valuiſſent. Talis eſt magnitudo, & animæ chriſtianæ conſtantia; parata eſt ad contemnendos non ſolum inanes hominum ſermones, quod Magi fecerunt, verum etiam ad provocandas pro Religione, & fide poteſtates maxime formidabiles, ubi Dei gloria, & ſalutis ſuæ ratio popoſcerint. Juxta hanc regulam multi ne occurrunt fideles ſatis generoſi, ut neque ſermones, neque hominum potentiam reformident? *Idem*?

Epiphania dies eſt vocationis Gentilium, ideoque etiam noſtræ.

Statim ac JESUS CHRISTUS natus eſt, in id incubuit, ut ſe traderet cognoſcendum; quia pro nobis venit, & præcipuum illius conſilium eſt ſalutem noſtram operari. Ipſe Judæorum Salvator eſt, atque Gentilium. A. S. Paulo didicimus, nullum eſſe diſcrimen Judæum inter & Gentilem, & illum, qui pax eſt noſtra, ex duobus populis unum tantum feciſſe. Initium fecit ille vocans Paſtores, qui quidem Judæi erant; qua re oſtendit, ſe veniſſe primum ad *quærendas oves, quæ de domo Iſrael perierant*. Neque ceſſavit diu, ut ſuæ miſericordiæ conſilia ergo Gentes aperiret, ſed poſt breve tempus poſt nativitatem ſuam prodire juſſit Stellam, quæ Magis eſſet indicio Salvatorem jam natum eſſe; eaque manifeſta fuit declaratio, per quam oſtendit, Gentes ad illum tuto accedere poſſe, & illos jamjam futuros populum ſuum. Hodie igitur vocationis noſtræ Myſterium recolitur. Quæ noſtra felicitas eſt? Non ſumus ultra alienigenæ, & iræ filii! JESUS CHRISTUS eripuit nos de poteſtate Principis tenebrarum; nobis licet alloqui Deum; fieri poſſumus ejus Filii, nobis in Cælum aditus patet. Æternum gloria ſit Deo, *qui dixes eſt* ad Eph. 11.

ves est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis convivificavit nos Christo, cujus gratia salvati sumus. Lambert in anno Evangelico.

Ex Magis discimus quomodo respondere debeamus vocationi nostræ.

Magi non solum docent, nos vocatos esse, sed etiam quo pacto nobis respondendum sit JESU CHRISTI nos vocantis misericordiæ. Dei Filius nos vocat, nobisque aperit salutis vias. Quid hanc veritatem consequitur? igitur vita nostra consecranda est illius servitio, qui nobis tanta præbet suæ in nos misericordiæ argumenta. Magi tot cumulati beneficiis magnum testati sunt desiderium procidendi ad JESU CHRISTI pedes. Quandoquidem eamdem recepimus gratiam, quid nobis exprobrandum esset, nisi eumdem foveremus ardorem? Magi iter corripiunt simulac illis aperitur; non differunt in tempus, & anni ætatem opportuniorem. Ex eo momento, quo illi sydus affulget, ex eo temporis articulo quo ipsis salutis Mysteria deteguntur, alacriter ingrediuntur iter, & veniunt quæsitum JESUM CHRISTUM. Ex hoc exemplo percipiamus, qualiter nos affectos esse oporteat, si esse velimus JESU CHRISTI. Quicumque esse vult Salvatoris Mundi, consilium sese illi mancipandi statim capere debet, nihil enim est periculosius, quam differre, & accidit fere, ut momentum, quod negligitur, non ultra revertatur. Salvator nos illustrare dignatur; festina, accelera præ timore, ne tibi iterum eamdem gratiam largiatur, & ne sis ex miserorum numero, qui toto vitæ suæ spatio in via erroris incedunt. *Idem.*

Causæ, quæ nos impellunt ut celeriter vocanti Deo secundum Magorum exemplum respondeamus.

Dei nos vocantis bonitas, & periculum, quod imminet abutentibus gratia ejusdem, duæ sunt causæ æque validæ ad nos cogendos, ne ullo cunctemur momento nosmet Deo devovere. Si Magos intueor adeo sollicitos, ut Salvatorem inveniant; hujus sane bonitas illos urget, atque sollicitat. Quid pro illis non facit? Eos vocat, eos removet a viis tenebrarum, per quas incedebant; prodigium in Cælo unice propter illos creat, ut illos trahat ad se; vix in mundum prodiit cum illis bonitatis suæ effectus ostendit. Magi quidem sibi visi fuissent ingrati, atque æternum sibi probro vertissent, si fuissent frigidi, & languentes, dum Deus illis tot amoris sui traderet argumenta. Hæc est causa hujus sollicitudinis, nobilisque fervoris, qui nobis erit confusionis causa, nisi ita imitati fuerimus exempla, quæ nobis reliquerunt. *Idem.*

Indulgentia Dei erga Magos, hos per stellam vocantis.

Utitur Deus stellæ fulgore, ut annunciet Filii sui nativitatem illis, qui syderum cognitioni operam dabant. Ostendit illis, quemadmodum S. Chrysostomus animadvertit, id quod aptius erat ad eorum curiositatem, atque attentionem excitandam. Hic sane divinæ bonitatis effectus est uti indulgentia, sese nobis accommodare, & ad nos ad se perrahendos ea adhibere media, quæ nos magis afficere possunt, & in animis majorem impressionem efficere. Inde vero eo magis hæc elucet indulgentia, quod stella hæc prorsus est miraculosa, fulget, evanescit, incedit, subsistit. Per effectum misericordiæ suæ Deus de hac stella disponit eo modo, qui illis utilior est, & qui aptior est ad illis ostendendam veritatem, quam illis dignatus est revelare. *Idem.*

Securitas, & fortitudo Magorum Jerosolymæ quærentium Regem alium ab eo, quem penes erat imperium.

Narrat Evangelium, Magos, ubi Jerosolymam pervenerunt, quæsiisse, ubi esset *ille, qui natus est Rex Judæorum*. Loquuntur fidenter, ac sensus exprimunt suos, quin animum advertant periculo, cui sese objiciebant, vel saltem quin illud reformident. Scisciteatur, ubi est Rex Judæorum, ibi locorum, ubi Rex erat, qui jus sibi esse cupiebat, ut solus Judæorum Rex diceretur. Loquuntur de alio Judæorum Rege; loquuntur de illo, qui nativitatis jure Rex est, qui opus non habet, ut ab hominibus sibi regnum conferatur, vel sua ab illis suprema auctoritas agnoscatur. Loquuntur de illo, qui Rex est Judæorum, quia eorum est liberator, & Messias a Prophetis prænunciatus. Herodes sane intellexit hunc sensum esse Magorum, quoniam hæc verba illi locum aperuerunt convocandi Principes Sacerdotum, & ab illis quærendi, ubi Christus erat nasciturus. Quomodo nam Magi, qui ignorare non poterant similem propositionem satis esse posse ad replendum sollicitudine spiritum ambitiosum, qualis erat Herodes, quomodo, inquam, non veriti sunt eumdem lacessere? cumque non minus crudelis esset, quam ambitiosus, non timuerunt, ut illi ultionis ansam præberent, vel saltem locum aperirent indignationem suam profitendi. Nonne opus erat, ut qui illos vocabat per viam adeo miraculosam, illis immitteret robur, & forticudinem ad contemnendum periculum adeo manifestum, & superandos obices omnes, qui adversabantur, ne consilium suum exequerentur? *Idem.*

Consideratio de Magorum adoratione.

Addit Evangelista, Magos domum ingressos invenisse puerum & procidentes illum adoraviisse. In hoc etiam nobis præire debent exemplo, & docere eas dispositiones, quas Christianus quilibet, qui se devovere velit Deo, ingredi debeat. Quid est hæc adoratio? Quid hæc prostratio? Submissio cordis est, sentientis nihilum quidem suum, Dei vero magnitudinem. Hinc adoratio præsertim esse debet interior. Nihil est genu flectere, si cor non est Dei; cor vero Dei esse non potest, nisi humiliatum fuerit. Hæc autem humiliatio fructus est assiduarum cogitationum, quibus nostras quidem miserias, Dei vero meditamur omnipotentiam, qui nos de nihilo eduxit.

Ille Deum rite adorare novit, qui se ipsum cognoscere didicit; cui persuasum est, nihil magnum esse præter Deum, & qui videns hinc quidem miserias, & peccata sua, inde vero supremam gloriam, atque sanctitatem Dei, non ægre humiliationis sensus ingreditur, qui infirmam decent creaturam, & peccatis onustam. *Idem.*

Probatur magnitudo fidei Magorum, & infirmitas nostra.

Quænam fuit Magorum fides? Stabulum, præsepe, paleæ, hæc omnia stuporem non injiciunt illis; hæc omnia illis regales ædes, & thronus videntur. Humilitas, paupertas, miseria hujus infantis illis scandalo non sunt; Fides eorum vivida ostendit illis simul humilitatis gloriam, divitias paupertatis, apparentis hujus miseriæ felicitatem; factis simul & Christianis, & perfectis Christianis; nos vero antiqui, sed imperfecti, sed ignavi Christiani scandalizamur tota die propter Salvatoris humilitatem, & paupertatem. Illi agnoscunt magnitudinem, & Majestatem Dei sub hac humilitate, ejus omnipotentiam sub hac infirmitate, simulque illam fatentur, amant, adorant. Nos vero æque ac illi eas cognoscimus; fides nos docet, atque persuadet; sed tantum abest, quod hunc humilitatis statum diligamus, & adoremus, in quo ille propter amorem nostri se posuit, ut scandalizemur, eumque saltem ex hoc capite condemnemus. *P. Nepveu in tomo primo Christianarum Considerationum.*

Munera quæ Magi Domino recens nato obtulerunt.

Magi obtulerunt Domino aurum, thus, & myrrham, naturales figuras sacrificii, quod illi efficiebant omnium bonorum suorum, honorum, voluptatum, ut colerent statum paupertatis, humilitatis, & mortificationis, ad quem illum propter ipsorum amorem redactum intuebantur; verum simul manifesta pignora invisibilis donationis, qua illi cor suum devovebant. Etenim cum amatur, nihil ullo habetur in pretio; cum cor traditum fuit; nihil reliquum est diligenti. Simulac Salvatorem viderunt, *cognoverunt illum*; cognitum statim dilexeruut, & ubi dilexerunt eum, sese illi manciparunt. *Heu! Quamdiu cognoscitis JESUM CHRISTUM, quamdiu ille a vobis vestrum expetit cor? Num hoc illi dedistis? Ille se totum vobis tribuit. Nunquid nimis a vobis contendit petens, ut vosmet totos illi tribuatis? Nunquid vosmet illi tradentes jacturam aliquam, vel periculum estis subituri? cur igitur adhuc deliberandum &c. Idem.*

Hæc vere dies illa est, qua Dei Filius incipit se nobis dare, & nos in gratiæ suæ possessionem admittere. Ex quo nostram induit naturam in Deiparæ sinu, hæc una possedit illum novem mensium spatio. Ille Judæos tantum ad sua arcessivit incunabula die Nativitatis suæ; & in Circumcisione sua in eorum dumtaxat manibus invenitur. Sed tandem bonitatis ejus de nobis consilium, Mysterium vocationis gentium ad fidem, omnibus sæculis, ætatibusque absconditum incipit evolvi, ejusque primitias intuemur in felicibus hisce Magis, quos per stellam ad se trahit? Stellam, quæ non aliud est nisi symbolum hujus gratiæ, quam illucescere facit in cordibus eorum, & quæ deinceps sæculorum lapsu pertrahet omnes terræ gentes ad nominis sui cognitionem. Hodierna igitur die Mundi Salvator incipis magnum opus tuum, Ecclesiam tuam videlicet efformare, & ostendere potestatem gratiæ tuæ, congerere cæmenta, Gentiles cum Judæis conjungendo, nobisque spiritum, partemque interiorem deregere proponendo nobis in tribus hisce primis cultoribus, e Gentilium cœtu evocatis adorationem in spiritu, & veritate; aurum puræ caritatis, thus sanctæ Orationis, & myrrham sacrificii Corporis, & Sanguinis tui, quæ sunt dilectæ Sponsæ tuæ opes, atque thesaurus. *Ex libro, qui inscribitur: Preces Christianæ in modum Meditationum.*

Cum igitur hæc festivitas proprie sit festivitas Ecclesiæ, & fidei, ingressus nostri in corpus mysticum Filii Dei; & vocationis nostræ ad Christianissimum, æternamque in JESU CHRISTO salutem; facile est intelligere, quænam esse debeat hominis Christiani lætitia, tale mysterium recogitantis; & qua cordis effusione celebrare debeat hanc sollemnitatem; sed non ita facile est cognoscere, quomodo Sathanas viam invenerit fallendi Christianos, & subrogandi gaudia prorsus carnalia, & profana lætitiæ, quæ erat mere spiritualis, & christiana. Comessatio, & impudicitia summo cum Fidelium dedecore subierunt in locum horum conviviorum, quæ in pauperum gratiam caritas instruebat; fidelibus credentibus se non posse meliorem rependere gratiam muneri quod sibi JESUS CHRISTUS contulerat dans illis panem vivum, quam pascendo membra ejus. Nonne a Fidelibus expetenda est tamquam prima praxis, ab hujus festivitatis gaudiis abscindere omnem intemperantiam, ac impuritatem, & insignire lætitiam suam, ac gratitudinem

erga

erga JESUM CHRISTUM aliqua liberalitatis effusione in membra ejus? *Idem*.

Virtus gratiæ Filii Dei in corde Magorum, qui ab eo procul aberant.

Quantamcumque haberent Magi cognitionem Nativitatis novi Regis Judæorum, qui ex Prophetis didicerant novum proditurum sydus, ad illius Nativitatem præsignandam, opus erat, ut Spiritus Sancti lumina cum stellæ hujus fulgoribus commiscerentur, ut illi significationem ejus assequi possent, & intelligerent Puerum natum esse, hunc esse Regem, & Regem Judæorum, & Dei ipsius Filium, & Messiam, qui a sæculis expectabatur, ut adeo valide Principum eorum animus moveretur, & ad lumen illius sequendum impelleretur. Nonne hic magnus est effectus potentiæ JESU, quam exercet primum in natura novum sydus incendens, & mox etiam in gratia agens fortiter adeo in mentem, & cor Regum, ut de remotissimis terris illos ad eum adorandum perducat? Ad intelligendam magnitudinem potentiæ nascentis Dei, considerandus est admirabilis, quem parit, effectus. Ex effectuum magnitudine caussarum virtus cognoscitur, & a longinquitate subjectorum, in quæ operantur. Quemadmodum in natura dicimus solis virtutem agnosci in hoc, quod suos influxus, caloremque ingerit in ipsam voraginum altitudinem: quamvis adeo eminus absit, & sicuti Regum auctoritas ad extremos usque ditionum suarum terminos sese profert; similiter dicimus Salvatoris potentiam in ordine gratiæ enitescere; hunc justitiæ solem victricia lumina sua in Regum horum animos inferre, tamquam in abyssus locorum distantia remotissimas, & adhuc per infidelitatem, atque idolatriam remotiores, & ibi producere primitias fidei, & veri cultus Dei. Simul conjungit extrema longissime sepositа, quandoquidem, ut Reges, qui subditis suis imperare consueverant, vocem sequantur suam, & mundi Sapientes prudentiæ suæ lumina luminibus fidei subjiciant. *Bivat in sermone primo de Epiphania, parum mutatus.*

Salvatoris gratia triumphat de politica, & prudentia horum Sapientum & Regum. Proverb. 21.

Quid Regibus hisce humana prudentia non suggerit? Quot politicæ rationes eorum consilio adversabantur? Sed nequidquam mundi Sapientia Dei Sapientiæ restitit: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Hac una stella omnes has dissipat umbras: unico verbo dæmonum surripit spolia, quæ Salvatori tamquam trophea attollat. Revellit sapientes hosce Reges de solio, eosque jubet spiritum, atque sapientiam suam pedibus subjicere. Heu! Divine Spiritus, quanta est in omnibus Sapientia tua, ubi tibi eadem uti placuerit! Sed quam potens est in hisce Regibus, quandoquidem eos relinquere jubet regna tutissima, & quorum tranquilla possessione fruuntur, ut illos objiciat periculo illa amittendi, dum alienigenam Regem inquirunt! Hic primus est effectus gratiæ, per quam de horum sapientum prudentia, horumque Regum potentia triumphat. *Idem*.

Magorum docilitas innotescit ex perquisitionibus quas Jerosolymæ fecerunt, ubi novus Rex natus esset.

Arduum non est, spiritum imbecillum, ac rudem sese subjicere: mirum non est, hominem e plebe humilem esse; sed videre Magos scientiis excultos, Remiges genere insignes, ab omnibus generatim, præsertim vero ab Herode, impio hoc Rege percontari, ubinam Salvator sit natus, & hoc pacto se objicere omnium irrisionibus, & contumeliis; procul dubio extremum oportet illis esse desiderium inveniendi JESUM CHRISTUM; quandoquidem non sine existimationis suæ sumptu illum perquirunt. Sed satis ostendunt quam potestatem habeat in animos eorum Salvator, qui illos ad perquisitionem adeo molestam adigit, & hunc illum esse, qui, Propheta testante, habet in manibus suis corda Regum, & qui ubi vult imprimit illis non solum discipulorum docilitatem, verum etiam zelum Apostolorum. *Idem*.

Fides eorum turbata non fuit ubi viderunt pauperem apparatum in quo viderunt puerum quem quærebant.

Videtur dici posse, fidem, quam conceperunt Magi videntes Salvatorem in præsepio, præstare quodammodo illi, quam animo imbiberunt ad adspectum stellæ, quæ illos ex patrio excivit solo, ut ad illum adorandum convenirent; quandoquidem illis credenda est Salvatoris divinitas non solum quin illius credendæ ulla suppetat ratio; verum etiam contra omnem rationis speciem: tandem enim crederes ne Salvatoris conspectum, quem tandiu concupitum inveniunt, qui videbatur eos in fide ipsorum confirmaturus, aptiorem fuisse ad illam evertendam? Sæpe numero usuvenit, ut objectorum præsentia minuat præclaras ideas, quæ conceptæ fuerant, antequam viderentur; ubi eorum experientia expectationi nostræ non congruit. Magi isti sublimem conceperant ideam regni, & divinitatis Salvatoris; credebant se inventuros magnum aliquid, & non abnorme ab eo, quod illis stella nunciaverat, & quod de illo Prophetæ nunciaverunt; fingebant se visuros altare pro Deo hoc; thronum, & magnificas ædes pro hoc Rege; tamen tantum abest, ut magnificos hos apparatus inveniant, ut e contra præsepe, ac stabulum intueantur. Nonne futurum videbatur, S. Chrysologus inquit, ut hæc supellex parum nitens horum Principum animos deterreret, & ad stabuli adspectum dicerent: procul dubio decepti sumus; nostra nos fefellit astrorum scientia; stella hæc phenomenon fallax est. Hiccine Rex ille, quem tanto labore quæsivimus? Sed in hoc Salvatoris infirmitas de horum Regum virtute triumphat inspirans illis fidem suæ magnitudinis, ac divinitatis, per eas species, quæ eidem adversantur. *Idem*.

Quam maxime interest sequi vocationem Dei nos appellantis.

Dei Filius stellam constituit ducem Magorum ad stabulum Bethleem; nobisque tribuit interiorem gratiam suam, quæ nos ad servitutem suam evocaret, & exterius verbum, ut ad id nos hortaretur. Omnes illius leges, & lumina sunt veluti totidem vocationis nostræ stellæ; tempus est, quo ad eas sequendas animum adjiciamus. Quædam sunt vitæ nostræ momenta ad nostram salutem utilia, quibus Deus præter ordinem per gratiam ac vocem suam appellat. Si occasiones neglexerimus, periculum adest, ne ultra nos vocet hac valida voce. Quædam sunt gratiæ principes, & præpollentes, quas si contempserimus, Deus non alias nobis suppeditabit, nisi imbecilles, & languidas; cujusmodi fere sunt maximi momenti de statu nostro consilia. Fortasse gratiæ, quas hodie recipis, fatalem hunc secum deserunt characterem. Si Reges stellam neglexissent vel ad illam non advertissent animum, Deus non aliam posuisset eorum ducem; & si hodie rejicis gratiam quam tibi conferre dignatur; & si oculos claudis, ne videas interiorem stellam, quam exhibet tibi, non aliam tibi ausim polliceri. Festina ergo, profitere te semper illius servitio adhæsurum, age triumphum de noxiis nexibus, quibus terræ inhærere posses: humilia te non secus ac Reges hosce coram illo: offer illi omnes facultates animæ, corporisque tui, ut cum omnino fueris in hoc Mundo suus, in altero ille sine divisione sit tuus. *Idem*.

Oriens Salvator ostendit potentiam suam in cælo, & in terra per Magorum vocationem.

Vix Mundi Salvator in lucem prodiit, cum se ubique cæli, terræque dominum ostendit. Adhuc vagit in incunabulis, cum jam terret Herodem, omnemque cum illo Jerusalem. Brachia illius adhuc sunt pannis involuta, & ecce novam cælo stellam figit, cujus motus insuetus, & fulgor ex extremo Oriente tres Magos adducunt, qui muneribus, & adorationibus suis illum supremum rerum Dominum, Regemque Regum confitentur. Ne cunctemur cum illis gradum solicitare, ut ad illius præsepe procidamus; duces selicitare, ut ad illius præsepe procidamus; duces sequamur illos, quos S. Augustinus appellat primitias gentium, & ex eorum exemplo discamus, quibus cordis dispositionibus Christianis JESUS quærendus sit, & adorandus. *Abbas de Monmorel, homilia in Evangelium Epiphaniæ.*

Fidelitas, qua Magi vocationi suæ respondet.

Nullus obex, aut difficultas Magos deterret, statim ac se vocari intelligunt. Vident stellam, interiorem sentiunt inspirationem, ac statim sua deserunt regna, ut deferant tributa illi, quem Scriptura *Regem Regum, & Dominum Dominorum* appellat. Strenue se morti objiciunt, quærentes Judæorum Regem in ipsa Judææ Metropoli. Magos beatos, quidam Pater exclamat, qui coram crudeli Rege, antequam Salvatorem cognoscant se illius palam Confessores jactitant. Eadem gratia, quam Dominus Ethnicis concessit, dici potest millies nobis facta fuisse. Profecto exempla insignia, quæ videmus, prædicationes, quas audimus, optimi libri, quos legimus, sancti afflatus, quibus efficimur, piæ meditationes, quas instituimus, totidem sunt stellæ, quas Dominus oculis subjicit nostris; ille vocat nos, S. Gregorius ait, per Patrum scripta, per vocem Pastorum, per morbos, quos nobis immittit, per adversa, quibus nos urget. Videte, Sanctus hic Doctor ait: quot stellarum fulgore invitamur, ut pergamus ad JESUM. Si ergo imitari volumus Sanctos Reges ea in fidelitate, cum qua Domini gratiæ respondent, statim ac stellam videmus, iter nobis corripiendum est. Quod iter? nisi arcta via, quæ ducit ad vitam? Hanc autem festinemus ingredi; & eam semel ingressos nulla res nos deterreat, vel terga vertere cogat; sed procedamus semper alacrius donec invenerimus JESUM CHRISTUM. En quid nobis faciendum sit, ut sequamur exemplum, quod Magi nobis præbuerunt. Sed heu! Nonne in oppositum tendimus? Tantum abest, ut jugiter sartam tectam tueamur gratiam, ut oculos semper apertos habeamus stellam visuri, & fideles futuri, ut motus illius statim sequamur; quod immo alii quidem oculos claudunt ne videant lumen, quo illustrantur; alii vero in tempus differunt exequi consilia, quæ illis suppeditat. *Idem*.

Obsequia quæ Magi præstant JESU CHRISTO, commendant humilitatem humanitatis ejusdem, ejusque prædicant divinitatem.

Oportebat Domine, ut inter humiliationes, quas tanta cura quærebas, casus aliqui occurrerent, qui indicarent quid esses, & prohiberent, ne tuæ divinitatis gloria suffocaretur confusionibus, quibus inciderat expositus fuisti; & opus erat, ut qui videbant te hominem humanam indutum fragilitate, tandem in persona tua cognoscerent Dei Majestatem, atque Omnipotentiam. Hæc caussa fuit propter quam tres hi Magi, viri spectabiles, cum per auctoritatem, quam in terris habebant, tum per scientiæ famam, Divino afflatu acti veniant ab extremis Orientis oris in Bethleem duce stella, ut tibi præstent honores, & obsequia, quæ Deo uni debentur. *Considerationes Abbatis Trappensis in Evangelium.*

Cele-

Idem legitur argumentum.

Celeberrimum hoc Magorum iter plures effectus habuit non prætermittendos, quorum primus fuit, docere, te Domine sub humanitatis tuæ velamine veram contexisse divinitatem. Hoc innotescit ex testimonio Prophetæ loquentis de æterna generatione tua, & ex thure, quod tibi offerunt Magi, ex auro, & myrrha, quod sibi præsentant. Thus tibi conferunt, tamquam signum cultus, & adorationis, quam adhibent tibi; aurum, tamquam Domino bonorum omnium, omniumque Mundi divitiarum; & myrrham, ad ostendendum in manibus tuis positam esse vitam, & mortem, tibi esse omnimodam in nos auctoritatem, ac te ad libitum de nobis disponere. *Idem.*

Ad Magorum adventum Herodes, & legis Sacerdotes expalluerunt.

Turba Herodis, & commotio, quæ accidit Jerosolymæ, stupor Principum ex Sacerdotibus, & Doctoribus populi, ubi audierunt Magos, duce stella, quæ illis apparuerat adeo eminus accessisse, ac tot traduxisse regiones, ut Judæorum Regem quærerent, & inventum adorarent, hæc inquam turba, & commotio, significat Domine, populo, qui tamdiu te expectat, te tandem in Mundo venisse. Hoc illi aliquas ingerit cogitationes; hoc in illo ciet aliquos motus, sed quin ex tanto nuncio quidquam proficiat, ejus obliviscitur, ejusque memoria deletur. Memoria, quam servat Herodes, illum impulit in facinus crudelissimum, & ab omni humanitatis sensu remotissimum; jussit enim pueros omnes a bimatu & infra, qui in Bethleem, ejusque finibus invenirentur occisione deleri. Sacerdotes vero, & Scribæ, quin sancta impatientia incensi quærerent quis esset hic Christus, novus hic Rex Judæorum, qui in lucem prodierat; in eo substiterunt, ut levi cura vestigarent locum, ubi Messias erat nasciturus. *Idem.*

Magorum adventus & exemplum, non excitit Judæos ex sopore.

Tres Magi ab extremis terræ plagis venerunt abjecturi coronas suas ad pedes novi Regis hujus. Jerosolymam ingrediuntur; Scribæ, & legis periti Scripturas evolvunt, ut locum hunc inveniant; sed horum Principum exemplum illos a sopore non excitat. Messiam quærunt in Codicibus suis, sed in stabulo illud non quærunt; apud alienos de inani scientia gloriantur, sed ex cognitionibus suis nullum fructum percipiunt; omnes eorum perquisitiones in hoc sitæ sunt, ut ciant in crudeli Rege furorem, qui struit insidias Regi huic in incunabulis latenti; & qui omnem innocuum regni sui cruorem fallacis politicæ legibus sacrificat, & JESUM quærit ad necem, sub specie illum adorandi. *Abbas du Jarry sermone de Epiphania.*

Magorum exemplo docemur a rebus invisibilibus ad visibilia mentem attollere.

Hi Orientis Sapientes cælestium corporum, sydera rumque contemplationi dediti, & intrinsecus invisibili fulgore illustrati, qui in ipsorum anima elucescit, eodem tempore quo visibili stellæ claritate deducuntur: Hi inquam Orientis Sapientes nobis non solum designant Ethnicos omnes evocatos ad fidem, qui ingrediuntur in Ecclesiam, ut Apostolus ait, per Synagogæ ruinam, torrentis instar per vallis aggerisque hiatum illabentis: *Cæcitas ex parte Israel facta*

ad Roman. 11. *est, ut plenitudo gentium intraret:* Verum etiam miraculosa Magorum conversio, qui stella duce ad JESUM CHRISTUM deducuntur, ostendit nobis, omnes veros Sapientes intentos contemplationi cælorum, & mirabilium Creatoris, quæ in orbem universum effusa sunt, ex rebus visibilibus gradum sibi constituere per quem ascendant ad invisibilia, cum fidelitas Legis accedit usui perfecto rationis, & peccati nubes nequaquam offundunt caliginem in animabus eorum, divinis luminibus, quibus illæ præparantur revelationi saltem confusæ, & implicitæ JESU CHRISTI. *Idem.*

Bonum, quod attulit Mundo Gentilium vocatio per veri Dei, veræque Religionis cognitionem.

Agnoscamus quanta veneratione, & quibus gratianimi sensibus hodiernum Mysterium replere nos debeat, qui cum antea per densam idololatriæ noctem, quæ omnibus fere terris incubuerat, cæcutiremus, in magna revelationis luce ambulamus. JESUS CHRISTUS de omni suggestu, & exhedra prædicatur, & annunciantur vitæ placita, quæ manarunt ex vulneribus Redemptoris, ubique fluunt per rivos Sacramentorum, qui fidelibus omnibus patent; decies centena Altarium millia fumant thure, quod adorabili huic victimæ adoletur, cujus sacrificium quotidie instauratur, & animæ mundo ignotæ inter ipsam Mundi corruptionem coram Domino sanctificantur. Væ nobis si tot gratias inutiles effecerimus, ac inter tot duces, & saluti vias perierimus. Quæ horribilis desperatio Christiano reprobato, qui per infidelitatem suam vocationis gratiæ suæ amiserit hæreditatem Regni cælestis, ad quam accitus erat! Destinatus eram, ut æternum Deo fruerer in Sanctorum societate: Evangelicum hoc lumen, quod animam meam illustraverat, illam ad beatum hunc finem perducere poterat, quem in nullam redditus spem amisi. Tunc fingite vobis ploratus, quos rabies eliciet, & dirum vermem, qui damnatum torquet, atque discerpit &c.

Magi edocti fuerunt præcipua nostræ Religionis Mysteria, quæ illos ad stabulum usque Salvatoris adduxerat consociatam fuisse cum luce vivida, & interiori, quæ mentem illorum pervadens detegebat illis non solum novum Regem, quem in hoc adorabili puero quærebant, sed etiam præcipuas fidei veritates. Propterea sollemnis hic dies Epiphania appellatur, videlicet manifestatio, etenim secreta, quorum sequester fuerat populus Judaicus, incœperunt manifestari nationibus in persona horum Principum, qui miraculose illustrati fuerunt. Ita mysticis donariis, quæ offerunt JESU CHRISTO, adjiciunt perfectiores actus Religionis, quorum symbola sunt ipsa munera. Per aureum oblatum fatentur supremum regnum illud, quo absolutus creatorum omnium Dominus constituitur; Per thus, quod illi offerunt, insigne testantur obsequium illius divinitati. Adorant Deum absconditum sub hominis specie. Fides efficit, ut detegant omnem Dei Majestatem in hoc infante latentem; omnem cælestem aulam in stabulo, & tot divinis claritatibus perstricti, quibus sunt undique septi, adorant hunc Deum carne humana circumdatum. *Idem.*

Magi edocti fuerunt præcipua nostræ Religionis Mysteria, quod suis ostenderunt muneribus.

Herodes simulat se velle adorare JESUM CHRISTUM post Reges.

Adoratio, quam Herodes simulat se JESU CHRISTO præstiturum plena est versutia, & mendacio; recens natum puerum quærit, ut illum perdat; nequissimam perfidiam suam sub integumento fallacium obsequiorum celat. Adorator est JESU CHRISTI verbo tenus, sed re persecutor. Quemadmodum nescit regnum Regis, cujus Nativitatem reformidat, non esse hujus Mundi, & eum, qui descendit daturus subditis immortales coronas, non eripere fluxas, ac terrenas; quærit illum in sanguine plurimorum innocentium, quos crudelis politicæ sacrificat, postquam Magis mandaverat, ut illum quærerent in Bethleem, eum in ipsis incunabulis jugulaturus. Hæc est imago eorum, qui pseudo cultores sunt, & non quærunt illum in cordis sinceritate. *Idem.*

Magorum exemplo fidei veritates meditari debemus,

Quemadmodum Magi non deprehendissent stellam, nisi cælum contemplati fuissent, quomodonam nosmet de Religionis veritatibus persuadere possumus, nisi eas meditati fuerimus? Heu! unde nam fit, quod Mundus repletus sit eximiis ingeniis, quæ hominum approbationem quærentia in rebus *profanis*, versantur in crassa ignorantia rerum ad *Religionem* spectantium, & sensim, & sine sensu incidunt in secretam infidelitatem, quæ *hodierna* die teterrimum *est vulnus religionis. Spiritus fortes! politici hujus sæculi! Mundi Principes!* quomodonam passi estis *in vestris animabus fidei* facem extingui! Vobis curæ non fuit fovere lumen illius veritatum ejus meditatione. Si Sacrorum librorum lectioni impendissetis tempus, quod quotidie in inanibus, curiosisque perquisitionibus traduxistis, facti fuissetis Doctores ejus Religionis, cujus secreti facti estis Apostatæ. Aliquot igitur dies percipite, aliquot horæ quadrantes, ut illam meditemini. Spiritus vester quantumvis excæcatus licentia, quæ illum perturbat, & cupiditate, quæ caliginem illi offundit, modo in tanta perturbatione aliquid rectitudinis supersit, cogetur invitus sanctam, divinamque Religionem hanc venerari. *Idem.*

Quomodo Magi ex stella, quæ illos agebat, intellexerunt eum, quem quærebant superiorem esse omnibus Regibus terræ.

Magis procul dubio stupor incessit, cum Jerosolymæ palam quærentes, ubi natus esset Rex Judæorum, neminem in civitate Judææ metropoli invenerunt, qui quærentibus responderet; sed fatendum est, summam eorum fuisse lætitiam cum Herode relicto iterum videre incœperunt stellam sibi præeuntem, & recta Bethleem versus iter indigitantem. Viderunt quippe magis, magisque confirmari spem suam, & intellexerunt, novi Regis *hujus* dignitatem toto cælo superare magnitudinem ceterorum terræ Regum, & necesse esse, illum superiorem esse stellæ, quam ducem sequebantur; quandoquidem hæc illi inserviebat solum, ideoque omnes homines esse debere in potestate illius, cui sydera parebant. Hoc illos impulit, *ut* sese humiliter prosternerent coram illo, eumque tanta fide, quanta caritate adorarent. *Abbas de Monmorel, Homilia in Evangelium Epiphaniæ.*

Fatendum est gratiam vocationis Magorum virtutem eximiam habuisse, ut illi iter ingrederentur.

Facile convenit, lumina, & gratias, quæ Magi receperunt, magna, & præclara fuisse, quia simul extra, atque intra illuminati fuerunt; sed profecto nequaquam minora requirebantur, ut Gentilibus persuaderetur, atque ut pertraherentur ad cognitionem Hominis Dei, qui nondum visus fuerat imperare mari, ac dæmoniis, neque mortuos suscitare, neque cæcis oculorum aciem restituere, & qui in eorum oculis videbatur tamquam infans e vulgo, in silentio, infirmitate, ac paupertate. Tamen si Magi nullo in discrimine habuissent non secus ac hominum plerique cælestia, fortasse non vidissent stellam, nisi cum spiritu curiositatis, neque convenissent, ut naturales causas inquirerent, nec properassent iter, atque cunctati parere imperio, quo vocabantur, nequaquam recepissent maximum omnium beneficiorum. *Ex S. Augustini sermone 35. de Tempore.*

Lumen cæleste fecit, ut Magi contemnerent ea in occasione omnes rationes humanæ pru-

A veritatis specie non abhorret, Reges hos nequaquam ingressos fuisse iter Bethleemiticum, nisi post initum concilium, auditamque præcipuorum Ministrorum suorum sententiam. O Deus! quot fallacibus lumini-

dentiæ, quæ illos ab itinere hoc poterant deterrere.

luminibus utitur sæculi sapientia, ut caliginem offundat claritati stellæ hujus, quæ Magos vocabat; videlicet quot considerationibus, & politicis argumentationibus iter hoc prohibere adnisa est! Auctrix erat, Regibus discedendum non esse ab ædibus suis tempore adeo incommodo, nec iter suscipiendum per ardua montium, ac inhospita viarum, quin sese gravissimis periculis objicerent, & suæ officerent valetudini. Discessionem adeo præcipitem ad stellæ conspectum, & ad interpretationem phenomeni temere expliciti, officere posse illorum nomini, ac celebritati: quippe si minime invenissent, quod quærebant, sese objiciebant cachinnis populi, & tamquam exotici, nimis creduli, parumque prudentes haberentur. Sapientes Politici affirmabant, novum Regem quæsituris non subeundum esse discrimen jacturam faciendi regni sui; saltem ipsos a ditione sua pergere proficisci non posse, quin eorum profectio plurimas in subditis exciret turbas, vel quin finitimi Reges, quibus nunquam desunt asserta jura in proximorum ditionem, aliquam molirentur in agros irruptionem, & impetu repente facto arcem aliquam ad deditionem compellerent. Alii adhuc sapientiores ajebant, periculum manifestum esse; quærendus enim erat in Judæa Rex, quem hæc stella portendebat; hoc idem esse ac objicere sese libidini Herodis, qui regni potitus per fas & nefas, erat non secus ac alii tyranni, *mirum in modum suæ auctoritatis zelotypus*. Ex *consulentium ergo rationibus inferendum erat, Reges hoc iter suscipere non posse, quin in discrimen adducerent valetudinem, honorem, regnum, & vitam.* Sed Reges isti probant se vere Sapientes esse; innituntur quippe auctoritati Dei, extrinsecus quidem per stellam eos alloquentis, intrinsecus vero per intimos afflatus, qui exteriorem viam illam comitabantur. *Agente stella in cordibus eorum*, ut loquitur Sanctus Leo. Quapropter omnes hasce humanas argumentationes illi nullo censent in discrimine habendas. *P. Texier in tomo Mysteriorum sermone pro die Epiphaniæ.*

Virtus gratiæ Domini, quæ de longe Magos ad sua evocavit incunabula.

O invictam divinæ gratiæ virtutem! O amabilem Salvatorem! Quanta est potentia tua in ipso statu infirmitatum tuarum! Si stella, quæ te jubente illucescit, rapit cor Regum suavissima vi, quos tandem referent aliquando triumphos per intuitus tuos, illecebrarum, & incitamentorum plenissimos? Si stratus in præsepio remotissimas Orientis oras pervadis, ut ad te Reges hos pertrahas, quæ tandem erit virtus tua, cum sublatus fueris in gloriæ tuæ solium. *Si exaltatus fuero, omnia trahem ad me ipsum. Idem.*

Joann. 12.

Magi non turbantur; quamvis tota turbetur Jerosolyma quærentibus illis, ubi natus esset novus Rex Judæorum.

Reges isti Jerosolymam ingressi audacter in compitis, ac plateis percontantur, ubi sit ille, qui natus est Rex Judæorum. Alii id quæri admirantur, & nihil respondent, alii veriti ne sibi crimini verteretur silentium, respondent, se non alium nosse regem præter Herodem. Verum cum adventus advenarum Regum, & finis ejusdem ad Regis aulam manasset, Herodes suæ auctoritatis zelotypus, si quis unquam tyrannus extitit, miratur hanc sibi contumeliam inferri a Magis alium Regem præter se in Regni sui metropoli conquirentibus. Tamen homo sæculi ejus versutissimus, turbam, sollicitudinemque suam dissimulat; & quamvis Jerosolymitani Herodem non diligerent, (habebant enim illum tamquam Regni invasorem) cum illo tamen turbantur; neque horum advenarum licentiam probant: *Audiens autem Herodes turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.* Nonne opus erat, ut Principes illi viri optimi confirmati essent in fide: nonne dicendum est, illos paratos esse, ut omnia perferrent, cum videbant, se sibi hac inquisitione Herodis odium, & iracundiam conflare? Quoties clam admoniti fuerunt Herodem tacitum fremere præ furore, & periculum esse, ne aperte exardesceret, & in iras erumperet? Quoties homines hortati sunt illos, ut clanculum abirent, & sibi fugâ consulerent? Sed persistunt semper in inquisitione sua, & cogunt Herodem, ut sibi gratificaturus Legis Interpretes consulat. *Idem.*

Matth. 2.

Cæcitas, quam Herodes in hoc facto præsetulit.

Qui videt Herodem in aulam arcessentem Principes Sacerdotum, & Doctores Legis, ut eos consulat, ubi gentium Christus esset nasciturus, facile intelligit, illum animi ægritudine prorsus perturbari, & ratione hac in re minime duci. Etenim vel Scripturis credebat; vel secus; si minime credebat, cur illas consuli jubet; sin secus, quomodo persuadere sibi poterat se effectum earum evitaturum; quandoquidem *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Et quod Deus constituit, certo certius, quidquid omnes admitantur homines, eventurum est. Respondetur illi Christum in Bethleem nasciturum. Statim in arena tyrannus decrevit novum hunc Regem sibi de medio auferendum. Nihil consilio ejus magis consentaneum videbatur, quam retinere Magos, vel mittere, qui illos clam subsequerentur, ut puerum adhuc recentem ab utero comprehenderent. Sed ita Dominus hominum evertit consilia. Herodes illos abire sinit, speransque eos redituros ad se, sibique nuncium allaturos novi Regis, & dum putat, se certissima iniisse consilia, ut omnia sibi cederent e sententia, fit invisibilis potentiæ ludibrium. *Abbas de Monmorel in Homil. hujus argumenti.*

Proverb. 21.

Dicite, quæso, quomodo Magi cognoverunt voluntatem Domini, quem tamquam supremum Regem venerantur, quandoquidem obediunt illi. Novi quid doceat S. Augustinus, stellam hanc, quæ indigitabat novi Regis Nativitatem, fuisse tamquam linguam cæli, fulgore suo insolito nunciantis mirificum Virginis puerperium: *Mirifica lingua cæli, qua inusitatum Virginis partum, inusitato fulgore clamaret.* Sed tandem lingua hæc muta erat; & quamvis satis obscurum signum voluntatis Dei æque ac nati Salvatoris. Ad eos mittere potuisset Angelum, qui iter hoc imperaret, quemadmodum cum Pastoribus fecit. Locus, quem Magi tenebant in Mundo, & difficultas imperii aliquid apertius exigere videbantur, quam hujusmodi signum: sed Dominus, in cujus manibus sunt Regum corda, signum hoc comitabatur vividiori luce, gratia videlicet sua, quæ intus loquebatur in corde, & quæ illis Dei voluntatem aperiebat. *P. de la Colombiere Tom. 1. sermone de Epiphania.*

Cæcitas Judæorum cum interim Magi Messiam inquirunt.

Nonne mirum est videre, dum Reges isti magnum hoc detegebant Mysterium, quin antea fuissent edocti, Judæos, qui tot sæculis ante Prophetarum oraculis illustrati fuerant, & qui noverant, ubi Christus nasciturus esset, permanere in cæcitate sua, quin ipsorum cognitio, & testimonia, quæ perhibent Herodi, JESUM CHRISTUM in Bethleem nasciturum esse, quin publica Regum advenarum declaratio, & ipsius Herodis formido, quin aliquod fidei genus adhibeat huic Nativitati, & quin civitatis totius turbæ illos inducere valeant ad quærendum Messiam hunc tot sæculis expectatum, & ad imitandum saltem curiositatis causa, affectum, & amorem quem Reges erga illum testabantur. *Liber, qui inscribitur: Considerationes in Dominicos, festosque Mysteriorum dies.*

Cæcitas Herodis.

Attendite quæso hac in occasione errorem mentis in Herode, qui habitus est tamquam temporis sui versatissimus. Cum audisset sermones horum Regum alienigenarum, Sacerdotum, Scribarumque concilium cogit, & scisciatur ab eis, ubinam Messias secundum Prophetarum Oracula esset nasciturus. Sed o insipiens Monarcha, si Doctores, quos consulis norunt, ubi Messias nasciturus est, quomodo illi certi esse possunt, nisi id didicerint ab ipso Deo, vel a Ministris spiritu ejusdem afflatis! Et si hoc illis revelavit Deus, quomodo speras te prohibiturum quo minus oracula, quæ ex illius ore prodierunt, adimpleantur? Quid tibi prodest illos consulere, si illis credere non vis; & si credis tibi fidem habendam iis, quæ Dei Nomine dixerint, quomodo putas futurum, ut valeas avertere, quod tibi in Dei ipsius Nomine portenderint? Si non credis, Deum certissime prævidere universa, quomodo tenes tibi esse credendum? Sin econtra tibi persuasum est, ipsum habere omnia perspecta, & explorata, nonne opus est, ut simul tibi persuasum sit, nihil a recta ratione abhorrere magis, quam obsistere, ne Dei consilia impleantur? Si illum credere debes tamquam infinite Sapientem; nonne timere debes tamquam omnipotentem, & invictam voluntatis ejusdem vim confiteri? Vel igitur cæce Rex cessa inquirere quid de eo divinerint Prophetæ; vel saltem illos consulere, ut anxam arripias perdendi illum, cujus Nativitatem, ac dignitatem tibi revelabunt. *Abbas de Bourzeis, sermone de Epiphania.*

Magi Judæorum populo antecellunt fidelitateque Mundi Salvatorem agnoscunt.

Non extrema ex iis rationibus, propter quas religiosos nos Principes revereri tenemur, eorumque pietatem imitari est prærogativa, quam placuit Deo illis largiri super populum Judaicum, quamvis hic ab eo electus fuisset in peculiarem, dilectumque populum. Judæi plurimorum sæculorum lapsu magnum obtinuerunt Prophetarum numerum a Deo missorum, & Divini Spiritus luminibus illustratorum; & Prophetæ isti non cessaverant, quo minus annunciarent illis qualitates Messiæ, & connotarent tempus adventus ejusdem in Mundum; & nihilominus quamvis ille eodem connotato tempore in Mundum descenderit, illum rejiciunt, eumque pro Messia nolunt habere. Magi econtra, unam dumtaxat habere poterant prophetiam, eamque prolatam ab homine, cujus religio, & morum disciplina corruptæ erant. Tamen non hærent; statim agnoscunt Principem in regionibus suis prædicatum unica, & veteri prophetia, & aliud nolunt testimonium, quam novi syderis, quod illis lucebat secundum verba ejusdem vaticinii. Solo stellæ hujus adspectu sinunt se persuaderi, & quin expectent, dum domi suæ evulgetur novi hujus Regis Nativitas, iter corripiunt, ut conveniant illum, & afferunt ei cumulatissima dona tamquam totidem suæ venerationis arrhas, & pignora. *Idem.*

Sunt, quos stella gratiæ sæpe illuminat, sed illam sequi no-

Credere possumus quamplurimos vidisse stellam eamdem, quam Magi deprehenderunt, illius pulcri-

tudinem

sunt, ad incommodum laboremque evitandum.

tudinem fuisse admiratos, atque per otium contemplatos, & nonnullis etiam fortasse tantum fuisse luminis, ut intelligerent, quid illa significaret: tamen tres tantum fuere Magi, qui consilium cœperint inquirendi novum Regem, cujus stellam fuerant intuiti. Reliqui omnes seipsos vincere non potuerunt, neque animum inducere, ut patrias relinquerent domos, consanguineos, bona, regionem suam, longum, ac difficile iter ingressuri in remotissimam terram, quin scirent, quinam vere futurus esset terminus viæ. Sed mortales id genus qui tutum neglexere medium, quod illis offerebat Deus, ut de infidelitatis suæ tenebris emergerent, verisimile est in impœnitentia sua animam efflasse. Applicemus id nobismet ipsis: Quoties Spiritus Sancti lumen animabus nostris coruscans velut stella, ostendit nobis, quærendum esse Dei Filium, amplectendam ejus paupertatem, humilitatem, aliasque virtutes ejus, & nihilominus ne pedem quidem protulimus, quamvis satis intelligeremus, quid nobis innueret stella. Adeo commodis nostris inhæremus, aliisque rebus, quas deperimus. Meminerimus ad levem aliquem laborem evitandum, sæpe commentos fuisse aereas difficultates. Tunc de nobis quoque jure dici poterat, eamdem stellam, quæ nobis dux erat futura in Cæli via, effeciisse, ut deerratio nostra fieret nocentior, eamdem magis voluntariam efficiendo. *P. a Ponte in Meditationibus de Mysteriis Fidei.*

Deus usus est Regibus infidelibus ad redarguendam Judæorum infidelitatem.

Verum quid illud est, quod Magis puerum adorare persuasit? Nam neque virgo ipsa erat nobilis, nec domus, in qua habitabat, illustris, nec quicquam ex his omnibus, quæ videbantur, ejusmodi erat, quod & Magis admirationem faceret, eosque ad puerum adorandum alliceret. At vero illi non modo adorant, sed etiam apertis thesauris suis offerunt munera, & munera digniora certe Deo, quam homine, Thus siquidem, & myrrha ipsi potissimum congruebant. Quidnam igitur illud est, quod eis, & domo, & patria relictâ, tanti itineris spatia transire persuaserit? Quod procul dubio fecit, & stella quam viderant, & a Deo donata lux, qua illorum mentibus, quasi aliud quoddam sydus effulserat, eosque paullatim ad perfectiorem scientiam provehebat. Cum enim essent cuncta alia vilia, nisi istud eorum animos incitasset, nunquam profecto tantum illi honoris parvulo detulissent. Idcirco nihil ibi de sensibilibus istis grande conspicitur, sed angustum tugurium, & vile præsepium, & inops mater, ut melius nuda Magorum Philosophia clarefceret: & ut discas, quia non quasi homini tantum, sed etiam Deo auctori omnium supplicarint bonorum, propterea nullo eorum, quæ extrinsecus videbantur, offensi sunt; sed & puerum fideliter adorabant, & munera suppliciter offerebant, qua tamen plurimum, & a Judæorum ruditate distarent, & Ecclesiastica Philosophia convenirent. S. Joannes Chrysostomus homil. 8. in cap. 2. S. Matthæi.

Mundana sapientia causa fuit propter quam Magi soli vererunt Bethleem ad Filium Dei adorandum.

Mundi sapientia semper Deo fuit contraria; verum si unquam constitit de hac veritate, id accidit sane in sollemnitatis hujus Mysterio. Quid enim prohibuisse putatis, ne catervatim omnes confluerent ad stabulum Bethleem ad videndum hunc Judæorum Regem, & Salvatorem Israel, cujus Nativitas tot prodigiis nunciabatur? Quid numerum cultorum JESU CHRISTI ad tres tantum Magos redegit? Nonne hæc fallax sapientia? Plurimi, non secus ac Magi stellam viderunt; plurimi ab illis, quid illa portenderet, audiverunt; sed insanientis esse putarunt his omnibus immorari, & domos suas desegi Jerosolymam ingrediuntur; de Rege recens nato, deque mirabili sydere a se viso loquuntur. Herodes hæc audit omnia. Sacerdotes consulunt Scripturas; Jerosolyma tota turbatur. Illi Bethleem mittuntur, & tamen soli illuc sese conferre relinquuntur. Herodes, qui politicus est, turbam suam dissimulat, veritus, ne levitatis redargueretur, si ad primum novæ hujus rei nuncium in aciem descenderet. Scribæ, & Legis Doctores, qui mittunt Magos in Bethleem, eo nequaquam se conferunt, ne in discrimen adducant existimationem suam; plerique omnem hanc Magorum profectionem insaniam putant, & interim JESUS CHRISTUS manet derelictus, & in ipso adventu suo ab omnibus fere ignoratur. Ecce Mundi spiritum, qui nimis heu! communis est inter ipsos Christi fideles, ubi JESUS CHRISTUS non majori habetur in pretio, quam olim habitus fuerit in Bethleem, ubi veri, & aperti cultores illius sunt admodum pauci; ubi pudet palam profiteri pietatem; ubi soli Sapientes illi sunt, qui norunt rebus suis consulere, suæque prospicere utilitati. *Pater Andreas Castillon in Adventu, Sermone pro die Epiphaniæ.*

Magi nunquam verius Sapientes fuere quam cum consilium suum explevere, quamvis aliud humana ratio persuaderet.

Nunquam Magi Reges sapientiores fuerunt, quam in hoc facto, in quo visi sunt obliti sapientiæ suæ. Etenim, quæso, ut cum Mundo loquamur, quænam fuit sapientia, & horum Principum Politica ad solum stellæ fulgorem, quin aliud inquirerent, statim relinquere ditiones suas, & iter aggredi leucarum plusquam ducentarum in alienam terram, non alium ob finem, nisi ut honorem adhiberent puero, qui in Judæa regnaturus erat? Quæ sapientia, loquor semper secundum placita mundanæ sapientiæ, adire regem ipsum Judæorum in ipsa Judææ Metropoli, ad quærendum ex ipso nuncium Nativitatis hujus pueri, quem Cælum destinabat, ut eidem sceptrum, & coronam Juda auferret? Nonne hoc erat Regem hunc lædere, furentem in illo zelotypiam ciere, & sibi perniciem conflare? Quænam adhuc sapientia est aperte profiteri, se secum pretiosa attulisse donaria, quæ huic puero largirentur? Tamen in facto hoc, quod mundo stultitia visum est, divinitus sapientes fuere. Non illos utilitas retardavit; non hominum sermones improbantium consilium eorum prohiberunt, quominus iter corriperent: Non illos Herodis adspectus deterruit; non Judæorum turba turbavit: malum horum exemplum non illos iter relegere coegit, & contra omnia illorum placita quæsiverunt JESUM CHRISTUM, eumque invenerunt, inventoque obsequia, & munera sua obtulerunt. Hujusmodi sunt Sapientes Evangelii, & ii, quos Deus habet in pretio, & sapientes appellat; qui contemnunt lucra, timores, rationes humanas, & omnes Mundi obices, ut Deum quærant, debitumque illi deferant honorem. *Idem.*

Magi nequaquam repente illustrati fuerunt, sed modicum luminis in majorem lucem illos perduxit; quid inde nobis discendum.

In hoc Magorum facto agnoscamus, Fideles, effectum admirabilem fidei, stellæ hujus inter humanæ ignorantiæ tenebras coruscantis. Confusum, obscurumque hoc JESU CHRISTI lumen, quod per umbras, & nubes ostendit nobis magnum hoc nostræ Religionis objectum, nos ad illum adducit, & dignos præbet, qui ipsum facie ad faciem videamus. Hæc lux est lucens in loco obscuro, & caliginoso. Quamvis in nocte densa ambulemus, & undequaque tenebris septi simus; tamen si fideliter sequimur nitens hoc vestigium, quod nobis Cæli viam aperit, nunquam labemur; fides hæc, quæ hactenus recens est, figurabatur per igneam columnam, quæ in lege veteri per noctem dux erat Israelitarum; & modo etiam cum vividioribus fidei luminibus illustramur, lumina hæc semper conjuncta sunt cum aliqua caligine; sed densiores etiam tenebræ cum aliquibus divinis claritatibus commixtæ sunt, ut humanus intellectus satis perspicue videat in divinis ne erret; simulque non invenit claritatem adeo manifestam, quæ prohibeat, ne se sub Divini Verbi auctoritate captivet. *Abbas du Jarry Sermone de Epiphania.*

Horum Magorum sapientia apparuit in ea celeritate qua Deum vocanti secuti sunt. Matth. 2.

Magorum celeritas in sequenda Cæli vocatione primus fuit effectus fidei Magorum, & primus actus sublimis ejus sapientiæ, quæ per Divinam mutationem, cum essent infideles, adduxit eos in statum inveniendi Deum Salvatorem, ex quo viderunt stellam ejus, statim discesserunt, ut se ad illum conferrent. *Vidimus stellam ejus, & venimus.* Non permanserunt ancipites, non deliberaverunt; non inanibus consiliis capiendis hæserunt. Intenti stellæ qua illustrabantur, & unice illum quærentes, quem illa portendebat citato agmine profecti sunt. Quare? quia pleni jam erant hoc spiritu, & hac supernaturali sapientia, quæ agit Electos Dei. Sed ut Sanctus Chrysostomus animadvertit Deum quærere efficaci, solidoque modo, quo illum fidelis anima quærit, jam non est ratiocinari, neque consulere; sed exequi, & facere. Unde sequitur, Sanctus hic Doctor ait, ubi deliberatur, consulitur, ac rationes quæruntur, quæcumque adsit intentio inveniendi Deum, semper quærendo illum, vel semper se illum quærere cogitando, illum nunquam inveniri. En qua in re Magorum celeritas sita fuit; viderunt stellam, & viva animati fide, atque ardenti cupiditate ad terminum perveniendi, quo a stella evocabantur, nulli earum rerum, quæ illos remorari poterant, aures præbuerunt: *Vidimus, & Venimus. P. Bourdalove Sermone de Epiphania.*

Mora, & cunctatio in sequenda Dei vocatione inutiles efficit gratias, quas tribuit nobis, & lumina quæ recipimus.

Ita Magi operantur, sed si nosmet cum illis conferimus Christiani Auditores, quodnam hic primum est, magnumque malum, quod nobismet exprobrare debemus? Nonne æternæ moræ, adfectatæ dilationes, cunctationes imprudentes, quas nectimus quotidie exequendis Dei mandatis, & afflatibus gratiæ? Integri fortasse elapsi sunt anni, ex quo Deus nos vocat, & nos illi resistimus. In Christiana fide educatis nobis major illuxit luminis copia ad ambulandum, quam Magis; fides nostra magis firma est, magis formata, & expedita; distinctius quam illi, Dei de nobis voluntates, & consilia cognoscimus. Dum illis una tantum stella coruscat, sexcentæ rationes nosmet persuadent, sexcenta nos confundunt exempla. Scripturæ omnes loquuntur, tot Doctores eruditi, tot nos urgent Evangelii Præcones, qui hortantur, atque sollicitant; sed frustra quia semper nectimus moras. Nunquam dicemus, ut Magi? *Vidimus, & Venimus?* Ita est, vidi, vel video hodierna die, quid a me poscat Deus; ideoque hodierna die hoc me facturum polliceor, recipioque, & eccc jam facere incipio? Quomodo scio utrum eras ita afficiar eo con-

go consilio, quod hodie mihi immittit Deus? Quomodo scio, utrum hic radius lucis eamdem in anima mea effecturus sit impressionem? Quomodo scio, utrum fidei lumen post tot dilationes, quæ illum sensim, & sine sensu imminuunt, prorsus extinguatur? Heu! sequamur propitium hoc lumen, quod nobis adhuc coruscat. *Idem.*

Magorum exemplo infringendi sunt nobis nexus omnes, qui prohibent ne gratiæ lumen sequamur. Matth. 19.

Magi statim fecerunt, quod mox labentibus annis fecerunt Apostoli. Videlicet omnia reliquerunt pro JESU CHRISTO, & jure suo primi dicere potuerunt cum Sancto Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Eorum enim fortitudo in hujusmodi consilio arripiendo, heroica ipsorum abalienatio, qua ea deserunt, quæ sibi erant antiquissima, insignis constantia in subeundis laboribus prolixi itineris, & in requie sua posthabenda, hæc omnia considerari possunt tamquam argumentum eminentis Sapientiæ, quæ effecit, ut JESUM CHRISTUM invenirent. Facile enim est, Sanctus Chrysostomus inquit, sequi motum gratiæ, quæ nullis stat sumptibus naturæ; & Dei inspirationibus obsequi, ubi nullus ex Mundi parte obex occurrit. Fidei, Christianæque Sapientiæ meritum est abrenunciare etiam, ubi opus sit, iis rebus, quæ impensius amantur, ponere habitus, vincula infringere, commodis privari, ac vitæ deliciis, sibique vim inferre, sine qua in Cæleste regnum non patet via. Tunc, sequitur Sanctus Chrysostomus, carnis prudentia adhuc callidior est, atque versutior, ut nos deterreat a via, ad quam nos deducere vult Deus. Tunc jugulans sancta desideria, quæ Deus per vivida gratiæ suæ lumina excitaverat in cordibus nostris, nos ignavos efficit, frigidos, languentes ea in re, quæ omnem diligentiam nostram & omnem flagitat zelum .... Hanc autem ignaviam fides in nobis superare debet, si Magorum exemplum imitari velimus; & inde etiam conjiciendum est nobis, utrum via, per quam ambulemus, via sit, quæ adducat ad Deum. *Idem.*

Constantia, & fidelitas Magorum labefactata non fuit, cum stella dux illorum evanuit.

Cum Magi Jerosolymam pervenerunt, stella, quæ illos præcedebat, peculiari Dei consilio, repente evanuit. Quid illi cogitare non poterant? Quid illis metuendum non erat? Fides eorum erat ne labefactanda, turbanda, commovenda? Sed non ita, fideles; periculosissima tentatio, periculum maxime inopinatum, prætextus speciosissimus, quem illis præbebat de reditu cogitandi eorum consilium non mutant. Quocumque pretio Deum, quem quærunt, invenire volunt. Viderunt stellam ejus, & experti sunt gratiæ ejusdem unctionem; hoc satis est; si stella hæc non ultra illuxerit, Providentiæ secretum adorant, sed inde scandali occasionem minime arripiunt. Deus illis ansam præbet ostendendi suam fidelitatem, & intelligunt, ubi similes acciderint circumstantiæ constantiam esse adhibendam. *Idem.*

Magi omnes humanas rationes contemnit, ut Salvatorem venerentur.

Aliquid ulterius nos docent Magi: quid porro? Quærere Deum cum generoso contemptu omnium humanarum rationum, & cum libertate, quæ decet Sanctitatem Christianæ Religionis, quam profitemur. Fuitne unquam simile exemplum? Media in Jerusalem, & coram Herode, scisciantur, ubi natus est novus Rex Judæorum. Quin ullam adhibeant cautionem, fatentur se venisse ad illum adorandum; Unice cogitatione hac occupati nullo habent in discrimine omnes considerationes, quæ zeli ipsorum impetum possent retardare. Herodes succenseat, turbetur; Synagoga hoc sibi scandalo vertat, obmurmuret, dicant, & cogitent de ipsis homines quodcumque voluerint; non Judæorum censura, non Herodis nequitia, non huic displicendi metus; non periculum, quod illis minitetur, eos prohibebit, quominus Salvatori, Deoque nascenti cultum, quem debent, adhibeant. Itane, auditores, fungimini officiis religionis vestræ? Quoties humana ratio fidem vestram captivavit? Quoties in sacris Mysteriis, cum agebatur de adorando Deo eodem, quem Magi venerantur, fuistis ignavi prævaricatores? Quoties ante aras timor, ne traduceremini tamquam pii homines, & frugi, obliti estis vos esse Christianos, & per summam imbecillitatem ingenti cum scandalo impii videri maluistis? Quoties noxius pudor vobis obstruxit os iis in locis, ubi sensus vestri erant palam expromendi? Ubinam tunc erat hæc Christiana libertas, quam vobis vindicare debebatis & coram hominibus, & coram Deo, non vobis necessaria dumtaxat, sed gloriosissima? *Idem.*

Magorum fides turbata non est ad conspectum pauperis status, in quo Mundi Salvatorem inveniunt.

Quodnam Regibus spectaculum, Infans in paleis, & in præsepio stratus! Sed sub cortice adeo abjecto, & contemptibili, judicium, quod ferunt de hoc Salvatore Magi, nonne effectus est immensæ Sapientiæ? Illum Deum agnoscunt in paupertate, & miseria, in infantia, & infirmitate, in humiliatione, & profundissima exinanitione. Tantum abest, quod status hic in quo inveniunt illum, fidem eorum turbet, penetrant mysterium, sub abjectis illis integumentis detegunt Messiam Mundo promissum. Si fidem habuissent languidam, ac imbecillam, eorum ratio rebellasset; sapientia tunc prorsus mundana illis suasisset contemptum Salvatoris ad hujusmodi extrema redacti, atque dixissent, quod mox dixere Judæi: *Nolumus hunc regnare super nos.* Nolumus Dominum bonis, viribus, potestate destitutum, inglorium, sine nomine, omnium egenum. Ita locuti fuissent; ita cogitassent; sed quia viventi fide animati sunt, fide perfecta, & divina longe aliter judicant, & arguunt, JESUM CHRISTUM per seipsum Regem esse; hoc est, ut se quæri, sibique obtemperari jubeat, non egere exterioribus insignibus, & humanæ pompæ ornamentis. *Idem Pater Bourdaloue.* Luc. 19.

Quomodo Filius Dei habendus sit Rex cæli, & terræ, & in quo sensu.

Si Reges terræ tantam sibi reverentiam conciliant, & si mortales omnes eos summis excipiunt honoribus, hoc ideo fit, quia Regnum conjunctum est cum splendore quodam, & magnificentia, quæ oculos perstringit. Sed sine hac Rex recens natus ab ipsis regibus adoratur, & colitur. Hinc inferendum est, hunc Regem esse cordium & spirituum, quoniam mirabiliter ea inspirat, & movet. Maximi Terræ hujus Reges hanc non obtinent potestatem, regnant super nos, Sanctus Hieronymus inquit; sed JESUS CHRISTUS regnat in nobis, & unius hujus est ad arbitrium sese insinuare in animas, & illis quamcumque voluerit impressionem ingerere. Dicere possumus ipsum Regem esse universalem Regem cæli, ubi novum sydus prodire jubet, & Regem terræ, ubi efficit, ut omnes imperium, ac præsentiam suam sentiant, vel remotissimæ gentes; Regem Judæorum, & Gentilium, ditionum omnium, & conditionum; quoniam omnes conditiones, atque ditiones æque vocat ad se, summos, & imos. Sed Mundi Salvator tu, Rex Regum es, & Dominus Dominantium. Tu Domine meus eris peculiaris Dominus; nimis diu mundus in dura servitute retinuit me, suisque legibus subjecit: excutiendum tandem aliquando est jugum adeo onerosum, & turpe. Tu regnabis in cor meum, & in meo corde; ibi solus regnabis, & solus omnia moderaberis ejus cogitata, desideria, consilia. *Idem.*

Munera quæ Magi offerunt Deo sunt totidem Mysteria.

In triplici oblatione a Magis Salvatori facta quot continentur Mysteria! tota ibi expressa est JESU CHRISTI idea; divinitas ejus, & humanitas. Divinitas ejus thure, quod uni debetur Deo; humanitas autem myrrha, qua olim ad condienda, saliendaque mortuorum corpora utebantur; denique supremum imperium auro, quod commune tributum est, quod Regibus, & Monarchis persolvitur. Triplex hoc munus plenum est etiam mysteriis, quæ Spiritus Sanctus nos docere voluit sub harum figurarum integumento, quas Sancti Patres aliter explicare consueverunt. Alii etenim dicunt, munera hæc, quæ illi de thesauris suis acceperunt, illa significant, quæ hauserunt de thesauro cordis sui; videlicet virtutes, quas exercuerunt illa offerentes: aurum symbolum esse caritatis, thus devotionis erga Dei Filium, myrrham spiritus mortificationis, ac desiderii, quod conceperunt illum imitandi in extremis incommodis, & humiliationibus ejus. Ecclesiæ sensus est auro regiam significari potentiam, thure summi Pontificis qualitatem, myrrha illius sepulturam: *In auro ut ostendatur regis potentia; in thure Sacerdotem magnum considera; & in myrrha Dominicam sepulturam.* Fructum percipite ex his sententiis omnibus, & Salvatoris vestri Magnalium sublimem conceptum vobis adstruite. Proponite illi fideliter adhærere tamquam Deo, Regique vestro; illum tamquam Supremum Pontificem colere, qui pro vobis se immolavit in cruce, & qui quotidie immolat se in altaribus nostris, eumque imitari tamquam victimam, quæ propter peccata nostra sacrificata est, & repleta amaritudine. *Pater Novet in priori parte Hominis Orationis, meditatione pro Epiphania.*

Utrum in Magis admirari debeamus, fidem ne Magorum, an Judæorum infidelitatem.

Utrum potius admirari debemus, quærit Sanctus Augustinus, fidem ne Magorum, an cæcitatem, & infidelitatem Judæorum? Judæi medium inter se Messiam habebant, eumque non norant: Magi longissime distabant; & tanta quamvis esset locorum longinquitas, veniunt in Judæam usque illum quæsituri; eumque illis invenire contingit. Judæi quamquam natum in regione sua, illum rejiciunt; & Magi quamvis alienigenæ, ipsum adorant. Judæi annis labentibus crucifixerunt eum, tunc vero præsertim cum majora operabatur miracula; Magi vero illi quamvis infantulo se devoverunt tunc, cum per ætatem ne verbum quidem porerat proferre. Hi viderunt illum in præsepio ad abjectissimam hominum conditionem redactum, & nihilominus sese coram illo, tamquam coram Deo suo prostraverunt: Illi testes sublimium miraculorum, quorum erat auctor, viderunt agere, ut Deum decet; & nihilominus non præstiterunt illi ea justitiæ, & caritatis officia, quæ citra scelus homini negare non licet. Heu fratres! Nonne hæc imago est eorum, quæ nobis accidunt in ipso Ecclesiæ sinu, & Christianæ Religionis centro! Nunquid eamdem habemus fidem, quam Magi? vel si credimus ut illi, agimusne sicut illi, & sicut

& ſicut illi quærimus Deum? Sancti hi Magi juxta Patrum locutionem fuerunt primitiæ vocationis noſtræ ad fidem; per illos cum JESUS CHRISTUS incipere voluit ad nos tranſmittere pretioſum hunc fidei theſaurum, cujus illi ſequeſtres fuerunt. Ab illis initium duxit ſubſtituendi Ethnicos in locum Judæorum, vel potius Gentiles, Judæoſque conſociare voluit in eadem fide. Sed quin fideles hos Ethnicos imitemur, incredulos imitamur Judæos; nos ſumus populus Dei, & vix Deum cognoſcimus; vel ſi illum cognoſcimus, de eo ne cogitamus quidem. Verum eſt nos fidem recepiſſe, Judæos vero illam recipere noluiſſe; ſed ornatiſſimam hanc hæreditatem quomodo ſartam tectam ſervavimus, quomodo excoluimus, quos inde fructus percepimus? Et non metuimus fore ut Deus aliquando proferat in nos eamdem ſententiam, quam protulit contra Judæos: *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes. P. Bourdalove de Epiphania.*

Act. 13.

Barbarum Herodis factum audita cauſſa adventus Magorum.

Dominans Herodis cupiditas erat ambitio damnabilis, cui omnia habuit deteriora; hæc illum præcipitem egit in altiſſimam iniquitatis abyſſum; cum enim didiciſſet cauſſam propter quam advenerant Magi, inde cognovit Judæos novum Regem expectare. Nihil ultra quæſitum fuit ad illius ciendam zelotypiam; inquieta vero, & tyrannica zelotypia adduxit illum ad violentiæ, & furoris exceſſum, & inſpiravit illi contra Sanctum Sanctorum odium internecinum. Audiit Regem, quem timebat, futurum e domo David: ut igitur non ſibi eſſet, cur illum timeret, vel ut illum ex viventium numero exturbaret; horribile init conſilium omnem Davidis progeniem exterminandi. Fruſtra oſtenditur illi, eum, quem perdere vult, eſſe Meſſiam a Prophetis promiſſum, qui Salvaturus eſt, ac Redempturus Iſrael: ille abrenunciat potius redemptioni Iſrael, quam ſuæ utilitati; & mavult carere Salvatore, quam competitore. Tantum abeſt, quod ſe præparet ad Meſſiam recipiendum, & percipiendum fructum ex ejus adventu, ut illius moliatur interitum. Ex Magorum adventu Jeroſolymam intelligit illum natum eſſe, & ad illum detegendum nequitia utitur, & calliditate. Simulat ſe velle adorare illum, ut eum tutius immolet felicitati ſuæ, & ut fiat homicida; hypocriſim præ ſe fert. Cum videt ſe a Magis illuſum, & de ſpe dejectum, perſonam abjicit, irascitur, frendit, & humanitatis oblitus, ut voti compos fiat, jubet in Bethleem, & finibus ejus omnes pueros a bimatu, & infra jugulari, & dummodo nutantem in capite ſuo coronam confirmet, nullo habet in diſcrimine regionem illam miſera cæde fœdare. *Idem.*

Actio Magorum de qua nemo poteſt ambigere, invicta eſt argumenti divinitatis JESU CRISTI.

Filius Dei in hoc Myſterio fallacem mundi prudentiam in Herodis perſonam confundit.

JESUS CHRISTUS univerſo mundo oſtendit, quam vana, & inutilis ſit Mundi ſapientia. Fruſtra Herodes Judæorum Regem inquirit; neque enim unquam inveniet; fruſtra cum Magis diſſimulat, ut recipient viam, & Jeroſolymam non revertentur. Fruſtra jugulat omnes pueros in finibus Bethleem; ille, quem quærit, ex tanta cæde evadet incolumis. Pro uno mille interficiet, & unus ille, quem in tanta clade quærit involvere, effugiet: Quare? Quia ſcriptum eſt, *non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*. Ita Fideles, quin de Herode loquamur, Mundi ſectator cum aſſerta ſapientia ſua nunquam pervenit, neque ad propoſitum ſibi finem perveniet; ſi enim propoſuerit ſe felicem futurum, nunquam erit. Dives erit, ſi vis, honoribus cumulatus, ſed ſecundum principia, & regulas pſeudo-prudentiæ ſuæ, eam, quam petit, felicitatem nunquam aſſequetur. Hinc ejus ſapientia non eſt amplius ſapientia, quia illum non poteſt amplius ad optatum finem perducere. *Idem.*

Proverb. 21.

Epiphaniæ Myſterium Deo fuit glorioſum.

Jure optimo Tertullianus ait, judicium eſſe difficile, utrum indignius ſit Majeſtate Dei naſci tamquam mancipium in præſepio, an mori, ut nocentem in cruce; ſed quemadmodum Pater Æternus oblitteravit crucis ignominiam in morte JESU CHRISTI per gloriam ſuæ reſurrectionis, humilitatem nativitatis per Regum adorationem attollit. Novum in Cælo Sydus creat, quod in ipſis etiam orientis oris annunciat Regem Regum natum in Bethleem. Sed eodem tempore, quo glorificat Filium ſuum, illuminat homines trahens Magos ad pedes JESU CHRISTI naſcentis, & gentes omnes ad Chriſtianam evocat Religionem. *In ſpecimine ſermon. Tom. I. Dominicalis pro die Epiphaniæ, ſynopſi prima.*

De ſtella, quæ Magis Regibus apparuit.

JESUS CHRISTUS, qui Sol eſt gratiæ, & gloriæ, vix prodit, cum Divina effundit lumina ſua in Mundum, licet tectus ſit nubibus noſtræ humanitatis in præſepio. Novum Sydus nitelcere jubet in Cælo, cujus claritas peperit fidem Gentium. S. Auguſtinus ait, dans initium fidei Magorum: *Ab hac luce inchoata eſt fides gentium.* S. Bernardus inquit, Cæleſte hoc lumen tranſiiſſe ab oculis eorum ad mentes, & JESU CHRISTI gratiam illos intrinſecus illuſtrantem per hoc aſtrum myſticum, aperuiſſe illis Myſterium incarnationis ſuæ, & nativitatis. *Qui per ſtellam foris advenit, intus inſtruxit.* Patres mirabilem hanc ſtellam reſpiciunt tamquam diſertam linguam Cæli Dei miracula enarrantem, & S. Paulus nos docet, viſibilia eſſe veluti tot gradus, per quos aſcendere poſſumus ad cognitionem inviſibilium: ſed omnia naturæ miracula nequeunt mentem attollere ad cognitionem Myſteriorum Religionis; unicum divinæ revelationis lumen illa poteſt hominibus aperire. Deus revelavit illa Judæis per vocem Prophetarum; illos ſequeſtres inſtituit ſecretorum adorabilium, quæ nationibus abſcondit; ſed hodierna die aperit illa Gentibus; efficit, ut hæc ſtella in imis eorum cordibus loquatur, vel potius viſibilis hæc ſtella, quæ apparet in Cælo conjuncta eſt cum inviſibili ſtella fidei, quæ illuminat eorum animas, & illis oſtendit, verum Deum, qui ſolus adorari meretur, expectare eorum obſequia in loco, ad quem hoc ſydus illos adducit. Si fides eorum ita fortis fuit, cum viderunt novam hanc ſtellam coruſcare, ut venerint ab extremo Oriente novum hunc Regem adoraturi; quod incrementum lucis accepit illa ex JESU CHRISTI præſentia? *Idem.* ad Hebr. c. 11.

Cum Salvator eſſet adhuc infans, & elinguis, natus in ſtabulo, & poſitus in præſepio, & nihil de illius Divinitate loqueretur præter ſpecum, paleas, duo animalia, quid prodeſſe poterat alienigenis Regibus doctis, atque ſapientibus fateri illum tamquam Deum ſuum, & veluti talem adorare, ac pro tali prædicare in ditione ſua, immo etiam ſe objicere mortis periculo in Herodis aula, dum recens natum quærebant Judæorum Regem; ut ſua illi præſtarent obſequia? Hoc tamen fecerunt, & quamvis eſſent Reges, tamen ſe eidem vectigales profeſſi ſunt, & ſubditos Regis hujus per divinitatis unctionem dedicati. Quomodo autem fieri potuit, ut tres hujus generis Principes conſilium adeo inauditum caperent, niſi noviſſent, cauſſam, qua evocabantur, hoc fuiſſe promeritam? Sed quiſnam, uno Dei Filio excepto, mereri poterat, ut Reges ex plaga adeo ſemota tot inter pericula, & cum tot laboribus, ipſi ſeſe in perſona conferrent illum adoraturi? Etiam ſi in eo ſtatu eſſet, ubi ſecundum naturam non poterat quidem cognoſcere illud obſequii genus quod ſibi offerebatur. Dicendum profecto eſt, vel Principes adorantes non eſſe Magos; nam ſi hic non alius eſt, niſi vulgo puer, ſapientes minime ſunt illi, qui de longe acceſſerunt, ut adorarent illum in ſtatu tam paupere; quandoquidem id agunt, quod ſtultum videri poteſt; ſi infans eſt vere Deus, illi, qui ita illuminati fuerunt, ut cognoſcerent ejus divinitatem ſub integumentis adeo contemptibilibus, profecto homines ſunt non ſolum ſapientiæ omnibus numeris abſolutæ, quæ per ætatem, & rerum experientiam maxima acquiri poteſt; ſed etiam cælitus afflati, ut inauditum hujuſmodi factum aggrediantur, ubi nulla cernitur rationis ſpecies, & quod locum tribuit, ut Myſterium hoc Epiphania vocaretur, videlicet Dei-hominis manifeſtatio, qui non potuit inſignius præbere divinitatis ſuæ argumentum, quam efficiendo, ut illam confiterentur, & prædicarent Reges, qui fuerunt tamquam primi ejus Apoſtoli, quia factum hoc omnino divinum eſt. Argumentamini igitur donec vobis placuerit; quo magis id meditabimini, eo clarius videbitis, fuiſſe impoſſibile, ut puer in eo ſtatu obtinere poſſet tot, tantoſque honores a Regibus, niſi vere Deus extitiſſet. *Ex collationibus Aſcetricis de Magnalibus JESU, editis a Patre de Argentano ex Capucinorum familia.*

Quomodo Salvatorem ad Regum horum exemplum adorare debeamus.

Quæ veſtra ſententia eſt de hoc Miraculo, Chriſtifideles? Nondum ne vobis perſuaſum eſt, divinum hunc puerum eſſe verum Deum, qui ſua potentia creavit vos, & qui de induſtria de Cælo deſcendit, ut per miſericordiam ſuam vos redimeret? quæ eſt ſtupiditas veſtra, quos adeo parum movet horum Regum exemplum, ut vos quoque, ſicut illi cultum veſtrum adhibeatis? Si ex eorum ſequela fuiſſemus, idem quod illi operati fuiſſemus; ſed in præſentiarum quid nobis faciendum eſt, niſi pietatem eorum ac zelum probare, & imitari? Etenim quid faciendum eſt Chriſtianis, qui norunt eumdem JESUM CHRISTUM, qui tunc aderat in Bethleem antro, nunc in altaribus noſtris adeſſe? Quid ne hunc quidem leviſſimum laborem ſumere vultis, ut ab ædibus veſtris ad Eccleſiam veſmet conferatis, ut præſteris illi obſequium, quod debetis; cum Reges ab extremis Orientis oris venerint illum in ſtabulo adoraturi? Vos, Chriſtiani, qui in magna fidei luce verſamini, quam pietas ſexdecim ſæculorum, & ultra, & lumina tot millium Doctorum confirmavit; vos non agnoſcetis illum in majeſtate Templi ſui, poſtquam Reges, qui illum nondum ab ullo adorari conſpexerant, illum coluere in præſepio jacentem? Heu! Imitamini tandem magnos hoſce Reges, qui ad Salvatoris præſepe procidentes vobis præbent exemplum perfectiſſimæ, & obſequentiſſimæ adorationis. *Idem.*

Sapientes hi abrenunci int ſapientiæ ſtultitiam.

Primum Miraculum, quod JESU CHRISTI gratia in Magis operata eſt, fuit illos abſtuliſſe Mundi

di, ut agnoſcant Majeſtatem Dei ſub infantis infirmitate.

Mundi ſapientiam, quæ coram Deo mera ſtultitia eſt, ut Apoſtolus loquitur, ad replendam mentem eorum ſapientia prorſus divina, quam Mundus ſtultitiam meram exiſtimat. Gratia nihil in illis reliquit rationis ſuperbæ, quæ non aliud eſt, niſi fons errorum, & infidelitatum; quemadmodum innotuit ex Philoſophis, qui cum tota ſapientia ſua non aliud fuerunt, quam blaſphemi, ubi loqui voluerunt de Deo, vel ſtulti, cum ſe ſapientius loqui exiſtimaverunt: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti fa-*

ad Rom. 1.

cti ſunt. Sed dici non poteſt, fallacem ſapientiam, quæ ſe non ſubjicit Deo, in Sanctis his Regibus inveniri, quippe videmus illos in ſtabulo adorare infantem Deum, & divinam Majeſtatem ſub ipſius infirmitatis integumentis confiteri. Miraculum hoc ſtuporem ciet, & proficiſci non poteſt niſi ab illuminata Sapientia, quæ omnes ſuperat humanas ratiocinationes, & quæ omnino ſubjicit & captivat mentem luminibus fidei. *Sarnzim in Sermone de Epiphania.*

MYSTERIUM INFANTIÆ, ET ABSCONDITÆ VITÆ SALVATORIS.

MONITUM.

MYSTERIIS, quæ pertinent ad perſonam Salvatoris Mundi, accenſemus tempus Infantiæ ejuſdem, & vitæ, quam abſconditam dicimus; re enim vera magnum eſt Myſterium Deus Infans; & quod non eſt minus admirabile, hoc eſt quod poſtquam manifeſtavit Nativitatem ſuam Paſtoribus, & Magis Regibus per inſignia prodigia & poſtquam illius locum, atque tempus connotavit, deinceps tot annos delituerit ignotus, atque in ea caligine, quæ efficere poterat, ne deinceps amplius agnoſceretur ab iis, qui illum præſtolabantur, & ob oculos quorum verſabatur.

Non ideo tamen dixerim eo temporis intervallo nihil accidiſſe notandum; quandoquidem ejus in Templum Præſentatio, in Ægyptum fuga, ſeceſſus, & ad triduum abſentia, cum in Templo repertus eſt, Doctores audiens, atque interrogans, baptiſmus ejus & jejunium dierum quadraginta in deſerto, facta ſunt ita connotata, ut totidem Myſteriorum locum valeant obtinere. Verum cum harum rerum nullam peculiarem feſtivitatem inſtituat Eccleſia, excepta Præſentatione in Templum, quam cum Deiparæ purificatione permiſcet; unice immorabimur in Myſterio Infantiæ illius, a quâ initium facit vita ejus abſcondita, quæ uſque ad trigeſimum ejuſdem ætatis annum protenditur. Si hoc Myſterium, vel hæc pars vitæ Salvatoris non æque renidet, ac aliæ; tamen reliquis aptior eſt ad erudiendum, & mores informandos; quandoquidem in Dei-hominis exemplo docet praxim virtutum, & inſtitutorum, quæ mox prædicaturus eſt, & quorum adeo præclara nobis in Evangelio reliquit exempla.

Ceterum quamvis omnes Salvatoris Mundi actiones ſecretæ fuerint; & hæc vitæ ipſius pars vocetur abſcondita, modicum illud, quod narrant Evangeliſtæ, nobis uberem copiam ſuppeditat animadverſionum, & conſiderationum ad regendos illos præſertim, qui vitam ducunt privatam, vel quos paupertas cogit deliteſcere in Nativitatis ſuæ, atque conditionis caligine.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

1. NONNE admirabile Myſterium eſt videre Filium Dei, qui humanam carnem aſſumens, voluit fieri Infans, & cum poſſet in Mundum venire ætate provectiori, & cum corpore perfecto, qualis in Paradiſo Terreſtri effectus fuit Adam Creatoris ſui manu; nihilominus ſeſe demiſerit uſque ad primæ ætatis humiliationes? Mihi videtur in Incarnatione ſua Deum tria habuiſſe pecularia conſilia, quæ mox perfectiſſime in puëritia adimplevit. 1. Voluit ſemet humiliare, & ut Apoſtolus loquitur, ſe exinanire; ideoque ſe omnibus ætatis hujus infirmitatibus ſubjecit. 2. Voluit amari, ideoque formam inducit infantis ſuaviſſimi, ut amorem noſtrum ſuis ſibi illecebris conciliaret. 3. Voluit eſſe mortalibus exemplo, ideoque ea in ætate præſetulit virtutes omnes, quarum illos efficere voluit imitatores. Hæc eſt Sermonis partitio.

Pars prima. Sicuti primum hominis crimen fuit contra Deum per ſuperbiam inſurgere, ita primum Filii Dei in Myſterio Incarnationis conſilium fuit, ſe hominis naturam aſſumentem abjicere, & per admirabilem humilitatis exceſſum ſeparare immanem exceſſum humanæ ſuperbiæ. Quapropter Incarnationi ſuæ humiliantem hanc adjecit circumſtantiam, non modicum tempus in infantis ſtatu vixiſſe, ut diutius humiliationes ſuæ permanerent, eaſque redderet perfectiores tribus abjectiſſimis qualitatibus, quæ in hac ætate inveniuntur, & quæ maxime adverſantur tribus perfectionibus Dei, quæ ad ejus eſſentiam maxime referuntur; videlicet, ſapientiæ, potentiæ, & ſummæ libertati. 1. Prima infantiæ qualitas eſt ignorantia, quæ illi inhærere videtur. Verum eſt, Salvatorem ætate illa habuiſſe omnem ſcientiam, & rationis uſum, quem perfecti hominis ætate poſſidebat; ſed liquet, infirma ætate illa viſum fuiſſe cum omnibus ſignis inſcitiæ, & ſimplicitatis, quæ in pueris aliis videntur. Hæc humiliatio propria eſt Myſterii infantiæ, & vitæ abſconditæ ipſius; nam in aliis vitæ ſuæ partibus, aliam agendi rationem ſecutus eſt, quod plane prædicationum illius eloquentia, & ſermonum ſublimitas teſtatæ ſunt. 2. Non minorem præ ſe tulit infirmitatem; etenim poſt aliquot potentiæ ſpecimina edita in ipſa Nativitate, in infantia ſua alieno ſemper indiguit auxilio, ut videmus, hominem hac in re animantium omnium infirmiſſimum eſſe, atque miſerrimum; quandoquidem ſatis diuturno tempore ſibimet ſuccurrere nequit, neque victui ſuo, aliiſque neceſſitatibus proſpicere. 3. Neque minus humiliatus eſt, utpote qui ab omnibus pendet creatis, & poſitus eſt eo in ſtatu, qui unus omnium maxime oppoſitus eſt gloriæ ſupremæ dominationis ſuæ, quæ duo complectitur bona, hoc eſt ſummam libertatem quam habet per ſe, & auctoritatem vel imperium quod in omnia exercet creata. Utraque autem quodammodo ad nihilum redacta eſt per neceſſitatem alieni ſubſidii &c. Tandem concludendum eſt, Verbum Carnem factum non potuiſſe ulterius ſeipſum exinanire ad hominis ſuperbiam reparandam, quam ſemet ad Infantis ſtatum redigendo.

Pars Altera. Secundum Dei noſtram ſuſcipientis naturam conſilium eſt, ſibi hominum amorem conciliare, & de cordis eorum duritia agere triumphum. Sed quamvis in aliis omnibus Myſteriis, quæ Dei-hominis perſonam reſpiciunt, amorem noſtrum meritus fuerit, veluti in Nativtiate, in Sacramento, & Sacrificio Corporis, & Sanguinis ſui, in paſſione, & morte; nihilominus in Infantia ſua præſertim exigit a nobis amorem benevolentiæ, juxta propenſionem, qua natura ipſa conſtitutum eſt, ut diligamus hanc ætatem, quæ per ſe amabilis eſt, & quæ in JESU CHRISTO omnia, quæ excogitari poſſunt, habebat illicia. Cui addendus eſt amor animi grati eò quod voluerit de ſublimi Majeſtate deſcendere uſque ad extremam humiliationem, ut mereretur, ſibique noſtrum conciliaret amorem, & denique amor confidentiæ, quandoquidem ex S. Bernardi ſententia, ut nobis faciliorem præberet aditum ad ſe, factus eſt puer; & ad puerorum exemplum magis promptus eſt condo-

mine pro nobis crucifixo. Qua ipsa in re supremam Dei sapientiam admirari debemus, ut S. Paulo videtur. *Nos prædicamus Christum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Dei virtutem, atque sapientiam.* Itaque mirum esse non debet, si Prophetæ ante JESU CHRISTI adventum, & Apostoli post illius mortem, & resurrectionem tanto labore hominibus persuadere conati sunt, illum solum esse Mundi Redemptorem, ut illos reducerent ad officium, & cogerent in hominis-Dei crucifixi religionem.

1. ad Cor. 1.

Præterea credendum est J. C. postquam crucifixus est; mortuum fuisse.

Neque immerito fidelibus proponuntur hæc duo seorsim credenda; JESUM CHRISTUM crucifixum esse, & eumdem mortuum esse; non defuerunt enim Hæretici, qui illum in cruce animam efflasse negarunt. Cum autem vere fuerit homo, potuit etiam vere mori, cum mors non sit aliud, quam separatio animæ a corpore. Quapropter cum dicimus JESUM CHRISTUM mortuum esse, intelligimus animam ejus separatam esse a corpore illius, quin tamen credamus, ab illo divinitatem secessisse. Quinimmo econtra confitemur, & constanter credimus, licet anima a corpore ejus secesserit; divinitatem semper utrique fuisse conjunctam etiam, donec ab invicem illa erant separata.

Mors, & Passiones Salvatoris extiterunt voluntariæ.

In morte Salvatoris illud est singulare, ipsum non solum tunc mortuum fuisse cum voluit, & mortem ejus nequaquam accidisse propter vim tormentorum, sed effectum fuisse voluntatis ejus; eumque semet morti obtulisse, ac determinasse locum, & tempus, ubi & quo sibi esset moriendum. Quod liquet ex illis Isaiæ verbis: *Oblatus est, quia ipse voluit*, & ex illis, quæ Dominus ipse de morte sua loquens ante Passionem suam dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, & nemo tollit eam a me, sed ego ponam eam a me ipso*. JESUS CHRISTUS igitur nihil operatus, aut passus est invitus; sed obtulit semetipsum morti, & etiam occurrit inimicis suis, & se illum esse testatus est, quem quærebant, & omnia tormenta, quæ injuste, & crudeliter sibi inflicta fuerunt, ideo sustinuit, quia voluit.

Isaiæ 53.

Joann. 10.

Dei Filius ultro se obtulit morti, quantumvis Pater æternus illi præcipisset, ut mortem subiret.

Theologi hac in re dubium proponunt, & quærunt quomodo simul conciliari possint duo hæc, quæ secum pugnare videntur: videlicet, illum se ultro morti obtulisse; & eumdem mortuum fuisse, ut idem testatur Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Unde videtur inferendum, Filio huic Patris sui voluntati adeo subjecto necessitatem fuisse subeundi sententiam mortis, quam ille protulerat cum omnibus ejusdem circumstantiis. Difficultati huic non omnes Doctores, & Patres ore uno respondent. Tenent alii hoc non fuisse absolutum imperium: sed obedientiam Filii magis perfectam fuisse se submittentis simplici desiderio, quod Pater suus illi significaverat, tamquam accommodatius, atque aptius ad assequendum finem, quo hac ratione mundum salvum facere optabat. Affirmant alii imperium, quo jussus fuerat mori, hujusmodi fuisse, ut dispensationem petere posset, quæ quidem illi concessa fuisset, si eam efficaci, non autem conditionali voluntate petiisset: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Alii denique docent Salvatoris obedientiam liberam fuisse in principio suo moriendi, imperium ideo illi irrogatum, quia illud ipse acceptare dignatus est; immo ipsum rogasse Patrem, ut hoc sibi imperaret. Sed quod est admirabilius, cum integrum esset illi eligere, vel secus, supplicium crucis, voluisse, ut sibi imperaretur, & præscriberetur.

Ad Philipp. 2.

Lucæ 22.

Finis propter quem Salvator noluit tanta pati, cum ipse minori sumptu nos salvos facere posset. ad Roman.

Primus finis, propter quem voluit JESUS CHRISTUS tot subire pœnas, quæ omnem superant fidem, non est unice, ut hominem salvum faciat; sed multo magis, ut satisfaciat Deo, digne Deo: *quem proposuit Deus*, inquit Apostolus, *propitiationem ad ostensionem justitiæ suæ.* Mundi Salus non fuit nisi medium, quod sibi proposuit. JESUS CHRISTUS noluit tantum sustinere in mundo scelus, ut Deus ibi videretur tanta affectus contumelia, & non videretur aliquis, qui digne illi pro talibus injuriis satisfaceret. Quia vero omnibus simul creaturis non inerat, quo tale debitum posset dissolvi, divinus Redemptor noster illud voluit persolvere, sed tanta cum superfluentia, & excessu, ut Pater infinite majorem ex hac satisfactione gloriam perciperet, quam contemptu, & contumelia affici potuisset omnibus Mundi peccatis. Hinc quamvis omnes homines obstinato animo perire, ac damnari vellent; non ideo tamen Salvatoris passio illis esset inutilis; quia nihilominus semper præcipuum finem suum obtinuisset, videlicet peccatum eo in horrore habitum fuisse, in quo erat habendum; & Deo factam fuisse eam satisfactionem, quam meretur, & exigere potest pro illata sibi injuria *ad ostentationem justitiæ suæ.*

JESUS CHRISTUS quatenus mortalis homo, & passibilis dolorem sensit in anima, & corpore suo.

Dubitandum non est, quominus Dei Filius in inferiori animæ suæ parte omnia senserit sibi illata tormenta; quoniam vere homo erat, & quominus maximas passus fuerit mentis pœnas, quemadmodum ille ipse testatus est. Nam quamvis humana natura conjuncta esset cum divina persona, hæc tamen societas nequaquam illi auferebat sensum dolorum mortis suæ, æque ac si nulla inter utramque societas esset; quoniam natura divina, & humana in hac unione utraque ita servavit, quod sibi proprium erat, ut quod in JESU CHRISTO erat mortale, & passibile, semper passibile, & mortale permanserit, & pariter, quod erat impassibile, & immortale, nempe divinitas, semper admirabiles in eo suas qualitates servaverit.

Cur Dei Filius mori voluerit in cruce.

Non sine peculiari divinæ sapientiæ consilio factum est, ut JESUS CHRISTUS in cruce mortem fuerit perpessus: quis enim voluit, ut quod mortem pepererat, fieret vitæ caussa, & origo, & dæmon qui primos parentes nostros vicerat arboris fructu, a JESU CHRISTO in arbore crucis vinceretur? Aliæ in medium afferri possent rationes, quas Sancti Patres prolixius agitarunt ad ostendendum æquum fuisse, ut Salvator præ ceteris crucis supplicium subiret: sed scire sufficiat, hoc mortis genus a Dei Filio ideo electum fuisse, quia sibi aptissimum visum fuit ad hominum redemptionem in illo operandam, quia re ipsa ceterorum turpissimum est, atque indignissimum: cum istud supplicium semper execrati fuerint Gentiles, & a Judæis habitum fuerit prorsus infame, quemadmodum liquet ex lege Moysis, ubi maledictus vocatur, qui hac pœna mulctatur. *Maledictus, qui pendet in ligno*, quamobrem Apostolus inquit: *Christus factus est pro nobis maledictum*, ut nos a legis maledictione liberaret.

Deuter. 21. ad Galat. 3.

Dei justitia apparet tam ex pœnis Inferni, quam ex illis quas Deus passus est propter hominum peccata.

Verum est infernum esse tamquam horribile theatrum, ubi divina justitia suppliciorum numero, & magnitudine, quibus nocentes excruciat, nobis ostendit, quanto odio iniquitatem illorum persequatur. Tamen hoc theatrum quantumvis horridum nihil habet, quod conferri possit cum theatro Calvarii, in quo videtur Deus severissimas exercere ultiones suas non quidem contra ipsos peccatores, sed contra proprium Filium suum, eam dumtaxat ob caussam, quod illorum tenet locum, quod eorum debitis onustus est, & quod formam gerit, & speciem peccatorum. Et Deus adeo justus voluit, ut sententia a semetipso lata contra dilectum hunc filium ad unguem adimpleretur, & ex magnitudine solutionis intelligeretur magnitudo debiti, quod per peccatum contraximus: cum enim de eodem persolvendo ageretur, Cælum nequaquam misertum est illius, qui non pro se, sed pro aliis illud solvebat, non tamquam debitor præcipuus, sed tamquam sponsor, & substitutus.

Ex quo æstimari possit magnitudo passionum Salvatoris.

Magnitudo passionum, quas Dei Filius propter amorem nostrum subire dignatus est humana mente nequit intelligi, quemadmodum Patres, Doctoresque testantur. Eo tamen ea capita, ex quibus fatentur, judicium ferri posse, & ideam satis idoneam concipi. 1. Ex multitudine eorum, qui ad mortem illi inferendam conspirant. Summi, imi, Scribæ, Sacerdotes, Judæi, Romani, amici, inimici, ut omnes aliquid conferrent ad necem illius, qui pro omnibus patiebatur. 2. Ex diuturnitate passionum, sine solatio, & relaxatione, cum dolores ejus semper creverint. 3. Ex multitudine passionum, cum nulla fuerit pars in ejus corpore, nulla facultas in anima, quæ peculiari aliquo tormento cruciata non fuerit. 4. Ex genere suppliciorum, quæ præter morem, & consuetudinem excogitata fuerunt, veluti spineæ coronæ impositio vel non consueto more exercita, veluti flagellatio. 5. Ex gracili temperamento patientis, quod ad levissimi doloris sensum molle erat. 6. Ex imaginationis celeritate, & applicatione spiritus ad omnia mala, ita ut nullum elaberetur, cujus non omnem perciperet amaritudinem: nemo unquam tam brevi tot, tantaque perpessus est. S. Thomas docet, passiones, & confusiones divini hujus hominis ad excessum perveniisse: *Dolorem, & confusionem passus est in summo*. Et alii asserunt Theologi, integram, perfectamque cognitionem malorum, quæ propter amorem nostrum subiit JESUS CHRISTUS in extremi judicii diem reservari, quo ostentabit ea justis simul, & reprobis, futura his quidem æternæ exprobrationis loco, illis autem loco testimonii infiniti amoris, quo illos prosecutus est.

Magnitudo pœnarum, quas Salvator in sua Passione sustinuit par fuit peccatis omnium mortalium. S. Thomas 3. P. quæst. 46. art. 6. ad 6.

Pœnarum, quas Salvator in sua Passione sustinuit, magnitudo, & vis *melius* adhuc intelligi poterit, si animus advertatur *ad id*, quod docet S. Thomas; videlicet *dolorum ejus* magnitudinem parem fuisse pœnæ, quam omnium hominum peccata merebantur; idque, quia Dominus noluit solum evertere peccatum viribus potentiæ suæ, sed etiam secundum regulas justitiæ suæ; ita voluit perfectam inveniri æqualitatem inter debitum, & solutionem, inter peccatum, & pœnam. Quamobrem sunt, qui credant Salvatorem tantum pertulisse pœnarum temporalium ipsum solum, quantum omnes homines simul pati merebantur in hac vita pro singulis peccatis suis, ita ut illius pœna tanta existeret, ut, quamvis non aliud extitisset, nisi homo simplex, æquaret, & superaret etiam pœnas omnes, quas divina justitia exigere potuisset ab omnibus peccatoribus pro remissione peccatorum *ipsorum*.

Regius

Pœnæ, quas pertulit J. C. magnam habent similitudinem cum pœnis inferni.

Regius Propheta ansam nobis tribuit hanc profe-
rendi veritatem, cum loquens in JESU CHRISTI
persona ait: *Dolores inferni circumdederunt me*. Hæc
autem similitudo cum pœnis inferni in hoc sita est;
1. Quia omnes meræ fuerunt sine ulla lenitate, ita
ut Dei intuitus, quo fruebatur Salvator in superiori
animæ suæ parte magis magisque exacerbaret dolores
partis inferioris. 2. JESU CHRISTI pœnæ in passio-
ne sua rationem aliquam habuere cum pœnis inferni
in origine; etenim quid maxime terribile est in pœ-
nis omnibus, quas damnati patiuntur? hoc sane quia
sunt quodammodo ordinis divini, cum Deus sese his
pœnis immisceat, & in igne imprimat vim superio-
rem virtuti illius naturali. Ita in Passione Pater æter-
nus testatur, se percussisse filium suum propter sceler-
ra populi sui. *Propter scelus populi mei percussi eum.*
Ipse enim tribuit flagellis, spinis & clavis vim tor-
quendi magis, quam naturaliter facere potuissent hæc
crudelitatis instrumenta.

Isaiæ 53.

Cur cum posset ille minoribus sumptibus nos salvos facere, tantum pati voluerit pro salute nostra,

Verum est Dei Filium potuisse omnia omnium ho-
minum delere peccata, eosque Patri suo reconciliare
per unicam sanguinis sui guttam, per unicam lacry-
mulam, unicum suspirium, unicum cordis sui mo-
tum: omnes enim quamvis minimæ Divini hujus ho-
minis actiones infiniti erant meriti. Voluit tamen non
solum pro nobis suum dare sanguinem verum etiam
torrentis instar effundere; non mori solum, verum
etiam turpissimum, teterrimumque mortis genus sub-
ire. Nonne hoc est omnes divinæ sapientiæ leges of-
fendere, tot sumptibus facere, id quod longe mino-
ribus poterat fieri? Sed in hac occasione Dominus
minus consuluit sapientiam, quam bonitatem suam;
minus respexit majestatis suæ magnitudinem, quam
magnitudinem necessitatum nostrarum. Nihilominus
constat ipsum nihil feciisse contra sapientiam suam,
& non sine caussa nos tanto pretio redemisse. Osten-
dere quippe voluit, quid sit peccatum, ut de mali
magnitudine ferremus judicium a magnitudine medi-
cinæ, quæ nobis applicita fuit. Namque, ut S. Ber-
nardus ait, dicendum est, vulnera nostra maximo in
periculo fuisse, quandoquidem necesse fuit, ut ad ea
curanda Deus vulneribus confoderetur. Dicere possu-
mus etiam hac in re voluisse Deum, nobis patefacere
excessum amoris sui per excessum passionum suarum:
ut si facilitas, qua nos creaverat, locum præbuisset
ingratitudini nostræ, difficultas, qua redemit, nos
necessario ad ipsum amandum compelleret. Heu! si
post tot immensa tormenta, quæ pro nobis passus est,
adeo frigide illum amamus, quid fecissemus, si pro
nobis aut nihil, aut modicum passus fuisset?

Rationes propter quas in Salvatoris Passione nobis cōfidendum est.

Quoniam satisfactiones JESU CHRISTI sunt infi-
nitæ, sequitur, reparationem, quam pro nobis fecit
non solum æquare, sed excedere ipsam offensam, quia
offensiones nostræ quantumvis graves sint, omnino fi-
nitæ sunt, reparatio autem infinita. 2. Sequitur Deum
majori affici honore pro minima JESU CHRISTI
passione, quam affectus fuerit dedecore omnibus mun-
di sceleribus. Quod hoc nobis esse debet consolatio-
nis argumentum? 3. Quamvis onusti essemus crimini-
bus omnium mortalium, immo etiam omnium dæmo-
num, unica Sanguinis JESU CHRISTI gutta majo-
rem haberet vim, quam oportet ad illa delenda: &
quamvis millies infernum meriti fuissemus, una JE-
SU CHRISTI lacryma ad nos inde eruendos suffi-
ceret.

Dei Filius mortem subiit pro nostrum singulis,

Ut tanti faciamus, quanti faciendum est benefi-
cium Passionis Domini, cum S. Thoma, omnibusque
Catholicis doctoribus considerandum est, JESUM
CHRISTUM ita passum fuisse mortem, & sæva sup-
plicia pro omnibus generatim hominibus, ut illa pro
singulis passus fuerit. Experientia quidem docet com-
munia beneficia non admodum in pretio esse, & vi-
dentur illi, qui de omnibus bene merentur, de nemi-
ne benemereri. Sed excipiamus, S. Thomas ait, in
hac generalitate Salvatoris passionem, dicamus po-
tius cum S. Paulo: *Qui dilexit me, & tradidit semet-
ipsum pro me*. Amor, quo nos complectebatur, illum
impulit, ut pro nobis pateretur. Utique pro me aqua
manavit, & sanguine in horto, pro me crucem passus
est. Constat, quamvis JESUS CHRISTUS passus fue-
rit pro omnibus, nihilominus pro singulis tantum pas-
sum fuisse, quantum si pro uno solum passus fuisset,
& de cruento sacrificio, quod obtulit in cruce dici
potest, quod S. Thomas dixit de incruento Altaris:
Sic totum omnibus, quod totum singulis. Sicuti in Cæ-
lo, quamvis Deus sit beatitudo omnium Sanctorum,
tamen totus est in singulis Beatis: *omnia in omnibus;*
ita dicendum est de JESU CHRISTO patiente, at-
que moriente pro singulis nostrum. Ne igitur nobis
persuadeamus, JESUM CHRISTUM patientem, &
morientem respexisse homines confuso, & generali in-
tuitu; non ita, nos singillatim respexit. Intueba-
tur singulorum statum, singulorum necessitatem. Of-
ferebat Patri suo merita Sanguinis sui pro singulis
criminibus nostris, inspiciens illa distincte in singu-
lis eorum circumstantiis, quasi non alia ipsi debita
essent persolvenda.

Verum est JESU CHRISTI merita, eo quod pro
nobis passus, & mortuus est, esse infinita; quippe si-
ne illo pœnis deputati fuissemus æternis. Ille solvit
pro nobis, & ejus satisfactio satis fuit, atque su-
per: sed necesse est singulos offerre Deo hanc solu-
tionem, & applicare sibi hanc satisfactionem eo mo-
do quo imperat Deus; alioquin omnes homines,
quamvis improbi, salvi fierent, si ipsi per se nihil
conferre tenerentur. Quoniam igitur justi soli sal-
vantur, liquet Salvatoris Passionem illis tantum pro-
desse, qui sese eidem conformes præbuerint per vitæ
Sanctitatem, quæ quidem Sanctitas consistit in con-
formitate cum Sanctitate Redemptoris sui; hæc enim
sola est, quæ justos, & Sanctos constituit. Neque
ideo putes passiones Salvatoris indigere nostris; illæ
infiniti sunt pretii, & nihil in ipsis desideratur; Ve-
rum si nos ex nobis, non fecerimus ea, quæ nobis
facienda sunt, nequaquam inde fructum percipiemus,
quem nobis producere valent. Idem enim est thesau-
rum habere, quo non utimur, perinde ac illum non
habere.

Necesse est, ut quilibet applicet sibi fructum Passionis J. C.

Dicere non licet Salvatorem singillatim omnes per-
pessum fuisse pœnas, & dolores, quibus homo tor-
queri possit, neque enim combustus fuit, neque can-
denti forcipe laniatus; neque fractus, qua pœna affe-
cti fuerunt latrones, qui cum eo crucifixi fuerunt.
Tamen nonnulli Sancti Patres, atque Doctores tenent
ipsum in passione sua congessisse omnes aliorum pœ-
nas, omniaque diversa genera tormentorum. Hoc au-
tem non solum quia, ut S. Thomas ait, pertulit in
rebus omnibus, & ab omnibus personarum generibus,
a quibus aliquid perferri potest; sed præcipue quia
sicuti Beatorum gaudium in semet eminenter, & eo
modo, quo decet, illud omnia complectitur gaudia
Beatorum, & omnes voluptatum species, quæ inve-
niuntur in ipso, alia ratione ab ea, qua sunt in se-
metipsis; ita Passio JESU CHRISTI continet omnia
dolorum genera, ut unum peculiare genus constituant
naturæ prorsus diversæ ab ea, cujus sunt in semet-
ipsis. Hoc exprimit Propheta per maris similitudinem
in sinum suum recipientis rivos omnes, ac fluvios,
qui illuc ex omnibus terrarum partibus confluunt, &
ibi naturam mutant, ut ibi immanem simul, & im-
penetrabilem amaritudinis extensionem efficiant. *Ma-
gna est sicut mare contritio tua.*

Extensio pœnarum, quas Passus est Mundi Salvator, omne humanarum genus Passionum consumavit. S. Hilarius l. 10. de Trinit. S. Thomas 3. p. q. 46. art. 5.

Cum decrevisset Deus salvare Mundum per Passio-
nem Filii sui, hujus corpus ad dolores perferendos
aptavit: *Corpus autem aptasti mihi*. Hunc ille sibi fi-
nem proposuit; utque illum assequeretur, effinxit cor-
pus cruciatibus perferendis ita idoneum, ut levissima
spinæ punctio majorem illi cieret dolorem, quam aliis
gravissima quævis tormenta. Hoc passim omnes tra-
dunt Doctores; & ideo sensus non erat in Salvatore,
sicuti est in nobis, in quibus ad ictus repetitos sen-
sus obtunditur, ita ut doloris continuatio nobis sit
remedium contra dolorem, & multum patientes, pati
cessemus. *Pro doloris magnitudine sensum doloris amitti-
runt*, quidam Pater ait. Sed Spiritus Sanctus, qui
JESU CHRISTI corpus fingebat, ut pateretur, acrem
adeo sensum, & dolori percipiendo ita parem effecit,
ut satis esset sensibile in fine, ut in initio pœnarum,
& novissima flagellationis verbera, exempli gratia,
parem illi dolorem attulerint, ac prima.

Spiritus Sanctus effinxerat Salvatoris Corpus ad hoc, ut pateretur, ideoque ad doloris sensum perferendum magis idoneum.

Isidorus c. 245.

Constat etiam hunc eumdem Salvatorem omnes do-
lores fuisse perpessum sine solatio, quod mortalium
omnium miserrimo deesse vix potest: præterquam quod
omnes vitæ hujus pœnæ, & mala semper aliquid ad-
mixtum habeant solatii: unus fuit Dei Filius, qui
hauserit totum calicem merum, & amaritudine reple-
tum, & usque ad fæces, uti Scriptura testatur. Hoc
est, de quo queritur. *Quæsivi, qui consolaretur, &
non inveni*. Quam ut innueret veritatem in Psalmis
comparat passionis suæ pœnas cum pœnis inferni:
Dolores inferni circumdederunt me; non eo quod ulla
inter illas inveniatur æqualitas, quia diversi sunt or-
dinis, sed quædam similitudo, quæ in eo sita est, ut
sicuti in pœnis inferni nullum datur levamentum,
quod tamen in hac non accidit vita, ubi bona sem-
per malis admixta sunt; JESUS CHRISTUS ita in
passionibus suis nullum habere voluit solatium.

Patitur sine solatio toto Passionis suæ tempore.

Quamvis re adhuc integra videatur crux esse hoc
minum opprobrium cum in inventione, tum in hujus
supplicii apparatu; nihilominus dicere possumus hoc
esse proprie Divinæ justitiæ telum. Deus illud præ-
ceperat propter scelera nostra, & Judæorum impieta-
tem; hoc decreverat supplicium, ac jusserat Filium
suum mori, & hac morte damnari; atque usus est
sola hominum nequitia, & crudelitate, ut æterna sua
exequeretur decreta, quibus statuerat ultione congrua
acceptas ab homine injurias reparare.

Supplicium crucis non tam opus hominum est, quam divinæ justitiæ.

Utique, Christiani peccatores, per vitæ suæ flagi-
tia instaurant in mundo cruentam, tragicamque Pas-
sionem Filii Dei; videlicet peccatores inferunt Filio
Dei in ipso gloriæ suæ statu totidem recentes passio-
nes, quot actionibus suis illi inferunt contumelias:
& si rite animus advertatur, quotidie easdem pœ-
nas, eosdemque iterant dolores, quos Jerosolymæ,
& in

Quo in sensu peccatores instaurent Passionem Filii Dei.

& in Calvario passus est, & in cordibus suis faciunt quidquid fecerunt carnifices iis in locis, in quibus Salvator est passus. Traditus, & venditus fuit a Discipulo; irrisus, & contemptus apud Herodem: Barrabbas illi prælatus fuit. Ad ignavi, politici, cupidique Judicis tribunal damnatus: Judæorum furori expositus, denique in immitium tortorum manibus traditus. Hæc illius fuit passio, & hoc singulis diebus a peccatoribus instauratur. Quot Christiani quotidie exiguum ob lucellum produnt illum? Non ne hodierna die ab impiis magis illuditur, quam olim in Herodis domo? Ejus Evangelium vertitur in ludibrium; sancta illius dogmata in jocum traducuntur. Singulis diebus anteferuntur illi abjectissima quæque, & ipso Barrabba indigniora. Non ne hodie politica de religione decidit; & Pilati politica non ne minori afficit dedecore, quam illa Christianorum politicorum, qui omnis religionis, & Christianismi expertes sunt, nisi quatenus illorum inservit avaritiæ? Denique Judæorum blasphemiæ, & carnificum impietates in illo incessanter iterantur. Peccator Christianus non ne, quantum in ipso est, in corde suo JESU CHRISTO mortem infligit?

Quo in sensu peccatum destruit Salvatoris Passionem.

Peccator in verissimo sensu JESU CHRISTI Passionem reproborum habita ratione destruit. 1. quia illam inutilem facit. 2. quia illis hanc efficit perniciosam. Illam inutilem facit, quia non proficiunt gratiis, quas ipsis illa promeruit, & quia illi privantur æterna felicitate, quam ipsis acquisivit. Vertitur etiam in miserorum perniciem; quoniam majori cum severitate judicabuntur, & damnabuntur; & sanguis hic, qui in eorum dumtaxat absolutionem effusus fuisset; post abusum illius eos nocentiores, & calamitosiores efficiet. 3. Quod vero maxime interest intelligere, & serio animadvertere; Salvatoris passio nos aliquando damnabit, si non eo profecerimus bono, quod nobis hodie procurat; & si, culpa nostra, salutem nostram non fuerit operata; hæc illa est inevitabilis necessitas, ad quam redacti sumus. Opus est, ut Sanguis super Calvarium defluens vel deprecetur pro nobis gratiam, vel contra nos justitiam reposcat. Cum illum nobismet per vivam fidem, sinceramque pœnitentiam applicamus, gratiam petit; sed cum per scelus, & impietatem nostram, virtutem illius inhibemus, justitiam flagitat, eamque certo certius consequitur.

De magnitudine, & enormitate peccati judicium ferendum est ex satisfactione, quã Dei Filius exhibuit.

Quod pertinet ad peccati magnitudinem, *cujus satisfactionem susceipere dignatus est Dei Unigenitus*, dicere possumus illam quodammodo esse infinitam, ubi ratio habeatur læsæ personæ, cujus dignitas, atque excellentia est infinita. Sed altera ex parte personæ, quæ satisfacit cum nulla in re inferior sit recipiente satisfactionem: nemo ire potest inficias, minimam pœnam, quam illa subiisset, unicam Sanguinis ejusdem guttam, vel unicam oris ejusdem vocem satis futuram fuisse ad hominum peccata expianda. Hoc negari nequit. Sed ut copiosa esset redemptio, & majorem haberet proportionem cum innumeris, que excellentia est infinita. Sed altera ex parte personæ, quæ satisfacit cum nulla in re inferior sit recipiente satisfactionem: nemo ire potest inficias, minimam pœnam, quam illa subiisset, unicam Sanguinis ejusdem guttam, vel unicam oris ejusdem vocem satis futuram fuisse ad hominum peccata expianda. Hoc negari nequit. Sed ut copiosa esset redemptio, & majorem haberet proportionem cum innumeris, enormibusque criminibus omnium filiorum Adæ; Agnus hic sine macula, qui tollit peccata mundi, se nunquam nimis pati posse arbitratus est.

Nil melius peccati gravitatem ostendit, quam cogitatio oportuisse ut Deus in mundum veniret, & subiret mortem, ut divinæ justitiæ satisfaceret.

Non æternitas pœnarum, quæ peccato debentur, nec aliud quidpiam ita perspicue nobis ostendere potest peccati gravitatem, quam cogitare, opus fuisse, ut Deus ipse fieret homo, & mortem subiret, ut pro nobis divinæ justitiæ satisfaceret, cui aliter satisfieri minime poterat. Cum enim offensa fuerit quodammodo infinita, quoniam tendebat in Deum, qui est infinitus; cumque homo impar sit illi digne reparandæ propter infinitum intervallum, quod ipsum, & Deum interjacet; oportebat, ut qui reparaturus erat, infinitam obtineret dignitatem, & parem illi, qui affectus fuerat contumelia.

Utrum necesse esset, ut Dei Filius pro generis humani salute pateretur. S. Thomas 3. part. quæst. 46. artic. 1.

Quærit D. Thomas, utrum necesse esset, ut JESUS CHRISTUS pro Mundi Redemptione pateretur; & respondet; necessarium non fuisse absoluta necessitate, ut ille pro hominum salute pateretur, quia unica actione, immo etiam unico verbo poterat Deus homines liberare a servitute peccati; non secus ac uno verbo universum terrarum orbem creaverat: sed addit hoc necessarium fuisse necessitate suppositionis, vel finis; quæ tunc accidit cum aliquid censetur necessarium, cum hujusmodi est, ut sine illo propositus finis obtineri non possit. Secundum hanc igitur necessitatem finis, vel suppositionis necesse erat, ut JESUS CHRISTUS pateretur tres ob causas, quas doctor idem recenset; primo ut per Passionem suam nobis æternam vitam obtineret, 2. ut per passiones suas obtineret gloriam corporis sui; 3. ut Prophetiæ, & Scripturæ adimplerentur.

Utrum aliud esset medium ad salutem humani generis reparandam, quã passio Salvatoris. Ibid. art. 2. Ibid. art. 3.

Idem quærit, utrum alia supereesset ratio salvandi homines præter passionem Salvatoris; cui similiter respondet; simpliciter, & absolute loquendo potuisse Deum hominem liberare a peccato & miseria alia qualibet via præter Salvatoris passionem; quia Deo nihil est impossibile; sed suppositu Dei præscientia, & ordine decretorum illius, secundum quæ ab æterno statuerat homines salvos facere per merita JESU CHRISTI, erat impossibile hominem aliter posse liberari; quia impossibile erat Dei præscientiam falli, & ordinem decretorum, & voluntatum suarum immutari. Sanctus hic Doctor quærit, utrum aliud esset medium, vel ratio quæ magis quam Passio deceret; & concludit, viam hanc magis opportunam fuisse, quam nos per absolutam voluntatem suam salvos facere: quoniam multa ad salutem nostram concurrunt, quæ non occurrissent hoc posito, quod per solam Dei voluntatem salvati fuissemus. Etenim 1. homo hoc pacto cognoscit excessum Dei erga se, quo illum adigit ad mutuum illi amorem rependendum, in quo ex Apostolo vera consistit salutis perfectio. 2. Quia tribuit nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, patientiæ, ceterarumque virtutum, quæ in Passione elucescunt. 3. Quia Salvator passionum suarum pretio non solum nos a crimine liberavit; verum etiam gratiam, æternamque gloriam, atque beatitudinem comparavit.

Utrum in passione anima J. C. gloria, & felicitate frueretur. Ibid. art. 8.

Operæ pretium est scire, superiorem partem animæ JESU CHRISTI gavisam fuisse beatitudine, cum tormentis maxime torquebatur. Etenim nobilior hæc animæ pars, ad quam pertinebat frui beatitudine, neque perturbata erat, neque inferiorum facultatum doloribus prohibebatur; eodem pacto quo inferiores illius facultates in propriis operationibus suis nullam percipiebant aut vim, aut imminutionem a parte superiori, quæ illas pati sinebat secundum omnem virtutis earum extensionem.

Dei Filius eligens teterrimũ, turpissimumque mortis genus, nihil egit indignum se ipso.

Gravissima est illusio, cogitare JESU CHRISTI Passiones repugnare dignitati personæ illius, ejusque humiliationes simul esse non potuisse cum ejusdem divinitate. E contra opus erat, ipsum has humiliationes deligere, & mortem, quæ esset suppliciorum omnium extremum, ut honoraret Patrem suum, excellentiori pacto, quo fieri poterat, quale erat facere illi reale sacrificium Hominis-Dei, ut Redemptioni nostræ omne tribueret complementum, quod recipere poterat; ut exemplo suo doceret homines contemptum earum rerum, quæ ad peccandum irritant, & ad evertenda ea placita, quæ illorum pariunt perniciem. Itaque hic Homo-Deus quatenus *Redemptor*, & hominum exemplar, nihil *se indignum operatus* est.

Quamvis quælibet actio hujus Hominis Dei sufficeret ad nobis promerendam reconciliationem, non tamẽ hunc obtinuisset effectum sine morte, quam illa respiciebat tamquam hujus operis consummationem.

Verum est *infinitatem satisfactionum* Salvatoris non adhæsisse *doloribus*, neque opprobriis illius, & quin *aliquid patereturi*, potuisse per amoris actum, vel aliam quamlibet *actionem mereri veniam* omnium peccatorum; & quamvis Pater suus creasset illum eo in statu in quo erat, cum de sepulcro egressus est, gloria refulgens, & beatus secundum animam, & corpus, satis fuisset petere remissionem offensionum nostrarum ad nobis obtinendam gratiam, & omnia bona, a quibus excideramus. Sed illi gloriosius erat, ut quod ostendebat ad nos redimendos, esset ex omni parte absolutissimum: & erat generositatis Salvatoris nihil prætermittere eorum, quæ impendi poterant ad majorem nostræ redemptionis efficientiam; præterquam quod passiones, & mors J. C. in omnibus abjectissimis circumstantiis cum a Deo præscriptæ fuerint in medicinam peccati *hominum*; quamvis actio quælibet Divini hujus hominis satis, superque fuisset; tamen omnes spectabant mortem hanc, & passiones, veluti consummationem suam, & ad ea, tamquam ad finem suum referebantur, alioquin meritum cujuslibet actionis singillatim effectum hunc non habuisset, non quidem propter defectum potestatis, sed propter defectum applicationis, & conditionis *hujus requisitæ*, ac necessariæ, supposito decreto Dei, *qui ita voluit*, atque præcepit.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci.

Expositio lugubris argumẽti Dominicæ Passionis, & quomodo de hac loquẽdum sit.

QUÆ vos causa huc cogit, Christiani Auditores, & quid hodierna die expectatis a me? Heu! huc venio non celebraturus actiones, vitamque admirabilem Hominis-Dei; non illius enarraturus miracula, non virtutum ejus elogia habiturus, neque ejus triumphos enuntiaturus: Sed tristem revocaturus memoriam crudelitatis suppliciorum, & excessus dolorum ipsius. Venio dicturus vobis non sine lacrymis tristissima *hæc verba*: J. C. Magister, supremusque Dominus noster, mundi Salvator, atque Redemptor *hodierna* die moritur, & animam effundit in cruce, tamquam mortalium omnium nequissimus. Sed quæ loquendi facultas, cum divinum, æternumque Verbum obmutescit, & cum vita vocis usum amittit? Heu! si loquendum est, hoc efficiendum est cordi meo, emittendo suspiria, & singultus, qui flectere valeant corda vestra: meorum oculorum officium est lacrymis meos sensus exprimere. Muta hæc eloquentia aptior esset ad vos persuadendos, & commovendos, quam sermones omnes, quos de adeo tragico eventu habere possem. Deinde qua opus est persuasione ad Christianorum animos hodierna die permovendos?

Videri ne potest Sanctus Sanctorum habitus tamquam mortalium omnium nocentissimus; Rex Regum obrutus opprobrio, & infamia; Unicus Dei viventis Filius moriens, & expirans in cruce, quin commoveamur? Quandonam miserebimur, & dolebimus, nisi misereamur, & doleamus, cum natura universa lugubri, pullaque veste amicitur, cum Sol eclypsi laborat, cum terra contremiscit, cum elementa permiscentur, cum lapides, rupesque scinduntur, & creata ipsa omni sensu carentia Creatoris sui mortem sentiunt, & dolent? Quandonam flectemur, nisi flectamur ubique videntes tot doloris insignia, Templa sine ornatu, altaria exuta, & deserta, hymnos in lamentationes conversos, triste in Sanctuario silentium, mœrore pictam omnium illorum faciem, qui huc convenerunt? sed ut iis satisfaciamus, quæ Deus a me, & a vobis hodie expetit, satis esse nobis minime debet, Fideles, sterilis miseratio passionis Salvatoris nostri: adjiciamus simul sincerum dolorem, veramque execrationem peccatorum nostrorum, quæ tantorum malorum causa extiterunt. Placeat Spiritui Sancto, nos ad hos sensus disponere, vel potius illos in cordibus nostris producere gratia sua, quam poscimus per merita, dicem, Mariæ, nisi illius vicem Crux hodie obtineret. Ad hanc ergo nosmet convertamus, & illi cum Ecclesia dicamus: *O crux ave &c. Recens Auctor.*

Invitatio ad lugendam mortem Filii Dei die passionis ejusdem.

Ploranda nobis est, Auditores optatissimi, mors Salvatoris mundi, nisi velimus abrenuntiare humanitati, & communi hominum sensui. Deus vester mortuus est: illi lacrymas date; hoc extremum a vobis petit Sacrificium. Christiani, Salvator vester mortuus est, non licet vobis sine turpi ingrati animi labe gemitus aliquos negare pro tanta Sanguinis copia, quem pro vobis effudit. Peccatores, JESUS mortuus est, ut vestra peccata expiaret. Opus fuit, ut vita ejus fieret piacularis victima, quæ a capitibus vestris divinam justitiam averteret. Si vos essetis innocui, ille nunquam veluti nocens exceptus fuisset; si vos essetis sine crimine, ille sine doloribus extitisset. Heu! non ne æquum est, ut ploremus hæc peccata, quandoquidem adorabilis Salvator sanguineis lacrymis eluit ea per tot oculos effusis, quot sacratum corpus ejus vulneribus confossum fuit. Quocumque oculos flecto, funesta in illos incidunt objecta, nec non crudelitatis instrumenta ad punienda in hoc adorabili corpore nostrorum scelerum mala; carnifices, flagella, spinas, clavos, lanceas, & cruces. Video hortum divino irrigatum sanguine, columnam sanguineis rubentem maculis, imbutas cruore vias, eodemque imbutas manus, & faciem eorum, qui execrabilis hujus injustitiæ ministri extiterunt. Hinc video Deum venundatum, proditum, irrisum, colaphis cæsum, flagellis percussum, ac demum in cruce morientem. Triste, & lugubre spectaculum, ad lacrymas ex oculis eliciendas aptissimum. Inde Patrem æternum intueor, damnantem morte Filium suum, & in illum exonerantem teterrima suæ iracundiæ flagella; Angelos amare flentes; solem amisso lumine, suffusum caligine, Cælum tenebris obsitum, terram trepidantem, monumenta fatiscentia, velum Templi scissum, universum terrarum orbem terrore perterritum, non ne æquum est induere sensus adeo generalis tristitiæ, & persolvere Cæli, Terræque Domino nostrarum lacrymarum vectigal, ut loquitur S. Ambrosius de optimi Principis obitu verba faciens. *Solvamus bono Principi stipendiarias lacrymas, quin ille nobis solvit etiam suæ mortis stipendium. Idem ex parte, & Pater Texier in Passione Quadragesimæ suæ.*

Ut lacrymæ nostræ sint supernaturales, meditandum est, quinam ille sit, cujus mortem, & passionem flemus.

Ploremus itaque Fideles, sapienter ploremus, ut loquitur Jeremias Propheta, videlicet meditemur causas doloris nostri; vel ut melius dicam, ne lacrymæ nostræ mere sint naturales, & miseratio nostra illi similis, quas cordis nostri affectus concipere posset erga aliquem innocuum inimicorum suorum crudelitate oppressum. Cogitemus, ponderemus, profunde meditemur adorabilem majestatem, infinita merita, supremas perfectiones illius, qui patitur, & patitur propter amorem nostri. Cujus ergo, Fideles populi, triste funus celebramus? pro quo a vobis lacrymas, & suspiria posco? *Passio Domini nostri JESU CHRISTI.* Vobis JESU CHRISTI Passionem, & mortem prædico. Hunc novimus Christiani, & fides, quam profitemur, docet hunc esse Hominem-Deum, in quo Omnipotens Dei manus duas in una eademque persona conjunxit naturas divinam, & humanam. Secundum divinam naturam Verbum est increatum omnem Patris essentiam recipiens: unicus, & naturalis Filius illius, vivens imago magnitudinis ejus, splendor gloriæ ipsius; perfectus character substantiæ ejus, Verbum, & Virtus illius. Per hunc Deus Cælos extendit, creavit astra, terram super abyssum fundavit, omnia creata produxit, & coram quo creata omnia sunt quasi non essent. Quæ majestas! quæ potentia! Hoc nobis jugiter ob oculos nostros versari debet, toto passionis ejus tempore, ne obliviscamur, quinam est, qui patitur. Quem si modo scire vultis quinam sit secundum humanam naturam, nepos est antiquorum Patriarcharum, progenies David, flos Regiæ domus Juda, qui inter progenitores suos quatuordecim numerat Reges, a quibus originem duxit ex parte Virginis Matris suæ, a qua opera Spiritus Sancti conceptus fuit; Quem si consideratis tamquam Hominem-Deum; hic ille est, quem tot Prophetæ prædixerunt, quem omnes Patriarchæ concupierunt; quem Deus pollicitus est. Hic Messias est; verbo, humani generis reparator, omnium gentium expectatio, optatus, & petitus spatio annorum quater millium, infinitis prænuntiatus oraculis. Ulla ne fuit in terris antiquior nobilitas, genus illustrius, glorioſior nativitas? Addite his præclaras, & incomparabiles corporis, & spiritus qualitates, quas omnes admirabantur; vitæ innocentiam, miracula, beneficia, quæ tantam illi compararunt existimationem, & reverentiam, quæ aliquando ad ipsam adorationem processit. Hæc meditatio facienda est, Christiani Auditores, in singula tormenta, quæ Salvator sustinuit, natura quippe constitutum est, ut longe aliter misereamur, ubi pati videmus aliquem genere, meritisque clarum, puta, Principem, & Regem tam meritis, quam dignitate fulgentem, qui tantum abest, ut de aliquo male meritus sit, ut immo de omnibus fuerit optime meritus. Longe aliter, inquam, miserentur, videntes tantum virum heroica perferentem constantia sævissimos cruciatus, ac intuentes hominem fruges consumere natum, & vitiis infamem; quamvis humanitas sæpe lacrymas nobis eliciat, & miserationis sensus inspiret propter supplicium, quod jure optimo patitur. *Auctor Recens.*

Exprimi nequit magnitudo tormentorum, quæ Salvator Passus est in sua Passione. Thren. 2.

Cum nunquam fuerit lugubrius, & commiseratione dignius spectaculum, quam videre Deum in cruce mortuum ob divinæ justitiæ decretum, hominumque crudelitatem; opus quidem esset temerarium penetrare velle hanc profundam ipsius pœnarum abyssum, de quibus Propheta loquitur, tamquam de vasto mari: *Magna est, sicut mare, contritio tua*, statim limites quæro in argumento, in quo omnia limites excedunt; patientia perferentis, furor mortem ipsius properantium, immanitas, & multitudo suppliciorum, quæ pati ipse debuit. Ita ut idem mihi evenerit, quod illis, qui, quum nunquam maria navigaverint, statim ac oculos in vastam illam extensionem injecerunt, eo magis in ipso sepeliri timent, quo altius procedunt, certo terrore opprimuntur, ac stupore percelluntur; & hinc nunquam melius ejus magnitudinem cognoverunt, quamquam eorum oculi per omnes partes circumaguntur simul, & veluti absorbentur. Hinc Propheta Isaias in spiritu hoc prævidens, oppressus, & perterritus a sola cogitatione hujus crudelis, & tragicæ mortis Hominis Dei, quærit, fidem ne habitura sint, quæ ipse proferet: *Domine quis credidit auditui nostro? Calum commotum est, terra contremuit*, astra obscurata sunt, & natura universa suum testata est dolorem. Nos quidem beati, Christiani, si hodierna die, quam habemus pœnarum societatem, vere habeamus cordis dolore compuncti! Quid enim in hoc lugubri argumento est, quod illos improviso non opprimat qui illud attento animo perpendunt? Quis non admirabitur ejus amoris excessum, ut mori passus sit pro illis ipsis, qui ei summa crudelitate mortem dederunt? Quis non stupebit de ejus invicta patientia, qua passus est horribilia supplicia? Quem non opprimet ignominia, qua Rex gloriæ a vilibus creaturis habitus fuit! Et quis tandem poterit non admirans istorum duorum terminorum prodigiosam unionem concipere! Homo Deus, & *Vir dolorum*! Deus in cælis adoratus a beatis Angelorum mentibus; & idem Deus in terris a servis suis injuriis vexatus? Ibi super gloriæ suæ thronum elevatus, & hic cruci affixus? Torrente deliciarum in Empireo potatus, & in Calvario in sanguinis diluvio totus immersus? *Auctor sermonum super omnia argumenta moralis Christianæ in quodam de passione sermone.*

Isaias 53.

Nostra peccata causa sunt pœnarum, & mortis Filii Dei.

Nos non solum sumus objectum passionis, & mortis Filii Dei, sed etiam ejus vera causa. Ex hoc profecto non solum est pia mentis imaginatio, aut arbitraria cordis contemplatio; cum dicimus, peccata nostra JESUM CHRISTUM Crucifixisse: sed est fidei dogma. *Vulneratus est*, inquit Propheta, *propter iniquitates nostras*; peccata nostra contra ipsum suorum inimicorum rabiem, & Patris sui justitiam concitarunt. Cum esset infinite perfectus, ipse erat, de quo ab æterno *Pater ejus sibi complacuit*; cum esset infinite sanctus, peccare non] poterat; cum esset infinite beatus, doloris sensu ipse carebat. Sed quum ipse fuerit pretium nostrum, debuit pœnas sibi assumere, quas nos promeruimus, & iræ Patris sui pondus sustinere. Hic est ille Jacob, veste Esau indutus, a Patre non cognitus, non arrepturus ab eo benedictionem, sed futurus maledictionis objectum, & omnem a nobis promeritam pœnam susceperus. Possum ne non amare Deum, qui etiamsi peccata mea infinite horreret, ea ipse tulit, ut a me pœnam ipsis debitam averteret?

Pos-

Possum ne amare peccatum, quod Salvatorem meum ad tam luctuosum statum impulit? *P. Nepveu Tomo 2. suarum reflexionum Christianarum in reflexione de feria 4. majoris hebdomadæ.*

Admodum admirandum est, Deum voluisse propter hominem pati,

Deus patitur, & moritur propter homines. Quæ potior amoris ratio? Quo magis cognoscitur, quid sit Deus, & quid homo, eo magis difficile est Dei propter hominem mortui mysterium intelligere. Quid est enim Deus, quid est homo? Deus est ipsa magnitudo, potentia, & ipsa summa Dominatio. Homo est ipsa humilitas, infirmitas, ipsa dependentia. Et quid est, Deum pati, & mori propter homines? Significat, hanc Magnitudinem, hanc Omnipotentiam, hanc Dominationem summam se in sacrificium offerre huic humilitati, huic infirmitati, huic dependentiæ. Hoc potestne comprehendi? Homo creatus est, ut Deo sacrificetur; hoc ejus gloriam constituit, suamque beatitudinem. Sed Deum se homini sacrificare, indignum ne sua sapientia videtur? Non utique negandum, hoc sua sapientia indignum videri; dignum tamen est sua bonitate; & hinc suæ sapientiæ nullo modo contradicit. Quod enim videtur, Deus ex una parte amisisse, auxit ex altera. Tanti enim ipse facit cor hominis, quod ut illum habeat, nimis liberalem se esse, nunquam arbitretur. Negabimus ergo nos Deo cor nostrum, qui illud hoc prétio quærit? *Idem in reflexionibus de feria 2. majoris hebdomadæ.*

Quo difficilius Mysterium Dei mortui creditur, eo magis eum amare debemus, eique grati esse ob tantum beneficium.

Non intelligo prorsus Trinitatis Mysterium; sed nullam tamen credendi habeo difficultatem, cum sciam naturam Dei talem esse, ut non possit comprehendi: & hinc eo ipso credo, quia illud non intelligo. Sed ad credendum, atque concipiendum Dei propter homines mortui mysterium æqualis mihi subest difficultas. Necessaria fuit tota Dei bonitas ad efformandum decretum, & tota ipsius potentia, atque sapientia ad illud exequendum. Oporteret habere Angelorum intelligentiam ad illud intelligendum, totam perfecti Christiani fidem ad illud credendum: cum vero concipiatur, aut saltem credatur, oporteret quidem habere totam dæmonis duritiem ad non concipiendum erga illud cordis affectum, aut ad non moriendum vel propter amorem, vel propter dolorem non amandi Deum pro hominibus mortuum. Si Deus mortuus esset propter dæmones, etsi inflexibiles videantur, affecti ne ipsi non fuissent tanto amoris testimonio? Nos vero, qui tam affectuose creaturas diligimus, *nullo movebimur affectu? Deus moritur propter me?* hoc efformat dulcissimam, & quotidianam occupationem animarum sanctarum in terra, & fortissimam sui amoris causam. Deus moritur propter homines, hoc in cælis Angeli admirantur. Deus moritur propter homines, hinc confusione, & desperatione operiuntur in inferno damnati. Deus mortuus est propter me, ia æternum inter flammas reprobus exclamabit; & interim hic ego immoror. Ambigere ne possum de Dei erga me bonitate, & de sincera ipsius, quam me salvandi voluntatem habuit, cum etiam propter me mori voluerit? De quo ergo conquerar, nisi de me ipso, cum in æternum sim infelix? Nihil difficilius creditur, quam pœnarum æternitas: sed quicumque hos duos terminos concipiet: *Deus moritur propter homines*, facile concipiet hos alteros: *isti ipsi homines propter ingratitudinem affecti sunt pœnarum æternitate. Idem.*

Minus est Dei Filium mortuum esse pro ipsis inimicis suis.

Deum propter homines mortem obire magnum quidem est admirationis argumentum, & ratio potens ad illum amandum; sed Deum obire propter ipsos inimicos suos, hoc longe admirabilius est, & movet magis. Asserit J. C. nullam *majorem* esse *caritatem*, quam *ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; sed ipsius caritas longius processit, quoniam pro ipsis moritur inimicis; pro inimicis æque abjectis, ac impotentibus; æque sibi beneficiis devinctis, ac ingratis. Ut de illis pœnas sumeret satis erat oblivisci illorum, statim enim in nihilum fuissent reversuri. Ut in illos animadverteret, satis erat velle; statim enim æternum, & infinite miseri extitissent. Sed non solum illos pro meritis non plectit, verum suam illis offert gratiam, & amicitiam, & quod est admirabilius, hanc pro illis meretur, hanc illis procurat moriens propter illos, & pro illis satisfaciens injuriis quas in ipsum patraverant, & propter quas ille jure suo æternam poterat repetere satisfactionem. Deus, quamvis omniporens, poterat ne longius suam proferre caritatem? *Idem.*

J. C. passio magnum nostræ confidentiæ argumentum.

Passiones, & Satisfactiones JESU CHRISTI maximum esse debent nostræ confidentiæ argumentum. Decem talentorum millibus divinæ Justitiæ obærati, hoc est immensorum debitorum onere gravati propter peccata nostra numero carentia, solvendo non sumus, Creaturæ omnes simul collectæ non possent simul opem nobis ferre ad tantum alieni æris pondus dissolvendum. Peccatum quodammodo infinitum est, quia infinitam læsit majestatem, a finita persona reparari non potest; Unus homo-Deus, unica Sanguinis ejus gutta infiniti erat pretii; ipse vero Sanguinis torrentes effudit, ut Dei Justitiæ, quod debebamus, persolveret. Ipse factus est cautio nostra, simulque nos tanto ære alieno liberavit. Quod igitur hoc est peccatori confidentiæ argumentum! Heu! Domine, ubi mecum recogito enormitatem, & numerum iniquitatum mearum, vilitatem meam, & tuam majestatem, quam post tot insignia mihi a te collata beneficia lædere ausus sum; cum tacitus mecum reputo odium immortale quo peccatum persequeris, terribiles ultiones, quas sumpsisti, nonnisi desperationis causas mihi video superesse: sed ubi animadverto, Deum ad novissimam usque guttam effudisse Sanguinem suum, ut mea expiaret peccata, non spem tantum abjicere, sed & metu etiam exanimari desino. *Idem.*

Unus Dei Filius Divinæ justitiæ pro peccatis hominum satisfacere potuit.

Docet S. Augustinus nequaquam divinam decuisse justitiam, peccatum impune relinqui; divinæ Providentiæ consilium esse reparare ordinem, quem peccatum perturbaverat; nec non opus fuisse Sapientiæ nequioribus sceleribus locum per criminum impunitatem præbere. Sed in quem Deus ultionem suam exercebit? Homo, qui nonnisi pulvis, & cinis est, dignum non est divinæ ultionis objectum. Nihil in homine est, quod Dei flectere valeat iracundiam. Potuit quidem Deum homo lacessere, illatam vero injuriam Deo reparare non potest; Potuit semet per seipsum corrumpere, sibimet mederi non potest; & in æternum periisset, nisi JESUS CHRISTUS omnium iniquitatum ejus immane pondus subiisset. Unicum igitur erat Verbum caro factum, in quod divina justitia exercere posset severitates suas, ut congruam daret offensioni satisfactionem. *Ex M. S. Sermone.*

Veritas eadem aliis Verbis.

Deo satisfacere oportet; at illi nonnisi Homo-Deus potest satisfacere; quod ipsa evincit ratio. Quid autem egit hic homo-Deus? Heu? Christiani, quid potius non egit? Ut pro debitis nostris satisfaceret, qua cura id elegit, quod unice, & ad extremum usque quadrantem replere poterat mensuram satisfactionum, quas expectabat Deus, & quas jure suo expectabat? In quo sita erat offensio Dei? in hoc, quod homo oblitus sui, Deo similem fieri adfectabat. Ego vero inquit Homo-Deus, non solum similis, sed Deo par, ac illi consubstantialis, longe aliter oblitus mei, me infra homines omnes demittam; *fiam opprobrium hominum, & abjectio plebis: ita enim ipsum loquentem inducit Propheta. Ego autem sum vermis, & non homo.* Concipimus ne, *vel possumus* ne concipere magis authenticam reparationem? Homo contra Deum *rebellis, obedientiæ jugum excusserat*, & Domini sui *imperium perfregerat; ego vero*, inquit Homo-Deus, licet mei juris, & non pendens ab ullo redigam me ad molestissimam, humillimamque servitutem. Obediens ero, *Factus obediens*, & obediens *usque ad mortem*, & usque ad mortem crucis: *Mortem autem Crucis*. Obediam non Deo solum, sed & hominibus, sed hominibus omnium nequissimis, & maxime sacrilegis, qui sunt persecutores, & carnifices mei. Non solum obediam edictis Cæli, semper æquis, & sapientibus, sed terræ injustitia, & crudelitate refertis; non solum obediam potestatibus nullam in me legitimam *auctoritatem habentibus; sed iis, quæ opprimunt me, & per voluntariam submissionem. Delebo scelus hominis Creatoris sui Legi rebellis. P. Bourdaloue in Passione Quadragesimæ.*

Psalm. 21.

Ad Phil. 2.

Passio, & Mors J. C. ostendit nobis enormitatem peccati & pœnam, quam meremur.

Quid est peccatum? Malum est pro cujus expiatione fuit opus, ut Deus-Homo fieret anathema, & maledictionis subjectum: *Factus pro nobis maledictum*. En quid nobis prædicet Crucis Mysterium. Non intelligebam quomodonam peccatum in nos adeo terribilia detrahere posset supplicia, & censor *factus judiciorum Dei ab eo rationem petebam horribilis illius* æternitatis pœnarum, quas *ejus justitia* præparat in inferno animabus reproborum: sed ignorantia mea inde proficiscebatur, quia non rite mortem, & JESU CHRISTI passiones consideraveram. Dei enim Mors constituta velut media ad peccati abolitionem, *necessarium* efficit, ut plusquam vellem, *intelligam*, quæ ratio intercedat inter peccatum, quod est offensio Dei, & miseram æternitatem, quæ est pœna peccati. Altero ruto posito, nullam deinceps invenio in altero difficultatem. Non miror amplius severitatem judiciorum *Dei*, neque ultionum ejusdem magnitudinem, sed miror stupiditatem, & errorem meum, quem agnosco adspiciens Hominem-Deum mortuum in cruce. *Idem.*

Oportet, ut fides nobis præsens subjiciat Passionis Mysterium, pertinde ac ob oculos nostros versaretur.

Ut loquamur, *vel* audiamus loquentem de Salvatoris passione, attentius, eosque in nobismet excitemus motus, quos argumentum hoc adeo lamentabile ciere potest, oportet, ut fides nobis proponat J. C. crucifixum, & quidquid ille in sua Passione sustinuit; perinde ac actu perferret omnes dolores, & opprobria, quæ tragicam hanc historiam componunt. Opus est, ut respiciamus Mysterium hoc, non tamquam præteritum, sed præsens; atque hoc ita permoveamur perinde ac videremus amabilem hunc Salvatorem pati, & amittere spiritum sub oculis nostris. Ita enim Prophetæ, atque Patriarchæ, qui jam pridem vivebant ante passionem Filii Dei, illam meditati sunt, non tamquam futuram, sed præsentem. Abraham, inquit Salvator in Evangelio, summo desiderio captus fuit videndi

mortis meæ diem; hunc in spiritu vidit, & præ gaudio exultavit, propter gloriam, quam mors mea erat allatura Deo, & bonum, quod inde humano generi erat cessurum. Quemadmodum ergo veteres Patriarchæ, & Prophetæ futurum prævertebant, ac illud sibi tamquam præsens exhibebant; ita ipsi per fidem revocare debemus præteritum, ac illud tamquam præsens nostris proponere cogitationibus. Hoc agere consuevit Ecclesia, & cum divina celebrat Mysteria, de iis verba tamquam de præsentibus facit. Hodie, inquit illa, Salvator natus est; hodie stella Magis apparuit, hodie in Cœlum J. C. ascendit, propter memoriam, quam recolit, & quam inde percipit utilitatem. Itaque cum S. Bernardo de sancta hac die loquente dicere possumus: Hodie mundi Salvator in Cruce moritur; hodie Sol ecclypsi laborat; hodie corda lapidibus duriora scinduntur, conscientiarum sepulcra aperiuntur; mortui per peccatum, resurgunt per pœnitentiam &c. *P. Novet in Proœmio Passionis Domini nostri, & in parte 2. Hominis Orationis.*

Crucis Sacrificium ostendit Dei magnitudinem, eamque adorabilem præbet.

Nullibi magis elucet infinita Dei majestas, quam in satisfactione, quam recipit a Filio suo, pro peccatorum nostrorum expiatione; fatendum est enim, hoc justitiæ factum satis comprehendi non posse, & quamvis viderem omnes terræ dignitates, omnesque cæli potestates in nihilum reverti ad reparandum honorem, qui Summo huic Enti debetur; quemcumque conceptum mihi adstruere valeret hoc tam nobilium creaturarum sacrificium, hoc nihil est cum eo, quod in Cruce peragitur, ubi Rex Regum semet sacrificat, & in opprobriorum, dolorumque abyssum demergit, Jesum Dei Filium Unigenitum rebus in omnibus Patri æterno parem, animam efflare in Cruce, tamquam scelestum emori; hoc nos stupore non replet? non efficit, ut præ metu, ac reverentia trepidemus? *Idem ibidem.*

Passio Domini peccupare meretur totum amorem nostrum, ideoque omnes cogitationes nostras.

Cum Passio Filii Dei sit extremus amoris ejusdem conatus, debet sibi totum cor nostrum demereri. Heu! quis satis amare potest eum, qui vitæ suæ non pepercit, ut nos salvos faceret? Hunc si vere dilexeris, quamprimum obliviscēris omnium terræ objectorum, quorum illecebra caperis; nihil in hoc facies, quod pro te Mundi Salvator non fecerit. Ipse suimet oblitus est mortis suæ die, ut magnum hoc Mysterium operaretur: oblitus est honoris sui, objiciens se opprobriis contumeliosissimis, ad gloriam, quam per peccatum amiseras reparandam; oblitus est oblectationis suæ, objiciens se sævissimis cruciatibus, ut tibi gaudium, & paradisi delicias restitueret; oblitus est voluntatis suæ, subjiciens se voluntati Patris sui, quæ una omnium illi erat severissima, & acerbissima; oblitus est injuriarum, quibus fuerat affectus; vel si earum recordatus est, id accidit, ut earum veniam obtineret, & largiretur; oblitus est rerum omnium immo & vitæ suæ, ut tibi gratiam, cujus jacturam passus fueras per peccatum, tibi compararet. Æquum est igitur, ut pro ipso id facias, quod ille pro te, ut nunquam imposterum reminiscaris. Æternæ oblivioni trade omnes ultionis cogitationes, quæ in mente tua suboriuntur; sacrifica omnes iracundiæ tuæ sensus caritati illius, qui pro te mortuus est, cum adhuc esses illius inimicus. *Idem.*

Quid amplius efficere poterat Filius Dei, ut tibi amorem conciliaret, quandoquidem Crucem subire voluit.

Profecto Dei Filius nonne satis superque operatus est, ut nos cogeret ad ipsum amandum? Quid ultra sustinere poterat, ut sibi amorem nostrum promereretur? Supplicium, quod patitur tale est, ut nihil fingi possit iniquius: injuriæ adeo contumeliosæ, ut nihil excogitari possit indignius; redemptio vero, quam persolvit, tanta, ut nihil esse valeat pretiosius; mortis suæ Mysterium ita profundum, ut nihil esse queat sublimius; exemplum caritatis adeo perfectæ, ut nihil inveniri possit admirabilius, atque suavius. Omnia in ipso loquuntur, & omnia quæ circum ipsum sunt, amorem flagitant. Ejus vulnera, opprobria, ignominiæ, dolores, spinæ, clavi, potissimum vero amor suus postulat, ut ex toto corde illum diligamus, qui pro nobis tot cruciatus subire dignatus est. Post omnia, quæ per occasionem nostri perpessus est, licetne tibi adhuc de amore illius dubitare? licetne tibi amorem tuum illi renuere? Ah! Domine, Deus, deinceps amare te volo. Proprius amor meus me transtulit usque ad contemptum magnitudinis tuæ; opus est, ut amor tuus deinceps me impellat ad amandum contumelias, quas pro me passus es, ignominias tuas, Crucem tuam &c. *Idem.*

De mali nostri magnitudine judicium nobis ferendum est ex magnitudine remedii, quod est mors Dei, & plorandus est nobis modicus sensus propriæ infelicitatis, cujus J. C. adeo miserus est.

Oculos si attentius conjecceris in Passione JESU CHRISTI, facile ex vulnerum illius magnitudine conjicere poteris, quanta illa sunt, quæ peccatum inflixit animæ tuæ. Donec in platea oblector, S. Bernardus ait, in Regiis penetralibus mea mors statuitur. Regis Filius certior factus de capite suum revellit diadema, & de ædibus suis egressus, sacco indutus, ac cinere adspersus nudatis pedibus pessimi servi calamitatem effusis profequitur lacrymis. Quid mihi faciendum est? numquid lacrymas ejus vertam in ludibrium? Profecto insipiens essem, nisi meas cum lacrymis ejus miscerem. Ecce meæ confusionis argumentum! Quæris ex me, cur dolori indulgeam, & reformidem? Quia ex magnitudine periculi, in quo sum, ex remedii magnitudine conjecturam facio. Non noveram malum meum; me bona frui valetudine putabam. Sentio Altissimi Unigenitum propter me morte damnari, ut vulneribus meis pretiosi illius sanguinis opobalsamo fiat medicina. Conjice quantum sit vulnerum tuorum discrimen, quandoquidem, ut curentur, opus est ipsum Dei Filium hoc pacto vulnerari. Si illa non essent omnino mortalia, & nisi tibi mors æterna impenderet, nunquam Dei Filius objiceret se morti, sibi salutem allaturus. Heu! me pudet, fratres, ita negligere morbum meum, videntem, majestatem adeo sublimem tanta mei ipsius miseratione teneri. Dei Filius plorat tantam miseratus ægritudinem, & homo, qui æger est, sibi vertit in ludibrium suam infirmitatem? Nonne mirum hoc est? *Idem.*

Salvatoris Passio nobis stuporem debet injicere. S. Leo ser. 11. de Passione.

Certum est, ut S. Leo dicit, inter objecta, quæ mentem nostram percellunt, eamque in admirationem rapiunt, nullum esse admirabilius passione hominis Dei, sive magnitudo, sive novitas hujus spectaculi consideretur. Quid enim Deo majus, & quod spectaculum admirabilius Deo in cruce moriente? Quid est in hoc objecto, quod non admirentur illud attentius considerantes? Quis excessum divini amoris non admiretur! Quid coegit illum, ut pro illis ipsis morerentur, qui sibi vitam eripiebant, & qui omni bono erant indigni? Quis non stupeat intuitus patientiam ejus in perferendis id genus tormentis, quibus similia nemo perpessus est? Quis non obstupescat videns illam indignitatem, qua excipitur ipse, qui Deus est gloriæ? *O Passio! O mors admirabilis!* S. Bonaventura exclamat. Non mundi creatio, non miraculorum operatio, non mortuorum resuscitatio mihi admirationem injiciunt: Dei passio stuporem in me ciet, me rapit, me terret. Illa Dei Creatoris majestatem decent, hæc vero non item. Obstupescere debeo audiens, vel meditans passiones JESU CHRISTI, quia hæ excitare possunt in nobis amorem summum, animum gratum erga infinita beneficia, quæ ab illo recepimus, & magnam ingratitudinis nostræ erubescentiam; quandoque adeo male vicem illi rependimus. *Idem.*

Lætitiæ & consolationis sensus in recolenda J. C. passione.

Anima Christiana Salvatoris passiones sua recolens meditatione, sese dilatare debet præ gaudio, quod non adversatur doloris affectibus, quos Passio in corde producere debet, seu per sensum miseriarum suarum, seu per miserationem, qua prosequi debet dolores JESU CHRISTI. E contra nihil suavius est, quam flere prope crucem, & nihil aptius ad meram, solidamque nobis consolationem afferendam. Si enim ibi peccata nostra deflemus, magnum lætitiæ argumentum est reo, illic omnimodam criminum suorum absolutionem invenire. Si ploramus Salvatoris mortem, cogitatio gloriæ, quam illa ipsi comparavit, & participatio beatitudinis, quam nobis procuravit, nos gaudio debet cumulare; inde enim assequimur magnitudinem divinæ erga nos caritatis, & bona, quibus mundum cumulavit. Salvator amabilis! Quanta est caritas tua? gaudium quidem nobis relinquis, tibique omnem vindicas amaritudinem: cogitabam ad pedes tuos me conferre, ut mœrore conficerer & cor meum consolationibus, atque deliciis omnibus mergis. *Idem.*

Doloris, & contritionis argumentū causam extitisse passionis, & mortis Filii Dei.

Dubitare non licet, utrum ipsi fuerimus causa mortis, & passionum Domini, quod unum æternum esse debet nobis doloris, & contritionis argumentum; nos Patris, Deique nostri homicidas fuisse. Ad sensum in vobismet justum adeo ciendum fingite vobis hunc Salvatorem in horto tædio adeo vehementi perculsum, immodico timore correptum, tantoque obrutum mœrore, ut sanguineo sudore manet, & aqua; vel columnæ alligatum, & sine ulla miseratione flagellis laniatum, vel tandem in Calvario inter duos latrones cruci suffixum, & efflantem spiritum inter gravissimos, qui excogitari valeant cruciatus: & deinde ex Prophetæ Isaia scisitamini, quid illum ad hunc statum redegit, ac reddet, ita illum peccata tua redegisse? *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quærite a Cælesti Patre, & respondebit: *Propter scelera populi mei percussi eum.* Hæc verba animo concipere vales, quin dolore tabescas, quin in te cieant contritionis sensum, & quin ex te, non secus ac ex Sancto Rege David hanc extorqueant confessionem: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi; vere Dominator, obsecro, manus tua contra me.* Væ mihi, Domine, peccata mea te cruci affixerunt, tibique tantam tristitiam, doloremque attulerunt. Divina justitia! ego peccavi, ego crucem meritus sum. Ego vinciendus essem, ego flagellis cædendus, ego spinis coronandus, ego omnibus saturandus opprobriis. De me igitur pœnas sume, ego sum nocens; & Filius Dei Sanctus Sanctorum est. *Idem.*

Isaiæ 53.

Ibidem.

2. Reg. 24.

De ingratitudine peccatorum pro quibus Dei Filius tantum passus est.

Nunquid ignoras peccator, te sine causa, & per summum ingrati animi vitium tot contumeliis, atque cruciatibus Salvatorem affecisse, ac te eumdem pergere, ut quotidie illum crucifigas? Quid illi exprobrare potes? De quo cum illo conqueri? Num quod

te de

te de nihilo eduxit, illi te præbes crudelem ? Num quod tui cauſſa mundum univerſum creavit, & gloriæ ſuæ te aptum conſtituit ? Num propter tot hæc beneficia inſtauras quodammodo paſſiones ejus illum offendens ? Quid tibi exprobrare poteſt, & reipſa tibi intrinſecus exprobat ? Quid feci tibi, ut mihi adeo crudelis eſſes, & inhumanus ? Quanam a me affectus fuiſti contumelia, aut dolore ? Ego equidem te infinita, æternaque complexus ſum caritate ; num ideo tibi inviſus ſum ? Oculos aperui, ut miſererer tui ; nunquid ignominiæ velum obtendis illis, quaſi indignus eſſem qui diei lucem adſpicerem ? Extendi brachia mea, ut te mihi pectori adſtringerem, num ideo me vinculis alligas, & me afficis contumelia ? Ego tibi omnia contuli naturæ, & gratiæ bona, immo bona etiam gloriæ præparo tibi ; num ut te ulciſcaris in me, expedis flagella, ſpinas, & clavos ? Num quia tibi vitam pollicitus ſum æternam, mihi mortem æque turpem, ac violentam moliris ? Quid reſpondes queſtubus hiſce æquiſſimis pariter, ac amantiſſimis ? Quid tibi reliquum eſt, ut temet tuearis ? niſi ploratus, gemitus, ſuſpiria, & execratio iniquitatum tuarum, quæ te in hoc dolorum pelagum dedere præcipitem ? *Idem*.

Modus ciendi in ſe miſerationem propter J. C. dolores.

Finge tibi viventem Paſſionis JESU CHRISTI hypothipoſim, quæ animo tuo repræſentet lanceam, quæ cor illius tranſverberavit, flagella, quæ carnem ejus lancinaverunt, eumque cruentarunt, ſpinas, clavos, atque triſtiſſimas mortis illius circumſtantias. Profecto ſi hæc omnia attentius inſpexeris, graviſſimo dolore tabeſcas, opus eſt. Id poſtulat gratitudo ; cum enim pro te tot, tantaque fuerit perpeſſus, ſaltem paſſionibus ejus te compati, æquum eſt. Id exigit juſtitia : Si enim miſereri debes infortunii fratrum tuorum, qui adverſis premuntur, quid tandem debes Filio Dei, qui per amoris exceſſum factus eſt mortalis homo, ut tibi amicus eſſet, Frater, Pater, omnia ? Sola id tibi ſuadet humanitas, ſi enim videres hominum noviſſimum eo in ſtatu, ad quem ſua ipſum redegit Caritas, te illius miſereſceret. S. Gregorius Nyſſenus ſiccis oculis tabulam Sacrificii Iſaac videre non poterat, cogitans victimam hanc innocuam, cervices tendentem ad mortis ictum excipiendum dexterra Parentis ſui. Si objectum hoc illi tanta miſeratione dignum videbatur, nonne digniſſimum eſt illud JESU CHRISTI morientis in cruce ? *O quantum laboravit juſtinens ; S. Bernardus exclamat. O quot tormenta ſuſtinuit ! Quis ſatis æſtimare poſſet admirabilem hunc bonitatis, & miſericordiæ exceſſum, qui illum in dolorum abyſſum conjecit ? Oculos conjice in hanc plagarum multitudinem ; vide defluentes Sanguinis rivos ; conſidera faciem, ſputis, luto, cruore deformatam. Guſta fellis amaritudinem, qua inebriatus fuit ; audi ictus mallei, & vide clavorum apicem pedes, manuſque terebrantem : excipe querulas, & amoris pleniſſimas voces, quas emittit in cælum. *Deus meus, ut quid dereliquiſti me* : ut tibi aperiat exceſſum interiorum dolorum ; quos oculis tuis uſurpare non vales : Memento, ipſum vacare culpa, ipſum Dei Filium eſſe, ipſum Deum eſſe gloriæ, & ſi eum hoc in ſtatu ſiccis oculis conſiderare potes, fatere te omnis ſenſus jacturam feciſſe. *P. Novet in proœmio Paſſionis.*

S. Bernad. ſer. 22. in Cant.

Matth. 27.

Gratitudo quâ Salvatori debemus pro morte & paſſione ſua, & quanti a nobis faciendum ſit hoc inæſtimabile beneficium. Eccli. 29.

Cum Dei Filius ſe pro nobis vadem conſtituerit, ne deleamus memoriam tanti beneficii ; etenim vitam ſuam objecit pro nobis. Ita nos monet Eccleſiaſticus : *Gratiam fidejuſſionis ne obliviſcaris : dedit enim pro te animam ſuam.* Si quodvis promeritum gratum animum poſcit, cum infinitum ſit ſuæ Paſſionis beneficium, ſi fieri poſſet, infinita illi habenda eſſet gratia. Ne igitur ſitis ingrati, ſed pro virili parte contendite omnibus officiis veſtris defungi, quæ grati animi ratio flagitat. Caput eſt beneficium tanti facere, non quanti quidem faciendum eſt, id enim noſtras ſuperat vires, ſed quanti poſſumus. *Scitis quid fecerim vobis*, Apoſtolis Joann. 13. Salvator inquit ; beneficii hujus magnitudinem intelligitis ? Aſſequimini exceſſum amoris mei, & meæ humilitatis abyſſum ? Optabat ut illi factum hoc adeo eximium connotarent, ut hoc in illis æſtimationem, memoriam, & amorem imprimeret, eoſque cogeret ad exercendam erga omnes eamdem caritatem. Eumdem igitur ob finem hoc ipſum a vobis peto. Scitis quid vobis fecerit JESUS CHRISTUS ? intelligitis quanti valeat mortis, & paſſionis ejuſdem beneficium ? Miſerias, ex quibus vos eripuit, & bona, quæ vobis procuravit ? *Scitis quid fecerit vobis* ? Ad extremum uſque quadrantem perſolvit pœnas, quas meriti fueratis ; & pro æterno ſupplicio, quod vos manebat, coronas præparavit æternas. Vos in gratiarum omnium, omniumque cæleſtium divitiarum, quarum jacturam feceratis, poſſeſſione reſtituit. Sibi elegit durum hunc crucis lectulum, ut in ſinu Patris Cæleſtis ſui æternam requiem vobis procuraret. Mortem noſtram vicit ſua, eamque in gloriæ triumphum commutavit. Convertit ultricis juſtitiæ ſuæ Tribunal in tribunal ſuæ miſericordiæ, & Calvarii Montem, qui locus erat nocentium ſuppliciis deſtinatus, fecit miſerorum omnium aſylum. *Idem*.

Quamvis redemptionis noſtræ beneficium Salvatori noſtro unico ſtetiſſet verbo, tamen ſemper infinite de nobis fuiſſet promeritus ; quandoquidem eruiſſet nos de cumulo malorum omnium & ad bonorum omnium cumulum nos extuliſſet : Sed amorem erga nos ſuum inſignire voluit paſſionibus ſuis, & noſtrum ingrati animi vitium oppugnare tam magnitudine malorum, quæ paſſus eſt, quam magnitudine bonorum, quibus nos cumulavit. Etenim quid quæſo facere potuit, vel debuit, quod minime fecerit, S. Bernardus exclamat ? Non ille mundum redemit verbo, quemadmodum illum verbo creaverat : tres & triginta laboravit annos ; ſæviſſima pertulit tormenta ; cruci ſuffixus fuit, morti devotus, immolatus opprobriis, & publicæ ignominiæ. *Quid ultra debuit facere, & non fecit ? Cujus vel ſaxeum pectus tanta, & talis a tanto, & tali collata beneficiorum multitudo non emolliat*, ſubdit S. Bernardus ? Si ergo cor tuum adhuc omni caret ſenſu, & inflammari non poteſt erga talem benefactorem, nonne cor tuum recenſendum eſt inter prodigia, quæ hominum nequitiam excedunt ? *Idem*.

Quid amplius facere poterat Salvator ad noſtram ſalutem?

Iſaiæ 5.

Bernard. de verbis Apoſtoli. Non eſt regnum Dei eſca & potus.

Confidentia a nobis habenda in Paſſione J. C.

Quantæcumque ſunt miſeriæ noſtræ, & mala, quæ patimur, vel metuimus, vel meremur, remedium, quod in cruce, & Paſſione Salvatoris nanciſcimur, toto cælo majus eſt, atque potentius. Una Sanguinis gutta, quam ille pro nobis effudit par erat ſolvendis omnibus debitis noſtris, delendis omnibus iniquitatibus, & extinguendis omnibus flammis inferni. Quid porro dicendum erit de hoc Sanguinis torrente, quem large in nos effudit ? *Si quælibet gutta decies centena mundorum millia ſalvare poteſt, tota pretioſi hujus Corporis maſſa peccatorem ſalvare non poterit ?* Non licet igitur vobis de remedii virtute dubitare, quoniam ſumma eſt ; neque de Redemptionis veſtræ ſufficientia ; quidquid pro illa impenditur pretii eſt infiniti. Omnes fluvii ſuum nomen amittunt, cum influunt in mare ; quia non ſunt amplius conſideratione digni, ubi cum maris magnitudine comparantur ; & omnes quamvis maximæ noxæ evaneſcunt, ubi merguntur in hoc divinæ miſericordiæ pelago ; & ſi dubitatis adhuc, ignoratis profecto *pretium paſſionum*, & mortis JESU CHRISTI. An *neſcitis, quod* Apoſtolus inquit, Sanguinem JESU CHRISTI petere *miſericordiam pro peccatoribus omnibus iis etiam, qui crucifixerunt illum*, clamore adeo valido, ut vineæ *rumorem noſtrarum calamitatum ?* Neſcitis tandem ipſum dediſſe ſemet redemptionem pro omnibus ? *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* : ideoque illius Sanguinem, paſſiones, merita, & ſatisfactiones veſtras eſſe ? Igitur in illo confidite, quin miſeriis veſtris turbemini. Utimini meritis, & Sanguine illius melius loquente, quam Sanguis Abel ; adhibete vocem adeo validi mediatoris, neque vereamini, ne Pater illius vos repellat, ſed timete ſolum ne vos illum repellatis : *Videte, ne recuſeritis loquentem*. Si enim qui repulerunt illum in terris loquentem, ſupplicium evitare non potuerunt ; nos illud multo minus evitare poterimus, qui illum repellimus de cælo loquentem. *Idem*.

1. ad Tim. 2.

ad Hebr. 12.

Miſerationis noſtræ objectum eſſe debet Salvator in paſſionibus, quas pro nobis ſuſtinuit.

JESUS CHRISTUS eſſe debet objectum miſerationis noſtræ, quoniam patitur pro nobis. Miſeratione profecto duceremur alterius cujuſpiam malorum, qui ea pro nobis pateretur ; nec movemur malis Dei pro nobis tantum patientis ? Sed ille non ſolum non obtus eſt noſtri in paſſionibus ſuis, ſed ſeparans nos e turba, illas nobis applicuit. Nos earum cauſſa fumus, & ſolatium, quantumvis crudeles eſſent ; illi dulces factæ ſunt, quia nobis utiles erant futuræ ; & nobis de illius amore perſuadent, noſtrum promerentes. Amor, quo JESUS CHRISTUS nos proſecutus eſt, & deſiderium illum nobis teſtatum faciendi, fecit, ut ille teterrimos ſuſtineret cruciatus ; ſed horror, quo pro ipſo aliquid pati refugimus indicio eſt, vel nos parum affici amore illius, vel non admodum laborare, ut hunc illi oſtendamus. *P. Nepveu in Chriſtianis conſiderationibus pro feria 4. majoris Hebdomadæ.*

Filius Dei in paſſione ſua eſt objectum noſtræ imitationis.

Si JESUS CHRISTUS paſſus eſt, S. Petrus Apoſtolus inquit, ideo paſſus eſt, ut nobis præberet exemplum, & per ipſum, quod nobis reliquit exemplum, nobis magnum ſuppeditavit incitamentum ad patiendum, & nobis gratias promeritus eſt, ut nobis ad id eſſet auxilio. Pater æternus cuilibet Chriſtiano oſtendens Filium ſuum in Calvario, dicit, quod olim Moyſi : *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Inſpice hunc prototypum, qui tibi in Calvario proponitur ; & illum imitari contende. Prædeſtinari non potes, niſi divini illius authographi fueris imago, & niſi JESU CHRISTO ſimilis fueris Crucifixo : nam in cruce potiſſimum tuam meritus eſt prædeſtinationem. Deeſt aliquid, S. Paulus inquit, Paſſioni JESU CHRISTI ; hoc tu adjicias oportet. Deeſt autem applicatio. Paſſio Domini tibi utilis eſſe non poteſt, ſi tibi non poteſt applicari ; ſi conjunctus non es cum JESU CHRISTO patiente, & niſi cum illo cruci confixus es, nunquid tu tibi illam applicabis, qui vel naturalem, vel mollem vitam du-

Exod. 25.

cis. Quod autem potissimum in Salvatoris morte imitari debemus, est hic spiritus sacrificii, quo immolavit omnia gloriæ Patris sui per sacrificium juge quandoquidem incœpit cum vita, ut nonnisi in morte desineret; universale, quandoquidem sacrificavit bona sua, gaudia, gloriam, & vitam; perfectum, quandoquidem sacrificavit bona omnia sua eo usque, ut nudus moreretur in cruce. Si sua sacrificavit gaudia, id accidit, ut sese subjiceret acerrimo dolori, & sævissimis cruciatibus; si gloriam suam sacrificavit, id contigit, ut sese objiceret opprobriis, & contumeliis; si vitam sacrificavit, id egit, ut moreretur in patibulo. Quamvis sit omnipotens, poterat ne ille, majus offerre sacrificium? homo-Deus ad exinanitionem usque sacrificatus pro Dei gloria nobis ostendit, quid Deus mereatur, & quid ipsi gloriæ illius sacrificare teneamur. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Idem.*

Mors, & Passio hominis - Dei magnum est stuporis argumentum.

Quod Deus ut Deus agat, sicuti decet Deum, Dominum, & Dominatorem; quod verbo Cælum, terrasque creaverit, & quod nihil ejus potentiæ resistat; id, Fideles, adeo illi proprium est, ut nihil fere nobis mirum videatur. Quod autem Deus patiatur, quod Deus inter cruciatus expiret; quod Deus, ut loquitur Scriptura, qui solus possidet immortalitatem, gustet mortem; hoc non Angeli, non homines unquam intelligant. Jure igitur cum Propheta mihi exclamare licet: *Obstupescite Cœli!* hoc enim superat omnem fidem, hoc exigit fidei nostræ obedientiam, & submissionem; sed etiam in magno hoc mysterio fides nostra de Mundo retulit triumphum. Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. *P. Bourdalove in Passione Quadrag.*

Jerem. 2.

1. Joann. 5.

Salvator ita moritur, ut mors ipsa ostendat illud vere Deum esse.

Fatendum est, JESUM CHRISTUM ita mortuum esse, ut mors illa nonnisi hominem-Deum deceret. Profecto homo, qui moritur postquam ipse palam, & non obscure omnes mortis suæ circumstantias prædixit; homo, qui moritur actu miracula, & maxima patrans miracula, ut ostendat in morte sua nihil esse nisi humano majus, atque divinum: Homo, cujus mors, si rite perpendatur, ipsa est omnium miraculorum maximum; quandoquidem tantum abest, ut per virium defectum, ut ceteri homines, moriatur, ut e contra per omnipotentiæ suæ conatum expiret. Sed quod cetera antecellit, homo, qui per mortis suæ infamiam, ad altissimam pervenit gloriam, & expirans in cruce triumphat per crucem ipsam de Mundi principe; per crucem ipsam Mundi superbiam infringit; erigit crucem suam super idololatriæ, & infidelitatis mundi hujus ruina; nonne homo est, qui moritur, ut Deum decet; vel si mavis, ut decet hominem-Deum? Et ecce quibus innitatur fundamentis Apostolus dicens, hunc hominem in cruce mortuum fuisse non quidem ministrum virtutis Dei, sed ipsam Dei Incarnati virtutem. *CHRISTUM Crucifixum Dei virtutem. Idem.*

1. ad Cor. 1.

Prophetiæ legis antiquæ occurrerunt scandalo, quod desumi poterat ex ignominia mortis, & passionis suæ prædicentes fructum mundo inde cessurum.

Plura jam excesserant sæcula, cum Prophetæ, qui in veteri lege fuerunt Messiæ Præcursores, omnes mortis ejusdem circumstantias prædixerant; cumque potissimus obex, qui aliquando deterrere debebat Mundi spiritus a JESU CHRISTI fide, erat assertum scandalum, quod paritura erat mortis ejusdem ignominia; Deus singulari Providentia his Prophetis revelaverat, mortem quamvis contumeliosam hujus Messiæ in temporum plenitudine futuram esse præsentissimam peccati medicinam, solemnem peccati reparationem, præstantissimum salutis, & Redemptionis Mundi remedium, ut prophetia invictum divinitatis testimonium, efficeret ipsas mortis hujus ignominias non venerabiles tantum, verum etiam adorabiles; & homines hoc consilio, non solum non afficerentur scandalo, verum etiam sibi persuaderent, nihil esse in Salvatoris Passione, quod super hominem esset. Hoc enim, ut S. Chrysostomus inquit, Dei erat Consilium, cum in veteri Testamento inducebat Isaiam de JESU CHRISTI passione loquentem tanta cum certitudine, & verbis adeo explicitis, ut in novo Evangelistæ vix, & ne vix quidem usi sint apertioribus. *Idem.*

Salvator omnes Passionis suæ circumstantias prædixerat; certum divinitatis ejusdem argumentum.

Qui audisset Dei Filium de Passione sua ante Passionem ipsam, & antequam Judæi consilium iniissent contra ipsum, differentem, dixissent sane ipsum de re præterita loqui, cujus historiam enarrat. Adeo minimas etiam persequitur circumstantias. Hoc testantur ea, quæ ipse dicebat Apostolis, ut illos ad hæc mysteria doloribus refertissima præpararet. Jerosolymam tendimus; ubi, quidquid de hominis Filio dictum est (ita enim seipsum appellabat) de hoc hominis Filio, quem videtis, & qui loquitur vobis, impiebitur. Tradetur Gentibus; contumeliis onerabitur, irridebitur, flagellabitur, crucifigetur, Facies ejus conspuetur; ipse vero opprobriis saturatus morte damnabitur. Hæc autem futurorum, ac impenetrabilium arcanorum scientia nonne Dei erat scientia? Cumque ille posset mortem hanc, & hæc tormenta evitare, nonne argumento est, ipsum ultro hæc sustinuisse; eaque revelans, & palam evulgans, cum nonnisi Deo esse possent explorata; nonne ostendit, sibi fuisse omnem Dei ipsius potentiam, atque virtutem? *Idem.*

Supponamus hunc hominem Deum ad nos salvos faciendos in crucis locum delegisse sibi vitæ hujus delicias: quod inde robur non accessisset amori proprio, omnis corruptionis nostræ fonti, & quousque ille non evasisset? Nunquid ipsi tunc auditoribus apposite loqui videremur prædicantes, & expetentes ab illis sensuum mortificationem, carnis crucifixionem, suimet ipsius abdicationem, & pœnitentiæ humilitatem? Nobis ne attentas præberetis aures, & hæc sola idea Dei vestri in honoribus, atque deliciis, nonne insuperabile esset præjudicium contra ea, quæ nos afferre possemus argumenta; sed hoc exemplum Dei in Cruce mortui quam vim non præbet Ministris Domini, & verbis eorum? Quanam cum auctoritate dicere possumus oportere vos humiles esse, mortificatos, a mundi amore divulsos; quod nonnisi trepidantes asserere potuissemus? Hoc jus est, hæc auctoritas, quam JESU CHRISTI Crucifixi exemplum suppeditat Præconibus Evangelicis, cum vobis prædicant difficillima vestræ Religionis officia, ut nihil respondere possitis exprobrantibus oppositionem, quam in iis exercendis ostenditis. *Idem.*

Exemplum Filii Dei de Cruce pendentis auctoritatem præbet ministris Evangelicis prædicandi pœnitentiam, mortificationem, & voluptatum abdicationem.

Odisse, & execrari debemus peccatum causam mortis J.C.

Peccatum mortem intulit JESU CHRISTO, & vera fuit causa Passionum ejus. Hoc unum nonne efficere debet, ut cognoscamus hoc abominabile monstrum, & illud cognoscere nonne satis est, ut sincere illud oderimus? Ite peccatores, ite ad pedes crucis; contemplamini dolorosum Passionis Salvatoris vestri mysterium; numerate, si licet, omnes plagas, quibus confossus est, omnes spinas, quæ caput illius terebrarunt, omnes sanguinis guttas, quas effudit, & ab illo cum Propheta scisitamini, quis illum ita percussit; quis illum ita sauciavit? Audietis illum respondere vobis, se ita percussum fuisse a peccato, a peccato vestro, a vobismetipsis. Ego Domine, ego auctor cruentæ Passionis tuæ? Ego vero non doleo, ego dolore non obruor? Ego adhuc oculo tranquillo illud intueri, & nullo in discrimine habere possum? ego possum adhuc amare peccatum, quod tibi mortale vulnus inflixit? Præterea si peccatum est internecinus Dei inimicus, Deus non minus inimicus est peccati? si peccatum mortem intulit JESU CHRISTO, JESUS CHRISTUS pariter peccato intulit mortem. Sed quanti victoria hæc stetit Salvatori? Num ignoratis? & si id ignoratis, tot vulnera in illius corpore aperta nonne totidem ora sunt, palam clamantia? Vultis ne contra ipsum excitare inimicum, quem ille prostravit? vultis ne in eam relabi servitutem, a qua tot sumptibus vos liberavit? Vultis ne illi nova suscitare certamina? novis illum objicere passionibus, novæ illum cruci suffigere: non alios sensus assumitis hac die pœnitentiæ, & conversionis? *Idem in postrema Passione tomo primo Mysteriorum.*

Quomodo neamo Salvatore melius cognovit Peccati enormitatem & odium Dei majestatem, ita nemo agnovit dolorem, quem meretur, ut ille.

Uti nemo unquam Salvatore melius cognovit quid sit Deus, neque affectus est supremi hujus Entis excellentiam, coram qua omnes terræ hujus majestates sunt instar atomorum, & omnes mundi Reges atque Monarchæ sunt nihilum; ita nemo, ut ille, novit odium, quo æterna hæc, & infinita Sanctitas persequitur peccatum. Adde his, neminem unquam, illum intellexisse justitiam hujus odii, atque horroris; nemo enim assequi potest jus, quod habet Deus exigendi a creatis omnibus obsequium, & obedientiam. Nemo denique, ut ille, agnovit infinitum illud discrimen, quod intercedit Deum inter, & hominem, ideoque nec horrorem peccati, & magnitudinem supplicii, quod meretur. Verum cum Salvator perfecte hæc nosset omnia, sequitur ipsum unum concepisse odium, quod peccatum meretur, & magnitudinem doloris, qui ad illud expiandum & leniendam Dei jure irritati iracundiam propter terribilem hanc scelerum colluviem, quæ universam terræ faciem coinquinarunt, requiritur. Itaque falleris, peccator, cum peccatum, quod ita facile committis respicis tamquam perfunctoriam actionem, tamquam levem tuæ voluntatis motum, impetum concupiscentiæ tuæ, qui nihil fere est, si illius spectes diuturnitatem. Sed heu quam longe aliud est, si illud consideres quale est in oculis Dei, & Salvatoris tui. Hoc illud est, quo nihil deterius accidere potest ipsi Deo; illud quod infinite illi displicet, quod illi incomprehensibilem adfert contumeliam, denique malum tantum, ut ad medicinam illi adhibendam nil minus requisitum fuerit, quam sanguis, & mors hominis Dei. *Auctor recens.*

Quam contumelioſum fuerit Filio Dei rapi in judicium, veluti improbum.

Etiamsi Dei Filius toto Passionis suæ spatio non aliud passus fuisset, quam verecundiam sistendi coram judicibus, & ante eorum tribunalia comparendi; hæc summa quidem illius humiliatio fuisset; sed duplex illius fuit ignominia rapi in judicium eorum, qui acerrimi erant inimici, qui nocentes erant, & qui ab illo multiplici ex causa rejici poterant. Anna, & Caiphas erant impii, & contra illum odium immortale conceperant. Pilatus erat cultor idolorum, Herodes incestus, & reliqui auro corrupti. Nihilominus hic Rex gloriæ, qui aliquando futurus est judex illorum, & Universorum dominus, ad eorum Tribunal accedit nudato capite, & veluti reus: sustinet inimicorum criminationes, iniquo-

iniquorum teſtium collationes, eorum ſubit judicium, & eorum ſe ſubmittit ſententiæ. Salvator mi! quanam magis profunda humiliatione poteras jacturam pati honoris, & æſtimationis tuæ coram hominibus ſemper præſumentibus hominem vere improbum eſſe, & juſto damnatum judicio, ubi judicum ſententiis damnatus eſt. Profecto injuriæ, quæ alicui privatim inferuntur, honori ejus labem offundunt; ſed hæc elui poteſt, ubi in apricum proferatur odium, ira, vel invidia eorum, qui nos aggrediuntur. Populi impotentia contumelioſa eſt, ſed accepta referri poteſt populari tumultui, qui temere aliquem laceſſit; ſed cum homo rapitur ad Tribunal, ibique judicum ſententiis damnatur, ſceleſtus habetur, neque deeſt cauſſa pro tali eumdem habendi. Ita quamvis Salvator omnium eſſet hominum integerrimus, atque ſanctiſſimus, crimina licet ficta, & judicum ſententia iniquiſſima, nonniſi infamiam illi parere potérant apud illos ipſos, qui de eodem optime ſentiebant. *Biroat, in Paſſione Quadrag.*

Quam bene mors, & crux Dei cum divinis ejus perfectionibus conveniant?

Dei mors in cruce, & quidquid paſſus eſt pro ſalute noſtra, quod impii nonnulli aſſerere ſunt auſi, non convenire Deo; tantum abeſt, quod divinis perfectionibus adverſetur, ut immo eaſdem illuſtret. Et

Geneſ. 6.

ad eluendum ſcelus, quo *omnis caro corruperat viam ſuam*, omnes peccatores univerſali diluvio ſubmerſit: fatendum eſt illam nobis multo majorem viſam fuiſſe, cum videmus juſtitiæ huic ſatisfieri nequaquam potuiſſe niſi per victimam meriti infiniti; & nihil minus quæſitum fuiſſe Deo humiliato ad Deum legum placandum: *Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*. Magna illius miſericordia ſingulariter nobis innotuit in JESU CHRISTI morte; cum enim ex nobis nihil haurire poſſet

ad Rom. 3.

ad illius ſatisfactionem, contulit nobis facultatem perſolvendi quidquid debemus. Per mortem illius æquam concipimus ideam ſupremæ ejuſdem ſapientiæ, quæ artem invenit conciliandi virtutes duas, quæ ſimul conciliari non poſſe videbantur, juſtitiam videlicet,

pſalm. 84.

& miſericordiam: *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi*, inquit Propheta, *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*. Dei potentia nunquam major in luce refulſit, nun-

Oſee 13.

quam enim glorioſiorem triumphum reportavit eo, quem retulit de morte, dæmone, & inferno: *Ero mors tua, o mors!* Bonitas ejus ſe nullis circumſcriptam terminis oſtendit eo in myſterio, in quo Deus vitam ſuam pro ſuis impendit inimicis; ſit ſervus, ut redi-

Ad Rom. 3. D. Thom. 3. P. q. 46. art. 3.

mat ſervos: verbo, *Commendat caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, CHRISTUS non ſolum pro nobis mortuus eſt*, verum etiam, ut docet S. Thomas, dedit in morte ſua nobis exemplum virtutum omnium, quæ omnino ſunt neceſſariæ ad opus ſalutis noſtræ perficiendum. *Abbas de Monmorel in ſermone de Paſſione.*

Innocentia J. C. cognita fuit ab omnibus creaturis.

Eodem tempore quo Salvator traditus fuit *poteſtati tenebrarum*, ejus innocentia, & divinitas cognita fuit a creatis omnibus rationalibus æque, ac anima carentibus; a Juda, qui confitetur, ſe peccaſſe tradendo Sanguinem juſtum, a Pilato, qui poſtquam damnavit illum manus ſuas lavit; ab Judicis hujus uxore, quæ illum Juſtum eſſe profeſſa eſt; a Judæis aliquot qui crediderunt in illum; a Latrone, Centurione, Militibus, qui illum Dei Filium eſſe teſtati ſunt; a terra ipſa, quæ tremuit; a Sole, qui incidit in Eclypſim; a lapidibus, qui ſciſſi ſunt. &c. *Idem.*

Paſſiones & mors Dei oſtendunt quam horribile ſit peccatum.

Deus patiens efficere debet, ut obliviſcamur cetecorum effectuum iræ Dei contra peccatum. Ut pecati hujus enormitatem intelligamus quid prodeſt ſcire illum urbes, provincias, & nationes exterminaviſſe, terris diluvium immiſiſſe, æternos in inferno ignes ſuccendiſſe, & ultionem repoposciſſe tot terribilibus calamitatibus, quæ univerſorum faciem deformarunt? Deus, qui habitus fuit tamquam terræ vermis, & in cruce mortuus eſt, nobis oſtendit, quam horribile ſit in oculis ejus peccatum. Omnes creaturæ, quæ ſunt, & eſſe poſſunt, perirent, & ad nihilum redigerentur, quin ne minimam quidem ſatisfactionem præberent infinitæ majeſtati, quam lædunt; dignæ ne ſunt obtutu ſupremi Domini, qui illas in nihilum ſuum redigeret? Verum quidem eſt, unum actum hominis Dei ſatis fuiſſe facturum ad peccatum expiandum; ſed remedium, quod nobis leve viſum fuiſſet, non abſtuliſſet nobis dubitationem de mali gravitate. Potius quam peccatum ſuſtineat Deus, opus eſt, ut reliqua omnia mala patiatur. Innocens, æqualis Patri, impeccabilis, talis eſſe debet ad hoc, ut nocentis expiet crimen, & talis ſeipſum in nocentis locum ſubſtituit. *Pater in Paſſe ſermone primo de Paſſione.*

Nullum eſt contumeliæ & ignominiæ genus, quod non ſubierit poſtquam induit ſpeciem peccatoris, & ſubiit onus peccatorũ noſtrorum.

Nulla fere injuria eſt, qua non fuerit coinquinatus; quippe character peccatoris, quem ſumpſit, illum omnibus contumeliæ generibus objiciebat. Non unius criminis, aut vitii confuſio illi erat ſuſtinenda; ſed criminum omnium, atque vitiorum. Humana nequitia non poteſt in una, eademque perſona omnia peccata congerere. Qui illi invidebant, eumque perſequebantur, nonne traduxerunt illum tamquam rebellem, helluonem, blaſphemum, legum inimicum, ſeductorem ſacrilegum, dæmonum amicum, denique ſcopum irriſionibus, probris, contumeliis omnium, *opprobrium hominum*, ut Rex Propheta inquit, *& abjectionem plebis*? Verum ille conqueſtus ne eſt unquam de tanta indignitate? unquam ne illatum ſibi crimen avertere adniſus eſt? Petiit ne ullam honoris ſui reparationem fieri ſibi; præcipue tamen tempore paſſionis ſuæ tot inter inſultus, injurias, opprobria, quibus afficiebatur? Erat ille id, quod inimici ſui eſſe illum volebant. Nos ipſi vere ſumus peccatores illi, quorum ipſe figuram, & ſimilitudinem gerebat. Nos Deum dedecore afficimus, & meremur injurias, quas ille invicta tolerat patientia. *Idem.*

Pſalm. 22.

Dolor, quo Dei Filius confectus fuit propter peccata noſtra, fuit quodammodo par luminibus ejus; cumque lumina ipſius eſſent infinita, ita illum quoque infinitum dicere poſſumus. Ille perfecte noverat majeſtatem, omneſque adorabiles læſi numinis perfectiones; exploratum erat illi nihilum peccatoris; omnem illius nequitiam, omnem peccati noverat enormitatem; omnes illius circumſtantias aſſequebatur. Ignorantia, oblivio, negligentia, quæ lenire poſſunt hominis e vulgo mœrorem, nullum triſtitiæ illius afferre poterat ſolatium. Debebat ille execrari Dei offenſam, & Deus erat ipſe, qui illam execrabatur; cor noſtrum anguſtum, & exile par non eſt, ut tantum peccato doleat, quantum peccatum irritat Deum. Sed cor par erat ſuſcipiendis motibus omnibus, qui pares eſſent, & ſceleris gravitati, & indignationi Dei. Illud etiam nobis aperire debet doloris ipſius magnitudinem, quod videlicet mœrore confectus fuit pro uno tantum peccato, cum ipſe deteſtari deberet omnia mortalium omnium peccata. Quæ vulnera non attulerunt JESU CHRISTO noſtræ inobedientiæ? Quibus lacrymis, ſuſpiriis, gemitibus non ſteterunt illi? Peccata, quæ ipſi paſſim committimus non inviti, quin illa nobis religioni vertamus alacriter, ut ita dicam, & feſtinanter; quomodo laniarunt animam ejus? Tot impudicitiæ, tot ultiones, tot injuſtitiæ, tot blaſphemiæ, tot ſacrilegia, quot illi fontes exiterunt lacrymarum amariſſimarum? *Idem.*

Quantus fuerit dolor quem concepit Deus peccatorum noſtrorum.

Si meditati fuerimus animo amorem, *quo Dei Filius Patrem ſuum proſequebatur, licebit nobis* conjicere, quanto mœrore *ille fuerit confectus*. Etenim S. Auguſtinus ait, *Amor eſt cauſſa triſtitiæ*. Peccatis noſtris onuſtus, *ſua coactus Miſericordia ad illa expianda, quo dolore conficiendus erat*, ubi conſideraret *Patris ſui Majeſtatem indigniſſimis* læſam convi-

Quantus fuerit hic dolor conſiderata injuria, qua peccatum afficit divinam majeſtatem. Auguſt. de civ. Dei l. 15. c. 7. & 9.

ciis ab *abjectiſſimis creaturis*; tanta cum ingratitudine, audacia, impotentia, tot modis, tantis criminibus coinquinatam? Nos venerati motus afflicti, dolentiſque cordis ejus jure cum Propheta vocare poſſumus: *Virum dolorum ſcientem infirmitatem*. Sed nobis ſatis eſt videre illum humi proſtratum, cruento ſudore manantem, mortali conflictantem in agone, ut triſtem animæ ſuæ ſitum agnoſcamus. Communis eſt Doctorum ſententia opus fuiſſe divinæ omnipotentiæ miraculo, ne dolore victus obiret diem. *Orat, plorat, clamat, cum lacrymis, & clamore valido*, inquit Apoſtolus; *deficit jam jam animam efflaturus*. O peccata mortalium, quantum horrorem aſſertis oculis amabilis Redemptoris veſtri! *Quid vobis cogitandum eſt*, Chriſtiani? num voti compotes eſtis, quandoquidem conſilium adeo injuſtum, atque violentum eſtis executi. Criminoſa hac voluptate exultatis. Vobiſmet ob hanc ultionem plauditis: gloriamini in mundo nitéſcere, ubi ex profeſſo divina lex frangitur, & violatur. Heu! JESUS CHRISTUS *Dominus*, & Deus veſter judicatne ſicuti *vos? Ejus in immenſis malis*, quibus obrutus fuit, patientia, nobis ſenſus ejuſdem docere poteſt. *Idem.*

Iſaiæ 53.

ad Hebr. 5.

Magnitudo pœnarũ generatim quas per ulit Salvator peccata noſtra expiaturus.

Quomodonam vobis ob oculos ſubjiciam, Fideles, multitudinem, & magnitudinem tormentorum, quæ propter amorem noſtrum Salvator perpeſſus eſt? Undenam ducam initium, ubi finem faciam narrationi injuſtitiæ, & crudelitatis, quæ nullis cancellis erat contenta? Pœnarum illius nullus fuit numerus, modus nullus. Omnia inimicorum ejus arbitrio permiſſa ſunt, & unicuique integrum fuit in illum ſævire, ſine ulla ratione, ſine miſericordia, ſine ulla juſtitiæ ſpecie. Profecto ullum ne prætermittitur ſupplicium, quo non afficiatur innocens Redemptor, qui habitus, & mulctatus fuit tamquam ſcelerum nequiſſimorum auctor, & reus? Mihi videtur, Fideles, ad aliquod noſtræ infirmitati ſolatium adferendum, & quodammodo noſtræ miſerationi ſatisfaciendum ſatis eſſe comparare criminibus noſtris paſſiones illius: quippe paſſus eſt, quaſi omnes peccati ſpecies patraſſet, & multiplices peccatorum characteres geſſiſſet. Inobedientia Adam univerſum humanum genus corruperat, & quocumque corruptionem, & labem invexerat. Poſt primam hanc hominis rebellionem privatorum crimina late in omnes ſtatus, gentes, locos, tempora ſeſe effuderunt; iniquitas nullis terminis, aut finibus coercetur, itaque nulli ſtatuendi ſunt fines cruciatibus, quos ille ſuſtinuit; traditus fuit tortoribus, qui omnibus, quæ voluerunt, tormentis, ſine ullius imperio, ſine judicii forma in eum ſævierunt, tamquam in mi-

in miserum odii sui, atque crudelitatis arbitrio traditum, tamquam innocentem qualibet venia indignissimum, & omnia suppliciorum genera promeritum. *Idem*.

Quemadmodum omnium generum peccatores adsunt; Dei Filius omnia pœnarum genera patitur.

Non desunt peccatores omnium generum, & conditionum. Non defuerunt Deo persecutores generum omnium, aulici, milites, Doctores, Sacerdotes, Judæi, Gentiles, Præsides Provinciarum, Magistratus, Reges, amici, discipuli, Apostoli. Illum prodit Judas, Petrus negat; Anna, & Caiphas, tamquam calumniatorem traducunt; Scribæ, & Pharisæi illi calumniantur, & pro scelerato haberi volunt. Milites illum capiunt, & plagis afficiunt; Herodes cum aulicis suis tamquam vecordem contemnunt; Pilatus illum condemnat; plebs clamat, crucifigatur; Ministri in illum flagellis sæviunt, eum spinis coronant, Cruci suffigunt. Nullum huic perfugium, ubique enim nanciscitur inimicos: hortus Olivarum, summorum Pontificum domus, Seniorum consilium, Optimatum ædes, Jerosolymæ compita, tribunalia, Prætorium, Calvarius. Persecutores illum non deserunt, at secum certatim partiuntur, quibus quisque cruciatibus in illum animadvertat. *Idem*.

Salvator passus est in omnibus animæ facultatibus & corporis sensibus.

Cum omnium generum peccata perpetrentur, & in peccatoribus omnes animæ facultates, & sæpe etiam omnes corporis sensus adhibeantur ad lædendum Deum: Salvator quoque omnia tormentorum genera sustinet. Patitur in se ipso; memoria sua illi simul exhibet omnia mortalium omnium delicta, omnia simul lumina omnem eorum enormitatem, horroremque detegunt: voluntas sua omnia simul detestatur; & singulæ partes corporis experiuntur carnificum sævitiam. Sacrata ejus caro fit vulnus unum; & in illo ne minimum quidem reliquum est humanæ figuræ vestigium. *Non* Isaim 53. *est ei species, neque decor*. Ostendite mihi unicam corporis illius particulam non insignitam aliqua crudelitatis nota. Si faciem inspicitis, pallentem videtis, macie confectam, atque tot cruciatuum serie exhaustam. Oculos recedentes, extinctos, clausos: genas tumentes, atque contusionibus livescentes; arida labia, os siti arefactum, aceto, & felle aspersum; frontem, omnemque oris habitum tanta pridem majestate fulgentem, sputis, & sanguine coinquinatum. Si oculos vestros in illius caput conjicitis, quinam vobis horror incedet videntibus coronam spinis horrentem, qua cingitur circum effusos cruentosque crines, & frequentes hiatus, quos infixi tunsione plurima spinarum aculei pandunt? Videte illius pedes, & manus trabalibus clavis perforatas. Lacerti ejus sulcos funium ostentant, quibus violenter columnæ alligatus fuit. Detegetis in brachiis, & humeris ejus tumores, quos pepererunt fustium ictus & pondus Crucis, quam usque ad supplicii locum trahere fuit jussus. Num sustinere poteritis horribile spectaculum, quod præbet vobis totum corpus illius, cujus cutis laniata est, cujus carnes incisæ sunt, cujus venæ apertæ, cujus ossa nudata? Licet vobis quoque judicium ferre de tormentis, quæ oculi vestri videre non possunt. Ad adspectum tot vulnerum facilis vobis erit conjectura de incredibilibus doloribus, quos illi pepererunt nervorum tensiones, atque punctura; de ardore, quo intus vorabatur post tantam suppliciorum seriem, quæ sine ulla intermissione, ac requie illum discruciabant; de reciprocandi spiritus difficultate, coactus in jugi motu versari, ut assiduis tormentis afflictaretur. *idem*.

Passus est sine intermissione, & requie.

Quemadmodum peccatores incessanter crimina instaurant sua; ita dolores JESU sine ulla intermissione instaurati fuerunt. Vix caput fuit, cum nullum quietis spatium illi permissum fuit. Modo rapitur de tribunali ad tribunal, modo fit infimæ plebis ludibrium; illum irrident nobiles, illum populus execratur. Modo vestibus exuitur ad lanianda vulnera semiclausa; auferendo illi tunicam sanguine concreto, carni tamquam glutine adhærentem; modo traditur tortoribus; ut ad furoris arbitrium in illum sæviant. Cum judices finem faciunt conciliis, quæ coegerunt in ipsum, incidit in manus populi, vel militum ab illis percutiendus, ac subsannandus. Cum recedunt ejus inimici, ut quiescant, sufficiunt in locum suum ingentes carnificum catervas, ut suam crudelitatem perennent; in singula momenta venæ iterum aperiuntur, caro cæditur, scinditur, laniatur. Aliquis verberando fatigatur, evomit in illum contumelias; divinitas ejus blasphematur; omnes impudentissime illum sibi vertunt in ludibrium. Nullo miserationis sensu flecti potest inhumanitas. Odium pœnis illius saturatur, injustitia semper augetur, ne ulla consideratione tanti sceleris minuatur. *Idem*.

Adinventa fuerunt supplicia ad torquendum Salvatorem.

Denique sicut non desunt mortales adeo nefarii, ut recentia peccatorum genera excogitent, & gloriæ sibi vertant Deum inauditis sceleribus, ignotisque voluptatum & sacrilegiorum generibus lædere: Salvator passus est tormenta, quæ barbarorum ingenia nondum comminisci potuerant. Visus ne unquam est reus, cujus caput terebratum fuerit corona, cui duæ supra septuaginta insertæ essent spinæ? Id autem non ad judicis imperium, sed ad ipsorum carnificum arbitrium, qui ut crudeli indulgeant ingenio suo per jocum spinas illas fustibus in cranium usque plectentes infigunt? Visus ne unquam est nocens extremo afficiendus supplicio gestare patibulum suum, postquam jacturam fecit omnium virium suarum in prolixa tot cruciatuum Passione? Visus ne unquam est reus aliquis cruci trabalibus clavis suffixus, cum hactenus catenæ, & funes alligando corpori satis fuissent? Visus ne unquam est, cui oblatum fuerit fel ad mulcendam sitim, quam dolores, & mortis propinquitas pariunt? Quando nam de reo quæstio habita fuit inobservata judicii forma, ut calumniæ dumtaxat locus esset? Quandonam ut assertus nocens, & pro innocentissimo habitus mortis periculo liberaretur, Judici in mentem venit imperare, ut plusquam quinque millibus verberibus afficiatur, ut horribilis factus intuentium oculis per carnes laceras, & in frusta dilabentes, miseratio crudelitatem coerceat? Quisnam mortalis adeo miser visus est unquam, ut ab omni personarum genere damnaretur, & torqueretur, quin aliquis dignaretur se supplicii, & mortis ejusdem auctorem fateri? *Idem*.

Dei Filius non poterat melius testari odium peccati, & amorem hominum, quam patiens ea, quæ passus est.

Quid amplius facere, quid amplius sustinere poterat Salvator, ut expleret odium suum in peccatum suamque erga homines caritatem? Habebitis ne mihi fidem, si dixero, peccata nostra majorem illi dolorem attulisse, quam sua tormenta? Hæc veritas patet: quippe subiisset ille ne tot tormenta, pertulisset ne tot contumelias, & opprobria, nisi scelera nostra infinite perhorruisset? Videtur illum timuisse, ne ad illa expianda satis unquam pateretur; ne satis lacrymarum esset, vel Sanguinis, quem hanc ob caussam effunderet. Nonne opus erat, ut illius erga homines amor esset infinitus? Quid tot, ac tam horribiles cruciatus pati, omnia contumeliarum genera exhaurire, vitam amittere supplicio, quod ex æquo ignominiam parit, atque dolorem; sese tot tormentis subjicere, ad amorem suum testandum, & talibus pro meritis ingrati animi vitium, stuporem, contemptum invenire, nonne hic effectus est infinitæ bonitatis, clementiæ, cui par non invenitur, & amoris, qui omni caret exemplo? *Idem*.

Ut erudelia tormenta, quæ JESUS CHRISTUS toto Passionis suæ tempore sustinuit, majorem in animis vestris vim habeant, duo potissimum considerate, quæ semper supponenda sunt in omnibus suppliciis, quibus ille propter amorem nostri seipsum subjecit. Primum quidem est dignitas Patientis: neque enim Sanguinis guttam effundit, quæ non sit Sanguinis Dei; ne unum quidem recipit vulnus, quod non recipiatur in corpore Dei, quod scinditur, laniatur, discerpitur; ne minimum quidem sustinet dolorem, quo Deus non afficiatur. Quæ circumstantia? O superi! Omnium mortalium novissimus, & criminosissimus ciet miserationis sensum in iis, qui ipsum pati intuentur horribile aliquod tormentum; nos vero nullo affecti sensu dolorum hominis-Dei numerare poterimus verbera, quibus cæditur, & siccis oculis intueri Sanguinem ex omnibus corporis sui artubus emanantem? Alterum illud quod notandum occurrit, est, illum tot, & tam sæva supplicia nonnisi propter amorem nostrum perferre; & hunc crudelitatis excessum, qui in sacro illius corpore exercetur, ideo ipsum pati, ut a capite nostro declinet æterna supplicia, quæ ipsi meriti sumus. Quod si meditati fuerimus hac mente quæ tandem verissima est, & solidissima, affirmo nos alio prorsus sensu consideraturos innocentem, qui pro nocentibus patitur, perinde ac supplicio suo patrata a semet ipso crimina expiaret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta in Sermonibus de Passione Domini*.

CON-

CONTINUATIO PASSIONIS FILII DEI.

Ubi agitur de qualibet parte singillatim; De interioribus Salvatoris Doloribus; & quid in Horto Olivarum acciderit.

MONITUM.

CUM extensio historiæ Passionis, & factorum, pœnarum, & documentorum, quæ plurima in ea continentur magnitudo me coegerit verba de singulis facere; rerum ordo me impulit, ut initium ducerem ab Horto Olivarum, ubi Dei Filius ingressus est stadium passionum suarum ab internis doloribus, qui proculdubio sunt ceterorum acerrimi. Partem hanc, & eas, quæ sequentur, prout argumentum patietur, in tres, vel quatuor Paragraphos partiemur; in quorum primo afferemus quidquid ex Scripturis depromi poterit, Locos, Figuras, Prophetias, Applicationes &c. In altero Patrum locos, & sententias. In tertio quidquid a Theologis mutuabimur. In quarto denique delectos locos ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quid ex Bibliis decerpi possit circa ea, quæ in Olivarum horto acciderunt.

Loci Scripturarum hujus argumenti.

TErra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Jobi 16.

Qua utilitas in sanguine meo? Psalmorum 29.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Psalm. 68.

Ergo in vacuum laboravi, & vane fortitudinem meam consumpsi. Isaiæ 49.

Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Psalm. 17.

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Psalm. 68.

Veni in hortum meum, & messui myrrham. Cantic. 5.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus. Ibidem.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Thren. 1.

Oblatus est, quia ipse voluit. Isaiæ 53.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Psalm. 118.

Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Matth. 26. & Marci 14.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. & Marc. ibidem.

Cœpit contristari, & mœstus esse. Ibidem.

Cœpit pavere; & tædere. Marc. 14.

Procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Ibidem.

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Matth. ibidem.

Abba Pater, si vis transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Luc. 22.

Apparuit ei Angelus de Cœlo, confortans eum. Ibidem.

Factus in agonia prolixius orabat. Ibidem.

Et factus est sudor ejus, sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram. Ibidem.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Psalm. 54.

Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni. Psalm. 68.

PARAGRAPHUS ALTER.

Exempla, Figuræ, Prophetiæ, &c.

Exemplum Achan lapidibus obruti ab omnibus Israelitis. Josue 7.

CUM Achan infelix Josue imperante lapidibus obrutus fuit, unanimi omnium Israelitarum consensu, singulis suum lapidem conjicientibus oppressus fuit, unde factum est, ut in Scripturis ab Israel universo lapidibus impetitus fuisse dicatur: *lapidavit eum omnis Israel.* Quod autem contra sacrilegum illum caput Israelitæ fecisse dicuntur, omnes homines contra innocuum Salvatorem fecerunt. Omnes homines, qui fuerunt, sunt, & erunt, peccatis suis Salvatoris cor percusserunt; cum enim Redemptor ille amantissimus universe satisfacere vellet pro omnibus generis humani peccatis, pro omnibus doluit, quasi sua extitissent; & perinde ac ipse illa patrasset, obtulit se ad luendas pœnas, quas ipsi persolvere debuissemus ad reparandam gratiam, atque innocentiam, cujus jacturam feceramus. Mirum sane spectaculum fuit videre nongenta personarum millia intenta ad lapides conjiciendos in Achan; quo in numero nulla erat mulier, nullus puer, qui lapidem in illum non contorqueret. Sed Fides nobis proponit in horto Olivarum spectaculum longe luctuosius. Neque enim agitur tantum de nongentis hominum millibus, *sed de universa progenie Adæ*, & de hominibus *omnibus*, qui fuerunt, & futuri sunt, qui impetu facto in JESUM CHRISTUM, conjiciunt in illum non unum quidem lapidem, sed tot quot peccata patrarunt. Sub hoc immani pondere Salvator innocens gemit, & labitur facie in terram prostrata. *Defectio tenuit me pro peccatoribus.* Psalm. 118.

Exemplum Job recipientis omnia simul nuntia suarum adversitatum.

In horto Gethsemani cruciatus omnes, qui Dei Filio parabantur, sese obtulerunt Menti illius eo modo, qui non alius acrior esset. Anima ejus tanto fuit horrore percita, ac tanto mœrore confecta, ut onere victa deficere videretur. Mala hæc catervatim in desolatam animam impetum faciunt; ipse vero uno obtutu prolixam, tragicamque suæ Passionis historiam intuetur. Hoc mihi in memoriam revocat Sanctum virum Job; qui simul, uno, eodemque temporis momento, licet ex diversis locis recipit omnium infortuniorum suorum nuntia, & septum se videt famulis, quorum hic abacta nuntiat pecora, ille servos cæsos, alius abactos cæsis custodibus camelos, alius dilapso cælitus fulmine Pastores, ovesque percussas, alius filios omnes domus ruina oppressos. Omnia hæc tristissima nuntia simul, unoque ictu illius incidunt auribus, neque illi spiritus reciprocandi spatium permittunt. Qui resistere posset singulorum malorum narrationi, universorum multitudine obruitur. Job sua scindit vestimenta, ad tot malorum adspectum animo viribusque deficit; in terram ruit, acerbissimæ se mancipat tristitiæ, ac questubus, & in quamdam labitur speciem desperationis. Vultis ne scire, quo in statu inveniatur Mundi Salvator in adspectu malorum omnium, quæ patitur, & injuriarum, quas in toto passionis suæ stadio voraturus est? Labefactari videtur, & vinci ejus constantia. Expalleſcit, trepidat, sudore manat, in genua labitur, & ruit in faciem suam. Erumpit in gemitus, in se contra seipsum pugnat; qua in pugna illum crederes cessurum, vel moriturum.

Joseph in carcere mœrore contabescens figura est Salvatoris in horto. Psalm. 68.

Inter ceteros dolores, qui Dei Filium mœrore, ac tristitia affecerunt, ille acerbissimus fuit, quod nullum vel in cælo, vel in terra solatium invenerit. De hoc per Prophetam conqueritur: *Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Hoc in statu est, ut olim erat innocens Joseph, qui in carcere lacrymabatur obrutus tristitia magis quam pondere catenarum, quin aliquis accederet in partem doloris sui, vel suæ calamitatis miseratione duceretur: *Nihil patiebantur super contritione Joseph.* Amos 6. Ne unus quidem de Josephi calamitate cogitabat. Hæc est imago doloris illius, quo JESUS CHRISTUS in Horto conficitur: propter nos mortalem sustinet agonem; ita mœrore contabescit, ut sudet aqua, & sanguine, quin aliquis illius misereatur.

Idem Joseph ploratus super

Legimus in Genesi *cap.* 45. Eumdem sanctum Joseph, cum se aperuit fratribus suis, super singulos eorum

singulos fratres, alio modo figura est Salvatoris.

eorum fleviſſe: *Ploravit ſuper ſingulos*. Hæc figura eſt ejus rei, quam in horto Olivarum fecit Salvator, qui ſuper ſingulos homines flevit. Amor elicuit lacrymas ex oculis Patriarchæ Joſeph; & cor ejus pronum ad miſericordiam obliteravit injuriam, qua affectus fuerat a fratribus & nonniſi benevolentiæ ſenſus inſpiravit loco ultionis, quam ſibi præſtolari debebant. In Salvatore autem miſeratio erga illos, quos reſpiciebat tamquam fratres ſuos, cor ejus inflexit, effecitque, ut de eorum malis, quam de ſuis eſſet ſollicitior. *Ploravit ſuper ſingulos*. Doluit, ac flevit propter omnia mortalium peccata generatim, & ſingillatim propter uniuſcujuſque noſtrum delicta. Flevit ſuper veſtra, & ſuper mea, videns ea mala, quæ nobis erant conflatura, ſi negligeremus præſentiſſimum illud remedium, quod in Paſſione ſua nobis ſuppeditavit.

Applicatio nonnullorum locorum Scripturæ ad hoc argumentum.

Magnitudo interiorum dolorum Domini J. C.

Magna eſt ſicut mare contritio tua. *Thren.* 2. Nihil Domine, nihil cum dolore tuo poteſt comparari. Tui cordis triſtitia eſt dolorum Oceanus, cujus me terret intuitus, tumeſcens propter omnia mortalium peccata, & propter torrentes iniquitatis, qui univerſam terræ faciem inundaverunt. Mare eſt, in quo omnes etiam corporis pœnæ congregantur, tamquam totidem fluvii abſynthii, qui ibi recentem contrahunt amaritudinem, per injuſtitiam, & ingrati animi vitium illis inhærens. Abyſſus eſt confuſionis, cujus cauſſa eſt tuorum amicorum perfidia, inimicorum tuorum calumniæ, contemptus, in quo te habent omnes ſummi ſimul, & imi. Hæc vorago eſt ſatis tenebricoſa, inferno ſimilis, ubi nulla invenitur dulcedo, & ubi amor tuus efficit, ut quodammodo omnes loci illius tormentorum pœnas ſuſtineas: *Magna eſt ſicut mare contritio tua; quis medebitur tibi?* Video equidem, Domine, graviora mala tua illa ſunt, quæ minus videntur, & quorum nulla afficimur miſericordia; ſed quid miſeratio noſtra tibi prodeſſe poteſt inter tot mala tua? *Quis medebitur tibi?* Ita Domine; paſſioni huic interiori, ſecretiſque his crucibus inhærere volo meditans Paſſionem tuam; cordi huic afflicto totam impendere volo miſerationem meam; occupari volo recogitando acerbiſſimos hoſce dolores, ac plorando cum illo inutilitatem paſſionum tuarum, modicum amorem, quem ſibi comparavit per amorem hunc, & infelicitatem tot animarum, quas quidem redemiſti, & quæ non ideo minus intereunt. Heu! Quis mederi poſſet huic vulneri, quod quamprimum cetera ad cicatricem perduxiſſet! Quod tibi ſolatium eſſet, & quæ conſolatio in extrema illa deſolatione, in qua te alte demerſum intueor. *Ex Patre de la Colombiere in primo Sermone de Paſſione.*

Peccatoris converſio debet incipere a timore.

Cœpit pavere. *Matth.* 26. A timore Mundi Salvator initium ducere voluit ſatisfactionis ejus, quam obtulit juſtitiæ Patris ſui pro hominum peccatis, & ex hoc timore initium ducere debet dolor cordis vere contriti, & pœnitentis. Oportet primum de hoc dici poſſe, *Cœpit pavere*. Videlicet oportet, ut timor ſit converſionis principium. Opus eſt, S. Auguſtinus ait, timorem eſſe pœnitentiæ principium; timor enim eſt initium ſapientiæ. Et conſtat ratio; cum enim peccatoris anima facta ſit quodammodo prorſus carnalis, & materialis, excitanda eſt impreſſione ſenſibili, & quæ deceat ſtatum, ad quem per peccatum redacta fuit: movenda eſt ſenſibili adſpectu terribilium judiciorum Dei, & effectuum juſtitiæ ipſius. Sed peccator hic pœnitens nequaquam immorari debet in hoc timore; oportet, ut de illo dici poſſit etiam: *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe*. Timor quamprimum locum facere debet dolori patrati ſceleris, dolori, qui ſincerus ſit, perfectus, univerſalis, qualis fuit JESU CHRISTI; ſincerus, qui penitiora cordis penetralia pervadat; perfectus, cujus principium, & cauſſa ſit Amor Dei; univerſalis, qui late ſe extendat ad omnia peccata, & qui deteſtetur omnia, quin aliquod prætermittat. Opus eſt, ut dolor hic in corde relinquat quamdam ſpeciem triſtitiæ, quæ efficit, ut Chriſtianus pœnitens careat ſenſu omnium voluptatum terræ hujus, ita ut dicere quodammodo poſſit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Nihil in terris eſt, quod me valeat conſolari intuentem omnia peccata mea, & juſtus dolor, quo torqueor, efficit, ut omnibus terrenis ipſe rebus moriar. *Ex variis Sermonum partitionibus tomo Quadrageſimæ tertio.*

Matth. 26.

Ibidem.

Dolor peccatorum noſtrorum imitari debet dolorem J. C. in horto Olivarum.

Magna eſt ſicut mare contritio tua. *Thren.* 2. Cum dolor, pœnitentia, & amaritudo ſtatim neceſſario ſequatur peccatum, niſi modo ſalutari dolore illud fuerimus proſecuti, æternum plorabimus in altera vita, ubi nulla futura eſt ſpes, nullum ſolatium: quia meritum lacrymarum, ſanguinis, & paſſionis Dei conſque non extenditur, & juſtitiæ, quam modo flectere poſſumus una veri doloris lacrymula, æternis ſingultibus ſatisfieri non poterimus. O Deus!! cur dolor criminum meorum æquari minime poteſt illi, quem tibi peccata mea pepererunt!! ut cum Propheta tuo dicere poſſim: *Magna eſt velut mare contritio tua*. Magna velut mare, ut ſeſe extendat ad ea omnia, quæ diſplicent tibi. Profunda eſt ſicut mare, ut cordis mei penitiores receſſus pervadat. Amara eſt ſicut aquæ maris, propter læſi tui numinis pœnitentiam. *Magna eſt ſicut mare contritio tua*. Sed his rebus omnibus deficientibus adjiciam dolorem meum tuo; cum ſanguine tuo miſcebo lacrymas meas; hoc unum delere poterit delicta mea, tuæque juſtitiæ ſatisfacere. *Auctor ſermonum in omnia Ethicæ argumenta, in Paſſione Quadrageſimæ.*

Diſcrimen interhortum Olivarum, & paradiſum terreſtrem, in quo Adam poſitus fuit ſimul ac cum limo terræ fuit effictus.

Egreſſus eſt JESUS trans torrentem Cedron, ubi erat Hortus, in quem intravit ipſe, & diſcipuli ejus. *Joan.* 18. Ingrediamur Fideles cum Salvatore Mundi in fatalem hunc hortum, qui heu! quantum a terreſtri paradiſo abhorret! Primus Adam in paradiſo terreſtri poſitus fuit, ut ibi omnibus perfrueretur deliciis; ſecundus vero Adam ingreditur ſolum, ut hauriat calicem repletum amaritudine. Paradiſus ille floribus conſitus erat; hortus hic autem fert Salvatori tribulos, & ſpinas. Paradiſus ille habebat arborem vitæ, hortus hic fructus alit mortis. Paradiſus quatuor fluviis irrigabatur, qui illius viriditatem, atque pulcritudinem fovebant; hortus autem iſte irrigandus eſt lacrymarum, & ſanguinis cataclyſmo, qui ſpeciem illius magis ſqualidam, atque horrentem efficiet. Terreſtris paradiſus ſedes erat innocentiæ; hic hortus vero locus eſt, ubi peccatum puniendum eſt. Terreſtris paradiſus aperta erat imago ſtatus beatorum; hortus hic autem futurus eſt imago pœnarum, quas omnia Mundi peccata promeruerunt.

Quomodo induere poſſumus ſenſus Filii Dei pro peccatis noſtris dolentis.

Hoc ſentite in vobis, quod & in CHRISTO JESU. *Ad Philipp.* 2. Aſſequamur ſenſus afflicti cordis JESU. Videlicet non ſolum miſeratione flectamur ſtatus miſeri, ad quem redactum videmus Salvatorem ad agonem redactum, & miſerationis lacrymas fundamus ad aſpectum ſanguinis, quem pro nobis effudit: Senſus hic æquiſſimus eſt; & illum ne noviſſimo quidem mortalium negaremus, qui pro noſtra utilitate vitam ſuam ſacrificaret. Ille mihi videtur potius invitare nos, ut lacrymis proſequamur propriam miſeriam, quemadmodum paullo poſt dixit piis mulieribus, quæ concomitabantur illum, cum bajulans ſibi Crucem Calvarium verſus proficiſcebatur. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper veſmet ipſas flete*. Eſtote vos doloris veſtri argumentum, & propria plorate peccata. Hoc pacto idem ſentietis, quod hic homo-Deus, qui tamquam reus, exhauſtus viribus, facie præ mœrore tabeſcente, vi doloris humi jacens cruentis lacrymis plorat mala, quæ nobis adfert peccatum. Quænam magis perſpicua nobis dare poteſt indicia amaritudinis cordis ſui, quam miſcendo lacrymas cum Sanguine ſuo ad plorandum, uti par eſt? Heu! Auditor mi, propria infelicitas tua, quæ attulit Deo tuo adeo gravem dolorem, nullum tibi afferet propter te. Hoc vocatur induere ſenſus cordis CHRISTI JESU. Hoc graviſſimo dolore conficitur ad noſtrorum peccatorum intuitum. Quodnam aliud objectum in vobis dolorem criminum veſtrorum ciere poteſt, quam cogitare, ad illorum veniam merendam opus fuiſſe, ut Deus ad mortem uſque triſtaretur, & expiaret illa per hanc ipſam mortem, cui ultro ſe offert, quantumvis repugnare videatur hauſtui calicis adeo amari.

Luc. 23.

Debemus faltem dolere cogitantes dolorem Dei patientis pro peccatis, quæ non commiſit.

Ego ſum qui peccavi, ego iniquè egi, vertatur obſecro manus tua contra me. 2. *Reg.* c. 24. Ego ſum nocens; oportet ne, ut innocens nocenti debitas pœnas luat? Verum eſt, unum hominem Deum concepiſſe dolorem omnem, quem peccatum meretur; quia unus ille intellexit duo hæc extrema adeo longe ſepoſita; Deum, & peccatum; alterius quidem dignitatem, alterius vero indignitatem; & quamvis nonniſi ſpeciem peccati præferret, ploravit, & deteſtatus eſt peccata noſtra cum incomprehenſibili dolore, qui effecit, ut ſanguineus ſudor ex omnibus Sacrati Corporis ſui partibus emanaret. Sed ut illa ſanguis hic deleat, petit, ut lacrymis ſuis noſtras adjiciamus, noſtrumque dolorem ſuo, quos ipſi pœnitentiæ, doloriſque ſenſus pro peccatis noſtris fovere debemus? Etenim ſi ſemel aſſecuti fuiſſemus, quid ſibi velit hoc verbum, Deus læſus, ſuprema majeſtas a creatura vili indigniſſime habita, dolor ſtatim invaderet cor noſtrum, & illud repleret amaritudine. Lacrymæ noſtræ non exarеſcerent; nullumque in hac vita gaudium guſtare poſſemus, nobiſcum tanti reputantes majeſtatem hanc adeo ſublimem a nobis læſam fuiſſe. Saltem ex cruentis lacrymis, quas homo-Deus effundit in hoc agone, intelligamus, quas ſuper noſmet deberemus effundere.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, & sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

CHRISTUS istos humanæ infirmitatis affectus, non conditionis natura, sed miserationis voluntate suscepit. Augustin. in Psalm. 87.

CHRISTUS turbatus est, quia ipse voluit. Idem in Joannem.

Orans cum sudore sanguineo JESUS CHRISTUS significabat de toto corpore emanaturus martyrum passiones. Idem libro sentent. sent. 68.

Expavescis calicem passionis bibere, bibit ille; quod tibi dabat, prior ille passus est, ut te consolaretur, tamquam diceret, quid times pati pro te? prior patior pro te. Idem in tract. 3. in Joannem.

Corrigenda est voluntas tua ad voluntatem Dei, non voluntas Dei curvanda est ad te, & rectum habebis cor. Idem in Psalm. 35.

Quis non timeat, si timet ille, quem omnia timent? Si pavet ille, cui omne genu curvatur, si ille, qui est mors mortis, morte appropinquante pertimescit. Epiphanius de passione CHRISTI.

Non speciem incarnationis suscepit, sed veritatem; debuit ergo, & dolorem suscipere, ut vinceret, tristitiam non excluderet. Ambros. in cap. 22. Lucæ.

Pro me doluit, qui pro se nihil habebat, quod doleret. Idem ibidem.

Suscepit tristitiam meam, ut mihi lætitiam suam largiretur. Idem.

CHRISTUS ait: Transfer a me calicem istum, *quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans.* Idem lib. 10. in Lucam.

Hortus erat Paradisi locum designans, ut in Paradiso malorum omnium initium factum est, sic in horto CHRISTI passio incipit. Cyrillus lib. 11. in Joann.

Confortatus est CHRISTUS ab Angelo, ex fructus magnitudine, non subtracta doloris amaritudine. Beda in cap. 22. Lucæ.

Pretiosus ille Sanguis tanta fuit virtute, ut velut quoddam diluvium salutare, orbem terrarum a suis sordibus expurgavit. Cassiodor. in Psalm. 129.

Sublimem admirabilis Philosophia virtutem tradidit Dominus, cum exemplo nos docet, etiam natura horrore perculsa, ac renitente, esse Deum sequendum. Chrysostom. hom. 84. in Matth.

Cum dicit CHRISTUS, transfer calicem hunc a me; *nostra utitur voce natura, & causam fragilitatis, & trepidationis agit humanæ.* S. Leo serm. 7. de Passione.

Non solis oculis, sed membris omnibus fleviſſe videtur CHRISTUS. Bernardus serm. 3. in Dominic. Palm.

Ut trepidatio tua robustos, mœstitia lætos, & turbatio quietos faceret. Idem serm. de S. Andrea.

Angustias cordis sui dulcissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne sua in terram guttatim diffluebat. Anselmus in specul. Evang.

Quid stas, o anima, accurre, & suavissimas illas guttas lambe. Idem.

Sicut corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Idem lib. de simil. cap. 8.

PARAGRAPHUS IV.

Quid ex Theologia in hoc argumento haurire liceat.

Undenam oriatur in Salvatoris corde procella.

PROCELLA, quæ in corde Filii Dei exorta est, non fuit unius tantum affectionis effectus. Anima ejus quatuor adeo violentis motibus erat agitata, ut citra miraculum illos vix sustinere potuerit, quin morereturbatur; *Cœpit contristari;* alter fuit timor futuri mali, qui illum terruit: *Cœpit pavere;* tertius fuit tædium, & admirabilis naturæ repugnantia, quæ tot tantaque horrebat supplicia: *Cœpit tædere;* quartus fuit arctissima cordis angustia, nullum exitum videntis, qua ex tot malorum abysso posset emergere. Sed ut post S. Thomam docent Theologi, non ex inopinato furens hæc procella in ejus corde insurrexit; neque timor, ac tristitia, tædium, ac desolatio illum ad agonem redegerunt, & ex eo cruentum sudorem expresserunt. Sed ratio, sapientia, præmeditatum consilium redegit illum ad hunc statum miserabilem. Hoc multo ante præviderat, secum sæpe animo volutaverat, de hoc cum discipulis suis lubentissime habebat sermonem; & si invenit se tamquam suo obrutum dolore, hoc factum est, quod id arbitratus est decere gloriam Patris suis & hominum saluti esse necessarium.

3. p. quæst. 15. arte 4. & seq.

Quomodo Filius Dei quatenus homo obnoxius erat affectibus humanis, & quid discriminis esset inter illius, & nostras cupiditates.

Ad rite intelligendum admirabilem effectum interioris prælii, & mortalis agoniæ, quam pertulit Salvatoris anima in horto Olivarum, sciendum est, Dei Filium quatenus hominem similem nobis, obnoxium fuisse non solum doloribus, & miseriis corporis, ut homines ceteri; sed etiam subjectum motibus appetitus, quos affectus, & cupiditates, animique perturbationes vocamus: cum hoc tamen discrimine, quod affectus isti nunquam prævertebant illius voluntatem, sed e contra illius parebant imperiis, neque ciebant eas turbas, quæ sæpe numero caliginem offundunt nitidissimis etiam luminibus rationis. Sed hac in occasione mundi Salvator ipse libertatem permisit omnibus affectionibus, quæ ipsum maxime valerent conflictare; omnes suscipit sensus amaritudinis, quos ipsis inspirant, eisque permittit, ut omnem in cor suum impetum faciant, quem facere poterat crudelissimæ, turpissimæque mortis timor, omnium humanorum scelerum horror, quæ jam ob oculos illius versabantur, & quibus se onustum videbat; & denique tristitia, quæ oboriri poterat ex cogitatione modici fructus quem ex passionibus suis erat percepturus. Ceterum quemadmodum ipse simul erat viator, atque comprehensor, secundum superiorem animæ partem videbat Deum, ideoque fruebatur ineffabilibus deliciis, quibus in Cælo gaudent beati, ita ut miraculis opus sit ad hoc, ut propter amorem nostrum patiatur. Cohibet enim torrentem hunc consolationum, qui suapte natura sese debebat effundere in corpus suum, ut hoc particeps fieret deliciarum animæ; omnes aditus obstruit iis rebus omnibus, quæ vel minimum afferre illis solatium poterant, sibique solam reservat virtutem ad sustinendam omnem impressionem, quæ in ipso tot dolorum objecta efficere poterant.

Quomodo Salvator metu, ac tristitia confectus fuerit, & cujus naturæ essent affectus, quibus agitatus fuit.

Quam apertiorem afferre poterat Salvator probationem, ut ostenderet se sumpsisse corpus, & animam nostræ similem, quam pavorem, tædium, tristitiam, quam in horto præsetulit, & confessionem, qua testatus est Apostolis suis, animam suam tristem esse usque ad mortem? Verum quod illum ab aliis distinxit hominibus, hoc est, quod non solum suis imperitabat affectibus, eosque ad arbitrium coercebat; & cum affectuum nostrorum primi motus in nobis liberi non sint, in illo non insurgebant, nisi eo volente, ac permittente. *Cœpit pavere, & mœstus esse,* S. Matthæus inquit. Hoc est, permisit affectibus suis tristissimis, ut in ipsum insurgerent. Nam, *S. Augustinus* ait, JESUS CHRISTUS passus *non est hasce notas* humanæ infirmitatis propter naturæ necessitatem, sed per effectum amoris prorsus divini: omnia in eo erant meritoria; omnia enim erant libera, & voluntaria; & *nihil pertulit eorum, quæ intra se ipsum facta sunt,* nisi *quia voluit,* & *cum voluit,* Pater hic ait: *turbatus est, quia ipse voluit.* Ubi animadvertere operæ pretium est, has affectiones passim in nobis excitari per illicita objecta; in Dei autem Filio nonnisi per sanctissima, & justissima. Quamobrem Sancti Patres nunquam hos motus appetitus in JESU CHRISTO *passionum* nomine appellaverunt; nam propter perturbationem, quam vulgo in nobis cient cupiditates, nomen hoc vitiosum aliquid inferre videtur; sed mitiori vocabulo illas pro passiones dixere, quasi dicerent motus, passionum locum tenentes; perinde ac in illo semper ordinatim eadem obirent officia, quæ passiones, & cupiditates nostræ semper cum violentia quadam operantur. Ita metus, atque tristitia, quam Salvator tribus ex Apostolis suis testatur nonnisi ad voluntatis ipsius imperium insurrexerunt.

Præcipuæ caussa tristitiæ, & doloris J. C. in horto.

Patres, atque Theologi plures deprehenderunt caussas mortalis hujus tristitiæ, & universalis hujus desolationis, quam Salvator intra seipsum passus est; quarum hæ potissimæ sunt. Prima fuit distincta cognitio peccatorum omnium, quæ ab initio mundi patrata sunt, & quæ usque ad finem sæculorum patrabuntur, quibus gravabatur, juxta illud Prophetæ: *Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum*: ita ut sibi videnda uno eodemque tempore proponat omnium crimina, & flagitia, ita ut innocentia omni se peccatorum genere onustam videret; puritas ipsa se omni genere libidinum coinquinatam; & sanctitas ipsa omni genere profanationum pollutam. Horum autem criminum omnium JESUS CHRISTUS Patri suo pœnas persolvit, eorumque integram adeo execrationem concepit, ut passus sit cordis sui contritionem, & dolorem, qui satis comprehendi non possit, Caussa altera, quam afferunt Patres *hujus* tristitiæ, fuit scientia præsens, qua noverat, quidquid subiturus erat in Passione sua; etenim *sicuti* omnia illi erant comperta, & sciebat quæcumque sibi erant eventura; videbat omnia simul, eodemque tempore sustinebat, alapæ dedecus, flagellorum lanienam, Herodis contemptum, spinarum aculeos, duritiem clavorum, qui pedes, & manus ejus perforarunt, crudelitatem, & ignominiam supplicii, quod sibi mortem erat allaturum; verbo, quidquid subinde per intervalla passurus erat, ille vi imaginationis suæ in corde suo simul collegit, quod ita coarctatum fuit præ metu, ita dejectum mœrore, ac ita formidine desolatum, ut in agonem inciderit. Tertia hujus tristitiæ doloriſque caussa fuit modicus fructus, quem videbat a plerisque hominibus relatum iri ex morte sua; Judæorum obdurationem, tot Fidelium ingratitudinem, qui erant interituri, quamvis

tot

tot illis suppeditaret salutis adminicula, contemptum, in quo alii quidem habituri erant gratias, quas illis passionibus suis merebatur; verbo, inutilitatem Sanguinis, quem effusurus erat pro mundo, quod illi fortasse acerrimum peperit dolorem.

Quemadmodum nemo ignorat duas fuisse partes in anima JESU CHRISTI, non secus ac in ceteris præsupponendum est semper in Passione, illum passum fuisse impressionem timoris, tristitiæ, & affectuum aliorum in inferiori parte dumtaxat, cum altera esset quodammodo posita in regione supra ventos elevata, ubi perpetua erat malacia, tunc etiam cum procella inferius sæviebat; videlicet tormenta, mortem, ipsum peccatum, & reprobationem hominum in superiori hac animæ regione, nihil durum, nihil molestum habuisse. Dei voluntas ibi unice regnabat, & quidquid a suprema hac voluntate præcipiebatur, non obedienter solum, verum etiam alacriter perficiebatur. Non exigua tamen difficultas est conciliare gaudium, tranquillitatem, pacem, qua Dei Filius perfruebatur per unionem hypostaticam cum divinitate, simul cum tristitia, pavore, & cordis contritione; verum quemadmodum suspendit animæ suæ gloriam, ne emanans in corpus, hoc redderet impassibile, suspendit quoque usum perfectionum suarum, easque reddidit veluti inertes in anima, ne istæ illam redderent veluti inaccessam molestis affectibus, quos excitabat, ut inde inchoaret per se acerbissimam partem passionis, quæ signa adeo mirabilia prodidit.

Dei Filius vere expertus est effectus harum affectionum, & motuum appetitura, nec solum in specie,

Dubitari nequit quo minus fuerint in JESU CHRISTO hujusmodi affectus, quocumque tandem nomine nuncupentur: quamvis hæretici quidam crediderint, hos in speciem dumtaxat in illo extitisse, cum peperint solum effectus iis similes, quos affectus isti in nobis parere consueverunt: cum enim oriantur, inquiunt illi, ex infirmitate, dici non potest illum, qui virtus est Dei ipsius, eisdem fuisse unquam obnoxium. Sed hanc sententiam damnat Ecclesia, quæ fatetur, sicuti Mundi Salvator corpus induit, quod vere doloris esset capax, habere etiam voluisse animam, quæ pati posset omnium harum affectionum impressionem: *Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus animus hominis, falsus erat humanus affectus.* Salvator igitur expertus est harum affectionum motus, sed sine defectu; nam præterquam quod earum objectum semper erat legitimum, non potuerunt illæ malas parere perturbationes, effectusque pravos; neque enim in illo prævertebant rationem, atque voluntatem, & non agebant in cor ipsius, nisi quantum ille permittebat: *Adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit*, addit idem sanctus Doctor. Sed nunquam magis adhibendas esse censuit, nisi ubi voluit luere pœnas nostris debitas peccatis, sustinens in anima sua, æque ac in corpore, quidquid illum maxime poterat conflictare.

Aug. lib. 9. de Civ. Dei.

Quanta fuerit tristitia, & dolor, quem Salvator in horto passus est.

Cum JESUS CHRISTUS absolutam haberet potestatem in omnes animæ suæ motus, & in omnes affectus suos, concipere voluit mœrorem quem maximum poterat, ac permisit voluntati suæ subire propter omnia peccata nostra dolorem acerrimum, & parem, 1. perfectæ cognitioni, quam habebat de criminum nostrorum enormitate; 2. amori, quo Patrem suum prosequebatur, & ardenti desiderio, quo flagrabat, gloriam illius reparandi; 3. amori, & desiderio nostræ salutis. Oportebat proculdubio, ut hæc tristitia, & hic dolor usque ad excessum procederent; quandoquidem illi mortem inferre poterant, nisi sua usus fuisset potentia ad vitam servandam: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quia tam acres experiebatur dolores, ut possent illi afferre omnia mundi mala, pro quibus dolebat, & in vehementia sua omnia illa complectebantur, quibus omnes homines propter peccata sua afficiendi fuissent.

Divinæ Sapientiæ consilio & amoris ejusdem conatu factum est, ut J. C. in cogitatione passionis, quam tantopere concupierat, perturbetur.

Quæri potest, cur Salvator, qui semper passionem suam concupierat, & de qua libentissime loquebatur, ut liquet ex Transfigurationis ipsius Mysterio; cur inquam, hæc eadem passio, cujus modo accesserat hora, videbatur illi adeo terribilis, & amara, ut sola ejus cogitatio illi tremorem incuteret, eique mortalem inferret agoniam? Constat, illum ad statum hunc nequaquam redactum fuisse aliquo naturæ conatu, aut violentia affectionum, quibus ille insurgendi facultatem permisit; quandoquidem hæ illi perfecte parebant, & quemadmodum ille factus non fuit homo, nisi cum voluit, ne humanis quidem affectibus se subjecit, nisi quando, & quoad illi placuit; S. Augustinus ait. Dicendum est igitur hoc factum esse peculiari divinæ Sapientiæ consilio; & inaudito amoris sui conatu, ut in statu adeo misero inveniatur, & illum ad salutem nostram necessarium esse arbitretur.

Quomodo metus, & fuga mortis ac passionum consenserit cum ardenti earum desiderio.

Si omnis pavor, & timor, inquies, fuga est, & horror spiritus, qui nos amovet a malo, quod timemus, potuit ne Filius Dei metuere passiones suas, quin simul illas cuperet evitare: & potuit cupere evitare illas, easque a se removere, quin conciperet voluntatem oppositam voluntati Patris sui, ipsum illas perferre jubentis? Sed arduum non est huic occurrere difficultati: nam quemadmodum timor motus est ex duplici, variaque impressione compositus, quarum altera dolor est, qui nos occupat ad intuitum, vel cogitationem objecti, quod nobis impendet; altera vero desiderium illius propulsandi, ac prævertendi, dico Dei Filium percipere potuisse mortis timorem quoad primum horum motuum; scilicet dolorem, qui excitatur in nobis ad intuitum mali imminentis; sed non potuisse illum percipere, quoad secundum, qui est desiderium arcendi malum, quod formidamus; atque ita Salvator timuit mortem dolens eo quod ob oculos suos versabatur; sed non timuit illum conatum exerendo ad eam evitandam. Nam simul ac summa tristitia conficitur, omnesque sensus illius turbati videntur, & veluti dolore obruti, nihil ardentius optat, quam mori, cum omnis propensio, omnisque virtus animæ suæ raperetur versus objectum obedientiæ suæ, & submissionis voluntati Dei.

Cur Salvator testetur se refugere potum calicis quamvis ardenter illum haurire cuperet. Luc. 12. Luc. 22.

Quicumque sit conatus, ac violentia, qua Dei Filius rejicit calicem passionis suæ audacter dicere possumus, semper impatienter illum bibere exoptasse. *Quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Ita ut cum extrinsecus eadem signa præbeat, & eodem utatur sermone, ac si cuperet non mori; scimus ipsum in hac re nostram imitari imbecillitatem & facto hoc innuere, se tot premi malis, violentisque doloribus, ut nemo nostrum non cessisset duro certamini, & non ausus fuisset extrema quæque ad tantum hoc malum evitandum, quamvis illud perferre jussus fuisset a Deo. Itaque agens, & loquens quasi optasset eo liberari periculo, voluit illius violentiam nobis innuere per effectum, quem certissime in alio quovis spiritu, quam suo, & in alia quavis anima, minus obediente, quam sua peperisset. Profecto cum omnis oppositio, & resistentia divinæ voluntati, quæcumque tandem esse valeat, sit ex se motus imperfectus, & inconditus, qui complectitur veram Deo inobedientiam, vel qui saltem est illius effectus, & pœna: Dei Filius, qui erat ipsa justitia, & sanctitas per essentiam, potuissetne ullo modo repugnare æternæ voluntati Dei, qui regula est totius ordinis, & sanctitatis? Cum igitur videmus hunc Regem gloriæ supplicis more, mortem deprecari, & a Patre suo gratiam, & misericordiam expetere, ne dubitemus, quominus, sese ad hunc statum redegerit, ut exprimeret violentiam dolorum suorum, qui alterius cujusque patientiam fatigassent.

Oratio J. C. in horto partim exaudita fuit, partim rejecta.

Orat JESUS, & non exauditur. Pater rejicit preces illius, & se præbet inexorabilem. Mirum! cum enim Oratio Filii Dei sit adeo perfecta, & completa, tamen non exauditur; quod videtur oppositum iis, quæ ip. dixit de se: *Ego sciebam, quia semper me audit*; & testante S. Paulo: *Exauditus est pro sua reverentia.* Quibus respondent Theologi, alii quidem in Salvatoris precibus duplicem esse sensum: *Transeat a me calix iste.* Sensus, qui extrinsecus apparet, est ipsum optare a morte liberari, & in hoc sensu exauditus non est; neque enim absolute petit eximi ab ea re, quam ardenter cupiebat. *Quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Sed sensus alter, qui non apparet ex S. Augustini, ac plurimorum Doctorum interpretatione, non subsistit in persona sua, sed migrat ad Fideles, qui sunt membra illius. Hoc ille efficaciter flagitat, & in hoc exauditus est; re enim vera calix illius migravit ad justos, & prædestinatos, qui facti sunt calicis ejusdem participes. Quidquid sit de hac explicatione sentiendum quæ mystica esse videtur, alii simplicius respondent juxta distinctionem desideriorum rationabilium partis superioris animæ, & naturalium affectionum partis inferioris: Dei Filium in hac Oratione, non secus ac in ceteris exauditum fuisse, ubi petiit integra rationis deliberatione, non autem in iis, quas fudit per naturalem appetitus inclinationem, qualis fuit oratio, quam in horto fecit, quæ nequaquam a desiderio absoluto profecta, sed ex simplici velleitate, ut loquitur S. Thomas, exaudita non fuit, quoniam erat superiori voluntati contraria, quæ acceptaverat calicem hunc, quamvis amaritudine plenum, tamquam pharmacum pro hominum salute a Deo præscriptum.

Joann. 11. ad Hebræos 4. Luc. 12.

Admirabilis Filii Dei obedientia in oratione, quam Patri suo fudit.

Notandum est iis in precibus, quas Dei Filius Patri suo fundit, & quibus petit ab eo secundum naturæ propensionem, ut transeat ab eo calix passionis suæ, videlicet, ne illum bibere cogatur: notandum est, inquam, nunquam visam fuisse majorem Divinæ voluntati obedientiam, perfectioremque suimetipsius abnegationem; tandem enim pœnæ, quæ ipsi erant perferendæ, terribiles videbantur, natura illas perhorrescebat, & enixius ab iis liberari flagitabat: cor illius repletum erat amaritudine, & in parte inferiori sentiebat quamdam Dei præceptis repugnantiam. Igitur ut sese illis subjiceret tot inter difficultates, opus erat animo, & fortitudine plusquam humana; quod nos docet Salvator per illa ejusdem suæ orationis verba: *Non sicut ego volo, sed sicut tu; non mea voluntas, sed tua fiat.*

Quæ-

Causa sanguinei sudoris, quem J. C. in horto Olivarũ effudit.

Quærunt Theologi veram miraculosi hujus sudoris causſam, qui ex omnibus Salvatoris artubus, adeo affluenter manaverit; ita ut inde omnia illius vestimenta madefacta fuerint, & terra in qua orabat, irrigata. Nonnulli id acceptum referunt timori; sed hujus affectionis effectus est, Sanguinem attrahere inter cor, non illum extrudere. Alii hoc tribuunt audaciæ, quæ aperit cor, ejusque poros dilatat; alii probabilius asserunt, factam fuisse omnium horum affectuum mixtionem, pavoris, confusionis, generositatis; omnesque simul aliquid contulisse huic symptomati, ad efficiendum æstum veluti quemdam; sicuti videmus varios motus maris, quod modo fluctus suos foras propellit, modo per oppositum motum, intra se illos resorbet. Hic motus est Sanguinis Domini; modo fortitudo rejicit illum extra venas, modo pavor, & formido illum retinet. Aliquando metus illum coarctat, modo fortitudo, & audacia effundunt illum, atque dilatant; & amor, quo hominum genus prosequebatur diversos hos parit effectus, & cruentum hunc sudorem emittit. Sed quæcumque sit miraculosi hujus symptomatis causſa, semper manifestum est, hoc esse testimonium interioris pœnæ cordis sui, qui est hujus Sanguinis fons.

Dubitari potest utrum Sanguineus hic sudor miraculosus, an naturalis fuerit.

Quamvis hic Sanguinis sudor mysterio minime careat, credi tamen potest illum naturalem fuisse præter propter eo pacto, quo explicuimus, & Philosophus ipse fieri posse censuit, quamvis nemo adhuc ad extremum hoc fortasse fuerit redactus. Visus olim fuit homo capite damnatus, cujus noctis unius intervallo crines omnes cani repente facti sunt; nec defuere, qui postquam plures dies ploraverunt, exhausto tandem oculorum humore, aliquot sanguineas lacrymas effuderunt. Sed quid hoc ubi comparetur cum sudore cruento, æque ex omnibus Salvatoris artubus effluente? Ita nemo unquam tanta perculsus fuit tristitia, quæ nullam admitteret consolationem.

PARAGRAPHUS V.

Delecti ex Ascetics, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Salvator reparare incipit hominis jacturam in horto, ſicut in horto duxerunt initium.

INGREDIAMUR, Fideles animæ, sine cunctatione in horto Olivarum, & nomen hoc suavitate plenum non sit præjudicium pacis, quam ibi Salvator inveniet, nec quietis, quam ibi per noctis tenebras, & silentium quærit; si illud accendit procuraturus pacem, & reconciliationem nostram cum Patre suo per gravissimum & cruentissimum certamen, quod homo usquam subierit. In novo hoc Adam considero virum illum dolorum, qui in semet suscipit pœnam, qua primus humani generis Auctor damnatus fuit. Ibi cordis amaritudo, quam patitur Salvator, efficit, ut sanguineus fluat sudor non solum ex illius facie, sed generatim ex membris omnibus corporis sui, & in horto incipiat reparare hominum salutem, quemadmodum in horto hominum cœperat clades, atque calamitas. Sed o Deus! quod discrimen inter objecta, atque personas! nam pro formosis fructibus illis qui erant paradisi terrestris deliciæ, hic nonnisi tribulos profert, & spinas, quæ cor ejus perfodiunt, antequam capiti infigantur: pro fluviis, qui locum illum deliciarum irrigabant, nonnisi Sanguinis rivos fluentes videō ex illius sacrato corpore, infelicem terram hanc irrigantes. Inde incipit acerbissimæ passionis ejus stadium; sed tunc potuit dicere verba illa, quæ mox paullo antequam efflaret animam, protulit: *Consummatum est*, quoniam ad talem agonem redactus est, & amor suus victor de pavore, tristitia, & dolore usque ad maximum excessum evasit. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in Sermonibus de Passione.*

Tristitia, & tædium, quod Salvator in horto passus est, & status ad quem redactus fuit.

Cum mortalis tristitia obruisset Cor JESU CHRISTI, processit ille tacitus in eum usque locum, qui Gethsemani appellatur; ubi cum non posset amplius humanis viribus suis extremo resistere mœrori, quo conficiebatur, coactus fuit adire Apostolos suos veluti aliquod ab illis solatium petiturus: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, dixit illis; & cedat oportet mœrori, quo premitur. Sed quemadmodum aulam ab illis opem, & consolationem percepit, fecerit non tam celaturus tumultum, pavoremque suum, quam illi sese prorsus traditurus. Profecto considerare, si vobis lubet, quomodo in horti hujus angulo expalluerit, quomodo contremiscens facie in terram ruit. Videte vultum ejus lacrymis madentem; vestes perfusas sudore Sanguinis defluentis in terram; attollit manus ambas & vocem in cælum, revertitur bis ad Apostolos suos, ut cum illis conqueratur de modico subsidio, quod ab illis recipit in tanta tristitia, quam mulcere nihil potest . . . . Nescio, Auditores, quæ sit vestra sententia. Fateor equidem me hoc mysterio ita perturbari, ut eloqui nequeam. Ubi cogito Deum humiliatum, Deum patientem, Deum mortuum, spiritus meus hujusmodi ænigmata explanare posse haud ægre putat. Sed cogitans Deum in anima sua turbatum, & tristem usque ad mortem, jam jam ipse etiam perturbor, & hac eadem cogitatione confundor. Quid Messias iste, quem Deus misit ad nos, ut nobis magister esset, & exemplum; Salvator hic, qui venit in terras, ut pateretur, qui tantopere concupivit suum effundere Sanguinem propter amorem nostrum, modo cum jam venit hora, videtur initum a se consilium perhorrescere? Ecce illum humi prostratum, in suo provolutum Sanguine, trium horarum spatio in crudeli agone positum, & verba illa iterare non cessantem: *Transeat a me calix iste.* O Salvator, & Deus meus! Infirmorum præsidium, & fortitudo fortium! Anima magna, cujus generosi sensus elevati sunt super omnes hominum infirmitates; tu qui nec mœrere, neque timere, neque dolere potes, nisi quantum res ipsa meretur; dic, quæso, mihi, quænam esse potest causſa doloris hujus tui acerrimi, & amarissimi? Neque enim credere possum timorem hujus mortis, quam nos contemnere docuisti, tantum tibi inferre posse dolorem. *Pater de la Colombiere partim ex primo, partim vero ex altero Sermone Passionis.*

Nostra potissimum peccata quæ ob oculos Salvatoris obversabantur causſa fuerunt tanti doloris.

Terribile spectaculum est videre JESUM CHRISTUM tristem, mœrentem, inquietum, nulli solatio percipiendo parem: sed ubi recordor, ob oculos illius obversata fuisse tunc non solum omnia supplicia, quæ in ipsum erant exercenda, sed etiam omnia peccata, quæ hactenus patrata fuerant, & quæ adhuc erant patranda contra Deum usque ad Mundi finem, mihimet persuadeo, neque mortalem pavorem, neque sudorem cruentum, neque agonem, cui nunquam simili extitit, hæc inquam omnia nonnisi exiguam exprimere ejus doloris partem, quo cor illius fuit confectum. O Deus meus! si velles aperire nobis hunc amaritudinis abyssum, quos miserationis sensus, quas lacrymas non excitares? *Idem.*

Salvatoris amor facit, ut ille excogitaverit dolores externos exterioribus omnibus crudeliores.

Rabies inimicorum Salvatoris, & Carnificum sævitia explere non poterant desiderium patiendi pro nobis: opus erat, ut amor ejus cum illis conspiraret ad inferendam cordis ipsius interiorem passionem, quæ tantum externos corporis dolores superaret, quantum amor suus inimicorum crudelitatem superabat. Ut hoc illi cederet e sententia coercet motus affectuum, qui aliquod afferre poterant solatium, amorem, spem, gaudium, & aditum præbet affectibus, qui affligere consueverunt, terrori, dolori, tædio. Interpellat commercium inter superiorem, inferioremque partem, Deum inter & hominem. Juge operatur miraculum, ut pro nobis pati possit, & cuperemus, illum miracula operari, ut nos eximeret a pœnis pro illo subeundis. Omnem permittit vim imaginationi suæ, ut sibi repræsentet quidquid crudelius est in tormentis; omnibusque utitur rationis suæ luminibus, ut suis oculis subjiciant, quidquid indigni est, & contumelioſius. Ejus imaginatio omnibus objectis perterrita, & ratione ipsa animata momento traducit sub oculos illius omnia suæ passionis supplicia, cum sævissimis eorum circumstantiis, ut acerbius, quam in ipsa passione torqueatur; supplicia enim hanc corpus dumtaxat, eaque subinde unum post aliud torquebunt; cum modo omnia simul excrucient cor illius, quia aliquid eorum violentiam vel prohibeat, vel minuat. Tunc cor illud afflictum longe magis sensit contumeliam, quam passurus erat, cum venderetur, prodereture, negaretur, derelinqueretur a Discipulis suis. Alapæ, irrisiones, blasphemiæ, turpis nuditas, indigna Barrabæ prælatio sese illi obtulerunt cum omni ignominia; flagella, spinæ, clavi, crux præcoci actuositate exercuerunt omnem suam crudelitatem in illum, & gravius percusserunt cor ejus, quam deinceps corpus illius. Poterat ne amor JESU ingenioſius ipsum torquere? Sed poterat ne ingenioſius nobis ostendere, quantum nos diligat, quantum a nobis diligi & velit, & mereatur? & post hæc illum diligere detrectabimus? *P. Nepveu in Christianis Considerationibus tomo secundo.*

Cur voluerit Dei Filius incipere passionem suam a dolore interiori.

Ecce quid Mundi Salvator passus est in corde suo pro singulis nostrum! Sed cur passus est, nisi ut expiaret peccatum? Quemadmodum enim peccatum sit in corde, *ex corde enim*, Dei Filius inquit, *exeunt mala cogitationes, adulteria, fornicationes, homicidia*; in corde etiam incipere debet pœnitentia. Hujus rei exemplum nobis præbet JESUS CHRISTUS in horto Olivarum; ibi sensit ille extremam tristitiam, cum enim gravatus esset debitis peccati, quin illud patrasset, vult re adhuc integra illud detestari, antequam pœnas luat. Iisdem rationibus utamur, Fideles, ut eamdem in nobis contritionem excitemus; nobismet ideo repræsentemus peccati deformitatem, & odium, quo Deus illud persequitur, æterna supplicia illi præparata, & quidquid pertulit JESUS CHRISTUS, ut nos ab eo liberaret: denique cogitemus hanc gratiæ copiam, quam Salvator nobis promeritus est, & infelicitatem in quam certissime ruemus, nisi profecerimus, & nihil intentatum reliquerimus, ut nostræ reconciliationi cooperemur. *Abbas de Monmerel homilia de Passione Domini nostri.*

Amor Salvatoris fecit, ut cor antequam corpus suum pateretur.

Si dicitur vulgo cor primum omnium vivere, & noviſſimum mori: addere licet, Cor Salvatoris primum, & noviſſimum pati: quoniam deſiderium ſatisfaciendi juſtitiæ Patris ſui pro peccatis hominum facit illum prævertere cruciatus ſuos, & pati ſimul omnia, quæ nonniſi deinceps, & per intervalla, & partes paſſurus eſt; vel ſicuti omnia ſimul creata efficere non poterant, ut ſatis pateretur, ipſe uteretur maxime violento omnium agentium, ſuo videlicet amore per acrem dolorem, quem concipit ex adſpectu peccatorum mortalium omnium, quibus ſe videt oneratum. Dolorem, qui pertranſit animam ejus, qui illam immergit in amariſſimam amaritudinem, & præcipitem dejicit in abyſſum triſtitiæ, ac talem facit impreſſionem in corpore ejus doloris hujus magnitudine oppreſſo, ut inde exprimat ſanguineum ſudorem, quem omnia ſæcula admirata ſunt. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, ea in Paſſione, quæ inter Myſteria invenitur.*

Miſer ſtatus ad quem triſtitia, & dolor rediguit Dei Filiũ in horto Oliverum.

Cum Dei Filius ſeipſum privaverit eo ſolatio, quod in ſe poterat invenire propter viſionem beatificam, qua anima ſua perfruebatur; neque ullum reperire in Apoſtolis poſſet, quibus aparuerat cor ſuum; Spiritus ejus repletus fuit funeſtis objectis horribilium tormentorum, quæ ſibi parata erant, ingratitudinis hominum, pro quibus paſſurus erat, modici fructus paſſionum ſuarum, & eorum omnium, quæ in corde illius impreſſionem facere poterant. Hinc profectum eſt tædium illud cum quadam cordis coarctatione conjunctum: Hinc mortalis ille pavor, hinc denique incomprehenſibilis illa triſtitia, de qua loquitur Evangelium: *Cœpit tædere, & mœſtus eſſe.* Hoc illum dejicit, atque in terram proſternit, quaſi Patri ſuo nocentis habitu mulctam perſoluturum. Dicendum ſane eſt infinite vehementem fuiſſe pugnam triſtium affectuum ipſius; quandoquidem ille, qui vim, virtutemque tribuit omnibus creatis rebus, ille, qui futurus erat tot Martyrum fortitudo, qui tanto animi ardore mortem concupierat, qui enixe adeo illam depoposcerat, qui ardentibus votis illam expectaverat: *Ecce quomodo coarctor, uſque dum perficiatur*; ipſe tamen ad illius acceſſum contremiſcit, & ea profert verba, ſcindendis præ miſeratione marmoribus, rupibuſque aptiſſima. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Tanto enim conficiebatur mœrore, ut hic illi omnia hujus mundi mala parere poſſet; quoniam in vehementia ſua complectebatur ea omnia mala, quæ hominum ſinguli pro ſuis quiſque ſceleribus pati debuiſſent. Itaque Evangelium eum ſtatum, ad quem JESUS CHRISTUS redactus fuerat, *agonem* vocat: *Factus in agonia*; quod nomen mortalem ſignificat pugnam ad exemplum eorum, qui morte accedente, acerbiſſimas ſuſtinent convulſiones. Hoc autem accidit poſtquam qualibet affectione ſingillatim fuit laceſſitus, poſtquam tædium, & moleſtia illum oppugnarunt, pavor illum oppreſſit, & triſtitia penitus obruit; hæ omnes affectiones in cor ejus impetum faciunt, inter ſe colliduntur, & per hanc colliſionem illud diſcerpunt. Etenim hinc quidem tot, ac tam terribilium ſuppliciorum timor, illum moratur, & retinet, inde vero deſiderium adimplendi voluntatem Patris ſui illum impellit, & excitat, cogitatio crucis cum omni horrore, qui eam comitatur ſanguinem glacie veluti adſtringit; amor erga homines efficit, ut omnia ſubeat tormenta, ita ut ſimul fugiat, & ſectetur idem objectum; mortem ſimul formidet, & cupiat. Cor ejus anceps eſt metum inter & audaciam, fugam inter & deſiderium, navis inſtar, quæ hinc impellitur fluctu, inde alio fluctu repellitur, venti unius turbine rapitur, & alterius vi pari cum impetu jactatur, ac mox utriuſque pari violentia agitata ſuſpenditur, quin in alterutram partem moveatur. Hic ille ſitus eſt, in quo cor Salvatoris invenitur, hoc in agone mortali, ubi opus eſt, ut omnes colligat vires animæ ſuæ, ut contra furentes adeo affectuum ſuorum colliſiones obrigeſcat. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, in tomo primo myſteriorum.*

Matth. 26. & Marc. 14.

Luc. 12.

Matth. 26.

Luc. 22.

Alia hypotipoſis ſtatus ad quem Salvatorem redegit triſtitiæ, & doloris violentia.

Mirum eſt videre mutationem, quæ in ſingulos ictus fit in anima, & corpore JESU CHRISTI. Id nunquam crederemus, niſi fideles Hiſtorici vitæ illius, quibus citra impietatem fides negari nequit, teſtarentur. Ubi enim in Hortum pedem intulit, cœpit experiri in ſemet triſtitiam, & anguſtiam cum pavore adeo terribili conjunctam, ut redactus fuerit in ſtatum omnium miſerrimum, ita ut ad Diſcipulos ſuos converſus, illis viſus fuerit expalleſcere, oculos lacrymis ſuffuſos habere, vocem ſingultibus, atque ſpiritus interciſam, genua trepidantia, & toto corpore contremiſcere; qui eo vocis tono, qui præ miſeratione ſaxa ſcindere potuiſſet, dixit illis: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* O Salvator, Deus meus, quid ais? Quid ſibi vult hoc verbum? *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quid? Tu qui es æternum Patris tui Cæleſtis gaudium, tu qui Angelorum, Beatorumque in Paradiſo felicitatem conſtituis; tu triſtis? & hæc triſtitia tua tanta, quæ tibi vitam poſſet auferre, niſi eam reſervares ad majora, eaque diutius perferenda? Joannes dilecte JESU Diſcipule, audire ne potuiſti verbum adeo triſte, quin præ dolore, & miſeratione cor tuum ſcinderetur? Tu vero Petre, qui ſemper tanto amore proſecutus es optimum magiſtrum tuum, quomodo præſto non fuiſti, ut in tam urgenti periculo aliquod illi ſolatium afferres? Vos autem Chriſtiani Auditores, quinam ſunt ſenſus veſtri, cum adeo luctuoſum ſpectaculum intuemini? Intelligitis ne horum verborum ſenſum, & vim? *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Saltem id aſſequi contendite, & ſi fieri poteſt metimini altitudinem hujus Maris amaritudinum, cujus fluctibus mergitur afflicta Salvatoris anima; ita ut dicere poſſit: *Omnes fluctus tui ſuper me tranſierunt. Auctor Recens.*

Pſalm. 41.

Ita ille, qui aliorum præſidium, & fortitudo eſt in afflictione, ſeſe dolori tradit; ita conſolator omnium hominum, decidit, & deficit; ita gaudium Cæli, ac terræ triſtitia conficitur, & JESUS CHRISTUS, ut ſibi corda noſtra deliniat, obrui vult noſtris infirmitatibus. Duo potiſſimum mortalem hunc dolorem illi pepererunt; primum magnitudo, & infinita multitudo peccatorum mundi, quorum ſingula menti illius obverſabantur, cum aperta cognitione Divinæ majeſtatis tot ſceleribus læſæ, & interitus hominum æternis ſuppliciis deſtinatorum. Alterum fuit ingens eorum numerus, quibus mors ſua inutilis erat futura. Quemadmodum hinc quidem conſolabatur illum certa ſpes fructuum ex paſſione ſua percipiendorum; ita inde gravi conficiebatur dolore cogitans, quam paucis profuturum eſſet hoc pharmacum, quod amor ſuus præparaverat univerſis: neque aliam inveniebat conſolationem, niſi acquieſcens immutabilibus decretis Patris ſui jubentis illum pati etiam pro iis, qui ex paſſionibus ejus nullum eſſent fructum percepturi. *Liber, cui titulus: Paſſiones Domini noſtri JESU CHRISTI.*

Duæ potiſſimæ cauſſæ doloris J. C.

Timor eſt animæ motus ortus ex apprehenſione mali futuri; & quo major eſt impreſſio, quam gignit, eo majus eſt malum; & quo minus abeſt, eo inevitabilius videtur. Triſtitia tunc oritur, cum malum adeſt, & ejus creſcit violentia, quo magis malum augetur, & decreſcit ſpes ex illo emergendi. Tædium non aliud eſt, quam anxietas quædam, & affictio ſpiritus, quæ conſuevit eos premere, ſe qui pluribus ſeptos malis vident, quorum unum evitare nequeunt, quin in aliud incidant: quippe ad patiendi neceſſitatem ita redacti, & neſcientes, quid eligant, vel relinquant, crudelibus diſtinentur ſollicitudinibus, quibus animus eorum torquetur, quin conſilium capiant; etenim quocumque vertant ſe, nonniſi funeſta vident, ac triſtia. Agonia tandem proprie loquendo eſt noviſſima doloris expreſſio, quam parit trium harum affectionum impreſſio, & aliæ etiam quæ illis admiſcentur; cum enim certatim ſingulæ adnitantur animæ imperitare, eam violenter lancinant, quod aliquando mortem parit. *Auctor Anonymus.*

De affectibus, quibus permiſit Salvator, ut in ſuo corde inſurgerent.

Si ſcire vultis, quinam fuerit exitus certaminis tot affectuum, qui in corde amabilis hujus Salvatoris inſurrexerunt, ecce illum in eo ſymptomate inaudito, quod accidit, quamvis plurimi Doctores naturaliter, & citra miraculum contigiſſe putant, & quod præter propter hoc contigit pacto. Cum mortis terrores animam Salvatoris opprimerent, ſanguis illius circum ejus præcordia receſſit; natura enim conſtitutum eſt, ut in pavore fiat ſanguinis revulſio, qui in centrum cogitur, omnibus membris libenter generalem hanc contributionem probantibus ad tuendum, ſervandumque vitæ principium, unde uſuvenit, ut corpus totum contremiſcat, & expalleſcat. E contra vero proprium fortitudinis, & audaciæ eſt, propellere ſanguinem ad extimam corporis ſuperficiem; quamobrem oculi micare, & facies videtur igneſcere. Sed in hoc duorum affectuum vehementiorum conflictu, vix timoris exceſſus omnem ſanguinem circa cor congeſſit, cum fortitudinis niſu metum ſuperante, & violenter extrudente, ſit quidam veluti æſtus, qui repente magno cum impetu erumpit. Primus hic æſtus alterum ciet; hic autem tertium fluctuum inſtar, qui ſemet invicem trudunt; ita ut ſanguis ſpiritum commotione incaleſcens, neque reperiens vaſa, quæ illum continere valeant, variis in locis illa diſrumpit, & ſibi viam facit per poros, qui eodem tempore hiſcunt, & exitum pandunt; ſanguis cutem perforat, penetrat veſtimenta, & per grumos in terram uſque deſcendit. *Et factus eſt ſudor ejus tamquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Quod ſpectaculum fideles, videre ſanguinem undique ſudoris inſtar fluentem ex ægroti alicujus artubus in criſi! O triſtitia, o Dei mei conſolatio! Angeli, homines, Cæleſtes Spiritus audiſtis ne unquam verba fieri de triſtitia tanta, quæ ſudorem eliceret ex omnibus artubus non ſolum in ingentes aquæ guttas, ſed ſanguinis, terram univerſam irrigantis, & corpus abjectum, proſtratumque cooperientis. Pretioſe Sanguis Salvatoris mei, qui effuſus es propter ſcelera mea, poſſum ne videre te ex membris omnibus effluentem, quin unam lacrymulam fun-

Exceſſus dolorum J. C. ſanguineo ſudore indicatus.

fundam? Heu! Deus meus, video te in hoc amaritudinis calice immersum, & cor meum adhuc omni sensu caret in tanto doloris objecto! Quasi satis non essent oculi duo ad peccata nostra ploranda, totidem tibi oculos facis, quot venas, ac arterias habes in corpore, ut totidem valvas aperias dolori, & plores illa, ut merentur, lacrymis sanguinis. *Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta.*

Quod portentum! videre Cæli gaudium tristari, Dei fortitudinem contremiscere, vitam ipsam mortis metu laborare, & ita laborare, ut re ipsa mortem subiret, nisi adhuc se ad majora supplicia reservaret. Sed quænam, amabo vos, est hujus doloris vehementia, quæ efficit, ut suos prævertens carnifices sanguinem fundat? Nondum intueor flagella, non clavos, non spinas, neque alia passionis instrumenta, sed amor suus in antecessum earum rerum omnium officio fungitur; & perinde ac omnia creata non possent illum satis excruciare, utitur agentium omnium validissimo, amore scilicet, qui efficit ut dolor in penitissima cordis penetralia pervadat. Cum ipse de passione sua cum Discipulis colloqueretur, quod sæpius facere consueverat, illam modo Calicem, modo Baptismum vocabat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* & alibi. *Baptismo habeo baptizari, & ecce quomodo coactor usque dum perficiatur?* Sed dicamus ipsum utrumque in hoc agone mortali experiri. Hic amarissimus est Calix, qui ipsam Salvatoris animam pervadit, ut illam amarissima mergat amaritudine; baptismus est sanguinis, quia madefacit, & exteriores omnes corporis sui partes cruentat, & defluit in terram. *Idem.*

Nostrorum peccatorum intuitus J. C. desolavit.

Dubitandum non est, utrum asserere liceat, nostrorum peccatorum adspectum redegisse Dei Filium in statum hunc deplorabilem, ut aqua sudaret, & sanguine. Ut nobis sit de hac veritate persuasum, considerandum est, Salvatorem considerasse peccatum secundum triplicem rationem, quam habebat cum Deo, cum hominibus, & cum ipsa persona sua. Dei habita ratione considerabat peccatum tamquam injuriam, quæ merebatur odium suum, ipsumque ad iracundiam provocabat. Habita hominum ratione considerabat illud tamquam supremæ eorum calamitatis principium. Ratione vero sui ipsius habita illud considerabat tamquam absolutam necessitatem, propter quam ipse horribiles pœnas, & crudelissimam subire mortem cogebatur. *Tres hæ considerationes triplex doloris*, ac tristitiæ genus in corde Filii Dei pepererunt. Primi principium erat infinitus amor, quo Patrem suum prosequebatur; alterius caritas ardens, qua homines complectebatur; tertii denique amor Sanctæ suæ humanitatis. Quia Patrem infinite diligebat, heu! peccatum, quod in tantum cedit dedecus Dei, illum crudeli mordo torquebat. Quia unice amabat homines, heu! peccatum, quod est æternæ illorum calamitatis causa, incredibili eum dolore afficiebat. Quia Sanctam humanitatem suam ineffabili caritate prosequebatur, heu! peccatum, quod sibi statum dedecoris, & tormentorum allaturum erat, mortali pavore animam ejus replebat. Hinc conjicite quantus extiterit dolor amabilis hujus Salvatoris, cum sibi ad intuendum proponit hanc multiformem tot scelerum colluviem, quæ contra Patris sui Majestatem insurgebant; Æternum excidium, quod illorum auctores meriti fuerant, & impositam sibi pro illis ad extremum usque quadrantem satisfaciendi necessitatem. *Auctor recens.*

Cur J. C. voluerit experiri impressionem, quam timor facit; & hujus timoris causa.

Narrat Evangelium, Salvatorem vix ingressum in Hortum, incœpisse pavere, & manifesta præsetulisse hujus timoris indicia per mentis agitationem, faciei pallorem, corporis totius trepidationem, & sudorem ex omnibus membris corporis sui manentem. Nihil mihi quidem, Fideles, videtur a Deo remotius, quam timor in eo, qui suprema est potentia, cui nihil obsecillitatem, neque fortitudinis defectum timet; sed se potest, vel resistere. Itaque non per cordis imbecillitatem, neque fortitudinis defectum timet; sed ostendere vult, se quatenus hominem similem nostri, non secus ac homines alios sensibus obnoxium esse; & postquam nos docuit, ne timeremus vim, furoremque inimicorum, ostendere nobis voluit exemplo, non secus ac Verbo, Deum unum esse, cujus justitia, iracundia, & supplicia sint pertimescenda. Itaque nobis timet, qui meriti sumus effectus maxime terribiles ejusdem justitiæ, ad quos a cervicibus nostris avertendos, in se ipso dignatur excipere. Hic autem pavor gravissimos in illo tumultus ciet per horrorem terribilium cruciatuum sibi impendentium, & jamjam ob ejus oculos obversantium. Heu! Celatur nocentissimus quisque sui supplicii instrumenta; sed divina justitia postulat, ut ob Salvatoris oculos exponantur, & quin ab illius cogitatione amoveantur, imaginatio sua efficit, ut sumat omnes crucis suæ dimensiones, repræsentat illi proditionem Judæ, conjurationem Scribarum, & Pharisæorum, militum furorem, opprobria, & contumelias inimicorum, carnificum sævitiam, omnemque funestum supplicii sui apparatum. Quæ congeries, vel potius, quæ tormentorum confusio! Omnia hæc eodem simul tempore pati per acrem, distinctamque hypotiposim, quam ipsius illi exhibet imaginatio! Scio equidem Patres nonnullos credidisse metum mortis, & tormentorum indignum fuisse fortitudine ipsius, & cum Patrem deprecatus est, ut averteret ab ipso hunc calicem, eumque procul semoveret, objectum timoris hujus fuisse mortem æternam, quam homines promeriti fuerant, ad cujus adspectum pro nobis trepidavit: sed communis est sententia, cum ille se se voluerit subjicere omnibus infirmitatibus nostris, pavorem tot terribilium pœnarum, quæ terrorem incutere poterant in audacissimum quemlibet, in illo omnem peperisse impressionem, quam ille permisit, ut faceret. *Idem.*

Peccatum funestissimum objectum est, & aptissimum ad extremam tristitiam J. C. inferendam.

Quodnam esse poterat objectum adeo triste, funestum, & simul adeo terribile, ut adeo acerbum dolorem, terroremque lethiferum, ac tantam desolationem inferret? Anima Magna, quæ non nisi generosos sensus concipiebas, & quæ dolere non poteras nisi ob causas, quæ id mererentur, a te audiamus causam effectus adeo mirabilis? Heu! Non aliæ inveniri possunt causæ nisi propria peccata. Ita est, peccatum, Dei inimicus, nemo erat præter unum te, qui posset parere tantam turbam in sacrato corde Salvatoris mei; qui efficere posset, ut hominum integerrimus, atque sanctissimus extimesceret flagella iræ Dei, & terribiles effectus ultionis ejusdem; qui turbare posset infinitum gaudium, quo beata illa anima in clara Dei visione fruebatur. Propter mala, quorum tu unica es causa, homo Deus ita doluit, ut nullum admittere valeat solatium, atque ad detorquendum ab hominibus æternum supplicium, quod illis conflaveras; hic Hominum Salvator se se offert omnibus cruciatibus, quorum sola cogitatio illum terret, & urget, ut naturali sensu deprecetur a Patre calicem adeo amarum, qualis est suæ passionis. Verum ardens desiderium salvandi peccatorem efficit, ut se se offerat ad omnia, & sanguineis lacrymis illius miserias prosequatur. *Auctor sermonum in omnia argumenta Ethicæ Christianæ in Mysteriis Tomo* I.

Dolendum est nobis, eo quod causa fuerimus doloris J. C.

Cum Dei Filius ad nostrarum miseriarum intuitum contristatus fuerit, dolendum nobis est, Fideles, eo quod eum in tristem redegerimus statum, quem nuper vobis exposui. Argumentum eo magis æquum est, quo magis liquet peccata nostra causam fuisse tristitiæ, & mœroris illius, & licet, non alii extitissent peccatores, quam nos, eumdem tamen dolorem fuisse concepturum, juxta illud S. Pauli Verbum: *Qui dedit semetipsum pro me.* Igitur *pro me*, & singillatim propter peccata mea se se tradidit tristitiæ, ac dolori. Vestra igitur, & mea peccata erant veluti secreti carnifices, qui ex venis illius sanguinem hauriebant, & illi tantum dolorem inferebant. Ita est. In tanta nocentium turba nos secernebat, & quamvis crimina nostra permixta essent in communi tot aliorum colluvie, quæ erant mortis suæ causa, illa tamen ob oculos suos habebat præsentia. Secretum illud peccatum, quod hominum aciem fefellit, oculum ejus minime fefellit; alterum hoc tam caute, ac per adfectatam nequitiam patratum, cordi illius lethale vulnus infixit, atque tot inter brachia, quæ illi mortales ictus pertulerunt, tuum novit; ac tibi dicere potest, ut Princeps ille, qui inter se opprimentes novit illum ipsum, quem in Filium sibi adoptaverat, dextra tenentem pugionem, quo sinum ejus confoderet. *Et tu Fili!* Tu Fili mi causa fuisti dolorum meorum, & mortis meæ. Hæc olim cogitatio sanctum Pœnitentem ita permovit, ut cor scissum fuerit præ dolore, & præfocaverit suspiria, atque singultus, quos verus dolor exprimere cœperat. Nos beatos, Fideles, si hujusmodi dolore perciti possemus saltem lacrymis, quæ sunt purissimus cordis cruor testari nos summo dolore confici, videntes illum causa nostra tot doloribus conflictatum. *Idem.* ad Galat. 1.

Variæ causæ sanguinei sudoris effluentis ex artubis Salvatoris.

Mundi Redemptor sudavit Sanguine pro salute nostra; nos vero minimum etiam detractamus laborem sustinere pro ipso; ipse totum ex venis corporis sui Sanguinem effudit, ego vero ex oculis meis lacrymulam non possum ejicere: Sed unde nam admirabile hoc factum oriri potuit? Consolator Angele, qui hujus prodigii testis fuisti, doce nos causam effectus hujus admirabilis. Sudor hic nonne contra naturam est? Nonne naturæ vires superat? Num miraculum est, quod ipsa operari potuerit, quin se ipsam deleret? Dic ergo nobis, cuinam debeamus Sanguinem hunc, cujus Salvator est adeo liberalis, & prodigus? Debemus illum, primum infirmitatibus corporis ejus; quod viribus exhaustum est per conflictum affectuum, quem sustinuit, debilitatum, ac attritum ita, ut sudoris loco Sanguinem fundat. Secundo illum debemus vi amoris sui, cujus ardor se se objiciens timori, & terroribus mortis inflammat omnes spiritus, totam Sanguinis massam incendit, & ad eam redigit subtilitatem, ut per omnes poros exhalet eo modo quo sudor accedente febri ex ægrotantibus manat. Tertio debemus illum magnitudini virtutis ejusdem, & conatui, quem exerit ad superandam repugnantiam, & expellendum tædium, quod in eo pariunt infidelitas, & ingra-

ingratitudo nostra. Sudor hic, quæcumque sit illius caussa, signum est ingentis prælii, & glorioſæ victoriæ, signum exceſſus amoris, zeli, & doloris ſui. O quem conatum exerit contra naturam ſuam, quandoquidem ſudat Sanguine! Quantus eſt ardor amoris, qui primam hanc myrrham diſtillare facit! Quantum deſiderium ſalutis hominum, & gloriæ Patri ſui, quod carnificum præceſſerat ſævitiam, & facit ſacrificium voluntarium vitæ, & Sanguinis tui. *P. Novet in Meditationibus de Paſſione.*

Non alia quærenda eſt Sanguinei hujus ſudoris cauſſa quam ardor amoris, quo flagrabat cor Salvatoris.

Diximus jam, amorem, quo JESUS humanum genus diligebat primam extitiſſe cauſſam doloris cordis ſui, & effuſionis Sanguinis ſui; quocumque enim modo ſanguineus iſte ſudor ad examen revocetur, liquet factum illud adeo novum non aliam habere potuiſſe cauſſam. Cum video Salvatorem hunc adſperſum Sanguine in Circumciſione, vel in Paſſione ſua, haud ægre credo cauſſas, & inſtrumenta vulnerum illius: ibi Sacerdotem video cultrum manu tenentem, & primum illud ſacrificium peragentem. Ecce manum vulnus inferentem, ecce inſtrumentum vulnus aperiens. In Paſſione video carnifices, manibus gerentes flagella, clavos, ſpinas; ſed in horto video equidem JESUM cruentatum, eum vero, a quo vulneratur, non video. Non invenio ſpinas, non clavos, non alia inſtrumenta, quæ venas illius aperire potuerint; tamen cruentum hoc corpus aliquem vulneris auctorem redarguit. Vox iſta cruoris clamat, illum manu aliqua effuſum fuiſſe; video JESUM in horto Sanguine rubentem, ſed in hac occaſione illum ſolum video. Dicendum eſt igitur hunc eſſe, qui per ſemet ſuum cruorem effudit. Sed quomodo? Ne inquiramus alibi, qua manu cor ejus fuerit vulneratum: auctor enim vulneris eſt amor cordis ipſius; en cruenta argumenta; ne dubitemus ultra de cordis ipſius ſacrificio. Ecce cruorem fluentem ex vulnere, quo innocens victima ſauciata eſt. Sed Salvator mi! quinam moræ impatiens ardor te cogit hoc pacto mortem celare? Heu! non ne ſatis cruoris effundes in Pilati Prætorio, vel in Calvaria? Cur non expectas donec flagella, vel ſpinæ illum effundant? Reor equidem, ut glorioſius & Patri ſuo acceptius eſſet pretioſi Sanguinis ſui ſacrificium, voluiſſe per ſe illum fundere, & ſolum eſſe muneris hujus datorem: Cum enim in Calvario Sanguinem dabit, præterquamquod non aget per ſe, tantummodo patiens; effundet etiam illum per carnificum manum: horum ſcelus immiſcebitur cum magno hoc amoris ſui teſtimonio; & illi omnium nequiſſimum patrabunt ſacrilegium eodem tempore, quo ille maximum offeret ſacrificium. Sed ut offerat ſacrificium, cujus gloria pura ſit, ipſe ſolus omnino Sanguinem ſuum poteſt effundere. Addamus illum feſtinare effuſionem hanc inexpectato aliorum miniſterio, ut oſtendat ardorem, ac vim amoris, qui moram pati non poteſt, ac prævertit tempus ipſum præſcriptum a Patre. *Biroat in Quadrageſima pro Feria ſexta in Paraſceve.*

J. C. ſignificavit Patri naturale deſiderium, quo diſpenſari cupiebat a calicis potu.

Non ſub oculos tantum Apoſtolorum Salvator dolorem teſtatur ſuum: ad æternum Patrem afflictus illius convertitur Spiritus in ſervore orationis ſuæ illi doloris ſui vehementiam expoſiturus: *Pater, ſi poſſibile eſt tranſeat a me calix iſte.* Pater mi, audi gemitus cordis mei. Si fieri poteſt; ſi licet per leges juſtitiæ tuæ, mecum diſpenſa a potu calicis hujus: vel ſi mortem meam petis, mors minus ſevera tibi ſufficiat. Liquet orationem hanc non fuiſſe abſolutam, neque ſignificantem ſenſus efficacis voluntatis. Explicat ſolum imperfecta ſua deſideria, & vota conditionalia partis inferioris animæ ſuæ. Quare? ut hoc verbo exprimat pœnarum, quas ſuſtinet, magnitudinem. Dicendum ſane eſt, dolorem cordis ipſius amarum, ac terribilem fuiſſe viſum; quandoquidem etiamſi cognoſceret Patris ſui decretum, atque imperium, cui ne minimum quidem reſiſtere volebat, tamen ab illo poſtulat diſpenſari. Id autem agit, ut hominibus innoteſcat magnitudo doloris ſui, & illi Prophetæ ſenſum intelligant. *Attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.*

Thren. 1.

J. C. plus paſſus eſt in horto, quam toto Paſſionis ſuæ ſpatio.

Vultis ne ſcire, fideles, quandonam JESUS CHRISTUS majori dolore fuerit affectus, utrum cum inter tormenta verſaretur, an cum illa prævidit, & illa menti ſuæ haberet præſentia. Vobis comparandus eſt ſolummodo ſtatus, ad quem in horto redactus eſt, cum illo, in quo fuit vel columnæ revinctus, vel confixus Cruci. Suſtinet flagella, clavos, ſpinas tacens, cum manſuetudine, cum vultus ſerenitate, ac ſpiritus tranquillitate, ita ut palam fiat in his omnibus nihil eſſe, quod illius ſuperet conſtantiam; ſed hanc vinci quodammodo viſa eſt in Gethſemani. Dolet, queritur, in miſerabiles erumpit gemitus, pugnat in ſe contra ſe. *P. De la Colombiere in ſermone primo de Paſſione.*

Nemo unquam concepit dolorem, quem peccatum meretur niſi J. C. ob cujus oculos cruciatus in horto his omnibus ideis repletus eſt, & menti illius obverſantur omnia peccata, quæ patrata fuerunt, & quæ erant deinceps patranda, ne miremini, ſi patitur myſticum hunc Sanguinis ſudorem. Defluunt ex oculis ejus lacrymæ, ſuſpiria ex ore prodeunt, ſingultus erumpunt ex corde; & quaſi id ſatis non eſſet, manat Sanguis ex omnibus artubus corporis ſui. Carnifices, veſtrum non eſt torquere vivum cor JESU CHRISTI. Caput illius ſpinis veſtris traditum eſt; ejus humeri flagellis veſtris; pedes, manuſque clavis: vivens autem Dei cor non niſi Deus ipſe affligere poteſt; & illud doloris jaculo tranſverberare. Verbum quod vocat ea, quæ non ſunt, æque ac ea, quæ ſunt, arceſſit in hortum Olivarum omnes homines qui præterierunt, præſentes, atque futuros, ut illius onerent humanitatem ſceleribus ſuis; ſimulque omnia hæc horrentia ſpectra apparent illi, & catervatim ſe ſe ante oculos ejus conſtituunt. Veni Adam infelix, veni calamitoſe Pater & aſſer inobedientiam tuam, & illam impone capiti hujus hominis-Dei. Inventores ſcelerum ſimul, & artium, miſeri peccatores, qui præceſſiſtis, & ſecuti eſtis diluvium, adeſte &c. Sed ſatis non eſt, ii qui fuerunt, & ſunt: peccatores futuri, quos labentia ferent ſæcula, prodite ex nihilo, ut flagitiis veſtris obruatis Deum, qui vos eſt expiaturus. Sed quem dolorem parere non debet tot ſcelerum congeries, quandoquidem crimen unum illi poteſt mortalem triſtitiam afferre. *Ex ſermonibus moralibus, ſermone de Paſſione.*

mina omnia verſabantur in horto.

Sed, iterum dicam, quænam eſt cauſſa tantæ triſtitiæ? Quod objectum adeo funeſtum occurrere poterat menti ejus, ut ex oculis ejus ſanguineas exprimeret lacrymas, eumque in adeo miſerum ſtatum redigeret? Non alia cauſſa, fideles, inquirenda eſt præter ſcelera noſtra: *Poſuit in eo iniquitatem omnium.* Propheta teſtatur. Poſuit Deus in illo omnia omnium peccata; Salvator ſe pro nobis vadimonium conſtituit, & licet ipſe nullum fecerit peccatum, immo neque facere potuerit, ſe tamen omnibus obrutum videt; ita ut ſecundum Apoſtoli verbum, factus fuerit ipſe peccatum, & reſpicit ſe ſicut victimam, in quam omnia devolvenda ſunt maledicta, quæ homines meruerunt. Ceterum novit ille infinitum odium, quo Deus peccatum execratur, ſcit, quouſque divina majeſtas contumeliis afficiatur; ardet zelo reparandi gloriam, quam peccatum illi eripuit; ob oculos ejus verſatur terribilis multitudo ſcelerum, quæ patrata fuerunt poſt parentis noſtri inobedientiam, uſque ad noviſſimum, quod in fine ſæculorum patrabitur; omnem eorum nequitiam ſcrutatur, & enormitatem; omnes diſtinguit differentias, & cognoſcit magnitudinem ſatisfactionis, quam divina exigit juſtitia; & videt ſe unum eſſe, qui illam valeat adimplere. Scit tandem peccatum deleri, & expiari non poſſe ſine dolore; magnitudinem, & amaritudinem doloris rationem habere debere ad noxarum multitudinem, & enormitatem. Heu! cum hæc omnia illi eſſent perſpecta, quem in eo dolorem peperit horribilis omnium peccatorum noſtrorum hypotipoſis? Quam triſtitiam videre infinitam majeſtatem ita indigniſſime a vilibus creaturis laceſſitam! Non miror, dolorem, mœroremque hunc parem fuiſſe inferendo mortem illi, niſi ille vitam aliis torquendam cruciatibus reſervare voluiſſet. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta in tomo primo Myſteriorum.*

Quantum ſcelerum noſtrorum adſpectus mundi Salvatorem afflixerit, & quem inde dolorem concepit. Iſaiæ 53.

Graviſſimus dolor, quo Dei Filius in horto Olivarum obrutus fuit, ille extitit, quod vidit ſe teterrima quæque tormenta pro ingratis ſubiturum, quin nullum eſſent ex paſſionibus ſuis fructum percepturi. Hæc ipſiſſima fuit cauſſa tædii, & anguſtiæ cordis ſui, de qua loquitur Evangelium: *cæpit tædere.* Sed quantum dolorem attulit illi iſta cogitatio, quæ omnem illi auferebat conſolationem, & lenimentum, quod percipere poterat ex adſpectu mortis, & paſſionis ſuæ! Pro ingratis pati! tot tantoſque dolores perferre, & modicum fructum referre! Quantumvis amarum ſit pharmacum, ſuperatur illius hauriendi repugnantia ſpe ſalutis ex eo percipiendæ; ſed pati ſine ulla ſpe, & ſine fructu? hic ille eſt calix amarus, quem deprecatur: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte;* mihique perſuadeo in perfecta obedientia, qua voluntatem ſuam ſubdidit Patris ſui voluntati; hanc potiſſimam extitiſſe cauſſam repugnantiæ. Pro nihilo habet horrentem hunc omnium ſuppliciorum apparatum, quem ſua illi repræſentat imaginatio. Non ita, Pater mi, non querar de ſententia tua; alacriter videbo ſanguinem meum e venis meis effluentem; hilari animo amplector crucem, in qua me ſpiritum dare jubes; creata omnia, ſi vis, ad cruciatus mihi inferendos conjurent, modo paſſiones meæ non ſint inutiles illis, pro quibus illas offero; lubentiſſime. Hoc tamen fiet in pleriſque mortalibus; quamvis unica ſanguinis mei gutta ſit par, ut mundum univerſum ſalvum faciat. Heu! Crudelis hæc illum torquet cogitatio. Calicem hunc adeo amarum cogitur exhaurire. *Idem in alloquiis de Paſſione.*

J. C. maxime doluit videns ſanguinē, mortemque ſuam pleriſque hominibus inutilem futuram.

Videre mihi videor Salvatorem in horto, veluti in theatro, ex quo univerſum proſpicit terrarum orbem, potiſ-

Quæritur J. C. de inutilitate sanguinis sui pro illis qui nihilominus peribunt. Psalm. 29. Psalm. 21.

potissimum vero reprobos, quibus profuturus non est sanguis pro illis effusus, & ad hujus sanguinis adspectum replere cælum his amarissimis questubus. *Quæ utilitas in sanguine meo! Sicut aqua effusus sum.* Heu! Sanguinem fundo sine fructu. Hic velut aqua funditur, cujus nihil restat, neque vestigium, neque odor; minima sanguinis hujus gutta satis esset ad eos salvos faciendos, & illis nihil est profuturus. Heu! Opus ne est, ut homines intereant, cum mortem subiturus sum, ut eos salvos faciam? Opus ne est, ut passiones meæ, & mors mea funestæ sint, & ego siam filiis meis petra scandali! Heu, Pater, non dico ista, ut conquerar de justitia tua; paratus sum ut sexcentas mortes patiar, totidemque crucibus suffigar, quot mihi arbores circumstant: non piget me sanguinem effundere; libenter enim pro gloria tua torrentes effunderem; sed videre illud inutiliter fundi, cum tanti sit pretii, hoc nihil mihi tristius, & acerbius est? Quid sarciet vitæ meæ detrimentum, quid effusionem sanguinis mei, quid tot dolores meos, atque supplicia? Quid erit exigua mortalium manus, cum tot decies centena animarum millia interitura sunt? Ita sane dolore confectus exclamat: *Transeat a me calix iste.* Averte calicem hunc a me; etenim hoc vere illi amarissimum reddit, & quamvis de cælo descendat Angelus illum consolaturus, qui proponit illi omnia argumenta, quæ pœnas illius possunt mulcere, nihil satis valet illi solatium afferre, cum tantum hoc malum versetur ob oculos ejus. Quapropter nihil illi faciendum supereſt, quam adorare supremam Patris sui voluntatem, se illi subjicere, ac se illi mancipare; ita ut facie in terram prostratus, eo in habitu, qui ad iram Patris flectendam unus omnium aptissimus est, subdat se divinæ voluntati, quam inexorabilem conspicit, & quæ præcipit illi ut bibat calicem hunc, ad cujus adspectum contremiscit cor ejus, sentitque pugnam, quam cient in ipso varii motus appetitus, atque rationis. *Idem in sermone Passionis in Quadragesima.*

Nihil acerbius fuit Salvatori, quam cogitatio modici fructus, quem homines plerique percepturi erant ex passione sua.

Tandem Salvatoris tormenta illi graviora fuerunt propter illorum crudelitatem, quam propter inutilitatem: nam hæc supplicia, quæ ob oculos ejus versabantur, quamquam crudelia ipsi viderentur, suavia extitissent, si per illa mundum universum se salvaturum credidisset. Hæ spinæ, hi clavi, crux hæc omnem exuissent severitatem, immo etiam suavitatem quamdam induissent, si credidisset se permovere posse cor nostrum, certam facere nostram salutem, nos ad suam pertrahere servitutem. Sed ubi cogitat minimam Sanguinis sui guttam satis esse ad decies centena Mundorum millia redimenda; & per totius sanguinis sui effusionem, nonnisi minorem Mundi hujus partem salvatum iri; neque flecti posse duritiem cordis nostri, neque se amorem nostrum demereri, neque salutem nostram procurare posse: hic ille calix est, quem a se transire desiderat. Me miserum! Itane cæcus, & ingratus ero, ut Salvatori meo tantum dolorem inferam, in caput meum tantam detrahens calamitatem? *Pater Mepveu in Christianis considerationibus, Tomo secundo.*

Ejusdem argumenti.

Non ignorabat Jesus, quem exitum esset habitura passio sua; sciebat eam inutilem futuram plerisque mortalium, qui per ingrati animi vitium nullum inde fructum erant percepturi. Hoc ejus repugnantiam instaurat; hoc illi incredibilem infert dolorem; hoc efficit, ut ipsum pœniteat se tot tantisque periculis subjecisse, ut adeo paucos salvos faceret: *Quæ utilitas in sanguine meo!* Heu! ajebat ille, cur in nullam utilitatem tantum sanguinis est effundendum? Quis inde proficiet? de quo bene merebor? postquam passus fuero flagella, spinas, crucem, & quidquid inimicorum meorum odium excogitare potest, quis inde proficiet ad salutem suam? Molestum est multa pati, ac nullum inde fructum percipere; sed molestius est intueri dolorem, quem pro aliis sustines, quin illi cedat in utilitatem, eidem cadere in perniciem. Hoc angit cor Salvatoris Mundi, & illud replet amaritudine: Scit mortem suam futuram esse omnimodum Judæorum excidium, & causam reprobationis eorum, quam nonnisi extremo cum dolore intueri potest, non secus ac interitum Christianorum, in quos severissime animadvertetur, eo quod tanto abusi fuerint remedio: quia quin ex tam insigni gratia proficiant per nequitiam, eam sibi in æternæ damnationis causſam convertunt. Profecto si quid illi esse posset solatio eo in statu, ad quem redactus est; hæc esset cogitatio fructus, quem sanguis, & mors sua allaturi essent mundo: sed ubi prævidet ingratitudinem plerorumque mortalium, & sanguinem suum sine illorum utilitate effundendum esse; Judæos in cæcitate sua permansuros, tot idolorum cultores, & Ethnicos in infidelitate sua perduraturos, atque tot peccatores in nullam reditus spem perituros, quamvis suum ille pro ipsis sanguinem fuderit: hæc cogitatio illum summo dolore conficit, eique incomprehensibilem parit tristitiam. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

Idem sequitur argumentum.

Nunquam prospectus passionis suæ, si solus extitisset, JESUM dolore afficere potuisset: sed quod efficit crudelem tormentorum suorum circumstantiam, & ipsis cruciatibus crudeliorem, hoc est, ea videlicet plurimis inutilia futura. Si certo sciret passione sua mundum universum salvum factum iri; si sperare posset, potiorem saltem illius partem inde profecturam; ah! tormenta illi essent jucunda; flagella, clavi, spinæ, violentiæ vestræ partem amitteretis, non secus ac nomen suppliciorum: sed cum mortem subire debeat pro ingratis; cum sanguinem suum effundere debeat, quo sexcentos terrarum orbes redimere posset; & nihilominus sciat se quam paucissimis esse profuturum: o quam tristis hæc est cogitatio Deo, jamjam pro mortalium omnium salute moriturо! Videt simul omnes reprobos, quibus nihil proderit sanguis, quem propter illos effusurus est, ideoque efficit, ut totus Olivarum hortus flebilibus hisce questubus personet: *Ergo in vacuum laboravi, & vane fortitudinem meam consumpsi.* Heu! Pater! Non pœnitet me sanguinis mei; libenter pro gloria tua torrentes effunderem: Sed pro quibus me mori vis? Pro idololatris: & unusquisque ex illis salvabitur? Heu! ne unus quidem. Moriar pro populo meo? sed ex eo quot salvabuntur? paucissimi, in pernicie sua indurabuntur. Moriar igitur pro Christianis; verum scio, plures vocatum iri, paucos electum. En igitur modicus mearum passionum fructus; *ergo in vacuum laboravi.* Verum esto; si nihil præterea, mors mea illis tantum esset inutilis: sed hæc erit occasio, ut peccatores nocentiores evadant, & reprobi calamitosiores. Hoc vulnus est, quo cor meum contabescit; video quippe me coactum iri, ut sanguinis mei ultionem reposcam, & judex fiam eorum, quos salvos facere volo. *Bivoat in Quadragesima in sermone pro feria 6. in Parasceve.*

quod aliter effertur.

Isaiæ 49.

De Angelo misso ad J. C. consolandum.

Deus Angelum mittit, qui Salvatorem in agone laborantem consoletur, eique eas proponat rationes, quæ illius pœnas lenire possent. Dixit etiam, si passio illius esset pro nonnullis inutilis futura, aliorum tamen saluti futuram perutilem. Sed cur opus Angelo, ut JESUM consoletur? Nos melius, quam omnes simul Angeli consolari possumus; peccator enim melius Angelis potest. Major Salvatoris consolatio est efficere, ut mors illius non careat effectu. Angeli id nunquam præstare poterunt, *non enim propter illos* est mortuus. *A vobis, Christiani, expectat ille primi hujus sanguinis fructum; a vobis in passione sua quærit solatium. Heu! nonne satis est peccatorum in terris, qui ejus sanguinem polluant?* nonne satis reprobrorum in inferis est, qui sanguinem ejus fecerint inutilem? Volumus ne adhuc augere dolores illius criminibus nostris, & nostra reprobatione? Volumus ne persistere? Non ita; ineamus ergo consilium cooperandi cum sanguine Salvatoris; ut si ceteris inutilis fuerit, nobis saltem sit profuturus? *Idem.*

Quomodo J. C. confusus, & humiliatus fuit, videns se hominum peccatis oneratum.

Propterea quod Dei Filius subire dignatus est onus peccatorum nostrorum pro illis satisfacturus, justus hic, qui peccatum non noverat, vidit se obrutum criminibus omnium gentium, omnium seculorum, omniumque statuum, & conditionum. Utique; omnia sacrilegia, quæ erant committenda, & quæ per infinitam præscientiam suam singillatim omnia prænoverat, omnes blasphemiæ, quæ in Cælum erant evomendæ, abominationes omnes, quæ rubore terram universam erant suffusuræ; omnia scandala, quæ in orbe universo erant proditura, omnia monstra, quæ infernus producturus erat, & quorum homines potius auctores erant futuri, catervatim confluxerunt, ut illum affligerent, eumque torquerent. *Quis hoc docet?* ille ipse, solus testis & solus judex eorum, quæ passus est in terribili agone; *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Nam juxta S. Augustini interpretationem, de JESU CHRISTI persona verba hæc sunt intelligenda. Igitur funestum illud momentum respiciens Jeremias tamquam Propheta jure dixit de JESU: *Magna est sicut mare contritio tua.* Ah! Domine dolor tuus est tamquam pelagus immensum, cujus ima pars investigari non potest, neque immensitas dimetiri. Ut hoc mare intumesceret, omnia hominum peccata, ut loquitur Scriptura, fluminum instar ingressa sunt in animam Filii Dei; hoc enim pertinet ad passionem illius, & ad excessum tristitiæ: *Salvum me fac Deus; quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Cum hoc tamen discrimine, quod fluvii intrantes in mare, sese confundunt, & pereunt, ita ut alter ab altero secerni minime possit; hic tamen econtra, videlicet in hoc peccatorum abysso, & in hoc pelago contritionis, quo Salvatoris anima mersa fuit, ille sine ulla confusione, atque mixtione distinxit detractiones, & calumnias, impudicitias, & adulteria, simonias, & usuras, proditiones, atque vindictas. Sibi ille repræsentavit cum toto divinæ penetrationis acumine, impetus superborum, & ambitiosorum: libidines procacium, atque voluptatibus deditorum; atheorum, & flagitiosorum impietates; calumnias, & nequitias hypocritarum. Mirum ne est, si hæc omnia, secundum Spiritus Sancti metaphoram, efformarint diluvium aquarum in anima beata; & si in angustia cordis ejusdem,

Psalm. 17.

Thren. 2.

Psalm. 68.

atque

atque tristitia, quam peperit in ea Dei zelus, & caritas erga nos, hoc aquæ diluvium subsecutus fuerit sanguinis sudor? *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis. Pater Bourdalove in Mysteriis sermone primo de Passione.*

Quomodo ad exemplum Salvatoris in horto Olivarum peccatum detestari debeamus.

Ingrediamur hodie in conscientiarum nostrarum penetralia, & secundum exemplar, quod nobis proponit Deus: videamus utrum in exercitatione Christianæ pœnitentiæ ita simus affecti, ut opus est ad valorem illius. Siccine peccatum consideramus? Ullum ne illius horrorem concipimus? amittimus ne animæ tranquillitatem? Nunquid non agitamur, non desolamur? Peccatum juxta ideam, quam concipimus, est ne nobis supplicium, ut JESU CHRISTO? Illud timemus ne, ut JESUS CHRISTUS, magis quam omnia Mundi mala? Redigit ne nos suis stimulis, ut JESUM CHRISTUM ad quamdam agoniæ speciem? Heu! S. Chrysostomus comparatione hac excitatus exclamat: Ecce magnum illud malum, quod nobismet ipsis exprobrare debemus, & pro quo super nosmet ipsos æternum plorare deberemus. Ad adspectum criminum nostrorum turbatur Deus; nos vero tranquilli sumus: Deus dolet, nos vero consolamur: Deus humiliatur, nos autem erectis cervicibus incedimus: Deus sudat usque ad sanguinis effusionem; nos autem ne lacrymam quidem fundimus: hoc nobis terrorem debet incutere. Peccamus; & qui tristari deberemus usque ad mortem, illudimus, fortasse etiam post peccatum, Dei nostri justitiæ, & providentiæ. Hinc fallax illa pax, prorsus opposita agoniæ JESU CHRISTI, pax qua fruimur in deterrimo statu, qualis est status peccati: hinc inanis illa confidentia adeo opposita sanctis pavoribus JESU CHRISTI, confidentia præsumptione referta, quæ nos securos facit, ubi hic homo-Deus trepidavit; quæ spem nostram fovet, ubi ille credidit nobis omnia esse metuenda. Hinc illa peccatoris audacia, & si hoc mihi uti licet vocabulo, hæc impudentia, quæ nullam ob caussam verecundatur; & quæ monstro similis videtur, ubi cum JESU CHRISTI confusione confertur. *Idem.*

Timor naturalis, qui Salvatorem aggressus est, invuentem terribilia tormenta; quibus erat afficiendus.

JESUS CHRISTUS cogitans tormenta, quæ passurus erat, mortali captus timore corruit in terram, contremiscit, fremit. Divina justitia, cujus omnem in se convertit severitatem subiens onus peccatorum omnium, exhibet illi imaginem suppliciorum omnium, quæ illi erant perferenda. Divina Justitia, quam severæ sunt leges tuæ! Heu! cum nocens rapitur ad supplicium, illi supplicii sui instrumenta abscondunturi oculi ejus velantur; pro viribus ab illius spiritu tormenti sui cogitatio amovetur; satis est illum reipsa mori semel, quin pluries mortis adspectu enecetur. Sed leges hæ quæ nocentibus ipsis favent, innocenti JESU CHRISTO non suffragantur. Primum & maximum suppliciorum ejus est, illa per otium intueri, eaque sibi fingere omni cum Spiritus sui vi, & imaginationis suæ actuositate. Tunc videt simul Judæorum rabiem, & invidiam, Scribarum conjurationem, Judæ perfidiam, furorem carnificum, opprobria, irrisiones, contemptus inimicorum suorum; sentit caput sibi spinis terebrari, corpus suum flagellis sævissimis cædi, & iis laniari instrumentis, quæ carnificum sævitia nondum excogitaverat, & in hoc interiori tormento, quo timor suus illum excruciat, in singula momenta animam efflaturus videtur, & re ipsa in hoc horto mortuus esset, nisi divina virtus illum sustinuisset, ut crudelioribus pœnis afficiendus reservaretur. *Excerptum ex Specieminibus Sermonum pro Quadragesima, Tomo tertio, argumento primo de Passione.*

De cruento sudore, qui manavit ex omnibus membris Salvatoris.

Judicium ferte de dolore, ac desolatione, quam passus est JESUS CHRISTUS in horto ex conatu, & impressione quam fecerunt violenti affectus illi, quibus ultro se ipsum tradidit. Etenim, Christiani, postquam fuit agitatus, ac violente oppugnatus a quolibet singillatim; omnes simul collecti impetum faciunt, & per contrarios motus suos, atque conflictus excitant in eo agoniæ speciem, atque lethiferam convulsionem, ut ex omnibus sacris membris illius manet sudor cruentus: *Factus est sudor ejus tamquam* Lucæ 22. *guttæ sanguinis decurrentis in terram.* O spectaculum, o dolor, o extrema desolatio! Caritas ardens fons est, unde fluunt hi Sanguinis rivi, qui permeant vestimenta sua, & irrigant terram, in corde illius Sanguis hic calefactus, & æstuans quodammodo sese extrinsecus per grumos effundit. Divinum Salvatorem considero suo madefactum Sanguine, dejectum, facie in terram prostratum, nocentis habitu, divinæ justitiæ flagellis percussum: fluunt ex ejus oculis lacrymæ; suspiria per intervalla erumpunt ex ore; singultus, quibus cor illius coarctatur, jugulant voces ejus, & verba; & perinde ac hæc omnia nondum exprimerent doloris vehementiam, sanguineas fundit lacrymas super nostras miserias potiusquam super tristem statum, ac duram necessitatem, ad quam se videt redactum. Admirabilis effectus doloris, quo anima ejus afflictatur: Unus erat Deus, qui ad hunc usque excessum pervenire posset, sed nemo unquam exæquavit Caritatem ejus, quam Apostolus *nimiam* appellat. *Propter nimiam caritatem suam.* Nam postquam mira- Ephes. 2. culum intus operatus est, ut se affligeret, & in beata anima sua vivum dolorem perciperet, alterum palam operatus est, ut omnes homines incomprehensibilem caritatis ejusdem excessum intelligerent. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, in alloquis de Passione.*

Brevis repetitio eorum, quæ in horto passus est J. C.

Vix Dei Filius parum recessit in horto (quamvis in anima sua non alios experiretur affectus, quam quos ipse ibi excitabat) cum propter amorem nostri voluit seipsum tradere effectibus crudelissimis, & vehementissimis, & sicuti venerat omnia mortalium peccata expiaturus; incipit passionem suam ab internis doloribus, & a cordis supplicio. Turba objectorum tristissimorum, atque teterrimorum sese exhibet imaginationi suæ, efficitque, ut in antecessum universam sentiat passionem suam. Ad vivum sibi repræsentat, qua cum ignominia trahendus sit per vias Jerusalem, tamquam calumniator, sputis deformatus, flagellis cæsus, spinis coronatus, tamquam scelestissimorum omnium antesignanus; denique cruci suffixus tamquam humani generis opprobrium, & plebis abjectio. Imago adeo horrens ullam ne facere debuit impressionem in animo, & corde hominis-Dei? O quantum illi dolorem attulit ista cognitio! Profecto excessus pœnarum interiorum suarum tantus est, ut illum nequeat dissimulare, eumque suis Apostolis significet. Patior, inquit illis; obruor tristitia; hæc mihi vitam potest eripere. Apostoli mei nimio stupore capti sunt, nec illam percipere valent, hæc Apostolorum incuria, sensusque carentia, exiguum ne fuit JESU CHRISTO supplicium? Revertitur in locum orationis suæ, & fervorem ingeminans, suas pœnas instaurat. Nihil fallit mentem ejus, & cor. Colligit in imaginatione sua omnia tormenta, omnes passionis suæ circumstantias; omnem penetrat illius rigorem, per otium omnem illius sentit amaritudinem. Pavor apprehendit illum, eumque ita opprimit, ut deficiat. Quod vero dolorem ejus magis exasperat, est prævia cognitione videre sacrilegum abusum, quem facturi sunt tot peccatores, gratiarum, quas illis Sanguine suo meriturus est. Salvos vult facere omnes homines; & horum plerique interibunt; acceptat omnia tormenta sua, & mortem ipsam turpissimam propter peccatorum nostrorum expiationem; & mundus replebitur peccatoribus; moritur pro populo, & infelix iste populus ex *illius* morte non proficiet. Cum tristibus hisce cogitationibus conflictaretur, quinam erant motus cordis illius? Dolor nimius est, & turba, ac mœror ejus augetur, mortale tædium illum dejicit, atque prosternit. Ita Salvator amabilis interioribus pœnis reparans cordis nostri rebelliones, violentis sese tradit certaminibus, ultro privat se iis rebus omnibus, quæ lenire potuissent dolorem suum, & redigitur ad quamdam agoniæ speciem, quam miraculi virtus prohibet, ne sit vera mors. In hoc misero statu vere se præbet *virum dolorum*; corruit in terram facie lacrymis manante, & in hoc supplicis habitu fundit illam Orationem, quæ in Evangelio refertur: *Pater, si possibile* Matth. 26. *est, transeat a me calix iste.* Cum divinus Salvator tertio orationem hanc instaurasset, & cum terror percrebresceret, dereliquit tandem animam, & corpus suum violentissimis affectibus; ita ut timor, atque extrema tristitia naturali effectu collegerit circum cor Sanguinem illius; sed amor, & ardens salutis nostræ desiderium cum repulisset illum, atque in corpus omne effudisset, factus est sudor tanta in copia, ut eodem terra irrigaretur. *Pater Croiset in Recessu Spirituali Tomo primo.*

De Oratione quam J. C. in agonia fudit.

Cogitemus, Fideles, modum, quo Dei Filius se gessit in hac agonia. Primum illud, quod testatur Evangelium, est, ipsum dum maxime tristitia, ac doloribus conficeretur confugisse ad orationem, illam iteravisse, & in eadem ferventius perseveravisse: *Factus in agonia prolixius orabat.* Procul abest ab hominum imitatione, qui cum adversis jactantur, primum consanguineorum suorum opem inquirunt, & amicorum subsidia, & aliquam in rebus creatis consolationem invenire conantur; quæ ubi defecerint omnia, confugiunt ad Deum tamquam extremum malorum omnium remedium, & novissimam spem, quam illis reliquam fecerit fortuna. Proh Christiani! longe aliud exemplum nobis Dei Filius relinquit: *Factus in agonia prolixius orabat.* In extrema angustia, ad quam illum suus mœror adegerat, in oratione perseverat. Quod omnibus malis nostris solatium, quod consolationis argumentum in omnibus quæ nobis ingerunt calamitatibus inveniemus, si ad Orationem confugerimus? Ita sane, horæ unius quadrans ad crucifixi pedes plus veræ consolationis nobis afferret, quam simul omnia creata. Nemo est, cui frequentia non adsint dolendi argumenta, & in hac vita conquerendi: adversi casus, repentina infortunia, occasiones perferendi, in singula occurrunt momenta: sed quotusquisque consolationem suam quærit in uno Deo, qui illius verus est fons, & qui unus omnem cordis amaritudinem cælesti quadam suavi-

ſuavitate poteſt adſpergere? Qui enim fulcire poteſt animam adverſis jactatam, niſi qui illam creavit? Hominum conſolationes, inquit Sanctus neſcio quis, ſimiles ſunt rivulis exilibus ad breve tempus ſuper terram fluentibus, ad quos remorandos, eorumque curſum avertendum minimus ſufficit obex; & ſi obicem in via reperiunt, ſtatim exſiccantur, & exarescunt, vel ſtatim diſſipantur; ſed conſolationes, quæ proficiſcuntur a Deo, Regio Pſalte vocantur torrens ex alto decurrens, quem nihil prohibere poteſt ne late ſe effundat: *Torrente voluptatis potabis eos*. Verum dicamus potius, conſolationem, quæ a Deo eſt, hinc quidem uſque ad cordis penetralia pertingere, omnemque illius captum replere, inde vero uſque in æternam vitam reſilire per ſpem illius beatitudinis, cujus pignus eſt. Oratio vero organum eſt, quod efficit, ut illuc aſcendat; cum enim Oratio non aliud ſit, quam elevatio cordis in Deum fontem verorum bonorum, nihil efficit, ut celerius, & fidentius confugiamus ad illum, niſi dolor, qui illuc corda noſtra, noſtroſque gemitus attollit. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Chriſtiana Argumenta.*

Pſalm. 35.

Obedientia qua Salvator Paternæ voluntati aſſenſus eſt in petitione, qua rogavit, ut a ſe tranſiret calix paſſionis. Lucæ 22.

Salvatorem quoque imitari debemus in obedientia, quam in agonia poſitus præſtitit voluntati Patris ſui, & quam teneris illis, humilibuſque verbis comprehendit: *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Heu! Pater, quamvis doloris pondere obrutus ſim, & ſecundum naturæ ſenſus te deprecer, ut amoveas a me amarum hunc paſſionum mearum calicem; *verumtamen* noli rationem habere iis, quæ natura perturbata, & quæ doloris ponderę ſuperari videtur, tibi repræſentat; ſed ſanctæ, divinæque tuæ voluntati. Adorabilis Dei voluntas, quam valida es ratio, quæ nos cogit bibere calicem Salvatoris, quamvis repugnemus, & vereamur? Eſt enim edictum Cæleſte cujus oportet Prædeſtinatos omnes eſſe participes. Itaque Chriſtiani in calamitatibus noſtris, graviſſimiſque doloribus, opus eſt, ut nobiſmet proponamus Salvatorem in agonia ſanguineo madentem ſudore, qui ex omnibus ſacrati corporis ſui membris manat; & dum exhibet nobis propria manu ſua calicem hunc, dicentem: Anima Chriſtiana, quam ſanguinis mei pretio redempturus ſum, & pro qua jam tantum effudi; cum videas me ex Patris mei dextera recipientem hunc amaritudinis calicem, unicam illius guttam *haurire negabis? hunc igitur exhibeo tibi eadem manu*, qua illum accepi. *Ne inſimules* fortunam, vel inimicorum ruorum improbitatem, vel malam hujus, vel illius voluntatem; mihi uni ſuccenſere debes, mihi qui omnia ad tuam utilitatem diſpono, & qui facio ut omnia in Electorum meorum commodum cedant. Hæc gutta eſt calicis mei, quam Pater meus exhibet tibi, poſtquam juſſu illius primus totum calicem epotavi: ſed in primis intellige, cum illam tibi exhibet Deus, hoc ſui erga te amoris eſſe argumentum: tecum enim agit eodem modo, quo mecum. Inhæret adhuc calici labiorum meorum veſtigium; & quod reſtat non aliud eſt, quam dulcedo, & deliciæ, cum jam ego amaritudinem omnem hauſerim, & deglutierim. Si rite, o Fideles, veritatem hanc eſſemus aſſecuti, non ne ſatis valeret, ut animo magno moleſtiſſimas quaslibet hujus vitæ calamitates acceptaremus? *Idem.*

Si Mundi Salvatorem imitari debemus in ea ratione, qua ſe geſſit in agone ſuo, & in ſignis infirmitatis, quæ nobis reliquit, non minus illum ſequi debemus tamquam exemplum in ea fortitudine, & conſtantia, quam ſtatim præſetulit: mutans enim repente agendi rationem, & humanarum infirmitatum oblitus induit Dei fortitudinem, animos addit Diſcipulis ſuis, & ultro ſit obviam inimicis. *Surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet*. Videte ergo quomodo cor ſuum triſtitia confectum, metu perculſum, operis difficultate perterritum recentem animum induit, ut ſtatim occurrat iis omnibus, quæ paullo ante trepidationem illi injicere potuerunt. Hoc facto ſatis oſtendit, ſenſus illos pavoris, fugæ, horroris, & tædii, quibus cor illius æſtuabat, motus dumtaxat fuiſſe appetitus, qui non a ratione, neque a voluntate proficiſcuntur: cum econtra, deſiderium, quo modo ad mortem obeundam pro hominum ſalute ducitur, voluntas eſt firma, conſtans, & abſoluta; certum conſilium, a quo omnes mortis dolores illum deterrere non valuerunt. Heu! Chriſtiani, agnoſco hic hominis ingenium, & infirmitatem. Ubi aliquid aggrediendum eſt propter Deum, pro illius gloria, & ſervitio, ſexcentas nanciſcimur difficultates, repugnantias, tædia, propter quæ animum deſpondemus: ſin autem cupimus bonum, illud imperfectis deſideriis, & imperfecta, ac dimidiata voluntate cupimus, quæ efficit, ut incipiamus, & ſimul fere ſanctiſſima conſilia deſeramus; cum econtra de re noſtra agitur; ardenter eam procuramus, obices omnes infringimus, omneſque ſæpe officii noſtri conſiderationes negligimus. Argumentum apertiſſimum modici amoris, quo diligimus Deum, & tenuis deſiderii, quo verum bonum noſtrum conſectamur. *Idem.*

Robur, & fortitudinem, quam J. C. in hoc eodem Horto præſetulit, ubi tot dederat ſigna infirmitatis.

Præcipuus fructus, quem ex Salvatoris exemplo recipere debemus in mortali hac agonia; & ſenſus magis conformis ſenſui cordis ejus triſtiſſimi, dolor eſt, quem concipere debemus intuiti *ſcelera noſtra*, quæ tunc erant præſentia menti illius. *Ut ſatis* acres contritionis motus conciperemus, opus eſſet intellexiſſe magnitudinem mali, quod nobis attulerunt: tunc enim *lacrymæ noſtræ non exarescerent*, & per oculos noſtros *ſanguis totus deplueret*. Sed heu! in propria infelicitate *cæci*, & omni ſenſu carentes iis in vulneribus, quæ peccatum nobis infligit, tranquilli ſumus in malo, quod tot lacrymas elicit ex oculis Salvatoris, & totum ex illius venis ſanguinem exprimit. Ex hoc loco peccatum conſiderare debemus, ut horrorem, & dolorem, quem meretur, concipiamus. Deinde vero ad ea delenda, quæ patravimus, miſcendæ ſunt lacrymæ noſtræ cum lacrymis JESU CHRISTI, & dolor noſter cum ſuo. Deteſtari debemus cauſſam, quæ tantam illi peperit acerbitatem, & odiſſe, quod fuit objectum odii, & execrationis illius. Hoc dolore, & hac pœnitentia læſi numinis, ſolatium aliquod afferemus triſtitiæ, quam cauſſa noſtra ſuſtinuit, & ſperare poſſumus futurum, ut participes fiamus ejus gaudii, & felicitatis, quam nobis promeruit. *Idem.*

Salvatorem in agoniam poſitum intuiti peccata noſtra debemus perhorreſcere.



PASSIONIS FILII DEI CONTINUATIO.

Proditio Judæ, & Salvatoris captura in Horto Olivarum.

MONITUM.

POstquam Mundi Salvator perfecta cum submissione de Patris sui manu Passionis calicem acceptavit, illum mox accepit de manu inimicorum suorum. Judas unus de duodecim Apostolis constituit se ducem satellitum, qui missi erant a Pontificibus, & Sacerdotibus Legis, ut hunc Deum-hominem caperent. Discipulus Apostata ubi sacrilegum iniit consilium perdendi Magistrum suum, illos adiit, qui in ejus excidium conjuraverant, & pactus est se illum in manibus traditurum, si constitutam argenti vim sibi persolverent. Oblatione hac alacriter accepta a JESU CHRISTI inimicis, Judas sceleris caput præpositus fuit turbæ servorum, & collectitiæ genti, quæ armata erat gladiis, & fustibus, si forte cum suis JESUS resisteret, nec non facibus, & lampadibus munita, si forte latibula quæreret, ac tenebrarum beneficio fugam vellet arripere. Judas ergo cum hoc comitatu egressus urbe, sciens Salvatorem vespere solere in Hortum Gethsemani se conferre ad noctem ibi in precibus traducendam, censuit non aliud aptius esse posse tempus, aut locum, ut scelus sibi cederet e sententia. Sed timendum erat, ne plures ex suis JESUM CHRISTUM non cognoscerent, & ne illi ipsi, quibus cognitus erat tenebris deciperentur. Hac de caussa proditor aliis præivit, cum socios præmonuisset illum ipsum, quem osculatus fuisset, capiendum esse, neque illi fugiendi locum esse permittendum.

En factum, quod constituit non negligendam Passionis circumstantiam, de quo qui unico Sermone universam Passionis historiam complectuntur, aliquas proponere consideraciones consueverunt: qui vero illam in plures sermones, vel meditationes partiuntur, quod in pluribus accidit Ecclesiis, uberem invenient suppellectilis copiam, ut se latius proferant. Non censui, mihi seorsim afferendos esse Scripturarum, Patrumque locos, ac Theologorum sententias; quia hæc omnia invenientur in solo Paragrapho de Locis delectis Asceticorum, & recentiorum Concionatorum, *ad brevius tractandum ingens hoc argumentum de Passione, quod unum spissum volumen impleret, si fusius, ut alia argumenta, pertractaretur.*

PRODITIO JUDÆ.

CUM Judas ea præcavisset, de quibus locuti sumus, ad Salvatorem accessit, cumque dixisset illi: *Ave Rabbi, osculatus est eum.* Discipule infelix, S. Chrysostomus exclamat; quæ sunt consilia tua, quod signum constituis, ut tradas Magistrum tuum? Videtur quidem Dei Filius osculum hoc perhorruisse; sed non sine suæ providentiæ consilio passus est, ut primum, quod ab inimicis reciperet vulnus, sibi inferretur a proditore; ut sicut naturaliter proditionem horrescimus; & gravior nobis videtur contumelia, quæ ab amicissimo infertur, nos docet, se nulla re magis dolere, quam peccatis nostris, quæ vere sunt proditiones; postquam illius gratia effecti sumus usque ad dignitatem amicorum, & filiorum suorum. Quamobrem queritur per Prophetam. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero unanimis, & notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos.* Si tantam mihi contumeliam intulisset inimicus, illum excusarem; sed tu qui eras unus ex carissimis meis, cum quibus eram cor unum, & anima una; hic meus dolor est, & æquissimum questus mei argumentum. *Abbas de Monmorel, & Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

Chrysostom. homil. 48. in Matth.

Psalm. 54.

Judæ proditio gravissimum intulit dolorem Filio Dei, sive spectemus proditoris personam, qui elevatus fuerat ad Apostolatum, atque inter Discipulos recensitus, sive pretium proditionis, pro quo infelix hic illum sævissimis venumdedit inimicis; sive demum modum, quo proditor abominabile executus est consilium suum; quæ circumstantiæ augent injuriam ita, ut habenda non sit inter minores, quibus in passione sua affectus fuit JESUS CHRISTUS. Quod pertinet ad Judam heu! quinam adeo sublimis status est, & adeo solida virtus, quæ vereri non debeat inconstantiam, & nostræ voluntatis nequitiam? Proditor unus est Apostolorum Filii Dei, Discipulus Magistri, ac Domini universorum, testis miraculorum ejus, homo destinatus ad populos convertendos, futurus unus ex fundamentis Ecclesiæ; unus denique eorum, cum quibus dignatus erat JESUS partiri gloriam, atque labores missionis suæ. Utique Discipulus hic, atque Apostolus, se constituit caput persecutorum Filii Dei. Ejus impudentia, & perfidia illum satellitio præficiunt, eique primas tribuunt in perficiendo opere, quo non aliud unquam extitit detestabilius; ut loquitur S. Leo; *Privilegio perfidiæ obtinet in facinore principatum.* Quod si verum est, quemadmodum ambigendum non est peccata hominum gravissimum intulisse dolorem Filio Dei, qui non passus, neque mortuus est, nisi ut illa expiaret; semper verum erit asserere, Judæ scelus illi fuisse contumeliosissimum; etenim quamvis alia fuerint teterrima, nonnisi moraliter contulerant aliquid ad mortem Salvatoris, qui non cessasset vitam pro nobis impendere, quamvis non alia extitissent hominum peccata præter primum illud protoparentis. Sed Judæ crimen, re ipsa, & immediate peperit mortem hanc tragicam, atque crudelem tradens auctorem vitæ in manus inimicorum ejus, qui in Agnum hunc innocentem inauditas crudelitates exercuerunt. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, in alloquiis de Passione.*

Quantum dolorem attulerit Deo hæc Judæ proditio.

Serm. de Passione CHRISTI.

Si factum ad trutinam revoces miseri hujus proditoris scelus, tria continet illa, quæ consueverunt augere injuriæ alicujus improbitatem; videlicet, ingrati animi vitium, perfidiam, & animum sedatum. Ingratitudo summa est: etenim, ut supra notatum fuit, proditor hic tot, tantaque in se collata beneficia, maxima rependit injuria; & si ab eo quæras, quæ caussa illum ad indignissimam impulerit proditionem, vel quanam in re Salvator, qui de ceteris mortalibus semper meritus est per quam optime, ipsum privatim offenderit, obmutescat oportet, quamquam sibi fingere vellet speciosam aliquam caussam, propter quam crimini suo nomen, & ultionis fucum vellet allinere, quoniam ab hoc homine-Deo nonnisi beneficiis fuerat cumulatus. Accedit scelus perfidiæ, quod suum prodiderit Magistrum post diutinum necessitudinis commercium, & post plurima confidentiæ, familiaritatis, & singularia ultro citroque accepta, & reddita testimonia. Obliviscí dignitatis, officii, beneficiorum, ut prodat Magistrum, Salvatorem, & amicum in manibus inimicorum ejus, nonne hæc teterrima est perfidia? Adde his illum animo sedato, adfectata, & præmeditata nequitia hanc proditionem committere: nam oblitus se illius esse discipulum, quem proditurus erat, & recessisse a mensa, cui cum illo accubuerat, migrat in partes eorum, qui conjuraverant in perniciem Magistri sui, illos convenit, cum illis agit de pretio vitæ, & Sanguinis ejus; oculos claudit omnibus considerationibus, quæ efficiunt, ut alii in officio perseverent, sedatoque animo, deliberatoque consilio abrenunciat servitio illius, quem jure optimo credere debebat Dei Filium, postquam illum viderat tot operantem miracula. Hæc igitur præmeditata fuit proditio, quin ullam prætexere potuerit injuriam, qua a mitissimo, & suavissimo Domino fuerit unquam asfectus. Consilium hoc adeo execrabile nequaquam habitum fuit tamquam impetus iræ, vel ultionis: sed secretus dolor, quod se frustratum vidit pecunia, quam se percepturum putabat ex pretioso unguento, quod Magdalena super Salvatoris pedes effudit, & violentum desiderium jacturam hanc reparandi. *Idem.*

Crimen hoc complectitur quidquid injuriam aplificat, perfidiam, meramque nequitiam.

Mirum

Per occasionem sceleris Judæ consideramus eum, qui reliquit Deum in gravissima quælibet crimina labi posse.

Mirum non est, Apostolum, qui reliquit Deum, brevi in gravissima scelera lapsum fuisse; docet enim experientia, eos, qui, postquam illuminati sunt, fidei veritatem, & Evangelicæ vitæ perfectionem deseruerunt, ceteris esse nequiores. Ubi semel Domini jugum excusserunt, nullum servant modum, ac pertæsi fontis aquarum viventium, inexplebili aviditate sitiunt aquas lutulentas carnis, & mundi. Ita Judas postquam oculos clausit divino lumini, & aures verbis æternæ vitæ; postquam extinxit in corde suo amorem Dei, sese tradidit dæmoni, & intra horas paucas ex Apostolo JESU CHRISTI factus est dux illum ad necem quærentium. *Liber cui titulus: Passiones JESU CHRISTI, tempore passionis illius.*

Ejusdem argumenti.

Judas sublatus ad supremam Apostolatus dignitatem, gratiis, & miraculorum dono cumulatus, tandem fit dux inimicorum Dei, & ex hoc apice in profundum præceps ruit abyssum. Ad tanti hujus casus adspectum trepidate, ac de vobismetipsis diffidite, & cavete potissimum ne verbis vestris alios in peccatum pertrahatis. Sed nosmetipsos diligentius excutiamus, & videamus utrum fontes simus ejusdem criminis, ac Apostata Apostolus. Nam ut quidam Sanctus Pater ait: *Multi Judæ scelus exhorrent, nec tamen cavent.* Si hac de re dubitatis, mementote, Dei Filium a nobis possideri prorsus peculiari modo; per gratiam, & gratiam hanc, per quam vivit in nobis, pretium esse Sanguinis sui, ita ut, cum per lethale peccatum illi mortem inferimus, infelici aliqua compulsi cupiditate; injuria hæc non minorem illi dolorem infert, quam cum per contemptum rabie, & furore mixtum traditus fuit Judæis a Juda pro illa mercede, quam illi primam obtulere. *Auctor recens.*

Modicum pretium, quo Judas Salvatorem vendidit æque significat contemptum, in quo illum habebat, & extremam Judæ avaritiam. Luc. 26. Matth.

Ut vobis adstruerem ideam aliquam enormitatis criminis hujus, hoc satis esset, nisi circumstantia, quæ illud efficit contumeliosius, & gravius Filio Dei, me vobis dicere cogeret; hunc a proditore inimicis venditum triginta denariorum pretio, tanti videlicet, quanti servus consueverat; quod argumentum est, quanti illum faceret Judas, tanti illum tradens, quanti illum se empturos esse inimici ejus proponunt. Hoc illi Sanctus Hieronymus exprobrat: *Siccine quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium ponis, quantum tibi vellent dare?* Non quærit illius meritum ostentare; non recenset prodigia, quæ fuerat operatus, & quorum ipse oculatus erat testis: non exponit omnes perfectiones, quas in longa, quam cum ipso habuerat, necessitudine ipse deprehenderat: nam palam fecisset scelus suum, & detestabilis suæ cupiditatis cæcitatem. Extimuit potius, ne si majori pretio illum vendere voluisset, deferveseceret ardor eorum, qui illum in potestate sua habere cupiebant, & ipsi aliam eodem potiundi viam quærerent. Contentus igitur fuit eo, quod sibi oblatum fuit, veritus, ne nihil omnino reciperet. Hoc est ingenium avaritiæ, hinc inexplebilis est, & nunquam dicit satis, cum multa sperat, inde vero cum timet, ne sibi vel minimi lucelli spes elabatur, de suo jure decedit, parvo contenta, ne hoc sibi parvum eripiatur; sed in hac varietate, semper æqualem præsefert aviditatem. *Auctor sermonum in omnia argumenta, in alloquiis de Passione.*

Modus quo perfidus executus est crimen oculo.

Cumulus perfidiæ in Juda fuit modus, quo nefarium consilium suum executus est: qui fecit, ut quicumque illum audierunt, infremuerint, & Sanctus Chrysostomus cogitare de illo non potuerit, quin exclamaret: *O sceleratissimam mentem! quid cogitavit! quid caussa est! quod signum proditionis dedit!* Infelix discipule, quid agis, quod signum adhibes ad damnabilis hujusce proditionis executionem? Jam nostis, Christiani, osculum fuit signum pacis, sinceræ amicitiæ pignus. Osculatur, quem prodit; salutat, quem destinat victimam suæ avaritiæ: illum osculatur, quem tradit morti crudelissimæ. *O favius telis omnibus osculum!* S. Leo addit. Ne igitur in exemplum infidelis amicitiæ ex lege veteri proponatur factum Joab, qui simulans osculo Amasam complecti, perdidit illum. Proditoris, & perfidi nomen æternum hærebit Judæ, ad innuendum horrorem, & execrationem, quam omnia concipient sæcula de illius perfidia, & proditione. *Idem.*

Serm. de Passione CHRISTI.

Lenitas, & bonitas, qua J. C. recepit proditorem & illius osculum patitur.

JESUS extremum exerit conatum suum in Judæ cor, ut salvet animam ejus, donec proditor nullum non movet lapidem ut perdat eum. Videtur suprema bonitas cum extrema pugnare nequitia. Venit Judas contra JESUM armatus perfidia, & violentia, JESUS vero occurrit Judæ cum armis sincerissimæ amicitiæ. Judas dat illi osculum crudelius quolibet venenato jaculo, & JESUS demittit se ad excipiendum osculum prorsus divina bonitate. Judas Magistrum salvere jubet signo simulatæ amicitiæ; & JESUS offert illi sincero affectu æternæ salutis illius occasionem: *Amice, ad quid venisti? Juda osculo Filium hominis tradis?* Si non amplius me diligis; te adhuc diligo, & præsto sum æque, ut tibi veniam tribuam, & recipiam eam, quam mihi infers contumeliam . . . . .

Matth. 26. Lucæ 22.

Nihil cohibere valet pernicioſum Judæ consilium; nihilque mutare valuit infinitam JESU CHRISTI caritatem: ad finem hunc perfidum expectare voluit per Deo dignam patientiam, illumque ea excepit benevolentia, quæ aliud quodlibet cor flectere potuisset; *Amice, ad quid venisti?* Hoc ab eo quærens, ab illo non extorquebat veritatem, perinde ac illam ignoraret; sed tantum ut ille hanc sibimet diceret, & locum haberet scelus suum cogitandi. Ita Judas Salvatorem osculatur, & Salvator illum amice recipit, ut hac amoris plenissima objurgatione in se reversum facti pœniteat. *Ex Meditationibus Patris Novet de Passione, & Homiliis Abbatis de Monmorel item de Passione.*

Proditoris crudelitas, & pertinacia, quas flectere non potuerunt amoris erga se Divini hominis testimonia.

Crudelem in hoc homine fuisse animam credendum est, ut ad hunc sævitiæ excessum pertingeret; cum enim ignorare non posset, quanto odio Scribæ, & Principes Sacerdotum illum persequebantur, satis prænoscebat quo mortis genere ab illis esset afficiendus, neque ignorabat quem in finem se illis præberet furoris eorum ministrum, Testis etiam fuit, quibus exceptus fuerit contumeliis, postquam & dedit illis signum capiendi illum; vidit illum tamquam furem, & sceleſtum vinciri; vidit percuti, & trahi violenter ad Judices ab iis, qui triumphum se retulisse gaudebant, & gratulabantur. Denique nisi omni sensu caruisset, & rupe durior non extitisset, quomodo nam resistere potuisset tot amicitiæ argumentis, quæ Dei Filius tribuit illi eum amplectens, amicum vocans, ac petens, qua mente ad ipsum accederet, illum ex nomine compellans, ut hac saltem amoris significatione ad aliquam sceleris pœnitentiam compelleret? Ah! Dicendus est Judas sese penitus dæmoni devovisse, quandoquidem pertinaciter tot dilectionis argumenta neglexit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Quantum dolorem attulerit J. C. proditio Judæ; & duricies hujus Apostatæ quam illius beneficia flectere non potuerunt.

Quantum dolorem attulit Filio Dei Judæ proditio! Ille hunc vocarat, sibique Apostolum elegerat, ac sexcentis cumulaverat beneficiis; Illum etiam officio distinxerat, & summa cura erudierat; illum excepérat convivio tunc etiam, cum proditor impius cor gerebat fellę tumidum, & conceperat consilium tradendi illum suis inimicis, cum quibus de pretio pactus fuerat, & quem perdere decreverat. Sed nec suavitas, qua ad illum loquitur Salvator amabilis, neque objurgationes, quibus illum peramanter corripit, neque novæ amoris significationes flectere, aut mulcere possunt cor hujus Apostatæ. Adeo arduum est peccatorem convertere, qui singularibus gratiis cælitus cumulatus fuit, & qui diutius abutitur gratia. Heu! nonne periculum est, me quoque in hoc casu versari, si ego quoque diutius restitero? Deus mi, quam terribile est hoc exemplum, & quantam jure in me ciet formidinem? Heu! quis status sanctior, atque perfectior Apostolatu! Quæ vocatio certior, & admirabilior, quam Judæ? poterat ne aliquis tutior esse a procellis cupiditatum, & ab inimici versutiis, quam sub oculis ipsius CHRISTI JESU, & in Apostolorum societate? Tamen Judas adeo bene vocatus, in statu adeo sancto positus, ab ipso JESU CHRISTO in schola Sanctorum eruditus, beneficiis ejusdem auctus, testis miraculorum ejus, Judas pervertitur? Judas nequissimum, quod fingi valeat scelus committit; Judas damnatur. Dici nequit illi defuisse subsidium; JESUS CHRISTUS ipse illi manum tendit; ad illum convertendum eadem utitur voce, qua Lazarum de sepulcro evocaverat; eadem sua utitur suavitate, iisdem illecebris, minis iisdem; & Judas omnibus his sollicitationibus non movetur: Judas in suo peccato persistit. Heu! Domine, ubi locorum, ubi gentium perfecta fruemur securitate? & quam prætexere licebit caussam non formidandi? O quam difficilis est Discipuli perversi conversio? Quam vero accidit, ut qui Deo famulatus est, qui gustavit Deum, & qui deerrat, quam raro inquam accidit, ut ab erroribus resipiscat! *P. Croiset in Spirituali recessu pro una cujuslibet mensis die.*

Qua suavitate, atque dexteritate divinus iste Salvator adnisus est, ut Judam converteret? Nefaria illius aperit consilia, quin proditorem aperiat: *Unus ex vobis me traditurus est.* Ratio hæc in irritum cedit? Illi ipsi crimen ipsius aperit: *Nunquid ego sum?* Matth. 26. *tu dicis.* Perfidus hic videtur ne hoc monito perterrefactus? Ostendit illi nocentis excidium, & noxæ enormitatem: *Væ illi, per quem Filius hominis tradetur.* Ejus pertinax obduratio non prohibet, quominus Ibidem. Salvator pedes illius abluat, illum lucraturus. Jesus ad Judæ pedes, quod spectaculum! Nihil induratum cor flectere potest. JESUS dignatus est illum vocare amicum, tunc etiam cum ab illo proditur: *Amice ad quid venisti?* Ibidem. O Deus, o quam ægre nos perdis; & quam te piget nos interire videntem? quid non moliris, ut vetes? Quot secretos aculeos, quot suaves, & amantissimas reprehensiones adhibes! quot sollicitudines! quot curas antequam nos deseras? Sed quæ durities, & obstinatio nostra, qui tanto zelo resistimus? *Idem.*

Dei Filius exprobrare nobis potest, quod Judæ. Psalm. 54.

Quoties Salvator noſtrum ſingulis dicere potuit, quod Propheta inquit: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi; ſuſtinuiſſem utique*; Si barbarus, ſi hæreticus, ſi apertus inimicus me contumelia omni coinquinaſſet, & me contempſiſſet, ſuſtinuiſſem non ægre: *Tu vero unanimis*; tu, quem in Eccleſiæ meæ ſinu naſci volui, tu, quem tanta cura educavi, tu, quem menſæ meæ convivam adhibui, quem meis carnibus alui, quem ex tot periculis eripui, tu meorum in te meritorum obliviſceris, tu mea benefacta contemnis, tu cum internecinis hoſtibus meis miſces conſilia, & cum te amicum appello, te meum proditorem profiteris? Hoc nullo modo ferre poſſum. *Amice ad quid veniſti? Idem.*

Media, quæ ad ſalutem Judæ ſupererant, & quantum Salvatori debebat.

Negare nemo poteſt Judam, non ſecus ac alios Apoſtolos uberrimas habuiſſe gratias ſalutis, quoniam Deus illum a mundo avocaverat, ut in electorum Diſcipulorum ſuorum numerum inferret, quibus committebat ſecretiſſima conſilia, quos peculiari cura erudiebat, qui erant individui comites laborum ejus, & quietis. Quot perfidus iſte Apoſtolus vidit in divini hujus Præceptoris ſui vita admirabilia heroicarum virtutum exempla? Quot ex illius ore ſacro verba vitæ excepit? Quoties in illius ſanctiſſima neceſſitudine guſtavit delicias dæmonibus convertendis parres? & omnes hæ ſingulares gratiæ, hæc adeo aperta potentiæ Salvatoris monumenta, in calamitoſo hoc homine extinguere non valuerunt ſpiritum avaritiæ, qui illum ſuadebat, ut venderet Dominum ſuum? *Liber Paſſionum Domini noſtri.*

Quam terribilis ſit hic Judæ lapſus, poſtquam ad Apoſtolatum evectus fuit, & tot auctus beneficiis.

Vix ex horti agone Salvator evaſerat, cum proſpexit Judam ſatellitum manu ſtipatum venientem, ut ſe caperet. Judas a Deo ad ſublimem dignitatem evectus, qui miracula fuerat operatus, qui triennium in JESU CHRISTI ſocietate vixerat, qui teſtis fuerat omnium miraculorum ab illo patratorum, qui carus Magiſtro ſuo fuerat, & ab eodem inſignibus auctus beneficiis; Judas, quem nuperrime JESUS CHRISTUS manibus ſuis communicaverat, nihilominus illum venumdare cogitat, ac tradere in manus crudeliſſimorum inimicorum illius? Heu! Fideles, illi qui ſemel vere perverſus eſt, metuendi ſunt lapſus omnes; perfectio enim ad quam evaſerat, ſit menſura abyſſi, quem quiſque cadens effodit ſibi. Ne putetis, execrabilem hunc apoſtatam aperta vi illum capturum eſſe. Nequitiæ ſuæ cumulum adjicere vult eo ſigno, quod ſinceriſſimæ amicitiæ nota eſt. Perfide; qua fronte audes admovere ſacrilega labia tua ori ſacro Dei tui? Nonne tibi metuendum eſt, ne Deus adeo potens, atque terribilis ipſis etiam dæmoniis te confundat, & ad nihilum redigat? Haud ita, Fideles; JESUS illum complectitur, amicum ſuum vocat, ut illi oſtendat, S. Ambroſius ait, ſi vellet, adhuc tempus eſſe obtinendi veniam peccati quantumcumque illud videatur. *Ex ſermone de Paſſione, qui Patri Maſſilien acceptus refertur.*

Deus peccatori ſæpe id exprobrat, quod Judæ.

Quoties Auditor mi, eodem tempore quo Salvatorem laceſſis, interius id dixit tibi, quod Judæ: Amice, quid agis? & quoties æque durus ac Judas, æque tuis excæcatus cupiditatibus aures huic amanti ſæ reprehenſioni obſtruxiſti? Judas illum oſculatus eſt, & hoc oſculum, S. Leo inquit, ſævius telis omnibus, acrius tranſfigit cor JESU, quam lancea, quæ eidem in Calvario pectus aperuit. Et S. Ambroſius verba faciens de proditoris hujus perfidia, & impudentia ait illi: *Amoris pignore vulnus infligis? Caritatis officio ſanguinem fundis? inſtrumento pacis mortem irrogas? Diſcipulus Magiſtrum, ſervus Dominum, electus auctorem tradis? Idem.*

Ambr. lib. 9. in Luc.

Cauſſa, & occaſio lapſus hujus Apoſtoli.

Ut ſalutaria hauriamus documenta, ex lapſu infelicis hujus diſcipuli, ſatis eſt intueri initium, progreſſum, funeſtumque exitum criminis hujus, quod cauſſa fuit ejus interitus, & damnationis. Quænam igitur fuit occaſio lapſus hujus diſcipuli, educati in ſchola, & ſub tanti Præceptoris diſciplina? Neque enim exiſtimandum eſt Apoſtolum Filii Dei repente in tantam proruiſſe cæcitatem, & initium duxiſſe ab adeo horribili, execrabilique perfidia. Quod vero lapſum adeo mirum in Juda parere potuerit, hoc unum ſcimus, illum re adhuc integra locum præbuiſſe avaritiæ, quemadmodum palam Scriptura teſtatur: *Fur erat, & loculos habens.* In ſuos uſus impendebat pecuniam, quæ illi credebatur in pauperum uſum reſervanda. Cupiditas iſta adolevit, & paullatim radices jecit in cor illius, ac tandem excæcavit illum, ut in id unum incumberet, ut conſcientiæ ſumptibus opes congereret. Itaque cum primum conſueviſſet aliquid furtim abradere, ſeſe illi obtulit occaſio lucri uberioris. Ad objecti adſpectum crevit tentatio, & ægre ferens ſe privari pretio unguentorum, quæ Magdalena effuderat ſuper pedes JESU CHRISTI, cupiditatis vi correptus illuc evaſit, ut conſilium inierit damnum farciendi pretio ſanguinis, & vitæ Magiſtri, & Salvatoris ſui. *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Paſſione.*

Joann. 2.

Quam periculoſum ſit vitii alicujus habitum

Ex funeſto hoc exemplo diſcamus fideles, quam perniciosum ſit permittere, ut dominetur in nobis nefarius aliquis id genus adfectus; quoniam ex parvis initiis, & progreſſibus, qui vix percipi valent, nos trahit in altiſſimum ſceleris abyſſum, & nobis id eveniet quod Judæ, qui inexplebili actus avaritia vendidit ſanguinem, & vitam Magiſtri, Deique ſui argenteis triginta. Illud vero admirabilius eſt, juſto, atque terribili judicio Dei eos, qui hujuſmodi habitus contrahunt in ſcelere, plerumque ab uno ad alterum extremum migrare de ſtatu Sanctitatis ad effuſioris licentiæ profeſſionem, & extremam impietatem. Itaque quotidiana fere oſtendit experientia, eos, qui devotionem excoluere, qui ſæpe ad Sacra Myſteria accedere conſueverunt, vel qui a puero ſeſe devoverunt altarium cultui, ſi illos ſuæ pœnituerit profeſſionis, vel in vitium aliquod inciderint, eos plerumque ſumma cum difficultate ad frugem reverti: Et conſtat ratio: cum enim Dei cultum deſeruerint, viciſſim deſerit illos Deus, & mox fiunt magis indociles, magiſque rebelles luminibus cæli, & minus pares, qui de ſuo errore reſipiſcant, & ſinceram converſionem aggrediantur, ita ut doceat S. Paulus non deeſſe quamdam impoſſibilitatis ſpeciem, quod illos unquam vere pœniteat. *Idem.* ad Hebr. 6.

Quam infamis, & cæca fuerit Judæ avaritia.

Non aliunde melius quam per Judæ exemplum intelligere poſſumus, quouſque habendi deſiderium impellere valeat animam cupidam. Proditor hic ducitur avaritia, quæ infamis, ac ſordidiſſima vocari poteſt. Eſt enim diſcipulus, & diſcipulus beneficiis cumulatus, proditor Magiſtri ſui. Hæc eadem infidelitas in ſervo horrorem cieret; quid igitur in amico, in familiari, in Apoſtolo? Mirum! S. Chryſoſtomus inquit: Judas nuperrime in Sacerdotem fuerat conſecratus, ſpiritualem paullo ante & prorſus divinam receperat poteſtatem in corpus, & animam JESU CHRISTI, ſed pro hac ſupernaturali poteſtate aliam exercebat prorſus ſacrilegam; & plenam impietate, Sacerdotio jam initiatus erat, habebat poteſtatem ſacrificandi in ara Agnum Dei, & per proditionem, quam moliebatur, in hac adorabili victima, diabolica poteſtate utebatur immolans illam furori Judæorum. Quid monſtruoſius, quid enormius fingi poteſt? Verum ſi Apoſtoli hujus nequitia infamis fuit in auſu, non minus cæca eſt in commercio. Quæ enim cæcitas! triginta denariis vendit illum, qui futurus eſt totius mundi Redemptio? Si fuiſſet Judæ aliquis prudentiæ radius, illius etiam prudentiæ tantum, quæ reprobata eſt, filiorum ſæculi, æſtimaſſet Dominum, ſi minus tanti, quanti erat, ſaltem tanti, quanti poterat. Videns Judæos, qui ſumptibus parcere nolebant, ut perderent illum, de eorum odio profeciſſet; & vendens illis caro pretio voluptatem ulciſcendi, inveniſſet ipſe, unde infamem ſuam expleret cupiditatem. Sed illum ſua cupiditas perturbabat, & omnia mentis illius lumina extinxerat. Audite illum cum Judæis loquentem: *Quid vultis mihi dare?* ſe ſubjicit eorum arbitrio, ut S. Hieronymus animadvertit: & illos conſtituit judices meriti JESU CHRISTI: *Chriſtum, quaſi vile mancipium in mentium ponens æſtimatione*, Vulgare ſervorum pretium erant triginta denarii; Hoc, ſibi dari poſtulat. Ah! perfide! S. Auguſtinus exclamat, quid agis? JESUS CHRISTUS ſalvare te vult ſumptibus vitæ ſuæ; tu vero illum quamvis Deum pro vili vendis pecunia? Ille vitam ſuam daturus eſt pro te, & tu illum pro nihilo tradis? *P. Bourdalove in Myſteriis ſermone tertio de Paſſione.* Matth. 26.

Judæ avaritia trahit illum in cæcitatem, in obdurationem, & obſtinationem.

Fruſtra Mundi Salvator utitur omnibus gratiæ ſuæ illecebris, ut illum a propoſito dimoveat; fruſtra illi familiariter aperit, ſe ab illo proditum iri; fruſtra portendit illi pœnam reprobationis. Nihil eum movet. A cœna recedit; convenit Principes Sacerdotum; cum illis paciſcitur; fit ſatellitum ductor, Hortum ingreditur, accedit ad JESUM, illum ſalvere jubet, complectitur, illum oſculo deſignat, & prodit. *Amice, ad quid veniſti? Oſculo Filium hominis tradis?* Quid me ſalvere jubes, ut prodas; amplecteris, ut perdas? Hæc fuit amabilis objurgatio, qua illum arguit Salvator, ſed in irritum cedunt omnes objurgationes, & ſuavitas, cum qua illas comitatur, nullam in avaro, & venali corde impreſſionem efficiunt. Cur? quia ad animum obdurandum, nihil aptius eſt avaritia. Ubi hæc dominetur ſemel, nulla eſt amplius amicitia, nulla fidelitas, nulla humanitas. Statim omnium obliviſceris officiorum; turpiſſimis ſordibus aſſueſcis; æneam animam objicis acerrimis conſcientiæ ſtimulis, & honeſtatis. *Idem.*

Judæ exemplo nobis oſtenditur effectus avaritiæ, qui in mundo vulgares ſunt.

Ne tanta ſuccenſeamus ira, fideles, in Proditorem diſcipulum, ut nulli locum adverſus noſmetipſos permittamus: ecce enim quid parit in nobis quotidie inexplebilis cupiditas. Duros nos facit, & omni ſenſu carentes, non in miſeria ſolum, verum etiam in proximi excidio, conjicit nos in cæcitatem eo criminoſiorem, quo magis voluntariam; nos adducit ad indigna patranda, quæ nos perpetuo rubore ſuffunderent, niſi illa nobis ſuadens omnem erubeſcentiæ locum auferret. *Quid vultis mihi dare*, dicitur in Mundo, in Mundo inquam, in quo maxima honeſtatis ratio haberi videtur. Quid vultis mihi dare, Matth. 26.

& illum

& illum de medio tollam, & hunc honori vestro immolabo ? sub hac spe, & specie utilitatis nullum est negotium, quod non transig.tur; nulla, quæ non opprimatur innocentia; nulla, quæ non probetur, & sustineatur violentia, & injustitia. Ex quo suppetit hominí, unde largiatur, scelerum omnium possessionem acquiri; nunquam enim desint ministri, qui illi subserviant, & qui incessanter dicant illi: *Quid vultis mihi dare* ? Quot violatæ amicitiæ per turpissimas conventiones ? quot domestici venundati per avaritiam famuli, se corrumpi sinentis? Quot proditiones adimpletæ opera hominis, qui tacens, tamen clamabat : *Quid vultis mihi dare ?* Hoc iniquitatis commercium longe detestabilius est, ubi exercetur in rebus sanctis, vel in personis, quæ non secus ac Judas, altari deserviunt. Ecce, ajebat Bernardus, quid hodierna die pariat abominationem desolationis in Templo Dei, hoc simoniæ vitium, cujus auctor est Judas; quoniam primus fuit, qui in Christiana religione didicerit, & docuerit vendere spirituale, immo etiam divinum. *Idem.*

Consideratio de pretio, pro quo Judas prodidit J. C.

En quodnam fuerit Judæ infelicis ingenium, quod turpissima æstuabat avaritia; quandoquidem vendidit Magistrum, & Salvatorem suum quocumque pretio, quod sibi fuisset oblatum. Sive hanc cæcam appelletis cupiditatem, quæ verum pretium ignorat; sive sordidam vocetis avaritiam, quæ metitur omnia secundum imperiosam hanc habendi libidinem: par utrobique infertur contumelia Filio Dei, illum tam vili pretio æstimare, eumque dare, vel potius perdere pro rebus abjectissimis, & quæ flocci sunt. Quod turpius commercium, quam videre Discipulum, qui Magistrum, & Salvatorem suum triginta denariis vendit; & Judæos Dei vitam pretio adeo vili ementes. Heu ! quam vilescit in hominum æstimatione Deus, cum in oculis Dei homo sit adeo pretiosus; quandoquidem vult vitam, totumque sanguinem suum pretium esse redemptionis illius. Heu! hic homo Deus, qui eo usque contemnitur, ut veneat pretio mancipii, multo pluris animam nostram faciendam esse duxit, quandoquidem ad illam salvam faciendam tradidit semetipsum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Sæpe imitamur scelus Judæ, quod tantopere perhorrescimus.

Mihi persuadeo, Auditores, fore, ut justam concipiatis indignationem contra perfidum hunc, & ingratum, vobis ob oculos statuens Apostolum, qui ductorem se præbet inimicis Magistri sui; & proditorem, qui amici nomen, habitumque simulat, qui cum osculatur perditurus illum, tunc etiam cum ille, quem ipsius non fallit perfidia, amicum vocat recipiens sacrilegum osculum, quod perfidus hic audet præbere. Sed detestabilis hujus proditoris memoriæ parcamus; quandoquidem Salvator dignatur adhuc illum amicum suum compellare; & postquam Magistri sui vitam venumdedit, ita infelix est, ut tradat suam desperationi, quasi non posset animam efflare manu, quæ sua turpior esset. Sed nomini ejus parcentes, crimen horreamus, & execremur exemplum, quod nobis reliquit; ille enim docuit homines hoc abominabile commercium, quo singulis fere diebus Deus venditur nauci. Heu ! Judæ nomen execramur, & nosmet imitari scelus ejusdem non animadvertimus ! etenim nonne quotidie pro turpi lucello, & fluxa voluptate vita, & Sanguis Salvatoris venit? Et cum grave peccatum admittitur, nonne id est dicere dæmoniis cum Juda; *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam* ? Dicam ne a nobis Salvatoris Sanguinem minoris fieri, quam a Judæis factus fuerit? cum enim Judas retulit illis pecuniam, quam in proditionis pretium receperat, religioni sibi verterunt, illam in profanum usum aliquem adhibere : *Non licet nobis mittere in Corbonam, quia pretium Sanguinis est.* Sed qua in re utuntur homines pretio Sanguinis JESU CHRISTI, videlicet gratia ? Nonne illam sacrificant ultioni, voluptati, avaritiæ, quin cogitent esse pretium Sanguinis Dei, cujus rei sunt non secus ac Judas? *Idem.*

Matth. 26.

Matth. 27.

Habendi cupiditas passim reos homines facit hujus criminis in Deum.

Quamvis hæc injuria, quæ infertur Salvatori Mundi in omni scelerum genere inveniatur, dici tamen potest, hanc esse propriam inexplebilis hujus cupiditatis bonorum terræ, quæ ubi possidet cor, nullus est status adeo sublimis, unde illud non deturbet in gravissima quæque flagitia; nullus est character adeo sanctus, quem non polluat Simoniis, & sacrilegiis: nullum adeo augustum ministerium, quod non coinquinet, nullum divinum, humanumque jus, quod non violet, & tandem eo perveniat, ut venundet Sanguinem JESU CHRISTI per omnium Sacramentorum profanationem. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Idem.*

Judas luit pœnas peccati sui, statim fere, ac illud patravit.

Vix ærumnosus iste discipulus abominabilem hanc proditionem admisit, cum illius pœnas luit. Quia ejus conscientia facta est illius carnifex, ita ut illius furiis agitatus retulerit pecuniam pretium sceleris, eamque abjecerit ad pedes eorum, a quibus acceperat illam. En quid plerisque peccatoribus accidit: cum fervet cupiditas, & crimen urget, dæmon illis aufert omnem metum, & verecundiam; abscondit sceleris enormitatem, vetat, ne videantur quæ sunt consecutura: Voluptas, & boni species avertunt oculos eorum, ne cogitent malum, quod secum trahunt; sed ubi peccatum commissum est, & æstus cupiditatis deferbuit, & mala, quibus obruuntur illorum oculos aperit, tunc criminis sentiunt amaritudinem. *Vide quia malum, & amarum est dereliquisse te Dominum tuum,* facer Textus inquit. Quisque sumptibus suis intelligit quid sit peccatum, & quæ illum subsequatur calamitas, & quomodo per idem scelus peccator vendat Salvatorem suum, simulque animam suam dæmoni, ut loquitur S. Augustinus : *Quisque peccando animam suam diabolo vendit tamquam pretium dulcedinis temporalis*; Reor aliquando peccatori reposcenti animam suam, id eventurum, quod misero Judæ, qui vendidit Judæis pretium Sanguinis, & vitæ Dei sui: *Peccavi tradens Sanguinem justum.* Sed quid Judæ responsum fuit? *Quid ad nos? tu videris.* Ille modo in manibus nostris est; tuum videre est, quid tibi faciendum sit. Ita peccator, qui, ut ita dicam, vendiderit animam suam dæmoniis, frustra confitebitur: *Peccavi tradens Sanguinem nostrum.* Recipite pecuniam, voluptates, honores, decora, indignam meorum iniquitatum mercedem; reddite mihi animam, quam tradidi vobis, & supremum bonum, quod vobis reliqui. *Quid ad nos!* respondebunt illi; *tu videris.* Tu nobis hanc animam vendidisti, tu illius pretium in vita tua recepisti, lucrum illud, ultionem, voluptatem, momentaneam oblectationem; hæc fuit merces tua; ad nos vero quid attinet quid tibi sit eventurum. Hoc tuum est; tibi ad libidinem tuam consule: *Tu videris.* Sed non arbitrabar, ideo in nullam reditus spem interiturum; Quid non arbitrabaris ? Nonne tuum erat videre quem contractum inires ? Quid ergo nobis faciendum est fideles! Ad inutilem hanc pœnitentiam evitandam respiciendi sunt peccati exitus, & cogitandum id quod modo dedita opera patramus, id fortasse futurum, quod nos feciſſe irrita pœnitentia dolebimus. *Idem.*

Jer. 2.

Funestus exitus proditionis Judæ, ejusque desperatio.

Recogitate, quæso, mentibus vestris funestissimum exitum Judæ infelicis, qui desperatione vitam concluſit; non quod velim vos oculos conjicere in infame genus mortis, quo periit; cujus viscera scissa sunt, & qui infelicem evomuit animam cum sanguine & fœcibus, quibus moriens terram infecit; sed ut paulliſper consideretis miseri illius sortem, & ex hoc exemplo discatis, ubi peccatum committimus nos ignorare, utrum nobis locus supererit sinceræ pœnitentiæ; & utrum peccati veniam simus impetraturi; hoc enim diligentissime præcavendum est, Judas, si ex externa specie judicium ferre velimus, perfecit omnia ea, quæ passim homines vix compelli sinunt, ut faciant, ad peccatorum veniam assequendam. Palam coram Sacerdotibus, & Pontificibus scelus suum confessus est; verbum illud protulit, in quo peccatores passim confidunt: *Peccavi, tradens Sanguinem justum.* Plane explicuit turpissimam peccati sui circumstantiam; professus quippe est, se prodidisse, ac tradidisse justum. Deinde retulit pecuniam receptam in pactati sceleris pretium; testatus est, se crimen suum perhorruisse, quandoquidem præmium retinere noluit; omnino aberat a voluntate sceleris ejusdem iterum committendi, quoniam id ne facere quidem potuisset; & voluntatem habere eidem fuisset inutile. Hic unus restabat actus, ut sese ad Salvatoris pedes conjiceret, iisdemque provolutus misericordiam imploraret, quam sane impetrasset : criminis enormitas ex eo, ut olim ex Cain hoc de semetipso judicium extorsit : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam mereatur;* & desperatione vitam absolvit. *Idem.*

Quid peccator inferre debeat, ac metuere Judæ exemplo.

Peccator audax, atque superbe, qui gloriaris in nequitia tua; putas sæpe, te, ubicumque tibi placuerit, acturum esse salutarem pœnitentiam, & Deum misericordem semper præsto futurum, ut te redeuntem excipiat. O spem inanem ! Hæc quot miseros fefellit, & fallit! Temerariam præsumptionem! Quot animas in malorum omnium abyssum præcipites dedit ! Heu ? Quisnam te certum faciet, pœnitentiam, quam facturus es, non fore similem pœnitentiæ Judæ, & postquam illius duritiem imitatus fueris contra omnia divinæ bonitatis consilia, postquam, ut ille, contempseris Dei minas, atque illecebras, Deum hunc iniquitatum ultorem nequaquam traditurum te desperationi; vel te tibi fallacis pœnitentiæ specie illudentem in justitiæ ipsius manum esse prolapsurum? *Idem.*

CAPTURA SALVATORIS IN HORTO.

Tempus, & locus quæ Sacerdotum Principes deliguntur capturi Dei Filium duce Juda.

PRimus effectus proditionis Judæ fuit captura Salvatoris in horto Olivarum. Cum sciret Salvatorem vespere in hortum Gethsemani secedere consuevisse, ibique noctem in Oratione traducere, censuit locum, ac tempus apta esse, ut ibi facinus, quod machinabatur adimpleret. Igitur clam cum Phariſæis quibusdam, & ingenti armatorum manu urbe egressus est,

& quoniam prævidebat omnes præcautiones, vimque ipsam inutiles futuras, nisi JESUS CHRISTUS permisisset se capi, illos admonuit, se tunc promissi fidem illis præstiturum fuisse, ubi illum in manibus eorum tradidissent. *Liber cui titulus: Passiones Domini Nostri.*

Mira in hac re Scribarum, & Pharisæorum cæcitas.

Sacerdotum Principes certiores facti erant amabilem Salvatorem solum esse cum Discipulis suis in loco sepositò, ubi nullum sperare poterat subsidium. Tamen quamvis de re hac non ambigerent, quidquid domesticorum erat apud Pharisæos, & legis Doctores arma capiunt, atque socias vires conjungunt cum integra Militum cohorte, & in condictum locum proficiscuntur. Arbitramini fortasse hoc esse humanæ prudentiæ consilium: & in summo, quo ardebant desiderio potiundi JESU CHRISTI persona, non omnino inutilem fuisse illam præcautionem: tandem enim homo callide elatus potest, & sese permiscere quærentibus illum, potissimum vero tenebrarum ope. Errorem aliquem vereri debebant; immo poterant pro illo capere aliquem ex discipulis ejus. Verum non ita. Hic effectus est cæcitatis eorum; sæpe inierant illius capiendi consilia, & semper ex eorum oculis evanuerat. Ad eum ergo se conferunt tamquam ad hominem omnipotentem, qui se Dei Filium dicebat, & qui saltem habebatur tamqam insignis Propheta, quem Deus palam in suam clientelam receperat. Sed illum perdere cupientes propter odium, adhærent consilio Judæ, cui melius cognitus erat, quam sibi; & qui cum promisisset se illum in manibus eorum traditurum, artem illius capiendi sciret expeditiorem. O vos cæcos! Si Filius Dei est, & si arbitramini in eo esse aliquid humano majus, non legit ille corda vestra, non videt vestras cogitationes? Quis prohibebit illum, ne vos prævertat? Sed venit hora præstituta, qua semetipsum tradere debet in manibus vestris & sese furori vestro subjicere: *Nunc est hora vestra, & potestas tenebrarum harum. Sermo M. S. de Passione Patr. Stephani Chamillard.*

Si Salvator præstulit metum, quatenus homo, mox præbet exemplum fortitudinis.

Si Dei Filium consideravimus inter infirmitatis notas, quibus propter amorem nostrum se subjicere dignatus est; modo illum nobis proponere debemus velut exemplum fortitudinis, quod paullo post nobis ostendit: nam repente mutata agendi ratione, oblitus infirmitatum humanarum, assumit Dei fortitudinem; discipulos suos confirmat, & obviam inimicis occurrit: *Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.* Matth. 26. Videte quomodo cor istud tristitia confectum, timore perculsum, susceptì muneris difficultate perterritum novum induit robur, animumque ut modo audacter provocet, quidquid paullo ante efficere potuerat, ut contremisceret. Ita palam ostendit eos timoris, fugæ, horroris, tædiique sensus, quibus cor ejus æstuabat, nonnisi appetitus motus fuisse, in quorum partem non ratio, non voluntas accesserat; cum desiderium, quo modo fertur ad mortem pro hominum salute obeundam, voluntas est firma, constans, & absoluta, certumque consilium, quod omnes horrores mortis avertere non valuerunt. Heu! Christiani hic hominum ingenium, & imbecillitatem agnosco. Ubi aliquid aggrediendum est propter Deum, propter illius cultum, & gloriam, tædio afficimur, animum despondemus; & si cupimus bonum, imperfecta sunt desideria nostra, & voluntas dimidiata, propter quam eodem fere tempore incipimus, & cœpta relinquimus; cum econtra ubi de re agitur nostra, tunc toto ardore ferimur, omnes rumpimus moras, omnes infringimus obices, omnesque officii nostri considerationes negligimus; manifestum argumentum modici amoris, quo Deum prosequimur, infirmique desiderii, quo verum bonum nostrum consectamur. *Auctor sermonum in omnia argumenta. In alloquiis de Passione.*

Salvator suis percutit inimicis, eosque verbo in terrã prosternit.

Salvator videns horam suam advenisse, & se incidere in manus inimicorum suorum, præbere voluit discipulis suis, qui non procul aberant, insigne exemplum constantiæ, qua illis aliquando magni sustinendi erant labores pro amore illius, & obedientiæ ab illis præstandæ jussibus Dei, quantumvis difficiles viderentur. Itaque inexpectato Juda, ac satellitibus, quos secum ducebat, illis occurrit, & quemadmodum ostenderat se vere hominem esse cum tristaretur, ac doleret, nunc ostendit se Deum esse duobus insignibus miraculis, altero quidem justitiæ suæ, altero misericordiæ. In priore potentia, & fortitudo ejus æque nitent. Interritus fit obviam inimicis, eosque unico verbo prosternit, nunquam surrecturos, nisi illis manum præbuisset. Hoc agit, ut doceat sequentes se, nihil posse vim, aut dolum contra se; illos frustra fuisse omnibus viribus, fraudibusque usuros, nisi seipsum traderet illis; & nisi vellet ipse vitam profundere, nemini tantum futurum fuisse robur, ut eamdem auferret. *Ex Meditatione P. a Ponte in Passione.*

Dei Filius ostendere voluit inimicis potestatẽ suam, antequam se illorum traderet potestati.

Quamquam Salvator permittere decrevisset, ut caperetur, censuit tamen operæ pretium se facturum, si antea divinam potestatem suam probaret Apostolis, qui adhuc infirmi erant in Fide, & per illos omnibus ostenderet, humanam nequitiam per se nihil posse adversum illum; se magis adstrictum esse vinculis caritatis, quam inimicorum suorum; & passionem suam effectum esse potius amoris sui, potiusquam humanæ impotentiæ; sed ut inexcusabiles efficeret omnes, quicumque ad illum capiendum accesserant; ut ab illis extorqueret confessionem inutilitatis virium suarum, ut illos compelleret ad agnoscendum scelus, quod patrabant, & ad illius pœnitentiam; statim ac dixerunt, se quærere JESUM a Nazaret, respondit: *Ego sum.* Quod verbum adeo fuit potens, ut Judas, Pharisæi, milites, lictores simul prostrati fuerint in terram, quasi ictu fulmineo percussi. Poterat quidem, si voluisset, tunc JESUS CHRISTUS recedere, vel aliud quodvis operari miraculum; sed satis esse arbitratus ita illis suam ostendisse potentiam, permisit, ut consurgerent; eumque iterum percontatus esset, quem quærerent, eisque se esse respondisset, vetuit, ne quem ex Apostolis suis lacessere auderent. Divinus Pastor in tanto periculo suo non deseruit curam gregis sui. Profecto Apostoli nulla affecti fuerunt injuria; neque illis minæ intentatæ, quod in tali occasione mirum videtur: *Liber cui titulus: Passiones Domini Nostri.*

Considerationes in verba illa, Ego sum.

Salvator antequam ostendat infirmitatem, quam habet quatenus homo; detegit primum fortitudinem, quam habet quatenus Deus. Profecto illius effectus innotuerunt satellitibus, qui ad eum capiendum accesserant, idque unico verbo: *Ego sum*; neque enim aliquid ulterius quæsitum est ad evertendos eos, qui illum se victuros armis, & armatorum numero putabant. Quænam hominis imbecillitas! quæ Dei potentia! Quis ductor exercituum, quis imperator suos hostes verbo stravit? Salvator loquens potentior videtur, quam omnes terrarum fortissimi duces bellum inferentes. Ita est. Verbum æterni Patris, per quem facta sunt omnia, & qui omnia delere potest, qui omnia ex nihilo eduxit, & qui omnia in nihilum potest redigere. Principes, & invictissimi copiarum duces nihil proficiunt minas jactantes adversus hostes sibi resistentes; vis una auctoritatem illis conciliat. Sed virtus Dei est in voluntate ipsius, & voluntas in verbo, quod fulmine, ac tonitru potentius est. Videre enim quomodo solo vocis illius tono, Milites, Pharisæi, Principes Sacerdotum evertantur; quod locum præbuit S. Augustino exclamandi: *Quid faciet judicaturus, qui hoc fecerit judicandus?* Qui se adeo potentem probavit, cum ad judicium raperetur, quid facturus est, cum accesserit velut Judex, & supremus Judex rationem petiturus effusionis Sanguinis sui, & prolaturus damnationis sententiam contra nocentes? *Ego sum.* Contremisce peccator, JESUS hic, quem lædis, quem persequeris, cui sceleribus tuis mortem infers, hic JESUS perdere te potest, fortunam tuam evertere, ac te in omnem æternitatem miserrimum efficere. *Ego sum.* Sperate fideles famuli, & consolamini in adversis, & ærumnis vestris, Deum quippe protectorem habetis; & inimici vestri non sunt nisi homines, qui vobis nocere non possunt, nisi quantum Deus illis permiserit. *Ex pluribus Auctoribus.*

August. tract. 112. in Joann.

Cum J. C. exprobrasset eos, qui ad eum capiendum venerant, hi indurantur, licet viderint miraculum, quod suis oculis usurpaverant.

JESUS CHRISTUS antequam caperetur voluit de more suaviter loqui ad Pharisæos, & Sacerdotes, quos militibus permixtos intuebatur in facto, quod minime decebat characterem illorum. Quæsivit ab eis cur noctu venissent ad capiendum illum tamquam latronem cum armis, & facibus, quandoquidem quotidie versabatur in Templo, ubi palam docebat. Non audebant autem in eum manus injicere; & famulus quidam summi Pontificis Malchus nomine, aliorum audacissimus jam aliis præcesserat, cum Petrus solito fervore actus petens a Domino facultatem utendi gladio, inexpectato responso Malchum percussit, eique dexteram amputavit auriculam, quam Salvator curavit statim, & vetuit Petro, ne quid violentius ageret. Quis hoc loco non mirabitur cæcitatem Scribarum, & Pharisæorum, & cererorum, qui oculis suis adspexerant? Cur non procidunt ad Salvatoris pedes, cur non confitentur esse Deum, sed in pertinacia sua perseverant! Verum admiremur etiam bonitatem, quam JESUS amabilis testatur erga suos, & curam, quam gerit incolumitatis eorum: Verbum illud, quod militibus dixit: *finite hos abire*, fuit absolutum imperium, quod reveriti sunt, non ausi, licet feroces essent, tangere Apostolos. Salvator amabilis! non cessas omnibus in occasionibus præbere nobis amoris tui argumenta: permittis inimicis tuis, ut sæviant in te, simulque præcipis ne quid moliantur in Discipulos tuos. *Ex eisdem.*

Joann. 18. 8.

Quomodo Dei Filius redarguit, & cohibuit immoderatum S. Petri fervorem. Matth. 26.

Petrus zeli sui impetu correptus, Pontificis servum percusserat; sed statim illum coarguit Salvator paucis verbis, sed gravibus, quibus cum lenitate mixta erat severitas, dixit: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: hoc est, omne homicidium meretur mortem. Ex quo videmus quantum Salvator abhorreat a spiritu ultionis, in iis, quæ ad rem nostram pertinent, quandoquidem damnat unum ex discipulis suis, qui ipsum

tueri

tueri quærebat, & damnat illum eam unam ob cauſſam, eo quod nimis indulgebat huic ultionis ſpiritui, qui caritati adverſatur. Videmus etiam in hoc facto admirabilem JESU CHRISTI bonitatem, non ceſſantis hortari ſuos ad patientiam per ea verba, quæ dixit eidem Petro. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Reſpiciebat hunc calicem non tamquam ab inimicis ſuis veneno mixtum, ſed tamquam a Patre ſuo præparatum, cujus voluntatem ita adimplere cupiebat, ut ſuccenſeret in eos, qui ipſum inde avocare ſtudebant. Ita nobis reſpiciendæ ſunt calamitates, quæ incidunt nobis, & ſi quando natura corrupta, quæ nobis intus loquitur in corde, nos a paſſionibus perferendis deterret, occulto huic inimico dicamus: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum. An putas*, addit, *quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ* docentes, *quia ſic oportet fieri*. Innuebat ſibi facillimum futurum fuiſſe, ſemet tueri ſine ope aliorum armorum præter quam orationis, qua longe plures Angelos potuiſſet arceſſere, quam convenerant milites ad illum capiendum: ſed ſe ne hiſcere quidem velle, ne adimpleretur mortis ſententia, quam jam protulerat Deus. *P. a Ponte in meditationibus de Paſſione.*

Joann. 18.

Captura Salvatoris poſt oſculum Judæ, quod illius ſignum fuit, & quomodo fuerit exceptus.

Judas, quin flecteretur ſuaviſſimis verbis, quibus mundi Salvator recepit illum, vix dedit illi ſacrilegum oſculum, de quo locuti ſumus, ut hæc militum manus a Sacerdotibus, & Pontificibus miſſa ad perſonam illius capiendam, furens ſeſe conjicit in agnum hunc culpa vacuum, veluti latronem vinculis adſtringit, ne ſibi e manibus elabatur, & quamvis ipſe in terram ſtraverit hos omnes iniquitatis miniſtros, quin rationem haberent tanti miraculi, neque curationis illius, quem S. Petrus percuſſerat, non aliud inde argumentantur, niſi ſibi rem eſſe cum homine formidabili, ideoque eum in ſtatum redigendum, ubi illi poſſent dominari. Hac de cauſſa quidam collo funes injiciunt, alii pedibus calcant, alii fuſtibus dolant, ſexcentas iidem ingerentes contumelias, eum calumniatorem, populi ſeductorem vocantes, & pro libidine omni ignominia coinquinantes; ejuſque captura exultantes in tutum deferre feſtinant. Sed quoniam non ſatis propere gradiebatur ad eorum voluntatem, vi trahunt per tribulos, ac ſpinas, quæ ad horti januam, & collis declivi ſuccreverant. Traducit torrentem Cedron, in quo modicum erat aquarum, & hoc ſtipatus ſatellitio per Jeroſolymæ vias raptatur inter plebis clamores, quæ ad tanti facinoris rumorem convenerat. *Auctor ſermonum in omnia argumenta in alloquiis de Paſſione.*

De eodem argumento, & inhumanitate, cum qua fuit exceptus.

Mirum ſane eſt, hanc adeo honeſtam, & generoſam agendi rationem, qua uſus erat Salvator, ultro ſe offerens, immo & miracula patrans ad oſtendendam inutilitatem curarum, quibus uſi fuerant inimici, ut illum caperent; mirum eſt inquam, hanc agendi rationem nequaquam militum animos flexiſſe; qui, quin miteſcant, inaudita crudelitate ſæviunt in illum. Satis erat eum capi, & duci; ille non reſiſtebat, & ultro ſubſequebatur; tamen in illum ſemet jaculantur, tamquam rabidi canes; eumque funibus adſtrictum, modo in illum ſine ullo humanitatis ſenſu ſæviunt, modo calcibus attollunt, & fuſtibus cædunt. Non ita cum nocentibus agi conſuevit, niſi rebellaverint, & hoc injuſtitiæ genus populi etiam barbari perhorreſcunt: ſed ſemel admonendum pro ſemper eſt, in Salvatoris paſſione nullam formulam, nullam juſtitiæ ſpeciem eſſe expectandam; videntur omnes maxime naturalis æquitatis leges oblivioni traditæ fuiſſe, & omnes omnem humanitatis ſenſum exuiſſe: hæc eſt inaudita agendi ratio, & horribilis rerum omnium inverſio. *P. De la Colombiere ſermone 2. de Paſſione.*

De fuga Apoſtolorum, ubi captum viderunt Magiſtrum ſuum. Marci 14.

Prædixerat Apoſtolis ſuis JESUS ſcriptum eſſe: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves.* Cum milites capiunt J. Chriſtum, eumque vincunt, S. Chryſoſtomus inquit, nondum Diſcipuli fugam arripunt, ſed ubi viderunt illum non ſolum non reluctantem, ſed ſe ultro offerentem, ut caperetur, reliquerunt illum, & ſeſe fugæ dederunt: *Et relicto eo fugerunt.* Cum nullius difficultatis opus eſſet illos comprehendere, quandoquidem in horto erant concluſi, nemo illorum detentus fuit; quoniam Dei Filius prohibens, ne milites illis manum inferrent, ipſe illorum vinxerat manus antequam ſuæ ab illis vincerentur. Sed ubi conſpexerunt JESUM CHRISTUM ſemetipſum tradidiſſe in manus inimicorum, arripuere fugam, ne ille permitteret, ut ipſi quoque comprehenderentur. Mirus humanæ imbecillitatis effectus! qui ſecundum Tertulliani locutionem in pace viſi fuerant ſtrenui tamquam leones, in prælio cervis ſimiles expaveſcunt; diſcipuli, qui videbantur adhærere Magiſtro ſuo, qui promiſerant ſe potius morituros, quam eum abrenuntiarent; ubi illum captum vident, turpiter fugam capeſſunt, & eum derelinquunt. *Et relicto eo fugerunt omnes.*

Zachar. 13. Matth. 26.

Matth. 26.

Conſider. in de Apoſt. tum fuga.

Mira fragilitas! Omnes Apoſtoli videntes Magiſtrum ſuum in militum manus incidiſſe, deſpondent animum; propoſiti ſui obliviſcuntur, rati proculdubio, ipſum eo in ſtatu non poſſe ultra ipſis opem ferre. Memoria tot Miraculorum, quorum teſtes extiterant, tot luminum, quæ acceperant, tot prædicationum, quas audiverant, tot gratiarum, quibus cumulati fuerant, eo uſque ut poſtquam JESUS eorum pedes eluerat, illos ſuo etiam corpore ſaginaret, momento obliteratur, & eorum fugam efficit turpiorem. Hæccine ſunt promiſſa toties ingeminata vitam ſuam pro illo objiciendi? Thoma, ubinam eſt tuarum promiſſionum effectus? *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Petre, ubinam illa fortitudo, de qua gloriabaris, cum nulli eras periculo obnoxius: *Paratus ſum tecum, & in carcerem, & in mortem ire.* Heu! Quiſnam audebit ſuis fidere conſiliis, luminibus ſpiritus ſui, vel virtuti brachii ſui? Primæ Eccleſiæ columnæ ad minimam tentationis auram labefactantur: omnia Deo promittimus, cum nihil nobis timendum eſt; ſed cum in eo ſita res eſt, ut noſtram præ nobis ferre debeamus fidelitatem, non amplius promiſſionum noſtrarum reminiſcimur. Inſignis eſt vanitas in hominum amicitia confidere; inſignis eſt cæcitas diſplicere Deo, ut placeas amico; inſignis imbecillitas eſt de hominum conqueri infidelitate, cum videamus Dei Filium ab iis derelictum, de quibus per quam optime erat benemeritus. Vobis autem, qui per ſcelera me erat benemeritus. Vobis autem, qui per ſcelera veſtra meremini, ut a creatis rebus omnibus, Deoque ipſo derelinquamini, ab amicis veſtris relinqui dolebitis? *P. Novet in Meditationibus de Paſſione.*

Luc. 11.

Luc. 22.

QUID

QUID ACCIDERIT SALVATORI APUD ANNAM, ET CAIPHAM.

MONITUM.

DEI Filius ita captus, & contumeliis affectus ab hac militum manu ducitur, & sistitur coram judicibus, qui impatienter conjurationis initæ præstolabantur effectum, & qui nocte eadem quæstionem habere incœperunt. Ducitur primum, vel potius rapitur magno cum tumultu Annæ domum, ubi omnes convenerant, idque honoris ergo; quem Caiphas Pontifex anni illius deferre voluit socero suo, qui illum ea in dignitate præcesserat. Incertum est, utrum quæstiones, irrisiones, ignominiæ, quæ Salvator tota nocte illa passus est, illi subeunda fuerint partim apud utrumque; ceterum Evangelistæ, qui fusius loquuntur de iis, quæ domi Caiphæ acciderunt, innuere videntur, illum obiter tantum apud Annam fuisse; quam sententiam amplectemur, & prolixius videbimus, quid pertulerit JESUS tam a judicibus, quam a satellitibus, & servis, quorum funesta nocte illa ludibrium fuit.

Magnum humiliationis argumentum Filio Dei, qui supremus est universorum Judex, sistit reum apud criminosos judices ab illis judicandum.

SATIS magna indignitas erat, supremum viventium, & mortuorum Judicem coram nocentibus judicibus prodiisse, & Dominum Universorum subditum fuisse judicio creaturarum suarum, quin de tribunali in tribunal trahendus esset, traditus odio, & iniquitati apertissimorum inimicorum illius. Sine stupore cogitari ne potest unicum Dei Filium, Solem justitiæ, & Sanctitatem ipsam, coram quo natura omnis contremiscit, ad cujus vocem sepulcra restituunt mortuos suos, mare mulcet fluctus, Cælum, terra, & infernus sine resistentia obediunt; cogitari ne potest, inquam, hunc hominem Deum, postquam tot edidit suæ divinitatis monumenta, manibus revinctis, & habitu rei, rapi ad judices, de tribunali trahi ad tribunal, quin divinorum consiliorum profunditatem admiremur! Salvator hic patienter, & summa cum mentis tranquillitate sistit se; non quærit elabi ex justitiæ manibus, vel, ut melius dicam, ex prava accusatorum, & judicum suorum voluntate, a quibus ita contemnitur, ut ne dignus quidem habeatur, in quem aliqua judicii forma servetur. De jure illi dicendo ne agitur quidem; hi judices iniquitatis in id unum intenti sunt, ut suo satisfaciant odio, quo contra illum flagrant; qui ubique afficitur contumelia! *Ex libro, cui titulus: Passiones Domini nostri.*

Injusta agendi ratio judicum apud Caipham congregatorum.

Statim ac Salvator apud Caipham ductus fuit, convenerant Synagogæ Sacerdotes, Scribæ, Legisque Doctores, ut simul omnes unanimi, conflatoque consensu illum morte puniendum decernerent. Hoc est nocturnum concilium a Tenebrarum Principe coactum, & collectum a calumniatoribus, cui præest mendacii pater ad ipsam veritatem opprimendam atque damnandam. Quis unquam audit verba fieri de judicio adeo iniquo, ubi judices occupati, & attenti sunt, non quidem perpendendis criminibus, & argumentis actorum, sed inveniendis fictis testibus contra

Matth. 26. illum qui accusabatur? *Omne Consilium quærebat falsum testimonium contra JESUM, ut eum morti traderent.* Judicum officium est audire, & ad examen revocare facta, quæ proferuntur; hic autem actorum personam induunt, & hoc pacto necessarium consilium suum, & innocentiam illius, quem persequuntur, aperiunt, Judices isti se actores constituunt, ex actoribus testes, ex testibus calumniatores, falsa quærunt

Ibidem, testimonia, & invenire non possunt. *Et non invenerunt*, inquit Evangelista. Non defuere quidem falsi

Marci 14. testes, sed inter illos non constitit *& convenientia testimonia non erant.* Et quamvis taceat accusatus, tamen satis ad illius justificationem sua clamat innocentia: *Molinier in libro, cui titulus: Fasciculus Myrrhæ.*

Ejusdem argumenti. JESUS igitur sistit se coram Caipha, qui Pontifex erat anni illius, ut primum de illo ferret judicium, & damnaret illum tamquam seductorem, & pseudoprophetam; cum vero dico, ut judicium ferret, & damnaret, ne putetis ibi solitas justitiæ formas servari. In hoc reo omnes contemnuntur leges, illæ etiam quas naturalis æquitas docet: quæ vetant ne rei ulla pœna afficiantur, ante quam condemnentur; & cum lis jam judicata est, nequaquam tradantur furori adversariorum, ut illos conviciis, & contumeliis persequantur. Sed huic judicio præsunt odium, & injustitia; ex quo arguere potestis, quidquid contumeliosius, indignius, crudelius est, prætermissum nequaquam fuisse, ut Salvatori gustanda præberent suæ persecutionis effecta. Quænam humiliatio, Christiani, huic Regi Gloriæ, sistere coram his inimicis judicibus, interrogari de actionibus suis, compelli ad rationem reddendam de illis, quas in eum sensum detorquent, quem illis sua suggerit improbitas; & apud eos, penes quos est facultas de vita illius decernendi! *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Caiphas præsertim crudele conceperat odium contra JESUM, contra quem non occulte suam protulerat sententiam in Consilio, quod habuerunt Principes Sacerdotum, ut viderent, quid de ipso faciendum esset, ut prohiberent populi affluentiam, novum

Joann. 11 8. hunc Prophetam sequentis: *Expedit unum hominem mori pro populo*; & omnibus in occasionibus præ se ferebat odium internecinum in illum, cujus auctoritatem, & æstimationem pati non poterat, & quem pseudo Prophetam vocabat; quam ob rem nullum non movit lapidem, ut eum perderet, omnes illius actiones in deteriorem sensum detorquens. Nullum vehementius, Auditores, est odium illo, quod diuturna peperit zelotypia: tunc enim omnia, quæ bene vertunt inimico, nos exasperant; dignitas, locus, in quo est, efficit, ut rumpamur invidia, & laudes, quæ illi deferuntur, tela sunt, quæ invidentis cor laniant. Sed audeo dicere hoc virus nullibi magis metuendum esse, quam ubi agitur de doctrina, & Religione; tunc enim invidenti jus esse videtur sacrificandi invidiæ suæ adversarii sui honorem, & existimationem; & cum maximis quibusque sceleribus zeli fucus allinitur, nulla est calumnia, nullus dolus, qui intentatus relinquatur, ut huic satisfiat cupiditati. Hoc invidiæ dæmone Chaiphas agebatur contra Dei Filium: is, qui videbat oculis auctoritatem, quam ejus doctrina cum vitæ sanctimonia, ac miraculis conjuncta illi pepererat, cogitabat secum, hanc illius celebritatem officere gloriæ Synagogæ, cujus erat Caput; ita ut nactus sit artem privata commoda ita cum conjuratione consociandi, ut excidium novi Prophetæ jampridem moliretur. Sese illi offert occasio, illam arripit, & se actorem, & judicem simul constituit. Id unum agitur, ut scelera adinveniantur ad dissimulandam injustitiam, & quædam forma judicii servetur, ad speciem tuendam. *Idem.*

Odium Caiphæ in J. C.

Caiphas Salvatorem interrogat.

Quemadmodum Caiphas in habenda quæstione non quærebat veritatem, sed colorem, quo illum veluti seditiosum traderet Romano Præsidi morte puniendum; ejus interrogatio ad duo capita referebatur: 1. Quænam ejus esset doctrina, & utrum esse posset perniciosa; quandoquidem erat nova. Nihil de miraculis attigit; hæc enim facta erant, quæ inimici silentio obvolvi cupiebant; quoniam palam causam illius perorabant, & certa erant argumenta sanctitatis illius, non secus ac divinitatis. 2. Alterum caput erat de discipulis, qui sequebantur illum, & quem in finem illos secum deduceret; JESUS CHRISTUS singulari cum modestia respondit; quoad primum, se de doctrina sua non esse interrogandum, nam semper palam fuerat locutus in Templo, vel in Synagoga: proinde cum magna fuerit confluentium turba, quæ illum docentem audierat, ab illis quærendum esse, utrum aliquid ex ore ejus audierint, quod legi, & Prophetis adversaretur. Responsio hæc judici perdito os obstruxit; & ostendit illi facti nequitiam; nam plura, eaque satis valida habere debebat argumenta, vel suspiciones gravis alicujus hac in re criminis, antequam illum capi juberet; cum e contra sana esset ejus doctrina, & vita irreprehensibilis. *Abbas de Monmorel ex parte.*

Quamvis Salvator omni cum reverentia responderet, unus ex satellitibus impetit alapam illi.

Vix Salvator sapiens hanc edidit responsionem, cum unus ex militibus, qui prope illum erant, seu ut opem ferret judici, cui responsio illa negotium facessebat, seu ut zelum suum profiteretur, impegit gravem alapam, quin aliquis ex eo cœtu illius impotentiam corriperet. Angeli quidem hujus testes? contumeliæ fremunt præ horrore, neque deest illis zelus ad ulciscendam injuriam; sed cum Dominus semet tradiderit inimicorum suorum potestati, videtur vinxisse manus Beatorum Spirituum. Alapa hac

aula

aula tota personuit, & insolens impii satellitis audacia plausibus excipitur in eo furentium potius, quam judicum cœtu. Humanitas in judiciis habendis non patitur, ut nocentibus ipsis injuria fiat, & illis aliqua inferatur pœna ultra eam, quæ in condemnationis sententia præscripta fuit: sed in Dei Filio omnia licere videntur, quin ille queratur, & nisi audacissimus ille genæ colaphum impingens, exprobrasset illi irreverentiam, fortasse ne os quidem aperuisset, ut quereretur. Sed qui ipsis etiam carnificibus se submittere dignatus est, noluit in mentibus eorum, qui aderant, servari opinionem, quasi ille non adhibuisset reverentiam legitimæ debitam auctoritati; & quin ullam testaretur iracundiam contra facinus cœlesti ultione dignissimum, quærit solum, quænam esset noxa propter quam adeo severe in se fuisset animadversum. *Auctor sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.*

Patientia Salvatoris tanta affecti ignominia.

Jure Tertullianus asserit, Dei Filium naturam humanam assumentem nihil de hominis assumpsisse impatientia: *Nihil de impatientia hominis imitatus est.* Homines enim suopte ingenio ægre sustinent illatas sibi injurias, idque satis questibus, & murmure significant; nec minori cura suam existimationem tuentur, ubi injuste impetatur. Tu vero Salvator omnino immunis es ab hoc hominum affectu; sine murmure terrimam hauris contumeliam; hoc testimonium est, quod perhibes doctrinæ, quam tradidisti, illam exercens coram judicibus tuis. Nihil ultra profecto requirebatur, ut divina esse cognosceretur; neque enim ullus hominum unquam tantam præ se tulisset patientiam, animique tranquillitatem in contumelia, qua honesto viro nulla gravior accidere potest. Sane alapa injuriarum omnium teterrima est, & si secundum mundi placita judicium ferendum est, nullus est cordatus vir, qui non illico stringat ensem sanguine abluturus labem, suo nomini inustam; nulla est adeo imbellis anima, cui desit virtus ad pœnas reposcendas: nullus nominis alicujus homo, qui honoris reparationem non persequatur. Tibi autem Salvator satis est quærere, quid peccaveris, ut adeo indigne vapulares. *Idem.*

Quid nobis inferendum sit ab exemplo patientis quod nobis hac in occasione præbuit Salvator.

Ad hoc exemplum patientiæ ubinam est, Fideles, ea honoris ratio, quam tantopere extollitis? Quænam injuria alapa gravior? Qui hac afficitur, nonne ille est, coram quo Angeli, omnesque Cœlorum potestates præ reverentia contremiscunt? Nonne in magna populi frequentia hæc illi impacta fuit alapa? Vos autem molesti vitilitigatores in singula verba temere, & casu prolata, exardescitis? Gradus aliquis, honoris locus, quem vobis deberi arbitramini, & qui vobis negatus fuerit, exiguus contemptus vos ad ultionem impellet, ac inexorabiles faciet? Assequimini paullisper sensus Dei hujus humilis, & patientis: discite ab hoc Universorum Magistro, quid suo doceat exemplo: quandoquidem rationem reddere potest ipsum de doctrina sua interrogantibus, quod jam Mundum universum docuerat: *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde.* Discite a me lenitatem, & humilitatem; quoniam hæc nota est, ac signum nos esse divini hujus Magistri discipulos, & nos in illa schola patientiam dumtaxat, & humilitatem doceri. Adjicite his, alapam, qua tunc a milite vapulavit, non minorem illi dolorem, quam injuriam attulisse; cum robustus miles, manu ferro præcincta, juxta militum propter tota illius facies livorem contraxit; & fuit veluti signum, quod aliis locum præbuit, ut singuli ad arbitrium certatim sævirent. *Idem.*

Matth. 11.

Quam crudelis, & indigna fuerit hæc injuria. Chrysost. hom. 81. in Joan.

O spectaculum dignum stupore hominum, & Angelorum: *Exhorrescat Calum, & contremiscat terra de Christi patientia, & de servi impudentia.* S. Joannes Chrysostomus exclamat. Dei facies quis credat? servili manu percutitur! Rumore tota aula personuit ingenti cum scandalo, quin aliquis illum audeat tueri, & coercere impotentiam. Duo adsunt discipuli, sed ne hiscere quidem audent. Petrus, qui nuper gladium eduxerat, ut Magistrum suum tueretur; modo non audet huic resistere contumeliæ, & ex tot mortalibus, qui testes fuerant doctrinæ hujus hominis Dei, & qui fortasse beneficiis ejusdem fuerant cumulati, ne unus quidem est qui caussam ejus suscipiat; & hæc atrox injuria nonnisi cachinnis adstantium excipitur. Quam crudelis illa fuit, quam contumeliosa! Innocentia, & veritas per Dei os loquuntur, & inventur manus audax adeo, & tam barbara, & impia, ut genam illius percutiat & non minorem dolorem, quam confusionem illi inferat. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

In nosmet convertere debemus partem indignationis, quam concepimus in hunc nostrum Salvatoris percussorem.

Jugulare vos non posse mihi videmini, Auditores, justissimum doloris sensum, quem in vobis ciet injuria Salvatori nostro in hujusmodi occasione inflicta. Illum fovete quidem; sed contra vosmet ipsos etiam convertite: nolite respicere hominis nequissimi brachium, a quo vapulat JESUS; sed vestra etiam recognoscite scelera, quæ illum coegerunt, ut tantæ sese indignitati subjiceret. Vos male estis locuti, & Filius Dei pœnas luit; vos illum furentis hujus militis manu cæcidistis; quoniam quot obscœna, & impura verba, quot juramenta, quot blasphemias protulistis, tot sunt colaphi, quibus adorabilem Filii Dei faciem percussistis, ex S. Bernardi sententia. Hoc vere supplicium erat, quo olim puniri consueverat, cum aliquis non præstaret obsequium summis viris debitum, ut conjicere est ex Salvatoris responsione ad eum, a quo fuerat percussus: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo;* & si alioquin verum est, quod Sanctus Chrysostomus inquit, Salvatorem pati voluisse non solum generatim propter scelera nostra; sed etiam illa singillatim expiare propriis, & peculiaribus pœnis: exempli gratia, impudicitias nostras flagellis, & spinis; intemperantiam amaritudine, & felle, & sic de reliquis: supplicium, quod pertulit pro verbis lascivis, pro juramentis, atque blasphemiis contra debitam divinæ Majestati reverentiam, fuit contumeliosa alapa hæc, & aliæ, quas funesta illa nocte recepit, *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.* Joann. 18.

Malum, quod peperit exemplum mihi is Salvatori alapam impingentis.

Nequissimus ille miles, qui primus Dei Filium percutere est ausus, ex complurium Sanctorum Patrum Sententia, caussa fuit omnium injuriarum, quibus saturatus fuit JESUS CHRISTUS, donec in ædibus hujus Pontificis mansit. Adeo verum est, sæpe unum sufficere protervum hominem aliis impudentiorem, ut persona auferatur, & fiat, ut si cui superfit adhuc aliquid verecundiæ, aut timoris, ita ut se palam impium non audeat profiteri, illud abjiciat, & impudentissime in scelus omne ruat, *ea frontis libertate*, ut Sanctus Hieronymus inquit. Itaque hic ille est, qui, ut ita dicam, vitii vexillum attollit in societate, & qui nefario exemplo suo se sontem constituit omnium criminum, quæ a sectatoribus suis committuntur. Ah! cogitemus, præbere hoc pacto criminis exemplum, non esse unum patrare scelus, sed se auctorem constituere peccatorum omnium, quæ ab aliis committentur, hoc esse, inferre contumeliam Dei Filio per manus, & ministerium aliorum; hoc esse sternere viam sceleris; ideoque *participem fieri* eorum omnium, qui nostrum *exemplum secuti* peccabunt; atque *ut verbo me expediam, aliis aditum aperire primum quidem ad scelus, mox autem ad damnationem. Idem.*

Furentis hujus impotentia omnia cæli fulmina, omnia inferni merebatur supplicia. Num. 16.

Si *illum cogitaremus*, S. Augustinus ait, qui hac cæsus fuit alapa, nonne cuperemus, ut qui percussit, vel igne cælitus demisso absumeretur, vel terræ abyssis deglutiretur, vel traderetur dæmoni torquendus, ac teterrimis afficiendus suppliciis? Quid? Oza subita morte percussus fuit, eo quod manum admovens Arcam voluit sustinere; cum vile mancipium impegerit alapam Sancto Sanctorum, cujus Arca nonnisi figura erat, abit impunis? Nonne hac hora, quæ hora est potestatis tenebrarum, tu ita inimicis tuis tuam cessisti potestatem, ut nullam prorsus haberes? Nonne potestatis, & auctoritatis defectus est, Filium hominis adeo crudeliter lædi? Poterat, ut olim Moyses, præcipere, ut terra *debisceret* ad impium hunc deglutiendum; *vel* ut Elias, ignem de Cælo ad illum vorandum elicere; vel ut Eliseus, excire ex lustris nemorum feras, ut illum discerperent: nam qui motum reddidit dexteræ arescenti, poterat quidem sacrilegam hanc manum tollere; & idem ille, ad cujus imperium viridis, foliisque opaca ficus exaruerat, potuisset reddere *brachium illud immobile*, eique sensum omnem auferre. Proculdubio, S. Augustinus ait; penes illum erat potestas hæc faciendi omnia, nisi maluisset nos docere patientiam, qua vicit mundum, quam ostentare potentiam, qua mundum creavit: patientia enim illius æque illius probat divinitatem, ac potentiam. Hinc Scribæ, & Pharisæi illum Deum agnoscere debebatis; quandoquidem hominum nullus tantam habere poterat patientiam. *Abbas de Monmorel in Homiliis de Passione.* 4. Reg. 1. 3. Reg. 2. Matth. 22. Marc. 12. Aug. tract. 113. in Joannem.

Hoc exemplum patientiæ Dei paucos habet imitatores.

Asserere possumus ex omnibus exemplis, quæ nobis Dei Filius reliquit, hoc pauciores habere imitatores, Injuriam pati, & ultionem non persequi, nonne juxta Mundi placita *est seipsum dedecore afficere?* cum autem alapæ peculiaris infamiæ gradus inhærere videatur, & tenebrarum filii dicere consueverint, labem insidere, donec eluatur sanguine percussoris: Christiani, quorum vitæ ratio prorsus Ethnicorum moribus similis est, nunquam ne intelligetis, si JESUS CHRISTUS omnibus modis passus est, hoc non necessitatis caussa passum fuisse, sed ut disceremus, uti opus est, omnia injuriarum genera sustinere? Spiritus hujus mundi, cui ille maledixit, semperne vester erit? Usquequo timor amittendi inanem hominum æstimationem, nisi pœnas poposcericis ab eo, a quo affecti contumelia fuistis, in vobis præpollebit timori æternorum suppliciorum, quæ vobis evitare non licet, nisi peperceritis? *Idem.*

Exemplum patientiæ quod Dei Filius hac in re nobis reliquit.

Quamquam vobis cor esset adamantinum, quamquam accerrima in vobis esset ultionis cupiditas, quamquam ad illam inferendam essetis parati, oculos in

JESU

JESU CHRISTI faciem conjicite : *Respice in faciem Christi tui*. In auguſtam hanc faciem, quam Angeli videre concupiſcunt, & ubi conſideraveritis divinum Salvatorem flagellis cæſum, ſimulque tranquillum, nihil ultra requiretur, ut de manibus veſtris excidant arma. Denique patientia in Deo nos docet, nil majus eſſe, quam in graviſſimis malis eſſe patientem, & nulla eſſe bona, quæ illam non ſubſequantur, vel concomitentur. Virtus hæc nimis heroica eſt, quam ut propriis viribus illam acquiramus; & ut ſimus patientes eo modo quo Dei Filius fuit, ab illo nobis diſcenda eſt manſuetudo, & cordis humilitas. Duplicis hujus virtutis nexu, quas nunquam ſeparare debemus, dominabimur noſtris animabus, in quocumque injuriæ genere erimus tranquilli; cum ideo feroces ſimus, quia nihil pati poteſt ſuperbia, & cum repente nos inflammet iracundia, præſto ſumus, ut quodammodo inviti momento propulſemus contumeliam, quæ nobis infertur; tantum abeſt, ut imitemur divinum autographum, *qui cum maledicereturr, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti ſe injuſte*. *Idem*.

Quid nobis diſcendum ſit ex hoc admirabili exemplo patientiæ.

Admiramini patientiam, & manſuetudinem, qua JESUS tantam ſuſtinet contumeliam. Hoc ex facie cognoſcitur, inquit Scriptura; & lineamenta, quæ in fronte ejus apparent, innuunt, quid lateat in corde. Intuemini ergo faciem hanc, quam Angeli quidem conſpicere deſiderant, homines vero crudeliter colaphis cædunt. Emanabunt inde lumina, & fulgura, ex quibus intelligetis cur tantam ſuſtineat ignominiam, quin pœnas repoſcat. Videte quomodo loquatur cum ſervo hoc nequam, a quo vapulavit. Quin ſuccenſeat, quin igneſcat, quin puniat, quin injuriam pro injuria rependat, illum reprehendit. Hinc diſcamus fideles, cupiditatem noſtram alienæ opponendam non eſſe, ſed potius rationem, qua monitus in ſe revertatur, ut ſuum crimen agnoſcat, jugulantes hoc pacto centum querimonias, & centum ultiones, quæ utrorumque excidium involverent. *Pater Novet in Meditationibus de Paſſione*.

J. C. interrogatus de diſcipulis, qui ſequebantur illum, ſibi non eſſe reſpondendum cenſuit, & quare.

Diximus jam primum accuſationis caput, a quo duxit initium quæſtio habita de Filio Dei, fuiſſe de doctrina, quam prædicaverat; alterum vero, quod a priori proficiſcebatur, *fuit de diſcipulis*, quos ſibi ad eamdem prædicandam delegerat; quippe inſimulabatur quaſi conjurationis auctor eſſet, & ſereret doctrinam fallacem, & quoad religionem ſpectat, perniciosam. Vidimus nihil Salvatori fuiſſe facilius, quam probare Doctrinam ſuam, quæ ſancta erat, & quæ in illius honorem erat ceſſura. Quod vero ad Diſcipulos pertinet, longe aliter accidit. Hoc argumentum cum in decus ſuum non cederet, conſilium cœpit tacendi; quandoquidem non tanta aderat cauſſa laudandi. Ad illos ſpectabat de ſe dicere teſtimonium, & illud etiam de Magiſtri doctrina perhibere, necnon in praxim redigere id, quod ipſos docuerat, oſtendendo non deeſſe ſibi animum ad tuendam veritatem. Illi divina hujus audiverant verba, viderant miracula, quibus doctrinam ſuam confirmaverat; teſtes fuerant ſanctitatis, ac vitæ irreprehenſibilis; cur non prodibant, ut eam propugnarent? Heu! Imbecillitas cauſſa fuit, ut alii quidem illum deſererent, & metus prohibuit, ne duo illi, qui eum eminus fuerant ſubſecuti, ad illum tuendum accederent. *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Paſſione*.

Mala opinio quam concipere poterant Judices de Magiſtro, ſi judicium ferrent ex diſcipulis, qui illum deſeruerant.

Quid ſentire poterant Judices de Salvatoris perſona, & doctrina, judicium ferentes de Magiſtro ex diſcipulis? Unus quidem vendiderat illum, atque in eorum manus tradiderat: reliqui vero illum deſeruerant: quid igitur cogitare poterant videntes ex illius ſchola proditorem emergere, alios vero non audere in lucem prodire, ea quæ ab illo dicta fuerant confirmaturos? Et ſane, Diſcipuli, & Apoſtoli, quos Homo-Deus dignatus eſt delectu, conſuetudine, familiaritate, amore, ubi eſtis? Quid dictum non fuit in dedecus, & probrum illius, quem ſecuti eſtis? Ejus damnationem nonne & veſtra eſt ſubſecutura? Fieri ne poteſt, ut vos quoque viciſſim non conquæramini, eo quod illum ſecuti eſtis, & habeamini criminum ejus conſortes, ſi ille nocens judicetur? Accedite ergo, rationem de illius innocentia reddituri. Unica, quam petiit, gratia a militibus, a quibus captus fuit, illa extitit, ut vobis parceretur: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*. Numquid illum modo in tanto diſcrimine poſitum deſerere opus eſt? Quæ contumelia, Fideles, videre ex tot mortalibus, quorum eruditorum curam ille ſuſcepit, ne unum quidem ad cauſſam illius perorandam accedere! ex tot, qui teſtes fuerunt miraculorum ejus, & electi prorſus cæleſti ejus doctrina, ne unum quidem inveniri, qui ſequatur illum, ubi eſt in manibus inimicorum ſuorum? Videre ſe generatim derelictum ab omnibus, quos ſumma complexus eſt caritate, & qui illi integerrimam fidem ſuerant profeſſi! Quid exiſtimari poteſt de homine ab omnibus derelicto, cui ne unus quidem ſupereſt amicus in ſua calamitate; cum ille criminis ejuſdem particeps cenſeatur, qui illum fuerit ſecutus? *Idem*.

Joann. 18.

Salvatori eamdem, quam Apoſtoli injuriam inferimus palam, ac publice non audentes ſtare pro illo.

Noſmet quæſo Chriſtiani pauliſper expendamus; numquid ipſi eamdem inferimus Salvatori injuriam? Nos illius diſcipuli ſumus, ſumus enim Chriſtiani; unquam ne puduit nos præclari nominis hujus, quod aliquando futurum eſt gloria, & felicitas noſtra? Heu! quotuſquiſque eſt, qui non erubeſcat, aliquando ſtrenue profiteri, ſe JESU CHRISTI cauſſam ſuſcipere? Pauliſper cogitemus, ſumus ne Diſcipuli JESU CHRISTI? Sequimur ne doctrinam illius? Ejus placitis obtemperamus? Quare igitur, pudet, illi verbis, & actionibus noſtris teſtimonium perhibere? Numquid metuimus ignominiam, quæ publicæ huic profeſſioni inhærere videtur? ſed timeamus potius, ſi modo nos pudet coram hominibus profiteri Divini hujus Magiſtri Diſcipulos eſſe, futurum ut ille erubeſcat aliquando nos coram omnibus tamquam diſcipulos recognoſcere. *Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in Majeſtate ſua*. *Idem*.

Ejuſdem argumenti.

En quid accidit hodie quoque pleriſque fidelibus, qui eſſe deberent totidem Divini hujus Magiſtri diſcipuli, ſed quos pudet profiteri doctrinam illius, & palam ſe illius diſcipulos profiteri. Non ignorant quidem ejus Doctrinam, hanc ab ipſa calent pueritia; millies iterumque millies eam prædicari audiverunt, eamque aliis prædicarunt; ſed pracxim ignorant, & vivunt quaſi nunquam de Chriſtiana Religione verba fieri audiviſſent. Etenim ubinam videntur in actionibus eorum chriſtianæ humilitatis indicia? ubi mortificatio, & fuga voluptatum? quandonam ſpiritus paupertatem oſtendunt, & ſuimet abrenuntiationem, quam JESUS CHRISTUS edocuit? Ah! ſi de Magiſtri doctrina ex Diſcipulorum actionibus judicium ferendum eſt, quid de illo cogitandum eſt, quid de aliis credendum? Diſcamus hodierna die, nobis quatenus Chriſtianis, & hujus Hominis-Dei diſcipulis vitam eſſe ducendam æque ædificantem, perinde ac tota Chriſtianiſmi gloria a nobis penderet, & nos dedecori eſſemus cæleſti huic Domino, ſi per vitæ noſtræ nequitiam doctrinam illius mentiti fuerimus. Aliquando ne Salvator iſte fatebitur nos diſcipulos ſuos eſſe, niſi auſi fuerimus nos tales profiteri iis in occaſionibus, ubi teſtimonium illi perhibendum eſt? vel ſi metus hominum prohibeat, ne in praxim redigamus doctrinam, quam tradidit nobis? Heu! Humana ratio! inanis metus! quot bona opera prohibes! quot ſancta jugulas conſilia! Cogitemus, ſe palam Salvatoris inimicum profiteri, qui pro illo ſe ſtare non profitetur. *Qui non eſt mecum contra me eſt*. *Idem*.

Matth. 12.

De ſilentio, quod Salvator ſervavit in variis criminibus quæ illi ingeſta fuerunt.

Principes Sacerdotum, & concilium univerſum in ædibus Caiphæ coactum, cum jam ſtatuiſſet JESUM de medio auferendum, huic injuſtitiæ aliquem tamen juris fucum allinere voluerunt. Quærunt illum captioſis interrogationibus fallere; ejus reſponſiones in ludibrium traducuntur. Teſtes auro corrupti illum variis nominibus arguunt, & Salvator ſilentio reſpondet: illi iterum urgent, ille vero non addit verbum; rationes adferre conantur, ut ea, quæ dicta fuerunt, confirmentur, & pro illo patientia heroica perorat, *Jeſus autem tacebat*, Sacer textus ait. Quid ergo, Salvator! traduci tamquam divinæ, humanæque læſæ Majeſtatis reum, quin unico verbo tot calumnias refellas? quaſi ſilentium fuiſſet veritatis confeſſio, inſtaurant, ingeminantque criminationes ſuas; ille magis tacet, quo magis illi victoriam ſe retuliſſe gaudent, eique infamiæ labem adſpergere conantur, Dei Filius conticeſcit? *Jeſus autem tacebat*, & uti Sanctus Ambroſius inquit: *Chriſtus calumniis appetitus detulit ſilentium triumphale*. De calumnia triumphat quin aliter ſuam probet innocentiam, quam invicta patientia. O ſilentium de nequitia triumphans! o victrix patientia! quæ omnes querimonias noſtras, & murmur omne confundit; quandoquidem nobis ne exiguum quidem objici poteſt verbum, quominus illico ſuccenſeamus? Quid? hoc ſilentium Dei patientis, ac ſuſtinentis quidquid ſuggerit odium, & invidia ad calumniam inferendam efficere non poterit, ut aſſequamur ſenſum Dei tot contumeliis adpetiti, & efficientis ut ſua triumphum referat patientia, ubi ſua opprimitur innocentia. *Idem*.

Matth. 26.

Quid reſponderit Pontifici in Dei nomine quærenti, utrū ipſe CHRISTUS eſſet, & Meſſias.

Caiphas cujus tota agendi ratio cum injuſtitia erat conjuncta, cum extremis exceſſibus violentiæ turpiſſimas politicæ verſutias admiſcuit; Videns enim ſe nihil per teſtes proficere, & nullum ſe poſſe reſponſum elicere a Salvatore, neque ex illius ſilentio anſam excipere, ut eum condemnaret, hunc in Dei viventis nomine adjuravit, ut confiteretur, utrum ipſe Chriſtus eſſet, & Meſſias in lege promiſſus. Tunc propter reverentiam divini Nominis JESUS aperuit os ſuum; & veritati perhibuit teſtimonium.

Inter-

Interrogatio hæc talis erat, ut spei locus esse poterit, ut responsum illius tot confirmatum miraculis, quæ fuerat operatus, & quæ ne ipsi quidem judices ignorabant, in adorationem converterent odium summi Sacerdotis, qui non JESUM CHRISTUM, sed semetipsum adjudicaret, plorando totum vitæ suæ spatium id, quod contra ipsum peccaverat. Sed ubi cor humanum semel in malum determinatum est, in virus convertit, quidquid illi prodesse potest. Tamen Filius Dei omnem illi excusationem adimere voluit, omnemque cæcitati ejus colorem, eique respondit: *Tu dicis. Verumtamen dico vobis; amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*: Sed Pontifex iste furens, crudeli odio correptus, quin ad hæc verba resipisceret, illis auditis impetu quodam, quem zelum haberi voluit in horroris, & execrationis signum sua scidens vestimenta, clamavit; *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* quid aliud expectandum est, nonne audistis blasphemiam? Itaque sive hic Mundi Salvator loquatur, sive taceat; sive seipsum defendat, sive opprimi patiatur, omnia illi crimini vertuntur, & undequaque arripitur occasio illum morte dignum judicandi. *Idem.*

Matth. 26.

Ecce autem consilium quod Caiphas, & Principes Sacerdotum diabolica prudentia cœperunt, ut ansam haberent damnandi, perdendique Salvatorem. Sciebant ipsum pluribus in occasionibus vocasse Deum Patrem suum, asserentem *utrumque unum, & idem esse*. Videbant ipsum vulgo semet appellare Christum Filium David, & suspicabantur, non deesse in illo ambitionem, & illum pro Messia haberi velle: Igitur crediderunt, se illi paraturos laqueum, unde sese extricare non posset, si quærerent ab illo, utrum esset Christus; dicebant enim, si fatebitur se Filium esse Dei, traducemus illum pro blasphemo, qui secundum legem meretur mortem; si se Messiam dixerit, cum qualitas hæc Regiam amplectatur, illum læsæ Majestatis reum adversus Cæsarem declarabimus; & si negaverit utrumque, hoc illi testibus irreprehensibilibus demonstrabimus; ideoque quocumque se vertat, & quidquid respondeat, evitare non poterit mortem, quam illi inferre interest nostra. Hac igitur mente mitiori vocis sono quærunt ex illo: *Si tu es Christus, dicito nobis*. Sed Salvator, cui exploratum erat cor eorum, & qui noverat, quandoquidem miraculis suis non crediderant, ne verbis quidem credituros esse: statim respondit: *Si hoc dixero vobis non credetis*; & si hoc vobis probavero per quæstiones, quas ipse quoque vicissim proponam, neque respondebitis mihi, neque dimittetis me: non ergo prodest, me respondere vobis. Quamobrem summus Sacerdos intelligens quanti momenti futurum esset ex ipso JESU CHRISTI ore perspicuum responsum elicere, per Deum viventem adjuravit eum, ut diceret utrum esset Dei Filius. *Abbas de Monmorel de Passione.*

Quid excogitaverint Principes Sacerdotum, ut damnarent Salvatorem cum alicujus specie justitiæ.

Si Caiphæ interrogatio dolo plena fuit, nequitia ejus horribilis extitit. Volebat enim omnino perdere innocentem quidquid reddidisset. Callida versutia! Nam quidquid Dei Filius responderet, viam excogitavit, qua responsionem in capitalem noxam verteret. Si dixerit se Deum esse, damnabunt blasphemiæ nomine; si negaverit, illum calumniæ coarguent; si respondere noluerit, silentium ejus tamquam convictionem impietatis traducent, contra quam seipsum tueri non poterit. Impius iste judex Dei nomine abutitur, & gloriam ejus prætexit, ut damnabilem suam mentem operiat. Sed Dei Filius, qui renes scrutatur, & corda, ita se prodit, ut nisi ille sua excæcatus fuisset cupiditate, fese collegisset; nam sinceræ confessioni qualitatis suæ addidit, futurum esse, ut viderent Filium Hominis a dextris Omnipotentis Dei judicaturum illos, a quibus fuisset judicatus; *Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*. Perfide judex, in hæc verba Sanctus Augustinus exclamat, omnia faciem esse mutatura; *Veniet judicaturus, qui venit judicandus; sedebit judex, qui stetit sub judice, & qui tacuit in passione, non silebit in judicio*. Sed tantum abfuit, ut hæc Filii Dei responsio ullam efficeret impressionem in animo cæci judicis, ut hac non minus irritatus, quam silentio, furens e tribunali surrexerit, ostendens per hunc actum judice indignum sui furoris excessum, ut Sanctus Hieronymus loquitur: *Ut vesaniam mentis motu corporis monstraret*; & clamat, non ultra opus esse testibus, quandoquidem ex ipso rei ore audierat blasphemiam, quæ illum extremo dignum reddebat supplicio. Quæ verba protulit tanta furoris significatione, ut etiamsi alii nequaquam correpti fuissent eodem æstu, illius cupiditatem sequi debuissent; itaque illum reum mortis esse opinati sunt, & quin irent in suffragia, clamarunt omnes *Reus est mortis*. Hoc modo prolata sententia, solutum fuit consilium; & quin assertum reum in publicis carceribus asservandum traderent, tradiderunt illum satellitum, servorumque libidini, eorum tota nocte ludibrium futurum. *Ex variis auctoribus collectum.*

Animadversio in Caiphæ versutiam, & J. C. responsum.

S. Hieronymus in cap. 20. Matthæi.

Indignamur ipsi, reor, contra iniquorum, ac violentorum horum judicum injustitiam; ne tantum de illis solliciti simus, ut de nobis nihil cogitemus; & fortasse nosmet æque ac illos nocentes inveniemus; sed quid dico? Nosmet toto Cælo nocentiores videbimus. Testatur enim Apostolus, si Judæi JESUM CHRISTUM, Regem gloriæ cognovissent, nequaquam fuisse futurum, ut crucifigerent, & morte damnarent; nos vero Christiani, cognoscimus illum judicem viventium, & mortuorum, & nihilominus calcamus sanguinem fœderis, eumque iterum crucifigimus. Ne dubitemus ergo, utrum severius in nos erit animadvertendum, & juxta Salvatoris minas, utrum majoribus suppliciis erimus puniendi, quam olim incolæ infamium oppidorum, qui igne cælesti fuerunt absumpti. Ecce quid nos compellere debet non quidem ad vestes, quod fecit Caiphas, sed ad corda scindenda, ut imperat Jael: ecce inquam, quid nos excitare debeat ad peccatorum nostrorum pœnitentiam, eaque sincere, bona fide, & ex corde execranda, cogitantes quoties illa a nobis patrata fuerunt, toties nos judicasse Filium Dei reum esse mortis; & toties illum a nobis damnatum fuisse, quoties fecimus, ut ille in nobis crucis supplicium sustineret. *Abbas de Monmorel in Homiliis de Passione.*

Quo pacto nos quamvis Christiani imitamur horum judicum improbitatem. 1. ad Cor. 2. Actor. 10. ad Hebr. 10. & 6. Luc. 10. Joel. 2.

Nox, Christiani Auditores, quæ hominibus quietis tempus est, *Salvatori in Caiphæ* domo tempus est passionum, injuriarum, opprobriorum, & tormentorum. Hæc ipsa nox non solum illi funesta fuit, verum etiam tenebrarum suarum caligine majorem texit partem eorum malorum, quæ ipse propter nostrum amorem sustinuit. Tamen modicum illud, quod nobis testatur Evangelium, satis est, ut illum indignissime exceptum fuisse intelligamus. Collectitii enim satellites, qui erant vel servi, vel devoti Pontificis cupiditati, cum vidissent, quo loco ille a judicibus haberetur, & *non ignorarent* odium, quo herus suus in illum *flagrabat*, crediderunt sibi fas esse illum ad *libitum omni* afficere contumelia. *Fingite ergo vobis Salvatorem medium in hac brutali turba, quæ ad arbitrium per totam noctem illum obruit omnibus probris, quæ sævissima excogitare valeat protervorum carnificum impotentia.* Facies ejus conspuitur, quod cum blasphemis fieri consueverat, impinguntur colaphi, calcibus, & colaphis cæditur; impellitur, repellitur quo modo huc, modo illuc. Qui gravius illum percutiunt, & majori cum ignominia irrident, hi sociorum plausibus excipiuntur; qui violentius illum prosternunt, magis strenui, atque dominis suis fideliores audiunt. Cumque nemo est, qui hac in re aliis palmam cedere velit, alii crines, alii barbam convellere studeat ea cum impudentia, quæ in hominum mentem venire non posset, nisi hominibus admixti dæmones essent, quemadmodum Sanctus credidit Chrysostomus; alii vero animosiores iterant colaphos, & fustibus cædunt, atque in singulos ictus irrisiones instaurant. *Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit*; eodem ferme pacto, quo Prophetæ nobis exhibet Salvatorem hunc traditum barbarorum improperiis, facie alaparum ictibus livescente, impuris conspuantium fæcibus coinquinata, totoque corpore virgis contuso. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus. Ex variis Auctoribus.*

Quid passus fuerit nocte illa J. C. apud Caipham traditus militum insolentiæ.

Matth. 26.

Isaiæ 50.

Ubi miseri illi satellites agnoverunt ex Salvatoris facie, & toto corporis habitu, quamdam elucescere magnitudinis, & Majestatis lucem, quæ reverentiam conciliabat, & quæ impudentissimum quempiam coercebat, illi velamen aliquod objicere statuerunt, ut eum liberius percuterent, auferentes illi aspectum & criminum cognitionem. En, Fideles, quid hodierna die pariat plurimorum peccatorum impotentiam, qui se a Deo non videri putant; idque propter duplicem cæcitatem; alteram quidem quod velo obnubere studeant faciem Dei ipsius, persuadentes sibi se ab eo non videri, vel se fugere posse aciem vindicis oculi, qui densissimas quaslibet cordium *ipsorum* tenebras penetrat. Alteram vero, velum propriis obtendunt oculis ne cogitent unquam de vita sua, quapropter præcipites in omnia ruunt genera flagitiorum. Heu! ne statuas, auditor mi, hoc pacto velum ante faciem Domini fingens tibi Deum cæcum, qui non videat, Deum infirmum, qui de sceleribus tuis pœnas sumere non valeat; neque illud quoque prodest, quod oculis vestris vitram objiciatis, ne consideretis unquam, omnes noctis tenebras non esse ita densas, ut vosmet ipsos abscondant oculis illius, qui ipsum lumen est; quapropter imitemini hos calamitosos homines, qui Dei Filium omni afficiunt contumelia. *Auctor Sermonum in omnia argumen-*

Consideratio de velo, quod positum fuit super faciem Domini.

gumenta &c. de Passione in primo tomo Mysteriorum.

Alia hypotipoſis injuriarum, quibus funeſta illa nocte J. C. affectus fuit.

Poſſumus ne, ego quidem ſine horrore referre; vos autem citra indignationem audire contumelias; quæ inferuntur huic Regi gloriæ, ſtatim ac judices improbi illum morte dignum pronuntiant? Fingite vobis igitur; quæ pœna manet illum, in quem inimici; & ipſi etiam Judices publicum odium concitarunt, arctis adſtrictum vinculis, ſervorum impotentiæ traditum, qui facile heriles induunt ſenſus, ubi agitur de injuria alicui inferenda, quantumvis modicum ad id extimulentur. Parum eſt in faciem ejus conſpuere, capillos convellere, humi affigere, in ludibrium traducere Prophetæ, & Meſſiæ dignitatem: niſi illum pedibus calcant, pugnis cædunt, & omni coinquinant ignominia, quam efrænis licentia ſuadere poteſt imæ plebi, cui licent omnia: Ah! Cælum, intueri ne vales ſpectaculum adeo nefarium! Dicam ne etiam, ne ulla permittatur Salvatori quies, ſatellites, ſervoſque alternis ſibimet ſuccedere vicibus, ubi defatigati fuerint; ita ut qui refecti in priorum locum ſubeunt, eorum, qui præceſſerunt, impotentiam ſuperare contendant? Beati Spiritus, nihil antiquius eſt honore veſtri Regis; quomodonam tranquille ſpectare poteſtis, quæ illi inferuntur opprobria? Sed hoc tempus eſt patientiæ hujus hominis-Dei, qui ſeſe hujuſmodi malis objicere dignatus eſt. *Idem.*

Multo magis admirari debemus Dei Filium in patientia, quam in ultione injuriarum.

Cum videmus in Scripturis miſerum ſtatum, ad quem Philiſtiim redegerant Samſonem, & præſertim quomodo poſtquam illi oculos eruerant, deducí jubebant in cœtus ſuos diebus ſolemnioribus, ut illuderent illi; mox ſumma cum animi voluptate diſcimus, quomodo ultus fuerit tantam contumeliam detrahens in terram domum, in quam illi coibant; illos obruens domus ejuſdem ruina. Admiramur Eliæ magni potentiam; & gratulamur eo quod ignem de Cælo elicuerit in centum armatos, qui ad illum capiendum, atque Ochoziæ Regi tradendum acceſſerant. Admiramur etiam Eliſæi Prophetæ auctoritatem; qui cum videret procacem puerorum manum miſſam a civibus Betel ad illudendum ſibi, atque inconditis clamoribus, & ſibilis excipiendum; ex proximo ſaltu duos furentes accivit urſos, qui duos & quadraginta ex illo nequam puerorum numero voraverunt. Sed quam admirabilis es, Salvator mi! tu qui es Rex cæli, & terræ; a quo omnes Angeli ſignum præſtolantur, ut ruant in impotentes hos homines, qui te omni vexant contumelia; tu, qui unico verbo efficere vales, ut ſub pedibus eorum terra dehiſcat, ad eos deglutiendos, mavis pati, tamquam mortalium omnium noviſſimus, horum miſerorum opprobria, eiſque eſſe ludibrio uſque ad ſatietatem. *Pater de la Colombiere ſermone 2. de Paſſione.*

Arduum eſſet, Fideles, exhibere vobis miſerum ſtatum, in quo ſatellites, ſervique protervi reliquerunt Dei Filium poſt omnes contumelias, quibus ad libidinem uſque illum affecere. Hypotipoſis, quam plures ſanctitate, & doctrina præſtantes viri nobis reliquerunt, horrorem nobis ciet ſimul, & miſerationem. Conſtat autem faciem illius livorem contraxiſſe propter colaphos, quibus cæſa fuit; labia ejus mirum in modum intumuiſſe, tumoremque atrum, atque cruentum, qui ſine fremitu videri non poterat, illum ita deformaſſe, ut illi neque *ſpecies eſſet, neque decor*, ut Propheta teſtatur, & ut leproſo ſimilis videretur. Frons ejus, quæ ſedes erat verecundiæ, & majeſtatis livida facta eſt; oculi ejus ferme excæcati fœtentibus ſputis; & turpis vitta, quæ tegebat illos, & quam illi circumligatam reliquerant, prohibebat ſolum, ne obtutus aliquis flectere poſſet cor illorum, qui illum ita affectum viderent: Sed audeo dicere, hoc ſimul fuiſſe præſagium, illos nunquam viſuros eſſe divinam hanc faciem, quæ in Cælo pars futura eſt noſtræ felicitatis. *Auctor recens, & anonymus.*

Status ad quem redactus fuit militum probris J. C.

Iſaiæ 52.

Vix prolata fuit mortis ſententia in Dei Filium, cum deductus fuit in aliam aulam, vel atrium, ut ibi noctem traduceret vinctus, & traditus impotentiæ ſatellitum, omniumque domeſticorum, qui domini ſui exemplo acti, omni indignitate in illum ſæviunt. Noctis tenebræ celare non poſſunt confuſionem, qua Salvator ſuffunditur; facies enim illius tamquam blaſphemi conſpuitur, Meſſiæ qualitas vertitur in ludibrium: oculi ejus vitta circumligantur; divinare cogitur, quis illum percuſſerit; & quinam graviores ictus intulerint. Sexcentas audit blaſphemias in ſe prolatas; ſexcentas aculeatas irriſiones, totidemque improperia. Quid illi non dicitur? Quid non fit illi? Ego quidem puto tunc adimpletum fuiſſe, quod Propheta prædixit: *Saturabitur opprobriis*; nemo enim aliquando plura ſuſtulit opprobria, plures contemptus; nullum unquam mancipium indignius habitum fuit, neque pluribus affectum contumeliis. Sed quanam patientia Deus hæc ſuſtines omnia! Ullum ne tibi excidit verbum? Numquid temet tueri conaris, & evitare vulnera, quæ tibi inferuntur? Reſpondes ne illorum injuriis aliquo indignationis indicio? cæleſtem illis iram minitaris? Nil horum. Prorſus eorum *libidini traditus*, omnibuſque eorum crudelitatibus, percutientibus ſe genas exhibet; faciem non avertit a conſpuentibus; totum corpus percutientibus patet. O Dei patientia tot indignitatibus fatigata! O humilitas Regis gloriæ tot variis modis irriſa! O æterna ſapientia! quæ pateris contemptus, illuſiones, opprobria plebejæ fœcis! *Auctor ſermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Paſſione.*

Alia hypotipoſis injuriarum, quas Salvator ille paſſus eſt nocte illa.

Thren. 3.

***

DE LAPSU SANCTI PETRI.

Loci Scripturarum, & Patrum Sanctorum hujus argumenti.

VOS omnes scandalum patiemini in me in ista nocte: respondens autem Petrus, ait illi; & si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Matth. 26.

Ait illi JESUS: Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ibidem.

Ait illi Petrus: etiamsi opportuerit me mori tecum, non te negabo. Ibidem.

Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla dicens: & tu cum JESU Galilæo eras, at ille negavit coram omnibus dicens, nescio quid dicis. Ibidem.

Vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi; & hic erat cum JESU Nazareno, & iterum negavit cum juramento: quia non novi hominem. Ibidem.

Post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: vere tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit: tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem, & continuo gallus cantavit. Ibidem.

Recordatus est Petrus verbi JESU, & egressus foras flevit amare. Ibidem.

Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Marci 14.

Ait illi JESUS: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte ista priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. Ibidem.

At ille (Petrus) amplius loquebatur: etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Ibidem.

Venit una ex ancillis summi Sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem, aspiciens illum ait, & tu cum JESU Nazareno eras. At ille negavit dicens: & neque scio, neque novi quid dicas. Ibidem.

Rursus cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: quia ex illis est, at ille iterum negavit. Ibidem.

Et post pusillum, rursus qui adstabant dicebant Petro, vere ex illis es, nam & Galilæus es: ille autem cœpit anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. Ibidem.

Petrus sequebatur eum a longe. Luc. 22.

Dicit Petro ancilla ostiaria: numquid tu ex discipulis es hominis istius? dicit illi, non sum. Joann. 18.

Erat autem cum eis (Ministris) Petrus stans, & calefaciens se. Ibidem.

Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit, & hic cum illo erat; at ille negavit eum dicens, mulier non novi illum. Luc. 22.

Post pusillum, alius videns eum dixit, & tu de illis es; Petrus vero ait, o homo non sum. Ibidem.

Intervallo facto quasi hora unius, alius quidam affirmabat dicens: vere hic cum illo erat; nam & Galilæus est; & ait Petrus: homo nescio quid dicis; & continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus. Ibidem.

Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est verbi Domini, sicut dixerat; priusquam gallus cantet, ter me negabis. Ibidem.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum.

PEtrus si non peccasset, peccatoribus non ignosceret: ideo Petro magistro Ecclesia permittitur peccare, ut ejus culpa ad indulgentiam multorum proficiat. Sanctus Augustinus serm. 3. de Sancto Petro.

Cum dicimus Petrum ter negasse Christum, non ipsum primum accusare delectat, sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne quisquam de humanis viribus confidat. Idem tract. 66. in Joannem.

Ante mortem, & resurrectionem Domini, Petrus & mortuus est negando, & revixit plorando. Idem ibidem.

Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori. Idem tract. 123. in Joannem.

Medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumptio. Idem tract. 113. in Joannem.

Dominus post Passionem suam ter interrogavit Petrum: Petre amas me: ut trina confessione amoris deleret trinam confessionem timoris. Idem 49. de verbis Domini.

Timore Petrus, & voce ancillæ ter negavit; accepto postea Spiritu Sancto, cum fiducia prædicare cœpit, & inter flagella principum confessus est, quem negaverat. Idem in Psalmum 90.

Ecce columna fortissima ad unius auræ impulsum contremuit; ubi est illa promittentis audacia, & de se præsumentis? Idem tract. 113. in Joann.

Ubi sunt verba illa, quando ait: quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Idem ibidem.

Magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret, qualiter aliis mederi deberet. Gregorius hom. 21. in Evang.

Petrus una mulieris voce perculsus, dum non timuit, vitam negavit. Idem hom. 30. in Evang.

CHRISTUM comprehensum Petrus negavit in terra, quem suspensum latro confessus est in Cruce. Idem ibidem.

Petrus infirmitate peccavit; Deum quem mente tenuit, voce denegavit. Idem 25. in Job.

Fortasse in fide lapsus est aliquis, respiciat Petrum, qui amare flevit, quod timide negaverat. Idem hom. 25. in Evang.

Post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est. Idem libr. 7. Epist. 54.

Petrus ad pœnitentiam non multorum spatia postulavit annorum, sed ipsa nocte qua cecidit, ipsa quoque surrexit; ipsa nocte, qua meruit plagam, meruit & medelam; ipsa nocte, qua vulnus sensit, sensit & remedium sanitatis. Sanctus Joannes Chrysostomus hom. de Jona.

Peccavit Petrus, ut in Ecclesiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur. Leo Sermone 9. de Passione.

Cito in soliditatem suam rediit petra, & firmitatem standi in ipso articulo casus recepit: non tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis. Ibidem.

Felices lacrimæ, quæ ad abluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis. Ibidem.

Peccavit peccatum grande Petrus Apostolus, & fortasis quo gravius nullum est; & tam velocissime, quam facillime veniam consecutus est, & sic, ut de singularitate sui primatus nihil amitteret. Bernardus serm. 1. in Festo Petri, & Pauli Apostolorum.

Respicio Principem Apostolorum negantem timide, amarissime flentem CHRISTUM, illum respicientem. Idem serm. de septem gradibus confess.

Considerationes Theologicæ, & morales de lapsu Principis Apostolorum.

FAtendum est, Sanctus Chrysostomus inquit, amorem hujus discipuli erga Magistrum suum, magnum fuisse; nam ceteris fugientibus ipse non terretur, & sequitur JESUM usque in domum Summi Sacerdotis; sed fatendum quoque est amorem hunc nimis naturalem fuisse, & in iis omnibus, quæ fecit Apostolus iste nonnihil admixtum fuisse præsumptionis, & curiositatis. Ceterum ardenti erat ingenio, & nimis bonam virium suarum opinionem fovebat, quæ res S. Augustinum ad dicendum impulit, illum credidisse se posse, quod sibi velle videbatur, & tandem ubi vidit Magistrum suum velut nocentem capi, præ curiositate rei hujus exitum, & quem finem esset habitura, videre voluisse. Ita ille affectus erat; qua in re animadvertere possumus plerumque contingere, id quod apud homines vulgo virtus, & fortitudo existimatur, id sæpe in Christianis esse præsumptionem. Si discipulus iste pro hac temeritate aluisset illam in propriis viribus diffidentiam, ac vigilantiam, quam Salvator, in cujus schola fuerat edoctus, illi etiam, atque etiam commendavit, nunquam existimasset se aliorum fortissimum, neque victus fuisset. Recordabatur, se Magistro suo fuisse pollicitum, se nunquam ab eo recessurum fuisse, & si opus fuisset commori cum illo, se lubentissime mortem subiturum; sed oblitus erat quod illi prædixerat Magister; se ab illo ter negatum iri. Itaque præstare voluit fidem promissionis, cui non deerat præsumptio, viribus humanis, quæ fuit criminis causa.

In magni hujus Apostoli lapsu possumus admirari divinæ Providentiæ consilia nunquam permittentis mala, nisi ut inde bona proficiscantur; teste Augustino. Et profecto ex Sancti Petri peccato magna huic Apostolo, magna nobis, magna Ecclesiæ cessit utilitas. Primum enim, Petrus propria didicit experientia, quantum posset ope gratiæ; & quantulum per se, solisque viribus liberi arbitrii. Cum JESU CHRISTI divinitatem confessus est, id accidit per peculiarem Dei revelationem; cum vero negavit illam, hoc evenit

per

per motum propriæ voluntatis. Secundo, hæc fuit causa humilitatis ejusdem in reliquum vitæ suæ spatium, meminisse criminis adeo enormis; cum enim omnibus præcedere deberet dignitate, perutile erat aliquod habere semet humiliandi argumentum, ut S. Augustinus animadvertit; & S. Gregorius addit ipsum didicisse illinc misereri eorum, qui æque, ac ille laberentur, cognita hominis imbecillitate, atque infirmitate; eumque munus suum Pastoris universalis exigere debebat, ut doceret homines pœnitentiam, permisit Deus, ut ipse etiam hoc indigeret remedio, ejusque præberet exemplum. Tertio, nos quoque ex lapsu ejus magnas percipere possumus utilitates, nempe diffidendi semper de nobismet ipsis, & de viribus nostris, considerantes quid acciderit tanto Apostolo, qui omnium videbatur fidelissimus æque ac ferventissimus; non confidendi in iis consiliis, quæ videntur optima, quandoquidem illa omnia ferventis hujus Discipuli non prohibuerunt, ne caderet, & negaret illum, cui paullo ante promiserat integerrimam fidelitatem; demum nunquam desperandi de salute nostra quantacunque sint nostra peccata, quandoquidem veniam illorum obtinere possumus vera pœnitentia. *Conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras flevit amare.*

Luc. 22.

Ex lapsu hujus Apostoli discimus occasione peccati esse fugiendam. Eccli. 7.

Ex terribili hoc exemplo lapsus tanti Apostoli discere possumus id quod nobis certissime eveniet in peccati occasione; cui si nosmet ultro objecerimus, vincemur, uti S. Petrus, ea tentatione, quæ nobis minus pertimescenda videbitur, juxta illud Scripturæ axioma: *qui amat periculum, peribit in illo*. Itaque dicere nobis licet cum S. Augustino, hunc Apostolum peccato suo omne genus humanum edocuisse in persona sua, & aperte ostendisse, nos sine Dei gratia nihil posse; si enim lapsus est Petrus, quisnam poterit impostorum sibi confidere? ubi S. Chrysostomus animadvertit, Petrum nequaquam a Judicibus interrogatum fuisse, nec minis perterritum; neque virgas, aut fecures illi fuisse intentatas, neque oculis ejus suppositas: judicem non posse auctoritate sua justum incutere timorem illi, qui se dixerit Discipulum JESU; multoque minus mulierem ostiariam, & vile mancipium. Nihilominus nihil ultra quæsitum fuisse ad flectendum animum adeo firmum, & obliterandas solemnes promissiones, quibus Apostolus ille se obligaverat Salvatori, ita ut tamquam ignavissimus, & omnium hominum infirmissimus laberetur.

Deus permisit hunc lapsum in Principe Apostolorum in Pœnam præsumptionis ejusdem.

Una ex præcipuis rationibus, propter quas Dominus lapsum S. Petri permisit, fuit in pœnam præsumptionis illius, & ut constitueret illum in humilitate, qua indigebat, & cujus necessitatem, & utilitatem non satis cognoverat: nam proculdubio nihil illi magis profuit ad hanc virtutem illi conservandam, & procurandam, quam lapsus sui cognitio. Ita Deus, qui novit ex malo bonum promere, permittit nonnunquam, ut qui virtutis suæ nitore in oculis hominum tamquam sydera fulgebant, patiantur eclypsim, quæ labem offundit eorum existimationi, ut iterum acquirant humilitatem, cujus jacturam fecerunt. Quapropter Sanctus Augustinus ait, prodesse superbis in peccatum aliquod insigne corruere, ut pudor salutaris relevet illos a lapsu, quem in illis inanis alioqua oblectatio pepererat; si mox ingrediantur in semet, & sicuti fecit Sanctus Petrus, providentiæ consilia assequantur, salutem eorum certam faciendi per confusionem.

Deus permisit lapsum Apostoli ut ex ea indulgentia, qua Deus in illum usus est, intelligeret, qua sibi cum aliis utendum esset.

Ratio alia, quam afferre possumus divinæ hujus erga Apostolum Providentiæ, est, ut obiter jam innuimus, cum Apostolus hic constituendus esset caput Ecclesiæ JESU CHRISTI, operæ pretium fuisse, ut ille per propriæ infirmitatis experientiam cognosceret, qua miseratione afficiendus esset humanæ fragilitatis, & ex ea misericordia, qua cum illo Deus usus fuerat, doceretur, quænam sibi erga alios esset habenda: quod nobis locum præbet admonendi illos, qui animabus regendis destinati sunt; rationem illam durisculam, & austeram, qua peccatores excipiunt, nequaquam decere spiritum lenitatis, & caritatis, qui toties nobis commendatur in Evangelio, neque hoc pacto Dominum sese gessisse cum Sancto Petro, cujus peccatum adeo grave oculis misericordiæ suæ respicere dignatus est. Opus est, ut de Pastore dici queat, quod de JESU CHRISTO dixit Paulus: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Non ita tamen ut nimis se præbeat facilem, ac indulgentem, & foveat peccatoris audaciam permanendi in sceleribus suis, ejusque impœnitentiam; sed simul fortitudinem, & lenitatem commisceat; & severitatem adhibeat cum illis, qui non afferunt necessarias ad pœnitentiam dispositiones; suavitatem vero cum illis, qui vere contriti sunt.

ad Hebr. 4.

Petrus ad unicum Salvatoris intuitum ducitur pœnitentia.

Quantumcumque fuerit Sancti Petri peccatum, unius Salvatoris obtutus satis illi fuit, ut lacrymarum torrentem effunderet; nam obtutus ille, de quo loquitur Evangelium, fuit obtutus misericordiæ, quem subsecutus est secretus quidam gratiæ motus, cui Apostolus statim victas dedit manus, ductus acri pœnitentia criminis sui, & proficiens hac interiori gratia, statim ex illa domo egressus est, amare flevit, totumque vitæ suæ spatium impendit, ut unius momenti infirmitatem jugi fidelitate repararet; quod nobis locum præbet nonnulla de illius pœnitentia animadvertendi. Discamus hinc, ubi peccatores sumus, fieri pœnitentes; discamus nosmet præbere attentos, & fideles interioribus gratiæ motibus, quibus urgemur, ut festinemus reverti ad Deum; potissimum vero discamus, diutius in peccato non permanere. Vix Apostolus Magistrum, Dominumque suum negavit, cum ipsum pœnituit, & solus Salvatoris intuitus illum ad officium revocavit. Sæpe integros elabi sinimus annos, antequam cum divina Majestate revertamur in gratiam, scelera in singulos dies multiplicantes. In hoc Apostolo imitari debemus hanc celeritatem respondendi gratiæ nobis oblatæ. Salvator conversus vix respexit Petrum, cum intuitus hic, velut telum fidit cor illius, & inde amaras lacrymas affluenter elicuit. Hæc unica fuit consolatio, quam Dei Filius recepit, inter tot cruciatus, & contumelias, quibus afficiebatur.

Ad perfectam conversionem probandam statim relinquenda est occasio peccati ad exemplum S. Petri.

Sanctus Petrus ut nobis præberet certum suæ pœnitentiæ argumentum, statim secessit a loco, qui suæ innocentiæ fatalis extiterat: *Egressus foras*; manifestum sinceræ conversionis indicium & verum, firmumque argumentum susceptum fuisse consilium omnino relinquendi peccatum. Itaque volumus ne certos esse nostræ conversionis, & testari nos vere ad Deum rediisse? Omnino relinquendus est locus, personæ, sodalitates, quæ nos ad peccandum impulerunt. Velle enim semper in iisdem occasionibus permanere, ubi semper victi fuimus; & credere, nos impostorum fideliores futuros; hæc bipalmaris illusio est, cujus errorem abjicere non esset arduum, si nobiscum meliori cum fide ageremus. Quod autem dicimus de personis, dicendum est etiam de professionibus, atque statibus; & S. Gregorius animadvertit, S. Petrum post conversionem suam, & Salvatoris resurrectionem rediisse ad retia sua; S. Matthæum vero ad telonium suum non rediisse, quia S. hic Doctor ait, non desunt professiones bonæ, & licitæ, quæ omni tempore possunt exerceri, & malæ, atque periculosæ, quarum exercitium nunquam, vel fere nunquam potest culpa vacare. Quæ per semet objiciunt peccato, nulla est dubitatio, quominus illas relinquere teneamur, quoniam sunt proximæ peccati occasiones.

S. Gregorius hom. 24. in Evang.

Ubi Apostolus hic egressus fuit de loco, ubi divinum Magistrum suum negaverat: non solum flevit peccatum suum, sed *egressus foras flevit amare*; unde discamus opus est, ad hoc ut veram faciamus pœnitentiam, atque ut loquitur Scriptura, *dignos pœnitentiæ fructus faciamus*, non satis esse patrata scelera lacrymis eluere, sed illa amaris lacrymis esse plorandа. Hoc fecerunt veri pœnitentes. Statim ac Magdalena sensit in corde suo gratiæ salutaris impressionem, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus. Laboravi in gemini meo*, inquit Propheta, *lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis, stratum meum rigabo*. Ad veritatem hanc probandam non requiritur aliquid ultra præter amaras, ubereseque lacrymas Sancti Petri, quæ magnitudinem, ac diuturnitatem doloris significant. Una profecto sinceræ contritionis lacryma satis est ad iram Dei flectendam, & criminum maximorum veniam impetrandam; sed sine detrimento jurium divinæ justitiæ, quæ petit, ut peccatorum pœnas luamus, eaque expiemus rigoribus pœnitentiæ. Huic autem justitiæ satis non est dolor perfunctorius, nec aliquæ lacrymæ, quas sæpe naturalis potius elicit dolor, quam vera scelerum nostrorum pœnitentia; si postmodum non ultra cogitatione eadem recolimus illa. Dolor noster, & lacrymæ, non secus ac illæ Petri, nonnisi cum vita nostra sunt desituræ.

Peccata plorанda sunt ut vera fiat pœnitentia ad exemplum S. Petri.

Luc. 7. Psalm. 6. Psalm. 101.

Si hinc quidem cum stupore consideramus hominis infirmitatem in lapsu S. Petri; inde admiramur divinam misericordiam, quæ illum statim extulit: Pastor hic optimus non cessavit, quominus deerrantem ovem insequeretur: oblitus est dolorum, quibus torquebatur, ut opem ferret discipulo, qui in tantam lapsus erat calamitatem. Conjicit in illum misericordes oculos: *Conversus dominus respexit Petrum*. JESUS CHRISTUS illum ad Apostolatum evexerat unico obtutu; & statim ac lapsus est, altero obtutu revocat ad officium. Debebat vocationem suam oculis Domini sui; reliquum erat, ut iisdem suam deberet conversionem. Admiremur S. Petri felicitatem, qui fuit objectum intuitus adeo propitii: sed multo magis admiremur illius misericordiam, qui obtutu suo infert in hujus Apostoli cor gratiam pœnitentiæ.

Luc. 22.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus Loci hujus Argumenti.

Præsumptio S. Petri caussa lapsus ejusdem.

PEtrus credebat se Apostolorum omnium fortissimum, & inde factus est infirmissimus. Tota ergo Christiani virtus sita est in sensu imbecillitatis suæ, & in confidentia in Deo ipsum confortante. Propterea quod de se ille tam præclare sentiebat, Jesus respondit illi: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte ista priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Prædictio his circumstantiis connotata efficere debebat, ut Apostolus sese colligeret; sed præsumptio illius tenebat oculos, & opus fuit quodammodo, ut cælum eos lapsu ejusdem aperiret. Et profecto se satis fortem crediderat ad confitendum JESUM CHRISTUM inter tormenta, cum non satis haberet constantiæ, ut illum coram ancilla confiteretur. Quidam in perfunctoriæ devotionis fervore putat gravissimos impetus inimicorum salutis nostræ sustinere se posse, quem levis tentatio intra pauciss. horas prosternit. *Ex recentibus considerationibus in Evangelia, in Evangelium Sancti Marci cap.* 14.

Marci 14.

Constantia S. Petri in societate impiorum labefactata fuit a simplici ancilla.

Petrus in Salvatoris, & discipulorum ejus societate fidem suam mirum in modum testatur; sed vix impiis jungitur, cum oblitus omnium promissionum suarum Domino abrenuntiat. Huic Apostolo crimini vertitur solum, quod esset e Salvatoris discipulis; & hoc simplex illi exprobrat ancilla; tamen putat se jamjam ad tribunalia rapiendum esse, & extremo afficiendum supplicio. Timor ita amplificat objecta in oculis nostris, & nos terret phantasmatibus, quæ si quidquam firmitatis nobis inesset, contemneremus. Ecce, Sanctus Augustinus ait, firmissimam columnam primo levis auræ flatu labefactatam. Quid factum est de generosa illa fortitudine, cui nihil arduum videbatur? Sed mirum ne videri debet nobis, Deum prædixisse veritatem, & hominem falli, cum in propriis viribus confidit? *Idem. In Sancti Marci Evangelium.*

Permittit Deus hujus Apostoli lapsum, ut discat alienis parcere.

Occasio, in quam aliquis se temere conjicit, plerumque alteram trahit, in qua adhuc sumus infirmiores. Peccatum, ex quo non statim resurgimus, quamprimum altero excipitur graviore; & vulnus altius additum priori curationem efficit difficiliorem. Tu permisisti Domine, ut hæc petra, quæ futura erat Ecclesiæ tuæ fundamentum, momento penna levior effecta, fieret tentationis ludibrium. Docere volebas, illius firmitatem, & immobilitatem non aliud esse nisi tuarum promissionum effectum. Cur permisit Deus, S. Gregorius inquit, ut ille, quem Ecclesiæ universæ præfecturus erat, negaret ipsum, per timorem, quem ancillæ verbum eidem incussit? Hoc factum est consilio misericordiæ ipsius, ut qui pastor futurus erat Ecclesiæ ex lapsu suo disceret alienis indulgere infirmitatibus. Opus ergo erat, ut ille semetipsum rite cognosceret antequam aliis præficeretur; ut per suæ infirmitatis experientiam intelligeret qua suavitate, atque indulgentia fratrum suorum infirmitates ferre deberet. *Idem.*

S. Petri conversio exemplum est perfectæ conversionis.

Petri lapsus apertissimum nobis est argumentum infirmitatis humanæ; verum etiam reditus ejusdem ad Deum satis validum est perfectæ conversionis exemplum. Ubi primum recordatus est verborum Magistri sui, *flevit amare*. Videlicet præsto fuit ejus pœnitentia, sincerus dolor, lacrymæ nequaquam perfunctoriæ fuerunt. Flagitiosi homines, qui in lapsu Principis Apostolorum quærerent aliquem suæ fragilitati colorem, in ejusdem pœnitentia invenirent damnationem suæ in peccatis perseverantiæ. Aliquot JESU CHRISTI verba, a Sancto Petro ad memoriam revocata primum conversionis ejusdem semen fuerunt. Petrus statim deserit locum & occasionem peccati sui: hic primus est effectus gratiæ pœnitentiæ in docili corde. Quantum suavitatis est in lacrymis amarissimis, quas elicit pœnitentia! Quantum e contra amaritudinis est in deliciis, quæ in peccato gustantur! *Idem in idem Evangelium, & partim in Evangelium S. Matthæi.*

Peccatum statim alio graviore excipitur cum peccati occasio non deseritur.

Quousque intra paucas horas in Sancti Petri corde metus processit! Re adhuc integra unus ipse ausus est contra integram militum cohortem stringere gladium, ut tueretur magistrum suum, modo autem unius ancillæ voce territus, illi abrenuntiat. Nunquid ergo tam breve temporis spatium requiritur, Salvator, ut cupiditas aliqua dominetur in corde, ut infidelem efficiat Discipulorum omnium maximè strenuum, & fidelissimum? Heu! ad id unicum satis esse potest momentum, cum vigilare, & orare negligimus. Petrus primum quidem simpliciter negat JESUM CHRISTUM. Intra brevissimum temporis spatium secundo negat illum, & juramento adjicit imprecationes. Non injuria, Salvator, hæc omnia infidelitatis incrementa permittis in Principe Apostolorum tuorum. Ad augendam illius humilitatem, caritatem erga fratres, & amorem erga te ipsum, hoc pateris; verum etiam, ut intelligamus post primum lapsum quam primum longe plures, graviores que subsequi, nisi statim a peccati occasione recedamus. *Idem.*

S. Petri lapsus nos monet, ne semper in viribus nostris confidamus.

Petrus cum JESU in Olivarum horto integram militum cohortem irruentem non expavit, & paullo post ad ancillæ vocem trepidavit. Incipientium fervor, cui re adhuc integra nihil resistit, & qui nisi oratione, & vigilantia roboretur, momento intercidit, & minima qualibet difficultate superatur. Ne præsidamus nostris consiliis; neque insignibus operibus, quæ fecimus ipsi: securitas nostra tota sita est in humili diffidentia, quæ nos vigilare, & orare cogit. S. Petri sensus tales erant, quales jactitabat; sed in illis præfidens, orationem neglexit, & in tempore tentationis se nimis infirmum expertus est. Nequaquam parem se putabat negando magistrum suum; & hæc ipsa fuit negationis caussa. In via salutis nihil non metuendum est ipsis etiam sanctissimis viris, ubi timere & orare cessaverint. *Idem in S. Luca Evangelium.*

Docet nos quoque vitandam malorum societatem.

Narratio, quam omnes Evangelistæ nobis proponunt iteratorum lapsuum S. Petri, docere nos debet, quanti referat oculos non amovere ab hoc exemplo, ut semper nobismet ipsis invigilemus, & potissimum, ne nosmet in peccatorum societate implicemus. Apostolus hic adeo palam admonitus a Domino de imminenti periculo, non sibi cavet contra suam imbecillitatem; ergo de lapsu ejusdem formidandum est. Ancillæ verbum labefactat Petri firmitatem, efficitque, ut momento decidat. In Christiana vita nulla sunt levia temerariis animabus periculæ. Petrus sese immiscet satellitibus, servis, domesticis persequentium magistrum suum; quæ societas Apostolo JESU CHRISTI? Prior lapsus efficere debet, ut a periculo recedat; ille vero sese magis objicit. Heu! quam raro accidit, ut quis in primo gradu immoretur! Prior hic gradus difficillimus omnium est, reliqui nullo stant pretio. *Idem.*

Si ut S. Petrus lapsi sumus, celerem illius pœnitentiam imitemur.

Post lapsum reminiscitur Sanctus Petrus, Salvatorem hunc sibi portendisse; cur non reminiscebatur, Salvatorem quoque illi præcepisse, ut vigilaret, & oraret, ne laberetur? Ipsi quoque cum S. Petro negligentes monita Salvatoris, fortasse in peccatum lapsi sumus. Proficiamus ergo ad ejus exemplum obtutibus Salvatoris nos ad pœnitentiam vocantis. JESUS CHRISTUS oblitus infidelitatis discipuli sui, illum ad officium revocare contendit; & hæc proculdubio caussa est, ut statim effluant ex Petri oculis lacrymæ. Hoc ipsum millies mecum operatus es Deus, requirens me gratia tua eo temporis articulo, quo te contumeliis afficiebam, neque intellexi. Occasionum fuga, dolor acer, cujus indicium sint juges, & amaræ lacrymæ, hæc signa sunt sinceræ pœnitentiæ. *Idem.*

Lapsus S. Petri non ortus est, quia fidem amiserat, sed quia vim non habebat profitendi eam.

Non defuit Petro fides, sed Petrus fidei; non enim habuit vim profitendi illam. Quot Christiani hoc facto desunt fidei suæ, non perhibentes illi testimonium, quod debent operibus suis. Nihil magis oppositum videtur characteri Petri, perfidia: tamen ter circa fidem tentatus, ter cedit. Heu! ipsa etiam formidemus vitia, quæ nostris studiis sunt magis opposita; sæpe enim tentatio fit maxime periculosa, eo quod non satis timetur . . . Vix aliis ea condonamus scelera, in quæ nos nequaquam labi posse putamus; sed discamus misereri omnium infirmitatum videntes in persona Petri, nos in omnes incidere posse; sed ex hujus Apostoli lapsu percipiamus, hominem qui proprios lapsus expertus est, alienorum facilius misereri; melius eorum caussas cognoscere, & melius callere artem illos prævertendi, ac reparandi. Lapsus nos roborant, cum nostram nobis infirmitatem ostendunt, cum nostrummet diffidentiam suadent, cum ad Deum nos confugere cogunt. Humilitas, oratio arma sunt, quibus fathanas nequit resistere. *Idem, sed in pluribus locis, & in varia Evangelia.*

Præsumptio, & secreta superbia Petri fuit initium, & caussa lapsus ejusdem. Prov. 16.

Magna ingenia apta sunt ad maxima quæque efficienda pro gloria Dei, ubi gratia roborantur; sed apta quoque sunt ad plurimas noxas patrandas, ubi de suis viribus præsumant. Elevatio cordis eorum portendit illorum lapsum juxta illud Sapientis: *Ante ruinam exaltatur Spiritus.* Samson, quia viribus præfidit suis, corruit; Sanctus Petrus quia nimis de robore suo præsumpsit, in extremam incidit infirmitatem. Contremiscite, animæ Christianæ, ad intuitum horum exemplorum; & quantumvis JESUM CHRISTUM amaris, amantes illum timete; amor enim, quo vos diligit non vetat, quominus vobis reformidet. *Ama, & time*, ut Sanctus quidam ait, *quia amaris cum timore.* Scio equidem Salvator mi, fieri non posse, ut qui per se nihil est, per se ipsum fulciatur; ideoque non miror, si adeo infirmus sum, quia nihil habeo, quod mutuatus non fuerim. Sed miror quod cum ita fragilis sim, tamen adeo præsumam, & cum in me tantum sit imbecillitatis, adeo parum diffidam de viribus meis, quæ in mea tantum imaginatione subsistunt. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

S. Isidorus Pelusiota.

Negligentia & oblivio verborum Dei una fuit ex caussis lapsus Petri.

Qui obliviscitur verbi Dei, & monitorum, quæ sibi traduntur, quam primum superabitur, quia jam inermis est. Hæc negligentia fuit effectus præsumptionis S. Petri, qui se tentatione victum iri non credidit. Illum JESUS monuerat, ut vigilaret, Cæli opem impetraturus; ipse vero quin orationi vacet, in horto dormitat. Sibi turpem imminere lapsum, certior factus fuerat; & quin ex his proficiat monitis, & de sua imbecillitate diffidat, sine ulla præcautione in periculum ruit. Quid inde? periculum negligit, & turpiter se in illo involutum nanciscitur. *Idem.*

Aliæ lapsus caussa fuit, tepor, quo J. C. sequebatur.

Heu! Quid ipsi sumus sine gratia, & ope Dei? Quid nobis timendum est illum ignave sequentibus? Hoc ex Petri lapsu intelligite; & diligenter attendite, quid illum ad tantam calamitatem disposuerit. Negligentia nunquam sine tepore est, & tepor sine ignavia. Petrus cum jam abjecisset timorem, quo correptus in horto Olivarum aufugerat, in se reversus statuit sequi Magistrum suum; sed a longe. *Sequebatur a longe*; putans satis sibi consuluisse, ut & Discipuli qualitatem servaret, & se periculo non objiceret; non secus ac illi, qui vellent quidem servire Deo, quin tamen quidquam de commodis, atque deliciis suis relaxarent. Sequitur Magistrum, quia adhuc illum amat; sed eminus sequitur, quia amor intepuit; & quemadmodum qui ab igne recedit, frigescit; ita ille procul a Domino caritatis fervorem amittit, & propior fit, ut ipsam amittat caritatem. *Jam proximus negaturo*, ut dicit Sanctus Ambrosius de Petro loquens: *neque enim negaret, si Christo proximus adhæsisset.* Itaque non sine Mysterio S. Joannes animadvertit, nocte illa frigus fuisse: Glacies erat in corde timidi hujus discipuli, & frigus caussa fuit lapsus ejusdem. *Idem.*

Luc. 22.

Proxima occasio, in quam se conjecit Apostolus, caussa lapsus ejusdem, & illa a nobis diligentissime evitanda est.

Proxima occasio, in quam se conjecit Apostolus, & prava societas, cui sese immiscuit; lapsum illius compleverunt. Pontificis domum ingreditur favore alius Discipuli, qui, quin cogitaret, infortunio illius locum præbuit; quod vulgo mundi hujus amici facere consueverunt, qui rati se prodesse illis, quos diligunt, eos in præceps impellunt. Summorum virorum domus clementum est virtuti contrarium; ibi multi Sancti pereunt; sed citra miraculum nemo fit Sanctus. Atrium ingressus ibi manet, non ausus ulterius sequi Dominum suum, & hinc profectum est, ut ex conspectu ejus JESUS fuerit sublatus. Mox se famulis inserit cum illis collocuturus, & præstolaturus exitum rei, quin ferret opem Magistro, qui interim omni contumelia afficiebatur. O quam funesta fuit ipsi illa societas! cum enim eorum quidam asserent, & affirmarent ipsum unum esse ex illis, qui erant cum JESU Nazareno, cumque satis ex loquendi ratione cognosci, tunc cœpit detestari, & pejerare, se illum non nosse. Non solum negat secundo Magistrum suum; sed perjurium adjicit negationi. Heu! quam imbecillus est homo in ea peccati occasione in quam ultro se conjicit! *En columnam firmissimam, ad unius auræ pulsum totam contremiscentem.* S. Augustinus exclamat. En quid metuendum sit illi, qui cum semel lapsus est, iterum se jacit in occasionem, cujus periculum tanto cum innocentiæ suæ detrimento expertus est. Apostolus ille cogitasset ne unquam se huc usque processurum? Vos autem, quibus lapsus illius stuporem injecit, crederetis ne futurum ut in occasione peccati, quam quæsivistis, humana ratio, secreta vanitas, emota cupiditas, verbum, subitus favor, posset vobis immittere oblivionem Dei, & efficere, ut illum per mortale peccatum negetis, quod alibi, vel in aliis circumstantiis patrare vos puduisset. *Idem non sine aliqua mutatione.*

August. tract. 113. in Joann.

S. Petri lapsus est humanæ infirmitatis exemplum.

Ex S. Petri lapsu cognoscemus usque quo humana fragilitas evadere possit. Apostolus hic erat petra fundamentalis Ecclesiæ; per revelationem cognoverat divinitatem JESU CHRISTI; eamque palam professus fuerat, pro illo se mortem subiturum spoponderat, & post hæc ad simplicis ancillæ vocem contremiscit; negat Magistrum suum, se illum ignorare profitetur, neque se illius esse discipulum audet confiteri. O quam plane hoc me docet exemplum, ne præsumam ego, qui non sum petra, sed pulvis, quem levis aura dispergit. Mea igitur potissima cura erit nihilum meum cognoscere, & diffidere de mobilitate mea. Modicum virtutis, quod in me est, simile mihi videtur mystico illi simulacro, cujus pars superior ex auro, & argento erat conflata; sed pedes erant ex luto, in quos cum parvus lapis incidisset, molem omnem prostravit. *P. a Ponte in 4. parte Mysteriorum de Fide.*

Petrus ter negavit J. C. sicuti ter se præsumere ostenderat.

Luc. 22. Matth. 26.

In S. Petri lapsu illud etiam prætereundum non est, quemadmodum in illa nocte ter se viribus suis præfidere ostendit, dicens 1. Se paratum esse, ut JESUM ad mortem usque sequeretur: 2. Quamvis illum ab omnibus derelictum videret, se tamen ab eo non recessurum: 3. se nequaquam negaturum esse illum, quamvis hoc illi vita ipsa staturum esset: ita Deum ad ejus superbiam infringendam permisisse, ut ter eodem fere momento negaret illum, cui adeo arcte adhærere videbatur. Ecce quomodo superbus in iis etiam rebus, de quibus gloriatur, invenit suam humiliationem. *Idem.*

Dei misericordia mirum in modum elucet in conversione, & pœnitentia S. Petri.

Egregiam habemus hypotiposim pœnitentiæ Sancti Petri paucis hisce verbis comprehensam. *Egressus foras flevit amare.* Qua in pœnitentia potissimum ante cetera incomparabilem admirari debemus Salvatoris caritatem, qui medius inter inimicos, opprobriis, ac doloribus confectus, minus de passionibus suis sollicitus videtur, quam de lapsu infidelis discipuli, cujus ingratitudo non minima est dolorum suorum caussa. Quamvis ab illo distet, videt tamen errores illius; sed quin in illos animadvertat, misertus illum excitat ut ad officium revertatur; eidem parcere quærit, maxima utitur diligentia, ut ovem hanc deerrantem reducat; conjicit oculos misericordiæ suæ in hunc peccatorem; mentem ejus cælesti lumine illustrat, ostendit illi peccati sui magnitudinem; flectit cor ejus, ut ad pœnitentiam perducat. Salvator amabilis! adeone durus essem, ut te non omnibus viribus diligerem, scjens, in ipso sceleris mei impetu, te quærere, ut mihi pareas? Animadvertamus paullisper amaras pœnitentis discipuli lacrymas non ex vili, servilique timore, sed ex purissimo amore magistri sui profectas. Acceptorum beneficiorum memoria, & dolor, quo illum conficit infidelitas sua, mutant oculos ejus in duos fontes lacrymarum; habet cor repletum amaritudine, & experitur, quod dicit Jeremias, *quia malum, & amarum est reliquisse Dominum Deum.* Væ mihi, exclamat ille, væ mihi, qui adhuc vivo postquam negavi Auctorem vitæ. Quomodo terra non aperuit os suum, ut Creatorem suum ulciscereturt? Os improbum, quomodo jurare potuisti me non nosse illum, a quo tot cumulatus sum beneficiis? lingua sacrilega, numquid tot imprecationibus asserendum erat mendacium? Heu! quam justum esset, ut cæli maledictio in me descenderet, quandoquidem illam mihi precatus sum! Quis dabit cordi meo totam maris amaritudinem, & oculis meis affluentes lacrymas, ut noctes, diesque plorem injuriam, qua meum Salvatorem affeci. Ita Sanctus Petrus plorabat peccatum suum, & excitabat se ad sanctam in divina misericordia confidentiam. *Idem.*

Jerem. 2.

Unicus J. C. intuitus S. Petrum tetigit, atque convertit.

Cum S. Petrus tertio negasset Magistrum suum, JESUS respexit illum, neque aliud quæsitum est. Meminit ille prædictionis ejus; ecce cor, quod in lacrymas funditur, & dolore scinditur; ecce anima, quæ mergitur amaritudine. Duo lacrymarum fontes effluunt ex oculis ejus, recedit, sese concludit dolori suo liberam viam permissurus. O virtus! o vis obtutus Salvatoris. *Domine, quando respicies?* Sed nonne sæpe jam me respexit? Quoties me intrinsecus tetigit? Quoties in imis animæ meæ penetralibus locutus est? &c. *P. de la Colombiere Sermone de Passione.*

Virtus lacrymarum S. Petri.

Pœnitentis Petri dolor tantus est, ut ejus jugulet verba; sed opus non est linguam ejus loqui; lacrymæ suæ satis loquuntur pro illo, S. Ambrosius ait. Hæ confitentur peccatum illius, quin illi fatendi ejusdem confusionem delinquant; Deo satisfaciunt, quin orandi afferant necessitatem; lacrymæ enim mutæ sunt preces, quæ veniam merentur, quin illam flagitent, & quæ caussam lugentis perorant, quin loquantur. *Felices lacrymæ, quæ ad abluendam culpam negationis, virtutem sacri habent baptismatis*, S. Leo inquit, & quibus præ baptismate hæc virtus inest, ut cum baptisma iterari non possit, beati hujus Apostoli lacrymæ ad finem usque vitæ ejusdem effluxerint. *P. Nouet.*

Quanta fuit ingratitudo hujus Apostoli Magistrum suum negantis. Luc. 22.

S. Petrus, qui tantam præ se tulerat firmitatem, & adhæsionem Salvatori suo, eo usque ut se potius moriturum profiteretur, quam ab illo recessurum, nonnisi eminus illum sequebatur, ubi illum in manibus inimicorum suorum conspexit. *Petrus autem sequebatur eum a longe.* Qui Deum nonnisi eminus sequitur, quam primum illum amissurus est, & relicturus. Petro non defuit audax præsumptio ubi pollicitus est, Salvatorem suum nunquam derelictum iri: id unum spectabat, quod se putabat esse, non autem quod erat. Postquam tandiu cum Filio Dei vixerat, debebat sane intrepidus esse, & nihil reformidare; sed infirmus erat, ac pavidus, & ignorabat; & re ipsa quamprimum se terribili objecit lapsui. Pervenit paullo post JESUM in domum summi Sacerdotis; ab eo quæsitum est utrum esset ex societate hominis illius, qui vinctus adductus fuerat coram summo Pontifice, asserit, se non solum non esse discipulum ejus, verum etiam se hominem ignorare. Bis hoc ipsum ex eo quæritur, bis hoc ipsum respondet: asserit, jurat, dejerat, pejerat, & se illum prorsus ignorare profitetur. Quid Petre, illum ignoras, quem Dei Filium esse confessus es? illum, qui te a retibus avocavit, ut te Principem Apostolorum suorum constitueret, & Ecclesiæ caput efficeret? illum, qui nuperrime tuos pedes abluit, qui te corpore suo fagipavit, tu hunc ignoras? Sed JESUS te adhuc cognoscit, & diligit eum, qui ipsum nunquam se novisse

profi-

profitetur. *Excerptum ex sermone de Passione, qui Patri Massilon fertur acceptus.*

Pœnitentia S. Petri toto vitæ ejus spatio duravit; & lacrymæ ejus non aruerunt.

Pro certo habetur, S. Petrum, postquam negavit Magistrum suum per ignaviam tanto dolore, & facti pœnitentia affectum fuisse, ut crimen suum toto vitæ suæ tempore jugibus lacrymis prosequeretur. Non gravis illius ætas, non tempus, non præclara ejus erga Magistrum suum merita, non curæ regiminis Ecclesiæ lacrymas illius inhibere valuerunt. Nunquam auribus ejus galli cantus incidebat, quin sonitus hic in mente ejus instauraret imaginem pristinæ infidelitatis, & novas subinde ex oculis ejus lacrymas eliceret. Quocumque se conferret Apostolus, illuc sui criminis sensus, & ploratus subsequebatur; objecta omnia, quæ in oculos illius incurrebant, memoriam perfidiæ suæ refricabant. Si illos attollebat in cælum, ibi recentium lacrymarum caussam nanciscebatur; cogitans se negasse illum, a quo cælorum claves receperat; si secus maris oram deambulabat, excitabatur favore insigni, quo Magister suus illum avocaverat ab humili piscationis negotio, ut illum primum Ecclesiæ Navarchum constitueret; si aliquem ex collegis spectabat, reminiscebatur magnificæ illius jactantiæ, qua coram illis professus fuerat, se Magistro suo in mortem usque adhæsurum &c. En peccator qui sæpius, atque indignius negasti, ac læsisti divinum Salvatorem, quam Petrus, ecce præclarum doloris exemplum, quo tot gratiæ tibi divinitus collatæ cor tuum deberent conterere. *De la Font in Homiliis.*

Quantus fuerit hujus Apostoli dolor & pœnitentia.

Odium, & horror peccati prima, & potissima est sinceræ pœnitentiæ conditio: odium quod consistit in dolore criminis patrati, & in certo non ultra peccandi consilio. Hoc perfecit absolutissimum hunc vere pœnitentium prototypum, in quem Dei Filius vix conjecit obtutum misericordia plenum, cum in se reversus est, ut suam detestaretur ignaviam, & celerius adhuc egrederetur de loco, & societate, quæ fuerat illi lapsus occasio. *Egressus foras*, inquit Evangelista. Tantus est criminis sui horror, ut pati nequeat adspectum loci, ubi patravit illum, & propositum evitandi periculum in similem noxam labendi, adeo firmum est, ut fugiat, & recedat ab occasione, quæ tantam illi parere posset calamitatem. Ad hæc si doloris vehementia, satisfactio, & lacrymæ signa sunt, & fructus veræ solidæque pœnitentiæ; cor Magni hujus Apostoli infidelitatis suæ sensibili pœnitentia confectum, nequit cohibere lacrymas, quibus illam abluere conatur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*, ut dicebat Propheta. Oculi mei fuerunt tamquam duo fluvii, ex quibus duo egressi sunt lacrymarum rivuli; & qualis est fons, talis est aqua, quæ fluit: & sicuti perfectæ contritionis dolor alium quemlibet dolorem excedit, ita lacrymæ fluentes ex oculis ejus amaritudine superant alias quascumque lacrymas, ex quocumque sensibili dolore profectas. Quapropter dolore præfocante verba, & lingua non satis apta ad magnitudinem illius significandam cogitur hoc officium oculis permittere ad abluendam maculam, quæ non duorum oculorum ploratum, sed omnes maris aquas exigeret. Expiate, igitur, oculi mei, sibimet dicere poterat, expiate crimen, quod mea lingua nuper patravit; & vos, lacrymæ meæ, confitemini illum, quem mea verba negaverunt; opus est, ut linguæ meæ negatio oculorum confessione reparetur. Quomodo vero reparari poterit scelus irreparabile! quomodo deleri poterat macula, omnibus mundi lacrymis non satis delenda? Sola Dei mei, quem negavi, misericordia tantam abluere potest perfidiam per virtutem Sanguinis, quem pro me est effusurus. *Molinier in Myrrhæ fasciculo.*

Psalm. 118.

Sensus doloris, quos concepit Apostolus in pœnitentia sua.

Mihi quidem persuadeo, Sanctum hunc pœnitentem conversum ad Salvatorem, quem adeo graviter læserat, secundum cordis sui sensum sæpe hæc vel his similia lacrymis, & singultibus interpolata verba protulisse. Domine, si adhuc licet mihi hoc proferre verbum, & me servum appellare Domini mei, quem negavi, Domine, Deus meus! crimen negationis, quam protuli in te, elui non potest nisi Sanguine, quem pro me es effusurus. Possunt quidem lacrymæ meæ testari dolorem meum, meamque tui læsi numinis pœnitentiam; sed una misericordia tua me potest absolvere. Gravis, & enormis est ignavia criminis patrati, quomodo illius veniam mihi polliceri possum, nisi bonitas, & clementia, a qua illam expecto, infinita non esset? Itaque ad illam confugio, sciens illum ipsum, qui injuria affectus est, novissimum subiturum esse supplicium ad merendam atque obtinendam gratiam illi, qui eadem ipsum affecit. O incomprehensibilis caritas! quæ te cogit vitam pro illo profundere, qui ne confiteri quidem ausus est te! Amor ineffabilis; qui totum effusurus es Sanguinem, qui unum verbum tibi negavit. O caritas Dei pro perfido, & ingrato morientis! O me miserum! oportuit ne, ut post Dei revelationem, qui mihi Magistri mei divinitatem revelaverat, formidarem eo usque sermones hominum, ut illum negarem! & hoc codem ore quo ipsum confessus fueram Dei Filium, negarem illum Magistrum, Dominumque meum? ut post interius testimonium, quod mihi perhibuerat æternus Pater illius, ausus fuerim mea voce mentiri cæli suffragium, cujus ego ipse testis, atque interpres extiteram. Non meminerim vocis, quæ in monte Thabor personuit? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Tanta mihi temeritas fuit, ut negationem meam objicerem adeo perspicuæ confessioni de cælo profectæ, & non auderem me confiteri discipulum ejus, cujus Deus se Patrem fuerat confessus? Post duplicem hanc divinam revelationem, quarum altera in corde meo, in auribus meis altera personuerat, veritus sum adjicere oris mei testimonium? Quid porro miracula ejus, quæ vidi, amor, quem mihi testatus est, beneficia, quæ recepi, honoris gradus, ad quem me evexit, ac tot aliæ prærogativæ, quas mihi vel contulit, vel pollicitus est in singularis suæ benevolentiæ argumentum, nonne satis erant, ut ad eum confitendum quemlibet omni licet sensu carentem impellerent? Quis ergo mihi lacrymas tribuet, ut meum ingrati animi vitium deplorem? *Idem.*

Magnitudo peccati, & infirmitatis hujus Apostoli.

Donec Salvator Mundi in domo Caiphæ detinetur factus ludibrium militum, servorumque hujus Pontificis, quis credidisset? unus ex Apostolis in partes inimicorum ejus concessit illaturus illi gravissimam contumeliam quam nocte illa recepit. Etenim si Dei Filius acerbissimum dolorem percepit, eo quod ab uno ex discipulis suis venditus, & proditus fuit; non leviorem expertus est videns se ab altero negari, & ab illo præsertim, qui futurus erat princeps ceterorum. Ita est, Petrus, qui semper visus fuerat ferventissimus, ac fortissimus aliorum, quandoquidem gladium strinxerat contra integram satellitum manum. Heu! hic idem Petrus, eadem die, qua professus fuerat se potius millies moriturum, quam Magistrum negaret, eadem nocte, qua illum viderat pedibus suis provolutum, ut sibi pedes ablueret, nocte eadem, qua illum receperat in adorabili Sacramento Corporis sui, quod nuperrime instituerat; utique hic idem Petrus turpiter negat illum; *profitetur*, se nescire illum; tandem negat illum *bis, ac tertio*, addita etiam blasphemia, idque ultro, sine vi, sine minis, ad verbum ancillæ, & aliquot famulorum. O Deus! Quid est homo, immo etiam hominum omnium maximus, ubi propriis viribus deseratur. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in alloquiis de Passione.*

De ignavia ejusdem Apostoli.

Proh Deus! Quid audistis ex ore Apostoli ancillæ, & nonnullorum servorum voce perterrefacti! Hiccine ille vir fortis; probata illa fidelitas, quam nihil poterat labefactare? Modo ait se ignorare illum, quem olim Filium Dei vivi fuerat professus: *Tu es filius Dei vivi.* Modo vero non cognoscis illum, ut dicis, nec tamquam hominem; *non novi hominem*. Hoccine idem os est, quod olim adeo gloriosam protulit confessionem, & modo profert adeo turpem negationem? Quid! Non es tu discipulus illius, quem ille respicit tamquam caput, & principem ceterorum? Non meministi amplius, quod olim dixisti, te omnia reliquisse, ut illum sequereris; quomodo ergo relinquis illum pro nihilo? Cum alia in occasione quæreret ille abs te, utrum ab ipso recedere velles, uti fecerant Capharnaitæ, tu strenue respondisti, ad quem ibimus? quoniam habes verba vitæ: sed modo tu ipse responde, ad quem ibis, cum reliqueris divinum hunc Magistrum, cujus verba tibi sunt verba vitæ, & cujus amor est principium, & fons tuæ felicitatis? O Deus, quisnam se in tuto esse arbitrari potest, videns hunc Apostolum labi! Quis audebit in propriis viribus confidere, vel in propria virtute spem collocare? Ubinam sunt præclara ferventis hujus discipuli verba: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quonam abiit magna illa fortitudo, quæ nihil formidabat, non mortem, non carcerem: *Paratus sum in carcerem & in mortem ire.* Ubinam sunt hujus promissionis effectus: *Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Quamvis te omnes desererent, non ego te deseram; neque is sum, qui tantum nefas patrare valeam. Apostolus hic cecidit per infirmitatem, ut disceret, quid esset ipse per se & ut pœnas lueret suæ præsumptionis, quia in propriis viribus confiderat.

Matth. 16.

Matth. 26.

Matth. 26.

Ibidem.

Marci 14.

Apostolus hic gradatim ruit in abyssum criminis.

Videte quæso, quomodo Apostolus hic gradatim in abyssum ruit; re enim adhuc integra simulat, se Dei Filium non cognoscere: *Non novi hominem.* Magna hæc infidelitas est: Mox jurejurando asserit, se nescire, de quo sibi sermo fiat, neque se nosse quid innuere sibi velint nomine JESU de Nazareth, cum quo nullum sibi unquam negotium fuisse profitetur. Quæ ingratitudo post tot beneficia, quibus fuerat cumulatus! Denique esse vult anathema, & in caput suum omnia detorquet maledicta, omnesque cæli ultiones, si illum unquam noverit.

En quo sua illum præsumptio, & mox etiam ignavia præcipitem egerint. Esto, si coram Judicibus accusatus fuisset, si Pontifex illum respondere coegisset; dici posset, carceris, vel mortis metum, quam provocaverat, cum eminus tantum illam prospiciebat, perturbasse mentem illius; quandoquidem ejus præsentia alios plures ipso fortiores perterruerat; sed illum simplex interrogat ancilla, servi duntaxat nullam habentes auctoritatem, & quibus citra periculum poterat respondere. Quod majus exemplum adferri potest infirmitatis, & inconstantiæ virtutis hominum, nisi divina ope fulciatur? *Idem*.

Proxima occasio, cui sese immiscuit, fuit caussa lapsus ejusdem.

Una ex caussis lapsus adeo deplorabilis in tanto Apostolo fuit proxima occasio, cui se objecit temere sese immiscens in societatem eorum, qui Dei Filium adduxerant apud Caipham; etenim quicumque ultro se objicit periculo, & occasioni peccati, licet sanctior esset Apostolis, certissime in eodem peribit. Profecto Petrus in ipsa prima interrogatione, quæ sibi facta fuit, negavit Magistrum suum, ac se illum ignorare professus est. Documentum maximi momenti, fideles, quod nos certiores facit de malo, quod imminet nobis, cum nosmet objicimus occasioni, periculosa adeuntes loca, frequentius cum iis conversantes, qui suspicione minime carent, vel impiorum, & procacium societatem quærentes. Quid ille, cujus fortitudo videbatur rupes fluctibus, atque procellis non labefactanda minima flatus aura prosternitur: hic Princeps Apostolorum, Salvatori charus, fit infidelis; hæc lampas Ecclesiæ eclypsim patitur, & ad tempus extinguitur; hæc Christianissimi columna corruit, eo quod se objecit occasioni; vos autem qui non estis nisi fragiles calami, jam in vitium proni naturæ, ingenii, & studiorum vestrorum vitio, quæritis procacium hominum societatem, nullamque contra periculum cautionem adhibetis? Certissime peribitis; quippe hoc Veritatis ejusdem oraculum est, quicumque amat periculum, in illo esse perieurum. *Idem*.

Nobis redeundum est ad Deum statim ac tetigerit cor nostrum.

Luc. 22.

Primum principium reditus peccatoris ad pœnitentiam est gratia Dei, & favorabilis bonitatis ejusdem obturus. Hoc omnes norunt; sed hoc nos peculiariter docet exemplum S. Petri: hoc est ad Deum revertendum statim ac ipse nos oculo misericordiæ respexerit, simul ac nos misericordiæ suæ oculos in nos conjecerit, & cor nostrum tetigerit. *Conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est verbi, quod dixerat ei.* Vix respexit illum Dominus, cum recordatus est, quod sibi ab illo dictum fuerat, & ex illo temporis articulo sincerum concepit dolorem criminis sui. Itaque hæc prima est veræ pœnitentiæ conditio, victas dare manus illecebris divinæ bonitatis; cum gratiæ afflatus cor nostrum ciet, opus est, ut cor nostrum illi respondeat vero criminum suorum dolore; hoc enim pretiosum est momentum, quod si nobis elabi permittimus, fortasse non ultra revertetur. Heu! quot sunt, S. Augustinus exclamat, qui Petrum labentem imitantur; sed quotusquisque imitatur illum sese convertentem? *Idem*.

JESUS SISTITUR CORAM PILATO.

Quo consilio Pontifices, & Sacerdotes ad Pilatum Salvatorem adduxerint.

DOnec Apostolus S. Petrus amaris eluit lacrymis crimen suum, scribæ, & Pontifices alio se polluunt scelere, videlicet consilio inito quocumque pretio Mundi Salvatorem perdendi. Profecto consilium quod apud Caipham funesta illa nocte captum est, eo tendit, ut inveniatur ratio, qua exequerentur, quod jam pridem decreverant, mortem JESU, cui allinere quærebant aliquem justitiæ fucum, quo eorum odium, & prava cupiditas contegeretur. Hinc ubi primum illuxit dies, Dei Filius, futurus aliquando supremus hominum Judex trahitur judicandus in Pilati prætorium: decreverant enim Sacerdotes, atque Pontifices nullum non movere lapidem, ut perduellionis reus perageretur, ut a se averterent mortis ejusdem suspicionem, efficiendo ut a Romano Judice damnaretur, ejusque prætexerent auctoritatem si quid contra Leges auderent. *Auctor sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta. In alloquiis de Passione Domini.*

Judæi sibi religioni vertunt pedem inferre in Prætorium.

In facto hoc illud mirum est, quod Judæi cum ad Pilati prætorium accessissent, illuc pedem inferre noluerunt veriti, ne in Pagani Judicis domum ingressi legalem aliquam contraherent impuritatem, qua Pascha celebrare vetarentur; rati sibi satis esse, si nocentem a se captum illi in manus traderent, & edocerent eum, quibus nominibus accusaretur. O inanem conscientiæ religionem; vel potius cæcitatem! Pollui timent, si in profanum locum ingrediantur; & non reformidant manus suas imbuere sanguine justi; illi sexcentis calumniis tetrum lolliginis succum effundere, fictos subornare testes, ficta excogitare crimina! Legalem cæremoniam violare non possunt; & religioni minime sibi verunt omnes justitiæ leges infringere! En quid adhuc faciunt Christiani plerique hodierna die, qui conscientiæ suæ se officere putant, si quasdam nullius momenti praxes reliquerint; & qui nullo habent in discrimine teterrimas iniquitates, cujusmodi sunt aliena rapere, sexcentis ambagibus creditoris postulata fallere, injustam intentare litem, & alia hujusmodi scelera, de quibus illos sua non satis acriter conscientia redarguit, cum interim temere levibus scrupulis exagitetur. Hoc est imitari Judæorum superstitionem, & pharisaicas traditiones, pro quarum observantia non verebantur apertissima Domini præcepta perfringere. O cæcitatem impiam, & stultam! Sanctus Augustinus exclamat; in Gentilis domum pedem inferentes polluerentur, proprio autem scelere minime fœdarentur? Timent, ut legalem contrahant immunditiam, si in profani judicis domum ingrediantur; non timent, ut immundi fiant, si in innocentis persona cædem committant. *Idem, & Abbas de Monmorel.*

Pilatus negat reum damnare parte inauditâ altera.

Pilatus ut morem gereret Judæis religionis specie Prætorium ingredi renuentibus, foras egressus est & stetit in podio, quod prominebat in atrio; ex quo audit illorum criminationes, & injustas querimonias. Primum ergo ex eis percontatur; *quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* neque enim fas est aliquem sine caussæ cognitione damnare. Sed quid respondent Pharisæi? Per inauditam audaciam inquiunt, sibi injuriam inferri, a se criminum probationes quærendo; se ad illum nequaquam perducturos nocentem fuisse, si minime deliquisset. Volunt fidei suæ standum esse; & se adduxisse ad Prætorem hominem extremo afficiendum supplicio, non autem examinandum. Præsidem hunc eligunt non quidem caussæ judicem, arbitrumque, sed furoris sui ministrum; verbo se lædi, quotiescumque de hominis scelere ambigatur, de quo viri exploratæ probitatis jam quæstionem habuissent: *Hic si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Pilatus quamvis Ethnicus, æquior tamen Sacerdotibus, & Pharisæis non ita injustus fuit, ut crimen supponeret, quin ad examen vocaret, & ut indicta caussa damnaret. Callide ergo respondet illis; quandoquidem vultis, ut quin criminationes vestras audiam, damnem reum: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate.* Cui reddunt illi; *nobis non licet occidere quemquam.* Speciosa excusatio dolo, & nequitia repleta! Heu! quæ lex vobis permittit, perfidi, innocentis mortem perquirere? Si Romanæ legi obeditis, qua vetamini capitis caussam cognoscere, cur Dei legem infringitis, quæ cædem vetat etiam quoad desiderium, & voluntatem? *Qua lege, quod vobis non licet facere, licet velle?* Afferte saltem quid ille dignum morte fecerit, quam infamissimam illi procuratis? Hoc illi facere tenentur, videntes Pilatum ad unguem cognoscere velle facta, de quibus homo iste insimulatur, cumque vera invenire nequeant crimina ad calumniam confugiunt. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

Joann. 18.

Ibidem.

Ibidem.

S. Leo serm. 6. de Passione.

Quærunt Judæi accusare JESUM coram Pilato, & falsos adhibent testes.

Vix Pilato oblatus fuit Mundi Salvator judicandus, cum omnes Legis Doctores, omnis Pharisæorum turba in Prætorium se contulit. Populus curiositate adactus undique confluit inspecturus, quo cessurum sit judicium de homine, qui universam repleverat Judæam fama eloquentiæ, & miraculorum suorum. Tanto in populi conventu JESUS sexcentis obruitur criminibus, quorum singula plurimorum falsorum testium fide roborantur. In singula momenta recentes testes insurgunt; incessanter aliis prioribus succedunt, ac instant, ut sua testimonia excipiantur. Mirum sane est, tot homines inveniri paratos ad calumniam inferendam homini, a quo nemo usquam læsus fuerat: sed longe mirabilius est in tanto mortalium conventu ne unum quidem sese offerre ad hasce calumnias diluendas, & innocentis caussam pertractandam. Habuerat JESUS CHRISTUS Apostolos duodecim, & discipulos duos supra septuaginta, omnes actionum suarum testes: infinitum ægrotantium numerum curaverat; plures a mortuis suscitaverat; mutis loquelam reddiderat: omnes tamen silent, nemo unus prodit, qui illum tueatur. O ignaviam! o dedecus! O summum ingrati animi vitium! Sed quis pudor! quæ confusio! quis dolor Filio Dei, se videnti tanta in necessitate derelictum! Videnti homines pudore deterreri, quominus caussam ejus sustineant, & se ab ipsi quoque amicis derelinqui! *P. de la Colombiere; sermone 2. de Passione.*

Crimina, quæ coram Pilato ingeruntur Filio Dei.

Judæi contra Dominum odio succensi videntes, Pilatum nequaquam satis eorum criminationibus velificari, & immo primam actionem suam illi non satis probatam fuisse, illam saltem prævertere adnituntur accusantes eum, quem adduxerant ab eo condemnandum, criminibus teterrimis, modo seditionis dicentes illum concitasse populum; modo rebellionis, asserentes illum contra Romanorum dominationem conjurasse, quia seipsum Regem constituere molitus fuerat, & prohibuerat, ne tributum Cæsari persolveretur; mendacium, si quod unquam fuit, nequissimum;

cum

cum enim dubitare non possent, quo minus Pilatus summis viribus Cæsaris caussam tueri vellet, censuerunt nihil aptius esse ad illum in sententiam suam pertrahendum, quam ciere judicis invidiam, & indignationem in reum, ut facilius eum morti adjudicaret. Et ne deesset cumulus impietati, addunt hominem hunc jactitasse, se Messiam esse, & Christum Domini. Horribiles hæ calumniæ palam falsæ erant; nam tantum aberat, ut populum concitaverit, ut immo semper auctor, & suasor fuerit obedientiæ, & pacis: quin prohiberet, persolvi Cæsari tributum, ipse illud persolverat; quin Regnum appeteret, cum illud sibi offerretur, fugam arripuerat; quod vero attinet ad Messiæ qualitatem, infinitus prodigiorum, atque miraculorum numerus, quibus universam repleverat Judæam satis ostendebat innocentiam suam, ac terribilem inimicorum ejus cæcitatem. Tamen Salvator hæc omnia admirabili sustinet suavitate, & in secreto cordis sui offerens Patri perfectum sacrificium sensuum mundani honoris, mori vult omni mortalium omnium æstimationi, antequam morte crucis moriatur. *P. Novet loco laudato.*

Admirabilis Salvatoris patientia dum variis nominibus accusatur.

Omnes Judæorum in Dei Filium accusationes calumniis scatebant; & solus ardor, quem præ se ferebant accusantes eum, satis eorum furorem, & odium aperiebat. Sed si nosse vultis quinam essent sensus JESU in hac re; dicam solum, ipsum tantam ostendisse patientiam, ut judex ipse obstupesceret, videns nihil respondere vel actoribus, nec judici caussam illius peroranti. Hæc patientia, inter tot inimicorum odia, accedente monito uxoris Pilati, qui ad illum nuntium miserat, ne sese in Justi hominis illius caussa commisceret, fidem fecit judici pagano, non deesse aliquid inauditum, ac novum in homine, tantam mentis tranquillitatem præ se ferente in re tali. Voluit ergo per otium caussam cognoscere, cumque satis polleret ingenio, intelligens actores nimis exaggerare, & crimina criminibus agglomerando pugnantia loqui, & sua cupiditate excæcari, in Prætorium se recipit, ubi accersitum JESUM interrogat de rei summa, & in qua diligentius examen erat habendum; videlicet utrum se Regem fecisset, sperans se tale negotium in lucem prolaturum. Verum ubi audiit, de quo regno loqueretur, haud ægre illum culpa vacare intellexit, ejusque innocentiam aperuit ea in re, cui potissimum innitebantur Judæi, & quæ ipsum erat caput accusationis, quo sperabant se compulsuros judicem, ut illum damnaret. *Auctor sermonum in omnia argumenta &c. in Mysteriis.*

Pilatus quærit a JESU quid singillatim fecerit, quam ob rem Judæorum odia in se concitaverit.

Pilatus acquiescere visus est responsioni Salvatoris, & cum alioquin nullam in eo deprehenderet caussam, quæ suspicionem ingereret aliquid contra Cæsaris imperium molitum fuisse; cum paupertas ejus, humilitas, & status, in quo illum videbat, nil tale suspicari permitterent, dixit Filio Dei: scis me non esse Judæum, & me scire non posse quid sit Regnum hujus Messiæ, quod tibi crimini vertitur. Populares tui, principes vero potissimum dederunt te in manibus meis: hi te hoc nomine accusant, quam ergo illis caussam præbuisti? *Quid fecisti?* dic mihi. Hoc loco, Fideles, recensenda fuissent omnia hujus Dei-hominis miracula, ut interroganti responderetur; oportuisset, ut mortui, quos suscitaverat, ad vitam ejus tuendam accederent; & cæci, quibus aciem oculorum reddiderat, testarentur hoc ipsum lumen, quod illis restituerat, ut muti, quibus loquelam reparaverat, pro ipso loquerentur; ut dæmones ipsi, qui illius magnitudinem, atque potentiam prædicaverant, deficientibus præ ingrati animi vitio mortalibus, confluerent testaturi, se ab illo cum imperio ab energumenorum corporibus ejectos fuisse. *Quid fecisti?* Quis dicendo assequi posset, quod fecit? Terra, Cæli, Sydera, Elementa sunt opera digitorum illius, ut loquitur Propheta; nam quatenus Deus, ipse est, qui ex nihilo eduxit universa; sed cum hoc ille dicet, illi non habebitur fides, & quod hoc coram Caipha confessus est, hoc caput extitit illius accusationis. Saltem quid fecit, quatenus homo? *Quid fecisti?* Respondete, Fideles, non quidem ante Pilati, sed ante conscientiæ vestræ tribunal; quid ille fecit pro vobis? De Cælo descendit in terram propter salutem vestram, ubi trium atque triginta annorum spatio commoratus est, hac una de re sollicitus. Propter hoc fatigatus est peragrans per Judææ urbes, oppida & pagos; propter hoc laboribus consumptus est, & adhuc omnia mortis tormenta est subiturus. *Quid fecisti?* Numerate, si fieri potest, omnia illius beneficia. O quantum hac in re dicendum suppeteret! numeranda enim essent singula vitæ vestræ momenta; omnes gratiæ, quas recepistis; omnia, quæ vobis contulit bona, & illa etiam, quæ vobis præparat, omnia. Post hæc vero, Christiani, numquid vos non effetis primi, qui illum morte dignum censeretis, & sententiam proferretis peccatis vestris? Mementote; hoc ipsum aliquando quæsiturum ex vobis, cum non geret quidem personam rei, quam modo gerit, sed cum vere supremus erit hominum omnium Judex: *Quid fecisti?* Tunc ille quæret ex vobis; sed quid respondebimus ego simul, ut vos hoc quærenti? tunc cum omnium conscientiæ patebunt, & cum nos abscondere cuperemus peccata nostra, illa ipsa aperient, ac detegent se, ut loquitur Propheta; tunc cum actiones nostræ clamabunt contra nos, & creata omnia, quæ contra nos testimonium perhibebunt, ipsa nostram augebunt damnationem. *Quid fecisti?* Ad examen vocemus verba nostra, cogitationes, & actus nostros, & feramus deinde sententiam in nosmet; quæ unica ratio est illius evitandæ, quam supremus hic Judex fortasse in nos coram omnibus est prolaturus. *Idem in alloquiis de Passione.*

Consideratio in responsionem JESU dicentis regnum suum non esse de hoc mundo. Joann. 18.

Cum se Regem profiteri ea in regione, quam Romani suæ ditioni subegerant, idem esset ac supremam sibi potestatem vindicare, & se majestatis læsæ reum constituere; Dei Filius qui noverat cum admirabili sapientia suum silentium æque ac responsiones dispensare, Pilato respondit, ut liquet ex Evangelio: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Hoc satis fuit, ut caussam probaret suam apud hunc emunctæ naris Judicem, & qui non agebatur ea animi perturbatione, qua Judæi, & dilueret crimen adfectati imperii, quod nullam veritatis speciem præseferebat. Verum est Christiani, unicum hoc verbum omnem diluit suspicionem, quam Pilato ingerere studebant inimici; sed hoc ipsum verbum nonne accusat plerosque mortales, qui regnum suum in hoc mundo constituunt, in hoc omnes spes suas coarctant, & in eo omnem suam constituunt felicitatem? Namque uti S. Augustinus animadvertit, sicuti in Regni possessione omnia hujus mundi bona continentur, opes, honores, voluptates; cum homines nihil habent antiquius, quam hujusmodi bona, eaque appetunt, hi sane in hoc mundo regnum suum quærunt, vel collocant; & quamvis non semper illud inveniant, tamen nihil inausum, ac intentatum relinquunt, ut inveniant illud, & eo perfruantur, quin illud attendant, postquam professi sunt sequi Salvatorem pauperem, humilem, ac patientem, se abrenuntiare Regno, quod ille nobis comparavit; & quod nobis adeo sollemniter pollicitus est, *dum* aliud in hac vita perquirunt: *Regnum meum non est de hoc mundo*; sed nostrum est ne de hoc mundo nec ne? Nonne reprobum hunc mundum deperimus? Cura illi placendi, bonorum, & voluptatum illius desiderium occupant ne cor nostrum? Sed quo jure speramus nos aliquando cum illo regnaturos, cum aliud regnum a regno ipsius conquiramus? *Idem.*

Pilatus plane fatetur JESUM omni vacare culpa in iis quæ illi objiciuntur.

Pilatus quin intelligeret quomodo JESUS se Regem diceret, intellexit tamen eo in statu, in quo videbat illum, non esse admodum pertimescendum Cæsari, & non existimans sibi aliquid præterea hac de re quærendum; quæsivit ab illo *quid est veritas*, per occasionem responsionis JESU CHRISTI, qui dixerat se in mundum venisse, ut perhiberet testimonium veritati; sed inexpectata responsione rediit ad Principes Sacerdotum, qui extra Prætorium remanserant, ut iterum profiteretur, se nullum in hoc homine crimen invenire: *Ego nullam in eo invenio caussam.* Quod apertius argumentum innocentiæ Salvatoris, quam publica judicis declaratio? Judex nimium felix si huic rectitudini cordis, & huic Romanæ probitati parem addidisset animi firmitatem, ut hanc existimationem sui nominis tueretur? Non attulisset ille quidem huic Regi gloriæ dedecus tantum; neque nomini suo labem adspersisset in æternum memoriæ nominis sui adhæsuram: perspecta enim illius, qui per odium, & invidiam accusabatur, innocentia, nonne omni utendum sibi erat auctoritate, ut reum in libertatem assereret, & littera salutari absolutum dimitteret? Justitiæ gladius nonne judici creditus est, tum ad tuendos innocentes, tum ad nocentes puniendos? Cur igitur in hac occasione ratio habenda fuit Judæorum, quandoquidem fatebatur JESUM nihil morte dignum patrasse? Illum liberare cupiebat, nec illum latebat ratio, sine præcautione, qua usus est, ne inimicitias cum Judæorum Concilio susciperet; objiciens se iniquissimæ eorum petitioni, quæ turpis politicæ ratio eo in munere, quod fortitudinem, ac firmitatem postulabat, ipsum quoque nocentem constituit. Quapropter Scriptura loquens de infirmis id genus hominibus, ait: *Noli esse Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquientes.* Noli te juri dicundo immiscere, nisi tibi satis insit roboris ad obeundum integerrimi judicis munus, atque ad iis resistendum, qui legum cursum vellent inhibere: cum enim statera in infirmis manibus invenitur, facile est illam in alterutram partem inclinare. Heu Christiani quot, quantaque patrantur scelera per hunc metum, & turpes hujusmodi cautiones, quæ ut plurimum sunt fontes iniquitatum; & efficiunt, ut in rebus gravissimis ab officio recedamus! *Idem.* Joann. 18. Eccli. 7.

JESUS CHRISTUS silentium servat in omnibus criminibus, quæ sibi objiciuntur.

Ut ad Mundi Salvatorem revertamur, Pilatus illum acrius urgere coactus rursus illum de recentibus Pontificum criminationibus interrogavit; cui nihil respondit. Instat Præses, ut quæ sibi ingeruntur, crimina diluat; quærit, utrum quid sibi objiciatur, intelligat? & utrum

& utrum ſe nocentem fateatur? ne hiſcit quidem, ita ut Judex obſtupeſcat. *Et non reſpondit ei Verbum: ita ut miraretur præſes vehementer.* Sane vitæ amor nocentiſſimo cuique uberem ſuppeditat dicendi copiam, & quemque coram Judicibus efficit diſertiſſimum; ſed mortis deſiderium hic obſtruit os virorum omnium ſanctiſſimo. Profecto mirum erat ſpectaculum videre hinc quidem in capitibus Religionis tantum ardorem adverſus hominem, cui nullum verum crimen objicitur; inde vero tantam lenitatem, ac tranquillitatem in homine, qui audit populum univerſum uno clamore mortem ſuam flagitantem. Judæi non poterant, S. Joannes Chryſoſtomus inquit, ullum in JESU CHRISTO crimen redarguere, tunc etiam cum ipſe nihil reſponderet. Vitæ ejus paupertas vox erat, quæ ipſo etiam ſilente eorum exprobrabat iniquitatem. Facile poterat Salvator ſuos confundere accuſatores; ſed amor illi ſilentium indixit, ne retardaret opus redemptionis noſtræ, & paſſionum ſuarum curſum inhiberet. *Ex variis auctoribus.*

Deus, cui ſeſe offert occaſio præclara oſtendendi eloquentiam ſuam gaudet, ne mortem evitans obicem ſtatuat noſtræ ſaluti.

O Deus! Quam præclaram occaſionem arripere tunc poterat Dei Filius loquendi, efficiendique, ut ſua triumpharet eloquentia! Præclarum dicendi argumentum Incarnato Verbo, morum ſuorum ſanctitas, doctrinæ ſuæ puritas, miraculorum ſuorum veritas, omnium actionum ſuarum probatio! Sed deſiderium quo tenetur moriendi pro nobis, & ſtatus, in quo relinquit Patri ſuo honorem, vitamque ſuam, illi ſilentium indicit, ſi ita loqui fas eſt. Si enim prodere voluiſſet quopiam miraculo ſuam divinitatem, quis auſus eſſet perſonæ illius vim inferre? quis conatus fuiſſet

1. ad Cor. 2. ſet *Dominum gloriæ crucifigere?* Verum ſi tacet, ſi ſe abſcondit, ut inimicis liceat audere, quidquid illis ſuadere poteſt odium, paratus ad omnia perferenda, ne ullum ſaluti noſtræ obicem ſtatuat? Tamen quænam in hoc humili Salvatore patientia! qui ſine ulla animi turba clamores audit, atque calumnias, quæ ſibi ingeruntur, & crimina, quæ ſibi accepta referuntur, quin adverſetur, quin aliquid reddat, ut cauſſam ſuam tueatur? *Qui inquirebant mala mihi locuti*

Pſalm. 37. *ſunt vanitates, ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*; ait per Prophetam. Cum inimici mei furentes in me Reipublicæ, & Religionis intereſſe affirmabant, ut meam urgerent damnationem: cum vita, doctrina, inſtituta mea nigro loliginis ſucco adſpergebantur, & innocuæ actiones meæ in deteriorem ſenſum detorquebantur, teterrimis criminibus minime afficiebar, & Judex meus invictam patientiam meam mirabatur: admirabilem profecto patientiam eo tempore, & loco, quo nihil inauſum, intentatumque relinquitur ad cauſſam ſuam perorandam. *Ex iiſdem.*

Idem ſequitur argumentum.

Donec Dei Filius a calumniantibus ſibi omni obruitur ignominia, quid reddit ille? ne verbum quidem vel contra inimicos, vel pro ſe. Silentium obſequii erga Patrem ſuum; & caritatis erga inimicos. Silentium patientiæ, & humilitatis. *JESUS autem tacebat.* Quæ myſteria! Hic homo-Deus falſis teſtibus inſimulatur, tacet; non provocat Cælum injuſtitiæ eorum ultorem; & quamquam poſſit, illos tamen confundere ne cogitat quidem. Silentium adeo heroicum, ut Spiritus Sanctus peculiare in Scripturis texat encomium: *Qui cum malediceretur non maledicebat.* Sed cur ita ſilet? ut conſtituat, & roboret in Evangelio ſuo admirabile illud axioma, & adeo Mundi hujus ſpiritui oppoſitum: *Beati eſtis cum maledixerint vobis, & dixerint omne malum adverſum vos.* Natura univerſa contra veritatem hanc erat rebellatura; ideoque opus erat, ut illam in ſua perſona probaret: etenim amori proprio nil minus ferendum eſt, quam falſo accuſari, & videre aliorum calumniam de noſtra innocentia triumphantem. Hoc nos ciet, & nonnunquam in violentiſſimos impetus compellit. Sed hos impetus Dei Filius compeſcere voluit eo conſilio, quod unica illius Sapientia poterat excogitare, & quod eſt gratiæ ſuæ miraculum; videlicet calumniam eamdem nobis in beatitudinem convertere. *Pater Bourdalove in Myſteriis, ſermone ſecundo de Paſſione.*

Notandum eſt, Sanctus Auguſtinus inquit, JESUM in Judæa habitum fuiſſe tamquam Prophetam miſſum a Deo; ubique ſermo fiebat de vitæ illius ſanctitate, & magnitudine miraculorum illius; & actores illius aſſerunt, hominem hunc publica voce damnatum fuiſſe, cujus crimina adeo comperta eſſent, & explorata, ut de illis dubitare idem ſit, ac inſignem ipſis contumeliam inferre. Communis calumniæ ſermo, quæ nunquam ſe impudentius profert, quam cum falſiſſima narrat, utque mendacio fidem acquirat, illud tamquam omnibus manifeſtum enuntiat. Sed iterum repetit Pilatus: *Quid enim mali fecit?*

Matth. 27. quid fecit? nationem omnem pervertere voluit. Deprehendimus illum nequiſſima in populo ſerentem placita ad morum perniciem tendentia. Qui improbos hos homines audiſſet, credidiſſet JESUM CHRISTUM reapſe corruptorem, & ſeductorem fuiſſe; quæ calumnia non minus in probandis criminibus debilis, & manca eſt, quam audax in proferendis.

Cum enim ventum eſt ad probationem factorum, nonniſi auditi ſunt confuſi rumores cupidæ multitudinis. Omnes ſe teſtes jactitant, ſed eorum ſimul pugnant teſtimonia, & obſtupeſcit Pilatus videns hinc quidem tantum furoris, inde vero adeo parum probationis. *Idem.*

Pilatus occaſionem arripit transferendi hoc judicium ad Herodem.

Cum tempus urgeret, & Pilatus nullam videretur habere fidem factis, quæ ſine ulla probatione afferebantur, inſtant in eo, in quo major veritatis ſpecies eſſe videbatur; utrum hoc vulgo conſtaret, & publice eſſet notorium; videlicet, utrum univerſam concitaſſet Galilæam prædicans, & docens per illius urbes, & oppida. Ubi Galilæam audiit Pilatus, qui nondum ſatis nefarius erat, ut innocentem damnaret, nec ſatis generoſus, ut juſtitiam fortiter propugnaret, occaſionem arripuit, ſeſe ex tali negotio expediendi, eumque ad Herodem mittendi, quaſi ad illius ditionem pertineret. Hoc ſibi conſilium ineundum eſſe putavit ſatis callida prudentia, utpote quod viam aperiebat illi ineundæ gratiæ apud homines furentes in JESUM, quin injuſtitiam committeret. Itaque ecce tibi omnium hominum Judicem de tribunali ad tribunal raptum, coram Præſidibus, coram Regibus, & ubique habitum tamquam virorum omnium noviſſimum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in Paſſione, inter Myſteria.*

Conſideratio de prava Pilati politica.

Judæi, qui præcipuum accuſationis ſuæ robur in eo collocaverant, quod JESUS univerſam Galilæam ſeditioſis prædicationibus ſuis concitaverat, locum præbuerunt Præſidi inquirendi, utrum ille ad eam pertineret provinciam, ut a ſe amoveret Judæorum importunitatem, remittens eum ad Principem illum, cui Romani reliquerant Galilæam, & qui tunc forte pro Paſchatis ſollemnitate Jeroſolymæ commorabatur: qua in re politicus ille Judex alium fructum percipiebat, ut cum Herode, cum quo nonnihil ſimultatis interceſſerat, gratiam ſarciret, permittens illi judicium hominis, qui ad illius juriſdictionem ſpectabat; ſed prava hæc fuit Præſidis hujus politica, quippe qui in alium rejicere cupiebat crimen, quod ipſe committere verebatur: vel hac ſe liberare cura, quidquid accideret innocenti, modo effugeret probrum damnationis iniquæ; non advertens, ſe ſemper futurum cauſſam mortis ejuſdem, ſi ab alio condemnatus fuiſſet eo quod ipſe uti noluiſſet poteſtate, quam ſibi dignitas ſua conferebat eum plenitudine auctoritatis abſolvens; perinde ac non eſſet coram Deo æque nocens ſcelus aliquod permittens, & illud committens. Non aliqua veritatis ſpecies, Pilato mentem fuiſſe reipſa reum hunc a morte liberandi; quod antea fecerat, & fecit poſtea, id ſatis oſtendit; ſed per fallacem prudentiam veritus, ne ſibi Judæorum conflaret invidiam, injuſtas arripuit vias, quæ non alium exitum habuere, quam novis obruendi contumeliis eum, quem innocentem crediderat. Tamdem enim ſi ſperabat futurum, ut Herodes quoque illum culpa vacuum cenſeret, vel non permitteret, ut a furentibus occideretur, cur ipſe prior non liberavit illum, quandoquidem Judæi illius auctoritatem non inficiabantur? Igitur per inexcuſabilem ignaviam importuno hoc uſus eſt obſequio; cum nemo illius poteſtatem in dubium arceſſeret, & nullus illi de juriſdictione immineret conflictus. *Idem.*

Conſideratio de Silentio quod tot inter calumnias & falſa teſtimonia inimicorum ſervavit.

Quærat fortaſſe quiſpiam, cur JESUS CHRISTUS quamvis parcere vellet actoribus ſuis, ſaltem coram Pilato ad crimen diluendum cauſſam ſuam non peroraverit? Ah! Chriſtiani, hoc prodigium eſt, quod Ethnicorum prudentia nunquam cognovit. Pilatus urget illum, ut Judæorum criminationibus reſpondeat; *Non audis quanta iſti dicunt adverſum te teſtimonia?* Matth. 17. Loquere igitur, & ſi culpa vacas, id proba. Sed *JESUS non reſpondit ei ad ullum verbum.* Intererat, ut videtur, gloriæ Dei calumniam confundi; eſto, S. Bernardus ait: ſed intererat quoque gloriæ ejuſdem, juſtum calumniis proſciſſum ſilere, ideoque tacet. *JESUS autem tacebat.* Agebatur honor miniſterii ſui, ut qui Salutis veritates prædicaverat, non haberetur tamquam populi corruptor: fateor equidem; ſed miniſterii quoque ſui honor flagitabat, ut ipſe opere compleret, quod docuerat, ideoque ne unum quidem ſubjicit verbum. *JESUS autem tacebat.* Religionis ratio nonne quærebat, ut caput, & auctor illius non haberetur ut nocens? non abnuo; ſed ipſa etiam quærebat Religio, ut qui illius futurus erat prototypus, & exemplar, doceret homines ſacrificium omnium maximum facere, illud ſcilicet exiſtimationis ſuæ; & propterea tacet. *JESUS autem tacebat.* Diſcipulorum ſuorum rationem habere debebat, ne dicerentur obſequi ſedirioſo Magiſtro: id quoque largior; ſed malebat illis præclarum relinquere documentum, ut reminiſcerentur ſe Magiſtrum habuiſſe patientem eo uſque, ut ſuimet ipſius obliviſceretur. Denique cenſet vitæ ſuæ rationem magis probari poſſe ſilentio, quam verbo. *Ipſe autem tacebat.* Quam multa, Chriſtiani, hoc nos docet ſilentium, ſi rite illa novimus penetrare? &c.

JESUS MITTITUR AD HERODEM, A QUO CONTEMNITUR. INJURIÆ QUIBUS APUD IPSUM AFFICITUR.

[Herodes primum humane Salvatorem excepit, putans ipsum coram se miraculum aliquod operaturum.

SEcuturi historiam Passionis JESU CHRISTI, modo illum considerabimus apud Herodem, ad quem illum miserat Pilatus, seu ad tempus lucrandum, quo furentes Judæorum animos mulceret, seu ad amoyendam a se mortis hujus invidiam permittens huic Regi hujus caussæ cognitionem, quæ alia fortasse in occasione in dubium vocari potuisset. Quomodocumque se habeat res, statim ac coram Herode stetit Salvator, curiositas incessit Regi videndi illum, & cum eo colloquendi. Cum enim audivisset celebrari rumore vulgi miracula ab illo patrata, oborta in illo erat cupiditas cum eo loquendi, eumque aulæ universæ ostendendi. Cum enim illum Prophetam duceret, putabat illum coram se insigne aliquod miraculum operaturum, ut ostentaret quantum posset apud Deum, ut olim Moyses apud Pharaonem. Sed econtra humilis JESUS, qui nonnisi contemptum, & confusionem quærebat, & qui nunquam limina Regum terræ hujus attigerat, hac vice illa ingressus est, ut suam ibi patientiam ostenderet indignissima quælibet sustinens. Revera cum Princeps ille testatus esset curiositatem videndi, & loquendi cum illo, mox contempsit illum tamquam spiritu carentem, qui ne verbum quidem responderat illis humanitatis officiis, quibus a Rege fuerat exceptus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c. in Mysteriis, & alloquiis de Passione.*

Cur Salvator noluerit quidquam respondere Herodi, neque miracula operari coram ipso.

Obstupuit quidem Herodes videns hominem adductum ad se tamquam nocentem, & cui poterat, & fortasse cupiebat etiam gratificari, ne dignari quidem ullum responsione verbum, neque ejus opem imploraре contra inimicorum persecutiones. Sed Dei Filius incesti hujus hominis curiositatem palpare nolebat, qui suis flagitiis indignum se præbuerat, coram quo Salvator, non dicam miracula operaretur, sed ne loqueretur quidem. Non defuerant Herodi sexcentes occasiones illum videndi, audiendique, & quod illas neglexerat, cum modo ex illo verba conetur elicere, & speret se visurum miracula, spe omni frustrabitur. Quam terribilia sunt Dei judicia! & quam periculosum est illius gratias contemnere, cum nos urgent, atque sollicitant, ut illi pareamus! Si enim eas neglexerimus cum sese nobis offerunt, fortasse *cum illas cupiemus, & illis indigebimus, tempus non erit* amplius, nobisque id eveniet, quod Herodi. Prædicaverat JESUS, atque prodigiis suis Jerosolymam, totamque Judæam repleverat. Herodes illum videre, audire, & ab illo doceri neglexerat; modo cum tempus præterierit, nulla amplius sunt miracula, quæ videre possit. Qui, si scires, miser, quodnam miraculum sit videre Omnipotentem vinctum, & arctissimis funibus constrictum; Verbum æternum obmutescens, & Dominum universorum tuæ subditum potestati majus profecto miraculum non peteres. Quod si tibi tanta curiositas est, quinque, vel sex horas expecta: egredere de Jerusalem: ad Calvarium accede: videbis illic Solem offusa caligine deficientem, aperta sepulcreta, totamque naturam trepidantem: videbis signa, & prodigia plura, & majora iis, quæ Pharao vidit, & præ illo magis induraberis. *Idem.*

Quid faciendum erat Herodi si vere eruditi cupiebat.

Non liquet, utrum Pilato comparatum est desiderium, & curiositas videndi JESUM auctorem illum prodigiorum, de quo loqui audiverat, tamquam de summo Propheta, & qui etiam ex nonnullorum sententia habebatur Messias in lege promissus, & tandiu expectatus. Si Princeps hic veritatem cognoscere cupiebat, curare debebat, ut diligens haberetur perquisitio de vita illius, quem in sua habebat potestate; & intelligere potuisset, hunc illum esse, cujus nativitas in cæli novo sydere connotata fuerat tempore Herodis Ascalonitæ; & illum, qui ex barbari illius furore evaserat. Revocare potuisset consilium Doctorum legis, qui edixerant, sub tempus illud Messiam esse nasciturum, & didicisset Magos Reges ab Oriente veniisse ad quærendum illum in ipsam Patris sui Aulam; publicam habere potuisset quæstionem juridicam miraculorum ab eo patratorum, de quibus anceps erat fama; & ea cognoscere ab illis ipsis, qui oculati fuerant eorum testes. Poterat denique audivisse judicium, quod S. Joannes Baptista de eodem tulerat, pro quo singularem fovebat venerationem, quamvis paullo ante jussisset obtruncari. Credidit etiam hunc eumdem fortasse Prophetam esse, qui resurrexisset, neque enim arbitrabatur ab alio tot, tantaque patrari posse miracula. Credidit igitur Herodes præclaram sibi offerri occasionem cognoscendi, quæcumque vellet per interrogationes illi proponendas, neque dubitabat, quominus præberet sibi quædam signa illius potestatis, quam tantopere audierat celebrari. Cum igitur magnum, & insignem hunc Evangelii præconem vidit obmutescentem, oculis acre in terram defixis ne verbum quidem officii caussa proferentem, neque præsidium ejus contra accusatorum suorum nequitiam deprecantem; mutavit sensus suos, & desiderium, quod præsetulerat videndi illum in contemptum, & indignationem, veluti adversus hominem stupidum, ac sensu vacuum, ratus, Judæos jure illum calumniæ accusare, quasi suis ipse præstigiis fictisque miraculis deceptum, irrisumque populum pertraxisset. Illum etiam indignum censuit, cujus negotiis ipse immisceretur, quandoquidem ad illius opem confugere fuerat dedignatus. Hac de caussa, cum testatus fuisset ipsum a se contemni, eumque veluti stupidum, ac sensu carentem despexisset, ad Pilatum remisit. *Idem.*

Herodis Tribunal, ad quod Mundi Salvator raptus fuit, ipsum erat impietatis Tribunal, quod cum semper judicium ferre adfectasset de operibus Dei, sibi vindicat de ejusdem Dei persona judicium. Herodes homo irreligiosus, & exlex videt Dei Filium non suæ tantum potestati; verum etiam judicio subditum. Quid agit? quamvis impius primum quidem excipit JESUM cum honore, atque etiam lætitia, sperans se visurum ab eo fieri miracula. Hac fraudatus spe hominem, de quo tot audierat mira dictu, contemnit. *Herodes sprevit illum cum exercitu suo, & illusit induLucæ 23.
tum veste alba, & remisit.* En characteres impietatis; & quidem illius, quæ vulgo in Regum aula grassatur. Videlicet ignorantia, curiositas, divinarum rerum contemptus, & spiritus irrisionis. Jampridem, inquit Evangelista, cupiebat Herodes videre JESUM, quia multa de eodem audierat prædicari: Ideoque illum in speciem benigne excepit, eumque præverrit ab eo multa ex mera curiositate scisitatus. Ecce spiritus Mundi, aulæ vero præsertim. Videre volunt homines non vulgares, qui raro videntur, quorum merita præclara sunt, & qui sunt ob vitæ sanctitatem spectabiles. Hos autem videre volunt, non quidem, ut audiant, & illis habeant fidem; sed ut illos ad examen vocent, & censoria virgula notent; sed ut in illis infirmiorem deregant partem, & laudem imminuant; huc enim tendit improba illa curiositas, de qua Mundus gloriatur. Præterea sperat Herodes, coram se JESUM CHRISTUM miraculum aliquod patraturum, quod vehementer cupiebat: *Sperabat signum* Ibidem.
aliquod ab eo fieri. Alius character infidelitatis sæculi. Videre volunt miracula, alioquin credere nolunt. Sed tantum abest, quod JESUS CHRISTUS hac in re *illis indulgeat, ac eorum libidini, atque impietati velificetur, ut illos in sua obduratione deserat, atque confundat, suspensione effectuum* divinæ hujus virtutis, cujus tot in occasionibus locupletissima documenta præbuerat, nolens prodigere, ut ita dicam, omnipotentiam suam ad libidinem spiritus mundani. In Judæa quidem, & Galilæa pagis passim miracula operatus est, quæ in aula noluit operari. Nunquid S. Joannes Chrysostomus quærit, quia aula his est indigna miraculis? Non ita. Sed intererat honoris, & sanctitatis JESU CHRISTI videntis omnimodam morum, fideique corruptionem in illa, eamdem dedignari. At enim inquies, cur tenuit ille hanc impietati medicinam? cumque impietas nonnisi miraculis redargui valeat, cur illius non indulget infirmitati? quia, S. Gregorius Pontifex ait, non deest illi *satis* luminis, ut valeat evinci, & justum non est, Deum teneri, ut non communes adhibeat vias, cum alias nobis quæ satis esse possunt, aliunde suppeditet, quibus tamen per nequitiam abutimur. Secundo quia quicumque impius, & nefarius miracula petit, ut convertatur, postquam illa impetrasset non ideo minus esset impius, & nequam, & jugulatis in corde suo omnibus sensibus rationis, & fidei, ne cederet de possessione licentiæ suæ, nosset adhuc eludere probationem ipsorum miraculorum tribuens illa seu illusioni sensuum, seu naturali cuipiam virtuti. Hujusmodi erat status Herodis, & spiritus ejus. Salvator autem per se illud exercens, quod docuerat, noluit, secundum Scripturarum locutionem sancta canibus dare, & operari miracula, ex quibus nullum erat fructum percepturus. *P. Bourdalove in Mysteriis, in sermone de Passione.*

Herodes Dei Filium contemnit.

Herodes in JESU CHRISTO non reperiens unde suæ satisfaciat curiositati, contemnit illum, & contemptui contumeliosissimam addit irrisionem. Verbum æternum, æterna Patris Sapientia sit ejus ludibrium; & proponit JESUM tamquam spectaculum Aulæ, & populo jubens illum alba veste amiciri, & tamquam fatuum remisit. Hæc est vulgatissima ars impii, ejusque validissimum propugnaculum sanctissima quoque, & augustissima Religionis mysteria in ludibrium traducere. Frustra solidissimis inniteris argumentis, ut evincas aliquid ex hujusmodi spiritibus scurriliter lepidis & jocosis; inanis testivitas illi responsionis loco erit; & quia qui illos audiunt nihilo doctiores erunt, vel melius adfecti, placebit potius jocus quodam sale conditus, fabula, quam comminiscetur, quam veritas, quam eidem persuadere conaberis. O ingenium divino oppositum spiritui! Sapientissima Evangelii placita, stultitiæ insimulantur, & saluberrimæ Christianæ Religionis praxes nugæ canoræ dicuntur.

Inge-

Ingenium, cura cujus est difficillima; neque enim curari potest nisi considerationibus maxime seriis; cum omnia sibi in jocum, ineptasque nugas convertat. Ingenium aulicum ubi probi hominis, & frugi vita superstitionis, visionis, & simplicitatis nomine arguitur. *Idem.*

Tota Herodis aula ad Regis exemplū composita Salvatorem irridet.

Herodes cum aulicis, militibus, omnibusque sectatoribus suis Dei Filium contempsit: *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo.* Notandum est verbum, cum aula, satellitibus, exercitu. Quid enim non potest Principis exemplum, ut omnibus subditis suis imprimat sensum contemptus, vel obsequii, quo ille præoccupatus est erga Deum; & secundum Mundi leges quid aliud expectandum est ab illis, qui generis sui, muneris, vel alterius cujuslibet nexus jure adhærent aulæ, vel famulatui summorum virorum, nisi ut torrente rapti sibi honori vertant, & laudi, sese ad heriles mores componere, & domini sui, si impius fuerit, imitari impietatem? Utinam JESUS CHRISTUS illius placita, & exempla in Herodis aula dumtaxat fuissent contempta. Illud dolendum est, id impietatis genus, contemptum hunc JESU CHRISTI, legumque ipsius, & Religionis passim in Christianorum Principum aulas irrepere. Satis generale illud placitum est. Qualis est Princeps, tales esse Aulicos, Præfectos, & qui ad illum propius accedunt. *Idem.*

Dei Filius reprehenditur, quod uti noluerit occasione lucrandi Herodem.

In Herodis aula non una omnium erat de Salvatoris persona sententia. Quidam opera illius, cujus testes fuerant, admirabantur; alii præstigium, & calumpniam non deesse affirmabant; nonnulli affirmabant magiam non posse mortuis vitam, cæcis oculorum aciem reparare: *multi denique illum respiciebant tamquam hominem a Deo missum singulis secundum proprios adfectus de doctrina, & miraculis JESU CHRISTI opinantibus.* Cognoscebat ille varia hæc mortalium judicia, quin loqueretur. Sed quin ejus patientia, & modestia adstantium venerationem illi conciliarent, habitus fuit veluti captus mente, & fatuus, quia uti ignoraverat occasione, quæ illi perutilis esse potuisset. *Ex lib. cui titulus: Passiones JESU CHRISTI.*

Quodnam fuerit Herodis judicium de Salvatore.

Nemo *facilius fallitur* Regibus in iis, quæ ad illos pertinent. *Cum sint stipati assentatoribus, & plerumque de se optime sentiant, sibi persuadent neminem esse, cui petenda non sit eorum protectio, & clientela. Itaque Herodes non dubitavit quominus JESUS CHRISTUS homo simplex esset, quandoquidem negligebat adeo præclaram occasionem ex inimicorum ejus manibus elabendi. Censuit eam nominis celebritatem quam sibi pepererat, effectum esse ignorantiæ populi rudis omnia suspicientis, & ne homo ille amplius quempiam seduceret, deducendum esse per urbem cum aliqua publica dementiæ nota.* Alba igitur indui jussit tunica, eaque indutum ad Pilatum remisit, ut inde conjiceret, quid ipsi esset judicandum. Ita Herodes ejusque Aulici JESUM CHRISTUM excipiunt. En quo in loco habetur Dei Sapientia apud illos, qui sæculi Sapientes feruntur. Utinam in Regum Christianorum aula, ubi Salvator colitur, & adoratur tamquam Dei viventis unigenitus, humilitas, lenitas, patientia, quas nos docuit, non habeantur tamquam stupiditatis effectus, sicut in Herodis aula habitæ fuerunt. *Idem.*

Idem sequitur argumentum.

En igitur quod Herodes judicium tulerit de Salvatore; edixit, hominem esse sine ingenio, sine mente, sine institutione, ejusque silentium, æque ac regnandi libidinem nonnisi a quadam stultitiæ specie profectam fuisse. Quamobrem illum nequaquam morte mulctandum esse censuit, sed satis esse putavit, habendum esse similem insipienti, jubens illum alba indui veste, qua ciere posset populi in ipsum irritati illusiones, & probra. Hac igitur indutum unica remisit ad Præsidem quasi innuere vellet; ecce hominem, qui ita demens fuit, ut se Regem esse crediderit. Simulque omnes Regis satellites, seu desiderio ulciscendi Regem suum, quem injuria affectum fuisse asserebant, seu ut illius gratiam inirent, JESUM irridere, variisque modis subsannare incœperunt, imbecillum hominem, Regem commentitium vocantes, non minoribus contumeliis illum afficientes, quam quibus a Caiphæ servis fuerat oneratus. Itaque ad litteram adimpletum est verbum illud Prophetæ: *saturabitur opprobriis*, ita ut fiat *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* O Dei patientiam tot injuriis lacessitam! O humilitatem Regis gloriæ, qui factus est scopus omnium indignitatum! O supremam magnitudinem omnibus subditam potestatibus! o Divinam sapientiam, & cachinnis mortalium omnium exceptam! Sustines hominum Salvator hæc omnia probra, ut nos doceas hominum judicia contemnere, & omnis sapientiæ apicem esse pati opprobria propter amorem tui, sicuti stultitiæ cumulus est extra te hominum æstimationem, & honorem perquirere. *Ex variis auctoribus collectum.*

Gaudium Pontificum, & Pharisæorum eo quod ita Salvator ab Herode fuerat exceptus.

Per me vobis cogitare licet fideles quomodo triumpharint Pharisæi, qui Salvatorem adduxerant ad Herodem, ubi audierunt quid illi accidisset. Illum igitur alba indutum veste per omnes Jerosolymæ vias circumduxerunt, ut omnibus ostentarent, quid judicasset de illo Herodes, quo facto omnem illi fidem, famamque abrogarunt, ostendentes quid innueret vestis illa, qua Regis jussu fuerat amictus, in contemptum adfectati regni, & qualitatis Messiæ, quam sibi vindicabat. Nullus dubito, quominus irrisorio vocis tono addiderint, ipsum facili negotio simplicibus os subliviſſe, fictisque præstigiis obtinuisse, ut ab infima plebe haberetur tamquam Propheta, immo etiam velut Messias, sed non æque illi facile fuisse fucum facere aulicis, qui præ ceteris e populo sunt naris emunctæ, neque sinunt sibi dari verba, neque ita affecti sunt, ut novis rebus fidem adjiciant. Pseudo-prophetam hunc ausum non fuisse nugas suas venditare apud cordatos viros, neque suis præstigiis confidere, quorum calumnia facile detecta fuisset. Illum sapientiorem, quam putabatur, fuisse semet idiotam simulando, ut habitus tamquam fanaticus, qui se Messiam esse somniaverat, crederetur demens potius quam nequam in crimine suo. Sed artem qua ille usus fuerat coram Herode ad mortem evitandam, palam probare illum calumniatorem esse, qui populum fefellerat, & subdolam illius vivendi rationem, & ficta miracula, nisi illius temerariis conatibus Pontifices obstitissent, eo tandem cessura fuisse, ut legem aboleret, Templum everteret, omnemque prorsus Religionem abrogaret. Hi sermones eam obtinuere vim, quam Principes Sacerdotum optabant, in populo, qui facile, dicto citius ab uno ad alterum circumfertur extremum, a cultu, & veneratione, ad odium, atque contemptum. Quoniam pudet se adhæsisse calumniatori, & indignatur se tamdiu deceptum fuisse, quod sibi obtendebatur, *oborta seditione illum, impetu facto, male mulctasset, nisi in spem adductus fuisset, opera illorum quamprimum ipsum daturum esse debitas tot scelerum pœnas morte magis turpi, & contumeliosa.* *P. de la Colombiere, & Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Varia hominum judicia de ea ratione, qua in Herodis aula se gessit Dei Filius.

Non una tamen fuit Aulicorum Herodis sententia de modo, quem tenuit Dei Filius coram hoc Principe; qui enim in hoc curiositatem exciverant videndi tantum virum, qui tot aliis in occasionibus dederat præclara Sapientiæ fuæ specimina, censuerunt ipsum in hac se fatuum simulasse ad vitam servandam, & altum adfectasse silentium, ne damnaretur, propterea quod se Messiam confessus fuisset, quod ipsi apud Caiphan acciderat. Censebat illum satis ingenio pollere, *ut videret sibi nil minus ab Herode metuendum esse, cui in animo suboriri poterat timor, ne Messias iste sibi auferre posset reliquam dominationis umbram,* quam in Judæam adhuc retinebat, cujus non minori flagrabat zelotypia, quam pater suus, qui ut usurpatum sibi regnum certum faceret, tantum cruoris effuderat. Alii non æquius ferebant judicium jactitantes illum ausum non fuisse in Aula proferre sua asserta miracula, ubi illorum facile patuisset calumnia, qua rudi populo subleverat os, cui facile imponitur fallacis pietatis specie. En ergo ille, qui æterna Sapientia est, eademque Veritas, traducitur tamquam sycophante, & Pseudo-propheta, & summorum æque, ac imorum sententia luit pœnas plausuum, quos sibi in populo conciliaverat, & credulitatis, qua abusus fuisse dictitatur. En igitur objicitur irrisionibus Aulicorum, & eorum etiam qui ante sex dies illum tamquam Regem in triumphum deduxerant per vias hujus ejusdem civitatis! Ah, veritas æterna! Increata Sapientia! Qui ipse ore tuo professus es, te in Mundum venisse, ut annunciares Veritatem, modo exciperis tamquam seductor, Pseudo-propheta, Messias commentitius, qui haberi ab omnibus voluit pro Filio Dei vivi. Asserta hæc blasphemia, quæ superiori nocte fecerat, ut Caiphas sua scinderet vestimenta in signum horroris, & execrationis, impulit Herodem, ut indueret Salvatorem veste alba, ut in ludibrium traduceret Messiæ, & Regis Israel dignitatem, & ut illum ea suffunderet confusione, quam tantum hoc facinus merebatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.*

Herodes cum excepisset Salvatorem tamquam fatuum objicit illum irrisionibus aulæ suæ.

Itaque, Fideles, æterna Sapientia tamquam insipiens contemnitur, quæ quidem cordato viro contumeliarum omnium est maxima. Non latet hominum vanitas, & inanis jactantia, qua singuli se aliis ingenio præcellere arbitrantur. Cum enim ratio nos a ceteris animantibus secernat; ita quisque per hujus rationis lumina, & mentis acumen supra ceteros homines se studet attollere; in hoc æstimari volunt, & cupiunt credi se plurimum posse, & naturæ munere felicius sibi ingenium obtigisse gloriantur. Hæc igitur novissima est contumelia, qua affici possit ille, cujus vitæ ratio supra censuram est; illum hebetis ingenii habere, & minoris etiam idiotam aliquem, stupidumque facere. Hæc omnium gravissima est injuria; qua nihil cordato viro acerbius contingere valet. Ah verbum divinum, & incarnata Sapientia! hæc decerat tuis humiliationibus contumelia. Traduceris tamquam seditiosus, calumniator, helluo, Publicanorum, & peccatorum familiaris, blasphemus, impius, immo etiam tamquam dæmoniacus. Nulli parcitur injuriæ, nulli

probro;

probro; omnis erga personam adorabilem tuam sublata est reverentia; sed nondum cuipiam in mentem venerat, te tamquam captum mente, ac vecordem habere, cum omnes late-sapientiæ thesauros possideas. Contumelioſus iſte contemptus tibi in exitum vitæ reservabatur, & futurus erat non postremus Passionis tuæ locus. Hoc tempore, ut tu ipse per Prophetam innueras, habendus eras tamquam *virorum novissimus*. *Idem*.

Isaiæ 53.

Humiliatio Dei qui cum sit ipsa Sapientia pro insipiente traducitur.

Profecto cum dotibus mentis, prudentiæ, acumini, hominum vanitas adnectat apicem gloriæ, quo magis Dei Filius reliquis hominibus eminebat, eo majori afficitur ignominia videns perfectiones suas, infinitam sapientiam, luminum suorum magnitudinem, ac superiorem spiritum, quo præditus erat quatenus homo, videns, inquam, dementiæ, stultitiæque redargui, & se insipientis tunica indui, per omnes ordines militiæ Herodis deduci illis futurum ludibrium, & mox per omnes vias Jerusalem circumagi illudendum, irridendumque a fæce populi, omni insolentia, & probro coinquinandum. *Idem*.

Consideratio de veste alba, qua per irrisionem indutus fuit.

Quamvis Herodes jubens Dei Filium veste alba præcingi non aliam mentem habuerit, nisi illum traducendi tamquam hominem imbecillum, & dementem; hæc tamen tunica, qua eum irrisionis objectum reddere cogitabat, fit nota, & symbolum innocentiæ illius, & in oculis eorum, quibus perspecta erant ejus merita; ac dignitas memoriam ciet, ipsum in sinu Patris sui fulgorem esse, & *candorem lucis æternæ*: illum sanctum fuisse in utero matris suæ, & sanctificasse illam, quæ ipsum in lucem edidit; illum in qualibet ætate, & in omnibus vitæ suæ partibus fuisse irreprehensibilem; & quamvis censoriam notam minime evaserit, tamen inimicissimos sibi provocasse, ut quandoquidem omnes illius actus ad examen vocaverant, ipsum de peccato redarguerent. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed cum modo oppressa sit ejus innocentia, permittit, ut illius characterem deferre cogatur per vestium suarum albedinem. *Idem*.

Sapient. 7.

Joann. 8.

Vestis hujus candor ejus innocentiam significat, & gaudium quo patiebatur pro nobis.

Præterea sicut vestis alba erat olim lætitiæ nota; ejusque usus præcipuus erat in triumphis, & publicis festivitatibus, dicere possumus, Dei Filium per vestis hujus albedinem ostendere voluisse, contumelias esse sibi gaudium, opprobria lætitiam, injurias triumphum, ipsum suis opprobriis ornatum esse, tamquam honoris insignibus, & se nunquam glorioſiorem fuisse, quam cum ab inimicis irrisus fuit, atque contemptus. Sed heu! Quotusquisque hos fovet sensus, sibique gloriæ vertit pro JESU CHRISTO contemni, & opprobriis saturari? Tantus hic honor est, ut non alius optatior esse debeat homini Christiano ad exemplum Apostolorum, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati*, Eo usque, ut Princeps Apostolorum nil glorioſius homini Christiano accidere posse censeret, quam haurire probra, injurias, & irrisiones pro hac causa, tunc enim id æquo, & alacri animo sustinens ad maximum honoris cumulum elevatur: *Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei super vos requieſcet*.

Act. 5.

1. Petr. 4.

PILATUS NOVOS EREXIT CONATUS, UT JESUM CHRISTUM SALVUM FACIAT. IGNAVA HUJUS PRÆSIDIS POLITICA, ET QUIDQUID ACCIDIT USQUE AD SALVATORIS CONDEMNATIONEM.

JESU ab Herode ad Pilatum remisso, per occasionem judicii, quod Herodes fecerat, apud omnes pro calumniatore traducitur.

POstquam aula, & Herodis milites Salvatorem Mundi ludificati sunt, nova hac indutum veste inter exultantis populi clamores reduxerunt illum usque ad Pilati Prætorium, unde fuerat abductus, & ubi Sacerdotes atque Pontifices occasionem nacti sunt ex Herodis judicio perdendi hominis famam, ita ut illum in hac derisoria veste ostentantes, & quid de illo judicatum fuisset palam ferentes, pro quibusdam testibus, quos primum auro corruperant, populus universus conjuratione facta Pseudo-prophetæ mortem deposceret. Ecce igitur JESUM in humiliationis abyssum conjectum; ecce illius conclamatam existimationem: omnia ejus miracula apud Judæos præstigia, & illusiones habentur; tota illius doctrina nonnisi mendacium est, & sanctitas ejus hypocrisis. Ecce illum objectum publici odii, & execrationis; vulgo creditur sacrificium offerri Deo, qualibet arte illius maturare supplicium, & ad contemptuum, atque ludibriorum cumulum accedent amarissimæ exprobrationes, & irrisiones. Facile quisque sibi fingere potest quinam de illo sermones haberentur. Potestas, nonnulli dicebant, quam cum populi plausu exercebat in elementa, in morbos, in mortem, ac ipsos dæmones non aliud fuit nisi quædam fascinatio, & illusio; quandoquidem non est illi amplius potestas sibipsum tuendi. Si tantum poterat apud Deum, quantum ab hominibus existimari cupiebat, dicebant alii, cur hoc non probavit coram Rege, qui illum urgebat, ut miraculum aliquod operaretur? cur saltem non operatus est miracula, ut contemptum, illataque sibi contumelias ulciscereturⁿ? Sed liquet Deum tueri noluisse partes calumniatoris, qui se principem, & maximum omnium Prophetarum ferebat, & pudore summo eum suffudisse, qui eidem gloriam eripere, sibi vindicans divinitatem, studuerat. Samson hic, adjiciebant, una cum capillis vires amisit, qui illum trahendo fuere divulsi, & modo huc, modo illuc impellendo. Sed Pilato nequaquam satis esse debere injurias huic illatas calumniatori; sed interesse justitiæ illius, exemplum præbere in hoc seductore, & rebelli, magnis clamoribus ingeminantes crimina, quibus jam illum obruerant. *P. de la Colombiere, & Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Pilatus postquam aliquos exeruit conatus, ut Dei Filium salvum faceret quum debuerat illum propria auctoritate liberare, mulcere voluit concitatos Judæorum animos.

Pilatus videns JESUM reverti, illum ad se remitti non ægre tulit; hoc enim mutuum Herodis obsequium aditum aperiebat, ut invicem sarciretur. Aliunde tamen doluit videns se iterum eo implicitum negotio, in quo nisi contra conscientiam agere voluisset, repugnandum sibi erat Judæorum cupiditati. Tunica, qua indutus erat Salvator, ostendit illi, ab Herode habitum fuisse tamquam vecordem, & fatuum potius, quam nocentem, qualem inimicorum invidia repræsentabat; sed violentia, qua innocentem persequebantur, in illo aliquam ciebat misericordiam, & immittebat illi desiderium ipsum absolvendi. Hac de causa congregat Principes Sacerdotum, Magistratus & populum, eisque satis constanter edicit, se nullam deprehendere in JESU culpam ex illis, quarum nomine ipsum accusaverant; talem quoque visum fuisse Herodi, quandoquidem illum dimiserat, quin ullum præberet indicium, hunc ab illo morte dignum existimatum fuisse. Nihil cuique magis persuasum esse potest de innocentia JESU, & Judæorum iniquitate, quam tunc Pilato, neque ulla major fingi potest ad illum damnandum repugnantia: tamen defuit illi robur, ad eum littera salutari absolvendum, quod suum poscebat officium. Immo econtra infelix ejus politica perfecit sacrificium vitæ, & innocentiæ Filii Dei, eum quem innoxium professus erat, suppliciis tradens. Quæsivit ille quidem rationes, quibus vitæ illius consuleret, sed rationes turpes, atque crudeles, & tandem tradidit illum voluntati persequentium, *ita consentiens morti ejus per insignem ignaviam, & ferens etiam condemnationis sententiam contra illum*, quem noverat omni culpa vacare. *Politica ista callida simul fuit, & crudelis, ut simul Dei negotia, cum negotiis mundi conciliaret. Quamobrem condemnavit illum verberibus cædendum, sperans fore ut hinc quidem vitæ illius parcere posset, inde vero Judæis satisfacere, non considerans, se Judæis satisfacere cupientem gravissimam JESU CHRISTO contumeliam inferre, & JESUM CHRISTUM hac arte salvum facere volentem, Judæis nequaquam se esse satisfacturum.* Sed tandem tota hujus politicæ ratio propriam ipsius utilitatem spectabat. Judæi enim illum semper urgentes, & dicentes, si ille hæsisset adhuc mortis sententiam proferre, se repulsam hanc habituros tamquam enorme scelus in ipsum Cæsarem patratum, tandem petitioni eorum assensus est malens fortunam suam tueri, quam consulere conscientiæ suæ simul & honori. *Pater Bourdalove in Mysteriis sermone secundo de Passione*.

Videns Pilatus se a Pontificibus semper urgeri, ut JESUM morte damnaret, & mortis ejusdem sententiam proferret, ut ab illorum importunitate se liberaret, & alioquin nollet illis prorsus displicere, dixit illis, cur ipsi vos non judicatis illum, quandoquidem nocentem existimatis? Ego quidem in omni hominis hujus vita, & in omnibus criminibus, quæ in illum adfertis, nihil morte dignum invenio. Tunc illi furentes unanimi voce exclamarunt, nobis non licet occidere quemquam, sed *habemus legem, & secundum legem nostram debet mori*. Hæc verba ex Judæorum ipsorum extorquet cupiditas, & furens odium in Salvatorem; sed hoc ipsum ad hanc quoque diem dicunt, sin minus ore, saltem corde, plurimi Fideles: se legem habere, & consuetudinem secundum quam Salvator mori debet. Aliquis vitæ suæ ratione omnes leges infringit, omnia violat Christianæ Religionis instituta; ideoque secundum suæ religionis principia mortem infert Filio Dei, quotiescumque eum novis criminibus lædit; si illum hortatus fueris, ut vitæ rationem mutet; hæc mea est consuetudo inquiet; ita mundus consuevit; mihique lex est memet ad aliorum exempla componendi. *Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet mori*. Aliquis agitur honoris stimulo, & ad minimam quamlibet injuriam exardescit, ita ut illam eluere contendat cruore illius, a quo læsum se putat, vel suo. Alius non aliam legem novit, nisi potestatem faciendi quidquid sibi placuerit, & secundum legem hanc opus est, ut Dei Filius moriatur. Perversus hic Mundus plurimas habet leges, consuetudines, placita; ita ut illum sequi non liceat, nisi gratia juguletur, & Filio Dei in corde illius mors inferatur. *Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori*. Heu! Auditor mi? nunquid aliquam hujusmodi legem tu tibimet interrogasti? Nunquam ne mortem Dei Filio intulisti, ut obse-

Judæi asserunt, legem se habere qua cautum est ne quemquam occiderent.

Joann. 19.

obsequereris legi cupiditatis tuæ, ingenii tui, ambitionis tuæ? Hoc toties feciſti, quoties Deum læſiſti per conſuetudinem, metum, humanas rationes; & huic legi aſſentiris quotieſcumque negas cohibere tuas cupiditates, curam impendere, ut corrigas indocile hoc ingenium, & infringere habitum hunc, qui te in peccatum impellit: *Nos habemus legem, & ſecundum legem noſtram debet mori: Auctor ſermonum in omnia argumenta. In alloquio quinto de Paſſione Domini.*

JESUS CHRISTUS
CUM BARABBA COMPARATUS.

Pilatus optionem facit populo alterutrũ liberandi.

CUm tempus urgeret, & Pilatus nullo haberet in diſcrimine aſſertam hanc Judæorum legem, ignavus hic Judex non auſus de plenitudine auctoritatis abſolvere illum, quem innocuum eſſe cenſebat, & videns Judæos ingeminare clamores ſuos, id cepit conſilii, quod ſatis tempori accommodatum videbatur, & quod in infinitam ceſſit Salvatoris contumeliam. Recordatus enim hanc eſſe populi conſuetudinem vinctum unum in Paſchatis ſollemnitate dimittere, optionem illis fecit, utrum mallent dimitti JESUM ne, an Barabbam, qui inſignis erat latro, & paullo ante cædem in civitate patraverat, propter quam fuerat detruſus in carcerem. Non dubitabat Pilatus, quominus ab incœpto deſiſterent, potiuſquam a cruce revellerent omnium mortalium nequiſſimum. Fingite vobis, Fideles, hominum Salvatorem cum Barabba comparatum; videlicett hinc Regem cæli, & terræ, atque Patris æterni Unigenitum, inde vero hominem teterrimum, & talem, ut Pilatus illum aptiſſimum duxerit ad Judæorum odium, furoremque leniendum. Quicumque alius, JESU excepto, fuiſſet illis propoſitus, ſiccario illi prælatus fuiſſet; ſed quod agitur de liberando vel Salvatore, vel Barraba, placet ſceleſtiſſimum vivere, auctorem autem vitæ morti adjucari, quemadmodum illis S. Petrus Apoſtolus exprobravit; *Petiiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem vitæ interfeciſtis. Idem.*

Act. 4.

Quam contumelioſa fuerit J. C. hujuſmodi comparatio, multoque magis prælatio.

Si hæc una comparatio, Chriſtiani Auditores, fuit adeo turpis Salvatori, & ſi illa vix, & ne vix quidem citra indignationem audiri poteſt, quid tandem cenſendum de prælatione; & audire vocum confuſionem undequaque clamantium; *non hunc, ſed Barrabam, non hunc, ſed Barrabam.* Barrabam volumus, Barrabbam flagitamus. Quæ electio proh ſuperi! quæ petitio, quod judicium! O Chriſtiane, humilia te quouſque volueris, deſcende uſque in imum confuſionis aybſſum, ſemper invenies infra te Deum tuum; & nos qui adeo delicati ſumus, ubi de honoris agitur ſumma, nos qui æquo ſuſtinere nequimus animo, parem nobis præferri, vel comparari cum aliquo, quem nobis inferiorem eſſe cenſemus, ſi hæc Regis gloriæ humiliatio par non eſt medendæ ambitioni noſtræ, poſthac ſerviamus tamquam mancipia hominum exiſtimationi. Ecce judicium, quod tulerunt homines de virorum omnium ſapientiſſimo, ſanctiſſimo, & maximo! *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc.* Nonne jure cælum obſtupeſcere debet videns inſaniſſimam hanc hominum prælationem? *Idem.*

Conſideratio de indigna hac prælatione.

Diximus Pilatum credidiſſe ſe nactum fuiſſe certiſſimam rationem conſulendi vitæ JESU CHRISTI, comparando illum cum Barrabba mortalium nequiſſimo, & optionem faciendo Judæis utrum mallent liberandi: *Quem vultis vobis dimitti, Barrabam, an JESUM?* qua in re huc nobis conſiderandum occurrit, a nobis quoque Dei Filium pari affici contumelia, cum aſſenſum præſtamus alicui peccato, quod ſcimus mortem eidem in corde noſtro allaturum. Tunc noſtra excæcati cupiditate non advertimus animum indignæ optioni, quam tacite facimus, cum hinc quidem nos criminoſum objectum aliquod nos ſollicitat, inde vero conſcientia noſtra adverſatur, nobiſque noſtram exprobrat infidelitatem. Nonne hoc eſt JESUM CHRISTUM cum Barraba conferre? Nonne hoc eſt deliberare uter ſit præferendus; & uter cordis noſtri palmam præripiet? Negare vobis non licet, Fideles, ſæpe nobis optionem hanc eſſe faciendam, & fortaſſe occaſionem ingruere tunc cum minime creditur. Peculiaris erit Dei gratia, ſi nobis hanc mentem tunc injiciat, & ſalutarem immittat horrorem pravæ electionis, quam tot faciunt peccatores. Agitur de alterutro præferendo, JESU ne, an Barraba, agitur de morte alterutri inferenda, JESU ne, an Barrabæ; utri cor veſtrum favebit, uter palmam præripiet? Video equidem eo, in quo ſtatu verſaris, te præſto eſſe, ut Salvatorem anteferas; ſed fortaſſe, ubi ſe offerat occaſio, cum Judæis clamabis, *non hunc, ſed Barrabam;* te velle tuæ ſatisfacere cupiditati, etiam pretio ſanguinis, & mortis Salvatoris tui; fortaſſe Pilatum imitaberis, innoxium quidem abſolvere velles, ſed peccata tua illum condemnabunt, eique inferent mortem. *Idem.*

Indigna Pilati petitio Judæis

Conſiderate, S. Chryſoſtomus inquit, de hac iniqua optione verba faciens, conſiderate rerum omnium inverſionem. Mos erat, ut populus a Principe gratiam peteret vincti alicujus; hic vero Princeps ipſe petit JESU CHRISTI dimiſſionem. Non ait ille populo: JESUS morte dignus eſt, ſed illius gratiam petite, eamque vobis largiar. Edicit econtra ſe nullam in eo mortis cauſſam reperire; & mox obteſtatur, ut niſi velint, cum quatenus innocentem aſſeri in libertatem, ſaltem per diei feſti occaſionem, tamquam nocentem dimitti. Nihilo ſecius non moventur Judæi; eorum crudelitas non mulcetur, eorum ingeminatur invidia. Populus a Principibus Sacerdotum concitatus Barrabæ libertatem, & JESU mortem ſollicitat: *non hunc, ſed Barrabam*, addit S. Auguſtinus. Vita Salvatori auferatur, qui mortuos ſuſcitavit, obſequatur Barrabæ, qui viventibus vitam eripuit, ut recentes valeat cædes patrare. Non damnamus vos, o Judæi, quod ad honorandum ſacrum Paſchatis diem nocentem liberetis, S. Auguſtinus ſequitur; ſed quod innoxium morte plecti jubeatis, & facta vobis optione alterutrius, cum utriuſque diſcrimen videre vobis liceret, facta comparatione, Barrabam vobis dimitti petieritis. *Abbas de Monmorel in Homiliis de Paſſione.*

facta in hac occaſione.

Auguſt. lib. 3. de ſymbolo.

Tract. 113. in Joann.

Quis crederet Chriſtianos ſingulis diebus inviſam hanc prælationem inſtaurare? Hoc tamen accidit quotieſcumque facta indigna collatione voluptatis cupiditati ſuæ obſequendi cum impoſita nobis neceſſitate illam ſuperandi; oblectationis ſenſuum cum divinæ legis prævaricatione felicitatis vitæ hujus cum alterius felicitate, palam innocentiæ vitium, virtuti crimen, JESU CHRISTO dæmonem præferimus. Cum præſenti voluptate acrius afficiamur, quam gloria ſemota, vincimur, & ſuperamur, ex quo per inſignem temeritatem audemus inſtituere comparationem objectorum, inter quæ infinita nobis eſſe videtur diſparitas, ubi illa oculis fidei perſpiciamus; cupiditas illico ſuperat, efficitque, ut cum Judæis clamemus: *Non hunc, ſed Barrabam*; prælatio ſtatim ſubſequitur comparationem, & hoc accidit quotieſcumque Creatorem deſerimus, ut creaturæ adhæreamus. Num aliquid enormius excogitari poteſt? Sed aliquid ne hoc eſt frequentius? *Idem.*

Chriſtiani indignam hanc prælationem inſtaurant.

Quamtumvis indecora, & turpis Filio Dei fuerit comparatio inter ipſum, & Barrabam inſtituta, ſaltem quis non eam nactus ſpem fuiſſet cum Pilato, fore ut illa in tuto collocaret vitam JESU, & conſilium initum ab hoc Judice e ſententia cederet, & Judæi quamvis odio in illum furentes, tamen illi publicum latronem præferre non auderent? Tamen jam auribus noſtris confuſi accidunt clamores, & ululatus petentium JESU quidem mortem, Barrabæ vero libertatem: *Non hunc, ſed Barrabam*, Dimitte Barrabam, JESUM autem crucifige. Heu! Mortalium omnium nequiſſimus patronos invenit, & ſuffragatores, ille vero, qui ipſa ſanctitas eſt, neminem habet! Omnes pro homicida deprecantur; pro auctore vitæ qui deprecetur, eſt nemo? Proh Deus! Nonne ſatis magna erat confuſio ſe videndi cum infami hoc collatum, niſi etiam pudore ſuffunderetur intuitus illum ſibi præferri. Electio hæc mihi horrorem ciet, auditores; nos vero non cogitamus, hac eadem contumelia a nobis quotidie Salvatorem affici, quoniam hæc indigna prælatio quodammodo in quolibet peccatorum genere continetur; etenim non modicum lucellum, chimericus honor, momenti unius oblectatio Deo præfertur? Deus, & Mundus, Creator, & Creatura, ſumma felicitas, & leve bonum, ſunt cordis, mentiſque noſtræ competitores; & ſi ita miſeri ſumus, ut cedamus ſollicitationibus dæmonis, criminoſum nobis objectum proponentis, nonne inſtauramus contumelioſam injuriam illatam Filio Dei, ubi cum Barraba comparatus fuit; & illi poſthabitus. *Auctor ſermonum in omnia argumenta in Paſſione Quadrageſimæ.*

Decepti ſumus ſpe fore, ut Judæi JESUM liberare mallent quam Barrabã.

Quamvis nihil fingi poſſit iniquius electione ingrati hujus populi judicantis per quam optime de ſe meritum benefactorem vita indignum, eique latronem convictum præferentis, fidei tamen conſonum eſt, JESUM CHRISTUM multo majorem pœnam fuiſſe perpeſſurum, ſi ad vitam ejus tuendam ultimo affectus fuiſſet ſupplicio homicida, quantumvis nefarius. Nam etiamſi comparatio adeo indigna in Judæis eſſet effectus cæcitatis, atque peccati, in JESU CHRISTO erat Æterni Conſilii decretum, ne prohiberetur mors, quam ſubire voluit pro omnium hominum ſalute, & quam ſubire non poterat, niſi eidem Barrabas fuiſſet prælatus. Quomodo, Mundi Salvator, poſſent homines hujus amoris exceſſum cognoſcere? Non ſatis fuiſſe putas peccatorum carnem induiſſe, neque cum illis permanſiſſe: ſed cum re ipſa peccator fieri non poſſes, deputari voluiſti inter ſceleratorum numerum, quales ſunt homicidæ, & latrones, & haberi eorum nequiſſimus, atque indignus, qui viveres, ut mox medius inter illos, tamquam illis nequior cruci ſuffigereris. *Ex libro cui titulus: Paſſiones Domini noſtri JESU CHRISTI.*

Barrabæ prælatio erat in decretis Dei, ut J. C. moreretur pro omnibus hominibus.

Immoremur, Fideles, hoc loco inſpecturi humiliationem Filii Dei, qui cum tantus eſſet, ſanctus, & uni-

Inſignis fuit J. C. humiliatio

videre se comparatum, & posthabitum scelerato.

universalis Mundi totius Benefactor, se comparatum vidit cum latrone, seditioso, sicario, ea in occasione, ubi agitur de sua libertate, honore, & vita. Magna quidem honesti viri injuria est cum homine nullius pretii, vel nominis comparari; summa ergo fuit JESU CHRISTI ignominia cum mortalium omnium truculentissimo committi; sed ille nihil non æquo pertulit animo, ut nobis rebus in omnibus humilitatis præberet exempla. Modo Salvator mi, dicere poteris, quod olim dicebas cum Propheta: *Cui assimilastis me?* Cui me comparastis? Barrabæ, homini scelerato. Hic extremus est humiliationis abyssus, quo Deus descendere voluit reparaturus gloriam, quam peccatum eripuerat Deo. *P. a Ponte in Meditationibus de Passione.*

Isaiæ 40.

Hæc prælatio nos docet quo loco habenda sit nobis hominum opinio, & existimatio.

Ad hæc non sine indignatione consideremus, non deesse Barrabæ patronos & suffragatores, qui pro illo sollicitant, ejusque caussæ patrocinantur apud populum, quamvis deterrima sit. Quin loquamur de illius amicis, & affinibus, qui non minori studio illi opitulantur, quam Principes Sacerdotum; cum interim JESUS solus permaneat, & neminem inveniat, qui ejus causssam suscipiat, qui calumniam refellat, qui populum de veritate certiorem facere satagat; omnes illum deserunt, nemo causssæ ipsius justitiam considerat, & quamvis Judex testetur desiderium eum periculo liberandi, nullus amicus, nullus discipulus, nullus consanguineus, nullus eorum, quos plurimos affecerat beneficiis, est qui illum audeat tueri. Sed illud potissimum intueantur, quam falsa, & injusta sint hominum judicia, quandoquidem in causssa adeo perspicua contra Leges, & jura, nec non contra lumina veritatis exploratam innocentiam condemnant. Consideremus tandem quomodo odium, & invidia excæcare consueverit eos, qui aliqua animi perturbatione laborant; quomodo mortales leves, & mobiles sint, & quam facile decipiantur: illi enim qui nudius tertius, vel quintus credebant JESUM esse Messiam, & Regem Israel, illum hodie Barraba ipso nequiorem putant. Quis nostrum posthac inniti voluerit Mundi judiciis modo nobis propitiis, modo adversis, semper mobilibus? *Idem.*

Hæc judicium corruptio ori ur ex affectuum nostrorum violentia. Psalm. 61.

Cum improbos honore affectos, probos autem contemptos videmus, illos dignitatibus renidentes, hos in servitute positos; illos ad magistratus evectos, nos in humiliationem depressos; quid istud est nisi Mundus Barrabam JESU, vitium virtuti præponens? *Mendaces filii hominum in stateris suis. Deus in manu vestra libram constituit; vobis judicium, & rationem largitur, ut bonum a malo secernatis.* Sed vos pondera adulterastis. Sæpe apud vos creatura præponderat Deo, Barrabas JESU, cælo terra, atque tempus æternitati. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

JESU CHRISTI
AD COLUMNAM ALLIGATI
FLAGELLATIO.

Injustum Pilati consilium cædendi JESUM, antequam illum dimitteret, ut satisfaceret Judæis.

PIlatus attonitus propter electionem Barrabæ a Judæis factam, simulque graviter ferens in irritum cessisse consilium suum, quod commentus fuerat, ut Salvatoris vitæ consuleret; videns aliunde Judæorum odium magis inflammari, quo magis eorum petitionibus adversabatur; qui sua uti debebat auctoritate, ac justitia animo obfirmato resistens populo, elata voce Filii Dei mortem deposcenti, mulcere voluit animos eorum sumptibus Sanguinis innocui; quoniam non alia ratione furentium Judæorum cupiditati satis fieri posse videbatur. Credidit ergo sibi primum, quod rejecerat, consilium sibi reperendum esse, ut videlicet eum flagris cædendum adjudicaret; quoniam cum minime posset animum adjicere ad mortis sententiam ferendam in illum, neque vellet Judæis displicere, media instituit via, qua his quidem satisfaceret, JESUM autem a mortis periculo eriperet: *Emendatum ergo illum dimittam* furentibus ait, postquam iterum illum liberare irrito labore adnisus est: Flagellis cæsum dimittam. O inaudita argumentatio! Pilatus JESUM culpa vacare fatetur; judicium suum Herodis judicio confirmat. Exploratam habet Judæorum invidiam. *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.* Quid inde arguit? Quod ex his cognitionibus capit consilium? jubendi videlicet, JESUM CHRISTUM vapulare, antequam dimittatur; illum quidem plectere, ut Judæorum expleat voluntatem; & ut propriæ satisfaciat conscientiæ, illum liberare. Ad quid hæc iniqua commixtio? humana ratio, & obsequendi studium vult simul conciliare Deum, & Mundum; zelum justitiæ, quod publicum bonum est; & utilitatem privatam, quam amor proprius non vult derelinqui. *Ex pluribus auctoribus.*

Matth. 27.

Quodnam esset flagellationis supplicium; quinam hoc afficerentur; & quænam mens erat Pilati Salvatorem damnantis.

Flagellatio servorum erat pœna; & Romani hac pœna duplex hominum genus mulctabant; videlicet eos, qui non satis nocentes habebantur, ut non essent capite damnandi, & in crucem suspendendi; & qui capite damnati erant propter crimina, de quibus fuerant convicti, qui post prolatam mortis sententiam virgis, ac fustibus cædebantur, ut eorum morti major accederet ignominia. Pilatus autem hoc supplicio Salvatorem damnavit, illum non satis nocentem existimans, ut crucifigendus esset, immo etiam cogitans illum eum in statum redactum iri, ut in Judæis cieret miserationem, & illi tandem tanto æstu mortem ejus urgere desinerent. Sed Deus alio spectabat; cum hominum peccata, utitur falsa Judicis hujus pietate, ut eidem sævissimam simul, turpissimamque inferat mortem. Itaque execrabilis fuit Pilati politica, qui sperabat se leniturum furorem Judæorum, sanguine, quem ex omnibus Salvatoris artubus fluentem conspicerent. Sed aliunde fuit hoc severæ divinæ justitiæ decretum, noxæ parem infligere pœnam quærentis, puniendo multitudine plagarum, quibus corpus innocens cæsum fuit, multitudinem peccatorum, quæ homines perpetraverant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta ex Passione Quadragesimæ.*

Unde conjici possit quam crudele fuerit hoc flagellationis supplicium.

Ut autem innotescat quanta cum crudelitate flagellatio hæc fuerit adimpleta, & quantum pepererit dolorem Filio Dei, ea satis est cogitare, quæ contulerunt ad hoc, ut crudelissima esset æque ac turpissima. Primum quidem Pilati consilium, quod erat parcendi vitæ Salvatoris; molliendo Judæorum animos misero illo spectaculo. Secundo sævitia carnificum, quibus persuasum erat se nihil optatius Scribis, atque Pontificibus facturos, quam si validius patientis humeros fuste dolarent; fortasse etiam conducti erant pretio, si forte sub verberum grandine efflaret animam, præ metu, ne Pilatus tandem, ut professus fuerat, eum liberaret. *Emendatum ergo illum dimittam;* ac tandem instrumenta, quibus usi sunt, quæ triplicis fuerunt generis, ex Interpretum sententia; videlicet ex rubis, & spinis, quæ cutem cædunt, & lancinant; ex nodosis funibus, quæ illam contundunt; & ferreis catenulis in inferiori parte recurvis, quæ illam convellunt, & abstrahunt: quibus addenda est virginalis corporis ejus mollis gracilitas, quæ longe majorem habet doloris sensum; quam ceterorum mortalium, & quæ de industria facta videbatur, ut pateretur, quemadmodum superius connotatum est. Quis ergo assequi poterit, quem dolorem JESU CHRISTO dira hæc attulerit flagellatio. *Idem ex parte.*

Cur Evangelistæ obiter magnum hoc supplicium attigerint.

Evangelistæ paucis crudelem hanc flagellationem enarrant; neque enim sine horrore diutius in terribili hoc supplicio versari potuerunt, & nullus scio, utrum satius esset eorum silentium imitari, & nonnisi lacrymis loqui. Sed quis negare posset pietati vestræ levem aliquam hypotiposim dolorum, quos illi attulit adeo crudele supplicium? S. Paulus flagellis damnatus, ubi quæsivit, utrum liceret civem Romanum cædi, Judex illius hac voce deterritus, procedere ausus non est, & illum statim in arena liberavit; quasi parricidium fuisset indigne adeo plectere Romanum civem, cujus, quamvis nocentissimi, ratio habenda erat quam diligentissime. Sed nulla habetur ratio Regis gloriæ, qui tamquam servus excipitur, & cujus honorem Pilatus sacrificat, antequam Judæorum furori vitam ejus sacrificet. *Idem.*

Qua cum sævitia adimpleta fuerit hæc flagellatio.

Carnifices hisce furoris instrumentis armati violenter exuentes corpus illud sacratum per brachia, mediumque corpus alligant columnæ, ut totum corpus in terram curvatum, solisque funibus suspensum omnibus verberibus pateret, & ne unum quidem in irritum cederet. Statim ac ita aptatus fuit, impii illi proprio furore perciti, & ab ipso dæmone, quod nonnulli Sancti Patres crediderunt, concitati, nulli parcentes parti, quam nota suæ crudelitatis immunem relinquant denso verberum grandine tundunt. Virginalis caro ad primos ictus rubet, ac inflatur; secundi illam leviter incidunt, atque contundunt; mox singula verbera singula infligunt vulnera, & ex singulis vulneribus singuli effluunt Sanguinis rivi; & vulnerum multitudo carnem scindit, & lancinat. Carnificibus cædendo fessis recentes, atque integri sufficiuntur, qui cum superioribus crudelitate certantes undequaque cruorem eliciunt: terra madet, carnificum ora, ac vestes sanguine conspersa rubescunt; præ horrore infremunt spectatores, donec deficientibus Salvatori viribus, cessare coguntur, veriti ne in hoc supplicio moriatur. *Idem.*

Sequitur idem argumentum, & quinam ipsi hoc affecerit supplicio.

Quod spectaculum, Fideles, quod tormentum! quæ patientia! o Corpus Salvatoris mei! Opus Spiritus Sancti; mollissimum si quid unquam! Exciperis perinde ac marmoreum esses, vel æneum, sex millibus verberibus vapulas, sex mille vulnera tibi inferentibus, ex quibus sex mille cruoris rivuli emanant, ad explendam rabiem integræ cohortis militum, quæ, uti fertur, in barbara hujus supplicii executione adhibita fuit. Carnifices! Spectatores! tantæ crudelitatis ministri! cuinam succenseam? tibi blaspheme, qui illum undique peris; tibi libidinose, qui temet tot sordibus coinquinans uno totius corporis vulnere Salvatorem cruentas; tibi detractor, qui illum per omnes artus lancinas, proximi tui existimationem discerpens;

pens; tibi tandem peccator, quicumque es, quandoquidem verberum multitudine, quibus percutitur, expiat multitudinem scelerum, quæ commisisti. Sed erravi, Fideles, cum dixi in hoc supplicio æque contumelioso, & crudeli nullam legem, modum nullum servari consuevisse. Erravi, fateor; ecce enim verba legis, secundum quam dicere possumus illum fuisse percussum, & quæ in sacro Textu præscripta invenitur: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Heu! Carnifices delassati sunt percutiendo, & nondum Salvator fatigatus est sustinendo. Inhumani sibimet succedentes vires reficiunt suas, & Agnus innocens sub crepitante verberum grandine immobilis perseverat, quin conqueratur, quin agitetur, quin clamores in cælum attollat, quin eorum impotentiæ semet subtrahere adnitatur. *Idem.*

Deuter. 6.

Alia hypotipo-sis ejusdem supplicii.

Pilatus ergo, ignavus ille Judex, vix injustum edidit imperium, de quo verba fecimus, cum tota cohors Prætorianorum Militum convenit, vel ad impetum faciendum, ut crediderunt nonnulli, vel ad efficiendum supplicium illud sollemnius, ideoque etiam contumeliosius. Exuitur virginale corpus coram procaci ea multitudine, quæ verecundia acerbior illi fuit ipso dolore, quem attulit illi inhumana crudelitas. Ligatur, vinctisque manibus, & pedibus uni adnectitur columnæ ex iis, quibus satellitum aula incumbebat; cum sine mora execrabilis hujus injustitiæ ministri furentes exonerant verberum grandinem in sacratissimum corpus, ne minimam quidem particulam ejus integram relinquentes & vacuam cruentis vestigiis furoris sui. Potesne, Auditor mi, sine horrore, & sine miseratione spectaculum adeo inhumanum intueri? hoc hominis Divini corpus cruentatum, ossa nudata, venas scissas, & omnia laniata membra, quæ jam unicum horribile vulnus videntur? Quod si tibi restat adhuc aliquis humanitatis sensus, ne sufficiat tibi Pilati injustitiam, & lictorum sævitiam reprehendere; tuam in ipsum te indignationem converte, quoniam ad expiandam criminum tuorum multitudinem invicta patientia, immanem hanc verberum vim pati dignatus est? *Idem in Mysteriis, Sermone de Passione.*

Hoc spectaculum ciere debet in nobis sensus miserationis.

Anima Christiana! ut temet excites ad patientiam, & aliquid pro peccatis tuis sustinendum, contemplare paullisper in terribili hoc cruciatu Salvatorem tuum; audis verbera, quibus Pilati prætorium personat? Vides quomodo sacrum hoc rubescit corpus, livescit, intumescit, & sensim cavatur? respice, si tibi licet quin perhorrescas, ablatam cutem, verberum ictus cruentatam carnem ferientes, ossa extantia ex profundis vulneribus, & plagas, quibus in toto corpore locus relictus non est. Contemplare siccis oculis, hilarique vultu, quo scelera committis, hæc instrumenta usu nimio dissumpi, brachia, humeros, tergum, artusque omnes cædi, cruentari, laniari; sed præ celeris vide oris habitum in crudeli hac laniena eumdem semper retineri, sine querela, sine ejulatu, sine suspiriis servari, & dum dolor prohibet spiritum revocare, ex oculis lacrymas, ex corpore sanguinem fluere: *fluebant lacrymæ, fluebat sanguis*, S. Bernardus ait. Modo oculos in cælum sustollit, unde nullum recipit subsidium; modo in carnifices jacit, ut aliquem illis miserationis sensum immittat. Heu! Si hoc spectaculo non movemur; & si par non est ad inhibendam scelerum nostrorum illuviem, opus est, ut barbaris ipsis simus crudeliores, & marmoribus ipsis duriores. *Idem.*

Alia ejusdem supplicii hypotiposis.

Fingite vobis hunc hominem-Deum immitium horum carnificum furori traditum, qui illum suis vestibus exuunt, eumque funibus alligant, aptantque corpus molle, & delicatum verberibus accipiendis; virgis, nodosisque armati fustibus, aliisque id genus instrumentis undequaque sanguinem eliciunt. Per intervalla refectis viribus cutem attollunt, carnem lancinant; percutiendo fatigantur, ac sibimet succedentes omnes exerunt vires lacertorum suorum. Vulnera vulneribus addunt, vel potius ex toto corpore vulnus unum efficiunt. Quod enim cutis est reliquum, abstrahitur, venæ scinduntur; nervi obliduntur; carnis segmina divelluntur una cum grumis cruoris. Hoc patientiæ miraculum ne hiscit quidem tanto in cruciata; dolore enim vocem præfocante, atque sese colligente intra seipsum, amor ejus fit violentior præ dolorum excessu, efficitque, ut ille pro scelerum nostrorum multitudine offerat terribilem multitudinem ictuum, quibus verberatur. Quemadmodum peccatum in nobis effinxerat corpus, quod a Sancto Paulo peccati corpus vocatur; opus erat ut divina Justitia in Salvatore efformaret corpus doloris, ut totidem plagis expiaret criminum nostrorum multitudinem, & aliqua esset proportio inter crimina, atque supplicia: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Idem in Passione Quadragesima.*

Deuter. 25.

Quomodo hoc nobis supplicii repræsentare, & meditari debeamus.

Si quis nobis reliquus est sensus humanitatis, possumus ne Fideles sine dolore hanc nobis exhibere immanem lanienam vel quin misereamur tristis, miserique status, ad quem peccata nostra divinum hunc hominem redegerunt, quandoquidem ad eadem expianda sustinet terribilem hanc verberum multitudinem. Satis fuit similis supplicii narratio in Romano cive adimpleti, ut totus Romæ Senatus ad ultionem reposcendam excitaretur; & Eloquentiæ Pater ad vivum immanem hanc sævitiam describens, inveniisse videtur argumentum ad permovendos animos, qui sensu quolibet destituti videbantur. Heu! Hoc loco hos miserationis sensus ciere debet eloquentia, neque hoc vobis a me expectandum est: sed si vobis est amor aliquis erga Salvatorem vestrum, & Regem; quibus oculis a vobis hoc in statu respiciendus est? Quin vos misereat, licet ne vobis hoc intueri spectaculum, & vobis repræsentare illum, statim ac funibus solutus fuit, viribus per doloris excessum deficere, labi in cruorem suum, in quo barbari inhumane illum volutant, pedibus obterunt, & ad aspectum sanguinis, quem crudeliter effuderunt, suum furorem ingeminant. *Idem in alloquiis de Passione.*

Quinam fuerit sensus B. Virginis; si huic adfuit spectaculo.

Virgo Sancta, cujus cor plenum erat caritate erga Filium hunc, cujus innocentiam, meritum, & dignitatem præ ceteris noveras, si adfuisti teterrimæ huic flagellationi, nonne dolore confecta toties defecisti, quoties vidisti irruere flagella in corpus, quod Spiritus Sanctus in sinu tuo coagmentaverat? Profecto dicere tibi possem in hac occasione, quod fratres Patriarchæ Joseph dixerunt Patri offerentes illi tunicam filii quem vendiderant, ut fidem facerent illum a fera aliqua devoratum fuisse: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non.* Desolata mater, vide utrum cutis hæc cruentata, flagellis lancinata, vel potius unum dumtaxat vulnus effecta, sit corpus Filii tui ex purissimo sanguine tuo coagmentati. Jure quidem cum Jacob exclamare posses, majori dolore percita, quam ille olim: *Fera pessima devoravit eum.* Homines tigribus ipsis crudeliores in hunc statum redegerunt illum, ut ciere possit miserationem in brutis ferocissimis, atque humanum sanguinem sitientibus. *Idem.*

Genes. 37.

Ibidem.

Quid sentiendum sit de numero verberum quibus Salvator vapulavit.

Quinam ergo sunt vestri sensus ad adspectum Dei vestri sanguine manantis? Si vos non miseret; fortasse nescivi satis patheticam vobis exornare hypotiposim dolorum illius; sed vobis non arduum est supplere vobismet exhibendo nunc horum odia, nunc aliorum hypocrisim ad augendam crudelitatem adversus hominem, quem diris torquere suppliciis, vel merito sibi vertunt, vel voluptati: Evangelistis satis fuit dicere, Pilatum tradidisse Judæis illum flagris percussum: *Tradidit eis JESUM flagellis cæsum.* Nihilque addiderunt de dolore, quod illi peperit adeo horribile supplicium: sed Prophetæ, quibus Spiritus Sanctus illum multis ante hanc diem annis ostenderat, iis loquuntur dicendi modis, ex quibus licet conjicere, quo furore, qua inhumanitate carnifices immanem hunc verberum numerum exonerarunt in Sacratum illud corpus, ut ad eum, quem nobis exhibent, statum illud redigerent. Vidimus eum, Isaias inquit, virum dolorum; sed plagarum numero ita deformatum, ut ne homo quidem videretur. *Vidimus eum, & non erat adspectus, unde nec reputavimus eum*; & addit, Pœnæ, quas nos luere debueramus, cecideruntque in illum. *Attritus est propter scelera nostra.* Huic locutioni Sancti Patres innituntur, ut judicium ferant de numero verberum, quibus Salvator in sua flagellatione percussus fuit, & quamvis nihil certi hac de re valeat affirmari, solum dici potest, cum JESUS a Romanis flagellatus fuerit, a veritatis specie non abhorrere, ipsum Romanorum more cæsum fuisse, qui Philone Hebræo teste is erat, ut postquam Tribunus, qui huic præerat supplicio, primum dedisset ictum, milites omnes, qui erant in acie mox nocentem percuterent, qui sæpe sub verberum numero expirabat; cumque Evangelium memoret cohortem, quæ Pilati parebat imperio, quæ plerumque ex quinque, vel sex hominum millibus erat composita ad Judæos in officio continendos; si milites singuli percusserunt illum, secundum hanc consuetudinem, quæ omnem habet speciem veritatis, non est hyperbolica, sed verisimilis supputatio, & non temere prolata Salvatorem totidem verbera fuisse perpessum. Præter quam quod nefas est mendacii redarguere eas revelationes, quæ ab Ecclesia probantur; unde facilis patet conjectura de magnitudine doloris, quem Dei Filius perpessus est, non secus ac de profunditate; & ingenti numero plagarum, quibus in crudeli hac flagellatione sauciatus fuit. *Idem.*

Marc. 15.

Isaiæ 53.

Probabile est J. C. bis flagellatum fuisse.

Abs re non arbitror hoc in loco animadvertere Romanis legibus cautum esse, ut qui erant crucifigendi virgis antea cæderentur; quæ res ansam nonnullis Contemplationi deditis præbuit credendi JESUM bis flagellis cæsum fuisse: Primum quidem juxta Pilati consilium, ut videret, utrum hoc supplicio mulcere posset animos Judæorum, & a morte eripere, quem innocentem judicabat: iterum vero postquam Judex illum Cruce damnavit. Quomodocumque se habuerit res, supplicium hoc fuit æque infame, & crudele: Probabile est enim prima vice Pilatum præcepisse militibus, ut illum ita plecterent, ut ciere posset miserationem in illis, qui eum intuerentur; quod vero ad

alte-

alteram pertinet vicem, supponere possumus Scribas, Pharisæos, & Pontifices excitasse milites pretio, ut strenue munere suo fungerentur, & non parcerent illi, quem immortali odio persequebantur, & quem non satis poterant excruciare. Fieri ne potest, animæ Christianæ, ut Deus adeo crudeliter torqueatur, & tantum cruoris effundat pro nobis, & me non posse exprimere ex oculis vestris lacrymulam, ut dolorum illius misereamini? *Idem.*

Alia hypotiposis flagellationis.

Cum Pharisæi, atque Pontifices sentiant sævitiam suam probari, & Judices auctoritate sua non prohibere, quominus illa audeant, quæ cupiditas infestissimis suadet inimicis, corrumpunt, & excitant milites ad crudelem hanc flagellationem exequendam destinatos, qui alioquin assueti sanguini, ac cædibus, & se immites esse gloriantes arcte vinciunt Salvatoris manus, & pedes, atque certatim in eum sexcentenis plagis desæviunt. Primis verberibus sacratum, & molle corpus finditur, longis sulcis aratur; una jam plaga est, sanguis undique defluit, & manat. Virgæ debile sunt instrumentum communibus sontibus præparatum, neque satis obsequitur genio, ac rabiei eorum, a quibus incitantur: jam funes, jam ferreæ expediuntur catenæ; robustissimus quisque inter milites eligitur, fessis recentes sufficiuntur, ac brevi quin ulla permittatur mora, vel requies, divina caro quinque millibus plagis sauciatur; neque cessatur, nisi quod satellites omnes percutiendo defessi, ulterius sævire non possunt. Quid igitur dicam de statu, ad quem JESUS redactus fuit? Verum est mentem vestram suppleturam verborum meorum defectui: concipietis carnem ablatam, cujus frusta aliquot decidunt in terram, aliquot catenis, funibusque inhærent, & credetis numerare denudata flagellis ossa secundum Davidis prophetiam: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Illum existimabitis, Isaiæ verbis utar, leprosum, percussum a Deo, & humiliatum, & adeo deformatum, ut dignosci minime valeat. Ego vero in hoc generali conceptu immorabor; corpus illius omnium mollissimum fuisse, illud flagellis cæsum fuisse a robustissimis, atque teterrimis satellitibus, donec rabies eorum saturata fuit; nihil enim fingi potest, quod circumstantiis non comprehendatur. *Ex MS. Sermone Patris Stephani Chamillard.*

Psalm. 21.

Peccata nostra causa fuere hujus supplicii.

Ne quæramus causam dolorum, quibus Dei Filius ad columnam alligatus affligitur. Nostra peccata eum lancinant; vult, ut flagella ex omnibus venis suis sanguinem hauriant, & ex toto corpore suo unum universale vulnus efficiant, eo quod nos non sumus nisi corruptio, & iniquitas! *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Respice ergo Christiane, corpus hoc cruentatum, quod non sine miraculo tot inter pœnas, atque violenta supplicia subsistit: Considera hæc brachia, hos humeros, hoc pectus vulneribus saucium; hæc sunt tot veluti specula, ubi fœditatem, numerumque criminum tuorum intueberis; sed illa ne videre poteris, quin perhorrescas? Salvator amabilis! Quousque bonitas progreditur tua? Ego peccavi, tu pœnas luis; si de tortoribus non quereris, quereres de me, qui tormentorum tuorum sum causa. Ego incessanter lancino te noxiis cogitationibus meis, aculeatis verbis, actibus contumeliosis, quorum numerus ferme infinitus constituit pœnarum tuarum magnitudinem. Sed quid? Sanctus Sanctorum derelinquetur furori peccatorum, quin aliquis illius misereatur? Heu! Si ille semetipsum non ploret, si incredibiles sustinet dolores, quin verbum proferat, ejus silentium vos flectere debet; & si vulnera illius cor vestrum non molliunt, profecto durius est rupe. Fieri enim vix potest, ut Deus propter amorem vestri tantum cruoris effundat, & vos nequeatis ex oculis vestris elicere lacrymas, ut tormentis illius compatiamini. *P. Novet in Meditationibus de Passione.*

Injusta Pilati politica simul J. C. liberare & Judæis satisfacere volentis.

Animadvertite quæso injustam Pilati politicam, quam nimis frequenter fortasse imitamur. Noverat ille Salvatoris innocentiam, studebat etiam parcere vitæ illius, variisque rationes expertus fuerat, ut id ipsi cederet e sententia. Miserat illum ad Herodem; illum cum Barraba comparaverat; illum in eum statum redegerat, ubi ciere posset facilius misericordiam, quam odium; verbo illum a morte eripere conabatur; sed simul nolebat sibi conflare Judæorum odia, & metuebat, ne sibi negotium aliquod facesseret Sacerdotum, Pontificumque cupiditas contra Dei Filium succensa. Igitur ne illis displiceret, & ne cogeretur innocentem damnare, hoc init consilium, Salvatorem eum in statum adducendi, qui ipsis persecutoribus misericordiæ sensus immitteret, eosque ab hujus morte perequenda deterreret. Hoc ipsum hodierna quoque die Fideles quidam facere adnituntur, qui Mundo simul, & Deo placere contendunt. O cæcam carnis prudentiam! quæ conatur duo simul adeo remota conciliare: conscientiam, & cupiditatem; hominum, & Dei amicitiam tueri, & ad id illud inquirere temperamentum, quod nullatenus pati potest Evangelium. Nonne id est Pilati consilium imitari metuentis injustitiam committere, si interficiat innocentem; sed non dubitantis illum flagellis cædere, quasi esset mortalium omnium nequissimus? Hæc illa execrabilis est politica, quæ Filio Dei tantum attulit dolorem, & quæ adhuc efficit, ne displiceamus hominibus, quin vereamur omnes divinas leges infringere. Qui Deum cum Mundo conciliare studet, quam primum nuntium mittit justitiæ, conscientiæ, & ipsi etiam humanitati. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in Passione Quadragesimæ.*

Considerationes de insana hac Pilati agendi ratione.

Aliud quoque occurrit mihi considerandum de insano hoc Pilati consilio, qui non ausus Dei Filium liberare, neque morti adjudicare, experiri voluit, utrum sanguinis fluentis intuitus, atque plagarum populi furorem in misericordiam posset convertere: *Emendatum ergo illum dimittam*, dixit Judæis. Illum cædi flagellis jubebo, gratificaturus vobis, & mox dimittam: quæ stulta agendi ratio! Timet illum morte afficere, videt enim, ipsum nil tale fuisse promeritum, nec vult sibi a quopiam injuste factum exprobrari; religioni minime vertit, illum flagellis cædere tamquam nocentem convictum. Innocentem esse profitetur, & sævit in illum tamquam omnium criminum reum. Iniquissime Judex! Cur te ipsum tua damnas sententia? Cur punis, cum jam ipsum culpa vacare judicaveris? Sin autem pœnas luere meretur, cur profiteris innocuum? Agendi ratio in Romano Judice sane inaudita, qui falsæ misericordiæ causa plectit Salvatorem, ac in eum sævissimam exercet crudelitatem. Ecce, o Fideles, plerorumque hominum consilia. *Aliquos invenietis, qui sibi religioni vertent peccata quædam committere, qui sibi licere putabunt, quæ nihil minus gravia sunt; nollent aliquod vel minimum alieni possidere, sed vilem habebunt proximi æstimationem, eique nullo unquam tempore parcent.* Ah! si timor injustitiæ parandæ illos cohibet, nonne utrobique æque gravis est injustitia? Nonne hoc est Pilati iniquitatem imitari, qui Salvatori mortem inferre perhorrescit, & non horret illum terribili supplicio mulctare, quod millies morte ipsa est acerbius. *Idem in alloquiis de Passione.*

Luc. 23.

SPINEÆ CORONÆ IMPOSITIO.

Romani milites novum supplicii genus excogitarunt, ut Salvatori illuderent.

FLagellatione eo, quo narravimus pacto adimpleta, nequaquam finis factus est passionum Domini: & columna, cui alligatus erat, non fuit terminus furoris inimicorum illius; namque quin illi inscriberetur epigraphes illa: *Non plus ultra*, ut illis, quas ille terrarum Domitor, qui ad extrema terrarum littora se attigisse putabat, huic inscribi potest, horum barbarorum sævitiam ulterius procedere: quandoquidem ecce supplicium prorsus crudele, nondum in nocente aliquo expertum. Cum Pilati milites vellent illudere divino huic homini, ut Herodis milites fecerant, recordati sunt, illum sibi Regis dignitatem vindicasse, & dignitatis hujus illi collocata insignia fuisse ea veste, quam illi per irrisionem circumdederant; quamobrem aliorum irrisionibus aliquid superaddere voluerunt. Ad id autem spinas acceperunt, quas invicem innectere, atque contexere studuerunt, ut inde coronam conficerent, quam capiti imposuerunt, easque plectentes altius in cerebrum depresserunt, quod quidem supplicium fuit æque crudele, & contumeliosum Filio Dei. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.*

Milites, qui audierant J. C. adfectati regni nomine accusatum fuisse, inde occasionem arripuerant capiti illius spineam coronam imponendi.

JESUM CHRISTUM accusaverant Judæi, quasi regnum adfectasset, sed Pilatus hoc crimen contempserat, tam quia nulli argumento innitebatur, quam quia facile erat, eum virgis cædendo veluti mancipium, tanta afficere ignominia, ut non solum omnia auferret illi ad regnum jura, verum etiam imparem faceret abjectissimis etiam Reipublicæ muneribus. Tamen hujusmodi accusatio quamvis chimerica, locum præbuit militibus novos inferendi Salvatori dolores, & probra recentia, illum tamquam fictum Regem objiciendo irrisionibus populi. Iterum ergo illum suis exuerunt vestibus, eumque atrito purpuræ segmento contexerunt, & coronam ex prælongis spinis invicem intextis coronam concinnarunt, eamque illius capiti imposuerunt, & ne ex capite elaberetur fustium ictibus alte depresserunt, ita ut spinæ undique penetrarent, aliæ quidem per frontem, & per tempora & prope oculos egrederentur, aliæ nervos pungerent, & venas perforarent, unde cruor magna manabat in copia, & tantum illi dolorem afferebant, ut eum perferre citra mortem minime potuisset, nisi divina virtus eum roborasset; quippe reservabatur morti crucis; & dolores illi perdurarunt donec in cruce expiravit. Qui aliquoties experti sunt violentos capitis morbos, paullisper immorentur cogitantes quam gravis, & acerbus Salvatori fuerit hic dolor, tot inter alios quibus conflictabatur. Sola cogitatio horrorem ciet; verum quid tandem est cogitatio, si cum ipso dolore comparetur? *Liber, cui titulus: Passiones Domini nostri JESU CHRISTI.*

Corona hæc mystica fuit, & repræsentabat maledictionem olim latam contra terram.

Dicere possumus cum nonnullis Sanctis Patribus, hanc spineæ coronæ impositionem crudelitatis genus fuisse, quod nonnisi in dæmonum mentem incidere poterat, obsidentium furiosos homines incumbentes, ut Salvatorem omni dolorum, & contumeliarum genere afficerent. Sed addamus etiam cum Tertulliano divinam permisisse justitiam, ut in Dei Filium exerceretur hæc inhumanitas non sine quodam mysterio; ut repræsentaret illum in semet suscepisse maledictum omne, quod in terram Deus ejaculatus est post primi parentis nostri peccatum, ut nonnisi spinas, & tribulos germinaret: *CHRISTUS fertum subiit ex tribulis, & spinis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* Olim floribus victimæ coronabantur, cum adducebantur ad aras immolandæ; & cum publicis irrisionibus objiciebantur Regnorum usurpatores, papyraceæ illis coronæ imponebantur; sed Regi vero Cæli, ac terræ, qui pro commentitio Rege traducitur, longius procedit irrisio. Corona hæc non tantam inferret Salvatori ignominiam, nisi crudelitas accederet irrisioni, & acerbissimus dolor nequissimæ contumeliæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c. in alloquiis de Passione.*

Nescio, Fideles, quomodo Romani milites, qui suopte ingenio ab hujusmodi crudelitatibus abhorrebant, cum Judæis conjuraverint ad inferendam Filio Dei tantam dolorum acerbitatem, nisi sese illis dæmon immiscuit, quæ est D. Chrysostomi sententia. Re enim vera diabolicum fuit adinventum spinis uti, ut inde coronam texerent in formam cæsarei pilei: *Et plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus.* Pilatus profecto non jusserat JESUM tanta affici pœna: sed ubi semel indultum est, & licere incœpit, quod cuique placuit, non amplius integrum est licentiæ frænum immittere, & sæpe inde aperitur via ad ea mala, quæ prævisa non sunt. Ita Romani milites Judæorum exemplo contra Salvatorem concitati, cum illis crudelitatibus, probrisque certarunt nectentes Salvatori orbem spinarum cruentarum, juncis marinis usi, quemadmodum nonnulli afferuerunt. Flos eorum decerpi consueverat, in triumphorum ornatum; sed eligitur spina ad Regem gloriæ coronandum. Imponitur ergo doloroſum hoc diadema capiti, & fustibus deprimitur; & sicuti milites se insignem justitiæ actum operari putabant, si nullam illius rationem haberent, crudelium spinarum aculei penetrant adorabile caput, frontem perfodiunt, ac tempora, & non desunt, qui putent usque ad cerebri substantiam permeasse; quem vero illi dolorem exciverint, vos ipsi conjicite ex Hemicraniis, quibus nonnunquam laboratis. Ceterum cum quælibet spina vulnus infligat, sanguis ex tot vulneribus effluens oculos ejus excæcat, crines cum facie conglutinat, illam deformat, & in objectum horroris, & miserationis convertit; cum interim homines inhumanissimi gravissimis ejusdem cruciatibus oblectentur. Heu quam longe aliud diadema mereris Rex gloriæ! Sed nunquam amor tuus permisit tibi, ut aliud gestares, donec inter homines versabaris. Fugam arripuisti, cum Judæi te in Regem suum inaugurare voluerunt, & capiti tuo coronam imponere tamquam vero Filio David; sed modo te obtulisti, & acceptasti coronam factam tibi opprobrii notam, & hac in occasione licet mihi clamare cum Sponsa Canticorum: *Venite, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Angeli, homines, & omnia Universorum creata venite, & videte Regem vestrum in tristi hoc apparatu. Ecce illum spinarum diademate circumdatum ad innuendum sui amoris imperium. Regnum ejus non est de hoc Mundo; omnia differunt, ipsa etiam corona, quæ non est ex auro, nec ex lapillis pretiosis, neque ex lauro, qua victricia tempora ornabantur, sed ex spinis tamquam viro dolorum, & Rege mœrentium, qui gloriam suam collocat in opprobrio hoc adeo cruento, & contumelioso. *Idem.*

Cantic. 3.

Cum Salvator spinis coronatus fuerit, nos delicias nostras debemus perhorrescere. S. Bernard.

JESUS CHRISTUS antequam corona hac insigniretur, crudeli flagellatione corpus universum gessit dilaniatum; membra enim, quæ mollius tractata fuissent, minime decebant caput tanto obrutum dolore. Pudore igitur suffundi nos decet, si delicata fuerimus membra sub capite spinis coronato: *Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum.* Salvator est caput nostrum, nos membra illius; æquum ne est nos in deliciis vivere, donec ille vivit inter tormenta? Si nos pudet imitari caput nostrum, nonne pudebit ipsum nos sua membra fateri? Pudeat nos, illi adeo parum similes esse, quem tamquam caput nostrum debemus inspicere, & exemplar. Quæ enim intercedit similitudo inter JESUM flagellis cæsum, & spinis coronatum, & molles, & impudicos Fideles? Quod dedecus est, peccatores in mollitie versari, donec sancta, & innocens caro tanta crudelitate mulctatur? Pudeat nos ignaviæ nostræ ad intuitum spectaculi adeo funesti, & ut simul divinæ satisfaciamus justitiæ, atque respondeamus divinæ erga nos caritati, nosmet in nos ipsos armemus severitate, nobismet nihil condonemus, postquam condonavimus omnia: reparemus austeritatibus nostris, quæ in mortem usque proferantur, flagitia vitæ mollis, & impudicæ: & sin minus sanguinis nostri effusione peccata nostra delemus, saltem illa pœnitentiæ lacrymis abluamus. *Abbas de Monmorel, aliique nonnulli.*

Hic Dei Filius, Christiani, vulneribus plenus, & spinis coronatus exemplum est, secundum quod omnes homines sese componere debent. Hic prototypus est, eumque omnes exprimere tenentur, si in partem accedere velint coronæ gloriæ, quam illis præparavit, & ut me expediam verbo, ille est, cui nos oportet similes fieri, si velimus ex numero esse prædestinatorum, quemadmodum testatur Apostolus: *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui.* Quæ cum ita sint quam rationem, aut similitudinem habere possumus ea in vita, quam ducimus in jugi commodorum, & voluptatum nostrarum perquisitione? Ad erubescendum, non aliud quæreretur, nisi meditari quantum dedeceat nos in deliciis versari, cum simus membra capitis spinis coronati? Serio itaque cogitemus nullam nobis esse spem, perfectionem, aut meritum coram Deo, nisi quatenus similitudinem habemus cum divino hoc exemplari, & quotiescumque videmus spineam hanc coronam in capite Salvatoris, cogitemus, nefas esse, ut membra benignius excipiantur, quam caput. Hac ratione utebatur olim Tertullianus, ut aboleret consuetudinem sertorum ex floribus intextorum, quæ ævo illius percrebuerat, objiciens illis spinas, quibus Salvator fuerat redimitus. Quomodo, ajebat ille, poteritis similes fieri Filio Dei? Qua nota ostendetis vos esse divini hujus Magistri discipulos; & hujus Capitis membra? Utamur deinceps, Christiani, hac eadem ratione ad extinguendum in nobis inconditum amorem voluptatum, & jugiter cogitemus illud: *Non decet sub capite spinoso membrum esse delicatum. Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.*

Christiani molles non sunt similes illi, qui eorum exemplar est.

Ad Roman. 8.

Nemo unquam nocens ita mulctatus fuit; ut hodie Sanctissimus inter hominum filios. Licentia nova in singulos dies invehit criminum genera; & procul dubio ad expiandos hosce excessus, & has vitiorum adinventiones, permittit Salvator, ut inaudita inveniantur genera suppliciorum, atque opprobriorum. Adesto, Fidelis, huic spectaculo, ut ibi admireris divini amoris excessum, ut miserearis pœnarum illius; ut temet formes ad patientiam; ut illum agnoscas tamquam Regem tuum, supremumque Dominum eodem tempore quo *es opprobrium hominum, & abjectio plebis*, quemadmodum Rex Propheta illum loquentem inducit. *Ex libro cui titulus: Recentes considerationes in Evangelium S. Matthæi.*

Dei Filius novum hoc sustinet supplicium expiaturus nova scelerum genera, quæ ab hominibus perpetrantur.

Diximus Filium Dei coram Pilato confessum fuisse, se Regem esse Judæorum; scæna, quæ excepit hanc spineæ coronæ impositionem, est species cæremoniæ, vel potius crudelis irrisio, qua illudunt ei inimici, ut in ludibrium vertant regnum ejus, eumque tamquam theatricum regem excipiant. Profecto ne quod opprobrii genus prætermittant post impositam ejus capiti cruentam coronam, illum reliquo regis apparatu exornare festinant. Iterum exuunt illum vestibus, & hoc pacto revellunt, quidquid cutis superetat in corpore, quam non abstulerant flagella, & pro illis induunt illum detritæ, laceræque purpuræ segmento, quæ olim fuerat militis alicujus indumentum. Hoc purpureum pallium fuisse testatur Evangelium; quamvis quæcumque alia vestis illi fuisset circumdata, statim fuisset illius sanguine purpurata; sed purpuræ recens superinducitur purpura, ut dolori accedat confusio. Mox pro sceptro manibus imponitur calamus in commentitii regni sui derisionem; & mox quasi honorem illi regium habituri, per sarcasmum Regem Judæorum appellant: *Ave Rex Judæorum.* Pro tributo alapas impingunt; in obsequium, & fidelitatis argumentum coram illo genua flectunt, & per irrisionem adorant. Sollicitudo militum, & plebis, qua illudere illi certabant, efficiebat, ut qui non satis prope accedere poterant eum percussuri, in turba locum sibi facerent, ut in faciem ejus conspuerent, & postea recederent, cum illi profundam adhibuissent reverentiam, hoc pacto significantes, quanti facerent ejus personam, & dignitatem: *& conspuebant eum, & dabant ei alapas, & percutiebant caput ejus arundine.* Nihilo minus hic Rex gloriæ opprobriis saturatus, & verecundia suffusus, spatium temporis permittit inimicis suis, quo expleant odium suum, & illatas sibi injurias, atque contumelias delibant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Marc. 15.

Donec hic homo divinus ita opprobriis saturatur, ut loquitur Propheta; Judæi per otium crudelem gustant voluptatem videndi illum irrisum, expositum libidini, & furori eorum omnium, qui eum afficere vellent ignominia. O cordis humani inconstantia! Sanctus Bernardus exclamat. Quis dixisset eum, qui ante dies quinque triumphans fuerat exceptus, tam brevi, ab eodem populo, eademque in urbe, modo tam diverso excipiendum fuisse? Tunc se suis vestimentis exuerunt, ut eum colerent; nunc illum suis exuunt, ut irrideant. Tunc clamabant, *Hosanna Filio*

Inconstantia humanæ mentis videtur in illis, qui Salvatorem injuriis obruunt, cum antea illi honores detulerant. Bernardus, serm. 2. de ramis Palmar.

Matth. 21.

Joann. 19. *Filio David*; nunc clamant: *tolle, tolle eum, & crucifige*. Tunc illum Regem suum confitebantur, hodie, non alium Regem patiuntur, nisi *Cæsarem*. Tunc *cædebant ramos de arboribus & prosternebant in via*: nunc spinas cædunt ad caput illius operiendum; & calamum, quem pro sceptro in manibus ejus inserant. Irrisio, & violentia ulteriusne progredi possunt? S. Chrysostomus inquit. Caput ejus spinis perforatur, & arundine percutitur; genæ cæduntur colaphis; facies sputis dehonestatur; corpus ejus flageliis lancinatum, nuditate dedecoratum, multoque magis purpureo pallio, quo tegitur, ut ipsi simulatis adorationibus illudatur. Quisnam turpiora, vel sæviora his suppliciis excogitare potest, quæ omnia verba, omnesque cogitationes excedunt? Hic ergo iterum dicere possumus: *Videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*. Venite, & per otium considerate sapientem hunc Salomonem, vel eum potius, qui increata Sapientia est, cruento coronatum diademate, pro sceptro gestantem calamum, sanguinis sui purpura ornatum; cui carnifices obsequuntur, & cujus thronus quam primum futurus est infame patibulum. *Abbas de Monmorel, & Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Matth. 21.

Cantic. 3.

Pilatus ostendere voluit populo Salvatorem ita mulctatum, ut videret, utrum misericordia duceretur.

Romani milites cum sibi a Judæis plaudi, animosque fieri viderent, diutius irrisiones suas, atque histrionicas scurrilitates produxissent, nisi Pilatus, qui cruentæ flagellationis tempore secesserat, egressus esset, ut videret, quid crudele illud supplicium peperisset in animis populi adeo concitati contra Salvatorem, si forte videns miserrimum statum, ad quem redactus fuerat, miseratione duceretur; verum etiam credidit hanc unicam esse rationem consulendi vitæ illius, eumdemque de furentium manibus eripiendi. Quapropter cum Pilato persuasum esset quacumque rabie tandem Judæi correpti fuissent contra hunc innocentem; hoc tamen unum objectum illis exprobraturum esse ipsorum sævitiam, & in illis aliquem misericordiæ sensum exciturum esse; ut triste hoc spectaculum eos magis magisque frangeret, illud de Prætorii podio ostendit eo in statu, ad quem milites illum redegerant, capite spinis horrente, tumida facie, sputis, & cruore deformata, cum qui aderant, perhorresterent, & ipse Judex manu altera attolleret partem purpuræ, quæ tegebat dilaniatam corporis partem, altera vero ostenderet *illum populo* eo vocis tono, *qui contemptum, indignationem*, ac miserationem innuebat: exclamavit: *Ecce homo*, de quo agitur: *Ecce homo*. Ecce ille, cujus mortem perquiritis, & cujus potentiam, & dolos adeo formidatis. Nunquid timendus est eo in statu, in quo illum videtis? Quid ultra requiritis? Nonne satis illi ostendistis, quo cesserint ejus consilia, conatus, conjurationes in rempublicam, & legem vestram? Nonne satis mulctatus est miser, eo quod in se vestram indignationem, & odium conflaverit? Quid ergo ultra quæritis? Est ne amplius par populo concitando, & ciendæ artibus suis rebellioni? Inducet ne ultra aliquem in errorem doctrina sua post ignominiam, atque infamiam, quam pertulit? Nonne ille ad eum statum redactus est, ubi nihil aliud ei consilii supersit, nisi tenebras quærere ad evitandam confusionem, & hominum oculos fallere? Liceat igitur misero vivere, pro quo mortem deprecari deberetis post ea, quæ hactenus passus est. Hoc innuere volebat Pilatus verbis illis: *Ecce homo*, *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

EXPOSITIO IN VERBA ILLA: ECCE HOMO.

Quid significent hæc verba, Ecce homo, secundum Pilati mentem.

VErba hæc considerare possumus, vel tamquam profecta a Pilato, qui secundum sua loquitur cogitata, vel tamquam ab Æterno Patre, qui peccatoribus ostendit Unigenitum suum in terram missum propter salutem hominum, vel tamquam ex ore ipsius JESU CHRISTI prolata, vel denique tamquam manantia ex ore Concionatoris Auditores suos alloquentis. Secundum Pilati mentem illa proferentis, ut liberet ipsum a morte, non aliud significant, nisi *Ecce homo*, assertus ille Rex, qui seipsum Messiam, & Dei Filium appellat. Nonne satis vobis esse debet, illum intuentibus in hoc statu? Nonne modo miseratione dignior est, quam invidia? Si odium vestrum, & ultionem meritus est crimine aliquo contra legem vestram, quod me latet, vel contra Rempublicam, quod satis probare vobis non licet, nonne satis pœnarum luit? Nunquid imposterum timere potestis, ut Regnum appetat, cum vix tamquam homo haberi possit? Ego in eum animadverti non quod nocentem censuerim, sed quod vos me coegistis: si vobis satisfactum est, equidem profiteor, mihi non tantam inesse animo crudelitatem, ut tale objectum sustinere valeam, neque justum esse, ab eo auferri quod in ipso vitæ reliquum est. *Idem*.

Sensus horum verborum, ubi in fidei spiritu considerentur.

Ecce homo: verbum breve, sed magnam sententiam, magnaque complectens mysteria, ubi in se tantum considerectur. *Ecce homo de homine*, S. Bernardus exclamat, *homo pro homine, homo contra hominem, homo supra hominem, homo infra hominem*. Ecce; hic homo natus de Virgine propter omnium hominum salutem, atque in tristi hoc statu positus per hominum eorumdem sævitiam: *Homo contra hominem*, homo, qui hodie contra plerosque homines insurgit, quia cum sit ille vir dolorum, isti viri sunt deliciarum, & voluptatum: *Homo supra hominem, homo infra hominem*. Homo tandem qui in sublimi hac majestate, quæ extollit illum supra omnes spiritus, factus est etiam novissimus hominum. Heu! cogitemus, quanta fuerit divini hujus hominis ignominia fieri ludibrium populo, in quo erant inimici, amici, homines cujuslibet ætatis & conditionis. Tamen Salvator hic hanc sustinet ignominiam ea cum modestia, patientia, animi lenitate, quæ omnibus, qui in ipsum minus præoccupati fuissent, innocentiam ejus probassent. *Idem*.

J. C. in tristi hoc statu videtur non posse cognosci a Deo, ab hominibus, & ab omnibus creatis.

Ecce homo, Pilatus ait, & jure hoc dicit crudelis: alioquin nullus scio, utrum reipsa cognosci posset tamquam homo ab eo, qui illum ita affectum intueretur? Ecce homo, Pater æterne, de quo olim dixisti, dilectum esse Filium tuum, objectum, in quo tibimet complacuisti, modo vero objectum est, in quo formidabiles tuas ultiones exerces. Haud ita, Fideles; Videtur illum ignorare Deus, ex quo oneratus fuit *iniquitatibus nostris*; quapropter sua illum percutit justitia, tamquam nocentem. Deus illum coronaverat gloria, nos vero illum spinis coronamus: illem *speciosissimum præ filiis hominum* fecerat; modo crudelitas *hominum deformavit illum*. Vos discipuli, & Apostoli, qui toties vidistis illum, ac tamdiu cum illo consueviistis, illum ne agnoscitis? Heu! Petre, quo potiori jure modo, quam pridie jurare, ac profiteri posses te illum non cognoscere; & si adhuc expectasses illud proferre verbum, quod tibi hesterna die tot lacrymis stetit: *Non novi hominem*, infidelitati tuæ modo aliqua non deesset species excusationis. Tu vero Judæorum genus. Hodie ostenditur tibi. Illum agnoscis? Hic Rex tuus est, Messias tuus, *ille*, quem Prophetarum tuorum Oracula *toties tibi pollicita sunt*. Nequaquam; non agnoscent *illum* nisi *cum venerit* gloria coronatus *rationem expecturus sanguinis sui & pœnas sumpturus tot opprobriorum, quibus fuit saturatus: Videbunt in quem transfixerunt*. Jerusalem tu qui *illum aliis ostendis; ipsa ne cognoscis illum? Ecce homo*. Hic *ille* est, quem *ipsa vidisti* tot operantem prodigia, tot morbos curantem, tot mortuos in vitam revocantem. Ah! Salvator hominum, hoc hodie prodigiorum omnium maximum est, videre te post hæc ab omnibus ignorari! Divine Salvator, verus Deus, & verus homo! Ego quidem agnosco te, & in hoc humiliationis statu, opprobriis obrutum, & doloribus cumulatum adoro. Nunquid non satis erat te eo usque demisisse, ut nostram naturam assumeres, quin etiam te similem potius vermi, quam homini præberes, & fieres hominum opprobrium? O quam beatum me censerem, si tibi similis essem! *Idem*.

Joann. 19.

Quid hæc verba significent in sensu Spiritus Sancti.

Ecce homo. Hæc verba, eo in sensu, quem illis tribuit Spiritus Sanctus significant, *ecce homo*, qui profecto homo dumtaxat videtur, sed reipsa super omnes homines est; quoniam Filius est Dei vivi, Messias in lege promissus, Caput Angelorum, & Hominum, humani generis Redemptor, spes unica peccatorum, qui eo usque homines diligit, ut ad eorum scelera expianda passus sit, se in hunc redigi statum, ut videretur minus, quam homo, sed qui *in hoc ipso* statu ad quem redactus est, dignus est, quem omnes homines laudent, colant, adorent. O homo plusquam homo, & humani generis gloria! agnosco te, licet deformatus sis; agnosco inquam te meum Salvatorem, & Deum; recipe me in numerum servorum tuorum, postquam professus fuero te a me non minus amari hac facie pallore, & cruore suffusa, quam in statu gloriæ tuæ, tuæque majestatis. *Pater a Ponte in Meditationibus de Passione*.

Hæc ipsa verba ad Æternum Patrem dirigi possunt.

Ecce homo. Dei Filium hoc in statu considerantes ad Æternum Patrem sermonem dirigere possumus. O magne Deus! O Deus justus, atque misericors! Nunquid hic ille homo est, de quo, in ejus Baptismate, atque Transfiguratione dixisti: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Ubinam modo columba illa est, qui fuit innocentiæ ejus figura? Ubi nubes *fulgida*, quæ illius divinitatem indigitabat? Ubi Moyses, ubi Elias ad Doctrinam illius comprobandam: hæc omnia non videntur amplius, & ad probandam innocentiam, ostendendam divinitatem, atque commendandam doctrinam non aliud habet testimonium, quam patientiam, lenitatem, atque humilitatem suam. *Ecce homo*. Respice Deus hunc hominem, qui tot plagis propter peccata nostra affectus fuit: *Respice in faciem Christi tui*. Vis nos cogitare illum, ut misereamur dolorum illius; in gratiam dilecti hujus Filii tui respice in nos, ac miserere malorum nostrorum. Nos jubes intueri illum, tamquam prototypum, quem sequi debemus; fige in nos oculos tuos, nobisque miseris peccatoribus largire gratias ad illum imitandum necessarias. O Pater amabilis! quem homines

Psalm. 83.

omnigenis læsere criminibus, vide hunc hominem qui tot, tantaque perpessus est, ut illos tecum reconciliaret, mulce iram tuam, eique veniam tot iniquitatum largire. Pater amantissime! Ecce homo, qui omnes sinu suo gerit homines, & qui suam pro illis vitam offert; ne nos solos respicias, sed cum illo, & in illo: & concede nobis per merita sua, quod ipsi impetrare non meremur. *Respice in faciem Christi tui;* simulque respice in nos, quomodo enim derelinquere potes eos, quos abscondit in secreto vultus sui pro salute eorum deformati: *Respice in faciem Christi tui.* Respice Deus divinum hoc pietatis speculum: intus videbis te ipsum; quoniam ipse est vivens imago tua, & figura substantiæ tuæ; nos quoque videbis illic, quia sumus imagines ejus: te igitur obtestamur per eam caritatem, qua Unigenitum prosequeris tuum, ut animas nostras ad illius imaginem creatas, ejusque sanguine redemptas sanctifices. *Idem.*

Hæc eadem verba ab ipso Dei Filio ad homines dicta.

Ecce homo. Audi, peccator, hæc verba, & cogita hæc ad te ab ipso Dei Filio dicta: Ecce ego! intuere temetipsum in hoc speculo, ut agnoscas enormitatem scelerum tuorum, & mala, quæ mihi peperisti. Ego ille sum homo, quem tot contumeliis coinquinasti, & Deus tuus, quem graviter adeo læsisti. Mihi quidem videtur ille omnibus peccatoribus loqui per totidem ora, quot habet in corpore vulnera, ac illis dicere per se, quod per Ecclesiam tono adeo lugubri dicit: *Populo meus, quid feci tibi! Aut in quo contristavi te?* Quam tibi caussam tribui, ut me tanta exciperes cum indignitate? Propter amorem tui de cælo descendi; omnia vitæ meæ momenta propter tuam salutem impendi: & in grati animi argumentum, tu me cruore, ac vulneribus adsperisti. *Populo meus, quid feci tibi?* O Deus meus, & Rex meus, quis te in eum statum, in quo te intueor, redegit? Itane ergo objiceris ab omnibus conspiciendus, indutus ignominiæ tunica, spinis coronatus, sanguine madidus, pallenti facie deformatus; & in hoc misero statu tristia hæc meis auribus accidunt verba: *Populo meus, quid feci tibi? Quid?* non supereſt ultra in hominibus aliquis miserationis sensus pro te; humana corda pro te uno sensu carere videntur? Se mutuis acuunt cohortationibus, ut torqueant te, & dolores tuos sibi in ludibrium convertant: sed ubi cogito, peccatis meis te huc redactum fuisse, obruor dolore, & pœnitet me, quod te tanta affecerim contumelia, certum consilii, me imposterum millies potius moriturum, quam ultra lacessam. *Ex variis Auctoribus.*

Fingere possumus Æternum Patrem nobis loqui per os Pilati, & hæc eadem verba dicere.

Ecce homo. Audire mihi videor Patris Æterni vocem per os Pilati ita loquentis, & in longe alio sensu dicentis: *Ecce homo.* Ecce homo per *antonomasiam*, Redemptor, & Salvator omnium hominum: ecce ille, qui per mortem suam vitam vobis restituit: Ecce ille, qui vos creavit & fecit verbo; & qui factus homo adhibet quidquid cruoris est in venis suis, ut vos reficiat, & reparet. Te agnosco Deus meus! in qualitate hac tanta cum reverentia, & majori caritate, quam si a me videreris in splendore gloriæ tuæ. Per hoc pallium video sanguinem, qui me redimit; adoro nihil obstantibus his catenis, & funibus in vinctis hisce manibus omnipotentiam, quæ cælum fecit, ac terram: memet exinanio coram infinitis magnalibus tuis in extremis tuis humiliationibus; & extollo te super ea, quæ fingi maxima possunt, quantum temet humiliasti pro me. *P. Maimbourg. in Sermone pro feria 6. in Parasceve.*

Apostrophe ad Salvatorem in hoc statu.

Ecce homo. O Fili hominis! O Homo simul, & Deus! Primus, atque perfectissimus, sed simul etiam novissimus omnium hominum, quandoquidem de te optime putant mereri extrema cum ignominia, atque crudelitate sævientes in te! O Deus factus hominum opprobrium! O homo factus objectum justitiæ Dei irritati! Poterat ne Deus nobis per tristius spectaculum ostendere quo usque persequi voluerit ultionem peccatorum nostrorum, ut postquam illum nobis ostenderit in tristitiæ abyssum demersum, modo illum nobis exhibeat innatantem in sanguine suo, & obrutum ponderе justitiæ suæ? *Attritus est propter scelera nostra.* Isaiæ 53. Sed tibi ipsi, divina justitia? Nonne satis esse debet permisisse, ut ad tristem statum hunc redigeretur? Crederetis ne, Fideles, Æternum Patrem ad hanc quoque diem uti arte eadem, qua Pilatus usus est ad inhibendam peccatorum crudelitatem, qui sceleribus suis Salvatoris mortem sollicitant. Millies furorem illorum compescere adnisus est, objiciens illis innocentiam, sanctitatem, & omnes divini hujus hominis perfectiones; ejus repræsentavit beneficia, dignitatem, miracula & rationes omnes, quæ impressionem efficere poterant in animis eorum, & eorum corda lenire; sed postquam hæc omnia in irritum cesserunt, ecce illis exhibet hunc Hominem-Deum cruentatum, & vulneratum, tamquam objectum, quod illis immittere possit aliquam miserationem malorum, quibus illum affecerunt. Ah! Fideles, objectum hoc nos meditari oportet ad scelerum nostrorum colluviem cohibendam; hæc quippe illum in statum hunc adduxerunt, quemadmodum per Prophetam conqueritur: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, ansam arripientes a bonitate, atque patientia Dei perseverandi in flagitiis suis, eumque impune omni contumelia coinquinandi: non secus ac tortores ex ipsa Salvatoris patientia excitabantur ad illum acerbius cædendum, ac iteranda verbera, ut idem subdit Propheta: *Prolongaverunt iniquitates suas.* Psalm. 128. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.* Ibidem.

Consideratio in Regis qualitatem, quæ Romanis militibus, occasionem tribuit, ita indigne Salvatorem accipiendi.

Romani milites in ludibrium sibi vertere cogitabant commentitium Regnum Salvatoris, aculeatisque irrisionibus suis gravius cor illius transfixerunt, quam caput ejus plectentes coronam de spinis. Sed si eorum intentio crudelis, & nefaria fuit, non caruit mysterio Dei consilium, qui permisit ut in Unigenito suo hæc exercerentur sævitia, Sanctus Ambrosius inquit, volens ut nihil obstantibus impiis hujusmodi subsannationibus Rex diceretur. *Et si corde non credunt, Deo tamen suus non defuit honor, salutatur, ut Rex, ut Deus, & Dominus adoratur.* Deus autem a Christiani pietate petit, ut hisce irrisionibus impiis generosam objiciat fidem, palam profitens coram Cælo, ac terra, ut illum Regem nostrum profiteamur, eique cultum adhibeamus tamquam Deo nostro, atque confiteamur nos ad ipsum tamquam legitimum Dominum nostrum pertinere. Relinquamus illi ea jura, per quæ omnes hujusmodi tituli ad illum spectant, illa in dubium revocare non possumus, quia Christiani sumus; sed qui deberemus illi cultum omnem, & obsequium, cavendum nobis est quam diligentissime, ne illum eisdem contumeliis afficiamus, quibus a Judæis, & Pilati militibus affectus fuit. Indignemur, cum animum nostrum subit modus ille, quo Rex gloriæ, ab impiis excipitur, qui illum Regem appellant, & tamquam virorum omnium novissimum excipiunt; quem simul salvere jubent, & cædunt; qui simul coram illo in genua procumbunt, atque percutiunt. Duo actus isti adeo oppositi adoratio, & contemptus, reverentia, & irrisio, cultus, & injuriæ, videntur ne vobis nunquam inventæ fuisse simul, & ab iisdem personis erga aliquem, præter quam erga Dei Filium, adhibitæ fuisse? Ah! cogitate decies millia Christianorum quotidie eodem pacto cum eodem se gerere, & fortasse hoc ipso, quo vos alloquor, momento, & hoc ipso, in quo sumus, loco id præstare: etenim quid aliud est hæc irreligio, & impietas, quam quotidie in Templis videmus, & ipsis coram altaribus? Nonne videntur Fideles genua flectere ante adorabile corpus Filii Dei, in Tabernaculis nostris sedentis, ut ibi cultus nostros recipiat, & mox ridere, colloqui, caput circum agere? Alii nonne terribili huic adstant sacrificio, in quo Deus pro nobis immolatur, altero quidem poplite in terram demisso, altero in aerem sublato sexcentis cum contorsionibus corporis, sexcentis cum aberrationibus mentis, immodesto corporis habitu, & oculis in orbem circum errantibus? Hæc autem quid aliud sunt, quam irrisiones, & contumelias imitari, quibus illum excepерunt Judæi? Nonne hoc idem est, ac factis profiteri, Salvatorem non esse, nisi Regem inanem, & fictitium? Hoc sane non est Deum colere ex animo, quoniam cultus hic plenus est irreverentiæ, & impietatis. *Idem.*

QUID PRÆCESSIT JESU CHRISTI CONDEMNATIONEM.

Recentes Pilati conatus ad Salvatoris vitam servandam.

TAntum abfuit, ut spectaculum, quod Pilatus proposuit Judæis ostendens illis Salvatorem vulneribus confossum, & manantem sanguine, populorum furorem lenire posset, ut illum magis, magisque irritaverit & Principes Sacerdotum metuentes, ne commoveretur, primi omnium clamare incœperunt: *Tolle, Tolle, crucifige, crucifige illum*, quod caussa fuit, ut ubi in misero statu illo visus fuit, quin miserationis lacrymas eliceret, horribilis repente clamor personuerit similis illi, qui jam antea auditus fuerat: *crucifigatur, crucifigatur.* Præses hoc excitatus tumultu, quem irrito labore mulcere studet, & multo magis indignatus ad aspectum crudelitatis barbarorum, qui quin misericordia ducerentur, magis sæviebant, & innocentis illius sanguinem sitiebant, ferarum instar, quibus ostenditur præda ex earum rictibus expuncta; Præses, inquam, ut testaretur se graviter ferre facta illorum potiusquam illis facultatem permitteret illum interficiendi, indignabundus respondit eis; *Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo caussam.* Joann. 19. Quasi dixisset; si nullo habetis in discrimine innocentem crucifigere, vos ad libitum vestrum occidite; verumtamen ne existimetis a me probari adeo enormem iniquitatem. Sed concitata multitudo nullam audit rationem; nocens, vel innocens sit, suos clamores instaurat; oportet, ut cruci affigatur, ibique animam perflet. O promissiones factæ ad Abraham! O ardentia, & tamdiu dilata desideria! o figuræ! o Prophetiæ! Ergone post quatuor annorum millia, & ultra in precibus, votisque nuncupandis transacta, tandem Messias impetratus est, ut mors illius

tanta

tanta cum obstinatione conquiratur, quanta constantia adventus illius concupitus est! *Abbas de Monmorel, & P. de la Colombiere.*

Consideratio de duratione & cupiditate Judæorum.

Animum advertamus paulisper, quæso, ad Judæorum duritiam, qui tantum abest, ut hoc tristi, miseroque objecto, quod Pilatus eorum oculis subjecit moveantur, ut immo animos obstirmaverint suos ad illius mortem extorquendam, ita ut non aliud audiretur, quam permixtus vocum strepitus undique conclamantium: *tolle, tolle, crucifige eum.* Dicendum fane est odium in illum conceptum gravissimum extitisse, quandoquidem spectaculum adeo triste, ac miserum ne minimum quidem in illis miserationis sensum ciere potest. Tandem enim quacumque iracundia exardescas, vel quamcumque ultionem ab inimico reposcas, omnis humanitatis sensum te abjecisse opus est, ubi illud ad incitas redactum vides, & eo in loco positum, ut tibi nocere amplius non possit. Verum nescio, utrum Judæorum sævitiam insimulantes, nostram damnemus. Ita est, fideles, cor induratum, unum est illud, quod flecti nequit videns in hujusmodi statu Salvatorem. Quidquid ad misericordiam crudeliores animas solet excitare, occurrit in illo, in quem tanta cum inhumanitate sævitum est. Si patientis innocentia sæpe lacrymas ex oculis elicit, undenam ficci manent ad adspectum, vel saltem cogitationem dolorum, & cruciatuum inauditorum, quibus eadem torquetur innocentia, in eo, in quo ne inimici quidem invenire possunt causam, propter quam damnetur a Judice, qui illis morem gerere studet? Si dignitas, meritum, genus illius, cui per summum nefas ingeruntur supplicia, ipsam auget miserationem, num dubitas illum, qui tanta afficitur contumelia, non esse Regem tuum, amicum, parentem, & præterea Magistrum, & supremum universorum Dominatorem. Adde his, ipsum pro te pati, ad inhibendam ultionem Dei, quæ jamjam in caput tuum est irruptura. Nonne hæc una ratio te flectere debet? Sed tandem excessus tormentorum quæ patitur, etiamsi ille tibi infensissimus esset inimicus, nonne debet aliquem ciere sensum misericordiæ; cum vero ille pro te sit effusurus in infami patibulo quidquid cruoris supereſt illi, tibi lapideum, & æneum cor est, ut tot rationibus non movearis? Profecto cor istud tuum durius est corde Judæorum, qui, ut Apostolus inquit, si hunc Regem gloriæ cognovissent, non utique illum crucifixissent, neque tanta indignatione, ac sollicitudine illum persecuti ad mortem usque fuissent. *Serm. Manuscriptus.*

Quinam fuerint sensus Salvatoris, ubi audiit clamorem populi flagitantis mortem suam.

Quis exprimere potest quinam fuerint sensus cordis JESU, ubi audiit terribiles clamores illos: *tolle, tolle, crucifige*, & vidit quo cum excessu furoris Judæi mortem suam urgerent; hac in re Ethnicis ipsis crudeliores. Hi quippe jam fatigati erant torquendo, illi adhuc, ut ulterius in ipsum sæviretur petebant. Meminerat Salvator, quanta sibi deberent, & cogitans quo pacto gratiam sibi referrent, eorum ingrati animi vitium intelligebat, eorumque futuram perniciem plorabat. Verum cum humiliatio post dignitatem sit gravior; & honor, in quo habitus fuerat, comparatus cum eo contemptu, injuriis, & contumeliis, quæ illi inferebantur, quid cogitare poterat de populi hujus inconstantia, omni ignominia coinquinantis illum ipsum, quem non ita pridem admiratus fuerat, & cumulaverat gloria? Tandem enim cum illum Regem sibi vellent eligere, nunquid spineam coronam illi destinabant? Calamus, quem manu tenebat, erat ne sceptrum Juda, quod erat illi gerendum? Hoc purpuræ fœmentum ejusdem humeris impositum innuebat ne dolorem, quo afflicti erant eo quod pedibus ejus substravissent vestimenta sua Jerosolymam triumphi more ingredientis. Hæc flagella, quæ totum corpus ejusdem lancinaverant, nonne illi erant turpiora quam rami olivarum, quibus via instructa fuerat prætereunti, glorioſi fuerant? & omnia quæ illi ingerebantur convicia, nunquid publica erat palinodia laudum, ac benedictionum, quas illi contulerant? hic vero tumultus, & clamores: *Tolle, crucifige*, nonne illi satis acerbi fuerunt post illa epinicia, quæ nudius quintus, vel sextus audiverat? *Osanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Idem.*

Matth. 21. & 23.

Pilatus adhuc renuit Dei Filium condemnare.

Adhuc tamen Judæorum postulationibus adversabatur Pilatus postquam Jesum objecisset opprobriis, & dolori, ut eorum mentes leniret, furoremque compesceret. Oratoris potius munere fungebatur, quam judicis; cujus intererat illum revellere de manibus eorum, qui urgebant, ut crucifigeretur. Iterum ergo, testatus est sibi nullam esse causam propter quam hominem culpa vacuum damnaret; se in accusatoribus ejus cupiditatem, odium, invidiamque deprehendere, & nullam in eo causam, propter quam esset crucifigendus, cum indignatione etiam ab illis requirens, ut edocerent quid ille morte dignum patrasset? *Quid enim mali fecit?* Qua in re cum Judæi spem omnem abjecissent, impetrandi futurum, ut Salvator tamquam seditiosus puniretur, aliud iniere consilium; videlicet iterum ad Moysis legem redeundi, secundum quam

Matth. 27.

per Cæsarem licebat illis vivere, atque responderunt Pilato; si juxta Romanorum leges illum morte nequaquam dignum censeret, ipsum tamen nullo pacto mortem evitare posse secundum legem suam, qua morte damnantur blasphemi; & dubitari non posse, quo minus blasphemus habendus esset ille, quem ipse innocentem arbitrabatur, quandoquidem palam se Dei Filium esse professus fuerat, & pro tali haberi volebat. Homines nequam hoc nomine a Caipha damnari curaverant; sed cum illum adduxissent ad Pilatum, qui Gentilis erat, maluerant illi ingerere crimina adversus Rempublicam, rati, se apud illum majorem efficere posse impressionem; sed ubi viderunt criminis hujus patere mendacium, ad pristinum reversi sunt, ut quocumque modo damnaretur; cum mors ejus unicum esset curarum, ac desideriorum suorum objectum. *P. Novet, & Abbas de Monmorel.*

Cum audivisset Pilatus J. C. se Dei Filium vocare consuevisse metus & religio incessit illi.

Ubi audiit Pilatus, JESUM se Filium Dei vocare consuevisse, expavit, & veritus est, ut verum esset quod dicebatur, S. Chrysostomus inquit, magis timuit. Illum jam perculerat innocentia JESU, nunc terret illum religio, & non solum timet, se injustum esse in hominem, verum etiam impium in Deum. Ejus suspicio innitebatur miraculis, quæ ab ipso facta audiverat, sermonibus plenis prudentiæ & sapientiæ, majestati, & modestiæ oris illius, æquabilitati, patientiæ, magnitudini animi, quam semper tot inter injurias, & dolores præsetulit. Ut rem cognosceret, quædam rursus quæsivit ab illo, cujus esset, quibus majoribus natus, quo ex genere, quibus sibi responsendum Salvator non duxit, quapropter Judex silentio illius irritatus, & se ab illo contemni putans, superbe dixit illi? *Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Quid ais, Judex ignave? Si potestatem habes, cum jam illum innocentem nactus fueris, cur non liberas illum? Hoc tuum scelus est; cum enim posses innocentem absolvere, eum non salvasti. Hoc illud est, quod efficere debuit, ut formidares responsum illius, quem cogebas, ut responderet. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Si enim aliquis te movet religionis sensus, quid tibi metuendum non est ab illo, qui hanc tibi contulit potestatem; & si innocens, quem liberare non audes quod officii tui est, & quod ex te tua exigit conscientia: si, inquam hic innocens est ipse Deus, ut dixit, & id credendi tibi ratio non deest; nonne ille ipse potestatem habet puniendi ignaviam tuam? Sin autem econtra argumentaris ex eo, quod ille seipsum non liberat neque de tuis, neque de manibus Judæorum; suum semper est tueri, & de opprimentium calumnia vindicare illum, quem injuste accusatum esse nosti. *Abbas de Monmorel. ex parte.*

Quid discere debeant judices ex Salvatoris responsione. Actor. 10. Psalm. 2.

Judices terræ, qui de vestra potestate gloriamini, erudimini ab illo, *qui judicaturus est vivos, & mortuos. Erudimini, qui judicatis terram.* Discite, si vobis potestas est noxium quidem plectendi, innoxium vero absolvendi; non licere tamen vobis ad arbitrium hac uti potestate, potestas enim, Sanctus Augustinus ait, sequi debet justitiam, non illi præcedere. Vos legis non estis domini, sed ministri. Scitote omnem potestatem vestram cælitus esse profectam, & si homines vestræ subditi sunt auctoritati, vos quoque subditos esse Deo, qui *judicia vestra judicabit*, & severissime in vos animadvertet, nisi secundum justitiam judicaveritis. *Idem.*

Ad Rom. 13.

Pilatus Dei timorem jugulat timore Cæsaris.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Magis timet Pilatus, quam timeret ante: sed nondum satis timet. Pavor ejus augetur, sed non augetur constantia: timet Deum, sed magis homines timet. Beatus ille si vere timuisset Deum magis quam homines! Sed timor displicendi Cæsari officium vicit, vicit amorem justitiæ, vicit Dei ipsius timorem. Sed Christiani auditores, documentum, quod haurire debemus ex pavore, vel potius terrore ignavi judicis hujus, hoc est, si desit constantia, & firmitas, nos esse non posse vere fideles, neque eam habere probitatem, quam a nobis exigit Deus, officium nostrum, & nostra Religio. Et audeo dicere, pleraque crimina, quæ in Mundo contra justitiam, & naturalem æquitatem patrantur per timorem, atque ignaviam patrari. Illi deest animus ad propulsanda injusta amici alicujus consilia, eique displicere expavescit; ideoque millies Dei amicitiam infringet. Alteri deerit fortitudo contemnendi hominum judicia, dum officio suo fungitur, & metuens, quid alii de se dicturi sint, cessabit, neque optima exequetur consilia, & ipsa etiam gravissima Christianæ religionis instituta contemnet. Alius denique iniquitati favebit, ne potentem virum aliquem offendat, cujus reformidat auctoritatem. Iterum dicam animo & constantia opus est ad obeunda veri Christiani officia; alioquin sexcentæ occurrent occasiones, in quibus certus erit interitus. Hoc Pilati peccatum fuit, ut visuri sumus, Judæis, quod injuste petebant, concessisse, ne sibi constaret Cæsaris inimicitiam. *Auctor sermonum in omnia argumenta, &c.*

Judæi renuunt fateri J. C. esse Regem suum.

Reminiscamini, opus est, Christiani auditores, inter ceteras causas, quas attulit Pilatus, ut Judæos averteret ab urgenda Filii Dei morte, hanc quoque fuisse; Regem illorum ab ipso non esse crucifigendum: *Regem vestrum crucifigam?* Sive Judex illum talem esse crediderit, quandoquidem cum hac de re JESUM interrogasset; *Ergo Rex es tu?* audierat illum respondentem, *tu dicis. Ego in hoc natus sum*; Sive hoc dixerit ad exprobrandam illis Barrabæ electionem; quomodocumque se res habuerit, clamarunt Judæi: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*; hunc vero nunquam Regem habituri sumus, hominem extremo supplicio afficiendum, quod sibi Regis nomen vindicaverit. Quis non mirabitur hoc in loco indignationis eorum mobilitatem? Judæi ægre, & nonnisi inviti sustinebant Romanorum dominationem, & frequentes rebelliones eorum ad jugum hoc excutiendum, satis probant ipsorum impatientiam. Modo vero potiusquam patiantur Salvatorem dici Regem, profitentur se non alium Regem habere nisi Cæsarem, & nolle JESUM super ipsos regnare: *Nolumus hunc regnare super nos*; quod satis ostendit, qua rabie illius mortem flagitarent. Nos vero Christiani nunquid illum Regem nostrum esse negamus, ut olim Judæi? Locus ubi regnare vult, cor nostrum est; illic vult absolvi tamquam in metropoli regni sui; ad illius possessionem sibi comparandam, Patris sui sinum reliquit, & ad illud conquirendum totum effudit sanguinem suum. Ad Regnum suum confirmandum, omne exhausit ærarium suum, omnesque gratiarum suarum thesauros effudit. Sed sæpe cum miseris Judæis dicimus: *Nolumus hunc regnare super nos*. Regnet potius in nobis turpis cupiditas, criminosa voluptas, fœda avaritia. Ergo creata omnia coram illo flectent genua, omnia licet anima, sensuque carentia sollemni confessione regnum illius recipient; humanum vero cor, quod pro uno illo factum est, unice illius detrectet imperium? Nunquid hanc ipsam ob caussam respondit Pilato, Regnum suum non esse de hoc Mundo, quia non regnat in corde nostro, quo in Mundo nihil præstantius est? Heu caveamus ne hanc illi contumeliosam repulsam demus; tandem enim cor istud illius est, & nunquam se hoc jure abdicabit, & si minus in præsentiarum per amorem ibi regnaverit, aliquando illud tamquam rebelle justitiæ suæ imperio subjicict. Præstat autem Salvator meus, & Rex meus, me nunc totum esse tuum; me hodie palam totum tibi trado, ut in æternum Rex meus sis, legitimusque possessor, & profitemur omnes sollemniter, neminem præter te deinceps esse in nobis regnaturum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in alloquiis de Passione.*

Lucæ 19.

Pilatus propter Cæsaris metum deserit Filium Dei.

Revertamur ad Mundi Salvatorem. Furentes Judæi videntes Pilatum adhuc obluctantem a proposita sententia dimoveri non posse, immo etiam ex iis omnibus quæ contra JESUM afferebantur occasionem arripere illum omni culpa vacuum asserendi, quin ullam haberet rationem Legis, aut Religionis suæ; Furentes, inquam, aliud brevius, & magis decretorium consilium inierunt, ut optatum obtinerent effectum. Illi ergo Cæsarem adversum minitati sunt, quod reipsa illud erant numen, quod præ ceteris verebatur, *Hunc si dimittis, non es amicus Cæsaris*. Vide, quid feceris; si enim hunc rebellem dimiseris, certior fiet Imperator, non deesse, qui in Provincia illius sibi vindicet, non sine tuo crimine, auctoritatem, & cum facilem adhibere posses malo medicinam, te neglexisse. Audiet ille periculosæ conjurationis auctorem in Rempublicam, cum jamjam prope erat, ut erumperet, tibi traditum fuisse, sed a te in libertatem fuisse dimissum. Non te latet, quam religiosus sit Tiberius Cæsar, ubi de sua agatur auctoritate, & minimum quod tibi inde possit accidere, hoc tandem fore, ut præter imperii damnum, benevolentiæ illius jacturam patiaris? Nos, ipsi nos te perdemus, atque in tui perniciem conjurabimus. Nihil ultra quærendum fuit, ut pavidi hujus Judicis spiritus turbaretur, ejusque labefieret constantia. Quid enim quæso servilis metus, & humana ratio non potest? Reclamat conscientia, jugulatur. Dei gloria occurrit, contemnitur; sed ubi agitur de hominis gratia, omnia cedant oportet; & nullum scelus est, cui par non sit, qui potestatem quidem habet in manu, neque audet fortiter se vitio, vel iniquitati objicere. Ita Pilatus ne sibi quidquam negotii faceſſeret apud Cæsarem, innocentem dereliquit furori eorum, qui illum persequebantur; *JESUM autem tradidit voluntati eorum. Idem.*

Joann. 22.

Pilati facto discere debeamus, & quam diligenter nobis cavendum sit, ne justitiæ leges violemus, ut alicui principi viro placeamus.

Pilatus, cui optima quidem erat intentio erga JESUM CHRISTUM, & qui omnes quærebat vias, ut illum periculo liberaret, repente contra mentis suæ lumina sententiam mutat, & eodem ore, quo ipsum innocentem professus erat, protulit sententiam mortis in ipsum. Hæc agendi ratio nobis protuliſſe suppeditat documentum. Nam Præses hic, qui perhorrescebat omnem injustitiam, & qui maximam admittit, ex quo sibi de Cæsare verba fiunt, & suæ timet dignitati; docet ubi amor justitiæ conflictit cum timore displicendi principibus terræ, vel cum violenta aliqua cupiditate, quantumvis aliunde optimæ sint intentiones, licere quidem ad tempus aliqua uti resistentia, sed tandem serius, ocyus evanescere; & illum qui vel suæ servit avaritiæ, aut ambitioni, non posse diu sæculi potestatibus adversari. *Abbas de Monmorel.*

Non liquet utrum Pilatus sententiam tulerit mortis in JESUM.

Profecto non legimus in Evangelio Pilatum servata judicii forma protuliſſe injustam mortis sententiam contra Dei Filium, sed tantum ipsum Judæorum voluntati tradidiſſe. *Jesum autem tradidit eis, ut crucifigeretur*; & ut alius testatur Evangelista, *Adjudicavit fieri petitionem eorum*. Hæc permissio sententiæ locum habuisse videtur, quin Salvator provocaret: alius enim Judex æternus Pater illius, illam justius protulerat, ut suæ satisfaceret justitiæ, & hominum peccata expiaret. Poterat ille Cæsarem appellare, ut S. Paulus in prorsus simili occasione; poterat Pilatum ipsum appellare, & ex eo quærere, quod novum scelus ipse patrasset, postquam palam fuerat testatus, nullam se in illo caussam deprehendisse. Sed non vult ille sententiæ adeo injustæ adversari; illi ex corde subscribit; non minus ignavi Judicis hujus judicium acceptat, quam si ex æterni Patris sui ore manasset. En tandem aliquando Principes Sacerdotum, & Pharisæos voti sui compotes factos, & de relata victoria exultantes. Vix credibile est quantam lætitiam hæc vel damnatio, vel si potius libet, hæc Pilati permissio pepererit illis omnibus, qui in mortem illius conjuraverant: sibimet invicem plaudunt, & votorum summam jam impetrasse gratulantur. *Idem ex parte.*

Pilatus putat omnem a se culpam hujus injustitiæ amoviſſe manus quidem abluēs & polluens cōscientiā suam.

Triumphantibus præ gaudio Judæis, & exultantibus, eo quod ipsis licet aliquando suum odium explere, *Pilatus* præ horrore patrati sceleris dolore confectus recedit, quod illorum importunitati cessisset; sed per insignem errorem credit, se manus coram populo abluendo, & innocentem appellando a sanguine justi, semet satis purgare a crimine, quod probat, & quod executioni mandat. O Pilate, S. Chrysostomus exclamat, si JESUM innocuum putas, cur tradis illum furenti populo? Quinam error est te culpa vacuum putare, quia palam manus tuas abluis, cum interea coinquines te ejus injustitiæ labe, qua nulla deterior in terris contigerit! Sed quam multi sunt hodierna die imitatores Pilati, qui extrinsecus quidem coram Mundo facta sua probare adnitantur; sed qui coram Deo, qui interiorem scrutatur partem, *omni scelere coinquinantur?* Quid profuit Pilato sibi manus populo *inspectante*, detergere nisi ad hoc ut se magis inexcusabilem probaret coram Deo, eo quod damnasset justum ore eodem, quo illius evulgaverat innocentiam? *Ex pluribus Auctoribus hinc inde collectum.*

Judæorum in semet, & in filios suos imprecatio.

Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth. 27. responderunt Judæi. Unde liquet, cum id Judæis arrisisset, & impetrassent, quidquid illis optatissimum erat, non admodum laborasse de Pilato; ideoque non ægre in caput suum excepisse exitum mortis illius, & elata voce clamasse: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Quæ quidem horribilis fuit imprecatio, cujus non multo post effectum experti sunt; quippe Sanguinis injuste effusi ultio reipsa in illos, eorumque filios cecidit. Filii vere miseri qui revera subiere maledictionem, quam patres sui; sed patres miseriores, qui rei extiterunt effusionis Sanguinis hujus. Maledictio enim quam sibi depoposcerunt, in eos primum incidit, & mox usque ad ipsorum posteritatem migravit, eo quod formidabili, terribilique pœna eos dereliquit. Sed nos hanc immutemus imprecationem criminosam; & optemus, ut virtus, & meritum Sanguinis hujus decidat in nos, quia esse debet caussa nostræ felicitatis. Hanc nobis mentem immittere debet adspectus hujus Sanguinis, qui effundendus est de cruce. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

De eadem imprecatione.

Pilato profitenti se innocuum esse in effusione Sanguinis justi, Judæi, qui aliquo modo eum ad Sanguinis effusionem coegerant, statim dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, quibus verbis subjecerunt animas suas, atque posterorum suorum æternæ ultioni Dei. Hinc ex illo tempore Sanguis iste in omnibus universi partibus persequitur illos; Sanguis enim JESU CHRISTI, qui effusus fuit pro toto Mundo, aliorum quidem salus est, aliorum autem damnatio. Judæi ex quo innocentem Abel occiderunt, sunt velut Cain errantes, & vagi per universam terram, & videtur Deus in illis posuisse signum, ne exterminentur, & ut in omnium oculis videantur tamquam infelix victima semper divinis ultionibus sacrificata. Prædixerat Daniel: *non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Non sunt amplius populus, quoniam eos Mundus universus execratur, & horret: natio eorum habetur tamquam humani generis ludibrium; & secundum Osee prophetiam palantes erunt, atque dispersi, *sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, & sine altari.* Hæc imprecatio, quam fecerunt coram Pilato, ut ab eo mortis sententiam extorquerent, effectu non caruit. Ad hanc quoque diem perseverat. Sanguis, qui super illos effusus est, manebit semper hære-

Matth. 27.

Daniel. 9. Tertull. Apol. cap. 21.

Osee 3.

hæreditas funesta, quam Patres filiis suis reliquerunt per hæc verba: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Abbas de Monmorel.*

Effectus hujus imprecationis.

En quænam fuerit pars hujus populi reprobati, qui per obdurationem suam gestare videtur caracterem hujus maledictionis, quam tunc petiit, & quam in se, miserosque minores pertraxit. *Dilexit maledictionem*, ut loquitur Propheta, *& veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Sed perhorrescentes horum miserorum cæcorum furorem, voto prorsus oppositio Deum precemur, & hic Sanguis longe alio pacto fluat super nos; *Sanguis ejus super nos.* Hic erit fons nostræ felicitatis, si quemadmodum effusus est propter nos, super nos etiam effundatur. Fructus igitur pretiosi Sanguinis hujus fluat super nos, & reipsa nobis applicetur in Sacramentis; quemadmodum Sanguis hic effusus est pro sceleribus nostris; virtus, & vis ejus agat in nos ad illa expianda. Omnes gratiæ, omniaque bona, quorum sanguis hic principium, & fons est, fluant super nos, & hoc pacto si Judæis extitit cumulus malorum omnium, in nobis pretium tribuat omnibus bonis operibus nostris. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Denique, Christiani, post tot contentiones, responsiones, tergiversationes JESUS damnatur, Vitæ Auctor morti traditur; quod modo visuri sumus.

Psalm. 108.

QUID ACCIDIT POST DAMNATIONEM FILII DEI USQUE DUM PERVENIT IN CALVARIUM.

Quam turpe esset mortis supplicium quo damnatus fuit Salvator. Matth. 27.

NON solum, Fideles, Dei Filius traditus fuit Judæis secundum voluntatem eorum, ut diximus, verum etiam alius addit Evangelista illis traditum fuisse crucifigendum: *JESUM tradidit eis ut crucifigeretur.* Hoc turpissimum genus mortis erat in Mundo, a Romanis captivis duntaxat destinatum, & apud Judæos maledictum: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*; denique ab Auctore nescio quo, *servile supplicium, & supremum vocatur.* Extremum, acerbissimum, teterrimum suppliciorum omnium: cruci enim reus ita configebatur, ut biduo, vel etiam triduo ibi viut in eculeo tendebantur, eratque proculdubio cruciatuum omnium crudelissimum; nam ut S. Augustinus animadvertit, qui cruci affigebantur, *lenta morte interibant; eratque hoc non simpliciter mori, sed vitam producere, ut diutiorem mortem sustinerent.* Quibus adjicienda mihi videtur profani auctoris sententia, cujus judicium hac in re potest admitti, quandoquidem loquitur sine ulla præoccupatione. Est autem Seneca in quadam Epistola: *Hujus vivere est diu mori: vulnus suum premere, inter supplicia tabescere; perire membratim, stillicidio quasi animam amittere potius quam semel exhalare. Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta in alloquiis de Passione.*

ad Gal. 3.

Q. Curtius.

Seneca Ep. 10.

Ecce Fideles, supplicium, quo Dei Filius damnatus est ad illud avertendum, quod ipsi sceleribus nostris meriti sumus. Nonnulli Sancti Patres crediderunt, mortis sententiam juridice a Pilato fuisse prolatam, eamque Salvatorem audivisse tamquam de cælo delapsam. Quid ergo Salvator hominum! crux ista, quæ Judæis scandalum est, horror & execratio mortalium omnium, pars tua modo est, funestumque lignum, in quo finem facturus es vitæ, adeo sanctæ, atque pretiosæ? Ita est, Fideles, & Dei Filius respicit illam tamquam thronum sui amoris, tamquam trophæum victoriarum suarum, & tamquam votorum suorum objectum. Etiamsi per injustam hominum sententiam duntaxat damnatus fuisset; non admodum obstupescerem: quandoquidem S. Paulus testatur, quod si Judæi *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sed sententia, qua hoc damnatur supplicio, confirmata est in cælo ab æterno Patre; moriendum est illi, ut mandatis ejus obtemperet, & justitiæ suæ satisfaciat. Igitur ille respicit crucem hanc tamquam aram, ubi immolandus est, quatenus mundi victima, quatenus instrumentum humanæ salutis, scopum omnium consiliorum suorum, & objectum deliciarum suarum. Quinam fuit ergo sensus animæ suæ videntis id adesse, quod toto vitæ suæ tempore tantopere concupierat? *Idem.*

Salvator sese huic submittit sententiæ tamquam a Patris voluntate profectæ, & respicit crucem tamquam votorum suorum objectum.

1. ad Cor. 2.

Vix hujus supplicii sententia fuit a Pilato prolata, qui non aliud fuit nisi Supremi Judicis Organum; cum carnifices Salvatorem apprehenderunt, & de Prætorio deduxerunt illum in atrium, ubi invenit funestum hoc instrumentum, quod festinanter præparatum fuerat, ut lata sententia quam primum adimpleretur. Quonam ardore Dei Filius amplexatus fuerit sacrum hoc lignum, quod semper fuerat objectum desideriorum illius, ac terminus, qui semper versatus fuerat ob oculos ejus ab ipso vitæ ipsius exordio, vos ipsi conjicere potestis, & nullus dubito quominus accurrerit in amplexum ejus majori affectu, ac pietate, quam mox Sanctus Andreas discipulus ejus. *O bona crux diu desiderata, & ardenti animo concupita!* O crux votorum meorum objectum: Crux, ad quam ex ipso primo vitæ meæ momento suspiro. Sed sollicitudo, qua inimici ejus quam primum eidem suffixum videre desiderant, non diu sinit ipsum crucis amplexu oblectari: divellunt eam ex manibus ejus, ut ejusdem humeris gestandam imponant, usque ad supplicii locum, videlicet ad Montem Calvarium, ubi cruentum illud sacrificium erat absolvendum. Illum quæso mecum concomitamini, & serio considerate ea, quæ molesto hoc in itinere accidunt. *Idem.*

Quonam ardore J. C. amplexus fuerit crucem ubi illam vidit.

Cum omnia essent parata, dispositique milites variis in locis, qua transiturus erat, tum ad turbam semovendam, tum ne quis vim faceret ad illum de carnificum manu liberandum; liquebat enim adhuc superesse quosdam illius fautores, atque discipulos, urgent illum properare gradum, vel potius tumultuose illum trahunt extra civitatem; *& eduxerunt illum* inquit Evangelium. Ad illius discessum exauditur clangor tubarum; milites cum ministris horribilis hujus injustitiæ agmine facto Calvarium versus corripiunt viam, Præcone præeunte, ad buccinæ sonitum evulgante sententiam prolatam in reum. Oblonga crux trahit in terram magno cum fragore bajulum suum, qui pondere victus, in singulos ferme gressus ruit, qui in singulas vices calcibus, vel fustibus exagitatus consurgit, & relinquit in via sui cruoris vestigia. Eum populi turba subsequitur, quæ oculos suos tristi hoc pascit spectaculo, cum interim cælum omne obstupescit videns hominem-Deum non secus ac virorum omnium nequissimum, supplicii sui instrumentum bajulantem. Ceterum ipsi vos considerate quomodo traditur, quomodo impellitur, quomodo trahitur, & crebro anhelitu victus, manans sudore, & sanguine fatigatur immani pondere peccatorum, quibus oneratus est. *Idem.*

Dei Filius crucis patibulo oneratur in Calvarium usque deferendo.

Joann. 19.

Quis fando satis exprimere posset dolorem, quem peperit illi viribus & sanguine exhausto, confectoque innumeris vulneribus, quibus confossus fuerat, immanis hæc sarcina? Hoc tamen non prohibet quominus immites carnifices illum in quamcumque partem trahant, & cum impetu impellant, ut progrediatur. Vires deficiunt, nutat, *cespitat, labitur in* singulos gradus. Consurgit sudore, & sanguine perfusus cum pulvere admixto, *& cum* se momento spiritum ducere cogitat, *fustibus vapulat.* Sequamur, *animæ Christianæ, amabilem* Salvatorem nostrum in molesto hoc itinere. Arduum non est invenire viam, qua itur ad Calvarium; Sanguine illius connotata est, quacumque graditur, non obscura amoris sui reliquit vestigia. Tamen jam intelligo, parum illi sanguinis superesse; jam jam vincitur pondere crucis suæ, ac sustinere debet militum impotentiam, qui verberibus inutiliter gressum maturare illum compellunt. Verum videntes illum non posse amplius proferre pedem, tenentur eum parte ponderis relevare, & advenam quemdam, qui forte ibi aderat, cogere, ut eidem crucem suam bajulanti ferret opem. *Idem in Passione Quadragesimæ.*

Alia hypotiposis JESU crucem bajulantis.

Mihi videor videre, Auditores, & in fronte vestra legere sensus cordis vestri; vos scilicet invidere forti advenæ hujus, cui contigit opem ferre Salvatori: verum nihil hoc facilius, si velitis; ad id enim sufficit exonerare animam vestram peccatis per sinceram pœnitentiam. Hæc est crux, & sarcina, quæ opprimit Dei Filium, & efficit, ut succumbat sub hoc immenso pondere, quod gestare cogitur. Ad adspectum autem Dei bajulantis crucem suam, nemo Fidelis est, qui dicere non debeat cum Sancto Paulo: *Exeamus ad eum extra castra improperium ejus portantes.* Quandoquidem præcedit nos cum cruce sua, nunquid ita erimus duri, ut eum solum tantum pondus gestare sustineamus? Heu! ille crucem adeo gravem, atque onerosam defert propter amorem nostrum; nos vero ut amorem illi testemur nostrum ne minimum quidem incommodum doloremque volumus sustinere? Quomodo posthac gloriari poterimus esse ex sectatoribus ejus? an potius erimus ex numero eorum, de quibus idem S. Paulus nonnisi flens loqui potest, & quos inimicos Crucis CHRISTI vocat: *Nunc autem & flens dico, inimicos Crucis CHRISTI*; & qui tantum abest, ut eam gestent, ut immo fugiant, & de illa ne verbum quidem fieri patiuntur. Ah! sequamur, Christiani, Dei Filium, exemplo æque, ac verbo, nos crucem sequi docentem. *Qui vult venire post me, tollat crucem suam. Idem.*

Cum succumberet JESUS sub crucis ponderę; imponunt eamdem humeri advenæ cujusdam, qui ibi forte aderat.

ad Hæbr. 5.

ad Philip. 3.

Matth. 16.

Cum itineris longitudo, & imbecillitas virium causa essent propter quam ille sub immani ea sarcina cederet; advena quidam coactus fuit illi ferre opem, sive crucem ferendo post illum, seu eamdem ferendo una cum illo. Hanc autem opem illi non procurarunt, quia vicem illius miserati fuissent; id enim potius contigit propter crudelitatem, ne deficientibus viribus non pervenire posset ita cito, ut illi cupiebant ad locum supplicii, ut eidem cruci tandem illum confixum viderent. Hac in occasione complures Sancti advenæ huic inviderunt felicitatem auxilium ferendi Salvatori crucem bajulanti, quamvis hoc ille

Advena ille coactus fuit gestare crucem.

fine

sine dubio invitus, & ægre fecerit. Sed quinam ex vobis est, Christiani, qui Salvatorem cognoscens, hoc illi officium præstare abnuisset? Tamen cum nobis aliquam immittit tribulationem, quæ extrema pars est crucis suæ, quam nobis offert, illam ita inofficiose recipimus; quamvis hac in re teneamur vicissim ostendere amorem, quo vicissim illum complecti debemus. Hoc cæleste edictum est, & Oraculum ejusdem ore prolatum; ad hoc ut sequamur illum, opus esse, ut crucem feramus. *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Cum etiam nos ad crucem deferendam invitat, attendite, ipsum non dicere, *tollat crucem meam*; quod nimis grave onus esset, sed dicere, *tollat crucem suam*, videlicet injuriam hanc, illam persecutionem, hoc infortunium, quod nobis accidere permittit; nos vero vix animum adjicimus ad crucem hanc nostram ferendam, eamque tanto cum murmure, & querela bajulamus. *Idem.*

Matth. 16.

Consideratio in hunc advenam, qui opem tulit Salvatori crucem ferenti.

Casus hic Simonis Cyrenæi qui tulit opem Filio Dei crucem ferenti efficere debet, ut consideremus, ad hoc, ut simus ex numero asseclarum Salvatoris, crucem nostram hoc, vel alio modo, quo ipse præceperit esse gestandam, alioquin neminem esse posse ejus discipulum: *Qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Sed notandum est, quod ad hoc pertinet argumentum, tria esse personarum genera aliter suam crucem gestantium: videlicet latrones duos, qui cum Dei Filio damnati fuerunt; hoc enim in more positum erat, ut nocentes ipsi gestarent usque ad supplicii locum crucem, cui erant affigendi, Simon Cyrenæus tulit Crucem Filii Dei ad aliquod intervallum; & tamdem Salvator suam bajulavit ad satis magnum viæ spatium, & quoad potuit bajulare. Primi illi sine merito illam tulerunt; latrones erant, neque inde proficere poterant. Simon tulit eam, sed ex necessitate & ægre, atque invitus, & coactus a militibus: ideoque non tantum fuit meritum ejus, quamvis propter auxilium, quod præstitit Salvatori, nonnulli Sancti Patres non dubitent, quominus Salvator ejusdem fuerit misertus. Tandem Dei Filius eam tulit libenter, alacri animo acceptavit illam, eamque salutis nostræ instrumentum constituit. Ne simus, Auditores, ex primorum numero; discamus ex crucibus, & passionibus nostris proficere. Hæ sunt justa nostrorum criminum pœna; sed ne sint nobis inutiles, excipiamus illas tamquam missas a Deo, & tamquam media ad satisfaciendum justitiæ illius. Sed ut crucem feramus eo modo, quo cupit Filius Dei, ut simus ex numero eorum, qui veri sunt ejus discipuli, ut ille eam acceptare, & cum illo eam bajulare debemus. Hæc tunc fiet nobis fons gratiarum, pignus divini amoris erga nos, & principium æternæ beatitudinis nostræ. *Idem in alloquiis de Passione.*

Quid dixerit J. C. mulieribus, quæ ipsum sequebantur, & flebant.

Triste hoc, miserumque Salvatoris Crucem ferentis objectum aliquot piarum mulierum miserationem promeruit, quæ illum prædicantem secutæ fuerant, eumque ad mortem usque subsequi optabant. Mœror, qui in earum facie prodierat, & lacrymæ, quæ ex earum oculis manabant, innuebant satis magnitudinem doloris earum, ita ut earum clamores, tristesque ejulatus mutuo cor Filii Dei conturbaverint, qui suorum oblitus est malorum, ut alienis afferret solatium per hæc verba, quæ peculiarem merentur attentionem: *Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Filiæ Jerusalem, mala ipsa vestra sint lacrymarum vestrarum argumenta, non miser ille statu, in quo me videtis. Vestra, inquam, plorate mala, quæ, nisi eorum caussam morte mea deleturus essem, æterna essent, atque nullam haberent medicinam. Verum mementote, si viridis arbor ita excipitur, quid fiet de arida, quæ nonnisi ad ignem alendum est apta? *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quid innuere volunt hæc verba, Fideles? Ullum ne aptius est argumentum ad dolorem in cordibus nostris ciendum, quam crux, & passiones Dei? Ullus ne miseratione dignior status est illo, in quo sanctæ illæ mulieres ipsum conspexerunt crucis pondere prægravatum? Ita procul dubio, & si rite horum verborum sensum assequimur, hoc illud malum est, quod nobis Divina minitatur justitia, si crucem, & passiones Salvatoris hujus nobis nec inutiles esse curimus, & metum incidendi in manus Dei vivi, postquam contempserimus misericordias Dei mortui pro nobis. Hinc nobis cogitandum est, quænam peccatis nostris debeatur pœna, nisi illa modo lacrymis nostris eluerimus conjunctis cum sanguine, quem ipse effundit ad illa expianda: *Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Videlicet, si qui innocens erat, & sanctitas ipsa, adeo severe mulctatus fuit, eo quod solam peccati speciem gerebat, quid tandem erit de vero peccatore criminibus undequaque repleto? Si Dei Filius ita effectus fuit pro peccatis alienis, quo tandem supplicio afficiendus est captivus pro propriis. *Si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Quæ spes reliqua erit misero renuenti medium illud unicum, quod ipsi exhibetur, ad evitandum malorum omnium maximum, æternam videlicet calamitatem? *Idem.*

Luc. 23.

Ibidem.

Alacriter ferenda crux, quam Deus nobis immittit.

Non desunt animæ piæ, quæ in mysterii hujus meditatione invident Simoni Cyrenæo felicitatem, eo quod Crucem Salvatoris portaverit. Sententiam hanc non improbo; sed reor, illas gratiores Filio Dei futuras, si propriam suam crucem gestarent peramanter, & cum sincera cupiditate illum imitandi, quam optantes ejusdem crucem bajulare. Simon ille imperfectissima tantum erat eorum figura, qui crucem suam deferunt post JESUM CHRISTUM. Non desunt, qui crucem detrectent, qui illam non sine querela trahant, qui multa cum ignavia gerant, qui vix a terra illam attollant, qui alacriter, & gaudentes illam sustineant, ut in hoc fiant conformes Filio Dei. Videte, ex quo numero sitis; ceterum vobismet persuadete, neminem esse, qui non ferat crucem suam; immo ne illi quidem, qui eam gestare detrectant. Boni eam portant, mali adhuc graviorem; dæmones quoque suam, & infernum suam quotiescumque vident Beatos illos qui cum caritate, & amore gestant illam. Crux sine JESU gravis est pondus; sed cum JESU, unctione quadam perfusa est, quæ illam efficit levem, simulque consecrat. Gestate igitur crucem cum illo i gestate illam, ut ab illo fertur; strenue portate illam, & illa vos certissime deferet in cælum. *Ex variis Auctoribus.*

JESU CHRISTI CRUCIFIXIO,

ET QUID ACCIDERIT ILLI

IN CRUCE.

Quid esset Calvarius ubi Dei Filius erat crucifigendus.

POstquam Dei Filius eo modo, quo supra narravimus adductus fuit usque in Calvarium, qui locus erat nocentium supplicio destinatus, vel potius locus a divina Justitia ab æterno connotatus, ut ibi cruentum hoc sacrificium consummaretur; ad ciendos eos sensus, quos nobis immittere debet magnum hoc, atque terribile spectaculum Dei in cruce morientis, illud primum animadvertendum occurrit, non sine peculiari divinæ Providentiæ consilio factum fuisse, ut locus idem, quem Deus olim designaverat sacrificio Isaac, eligeretur ad vere immolandum illum, qui ex magni hujus Patriarchæ progenie nasciturus erat, cujus nativitas, & mors gentibus omnibus benedictionem erat allatura. Opus erat, ut inter figuram, & veritatem hæc adesset relatio. Locus iste supplicio destinatus nocentium positus erat extra urbem; namque mundi Salvator ibi pro peccatoribus erat immolandus. Publicus erat locus, quoniam expositus esse voluit oculis mundi totius, ideoque locum elegit editiorem, ut facile conspiceretur, & pateret mortis ignominia; cumque nasci voluerit nocte concubia, plena die voluit crucifigi, ut spectatores omnes testes essent mortis ipsius. Ad tristis hujusce loci adspectum, ubi divinæ ejusdem justitiæ erat satisfaciendum, reor, in terram procidisse, & semet obtulisse tamquam victimam pro totius Mundi salute immolandam, dicendo eadem verba, quæ David illum proferentem inducit primo vitæ ejusdem momento: *Holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Justitia Patris mei! quandoquidem sanguis tot victimarum, quæ in altaribus tuis jugulatæ fuerunt, tibi satisfacere non valuit, tu mihi tribuisti corpus, ut in corpore hoc divinitati conjuncto dignum te sacrificium offerrem: ecce igitur me tibi offero hac mente: ecce me eo in statu, quem cupiisti, præsto, ut paream tibi, & patiar quidquid jusseris ad omnia hominum peccata expianda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

De more oblatum fuit Salvatori vinum cum myrrha commixtum quod bibere noluit, & quare. Matth. 27.

Mos erat, ut illis, qui erant crucifigendi vinum cum myrrha mixtum propinaretur, ad sensus eorum sopiendos, ac prohibendum, ne totum supplicii dolorem perciperent. Hoc etiam Dei Filio oblatum fuit, cumque ille haberi vellet veluti nocens, ex eo accepit, & gustavit; sed cum aliunde vellet subire mortem crucis sine ullo lenimento, bibere noluit. *Et cum gustasset, noluit bibere.* Sancti nonnulli postquam ad examen vocarunt potus hujus naturam, inhumanitatis nomine redarguunt carnifices, qui obliti consuetudinis propinandi optimum iis merum, qui extremo afficiendi erant supplicio, cum viderent JESUM sessum, viribus prostratum, sitique laborantem, tum propter plurimam Sanguinis effusionem, tum quia tot supplicia nulla ei requies permittebatur, tamen dederunt illi vinum cum felle, & myrrha dilutum, ut illum torquerent in ore, atque stomaco, quo flagella, & spinæ penetrare non potuerant, pro liquore alio, qui hauriendus præbebatur nocentibus ad sensum doloris, & mortis timorem auferendum. Aliis potus ad solatium propinabatur, Salvatori ad supplicium. *Ex diversis Auctoribus.*

Quomodo Salvator affixus fuerit cruci, ac totus hujus supplicii apparatus.

Interea carnifices video promentes supplicii hujus instrumenta, & ea, quæ necesse sunt præparantes. Crux terebratur, ubi inserendi sunt clavi; mallei expediuntur; terra ad crucem altius attollendam effoditur; si-

tur; simulque Salvator suis exuitur indumentis, quæ crucis pondus carni cum sanguine ex vulneribus effluente conglutinaverat; quod eadem illa vulnera, doloresque instauravit. Purissimus hic Agnus nudatus visus est ita perfusus cruore, ut totum illius corpus unum tantummodo vulnus videretur. Jussus est supinus in cruce sterni; haud ægre paruit; extendit se in lectulo doloris sui, non aliud habens, ubi reclinaret caput suum nisi spinas, quibus erat coronatum. Nosti Fili mi, dixit illi tunc Pater æternus; ita enim illum allocutum possumus arbitrari: Nosti quid justitiæ meæ debeatur; en te in ara, ubi sacrificium consummari volo: manus tuæ repræsentant nocentes omnium hominum manus, siccariorum, sacrilegorum, improborum omnium, illas extende, ut pro omnibus illis satisfiat: oportet, ut per vulnera, quæ recipient tuæ, earum vulnera curentur, & sanguis, qui inde manabit, omnia earum crimina deleat. Equidem assentior, innocens respondet victima, simulque alteram offert tortoribus, qui primum infligunt clavum, quo caro cum ligno confoditur, inde sanguinis imbre effluente. Sed ubi alteram obtulit simili pacto transfigendam, cum brachii nervi coarctati fuissent, summa vi protrahenda fuit, ut perveniret ad locum paratum; atque tunc luxata sunt omnia ossa, & pectus intumuit non sine dolore ineffabili, quemadmodum Pro-
Psalm. 21. pheta portenderat: *Dinumeraverunt omnia ossa mea*; mox vero altera etiam manus altero clavo, qui similem peperit dolorem, configitur. Non ignoras, tunc Pater æternus excipit, pedibus tuis pœnas esse luendas pro criminosis passibus, quos fecerunt homines, ut offenderent me; postulat ergo justitia mea, ut pedes tui huic eidem cruci affigantur. Ita Pater, & Deus meus; assentior, amabilis hic Salvator respondet, atque tunc summo cum dolore illos extendenti, duo crudeles hiatus, simulque duo rivi scinduntur, ex quibus effluit pretiosus ille sanguis, qui omnia scelera nostra debet eluere: saltem post hæc, Pater æterne, tibi satisfactum erit intuenti Unigenitum tuum cruci confixum. Nondum satis, volo enim te animam efflare, & per mortem tuam sacrificium prorsus consummari. *Idem in Passione Quadragesimæ.*

Crux sublata fuit, & omnes Salvatoris dolores instaurati.

Cum adorabile Salvatoris corpus inextensum esset in cruce, & adeo fortiter inhæreret, ut moveri non posset; ut ubique dolori accederet ignominia, oppositi fuerunt pœnæ socii latrones duo, ne qui videret illum inter nocentes crucifixum, credere posset innocentem. Mox crux hæc non sine terribili vocum mixtione attollitur, & machinis in aerem suspenditur, & magno cum impetu labi permittitur in foveam paratam ad eam excipiendam. Ad hanc crucis concussionem omnia Salvatoris vulnera novo cum doloris incremento exacerbantur: crux ipsa cuneis hinc inde appositis firmatur non sine magnis malleorum tunsionibus, ita ut in singulos ictus succutiatur adorabile corpus, quod clavis tantummodo sustinetur, cum totum dilaniati corporis pondus inde suspensum incessanter vulnera ipsa dilatet eo majori cum sensu, quo manus, pedesque præsertim constent nervis, musculis, tendinibus, qui citra acerbissimos dolores lædi minime possunt; præterquamquod crux erat illi tormentum peculiare propter nervorum extensionem, & corporis situm, in quo erat. Itaque JESUS extremas tres vitæ suæ horas traduxit in dura hac cruce positus, clavis suspensus, suisque incumbens vulneribus. Tandem Salvator hominum ecce in eo te statu positum video, quem a primo vitæ tuæ momento concupiisti. In crucem sublatus es coram Cælo, ac terra, eidemque adeo inhæres, quasi unam illius partem constitueres. Ibi omnibus corporis tui membris pateris, quasi omnia peccassent: tot plagis confossus es, ut dicere possis, te totum unam esse plagam; a planta pedis, ad verticem capitis nulla est in te sanitas. *Idem in Passione Quadragesimæ.*

J. C. in cruce magnum Mysterium est.

Ecce igitur innocens hæc victima in Altari posita, ubi mortis vulnus expectat: hic est triumphalis currus illius; hic Doctor cælestis est in Cathedra, ex qua ad omnes homines, omnesque terræ nationes loquitur. JESUS CHRISTUS in Cruce! *Grande spectaculum!* S. Augustinus exclamat. Si illum impius con-
Augustin. tract. 17. in Joann. sideret, insigne ludibrium est, *Si spectet impietas, grande ludibrium*; sed si oculis Religionis, insigne Mysterium. *Si spectet pietas, grande Mysterium.* Ex Judæorum parte scelus est enorme, ex parte Patris æterni effectus est amoris, quo homines prosequitur. *Sic*
Joann. 3. *Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Sed si spectetur Deus-homo Cruci confixus, hoc est Mysteriorum omnium maximum, triumphus, vel extremus excessus immensæ caritatis, quod elegerit crucem futuram salutis nostræ instrumentum, quæ nomen sumpsit ab eo, quem infert, cruciatu. En quid dicat S. Augustinus: *Pejus non fuit inter genera mortium: pendentes enim in ligno crucifixi, producta morte necabantur: non enim crucifigi hoc erat occidi, sed diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur.* Hoc mortis genus, & acerbissimum supplicium pati voluit, ut amoris sui excessum hominibus testaretur. *Idem.*

Crucis supplicium fuit J. C. congeries interiorum exteriorumque dolorum.

Dixi jam crucis supplicium fuisse unum omnium sæviissimum, turpissimumque; sed hoc in loco possum addere in Filio Dei fuisse cumulum, atque congeriem omnium internorum, externorumque cruciatuum, quos uni illi omnes reservasse videtur divina
Thren. 1. justitia: Quapropter Propheta dicit: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Diceretis profecto omnes species, omnesque differentias dolorum in illum stillasse, & extremum hoc supplicium ex ceteris omnibus fuisse compositum; ut illum constitueret vere virum dolorum, in anima simul, & corpore patientem. Omnes dolorum fontes aperti sunt, omnes vero clausi fontes consolationum. Immersus est in pelago amaritudinis, quin inter omnes passiones ejus, quas Propheta vocat aquas amaras, ulla sit aquæ dulcis gutta ad eum consolandum. Fingite illum vobis simul a cælo, terraque exagitatum per hominum sævitiam, & justitiam Patris, quem illi quidem persequuntur, hic autem derelinquit. Amici sui illum sua affligunt præsentia. Tales sunt sancta illius Mater, quæ per confertam turbam ipsum erat secuta, & dilectus discipulus, a quibus quin aliquid solatii percipiat, eorum dolore suus mœror, & dolor instauratur, ut ipse illos consolari teneatur. Inimici autem sui illum torquent blasphemiis, irrisionibus, imprecationibus; sensus sui singuli proprio, & peculiari dolore cruciantur: ardenti siti oppressus felle, & aceto potatur; sese movere non potest, neque ullum invenire solatium in eo situ, *in quo cruci confixus est*; caput ipsum, quod moveri posset, nonnisi spinis inniti potest, & vulnera ejus incessanter recentem illi pariunt dolorem. *Idem in alloquiis de Passione.*

Extrema desolatio quam patiuit illi Patris sui derelictio.

Salvator vere vir dolorum constituitur; nam dum patitur in omnibus corporis sui partibus, omnibusque sensibus, dolor, atque tristitia simul replent amaritudine animam illius, ac ea desolatione conficiunt, quam in horto Olivarum expertus est; namque in majori passionum suarum incursu sentit se ab æterno Patre suo derelinqui. De hac re cum ipso peramanter conqueritur; *Deus, Deus meus, ut quid dereliqui-*
Matth. 27. & Marci 15. *sti me?* Videlicet queritur se ita traditum esse in præ-dam doloris, & earum rerum omnium, quæ illum affligere poterant, ut videretur destitutus omnibus sensibilibus consolationibus, quibus deinceps Martyres inter terribiles eorum cruciatus confirmavit. Sed l. mons Calvarii Salvatori nostro id fuit, quod mo Gelboe, de quo in Scripturis est sermo; nulla enim pluvia, nulla roris gutta decidit, quæ illum consoletur. Ita ut in hac derelictione dicere possimus eum similem esse homini qui cecidit in mari, qui sese sustinet quoad potest, & quem aqua circum undique ambit; luctatur cum fluctibus donec aliquam sperat opem; sed statim ac aqua in ipsum penetrat, quam primum submergitur. Hoc innuere velle videtur Propheta; ipsum contra passionum suarum vim obniti, donec illi cum hominum violentia pugnandum fuit; sed ubi se vidit derelictum a Patre, a quo subsidium præstolabatur, dolorem penetrasse animam illius, & factum fuisse tamquam vehementissimum torrentem, quo fuit demersus, *Quoniam intraverunt aqua usque*
Psalm. 68. *ad animam meam, & tempestas demersit me. Idem.*

Satis intelligi nequit quantum Filio dolorem attulerit hæc Patris æterni dereliction.

Humana mens concipere nequit, quam acerba fuerit Salvatori hæc Patris derelictio; nam quamvis sine blasphemia dici non possit, quod Hæretici quidam effutierunt, ipsum in desperationem incidisse; credi tamen potest, derelictionem, de qua ipse queritur, operationem fuisse in anima sua, quæ omnem replevit patiendi capacitatem: derelictionem, quæ illum nunquam separavit a divinitate, vel gloria, neque privavit illum gratia, & caritate; quod fieri non potuisset sine peccato, cujus capax non erat, sed quæ illum dumtaxat privavit robore, & peculiari protectione, quam Pater retraxit tradens illum excessui pœnarum, ut per hanc subtractionem, & derelictionem, quæ illi acerbior fuit, quam omnia simul tormenta, averteret a capite nostro summum illud, ac deplorabile malum æternæ derelictionis Dei, qui separabit in æternum reprobos a summa ipsorum beatitudine. Ita voluisti Salvator mi, tantam uni tibi reservare pœnam, & adeo parum cognitam: Tu passus es derelictionem hanc sine consolatione, & solatio, ut nos in laboribus, & passionibus nostris solatium nancisceremur: neque enim deseris unquam fideles famulos tuos, neque illis unquam propior est, quam cum se derelictos putant. Verum discamus ab hoc exemplo, quod nobis in cruce tradit JESUS CHRISTUS; crucem nostram patienter gestare, & sustinere derelictiones a Deo profectas, qui periculum facturus virtutis nostræ, retrahit aliquando sensibiles consolationes, quæ mulcent nostros labores, & unctionem gratiæ, quæ efficit, ut æquo, hilarique animo illos perferamus: qui si nobis opem ferre moratur, consolemur saltem videntes nos similiores esse Filio ejus in Cruce, qui sine solatio passus est inexplicabilem animi

desola-

desolationem cum acerbissimis suppliciis conjunctam. *Idem.*

N. C. de Cruce pendens vocem attollit petitus veniam pro illis, qui ipsum persequebantur, & crucifigebant. Luc. 23.

Quis non obstupesceret, Fideles, videns tot inter dolores corporis, & mentis Dei Filium fovere sensus caritatis, & misericordiæ erga illos ipsos, a quibus crucifigitur: quandoquidem inter cruentissimas contumelias, quæ sibi ingeruntur, colligit quidquid habet virium, ut vocem attollat, & veniam petat pro persecutoribus, atque tortoribus suis. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Videt sub oculis suis, alios quidem dividentes sibi vestimenta sua; alios irridentes passiones suas, hos illum blasphemantes, illos sibi imbecillitatem exprobrantes, & per sarcasmum invitantes, ut de cruce descendat. Sed inter tot hæc probra, quæ omnia iracundiæ ipsius fulmina merebantur, exclamat: *Pater dimitte illis*, quasi jugulare voluisset vocem Sanguinis sui, de terra in cælum ascendentem ad ultionem petendam majori cum vehementia, atque justitia, quam vox Sanguinis Abel effusi per fratris sui odium, & crudelitatem. Post hoc exemplum Christiani, qui tandiu internecinum fovetis odium contra fratrem vestrum, si detrectatis imitari sensus hujus morientis Dei, non utar aliis argumentis, quæ vos adigant ad veniam illi tribuendam: vobis dicam solum eadem verba, quæ Filii Jacob dixerunt fratri suo Joseph, qui ab ipsis venditus fuerat tamquam mancipium, veriti ne post obitum patris sui acceptam injuriam persequeretur: *Pater tuus, antequam moreretur, præcepit nobis, ut hæc tibi nomine illius diceremus; obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum.* Ita est; Christiane; Pater, atque Salvator tuus, cum proximus esset morti hoc unum petiit a te pro pluribus noxis, quibus divinam illius majestatem læsisti, ut ejus exemplum secutus fratri tuo parcas. *Pater tuus, antequam moreretur, præcepit nobis.* Inimicus ille te graviter offendit, non abnuo contumelia, qua te affecit, gravissima fuit; fateor. Sed Pater tuus in ipso mortis articulo hanc a te gratiam petit, eamque per tot ora petit, quot habet in corpore vulnera. Quod si adhuc in corde tuo servas acrimonias, & odium contra illum, quem inimicum putas, cum non merearis nomen Filii Dei, neque spem ullam fovere potes, te participem fore hæreditatis, quam Deus acquisivit tibi Sanguine suo. *Idem in primo tomo Mysteriorum Sermone de Passione.*

Jesus promittit paradisum alteri ex latronibus supplicii socils.

Post hunc actum caritatis, & misericordiæ, alium edidit in eadem Cruce Salvator, qui non minus testatur amoris sui magnitudinem, & sensum, qui alte erat ipsi impressus in corde. Quippe nocenti gratiam largitus est, & pollicitus est Paradisum alterutri eorum latronum, qui erant ejusdem supplicii consortes. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quis non admiretur, Christiani, hoc in loco supremam gratiæ suæ potestatem, & virtutem Sanguinis sui, qui latronem in Sanctum, & paullo ante blasphemum convertit in prædestinatum, & principem eorum, qui adituri sunt Cæli possessionem? O misericordia! o immensa caritas Dei! Quis non sperabit, videns latronem in extremo vitæ suæ momento, quam fortasse totam in assiduo latrocinio traduxerat, vocari, illuminari, moveri, converti, prædestinari? Quis ergo etiamsi nequissimus de salute sua desperabit? Sed meminerimus hoc fuisse gratiæ miraculum, ex quo nihil inferri potest; & opus præter ipsum ordinem misericordiæ eo ipso tempore, quo Sanguinem suum effundit pro peccatoribus, & quo pro tortoribus suis deprecatur. Quod miraculum invocantem ipsum eo tempore, quo ab aliis in ipsum blasphemiæ evomuntur, & factum illius Præconem, atque Apostolum, dum ab aliis deseritur, veniam consequi? Sed iterum dico, hoc insolitum est divinæ bonitatis exemplum, quod peccatori non est expectandum: nam in scelera perseverare cum hac spe, præsumptio est, quæ nos hac indignos efficit misericordia, quam exhibet veteribus peccatoribus in Sanguinis sui virtute sperantibus. *Idem.*

Testimonium amoris erga matrem suam, dilectumque discipulum.

Si Salvator morti proximus tot ardentis caritatis argumenta tribuit nequissimis peccatoribus, credendum non est ipsum justorum, amicorumque suorum obliviscì; quos enim benevolentiæ sensus testatus non est erga Parentem suam, & dilectum discipulum suum, quos ad pedes Crucis intuitus est? Non potuit illis pretiosius amoris sui pignus relinquere, quam tradendo alterum quidem pro Filio Matri suæ, alteram vero pro Matre dilecto discipulo; quandoquidem per hoc munus alteri tradidit locupletissimum thesaurum, qui in mundo esset, alteri vero Filium obsequio plenum, qui futurus erat eidem auxilio, atque solatio. Addo solum Sanctam Matrem cum viam sibi fecisset per confertam turbam, ut extrema præberet officia illi, cui vitam tribuerat, inter duo hæc corda factum fuisse admirabile commercium doloris simul, & caritatis. Heu Mater, quid hic agis, Filius illi dicere poterat; numquid innocens Columba expectas, ut sanguinis mei diluvium pertranserit: Te vero, Firem afferunt mihi tua vulnera! Oportet ne, Mater, me causam esse doloris, quo conficeris? Oportet ne, Fili, ut te tanta pati conspiciam? Hæc colloquia, Auditores, corde potius, quam ore fiunt; quorum sensus adeo sunt teneri, atque pathetici, ut malim eos vobis meditandos relinquere, quam meis sermonibus iisdem officere. *Idem.*

Sitis ardens, quam in Cruce passus est.

Denique, cum mors proxima, tormenta, quæ sustinuerat, sanguis, quem fuderat, vires ejus omnino exhausisset, laboravit siti ardentissima, ita ut nemo parem unquam sustinuerit; ita os ejus, stomacus, pulmones, totumque corpus essent instar fornacis ardentis. Dubitari nequit, quo minus tormentum illud unum extiterit ex illis, quæ acerbissima pertulit toto Passionis suæ spatio: quod argumentari possumus ex nonnullorum Martyrum exemplo, qui invicta constantia passi sunt ignes, rotas, & exquisitissimos quoslibet cruciatus, quin unquam conquererentur, nisi de siti, unde licet conjicere, quodnam fuerit Salvatoris tormentum illam tandiu, atque tam vehementem sustinuisse inter tot alios cruciatus ad illam in singulas momenta irritandam aptissimos. Sed etiamsi naturalis hæc sitis esset, tamen mysterio non vacat, & Sanctus quidam Pater illam *Sacramentalem sitim* appellat; sitim, in qua non deest Sacramentum, atque Mysterium; quandoquidem magis sitiebat salutem nostram, & propter amorem nostrum pati, quam aliud quidpiam; ita ut quod semel tantum elata protulit voce, intus in singula momenta, quibus passus est, dixerit *sitio*. Ita sane: quamvis extremi sint dolores, quos patior; & quamvis inexplebilis sitis inimicorum meorum, qui meum sanguinem sitiunt, propter amorem vestri vellem millies majora pati, quam patior. *Idem.*

Denique cum Judæi suam jam rabiem explevissent, cum Prophetiæ jam essent completæ, & nihil superesset perferendum, ut nobis testaretur suæ caritatis excessum, Salvator vivere desiit. Quapropter cum Patri commendasset Spiritum suum elata voce, ita ut omnes qui aderant, mirarentur, exclamavit: *Consummatum est*, inclinato capite, ut Patri suo ostenderet, se acceptare postrema justitiæ ejus edicta, atque ut omnibus hominibus per hunc benevolentiæ, & amoris gestum indigitaret eorum cum Deo pacem jam sanctam esse. Salvator adorabilis jussit Solem eclypsi laborare, terram violentis concussionibus trepidare, quod silentium vestrum, ac lacrymæ vobis eloquentur melius, quam verba mea, & quod sine dolore vobis dicere nequeo, hunc hominem-Deum expirasse: *& hæc dicens expiravit.* Joann. 19.

Luc. 23. De morte Filii Dei.

Mundi Salvator mortuus est, Christiani; & ad hoc nuntium quinam quæso sunt sensus vestri? Quid! oculi mei sicci estis in Dei morte? Quid! cor meum, omni sensu carebis? Heu! muta, domine, promissionem, quam olim fecisti populo tuo; videlicet te illi ablaturum cor lapideum, quod gerebat, ut eidem cor carneum immitteres: aufer potius mihi carneum istud cor, quod omni caret sensu, & da mihi cor lapideum; quandoquidem lapides quidem scinduntur, atque franguntur dolorem suum testaturi, cor autem meum non movetur. Ita est, Fideles, ad flectendum cor hoc obduratum Salvator hic etiam si mortuus, dirigit ad nos extremam Sanguinis sui vocem, & nostrum singulis dicere videtur, quod olim dixit per Prophetam suum: *Quid est, quod debui ultra facere, & non feci?* Quod ultra mihi faciendum erat pro salute tua, quod minime fecerim? Aperui plagas pedum, manuumque mearum; adhuc mihi latus aperitur, ut te excipiam, & locem in corde meo, & in viscribus misericordiæ meæ; In me exhausta sunt omnia supplicia, quæ hominum crudelitas potuit excogitare; in me suscepi pœnas omnes quas tu meritus fueras; dic mihi, restat ne aliquid, quod doloribus meis addere possim, ut præbeam tibi apertiora mei erga te amoris monumenta? Heu! Auditor mi, ne sis ultra inflexibilis tantæ erga te caritatis argumentis! Ingredere in hoc apertum cor; hoc est assequere sensus hujus cordis, eique amorem pro amore repende, ut S. Bernardus ait: *Patet arcanum cordis per foramina pectoris.* Nobis ostendere voluit, se misertum fuisse malorum, & calamitatum, quas nobismet ipsis conflavimus; ipsum doloribus fuisse confossum, ubi vidit peccatorum nostrorum multitudinem, & ardentem caritatem, qua cor hoc æstuabat, effeciisse, ut adeo crudeles pœnas, & adeo horribilia tormenta sustineret. Hos igitur sensus assequamur, anima Christiana, eique amorem nostrum aperiamus per acrem dolorem, quem ciere debet in nobis criminum nostrorum cogitatio, quæ mortis ejusdem causa extiterunt. Nunquam, Fideles, clavi isti pedes, manusque ambas illius perforassent; nunquam spinæ caput hoc adorabile penetrassent, nisi superbia nostra utrasque exacuisset; nunquam lanceæ ferrum pectus illius percussisset, nisi nostra ingrati animi vitia primum illi vulnus inflixissent: sed super omnia obliviscì non debemus illius vulnera, passiones, & mortem toties instaurari, quoties nova peccata committimus: Numera, si vales, omnes cruenti hujus corporis plagas; has æquo pertulit animo, cum eas saluti nostræ utiles credidit. Sed oportet ne, ut recentes addamus per

Hic ostenditur crucifixus.

scele-

ſcelerum noſtrorum continuationem? Oportet, ut Deus hic pro nobis in Cruce mortuus, hoc precetur a nobis, quoniam peccata noſtra majorem ipſi dolorem attulerunt, quam clavi, ſpinæ, flagella, omneſque mortis ſuæ dolores? Heu! nonne durius nobis eſt cor, quam Judæis ipſis, quorum nonnullos pœnituit criminis ſui, & qui reverſi ſunt præ dolore percutientes pectora ſua, ac dolentes ſe mortem illi attuliſſe, quos Cælum novis prodigiis cogebat, ut illum pro Matth. 27. Dei Filio faterentur: *Vere Filius Dei erat iſte*. Ego vero, Deus meus, adeo parum movebor adſpectu paſſionum tuarum, meorumque criminum, quæ eorum cauſſa fuerunt, ut minime ceſſem tibi inferre tormenta, peccare non deſinens. Nunquid dicetur, rupes, quæ culpa vacabant, in morte tua contritas fuiſſe, & cor meum, quod nocens eſt, non fuiſſe contritum? Effunde Deus meus adhuc guttam Sanguinis tui, ut molle fiat, ac inde veræ contritionis lacrymas eliciat. *Idem*.

Tu vero Salvator meus, & Deus meus! poteſne adhuc amare peccatores poſt tanta ingrati animi argumenta, & tot, quæ tibi intulere ſupplicia? Ita, Chriſtiani; & brachia hæc extenſa, innuunt illum adhuc præſto eſſe ad nos recipiendos complectendoſque, modo ex corde peccata deteſtemur. Hunc ergo ſenſum inſpirate mihi lacrymæ! Sanguis! mors, & paſſiones Dei mei! ut ex vera cordis pœnitentia petam miſericordiam poſtquam toties rebellavi contra divinam majeſtatem tuam. Hiſce adhæream vulneribus; ſanguis inde fluens, me ita conglutinet, ut omnino nequeat ſeparari! Numerem has plagas pretium redemptionis meæ, totaque vita admirer hunc Dei amorem, quem cruentis hiſce characteribus alte adeo impreſſum video. Caput adorabile! quod æternam coronam nobis polliceris, quam longe aliud mereris diadema! Os, ex quo tot manarunt Oracula, quomodonam auſi ſunt illud felle, & aceto inebriare? Sacrati Pedes, aſylum miſericordiæ, millies vos deoſculor, neque hinc diſcedo niſi criminum meorum veniam obtinuero. Latus, quod es divinitatis Sanctuarium, eſto in æternum ſedes mea. Denique vos beneficæ manus Salvatoris mei, ad vos confugio tandem vobis eadem dicturus verba, quæ Jacob Patriarcha dixit Angelo, cum quo tota nocte luctatus erat: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Voluiſti Domine in te omnes ſuſcipere maledictiones, quas ipſe meritus fueram; ſed hoc ſatis non eſt: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*. Benedictionem hanc tuam igitur peto. Hanc mihi quidem Domine, & univerſo huic populo peto &c. *Idem*. Geneſ. 32.

FINIS

Tomi Primi Myſteriorum Domini noſtri.

R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA

CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:
Insuper & Cæremonias, Consuetudines,
& Ecclesiæ Placita,

e Gallico sermone in Latinum translata.

TOMUS SECUNDUS,

IN QUO CONTINENTUR

MYSTERIA DOMINI NOSTRI

a Resurrectione ad finem.

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXXII.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



TABULA
ARGUMENTORUM,

Quæ continentur in hoc ecundo Tomo Myſteriorum Domini noſtri.

Myſterium Reſurrectionis Domini. 5

Myſterium Vulnerum Domini. 25

Myſterium Crucis. Feſtum Inventionis, & Exaltationis Crucis. 40

Myſterium Aſcenſionis. 55

Deſcenſus Spiritus Sancti, & quidquid pertinet ad hoc Myſterium. 74

Myſterium Trinitatis. 94

Myſterium Euchariſtiæ quatenus eſt Sacrificium; Miſſa, Altaris Sacrificium. 112

Myſterium Euchariſtiæ quatenus eſt Sacramentum. 137

De Divinitate, & Magnalibus JESU. 170

De Amore, & imitatione JESU CHRISTI. 193

TABULA
ARGUMENTORUM,

Quæ continentur in hoc secundo Tomo Mysteriorum Domini nostri.

Mysterium Resurrectionis Domini. 5

Mysterium Vulnerum Domini. 25

Mysterium Crucis. Festum Inventionis, & Exaltationis Crucis. 40

Mysterium Ascensionis. 55

Descensus Spiritus Sancti, & quidquid pertinet ad hoc Mysterium. 74

Mysterium Trinitatis. 94

Mysterium Eucharistiæ quatenus est Sacrificium; Missa, Altaris Sacrificium. 112

Mysterium Eucharistiæ quatenus est Sacramentum. 137

De Divinitate, & Magnalibus JESU. 170

De Amore, & imitatione JESU CHRISTI. 193

BIBLIOTHECÆ
CONCIONATORUM THEOLOGICÆ
TOMUS SECUNDUS,

Continens Partem Alteram

MYSTERIORUM DOMINI NOSTRI.

MYSTERIUM RESURRECTIONIS DOMINI NOSTRI.

MONITUM.



UM Dominicæ Resurrectionis Mysterium, ex S. Augustino, sit totius Religionis nostræ fundamentum, atque probatio: Ecclesia diem, qua illius festivitas celebratur, diem Domini appellat. Itaque nullum adest Mysterium, de quo Sancti Patres, Ascetici, Concionatores cum veteres, tum recentiores, & omnes sermonum scriptores magnificentius locuti fuerint: quapropter si nullus est timendi locus hoc in argumento deesse posse rerum copiam; summa tamen adest difficultas habendi delectum rerum earum, quæ in hisce meis collectaneis occurrent.

Qua in re, ne ex propositi Mysterii tractatione egrediamur, operæ pretium puto, nihil admiscendum eorum, quæ communia esse possunt cum Ascensionis Mysterio, cujusmodi esset Cæli aditus nobis apertus, & possessio gloriæ, quam JESUS CHRISTUS nobis acquisivit; neque differere de variis apparitionibus, quibus videndum se præbuit Discipulis suis per quadraginta dies, quibus suam distulit Ascensionem in Cælum, neque de illius redargutionibus, ac monitis, quæ illis reliquit, & miraculis, quæ, ipsis, inspectantibus, operatus est.

Secundo, cum nostræ Resurrectionis spes innitatur illius resurrectioni, & moralis, quæ locum habere potest hoc in argumento præcipuam hanc veritatem supponat, utilis haberi sermo non potest, nisi loquamur de Resurrectione animarum nostrarum, quæ fit per reparationem gratiæ, cujus jactura facta erat per peccatum, relinquendo veteres habitus, & emergendo tamquam e sepulcro, in cujus squalore animæ erant sepultæ. Addemus ergo corporum animarumque nostrarum Resurrectionem cum illa Salvatoris, quæ utriusque causa est, & exemplum.

***

nis propter quem nos resuscitare tenetur; quia natura postulat, membra cum capite esse conjuncta, & cum caput seipsum resuscitat, nonne consentaneum est, ut secum sua etiam membra resuscitare debeat? Sed Caput hoc est JESUS CHRISTUS, nos vero omnes illius membra. 3. Prototypus secundum quem Deus nos vult resuscitare: nam teste S. Paulo, cum Deus corpora nostra resuscitabit, id aget, ut illa conformet juxta divinum exemplar, quod nobis propositum est in JESU CHRISTI Resurrectione: ita ut nobis eadem futura sit, ut ita dicam, eadem incorruptibilitas, eadem impassibilitas, eadem claritas, eadem immortalitas &c. Hæ insignes sunt Veritates: væ impio eas non credenti; væ Christiano eas credenti, & viventi, quasi non crederet; sed beatus fidelis, cui cum satis non sit, illas credere, secundum illas componit vitæ suæ rationem, & validas inde causas elicit ad fervorem suum excitandum. *Ex P. Bourdalove in Mysteriis.*

II. Qui videret pompam, & apparatum, cum quo celebrat Ecclesia hujus diei celebritatem, nonne putaret hanc esse triumphantem Ecclesiam in terras dilapsam? tanta est lætitia, & tot undique Epinicia exaudiuntur, & gaudentium concentus, qui post tot lacrymas, doloresque communem testantur hilaritatem. *Hæc dies, quam fecit Dominus.* Profecto nisi illa Dei Spiritu ageretur, dicerem eam gaudio efferri, nec meminisse, Deum, qui omnia creavit sæcula, & dies, auctorem esse ceterorum etiam, non secus ac hujus, quam unice diem Domini appellat. *Hæc dies, quam fecit Dominus.* Sed illius verba, non secus ac facta, Mysteria sunt; & Domino hanc tribuit diem, ut humanum loquendi modum sequatur, qui hominum actiones, atque victorias dierum nomine appellant. Hac de caussa magna dies ista, qua Dei Filius tot victorias reportavit, non potest aptiori nomine, quam dies Domini nuncupari. Ut igitur Ecclesiæ mentem sequar, postquam diebus hisce nuper elapsis intuitus sum hunc hominem-Deum inimicorum suorum conatibus victum; hodie illum vobis exhibere fert animus tamquam victorem, ac triumphum agentem primum de morte, qua victus videbatur, atque certam nobis arrham præbentem, nos quoque aliquando, ut ille, resurrecturos.

Secundo de *infidelitate*, in qua Apostoli, omnesque Mortales æternum mansissent sine illius Resurrectione, cujus indubia relinquere voluit documenta, ut ambigi non liceret de illa, uti neque de Morte, & ut per hanc certitudinem non deessent probationes de illius divinitate, ideoque etiam de ceteris Religionis nostræ Veritatibus.

Tertio. Triumphat de peccato, quod caussa est mortis suæ, postquam mortem omnibus inflixit hominibus; quoniam cogitatio Resurrectionis suæ, simul & nostræ validissima ratio est, ad crimina nostra cohibenda. Hæ sunt tres illæ victoriæ, quas hodierna die refert cumulatissimas, quæ cum sint caussa sanctæ hujus lætitiæ, quam præ se fert Ecclesia, erunt etiam partes hujus Sermonis. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta Tomo 1. Mysteriorum.*

III. Cum Dei Filius non pro se tantum, sed pro omnibus etiam hominibus resurrexerit, quamobrem semet per antonomasiam Resurrectionem nostram appellat; quia revera nostra in sua Resurrectione fundatur, quæ nostræ simul caussa est, probatio, exemplar, & spes: fert animus hodierna die respicere hanc eamdem JESU CHRISTI Resurrectionem non solum tamquam triumphum, quem de Morte, ac inferno reportavit, verum etiam tamquam caussam beatitudinis nostræ, & Resurrectionis, cui statim manum admovere debemus: quandoquidem S. Paulo teste resurrexit ad justificationem nostram videlicet, ut in antecessum anima a peccato ad gratiam resurgat per vitæ novitatem, & suavitatem, ut gloriosam mereamur vitam post corporum Resurrectionem: ideoque cogito 1. ostendere vobis in priori sermonis hujus parte, certam spem, quam hodie nobis facit, se in sæculorum fine corpora nostra esse resuscitaturum, debere statim operari animarum nostrarum Resurrectionem a morte peccati ad vitam gratiæ.

2. In posteriori autem, hanc animarum nostrarum Resurrectionem efficere debere gloriosam Resurrectionem corporum nostrorum, ut docet Apostolus: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ex eodem Auctore in Quadragesima. ad Philipp. 3.

IV. Pro argumento, vel partitione sermonis de hoc Mysterio desumi possunt hæc tria, quæ diligenter nobis consideranda proponit Synodus Tridentina. 1. Cur opus fuerit JESUM CHRISTUM resurgere. 2. Quinam fuerit finis Resurrectionis illius. 3. Quosnam fructus inde percipiemus.

Primum de Resurrectionis necessitate; necesse fuit JESUM CHRISTUM resurgere ad fidem nostram roborandam, sine qua justitia nequit subsistere; nam satis constat JESUM CHRISTUM esse Dei Filium, ex quo liquet ipsum propria virtute resurrexisse; Neque minus oportebat ipsum resurgere ad spem confirmandam: nam, quia JESUS CHRISTUS resurrexit, firmam habemus fiduciam, nos quoque aliquando cum illo esse resurrecturos; quandoquidem necesse est, membra capitis sui conditionem sequi; uti argumentatur Apostolus scribens ad Corinthios, & Thessalonicenses. 1. ad Cor. 15. 1. ad Thessal. 4.

Secundo quod spectat ad Dominicæ Resurrectionis finem, constat, hoc fuisse complementum Mysterii nostræ Redemptionis, atque salutis; Salvator enim per mortem suam nos a peccatis liberavit; sed per Resurrectionem restituit nos in possessionem præcipuorum bonorum, quorum jacturam feceramus per peccatum; quapropter JESUS CHRISTUS, teste Paulo Apostolo, *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* ad Rom. 4.

Tertio. Facile intelligere quanta sint bona, & utilitates, quas Salvatoris Resurrectio Fidelibus attulit; quoniam hæc proprie caussa est, & principium nostræ Resurrectionis, quemadmodum ejusdem exemplum est. Quamobrem Sanctus Paulus loquens de Resurrectione corporum ait: *per hominem mors, & per hominem Resurrectio mortuorum.* 2. ad Cor. 15.

V. 1. Dei Filius in Resurrectione tribuit nobis spem firmam aliquando nos quoque, ut ille, resurrecturos, quia Caput nostrum est, & nos illius membra.

2. Cum JESU CHRISTI Resurrectio sit exemplum nostræ; opus est, secundum Apostolum, ut vita, & mors nostra conformes sint Vitæ, & Morti JESU CHRISTI, ut Resurrectioni illius nostra sit conformis. Quæ duæ esse possunt partes sermonis.

Pro priori; Cum JESUS CHRISTUS in Resurrectione sua sit non solum Redemptor noster, sed etiam Caput, hoc in nobis magnam ciet spem, quia perfectum Caput, quale JESUS CHRISTUS est, tres hasce habere debet qualitates. 1. debet conjunctum esse cum membris suis, 2. debet illis vitam, motumque communicare. 3. Debet affici sensu ex felici, vel infelici statu membrorum suorum. Sed si nos nequaquam resurgeremus, repleret ne JESUS CHRISTUS primum Capitis officium, relinquens nos in æterna separatione a Capite? illo regnante in Cælis, nobis autem in sepulcro putrescentibus? Nonne alteri etiam deesset, nisi nobis communicaret Vitam gloriæ, quam per suam Resurrectionem recepit? & denique completa ne illius esset beatitudo, si ipso omnium bonorum perfruitione gaudente, membra sua in horrore, & sepulcri squallore contabescerent? Ita S. Paulus, ut nobis ostendat Resurrectionis nostræ certitudinem, de illa verba facit, quasi de re præterita, dicens Deum jam nos in Filio suo resuscitasse.

Pro parte posteriori; Cum JESUS CHRISTUS in Resurrectione sua non solum sit Caput nostrum, verum etiam exemplum, cum illo quamdam habere debemus conformitatem: 1. in vita per virtutum imitationem, 2. in Morte, per sensuum, & cupiditatum mortificationem; 3. unde consequitur conformitas in statu Resurrectionis, & gloriæ.

VI. Triplex erat genus vitæ in JESU CHRISTO, quam in sua Passione, & Morte amiserat; sed quam reparat abunde in Resurrectionis Mysterio. Vita naturalis, quam habebat in se, & quæ consistebat in unione animæ cum corpore: vita civilis, & moralis, quæ sita est in hominum æstimatione, & gloria: vita supernaturalis, quam habebat in corde Apostolorum, aliorumque Discipulorum per vitam gratiæ, quam illis tribuerat. Vivebat in seipso, vivebat in hominum fama, vivebat in corde Sanctorum. Sed heu! triplex hoc vitæ genus amittit in Cruce per triplex oppositæ Mortis genus. Amittit vitam naturalem in se vi suppliciorum; amittit vitam civilem in hominum æstimatione per ignominiam, & opprobria; amittit vitam supernaturalem in corde Apostolorum, atque Discipulorum per peccata, quæ commiserunt, & dubitationem, quam habuerunt de illius Divinitate; Sed reparat hodie triplicem hanc jacturam; ac de triplici hac Morte refert triumphum per triplicem oppositam Resurrectionem.

1. Resurgit in seipso reparans vitam naturalem, quam amiserat cum nostro immortalitatis augmento.

2. Resurgit in hominum æstimatione, & reparat gloriam suam cum novæ gloriæ accessione.

3. Resurgit in corde Apostolorum, atque Sanctorum, illis restituens gratiam, quam amiserant, cum recenti gradu Sanctitatis. Hæc triplex est Salvatoris Resurrectio, quæ triplicem sermonis partem constituet. *Biroat in Quadragesima pro die Paschatis. Eamdem repetit divisionem, eundemque fere sermonem in tomo Mysteriorum.*

VII. Non solum adorare debemus Salvatorem, qui de sepulcro victor Mortis emergit; sed debemus etiam, ut Apostolus docet, illum imitari per vitam novam, & ad gratiam resurgere eodem modo, quo JESUS resurgit ad vitam gloriosam, vitam incorruptibilem, vitam immutabilem, ideoque immortalem. Talis esse debet etiam vita Christiani resurgentis; & dico

1. Ad Dei gloriam, & Salvatoris honorem pertinere, nos ad gratiæ vitam resurgere, ut Dei Resurrectionem honoremus.

2. Ad salutem, nostramque æternitatem beatam pertinere, ut sanctam hanc vitam servemus, & non moriamur amplius peccato, hæc duo sunt, quæ nostram postulant fidelitatem in statu gratiæ, in quem nos restituit Salvatoris Resurrectio: eæque duæ erunt

partes

partes Sermonis. *Idem in sermone pro feria secunda Paschæ.*

VIII. Duo consideranda sunt in Mysteriis Salvatoris: quid credendum sit, & quid imitandum: quod credendum est, spiritum nostrum humiliare debet; quod vero imitandum, nostram exercere debet Virtutem.

1. Quod vero in hodierno Mysterio credendum est, hoc est, JESUM CHRISTUM vere resurrexisse, & nos aliquando resurrecturos, ut ille: ubi afferri possunt certissimæ probationes Resurrectionis Salvatoris perspectæ, & evulgatæ ab ipsis illius inimicis; & argumenta spei, quam habemus, nos aliquando resurrecturos esse.

2. Quod autem imitari debemus est, nobis cum illo esse resurgendum, transeundo a morte peccati ad vitam gratiæ per spiritualem Resurrectionem, & sumendo Salvatoris Resurrectionem pro exemplo nostræ eo in sensu, quem sæpe explicuimus.

IX. Quemadmodum JESUS CHRISTUS resurrexit, inquit Apostolus, nos quoque novam ingredi vitam debemus. Hæc autem vita nova habere debet duos characteres dominicæ Resurrectionis, quorum meminit Evangelium. Luc. 24. 1. *Surrexit Dominus vere.* 2. *Et apparuit Simoni.* Ita nos quoque debemus vere resurgere, & converti: qui primus est character spiritualis Resurrectionis nostræ; videri debemus conversi, pars altera, & sermonis partitio.

Pars prima: Debemus converti, quemadmodum JESUS CHRISTUS resurrexit: quia conversio nostra est Resurrectio spiritualis, & in hoc sita est. Sed JESUS CHRISTUS resurrexit vere, & post Resurrectionem suam non vixit amplius, ut homo mortalis, sed cælestis; ita opus est, ut 1. vere, non autem in speciem convertamur. 2. Ut post conversionem nostram non vivamus amplius tamquam homines carnales, & mundani, sed vita prorsus Spirituali, & Sancta.

Pars altera: Videri debemus conversi, quemadmodum JESUS CHRISTUS resurrexisse visus est: Ad id enim adhuc in terris dies quadraginta post suam Resurrectionem permansit, ut hanc discipuli palam cognoscerent, & illos de eadem persuaderet. Sed nostrum quoque est conversos videri, quia hoc interest 1. Dei, quem offendimus; alioquin quænam illi fieret tot criminum reparatio? quomodo nam erepta illi gloria sarciretur? 2. Intereſt proximi, cui *scandalo fuimus: nam reparandum est malum exemplum, quod illi tribuimus, per vitæ Sanctæ rationem*, & hoc pacto videri debemus conversi, & ad vitam nostram resuscitati. 3. Intereſt nostra, quia videri, & visos fuisse conversos, ratio est, qua cogimur in bono, & Virtute perseverare. *P. Bourdalove in Quadragesima pro die Paschatis.*

X. Pro nobis Dei Filius resurrexit, quemadmodum pro nobis mortuus est. Ut autem participes efficiamur fructuum, & bonorum, quæ illius nobis procuravit Resurrectio.

1. Sicuti Salvator resurrexit vere, quoad corpus, opus est, ut nos resurgamus quoad animam Resurrectione vera, de morte peccati ad gratiæ vitam transeuntes.

2. Vita nostra resurgens debet esse vita nova, & cælestis, & quæ nihil carnale, nihil terrenum sapiat.

3. Sicut JESUS CHRISTUS resurgens non moritur amplius; nos quoque non amittamus amplius per peccatum hanc vitam gratiæ, quam recepimus.

XI. Filius Dei resurrexit.

1. Pro gloria sua, quæ delevit Mortis suæ ignominiam, & opprobrium. Ostendi potest quam gloriosa illi fuerit hæc Resurrectio, & quam lætitiam cælo, terræque pepererit.

2. Pro nostra felicitate; spem quippe dedit, nos una cum illo resurrecturos, ac futuros gloriæ ejus participes, &c. *P. de Lingendes.*

XII. Tota Christiana Religio innititur fidei Resurrectionis; probatur, quia Religio in duabus rebus consistit; videlicet in cognitione, & actione. Docet quid nobis credendum, & quid faciendum sit.

1. Fides Resurrectionis Domini nobis certissimum est argumentum ad probandas omnes Veritates quas docuit, & omnia Mysteria, quæ personam ejus respiciunt.

XIII. 2. Docet quid nobis faciendum sit, quid esse, quomodo vivere, quomodo illum imitari, & quas exercere debeamus Virtutes, ut simus æternum beati.

Nobis ingens suppetit lætandi causa hac die, quam fecit Dominus propter insignia tria bona, quæ ex Filii Dei Resurrectione percipimus.

Primum est, quod cum triumpharit de morte, de inferno, & de peccato, eruit nos de illorum servitute, & eorum vincendorum vim nobis largitus est.

Alterum, quod ex Resurrectione percipimus bonum, spes est resurrectionis nostræ, quemadmodum dicit Apostolus S. Petrus: *Regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem JESU CHRISTI a Mortuis.* 1. Petri 1.

Tertium est, quod hæc Salvatoris Resurrectio causa est exemplaris nostræ. *CHRISTUS surrexit propter justificationem nostram.* ad Rom. 4.

XIV. In Prima sermonis parte ostendi potest, nefas esse de Resurrectionis Veritate dubitare, si ad examen vocentur omnes circumstantiæ, effectus, præcautiones a Judæis adhibitæ, ne corpus, & reliqua auferrentur.

Pars altera. Hac posita Resurrectione non licet ultra dubitare de fidei nostræ Veritate; quoniam illa confirmat JESU CHRISTI Divinitatem, Missionem, Miracula, & alia Mysteria, quæ illius personam respiciunt. Verbo, in Religione nostra nihil probatius est Resurrectione Domini; nihil melius Religionis nostræ Veritatem probat. *P. de la Colombiere pro die Paschatis.*

XV. Prima pars: Dei Filius resurgens recipit omnia bona, quæ adversantur quadruplici generi pœnarum, quas ultro subiit in Passione; 1. Incomprehensibilem in anima sua lætitiam, pro interiori mœrore, quo in horto confectus fuit. 2. Honorem maximum in remunerationem opprobriorum, atque humiliationum suarum; 3. Pulcritudinem Sole nitidiorem, pro tot vulneribus, quæ illum deformarunt; 4. Denique vitam, quæ æternum triumphatura est de morte, quam patitur.

Pars altera: bona animæ resurgentis de peccato ad gratiam, relate ad bona dominicæ Resurrectionis. 1. Deus replet illam gaudio spiritali, quod superat omnes sensuum voluptates, & quod est ineffabile. 2. Extollit eam ad eum honoris apicem, ut illam supra naturam universam constituat. 3. Communicat illi decorem, quo majorem non imaginatio, non mens sibi fingere potest; 4. Vitam illi tribuit, quæ potest semper triumphare de morte, quæ nullum habet imperium in illam. *Hæc est partitio Domini Maimbourg; qua non abludit ab illa Reina, & Biroat.*

XVI. 1. Mysterium JESU CHRISTI resurgentis confirmat quidquid illud in Religione præcessit.

2. Mysterium JESU CHRISTI resurgentis confirmatur omnibus Miraculis, quæ illud in Religione subsecuta sunt.

XVII. Doctrina Sancti Pauli Apostoli est, moriendum esse cum JESU CHRISTO, ut reviviscamus, & resurgamus cum JESU CHRISTO.

1. Mors, quæ præcedere debet *Christiani* resurrectionem.

2. Vita, quæ illam sequi debet; hæc partitio est *sermonis totius.*

XVIII. *Resurrectio dies est lætitiæ bonis*, quia illis promittit gloriosam Resurrectionem, qualis fuit Salvatoris.

2. Docet illos hanc mereri Resurrectionem per eadem media, quibus usus est Dei Filius ad corporis sui gloriam promerendam.

Sanctus Thomas loquens de Resurrectione JESU CHRISTI, & effectibus ejus, quærit duo, quæ præbere possunt locum partitioni sermonis.

XIX. Primum, utrum Salvatoris Resurrectio sit causa Resurrectionis corporum nostrorum.

Alterum, utrum sit causa Resurrectionis animarum nostrarum; & respondet affirmative ad utrumque, & id probat explicans quomodo hoc fiat utrobique.

XX. 1. JESUS CHRISTUS resurrexit; ergo nefas est ultra dubitare an sit Dei Filius, Salvator hominum, verus Messias nobis promissus, & tandiu expectatus, necne.

2. JESUS CHRISTUS resurrexit; ergo nefas est ambigere, utrum post illum simus resurrecturi.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes ex quibus hauriri copia potest ad propositas sermonum structuras exornandas; & Auctores, qui hoc tractant argumentum.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *serm.* 89. *de diversis*, rationem reddit, cur dies Paschæ, qua Salvator Resurrexit *dies Domini* appelletur.

Idem *in Psalm.* 148. ostendit nobis, cur lætemur, propter spem Resurrectionis.

Idem *tract.* 75. *in Joannem* hæc explicans Verba: *Quia ego vivo, & vos vivetis*: ostendit Resurrectionem Salvatoris esse causam nostræ, & quomodo.

Idem *in illa Psalmi* 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ*, ostendit bona, quæ Salvatoris Resurrectio attulit illi, & Ecclesiæ ipsius.

Idem *l.* 2. *contra Faustum* explicans verba illa Sancti Pauli, *& si noveramus secundum carnem CHRISTUM, nunc jam non novimus*; ostendit mutationem, quam Resurrectio Filii Dei fecit in corpore illius antea passibili, & mortali.

Idem *lib. Homil.* 50. Homilia 16. est de Mysterio Resurrectionis.

Idem *in Sermonibus de tempore* Sermonem habet pro die Paschæ in ea Verba: *hac dies, quam fecit Dominus.*

Idem *serm.* 138. *& 139. de tempore* loquitur de mirabilibus magnæ hujus sollemnitatis.

Idem *serm.* 50. *de Resurrectione CHRISTI*, verba facit de fructu Dominicæ Resurrectionis.

Idem *in Psalm.* 7. docet, quandoquidem resurrecturi

sumus, mortem non esse nobis timendam; & quid nobis sperandum sit post hanc vitam.

Idem *in Psalm.* 88. ostendit nullum fidei nostræ Articulum tot habere oppositores, quot Resurrectionis Mysterium.

Idem *serm.* 163. *de tempore* ostendit Resurrectionem nobis esse lætitiæ argumentum.

Idem *serm.* 20. *de tempore*, ostendit Salvatorem mortuum fuisse, ut glorioſior resurgeret.

Idem *Epistola* 120. *ad Honoratum*, *cap.* 9. rationem reddit, cur Salvator confirmare voluerit fidem nostram per Mysterium Resurrectionis.

Idem *Epist.* 49. *ad Deo gratias*, ostendit facile esse Deo, resuscitare corpora nostra.

Idem *in Psalm.* 70. *serm.* 1. docet Resurrectionem auxisse, & extendisse gloriam Dei.

Idem *serm.* 34. *de Verbis Apostoli*: prolixo sermone narrat Resurrectionem nostram in sæculorum fine faciendam in iisdem corporibus, quæ animæ repetent.

Idem, vel alius Auctor *lib. de consolat. mortuorum cap.* 2. pluribus similitudinibus, & argumentis ostendit Resurrectionem esse possibilem.

Sanctus Hieronymus in hæc Jobi verba: *Credo, quod Redemptor meus vivit*; docet Fideles debere munire se his verbis contra terrores mortis, & consolari semet in laboribus suis.

Idem *in Epist. ad Pammachium* postquam pluribus Scripturarum testimoniis probavit Resurrectionem corporum, loquitur de Resurrectione Salvatoris, & adfert testimonium Isaiæ Prophetæ.

Idem *in Epistol. ad Edibiam* loquitur de gloria JESU CHRISTI resurgentis.

Idem, vel Auctor Epistolæ 61. prolixum habet sermonem, ubi probat Resurrectionem Salvatoris, & nostram.

Sanctus Gregorius in illa verba Job: *Credo, quod Redemptor meus vivit* &c. ostendit nobis credendam esse Resurrectionem; & rerum naturalium exemplis probat eam non esse impossibilem, *lib.* 14. *moral.*

Idem *tomo* 3. *Homil.* 21. & 22. de Mysterio Dominicæ Resurrectionis.

Sanctus Ambrosius *tomo* 5. *serm.* 55. De utilitate Resurrectionis Domini.

Idem librum edidit, cui titulus; De fide Resurrectionis, ubi respondet omnibus difficultatibus, quæ huic fidei nostræ articulo objiciuntur.

Tertullianus eximium elucubratus est librum de carnis Resurrectione.

Sanctus Cyprianus sermonem edidit de Resurrectione.

Sanctus Gregorius Nazianzenus loquitur de hoc Mysterio in Oratione 42.

Sanctus Gregorius Nyssenus habet Orationes quinque in Festum diem Paschæ, & subsequentes.

Sanctus Epiphanius Orationem habet hujus argumenti.

Eusebius Emissenus homilias 9. de Paschæ Celebritate.

Sanctus Leo duos sermones de Resurrectione.

Origenes *tomo tertio l.* 4. *in Epist. ad Roman.* explicat, quomodo JESUS CHRISTUS mortuus est pro justificatione nostra.

Cæsarius Arelatensis habet sex sermones de Solemnitate; & circumstantiis Paschatis.

Sanctus Anastasius Sinaita tractatum habet *de Resurrect.* ubi ostendit invictis argumentis, 1. Veritatem Resurrectionis Salvatoris; 2. Judæos hac in re lapsos esse in extremum nequitiæ, & cæcitatis; 3. Victoriam Salvatoris de Morte, atque Inferno relatam. *Tom.* 1. *Biblioth. Patrum lib.* 5.

Sanctus Chrysostomus *tom. de diversis novi Testamenti locis*, duas habet Homilias *de Resurrectione mortuorum*.

Idem *Homil. in Resurrect. ex variis in Joannem*, ostendit Resurrectionem regere mores nostros, & probare Dei providentiam.

Idem *in caput* 28. *S. Matthæi* probat Veritatem Resurrectionis JESU CHRISTI per præcautiones, quas adhibuerunt Judæi ponendi milites ad sepulcri ejusdem custodiam, ita ut nemini liceat ambigere de facto adeo insigni, & manifesto.

Sanctus Chrysologus, Sanctus Petrus Damiani, Sanctus Maximus, & omnes fere Patres Ecclesiæ locuti sunt de hoc argumento, & vel homilias, vel sermones scripserunt.

Sanctus Bernardus quatuor habet de hoc die festo sermones, in primo quæritur, quod post Salvatoris Resurrectionem, & spiritualem Resurrectionem de peccato ad gratiam, Christiani ad vetustos habitus redeant, ac scelera sua. In hoc sermone ostendit Dei Filium vicissim mortem primum quidem pro se, mox vero pro nobis.

Ivo Carnotensis, S. Laurentius Justiniani, Hugo, & Richardus de Sancto Victore habent sermones hujus argumenti.

Sanctus Zeno Veronensis novem habet sermones de festo die Paschæ.

Sanctus Thomas tres, præterea, quæ dixit in Summa.

Sanctus Bonaventura sex, Sanctus Bruno, & Gerson duos, & alii plures, quos recensere longum esset.

Catechismus Tridentini Concilii in quintum articuli Symbolum. Asceticis.

Granatensis in Memoriali *lib.* 6. & in Meditationibus.

Idem in tractatu de Oratione, & Consideratione, ubi fusius loquitur de hoc Mysterio, & generali Resurrectione.

Idem in Catechismo *tract.* 38. §. 4.

Moralis Christiana *in Pater lib.* 3. *sect.* 2. *artic.* 2. ubi sermo de Celebritate Paschali, & cur dies Sabbathi in diem Dominicum commutatus fuerit.

Pater Caussinus tract. 2. Aulæ Sanctæ de Resurrectione.

Hortus Pastorum in explicatione articuli: *Resurrexit a mortuis*.

Pater Valois in asceticis tria habet alloquia de Resurrectionis Mysterio.

Pater de Argentano Capuccinus in collationibus de Magnalibus JESU, Collatione 29. ubi fusius agit de triumphali Salvatoris Resurrectione.

Pater Nepveu tom. 2. Considerationum pro tribus Paschatis festivitatibus.

Pater Novet in homine Orationis parte 3. quæ tractat de gloriosa vita JESU CHRISTI, plures habet meditationes, & alloquia cum de Resurrectione Salvatoris, cum de generali mortuorum Resurrectione.

Idem in tom. 6. cui titulus; Continuatio Vitæ JESU cum hominibus conversantis, in recessu pro præparatione ad mortem, tertia meditatione pro 6. die, de Resurrectione Lazari, loquitur de Resurrectione spirituali.

Pater a Ponte in Meditationibus, & generatim illi omnes, qui ediderunt Meditationes de vita Domini nostri, & recessu octo, vel decem dierum.

Liber, cui titulus, Verus Spiritus, & Sanctus usus dierum Sollemnium anni totius; funditus loquitur de Festivitate Paschæ, & Salvatoris Resurrectione.

Prætereundus non est Suarez de Mysteriis, qui Theologice tractat quidquid ad hoc pertinet Mysterium. Concionatores Recentes.

Pauci sunt Concionatores, qui in omni idiomate non scripserint sermonem aliquem de Resurrectione, seu in Quadragesima, seu in Dominicali; quapropter arduum esset opus illos recensere; sed hi ferme sunt, in quibus plura ad hoc Mysterium spectantia adinveni.

Pater De Lingendes quatuor habet de hoc Mysterio sermones; in quorum primo ostendit Salvatoris Resurrectionem ita esse probatam, ut in dubium revocari non possit. In secundo adfert rationes, & opera divinæ Potentiæ, quæ nos disponunt ad credendam mortuorum Resurrectionem; & ostendunt non esse impossibilem. In tertio rationem reddit, cur voluerit Deus donare nobis probatiora, & clariora Dominicæ Resurrectionis argumenta, quam in ceteris fidei nostræ articulis. In quarto, qui est pro Dominica *in Albis* docet totam Christianam Religionem fidei Resurrectionis inniti.

Reina in sermone pro die Paschæ docet, Salvatorem abunde per Resurrectionem reparasse, quod amiserat in Passione; videlicet, gaudium, honorem, corporis formam, & vitam.

Matthias Faber novem habet sermones de Resurrectione, ubi agit de iis, quæ ad hoc pertinent Mysterium.

Molinier ostendit diei hujus festivitatem esse Festivitatem Festivitatum, & Mysterium, quod nobis proponitur esse Mysterium Mysteriorum; quia nihil est, quod magis Fidem nostram confirmet, quod certam faciat Spem, quod nostram inflammet Caritatem; quod nostras attollat cogitationes, quod nos tanta afficiat consolatione.

Biroat in tomo Mysteriorum sermonem habet hujus argumenti, quem ferme eumdem repetit in Quadragesima.

Idem pro feria 2. Paschæ, loquitur de spirituali animæ Resurrectione.

Pater Texier in Mysteriis, in Quadragesima, & in Dominicali sermonem habet de hoc die Festo.

Pater Duneau duos habet in Mysteriis, ac tertium in Dominicali.

Maimbourg in Quadragesima.

Fromentiere, Pater de la Colombiere, Pater Girouft, Pater le Jeune Sacerdos Oratorii, & generatim omnes illi, qui ediderunt sermones in Mysteria, & in Evangelia Quadragesimæ.

Abbas de Bourzeis in sermonibus de diversis Mysteriis, & Sanctorum Festivitatibus, quatuor habet sermones de Mysteriis, & in Quadragesimæ Evangelia.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, unum habet in Mysteriis, alterum in Quadragesima, tertium in Dominicali.

Pater de la Peſſe in tomo 6. sermonum, unum habet in Diem Festum hunc.

Abbas

Abbas de Nonmorel Homilias habet, & sermonem in diem hunc.

In specimine Sermonum pro Quadragesima, sex inveniuntur compendia sermonum in Festum diem Paschatis, & septimum in specimine pro Dominicis.

Qui collectaneas ediderunt.

Granatensis, *titulo Resurrectio*.
Labatha. *Titulo CHRISTI Resurrectio*.
Lhoner.
Summa Prædicantium.
Carthagenæ Homiliæ.
Raynerius de Pisis. *Titulo Resurrectio*.
Plures Interpretes in Evangelia.
Salmeron, Maldonatus, Sylveira, Barradius, &c.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, figuræ, & applicationes quorumdam locorum huic argumento.

NON *dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Psalm. 15.

Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Jobi 14.

Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Ibidem.

Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo. Ibidem.

Erit Sepulcrum ejus gloriosum. Isaiæ 2.

O mors ero mors tua. Osee 13.

Ossa arida, audite verbum Domini. Ecce ego intromittam spiritum in vos, & vivetis. Ezechielis 32.

Multi ex his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt in vitam æternam, & alii in opprobrium. Daniel. 12.

Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex Mundi defunctos nos in æterna vita Resurrectione suscitabit. 2. Mach. 7.

Nisi eos, qui ceciderunt, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Ibidem 12.

Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt. Matth. 27.

Cœpit JESUS ostendere Discipulis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati a senioribus, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere. Matthæi 15. & Lucæ 9.

Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Matth. 17.

Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Matthæi 20.

Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam. Idem cap. 27.

Cum Filius hominis e mortuis resurrexerit. Marc. 9.

Filius hominis occisus tertia die resurget. Ibid.

Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Idem 14.

Præcedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala, in Resurrectionem Judicii. Joann. 5.

Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis JESU CHRISTI. Act. 4.

CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur. Ad Roman. 6.

Ut quomodo CHRISTUS surrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Ad Roman. 6.

Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum Sanctificationis ex Resurrectione mortuorum JESU CHRISTI. Ad Roman. 1.

Qui suscitavit JESUM a mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra. Ad Roman. 8.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. 1. ad Corinth. 15.

CHRISTUS resurrexit a mortuis primitiæ dormientium. Ibidem.

Per hominem mors, & per hominem Resurrectio mortuorum. Ibidem.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes vivificabuntur. Ibidem.

Absorpta est mors in victoria. Ibidem.

Si CHRISTUS prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam Resurrectio mortuorum non est. Ibidem.

Si in hac vita tantum in CHRISTO sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Ibidem.

Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Ibidem.

Si mortui non resurgunt, neque CHRISTUS resurrexit. Ibidem.

JESUS CHRISTUS, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Ad Rom. 9.

In hoc CHRISTUS mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur. Ad Rom. 14.

Si CHRISTUS crucifixis est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. 2. Ad Corinth. 13.

Si consurrexistis cum CHRISTO, quæ sursum sunt quærite, ubi CHRISTUS est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ad Colossenses 3.

Si CHRISTUS non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris. 1. Ad Corinth. 15.

Cum CHRISTUS apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Ad Colos. 3.

Expectamus Salvatorem Dominum nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Ad Philip. 3.

CHRISTUS qui est in dextera Dei deglutiens mortem. 1. Petri 3.

Si commortui sumus (CHRISTO), & convivemus. 2. Ad Timoth. 2.

Benedictus Deus, qui secundum misericordiam suam, regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis. 1. Petri cap. 1.

Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam. Joann. 10.

Ego sum vivus, & fui mortuus; & habeo claves mortis, & inferni. Apoc. 1.

Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Ad Rom. cap. 10.

Exempla, figuræ, & testimonia utriusque Testamenti.

PAschæ nomen significat transitum, ut Deus illud imponit præcipuæ Israelitarum festivitati. Hac autem celebrabant transitum Angeli exterminatoris, qui nocte, quæ præcessit exitum eorum de Ægypto, transit per domos Israelitarum, & Ægyptiorum, sed non sine magno inter utrosque discrimine; namque nil damni inferebat domibus Israelitarum, quorum postes videbat imbutos Sanguine Agni, quem Deus superioris diei vespere mactari jusserat: in domibus vero Ægyptiorum in quavis familia occidebat primogenita; quod coegit, ut Rex illorum Pharao Israelitis abeundi faceret facultatem. *Hic* Agnus vocatus fuit *Agnus Paschalis, vel simpliciter Pascha*. Judæi ut memoriam *hujus rei* instaurarent, quotannis immolabant Agnum in Paschatis sollemnitate; mox comedebant *illum*, & hoc ab illis facere, vel manducare Pascha appellabatur. Hæc erat figura JESU CHRISTI, qui erat sacrificandus, ut nos salvos faceret; & hac de caussa a S. Joanne vocatur: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi*, & a Sancto Paulo, *Pascha nostrum*. Tempus ergo veri Paschæ nostri, erat tempus mortis, & Resurrectionis Domini. Dies mortis ejus ille fuit, quo Judæi Pascha suum celebrabant, instaurantes memoriam, & cæremoniam Agni, quem immolaverant, cum egressi sunt de Ægypto; & dies Resurrectionis ejus respondebat diei transitus Maris rubri, cum populus Israel omnino liberatus fuit de servitute Ægyptiorum illos persequentium. Hodierna die Ecclesiæ consuetudo nomen, & Paschæ sollemnitatem adjecit ad transitum, quem fecit JESUS CHRISTUS de morte ad vitam gloriosam per Resurrectionem; hoc enim Pascha supponit primum, & præterea complectitur fructum pretiosum gloriæ, qui ejusdem esse debet merces, & finis: ita hæc dies semper fuit tamquam centrum festivitatum omnium Christianæ Religionis, cui Ecclesia adjecit sollemnia, & maxima munera, illum per antonomasiam appellans, *diem, quam fecit Dominus*, vel simpliciter *Domini diem*.

Figura Agni Paschalis, transitus maris rubri, & origo Paschæ apud Judæos.

Joann. 1.

Sanctus vir Job, quem illustre genus constituerat inter Principes Orientis: *Magnus inter omnes Orientales*, postquam diu gavisus est opum, honorumque affluentia, cum numerum insignem haberet servorum, magnam in mundo nominis celebritatem, amicos plurimos, atque ut omnia verbo complectar, omne genus felicitatum, in extremam lapsus est calamitatem. Omnia illius pecora a latronibus abacta fuerunt, vel igne cælesti percussa; domus eversæ procellis; filii domorum obruti ruina; & quasi hæc omnia parum essent, ipse etiam traditus fuit in potestatem Sathanæ, ut ulcere universali a planta pedis ad verticem capitis sævis doloribus torqueretur, & caro ipsa vermibus undequaque scateret. In hoc deplorabili statu, ab amicis derelictus, ab ipsa etiam conjuge exagitatus, ac tandem ad sterquilinium redactus, non aliam habebat suppellectilem, nisi testam, qua abraderet saniem ex ulceribus effluentem. Quæ calamitatum congeries! Tamen tot inter mala Job voti sui compos est, benedicit Deo, & per patientiam suam triumphat de crudelitate Sathanæ, quin addat verbum unicum contra reverentiam, & Deo debitam submissionem. Sed undenam in illo oritur hæc firmitas, ac fortitudo magis inconcussa, quam rupes? Quia *scio*, inquit ille, *quod Redemptor meus vivit*; & tempus erit, quo ad ejus exemplum, & propter Virtutem ejus resurgam, & circumdabor pelle mea,

S. Job prædicit J. C. Resurrectionem, non secus, ac illam omnium hominum, & inter mala sua consolatur spe futuræ suæ consolationis.

mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Spes hæc me consolatur: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*; Viventem hanc servo fidem; gesto spem hanc in secreto cordis mei; hoc me interiori cumulat gaudio, donec extrinsecis calamitatibus obruor.

Moyses propter spem Resurrectionis contempsit sæculi delicias.

Sanctus Paulus in Epistola ad Hebræos proponit nobis Moysis exemplum, qui propter mercedem, quam expectabat post Resurrectionem, contempsit honores, & delicias, quibus poterat perfrui in Pharaonis aula, ubi habebatur tamquam proximus hæres imperii, quandoquidem adoptatus fuerat ab unica Regis Filia, quæ filios non pepererat. Sed postquam ad hunc honorem sublatus fuit, atque adolevit, significavit illi Deus, ipsum non esse Pharaonis Nepotem, sed originem duxisse ex eorum uno, qui sub non ferendæ servitutis jugo gemebant. Quod ubi cognovit Moyses, statim generose professus est, se non esse Filium Thermutis Filiæ Pharaonis, *magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Quæ constantia fuit præferre servitutem, & squalorem Coronæ, & Regno? Sed videte quidnam ipsi animos adderet: *Aspiciebat enim in remunerationem*, inquit Apostolus: cumque nullam posset in hac vita sperare, ubi mallebat sustinere opprobria pro JESU CHRISTO, quam honoribus, opibusque affluere, non aliam sperare poterat remunerationem nisi in altera vita, & post Resurrectionem.

Diversæ figuræ veteris testamenti ad significandum, quo pacto Dei Filius gloriosus erasurit e sepulcro.

Gloria divinitatis Salvatoris, quæ in Passione illius delituerat, cœpit enitescere cum ille miraculose de sepulcro egressus est. Inde egreditur in æternum, quia in æternum addit possessionem Regni sui, sessurus in Solio Patris æterni. Inde egreditur sicut Joseph exiit de carcere imperaturus in Ægypto, & facturus fratres suos, a quibus venditus fuerat, participes suæ felicitatis, & gloriæ. Inde egreditur sicut Moyses egressus est de Nilo, futurus aliquando Deus Pharaonis, & illum submersurus cum omnibus copiis suis in Mari rubro. Inde egreditur sicuti Daniel de lacu Leonum, ut attollatur super caput invidentium sibi, qui in illius interitum conjuraverant. Egreditur tamquam Jonas de ventre ceti, ut Ninivitas convertat. Egreditur tamquam Samson de urbe Gaza, ubi captivus erat, auferens portas civitatis, easque veluti in triumphum deferens in Montem. Egreditur victor de Inferno, & peecato, & postquam confregit omnia mortis vincula, ut Sanctus Leo inquit, mutat infirmitatem suam, in potentiam & robur; mortalitatem corporis in æternitatem, & suæ passionis opprobria, in gloriam, & honorem.

Spes Resurrectionis erat cõsolatio Sanctorum in veteri Testamento, Job 19.

Resurgemus; hæc erat veterum Patriarcharum, aliorumque Legis antiquæ Sanctorum consolatio. Hoc erat solatium Job: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Hæc quoque erat Machabæorum consolatio, quos Rex Antiochus sævissimis jubebat cruciatibus torqueri, ut illos a Patrum suorum fide revelleret: nam secundus ex illis, cum esset morti proximus, dixit Tyranno: tu nos in præsenti quidem vita destruis, sed Universorum Dominus suscitabit nos in vitam æternam, si mortui fuerimus propter legum nostrarum observantiam. Tertius linguam, manusque suas proferens præcidendas admirabili confidentia dixit, membra hæc cæli munere accepi, sed nullo hæc habeo in discrimine, dummodo servem Legem Dei, spem fovens futurum, ut aliquando mihi restituantur. Quartus antequam spiritum efflaret ad Tyrannum conversus, ait: utile nobis est hominum manu enecari; & collocare spem nostram in Deo, qui nos suscitabit. Hæc erat etiam consolatio Sanctorum Martyrum novæ Legis, qui adeo generose objiciebant vitam suam, scientes ne capillum quidem capitis sui prolapsurum, qui sibi reddendus non esset in die judicii: hæc tandem esse debet justorum omnium consolatio inter labores, & cruciatus vitæ hujus; lacrymas suas convertendas esse sibi in gaudia, pœnas in delicias, probrum in gloriam, mortemque in vitam æternam.

Triplex resurrectio, de qua in Scripturis est sermo.

Triplex invenitur Resurrectionis genus in Scripturis; Prima illa est Samuelis, altera Lazari, tertia JESU CHRISTI. Prima Samuelis non fuit Resurrectio vera, sed in speciem tantum; non fuit illud verum Prophetæ hujus corpus, quod apparuit Sauli, sed corporis figura: secunda Lazari Resurrectio vera fuit; sed præterquamquod eamdem recepit vitam, quam habebat antea, eam recepit tamen sub hac conditione iterum se esse moriturum; sed Salvatoris Resurrectio vera est, gloriosa, & immortalis; ex quo sequitur, ut fiat applicatio ad Spiritualem animarum nostrarum Resurrectionem; nobis resurgendum esse vere, ut dicit Sanctus Paulus, non autem in speciem; opus esse, ut Resurrectio nostra non sit mortis phantasma, & illusio gratiæ.

J. C. in Evangelio semper indigitavit suã Resurrectione.

Quotiescumque Judæi a JESU CHRISTO signum aliquod sciscitati sunt, ex quo intelligerent, ipsum talem esse, qualem se ferebat, promisit illis Signum, quod non expectabant, & quod nonnisi ab homine Deo poterat proficisci: *Generatio ista prava, & adultera Signum quærit, & Signum non dabitur ei, nisi Signum Jonæ Prophetæ*. Quodnam ergo hoc Signum est Jonæ? Hoc est; sicuti Propheta hic tres dies, totidemque noctes fuit in ventre ceti; ita Filium hominis in sepulcro triduo mansurum, & mox resurrecturum; Domine, alii Prophetæ mortuos suscitarunt, & nonne tu ipse plures suscitasti: Verum est; sed longe aliud est alios, & seipsum resuscitare: non visus est unquam, neque videbitur aliquis seipsum suscitare, præter me; & per hoc Resurrectionis meæ signum cogere omnes volo, ut credant in me: Hoc ipsum, sed aliis verbis, respondit illis, qui ex eo quæsiverunt quanam auctoritate imperaret in Templo, & inde extruderet ementes, atque vendentes: *Quod signum nobis ostendis, quia hæc facis. Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: ubi intelligebat, inquit Evangelista, se loqui velle de Templo Corporis sui, quod Judæi erant dissoluturi; & quod ipse triduo erat excitaturus. Joann. 2.

Quid acciderit S. Paulo prædicanti mortuorũ resurrectionem in Areopago Athenarum.

Cum Sanctus Paulus Athenis in Areopago sermonem habere cœpit de mortuorum Resurrectione, totus confessus consurrexit, & plures tamquam fabulam, & commentum irriserunt, quod sibi tamquam Veritas nunciabatur. Sed illi Sapientes erant Ethnici, Mundi Sapientes; & fallax eorum Sapientia in hunc allisit scopulum, eorumque lumina nimis erant brevia, ut assequerentur punctum, in quo nihil tamen occurrit, & nihil videri potest, quod ipsis etiam rationis humanæ principiis adversetur. Nos, Christiani, Fide illustrati hoc credimus, & de JESU CHRISTI Divinitate per Resurrectionem illius certiores facti, non alia fidei nostræ quærimus argumenta, quam certitudinem quam ille ipse per se, & per suos Apostolos præbuit.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

Sepulcrum Salvatoris illius gloriam, aliorum vero eorum parit humiliationem.

Erit Sepulcrum ejus glorioſum. Isaiæ 2. Nonne fatendum est Prophetam jure dixisse, Sepulcrum Filii Dei fuisse glorioſum, quoniam fuit theatrum glorioſæ illius Resurrectioni, trophæum vitæ huic victrici, atque triumphanti? Ibi resumit vitam, quam habebat antea, sed vitam immortalem, atque glorioſam; & sane Salvator gradum facit a cumulo suarum humiliationum ad nitidissimi triumphi gloriam. Hoc ipsum de nobis dici nequit, Christiani, quid enim in nostro invenimus Sepulcro? Quacumque gloria tumulum vestrum condecoretis per aliquorum Epitaphiorum vanitatem, nihil ibi invenietis nisi confusionem, humiliationem, & mortem. Potentes sæculi! Sepulcrum vestrum intuemini; hic solus est Præco, qui sine assentatione vos celebrat. Congeries hæc dignitatum, honorum, ac divitiarum, nonnisi ad pulveris pugillum redigetur. Dives hujus Mundi, tunc corpus tuum exutum dignitatibus, & luce, qua circumfulget, confusum in turba, & cinere mortalium infimæ conditionis in putredinem redigetur, & fœtorem eo minus ferendum, quo mollius illud excepisti. Heu! si liceret movere cineres corporum, quæ olim forma egregia commendabantur; eorum Sepulcra non aliud essent quam acervus omnium turpitudinum, omniumque mundi miseriarum. Frustra verba illa tumulis insculpta; *Hic jacet*, vertimus: Hic quieſcit nobilis, & potens Dominus; dives, & potens matrona: dicamus potius: hic dejectus jacet homo: hic, qui olim fuit potens in mundo: hic exinanitus est honorum fastus; hic evanuit somnus divitiarum, hic desierunt voluptates, magna, & glorioſa facinora; hic eorum exitus, & finis; nihil procedit: & omnia, quæ palpant terræ principes, illos usque ad tumulum non sequentur.

Idem argumentum.

Erit Sepulcrum ejus glorioſum. Isaiæ 2. Isaias Propheta, qui in spiritu viderat illustrem victoriam, quam Dei Filius retulit de morte, & inferno, glorioſum appellat Sepulcrum illius: *Erit Sepulcrum ejus glorioſum*. Profecto alia celebrantur propter personas, quas continent, & quas nemo auderet ostentare quin eorum probrum detegeret; sed tuum Salvator, omnium glorioſum est, quia intus nihil invenitur. In aliis magnifica insculpuntur Epitaphia: *Hic jacet*, hic sepultus est, & deinde magnifica inscribuntur elogia, quasi ad mortem ultro lacessendam, non sine quadam specie vanitatis, quæ ferre non potest hunc statum humiliationis; sed in hoc satis est duo illa ex Evangelio verba inscribere: *Surrexit, non est hic*. En privilegium, quod habet super omnia Sepulcra, videlicet transitum fuisse ad immortalitatem; ita ut Dei Filius non sit ultra vir dolorum, & expertus sciat humanæ imbecillitatis infirmitates, ut loquitur

Pro-

Isaiæ 53. **Propheta** : *Virum dolorum , & scientem infirmitatem .* Vivens, & glorioſus egreditur de tumulo, ne moriatur ultra, & ne unquam hanc gloriam amittat.

Sepulcrum Salvatoris gloriosum factum est, quia ejus Corpus plenum vita inde resurrexit.

Surrexit non eſt hic . Marci 16. Hæc verba dixerunt Angeli piis mulieribus , quæ venerant ad quærendum JESUM CHRISTUM in Sepulcro : Surrexit , non eſt hic. Hic eſt locus ubi poſuerunt eum; quaſi diceret : ſi merus fuiſſet homo , illum inveniretis in hoc loco , ubi poſitus fuit poſt mortem ; ſed quia ſimul erat & Deus , & homo , egreſſus eſt ex tumulo ſuo , ac recentem vitam recepit : *Surrexit non eſt hic .* Relinquamus hac ſancta die tumulum peccatorum noſtrorum , ut poſſit de noſtrum ſingulis vere dici : *Surrexit non eſt hic .* Non eſt amplius in hac ſocietate, ubi triumphat impietas ; non frequentat amplius hanc domum, ubi regnat detractio; non inviſit illam , cujus vitæ ratio ſuſpicione nequaquam vacabat : *Surrexit non eſt hic.*

Resurrectio J. C. fuit altera nativitas per quam Pater Æternus illum fatetur Filium suum.

Filius meus es tu , ego hodie genui te . Pſalm. 2. Sanctus Ambroſius introducit Patrem Æternum, qui juxta mentem Sancti Pauli in Actis Apoſtolorum loquens de Filii ſui Reſurrectione : *Reſuſcitans JESUM , ſicut ſcriptum eſt : Filius meus es tu , ego hodie genui te ;* dixit illi : hodie oſtendis in glorioſa Reſurrectione tua , & ad evidentiam probas te eſſe Filium meum, & meæ divinitatis participem : *Pulcra Pater dicit ad Filium : ego hodie genui te ; hoc eſt , nunc meum te probaſti Filium* , quaſi diceret, Fili mi, ſecunda nativitas ſua ſuper terram , longe differt ab æterna tua nativitate, per quam tibi communico magnitudinem, potentiam, & gloriam meam, tibi participans meam divinitatem ; in ſecunda hac nativitate , quam comitatur paupertas ; atque humilitas , & quam ſequuntur labores vitæ mortalis , & cui terminum impoſiturus eſt finis plenus ignominiæ : oſtendiſti te vere hominis eſſe Filium ; ſed hodierna die in hac tertia nativitate , quam invenis in ſinu ſepulcri tui , ex quo emergis immortalis, potens, & glorioſus, oſtendis te meum eſſe Filium , & meæ divinitatis participem . *Nunc meum probaſti te eſſe filium; ego hodie genui te .*

Ad Hebr. 5.

Lætitiæ argumenta , quæ omnis natura præſetulit in Salvatoris Resurrectione, In Missa.

Hæc dies quam fecit Dominus . Pſalm. 117. Ecce Chriſtiana ſodalitas, juſtum, ſolidumque lætitiæ fundamentum , quod præſefert Eccleſia , feliciſſimo hoc die . Dei Filius reſurrexit , & cum eo omnis ſpes noſtra . Hæc cogitatio occupare debet mentes noſtras , & replere corda noſtra conſolatione propter ſpem aliquando nos futuros eſſe participes, gloriæ , & beatitudinis ſuæ , ut canit Eccleſia : *CHRISTUS reſurrexit ſpes mea* . Et ſane cum natura tota præbuerat ſui doloris monumenta in morte Creatoris ſui, præbet etiam teſtimonia lætitiæ ſuæ ad intuitum triumphantis Reſurrectionis . Terra aperit ſepulcra ſua ; & infernus portas ſuas , libertatem conceſſurus animabus antiquorum Patriarcharum exſpectantium felix hoc monumentum tot ante hanc diem ſæculis ; & dubitandum non eſt quominus Cælum univerſum perſonuerit his Evangelicis verbis : *Surrexit , non eſt hic.* Surrexit tandem aliquando hic Rex gloriæ , hic Omnipotens Deus , hic Supremus vitæ , ac mortis arbiter . O adſpectus conſolatione cumulatiſſimus ! Reſurrectio glorioſa ! quem uberem conſolationis campum non aperis nobis? *Hæc dies , quam fecit Dominus : exultemus , & lætemur in ea.*

Cur dies, qua Salvator surrexit, vocetur dies Domini.

Hæc dies , quam fecit Dominus , &c. Dies , quem Sol metitur , jure eſt dies Domini ; quoniam Dominus fecit illum creans lucem ; ita inquit Scriptura : *tuus eſt dies*, ſed ubi conſideramus, quod hunc diem nox excipit, quod inæqualis eſt, & tot mutationibus obnoxius ; hic non eſt amplius antonomaſtice dies Domini . Dies Sabbathi jure eſt dies Domini, quoniam ipſe illum inſtituit , ut coleretur quietis ſuæ dies; & in lege veteri ſeveriſſimis animadvertebat ſuppliciis in illius violatores : ſed dici hujus ſollemnitas prorſus erat carnalis , ſervilis , & repræſentans aliud Sabbathum , quod proprium eſt Chriſtianorum. Dies, de quo loquitur David ad litteram in Pſalmo 117. erat dies quietis, quam Deus illi conceſſerat poſt tot bella contra tot hoſtes debellatos : ſed requies illa erat pro uno tantum Judææ Rege , & victoriæ illæ non erant niſi ſpecimen quoddam poteſtatis illius , coram quo omnes homines non ſunt , niſi cinis , & pulvis. Magna Judicii dies peculiariter dies Domini vocatur , ſed terribilis . *Magnus dies Domini*, Joel inquit , *& terribilis valde* ; & quis illum cogitare poteſt, quin contremiſcat : *Et quis ſuſtinebit eum?* Igitur dies Reſurrectionis , dies eſt Domini , de qua dici poteſt , dies , quam fecit Dominus , & quæ nobis lætandi præbet occaſionem . Hæc dies eſt ſine nocte , cujus ſerenitas nulla nube turbatur. Dies eſt ſibi conformis , ac tota cultui , & ſervituti ejus dicata.

Joel. cap. 2.

Non minus nobis lætandum est propter Salvatoris Resurrectionem, quam propter illius Nativitatem.

Evangelizo vobis gaudium magnum , quod erit omni populo , quia natus eſt vobis hodie Salvator . Luc. 2. Si ea nocte qua Salvator natus eſt , Angelus dixit Paſtoribus , ſe illis magnum evangelizare gaudium, videlicet Salvatoris Nativitatem : profecto potior nunc adeſt lætandi cauſſa , cum ſurrexerit poſtquam ſalvos fecit homines morte ſua : tandem enim ſi ſola ſpes ſalutis tantum erat gaudii argumentum , quanto major nobis lætandi ſuppetit cauſſa propter ipſam ſalutem ? Hodie promiſſiones complentur, & figuræ migrant in veritatem ; quoniam hæc arca Sanctæ humanitatis Salvatoris poſtquam veluti ſubmerſa fuit in Sanguinis ſui cataclyſmo, tandem feliciter in portum immortalitatis pervenit ; novus hic Jonas egreditur de ventre ceti ; Myſticum hoc Salomonis Templum dirutum , & rabie Judæorum everſum tertia die magnificentius , quam antea reſtitutum eſt : hic Sol , qui Ecclypſim paſſus eſt triduo inter umbras mortis , efficit , ut ſecum tota natura reviviſcat . JESU CHRISTI Reſurrectio nobis eſt igitur peculiaris lætitiæ cauſſa, quandoquidem illam ſpectare debemus tamquam fidei noſtræ confirmationem , & certum pignus ſpei noſtræ.

Salvatoris Resurrectio fuit illi velut secunda Nativitas.

Filius meus es tu , ego hodie genui te . Actor. 13. Apoſtolus hunc profert locum Regii Prophetæ , eumque applicat Salvatoris Reſurrectioni . Quid hoc ſibi vult , Chriſtiani ? Et de qua die Sanctus Paulus loquebatur ? Si de illa , qua JESUS CHRISTUS tamquam Dei Filius , & Verbum Incarnatum a Patre genitus fuit , cur illam applicabat Myſterio Reſurrectionis ? ſin autem diem intelligebat , quo JESUS CHRISTUS tamquam Deus homo ſecundum carnem reſurrexit , cur meminit æternæ ejuſdem Generationis ? *Reſuſcitans JESUM , ſicut ſcriptum eſt , ego hodie genui te .* Quæ inter utramque ratio ? Admirabilis ſane , Sanctus Ambroſius ait , & nunquam Apoſtolus magis appoſite locutus eſt . Cur ? Quia reipſa JESU CHRISTI Reſurrectio fuit illi ſecunda Nativitas, ſed priori felicior, atque glorioſior ; quia naſcens , ut ita dicam , de Sepulcro , palam oſtendit in Perſona ſua hunc characterem filii Dei , quo erat præditus , ideoque Pater Æternus illum ſingulariter recognovit in hoc Myſterio , & dixit illi in peculiari ſenſu verba hæc : *Filius meus es tu , ego hodie genui te* . Utique Fili mi , hac die iterum genui te , ſed eo modo , qui par eſt Magnitudini originis tuæ , & reſpondet Veritati divinæ hujus eſſentiæ , quam a me recepiſti : *Filius meus es tu , ideſt meum hodie te probaſti Filium.* Sanctus Ambroſius ait ; quaſi diceret , donec in terra fuiſti , quamvis proculdubio eſſes Dei Filius , habitus tamen fuiſti tamquam filius hominis ; modo vero de morte triumphans , & ad gloriæ vitam regeneratus perhibes tibi probatiſſimum teſtimonium divinitatis in te permanentis, ut in dubium revocari minime poſſit.

Dei Filius surrexit de Sepulcro , quin alicujus ope indigeret.

Factus ſum ſicut homo ſine adjutorio inter mortuos liber . Pſalm. 87. Hoc inquit Propheta loquens in perſona Salvatoris reſurgentis . Poſitus ſum in numero mortuorum , & creditum fuit , mihi morienti , non aliam futuram eſſe ſortem , niſi quæ ceterorum communis eſt ; ſed inter illos & me duplex interfuit diſcrimen ; alterum quidem quod ego inter mortuos eram liber : *inter mortuos liber ;* atque tunc inter mortuos nullius ope indigerem : *ſicut homo ſine adjutorio .* Quod ſignificat JESUM CHRISTUM ingreſſum fuiſſe in regnum mortis non tamquam captivum , ſed tamquam victorem , non tamquam ſubditum legibus ejus , ſed tamquam perfecta libertate gaudentem : *inter mortuos liber* . Ita ut e ſepulcro egreſſus per viam Reſurrectionis , nullius opera indiguerit ; nullius Prophetæ , qui pro ſe loqueretur , vel qui eum juberet reſurgere , vel qui vi illum educeret de ſepulcro : quia cum Deus eſſet , nonniſi omnipotenti Virtute ſua indigebat . Verba, quæ Sanctus Hieronymus addit, a Spiritu Sancto dictata fuiſſe videntur, ad exornandum epitaphium JESU CHRISTI , qui erat reſurrecturus.

Omnes fideles lætari debent ob Salvatoris Resurrectione.

Surrexit non eſt hic . Marci 16. Deterge Magdalena lacrymas , quas ſuper Salvatoris tumulum effundis : *Surrexit non eſt hic ;* Nequaquam illum quæras inter mortuos. Nequaquam invenies illum inter opprobria , contemptus , atque cruciatus ; *non eſt hic ;* nequaquam invenies illum ante Judicum tribunal, in Prætorio , ad Columnam , in Cruce : *Surrexit , non eſt hic ;* Diſcipuli cariſſimi, quinam ſunt triſtes iſti Sermones, quos confertis ad invicem ; & eſtis merentes ? *Nos autem ſperabamus , quia ipſe redempturus eſſet Iſrael ;* gaudete igitur , ſpes veſtræ adimpletæ ſunt : *Surrexit CHRISTUS ſpes noſtra* . JESUS CHRISTUS ſurrexit , & cum illo omnia noſtra gaudia , & omnes ſpes noſtræ revixerunt . Virgo Sancta , ſurrexit Filius tuus ; illum non amittes ultra . Tu illi mortalem dediſti vitam , ſed ſurrexit immortalis ; mors nullum ultra habet imperium in illum : *CHRISTUS reſurgens ex mortuis , jam non moritur* . Animæ Chriſtianæ ! Ecce argumentum , cui vacare debetis hodierna die ad exemplum primorum Fidelium, qui ſancto hoc tempore inchoabant viſitationes, & colloquia ſua ex his lætitiæ , & gratulationis verbis . *JESUS CHRISTUS ſurrexit vere .*

Lucæ 24.

Ad Roman. 6.

Ecce

Applicatio visionis Ezechielis ad Christianos resurgentes ad gratiæ vitam in Pascha perculsi morte Salvatoris, sed qui statim redeunt ad culpam.

Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris. Ezechiel. 37. Cum Ezechiel Prophetaret in agro, & Spiritus Domini flaret a quatuor mundi plagis, Israelitæ mortui omnes surrexerunt de sepulcris suis, & visa sunt eorum ossa prodire de tumulis suis, committi in junctura suas, nervis vinciri, venis, atque arteriis tegi, carne indui, & florentem exercitum componere. Sed admirabile hoc spectaculum celerrime evanuit, & sceleti iterum, ut antea in terram reversi sunt, atque in sepulcra sua redierunt: ita dum mundi Salvator moritur in Cruce, & divinus-Spiritus ejus fluit in omnia Ecclesiæ suæ membra, Peccatores emergunt ex tumulo scelerum suorum, abstinent aliquot dies a pravis consuetudinibus; libidinum loci clauduntur, de ultione verba conticescunt; Ecclesia per admirabilem mutationem formidabilis videtur dæmoniis tamquam exercitus in aciem ordinatus; sed paullo post mortui isti, qui resurrexerant, recidunt in consueta flagitia, amittunt vitam, quam per JESU CHRISTI passionem receperant & redeunt ad flagitiosam licentiam, quam sancte fuerant execrati.

Caritas & amor J. C. secundum Apostolum esse debet fructus & Resurrectio Salvatoris.

CHRISTUS JESUS, qui mortuus est, immo, qui & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis, quis ergo nos separabit a caritate CHRISTI? Ad Roman. 8. Hæc est consolatio, & fructus, quem magnus Apostolus percipit ex Salvatoris Resurrectione. JESUS mortuus est pro me, resurrexit, & sedet ad dexteram Patris, hic intercedit pro me, quis ergo potest me ab illius amore separare? *Tribulatio?* cum Salvator sit fons beatitudinis meæ, ego si volo, miser non esse possum. *An Angustia?* Num tædium, & difficultas, quæ consiliis meis adversatur? Salvator meus est omnipotens, & ignis amoris sui, qui dilatat cor meum, nullum non nanciscitur obicem, quem non evertat? *An fames?* recepi panem vitæ, qui est cibus animæ meæ. *An nuditas?* Gratia Salvatoris mei, qua indutus sum, nonnisi per ignaviam meam mihi eripi potest. *An periculum?* quid reformidem? Quandoquidem JESUS CHRISTUS est protector meus, & me suo fulcit præsidio? *An persecutio?* hæc est occasio *felicitatis* meæ, gloriæque meæ principium. *An gladius* tyrannorum? hic potest quidem animam divellere a corpore, animæ tamen vitam eripere non potest. Verum est crucem, passiones, persecutiones, mortem, esse partem Fidelium, qui virtutem profitentur: Sed amor JESU CHRISTI efficit nos de hisce omnibus malis victores; sed o Apostole quotusquisque ex Fidelibus est, qui sensus adeo generosos valeat fovere? *Ex Patre Novet in tertia parte Hominis Orationis.*

Cavendum est ne peccati morte moriamur postquam ad gratiæ vitam resurreximus.

CHRISTUS resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi non dominabitur. Ad Roman. 6. Cum JESUS CHRISTUS resurrexerit ex mortuis, non est ultra morti obnoxius: mors nullum habebit amplius in illum imperium. Semel tantum pro peccato mortuus est; sed modo vivens, vivit Deo. Ita existimate, inquit Apostolus, vos esse mortuos peccato, & vobis Deo esse vivendum; sed nolite mutare diem Resurrectionis in diem mortis; ne amittatis vitam animæ, quæ vobis reddita fuit; ne relabamini in vitia, quæ lacrymis pœnitentiæ eluistis. O nos miseros! Sanctus Bernardus ait. Resurrectio Salvatoris facta est tempus peccati, & terminus iteratorum scelerum; quasi resurrexisset, ut scelera reviviscerent, non autem ut refloresceret innocentia. *Sic honoratis miseri CHRISTUM, quem suscepistis*, laudatus Pater exclamat, hanc vivendi rationem indignatus; ita miseri CHRISTUM colitis, postquam illum recepistis? Mansionem illi præparastis venturo in vos, cum dolore confitentes peccata vestra, eaque execrantes; & statim ac illum recepistis, vosmet traditis inimicis illius? & illum egredi cogitis resumentes habitus vestros? Num Resurrectionis ejus tempus minus, quam passionis ipsius postulat obsequium? Majorem ne vobis permittit peccandi licentiam, an minorem vobis injicit bene agendi necessitatem? immo e contra cogit, ut nobismet diligentius caveamus, & impensius invigilemus omnibus motibus animæ nostræ, & bona opera accuratius, atque ferventius exerceamus.

Credi non debet peccator vere surrexisse, nisi hoc opera ejus testantur.

Nisi videro, non credam. Joann. 20. Reprehensibilis, ac reprobanda erat in Sancto Thoma infidelitas, asserere, & profiteri, se non esse crediturum, nisi id propriis usurpasset oculis; sed prudentiæ interest Christianæ, dicere, nos nequaquam credituros spiritualem peccatorum Resurrectionem, nisi viderimus signa in manibus, pedibus, & corde illorum; videlicet liberalitatem eleemosynarum pro avaritia, fervorem pro ignavia, amorem Dei pro creatarum rerum amore. In Scripturis triplex nanciscimur genus Resurrectionis; alia apparens est Resurrectio, qualis fuit Samuelis ad Saulem; nam plerique Doctores credunt animam Samuel nequaquam recepisse corpus suum. Sunt Resurrectiones quædam ad tempus, ut quæ contigit Lazaro, qui resurrexit iterum moriturus; fuit tandem JESU CHRISTI Resurrectio, quæ vera est, & in omnem æternitatem. *CHRISTUS resurgens jam non moritur.*

Quomodo J. C. esset liber inter mortuos.

Inter mortuos liber. Psalm. 87. Uni JESU CHRISTO quadrant hæc Davidis verba: *liber inter mortuos*, quod tribus modis potest intelligi; 1. Solus liber est in mortis imperio per effectum suæ libertatis, quia non mortuus est nisi cum voluit; quia hic unus dicere potest: *Ego ponam animam meam, ut iterum sumam eam, & nemo tollit eam a me*, nisi ipse consenserim. Ita JESUS CHRISTUS taliter liber est, & immunis a mortis tyrannide: ut illa eo invito nihil audeat. 2. *Inter mortuos liber*, quia ipse unus ingreditur in mortis imperium quatenus Dominus, & Victor ad auferendam ipsi morti potestatem. 3. JESUS CHRISTUS solus est inter mortuos liber, quia ingressus est in dominium suum eodem modo quo Victor ingreditur in arcem, & ubi vult inde egreditur. *Domini est exitus mortis*, Regius inquit Propheta; sed antequam inde egrediatur, mortem spoliat, eique omnes aufert opes: videlicet captivos suos: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt.*

Joann. 10.

Psalm. 87.

Psalm. 67.

Matth. 27.

In novitate vitæ ambulemus. Ad Romanos 6. Apostolus pro nostræ Resurrectionis argumento, petit, ut novam vitam ducamus; vita ex operibus cognoscitur; opus est ergo, ut vita nova novas habeat operationes. Christianus resuscitatus non vivit amplius, ut vivebat: habet oculos novos, non videt amplius mundum, ut ante; videt illum melius, & alio modo; nova ibi detegit objecta; cor habet novum, linguam novam: *In novitate vitæ*. Hoc ipsum spiritaliter faciamus in gratia: novos aperiamus oculos ne dicamur nos mundum respicere, uti olim respiciebamus. Nobis non habenda sunt amplius eadem studia, eædem, quæ olim, vanitates. Habeamus oculos glorioſos, cor novum habeamus, relinquamus habitus nostros, & noxias cupiditates, & vita nostra abscondita sit in Salvatoris Resurrectione: *Vita vestra abscondita sit cum CHRISTO in Deo.*

Ad Coloss. 3.

Quatenus fratres & membra J. C. participes esse debemus gloriæ Resurrectionis.

Primogenitus in multis fratribus. Ad Roman. 8. JESUS CHRISTUS, Sanctus Paulus ait, vocatur omnium hominum primogenitus; sed si eorum primogenitus est, illi sunt vere fratres illius, & participes esse debent hæreditatis ejus, quæ est gloria Resurrectionis illius, quam tenet ab eorum communi parente. Eorum caput est; sed illi sunt membra illius; participes esse debent sortis suæ gloriosæ. Cum igitur vult Deus resuscitare Filium suum, primogenitum fratrem nostrum, & nostrum Caput; vult consequenter nos quoque suscitare post illum, & tamquam fratres ejus, & tamquam ejus membra: primus est illorum, qui mori debebant, ut de sinu mortis eriperetur: opus est ergo, ut moriamur cum illo, ut post illum de sinu mortis egrediamur.

Dies Domini optabilis est, quia dies est triumphi.

Diem hominis non desideravi. Jeremiæ 17. Ne desideremus, Fideles, diem hominum, non secus ac Jeremias; sed desideremus diem hominis-Dei resurgentis, non solum propter amorem nostri, sed propter amorem illius: hic enim est dies gloriæ suæ, suique triumphi: *Væ desiderantibus diem Domini*, dicebat Amos Propheta. Hoc est væ illis, qui eum videre vellent venientem in die Judicii sui; quasi diei illius horror non esset nisi fabulosus, & non dies tenebrarum; sed beatitudinis, gloriæ, gaudii, victoriæ, benedictionis cupientibus eam diem, non quidem tenebrarum, sed luminum, quia hæc dies Domini est.

Amos 5.

Omnes homines resurgent, sed non omnes per idem genus Resurrectionis.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. ad Corinth. 15. Omnes resurgent homines, quemadmodum omnes homines morientur; sed non omnes per suam Resurrectionem immutabuntur; Caro, & Sanguis Regnum Dei possidere non possunt; & homines per peccatum corrupti ad beatæ vitæ incorruptibilitatem minime pervenient: illi tantum, qui mortui fuerant, tamquam Dei Filius, ut ille, resurgent. Fac ergo Domine, ut reipsa moriar sicut Tu; & ponam animam meam in manus tuas, sicuti tu commendasti tuam in manus Patris tui; mors mea sancta sit, ut tua; illam præcedat vita sancta, ut tua: denique tunc possim dicere tibi: glorificavi te super terram; opus consummavi, quod mihi mandasti: da mihi modo gloriam tuam, & quoniam feci, quod præcipisti mihi, fac, quod mihi promisisti.

PARA-

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

QUI natus est in signum, cui contradicetur, ipse carnem suam resuscitavit, ut obviam iret contradictioni. S. Augustinus in Psalm. 88. serm. 2.

Majus est resurrexisse mortuum, quam non fuisse mortuum; magnitudo potentiæ Domini secundum quod homo factus est, in virtute Resurrectionis apparuit. Idem in Psalm. 65.

In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe, & contentiose contradicitur Fidei Christianæ, sicut de Carnis Resurrectione. Idem in Psalm. 88.

Amplius erat de Sepulcro resurgere, quam de Cruce descendere. Idem serm. 18. de verbis secundum Matthæum.

Tota hujus Mundi administratio, testimonium est Resurrectionis futuræ. Sermone 34. de verbis Apostolorum.

Pascha CHRISTI regnum est Cæli, salus Mundi, vita credentium, occasus inferni, gloria Superorum, resurrectio Mortuorum, pretium redemptionis humanæ: Idem serm. 8. de Octava Resurrectionis.

Propria fides Christianorum est Resurrectio Mortuorum. Idem serm. 4. de Resurrect.

Surrexit CHRISTUS, exultet Mundus universus; par enim est, ut sicut omnis creatura lugubri doluit ploratu in morte Creatoris sui, nunc triumphalem ab inferis reditum læta suscipiat resurgentis. Idem in sermone de Paschate.

Resurrectio JESU CHRISTI Potentiam ejus declaravit. Idem in Psalm. 61.

Ille bene resurget in Corpore, qui primo resurrexit in Spiritu, Idem varior. serm. 121.

Resurrectio CHRISTI homines elevat de imis, suscitat de terrenis, collocat in excelsis, consummat justos, firmat dubios, damnat incredulos. Idem serm. 7. in Octava Paschæ.

CHRISTUS passus, & mortuus est, & resurrexit: passione ostendens, quid pro veritate tolerare, Resurrectione, quid in æternitate sperare debeamus. Idem lib. 8. de Civit. cap. 49.

Qui de Cruce descendere noluit, de sepulcro resurrexit; plus igitur fuit de sepulcro surgere, quam de Cruce descendere; plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo conservare. Gregorius homilia 21.

Caro nostra post Resurrectionem eadem erit per naturam, & diversa per gloriam. Idem 14. Moral.

In Resurrectione universa fidei nostræ spes sita est. Idem homil. 2. in Epist. ad Corinth.

Resurrectioni non credens, nullius virtutis curam habet. Idem serm. 1. de Resurrect.

Resurrectio corporum exemplis deprehendi potest, ratione non potest. Idem 6. Moral.

Resurrectio est divinæ virtutis opus. Idem homil. 9. in Epist. ad Thessalonicenses.

Redemptor noster suscepit mortem, ut mori timeremus, ostendit Resurrectionem, ut nos resurrecturos speraremus. Idem 14. Moral.

Exemplo Job credamus Resurrectionem CHRISTI factam, qui cognovit faciendam. Idem ibidem.

Resurrectio credenda est, non investiganda. Idem lib. 2. super Ezechiel.

In Resurrectione CHRISTI ablata sunt omnia tegumenta perfidiæ. Idem homilia 21. super Evangelium.

Resurrectio mortuorum ex aliorum operum Dei fide edisconda est. Idem in Psalmos.

Resurrectio mortuorum non sinit nos lugere. Idem homilia 2. in Epist. ad Corinth.

Non magnum est credere, quia CHRISTUS mortuus est; hoc & Pagani, & Judæi credunt, sed pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse a mortuis. Augustinus serm. 4. de Resurrectione.

Resurrectio vera fuit, non in phantasma. Hieronym. ad Pammach.

Totus hic ordo revolubilis rerum testatio est Resurrectionis mortuorum, operibus illam præscripsit Deus antequam vocibus. Tertullianus libro de Resurrectione Carnis.

Hujus festi Sacramentum debet in nobis esse perpetuum. Idem.

Hæccine non resurget vobis Dei? hæc est, quæ tot ob causas pertinet ad Deum? Idem de Resurrectione Carn. cap. 9.

Resurget CHRISTUS, ut judicet, peccator, ut judicetur, impius, ut in judicio damnetur. Cassiodor. in Psalmos.

Nemo tam carnaliter vivit, quam qui Carnis negat Resurrectionem. Tertullianus de Carnis Resurrectione.

Cerne manus Judæ, quas fixeras, cerne latus, quod foderas; videte corpus an idem sit, quod dicebatis etiam sustulisse Discipulos. Hieronymus Epistola ad Heliodorum.

Post supplicia carnis, & vulnera, post ipsam mortem, surrexit de suo funere CHRISTUS. Idem serm. 3. de Resurrect.

Illa Redemptoris nostri Resurrectio, nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit. Gregor. homilia 21. in Evangel.

Resurrectio ex miraculis indubitata redditur. Chrysost. homil. 1. in Acta Apost.

Factum est corpus impassibile, quod potuit crucifigi; factum est immortale, quod potuit occidi, factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari. S. Leo serm. 1. de Resurrectione.

Qualitas corporis transiit, non natura defecit. Idem.

Resurgentis gloria sepelivit morientis infamiam. Sanctus Chrysologus.

Mutatur hic ordo rerum, domus mortis fit mansio vitalis. Idem.

Resurrectio quædam est, esse desinere, quod eras, & assumere, quod ante non fueras. S. Maximus.

Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo? Si negligentias planximus, quid caussa est, ut recidamus nunc in easdem. Bernardus serm. 1. de Resurrectione.

Christiani toto tempore ad instantes inhiant dies Resurrectionis: heu! ut liberius indulgeant voluptati. Idem ibidem.

Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris. Idem.

Resurrexit Caput vestrum, hoc sperate membra cetera, quod videtis in Capite; hoc sperate membra, quod credidistis in Capite. Augustinus in Psalm. 29.

PARAGRAPHUS V.

Quid hauriri possit ex Theologia ad hoc pertinens argumentum.

CUM dicimus JESUM CHRISTUM resurrexisse, non solum intelligendum est ipsum novam recepisse vitam, quod aliis contigit nonnullis; sed ipsum propria virtute resurrexisse, quod illi proprium est, & singulare. Hoc enim contra naturam est, & conceditur nemini, quod possit per propriam virtutem migrare de morte ad vitam; hoc solius est Omnipotentiæ Dei, ut nobis ostendit Apostolus per hæc verba: *Si CHRISTUS Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et ratio constat, quia sicut divinitas semper adhæsit, & corpori ejus, dum erat in Sepulcro, & animæ ejus, cum descendit ad inferos; habebat & in Corpore suo, & in Anima sua divinam Virtutem, per quam Corpus suum iterum conjungi poterat cum Anima sua, & Anima Corpori, ita ut seipsum resuscitare potuerit, sibique vitam restituere, quemadmodum dixit: *Ego pono Animam meam, ut iterum sumam eam.* Cum igitur in nonnullis Scripturæ locis legimus, Salvatorem a Patre suo suscitatum fuisse, intelligendum est, hoc illi accidisse quatenus homini, non secus, ac ubi dicitur, illum propria virtute resurrexisse, intelligendum est, hoc illi quatenus Deo contigisse.

Quid intelligendū per Mysterium Resurrectionis Filii Dei. 2. Ad Cor. 13. Joann. 10.

Hoc etiam JESU CHRISTO singulare est, ipsum primum omnium fuisse, qui particeps fuerit gratiæ Resurrectionis; quapropter in Scripturis primogenitus mortuorum dicitur, & quemadmodum inquit Apostolus: *CHRISTUS resurrexit a mortuis primitiæ dormientium;* quod intelligendum est de postrema, & perfecta Resurrectione, per quam migrabimus a mortali vita ad vitam immortalem, omnino soluti a necessitate moriendi. Hoc pacto JESUS CHRISTUS primus eorum est, qui debent resurgere; nam si per Resurrectionem intellligimus solum reditum ad vitam conjunctum cum necessitate rursus moriendi; certum est in hoc sensu plures ante JESUM CHRISTUM ad vitam revocatos fuisse; sed quicumque iterum novam hanc vitam receperunt, coacti fuerunt secundo mori. At non hoc de JESU CHRISTO dicendum, qui ita resurrexit, ut morte penitus victa, ac debellata, ultra mori non possit. *CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.*

Quomodo intelligendū est, J.C. resurrexisse primum omnium. 1. Ad Cor. 15. Ad Rom. 6.

Sciendum est, quemadmodum JESUS CHRISTUS noluit differre suam Resurrectionem usque in Mundi finem, ut suam probaret Divinitatem, ita noluisse immediate post mortem suam resurgere, sed tantum post diem tertium, ut omnes cognoscerent illum vere hominem esse, & vere mortuum fuisse. Hoc temporis intervallum satis erat ad probandam mortis suæ Veritatem.

Cur J. C. resurrexit die tertia.

Constantinopolitanæ Synodi Patres symboli articulo, qui spectat ad Resurrectionem, addiderunt hæc verba: *Secundum Scripturas;* idque fecerunt Apostolum secuti, ut ostenderent fidem de Resurrectionis Mysterio

Utilitas, & necessitas fidei Resurrectionis Dominicæ.

sterio esse omnino necessariam, uti liquet ex ejusdem
1. ad Cor. 15. Apostoli verbis: *Si CHRISTUS non resurrexit, vana est fides vestra*. Hinc Sanctus Augustinus obstupescens jam constitutam esse hujus Articuli fidem, exclamat, mirum non est credere JESUM mortuum esse. Ethnici, Judæi, ipsique Athei hoc credunt; totusque mundus id credit. Sed JESU CHRISTI Resurrectio proprie est objectum fidei Christianorum, & id coegit Dei Filium ut toties loqueretur de Resurrectione sua ad Discipulos suos, cum fere nunquam cum illis collocutus fuerit de Passione sua, nisi simul de ipsa etiam Resurrectione verba faceret. Præterea, ut docet Sanctus Thomas, 1. ad confirmandam fidem nostram, sine qua hominis justitia subsistere nequit; hæc enim indubitabilis ratio est, ad probandum JESUM CHRISTUM esse Filium Dei, eumque propria virtute resurrexisse. 2. Ad fovendam, ac roborandam spem nostram; nam quia JESUS CHRISTUS resurrexit, firmam habemus spem nos quoque aliquando surrecturos; quoniam necessarium est, membra sequi Capitis conditionem. 3. Ad instaurandam, informandamque vitam nostram, nam sicuti JESUS CHRISTUS resurrexit non ultra moriturus: ita per regenerationem Spiritualem mortui sumus peccato, & redivivi gratiæ, ne ulterius moriamur.

Bona præcipua, quæ a Salvatoris Resurrectione recipimus.

Facile est intelligere bona, quæ Filii Dei Resurrectio Fidelibus attulit; nam hinc non solum cognoscimus JESUM CHRISTUM Deum esse, immortalem, *victorem mortis*; sed etiam per Resurrectionem suam proprie esse caussam, & *principium* nostræ, *sicuti* ejusdem *exemplum est*. *Revera quemadmodum Deus* usus est *Sancta Salvatoris humanitate*, tamquam instrumento nostræ redemptionis; Resurrectio *illius* fuit velut instrumentum quod erat necessarium ad nostram operandam; & dicere fas est illius quoque fuisse prototypum, & exemplar; quia omnium est perfectissima, & absolutissima. Quibus addere possumus, Resurrectionem hujus Hominis-Dei propositam esse animæ per peccatum mortuæ tamquam exemplum, quod imitari debet, ut ad gratiæ vitam resuscitet.

Cur noluerit J. C. differre suâ Resurrectione usque ad finem sæculorum.

Docet Sanctus Thomas, Salvatorem noluisse differre *suam* Resurrectionem usque ad generalem hominum Resurrectionem, ne relinqueret tandiu fidem nostram dubiam, atque *nutantem*; si passus fuisset, adorabile Corpus suum contabescere in Sepulcro, quisnam ex hominibus credere potuisset, sibique polliceri, suum inde evasurum esse? Cum ex *omnibus Religionis* nostræ Mysteriis hoc illud sit, quod fidem nostram confirmat, quapropter Sanctus Augustinus dixit, Resurrectionem JESU CHRISTI esse antonomastice Fidem Christianorum; idcirco Filius Dei videns quantæ utilitatis esset hoc Mysterium, voluit statim hoc probari argumentis certissimis per duodecim apparitiones in Evangelio enarratas, & hoc esse tamquam fundamentum omnium rationum, quibus & divinitas ejus, & Fidei nostræ veritas probaretur.

Quo in sensu J. C. sit Resurrectio nostra. Joann. 11.

Dei Filius ipse testatur, se esse Resurrectionem, & vitam: *Ego sum Resurrectio, & vita*. Resurrectio est, inquit Theologia, 1. Quia caussa est meritoria nostræ Resurrectionis; hanc ille nobis promeruit beatitudinem. 2. Caussa est efficax *illius*; ipse enim nos resuscitat. 3. Caussa illius est exemplaris; prototypus est nostræ Resurrectionis. 4. Finis est, & Caussa Finalis; quia propter illum resuscitamur.

Evidentia Resurrectionis J. C. est evidens argumentum suæ divinitatis. 1. ad Cor. 15.

Si JESU CHRISTI Resurrectio facta est evidens per eas, quas dedit probationes; divinitas ejus se quodammodo præbuit evidentem per Resurrectionem: *Si JESUS CHRISTUS non resurrexit, vana est fides vestra*, Sanctus Paulus ait; sed si resurrexit, fides nostra solida est, & evidens veritas Evangelii, quia si resurrexit, Deus est; si enim spectetur Resurrectio illius, tamquam effectus potentiæ Patris sui illum resuscitantis quatenus hominem: cum Dei Filius attulerit Resurrectionem suam tamquam plenissimam divinitatis suæ probationem; nisi Deus fuisset, Pater non poterat ipsum resuscitare ea in occasione, quia probasset mendacium, quod Deus probare non potest. Sin autem spectetur Resurrectio tamquam effectus propriæ virtutis ejusdem; nemo est qui seipsum valeat resuscitare & in ipsa morte invenire vitæ principium. Nonne igitur opus est velle nosmet excæcare, ne hujus argumenti vim sentiamus?

Resurrectio J. C. ratio est spei nostræ.

Salvatoris Resurrectio Caussa est spei nostræ; est enim pignus futuræ nostræ Resurrectionis. *Si JESUS CHRISTUS prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam Resurrectio mortuorum non est?* Sanctus Paulus inquit, JESUS CHRISTUS est Redemptor noster in Resurrectione æque ac in morte sua, & Redemptor perfectus, apud quem, ut Propheta inquit, copiosa redemptio est. Venit ille reparaturus omnia mala, quæ Adæ peccatum pepererat: Secundus Adam potentior est ad salvandum, quam primus ad perdendum; Si igitur Adæ peccatum nos suo infecerat veneno, animam, & corpus, opus fuit, ut JESUS redderet nobis non solum animæ, sed etiam corporis vitam per Resurrectionem.

J. C. cum sit caput nostrum spem facit nos aliquando cum illo resurrecturos esse.

JESUS CHRISTUS non solum Redemptor est noster in sua Resurrectione, sed etiam Caput est nostrum; 1. quod nobis alteram suppeditat rationem, & spei argumentum, Caput perfectum quale est JESUS CHRISTUS tres habere debet qualitates; 1. conjunctum esse debet cum membris suis 2. debet illis vitam, motumque communicare; 3. affici debet statu membrorum suorum vel felici, vel misero. Si minime resuscitamur, adimplet ne J. C. primum illud Capitis officium, relinquens nos æternum separatos a capite nostro, ipso quidem in Cælo regnante, nobis vero in tumulo putrescentibus? Nonne alteri quoque deesset, nisi communicaret nobis vitam gloriæ, quam accepit in sua Resurrectione? Membra sequi debent sortem, & gloriam capitis sui; Sanctus Gregorius ait. Tandem vero completa esset ne illius beatitudo, si ipso bonorum omnium perfruitione gaudente, membra illius in corruptione, & in squalore sepulcri permanerent? Ita S. Paulus, ut nobis nostræ resurrectionis certitudinem ostendat, de hac loquitur, tamquam de re jam perfecta, dicens Deum jam suscitasse nos una cum Filio suo.

J. C. nostrum exemplar est in Resurrectione sua.

JESUS CHRISTUS in Resurrectione sua non solum caput est nostrum, sed etiam exemplum: igitur nos illi conformes esse debemus, si volumus esse prædestinati. 1. Conformes esse debemus illi in vita per virtutum illius imitationem. 2. Conformes in morte per sensuum, & cupiditatum nostrarum mortificationem. Quæ duplex conformitas tertiam proculdubio pariet, *videlicet* conformitatem cum J. C. in statu Resurrectionis, & gloriæ suæ. Hoc innuit S. Paulus, cum *dicit, si insiti sumus in* J. C. crucifixo, nos insitum *iri etiam in* J. C. glorioso; si cum illo mortui fuerimus, *nos quoque cum illo resuscitaturos*; sed frustra nos sperare cum J. C. resurrecturos, nisi cum illo mortui fuerimus; nisi moriamur peccato, & omnibus studiis, & inconditis cupiditatibus nostris.

Salvatoris Resurrectio certissimum divinitatis, argumentum.

Non temere animadversum fuit, quotiescunque J. C. in Evangelio interrogatur a Judæis de sua divinitate, & hujus probationes ab illo exquiruntur, nunquam alias illis præbere, quam suam Resurrectionem, qua utitur, ut mentes illorum persuadeat, eorumque confundat incredulitatem. Infidelis hæc natio, ait ille, *Generatio prava signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ*; quærit miraculum, ex quo innotescat quid ego sim, sed non aliud illi miraculum proponetur nisi illud Jonæ prophetæ; vel potius illud, cujus figura fuit Jonas Propheta: videlicet postquam tres dies in terræ sinu delituero, inde, ut Jonas ex ceti ventre, egrediar. Quæritis ex me, addebat ille conversus ad Pharisæos, quo miraculo jus mihi sit utendi absoluta potestate, ac independenti auctoritate, quam mihi vindico. Ecce, unde volo, vos ferre judicium. Postquam enim violenta, crudelique morte destruxeritis templum hoc visibile, quod est corpus meum, tertia die illud in pristinum statum, immo etiam perfectiorem restituam. *Quod signum ostendis, quia hæc facis?* &c. Poterat ille profecto eentum alia proferre miracula, quæ passim apud illos operabatur; sed illa omnia reticet, immo cum in plerisque permiserit suam operari omnipotentiam, illis, qui virtutem experti fuerant etiam atque etiam commendat secretum. Quorsum istud? propter rationem quam adfert Sanctus Chrysostomus, cum in mente Dei Resurrectio JESU CHRISTI destinata fuerit, ut signum esset divinæ filiationis, hoc ceteris miraculis cumulum erat impositurum, & probationem absolutum. Matth. 12. Joann. 24.

Sicuti, in Religione, nullum fuit mysterium hoc majus, ita nec certius.

Admirabili divinæ Providentiæ consilio factum est, ut ex omnibus nostræ Religionis articulis, vel potius ex omnibus miraculis, quibus nostra innititur Religio, nullum fuerit, de cujus veritate magis liqueret, vel de cujus evidentia constaret magis; ita ut, S. Augustinus ait, Ethnicus aliquis, & infidelis sine animi ulla præoccupatione ad examen revocans omnes hujus miraculi circumstantias, teneatur veritatem cognoscere; & quod adhuc mirabilius est, pergit laudatus Doctor; duo illa, quæ suapte natura obstaculo esse potuissent fidei hujus Resurrectionis, odium videlicet Pharisæorum, & Apostolorum incredulitatem, hæc ea extiterint media, quibus usus est Deus ad illam roborandam atque muniendam, uti videre est tum ex præcautionibus, quas illi sumpserunt signandi lapidem cum custodibus, cum ex dubitationibus horum, & ex ipsa etiam nonnullorum obstinatione, qui credere noluerunt, nisi viderent, atque tangerent manibus suis corpus, & ipsas vulnerum cicatrices.

Resurrectio J. C. prototypus resurrectionis spiritualis animarum nostrarum.

Non sententia tantum aliquorum Mysticorum est, sed doctrina, & ratiocinatio S. Pauli Apostoli, asserentis, Resurrectionem JESU CHRISTI nos cogere ut vitam novam vivamus, hoc est vitam prorsus sanctam, atque divinam; nam hic Apostolus ait, Salvatorem, cum mortuus fuisset propter peccata nostra, propter nostram justificationem resurrexisse; unde sequitur ut æqua fiat comparatio Resurrectionis ejusdem cum nostra, videlicet cum animarum nostrarum resurrectione, si Resurrectio illius fuit transitus

a mor-

a morte ad vitam, noſtram eſſe debere a peccato ad gratiam, a vitiis ad virtutem, ab amore proprio ad amorem divinum, a ſtudiis hominis veteris, ad ſtudia, & affectus hominis novi: *Ut quomodo CHRISTUS ſurrexit a mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus;* ut ſicuti JESUS CHRISTUS reſurrexit per gloriam & poteſtatem Patris, nos ſimiliter ambulemus in novitate vitæ, appingentes animæ noſtræ qualitates conformes illis vitæ glorioſæ corporis ejuſdem. *Corpus ejus eſt impaſſibile;* opus eſt ergo, ut in noſtros affectus tale habeamus imperium, ut ab omni affectu vacui videamur. *Agile eſt:* Opus eſt ergo, ut celeriter, ſine tædio, ſine repugnantia feramur ad ea omnia quæ ad Deum, & bonorum operum praxim pertinent. *Subtile eſt;* ſtrenue igitur ſuperandæ ſunt omnes difficultates, quæ noſtram morantur perfectionem, & ſequamur eam vitam, quæ potius ſpiritualis, & ſancta ſit, quam corporalis, & humana. *Lucidum eſt, ac nitet;* opus eſt, ut lumen Spiritus Sancti illuminet mentem noſtram, eamque repleat cognitione rerum divinarum; & externum exempli noſtri lumen, affulgeat proximo, eique virtutis amorem, & virtutis pretium imprimat.

Ad Rom. 4: Ad Roman. 6.

Diſcrimen inter glorioſam reſurrectionem corporum, & animarum.

Inter glorioſam corporum, & ſpiritalem animarum reſurrectionem hoc intercedit diſcrimen, quod Deus illam corporum differt uſque ad conſummationem ſæculorum, illa vero animarum præſens eſt, nec differtur. Statim ac Peccator agit pœnitentiam, emergit de ſtatu peccati, ac tranſit in ſtatum gratiæ: Corporum reſurrectio ſemel tantum fiet; quemadmodum ſemel moriuntur, ſemel tantum reſurgent; ſed animarum reſurrectio ſæpe iterari poteſt; cum enim crebro accidit, ut homines fragiles relabantur in peccatum, quod illis eripit animæ vitam, ita Dei bonitas illi media ſuppeditet ſæpe inde per pœnitentiam reſurgendi, corporum fiet extrema tandem mundi die, & in æternum vigebit: reſurrectio autem animarum fieri poteſt quotidie uſque ad mortem; ſed poſt mortem nulla eſt amplius reſurrectio. Ex hoc momento pendet glorioſa vita non ſolum animarum, ſed etiam corporum; ſi anima ante mortem non reſurgit, reſurget quidem corpus, ſed non reſurget ad gloriam.

Salvatoris Reſurrectio fundamentum eſt fidei, & pietatis Chriſtianæ.

Videtur Dei conſilium in hoc Myſterio eſſe conſtituendi baſim in illo totius Religionis, atque Chriſtianæ pietatis. Profecto huc referuntur omnia Apoſtolorum miracula, & omnis prædicationum eorumdem efficientia, omniaque miſſionis eorum argumenta. Sanctus Paulus palam pronunciat ſine hoc myſterio fruſtra Evangelium prædicari, fruſtra in illo confidi, leges illius obſervari, ac tandem nos eſſe ex omnibus hominibus dementiſſimos, atque miſerrimos, niſi JESUS CHRISTUS reſurrexit: ita etiam infertur eſt, nos ſapientiſſimos, atque beatiſſimos eſſe, poſita veritate myſterii Reſurrectionis; quia hoc inconcuſſum eſt fidei noſtræ fundamentum, & validiſſimum ſpei noſtræ præſidium. Firmiſſimum eſt fidei noſtræ fundamentum; nam quam ob cauſſam credimus? quia quod credimus nobis Deus revelavit. Sed quomodo ſcimus hoc a Deo revelatum? Quia operatus eſt miracula, quæ fidem faciunt eorum articulorum, quos credimus: ſed Reſurrectio Domini noſtri eſt veluti centrum omnium miraculorum, quæ ad hunc finem Deus operatus eſt; hoc illud eſt, quod JESUS CHRISTUS ſemper tradidit, ut probaret cevertendum, & Chriſtianæ Religionis veritatem perſuadendam, Apoſtoli unice innitebantur huic Reſurrectionis Myſterio, tamquam probationi, quæ in dubium revocari non poſſet.

Quomodo Theologi applicent cauſſam effectivam Reſurrectionis Domini.

Principium agens, & effectiva Reſurrectionis cauſſa fuit divinitas JESU, quod hoc modo explicant Theologi. Divinitas hæc ſemper adhærebat corpori JESU CHRISTI æque ac animæ illius, juxta effatum illud Theologicum: *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Dicere poſſumus ſecundum ejuſdem Theologiæ axioma, actiones tribui perſonis; cumque in JESU CHRISTO non ſint aliæ perſonæ, niſi Verbum, quod Deus eſt: vere dici perſonam JESU CHRISTI operatam fuiſſe hanc operationem, cumque mortuus fuerit in humana natura, perſonam hanc immortalem eam reſuſcitaſſe; & inde ortum, quod Patres omnes docent, evidentem probationem Divinitatis JESU CHRISTI ex eo deſumi: quod ſeipſum reſuſcitaverit.

Multitudo eorum, qui crediderunt Reſurrectionem J. C. certum eſt argumentum veritatis Reſurrectionis.

Quod tot homines crediderint tale factum, quale eſt Reſurrectio JESU CHRISTI, quam cognoſcere adeo facile fuit, ac illum crediderint, licet aliter natura, & humanarum cupiditatum torrens ſuaderet; dicendum eſt, non defuiſſe illis manifeſtam perſuaſionis cauſſam: dicendum eſt eos, vel vidiſſe JESUM CHRISTUM a morte ſuſcitatum, oculis ſuis, vel ipſos oculis ſuis vidiſſe miracula, quæ fecerit, ut digito, ut ita dicam, attrectarent illud Reſurrectionis; vel exemplum, & auctoritatem hominum ſanctiſſimorum, irreprehenſibilium, cordatiſſimorum, & ſanctiſſimorum apud eos habuiſſe locum teſtimonii, adeo authentici, quaſi hoc ſuis oculis uſurpaſſent.

Per fidem reſurrectionis nobis perſuaſum eſt de aliis omnibus fidei articulis.

Si credimus Salvatorem reſurrexiſſe, neceſſario credimus illum mortuum eſſe, natum eſſe, in cælum aſcendiſſe, & venturum eſſe ad judicandum vivos, & mortuos. Item credimus ab ipſo Eccleſiam Catholicam fuiſſe inſtitutam, ipſum poteſtatem contuliſſe remittendi peccata; nos reſurrecturos eſſe, futuroſque æternæ ejuſdem gloriæ participes. Igitur melius fidem noſtram profiteri non poſſumus, niſi credentes hunc articulum, ex quo cetera inferuntur, & hæc fortaſſe cauſſa eſt, propter quam ſcribens ad Timotheum illud ſuum vocat Evangelium: *Memor eſto Dominum JESUM reſurrexiſſe a mortuis ſecundum Evangelium meum.* Non dixit illi; Memor eſto JESUM CHRISTUM natum eſſe, paſſum, & mortuum eſſe, ſed innuere vult illum memorantem, & credentem JESUM reſurrexiſſe ſimul credere etiam alios articulos, quos Religio ſupponit, & qui inde conſequuntur.

2. ad Timoth. 2.

Cur reſurrectio præcipua ſit ſpei noſtræ cauſſa.

Potiſſima noſtra ſpes huic innititur Myſterio; quid enim poſſumus, & ſperare debemus, niſi in hac quidem vita Dei gratiam, in alia vero gloriam? Huc tendunt omnia noſtra conſilia. Per gratiam omnia peccata noſtra nobis dimittuntur; & a quonam illam expectare debemus, niſi ab eo, qui prima ipſa qua reſurrexit die dixit: *Oportet CHRISTUM reſurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Habemus etiam locum ſperandi gloriam corporum noſtrorum, & noſtrarum animarum; hoc nobis pollicetur Sanctus Petrus Apoſtolus per hæc verba: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JESU CHRISTI, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſervatam in cælis, in nobis, &c.* Quæ verba perſpicua ſunt, nec ulla indigent explicatione.

Luc. 24.

1. Petri 1.

Quid ſit reſurrectio ſpiritualis.

Supponendum eſt cum Eccleſia, & univerſa Theologia, animas noſtras per peccatum mori, quia peccando amittunt gratiam, quæ eſt principium *vitæ ſupernaturalis*; & illas reſurgere per *infuſionem gratiæ ſanctificantis*, quæ anima eſt, *ut ita dicam*, animæ noſtræ, & noſtra vera *vita ſpiritualis*; ita ut hæc reſurrectio non aliud ſit, *quam peccatoris juſtificatio*.

In Salvatoris Reſurrectione, anima ejus beata effudit in corpus ſuum gloriam ſuam, illique communicavit felicitatem.

Conſtat Salvatorem ex *ipſo primo* vitæ ſuæ momento animæ beatitudinem recepiſſe, & ſuperiorem hanc ſpiritus ſui partem beatifica Dei viſione gaviſam fuiſſe. Opus ergo erat, ut hæc animæ ſuæ gloria ſeſe in corpus etiam effunderet; illud beatum efficeret, & particeps gloriæ ſuæ. Sed quoniam pati debebat, ut nos ſalvos faceret miraculoſa ſuſpenſione, prohibuit beatitudinis hujus communicationem, & reliquit corpus ipſum obnoxium vi ſuppliciorum; ita ut anima ejus aliquam vim paſſa fuerit, non valens communicare corpori ſuo gloriam, & beatitudinem. Sed in ipſo momento Dominicæ Reſurrectionis anima non ultra paſſa eſt vim ullam pro ſuſpenſione ſuæ felicitatis: immo integrum fuit illi effundere gloriam in corpus ſuum, quod efficit cum ea profuſione, quæ par eſt cauſſæ laborum, atque paſſionum ſuarum.

Quomodo intelligendum ſit illud Pauli, J. C. ſurrexit propter juſtificationem noſtram. Ad Roman. 4.

S. Paulus ait JESUM CHRISTUM *reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram*. Non quod Salvatoris reſurrectio ſit cauſſa efficiens, & meritoria noſtræ juſtificationis; totum enim Filii Dei meritum fuit in ejus paſſione: concluſum fuit intra tempus paſſibilis vitæ illius, & dicere licet Reſurrectionis Myſterium nonniſi perfectionem, & complementum fuiſſe meriti illius. Sed Apoſtoli intentio, quemadmodum a S. Thoma explicatur, eſt aſſerendi Reſurrectionem Salvatoris fuiſſe cauſſam exemplarem juſtificationis noſtræ; ut de morte peccati reſurgamus, & recipiamus vitam novam, ſed addamus, Salvatoris Reſurrectionem eſſe veluti finalem cauſſam noſtræ juſtificationis, in hoc, quod meretur, ut ſpiritaliter reſurgamus ad Myſterii hujus ſanctitatem colendam.

Quænam eſſe debeat ſpiritualis reſurrectio noſtra, & quid complectatur.

JESU CHRISTI Reſurrectio duo complectitur, mutationem ſtatus, & in hoc ſtatu conſtantiam; quapropter S. Paulus ait: 1. ut participes ſimus Reſurrectionis JESU CHRISTI opus eſſe, ut cum illo ambulemus in novitate vitæ, & novum hominem induamus. 2. Reſurrectionem noſtrem ad vitam hanc novam complecti debere conſtantiam in hoc ſtatu, ad imitandum J. C. qui cum, ut ait S. Paulus, ſemel ſurrexerit, non moritur amplius: nam cum ſemel mortuus fuerit pro peccato, reſurgens ſemper vivit Deo; ita ſi nos vere mortui ſumus per pœnitentiam, ſi vere ſurreximus ad vitam novam, non vivemus amplius niſi Deo: ſed ſi vivimus adhuc peccato, in illud relapſi, ambigua eſt noſtra reſurrectio. Quemadmodum æquiſſimam nanciſcimur relationem inter rationis, fideique lumina, inter Philoſophica, & Evangelica principia in iis, quæ pertinent ad veritatis reſurrectionem, extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, eos, qui ægre ſibi perſuaderi patiuntur hanc ipſam veritatem, neque haberi poſſe tamquam fideles, neque tamquam rationis participes, neque tamquam viros doctos, eoſque nonniſi voluntate ſua corrumpi, & excæcari hac in re; illos non credere Reſurrectionem, quia non amant illam;

illam; eam non amare, quia timent, & timere, quia illam pro improbis quidem subsecutura sunt æterna supplicia, pro justis vero æterna præmia: illos malle fovere sensus, qui suæ blandiuntur vel infirmitati, vel nequitiæ, quam sensus dignos Sapientia, Justitia, & Misericordia Dei: illos non credere Resurrectionem, quia non vident eam, atque ut citra religionis stimulos obtemperare possint carnalibus desideriis, atque infirmis luminibus mentis suæ, non alias cognitiones admittere, nisi quas caro, & sensus ipsi illis suggerere possunt.

Inter animæ immortalitatē & resurrectionem corporum nullum videntur discrimen admittere Judæi.

Videntur antequam Mundi Salvator nasceretur, Judæi, qui tunc electus erant Dei populus, non distinxisse animæ immortalitatem a corporum resurrectione, ita ut passim pro una, eademque re, vel pro duabus suapte natura inseparabilibus, acceperint, hominem aliquando vita æterna esse perfruiturum; vel aliquando esse resurrecturum. Quo posito Joseph Historicus, qui hac in re ignorare non poterat sensum nationis suæ inter cetera, dicit de Saducæis, hos credidisse animas esse mortales, ubi dicere debebat, illos non credidisse corporum resurrectionem; & nisi auctor secundi libri Machabæorum complexus fuisset animæ immortalitatem in corporum resurrectione, nequaquam dixisset, ut dixit, si vir fortissimus Judas non credidisset mortuorum resurrectionem, futurum fuisse, ut frustra juberet offerri Jerosolymæ sacrificium pro militibus, qui pugnantes in prælio ceciderant.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, ac Recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Discrimen inter sepulcrum J.C. & illa principum terræ.

QUantumvis potentes fuerint homines, ad quid rediguntur hæc magnifica elogia quibus decorantur, & quæ insculpta legimus superbis Mausolæis, quæ vanitas humana illis ædificat? Ad tristem hanc Epigraphem: *Hic jacet*; Dux iste, hic Imperator adeo celebratus in mundo, jacet sub hoc lapide, sepultus in pulvere, quin tota illius potentia, atque nobilitas eum istinc valeat extrahere. Sed longe aliter de JESU CHRISTO dicendum est: vix in terræ sinu conditus fuit, cum tertia die victor & lumine coruscans egreditur; ita ut piæ mulieres, quæ ad illum quærendum accedunt, eumque non inveniunt, quid acciderit scisciteantur, neque aliud intelligunt nisi illum surrexisse, & ibi amplius non esse. *Non est hic.* Ecce secundum Isaiæ vaticinium, ac verbum, quid reddat sepulcrum ejus gloriosum: *& erit sepulcrum ejus gloriosum.* Dum illorum summorum virorum gloria desinit in sepulcro; ibi in sepulcro incipit divini hujus hominis gloria; ibi, ut ita dicam, in ipso infirmitatis centro, efficit, ut tota sua virtus eniteſcat; & inter mortis ipsius brachia per virtutem propriam vitam resumit beatam, ac immortalem. Admirabilis mutatio, Fideles, quæ confirmare debet Ecclesiam suam, quæ debet Discipulos suos consolari, & roborare, quæ substerni debet pro fundamento fidei, & spei Christianæ: quia tales vel sunt, vel esse debent effectus Dominicæ resurrectionis. *Pater Bourdalove tomo 1. Mysteriorum sermone de Resurrectione JESU CHRISTI.*

Matth. 28.

Isaiæ 2.

Fides Resurrectionis probat Salvatoris Divinitatem.

JESU CHRISTI Resurrectio peculiariter constituit fidem divinitatis ejusdem. Inquies: nonne Numi Salvator vitæ suæ mortalis stadio, nonne plura patraverat miracula, comprobantia eam qualitatem, quam sibi jure suo vindicabat Filius Dei? Dæmones ejecti, cæci a nativitate curati, mortui quatriduani suscitati nonne totidem erant apertissimæ demonstrationes potentiæ prorsus divinæ, quæ residebat in eo? Quem magis singularem effectum habere poterat illius resurrectio ad fidem hanc confirmandam? Ecce punctum hujus Mysterii decretorium. Dico revelationem divinitatis JESU CHRISTI potissimum adhæsisse illius Resurrectioni: Qui prædestinatus est Filius Dei ex *resurrectione mortuorum*, S. Paulus ait. Cur? quia Salvatoris resurrectio erat probatio, quam hic homo-Deus explicite daturus erat Judæis, ut suam cognoscerent divinitatem; quia hæc probatio reipsa erat maxime naturalis, & efficax divinitatis ejusdem; quia ex omnibus miraculis, quæ JESUS CHRISTUS operatus est per divinitatis suæ virtutem, ne unum quidem erat, cujus veritas magis esset probata, atque ita palam manifesta ac illa Resurrectionis corporis sui; & quia hoc ex omnibus miraculis illud fuit, qui præ ceteris contulit ad fidei propagationem, & constitutionem Evangelii, cujus substantia, & caput est credere in JESUM CHRISTUM, ejusque divinitatem confiteri. *Idem.*

ad Rom. 8.

Ejusdem argumenti continuatio.

Non injuria J.C. huic potissimum signo inhærebat, ut probaret se Deum esse, & profecto Dei unius est dicere, quod ille dicebat: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Unus inquam Deus ita loqui potest. Ante JESUM CHRISTUM visi fuerant homines resuscitati, sed ab aliis hominibus resuscitati. Elisæus unico oris sui flatu, animaverat cadaver filii Sunamitidis, & ad Eliæ preces filius Viduæ Sareptanæ, qui præ virium defectu, & languore obierat, redditus matri fuerat plenus virium, & valetudinis. Sed quemadmodum S. Ambrosius animadvertit, qui tunc ad vitam suscitabantur, nonnisi aliena virtute resurgebant; & qui talia operabantur miracula, nonnisi in aliis patrabant. Inauditum miraculum erat, ut idem homo simul duplex operaretur miraculum, & revocandi in vitam, & seipsum in vitam revocandi; hoc enim non antea fuerat auditum; & hoc miraculum reservabat Deus Filio suo, ut mundo innotesceret illum esse simul & hominem, & Deum; hominem quidem, quia fuerat resuscitatus, Deum vero, quia seipsum resuscitaverat: *Ut ostenderet, quoniam erat in ipso, & resuscitatus homo, & resuscitans Deus*, laudatus Doctor ait. *Idem.*

Quomodo Apostoli convicti fuerunt de veritate resurrectionis Domini.

Quod præ ceteris in hoc mysterio mihi stuporem injicit, & quod satis admirari non possum, est videre Apostolos, qui dum viveret Magister illorum, capere non poterant ea, quæ sibi dicebantur ab illo de sua Resurrectione, qui Passionis ejusdem tempore omnem spem abjecerant, & qui post ejusdem obitum rejiciebant tamquam fabulas, & anilia commenta, quæ sibi nuntiabantur de illius apparitionibus; videre, inquam, homines ita imparatos ad credendum, vel potius ita pertinaces in sua incredulitate, fieri repente Præcones, & Martyres ejus Mysterii, quod hactenus fuerat vulgatissimum incredulitatis suæ argumentum: ipsa provocare Tribunalia, terrenosque Judices, confiteri Resurrectionem, quæ semper illis scandalo fuerat, & non reformidare mortem, & se beatos putare, modo morientes fideles haberentur testes JESU CHRISTI glorioſi, atque triumphantis. Quis hanc in illis peperit mutationem, & quis illam gignere poterat? nisi certitudo, & fides Resurrectionis; sed fides adeo firma post adeo pertinacem incredulitatem nonne opus erat dexteræ Excelsi? Ita vi hujus fidei, fidei inquam adeo mirabilis Resurrectionis, Christianissimus auctus est, Evangelium in mundo incomprehensibiles progressus obtinuit, & divinitas Salvatoris, quidquid inferi, omnesque inferorum portæ obniterentur, in extremis terrarum plagis credita fuit. *Idem.*

Resurgemus similes JESU CHRISTO.

Verum est nos resurrecturos, quia JESUS CHRISTUS resurrexit; & spei nostræ cumulum additurus adjicio, nos etiam resurrecturos similes JESU CHRISTO; & hujus Resurrectionem esse prototypum nostræ. Quærit enim S. Augustinus, cur voluerit Deus Filii sui resurrectionem ita esse manifestam: & cur Dei Unigenitus tanto studio effecerit, ut cognosceretur, atque evulgaretur? Ah! Sanctus hic Doctor respondet, ut nobis aperte in persona sua ostenderet ingentem spei nostræ extensionem; ut nobis aperiret, quod est, quid esse debemus, quid evadere possumus. Satis est ergo, ut mihimetipsi proponam quidquid magnificentius est in triumpho Salvatoris mei; ut contempler hanc glorificatam humanitatem; corpus hoc quamvis materiale, & corpus ornatum omnibus qualitatibus spirituum luminibus coruscantium, æternoque splendore circumseptum: hic est beatus ille status, ad quem ego ipse attollendus sum, & quem mihi fides pollicetur: nunc corpora nostra obnoxia sunt corruptioni, atque putredini; nunc corpora sunt passioni, ac dolori obnoxia; nunc sunt corpora fragilia, atque mortalia: nunc caro est crassa, abjecta, contemptibilis; sed tunc celerrima, atque admirabili mutatione, habitura sunt, si ita loqui fas est, eamdem incorruptibilitatem, quam habet Dei corpus, eamdem impassibilitatem, eamdem immortalitatem, eamdem stabilitatem, eamdemque claritatem. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Hæc omnia tamen, una conditione proposita, videlicet si in vita præsenti operam dederimus; ut illa per mortificationem, & Christianam pœnitentiam sanctificemus. *Idem.*

ad Philipp. 3.

Omnes fideles gaudere debent in Resurrectione Salvatoris.

Quonam gaudio affectus fuit Jacob, cum sibi nuntiatum fuit Josephum, quem tandiu mortuum crediderat, vivere adhuc, & in Ægypto imperitare? Ubi primum id auribus ejus accidit, extra se quodammodo raptus fuit; & in intemperantis lætitiæ suæ excessu in hæc verba amoris plenissima erupit: *Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit.* Non ploro mala, quæ pertuli; non me pœnitet lacrymarum, quas fudi; non formido mala, quæ mihi possunt ingruere; voti compos moriar, si semel adhuc dum vivo illum valeam intueri. Quid ergo nobis imposterum metuendum, aut cupiendum est, cum animarum nostrarum Salvator de sepulcro fuerit egressus, & de morte victoriam retulerit? Si mortem illius lacrymis prosecuti sumus, nonne de illius Resurrectione triumphare debemus? & si participes fuimus dolorum illius, ne æquum est, ut in partem gloriæ triumphi sui accedamus? *P. Novet in tertia parte libri qui inscribitur:* Homo Orationis.

Genes. 45.

Vere

Opus est, ut resurrectio nostra de peccato ad gratiam perficeret, & non sit ultra obnoxia morti.

Vere si quid mihi optandum supererat post adeo gloriosam victoriam, quam Dei Filius hodierna die de morte reportat in animabus nostris per pœnitentiam: a Deo peterem, ut status hic ita firmus esset, & constans, ut perfectus est in sua pulcritudine. O gloriosa resurrectio de peccato ad gratiam, de morte ad vitam, quam recipit in nobis JESUS CHRISTUS, si vita hæc non esset amplius obnoxia morti, & peccatum non amplius locum inveniret in corde nostro, ut inde gratiam extruderet. Sed heu! quam breve futurum est hoc gaudium; & quam cito triumphi nostri in tristes lamentationum, & querelarum causas convertentur, si iterum nos morti per peccatum subjecerimus. Id serio attendendum est, & adnitendum, ne hoc nobis malum contingat; & ne dicamur nos Lazarum imitati fuisse, quia gestamus adhuc mortis insignia, *CHRISTUS resurgens a mortuis jam non moritur;* inquit Apostolus; sed quid inde? *Ita & vos existimate mortuos esse peccato, viventes autem Deo in CHRISTO JESU:* Vobismet persuadere, inquit, vos mortuos esse peccato in æternum, ut vivatis vitam divinam, & immortalem in JESU CHRISTO. *Idem.*

Ad Rom. 6.

Ejusdem argumenti.

Si cupimus lætitiam nostram esse perfectam ne dicamus amplius: *Sufficit, si Dominus meus vivit*, ut olim Patriarcha Jacob dicebat de filio suo Joseph, quem jam pridem mortuum crediderat, ac tandiu ploraverat: *Sufficit mihi, si adhuc Joseph Filius meus vivit.* Satis non est videre Redemptorem nostrum, & divinum Magistrum in vitæ immortalis possessione; nisi vita nostra vitæ illius similis fuerit, semota ab jaculis mortis, & immunis ab omni labe peccati. Hoc non sufficit illi; hoc non sufficit nobis; ille nostra indiget opera (absit invidia verbo) nos opera illius indigemus. Ipse Rex noster est, & regnum ejus nullum finem habiturum est; oportet immortales esse subditos suos: ipse nostrum caput est, non amplius passibile, & mortuum, sed beatum in æternum: opus est ergo membra illius esse viventia, ut influxuum ejus participes efficiamur; nisi nos in gloriæ suæ societatem vocaret, consilia ejus adimpleta non essent, & nisi nos beatos efficeret, ipse voti sui compos non esset; cumque gloria sua sit felicitatis nostræ principium; ita felicitas nostra partem constituit gloriæ suæ, ac suæ oblectationis. Non possumus ergo amplius ab illo separari per peccatum, quin nobismetipsis officiamus. Nimium arctis vinculis personæ illius adhæremus, & per fidem, quæ intellectum nostrum cum divinis luminibus ejus connectit, & per spem, quæ nos supremo bono conjungit, & per caritatem, quæ cor nostrum vincit divinis perfectionibus ejus, ita ut illum deserere, & iterum ab illo per infidelitates nostras separari nequeamus. Opus est non mori ultra postquam gratiæ resurreximus. *CHRISTUS resurgens a mortuis, jam non moritur. Idem.*

Genes. 45.

Ad Roman. 6.

Rationes propter quas caro nostra debet resurgere.

Tertullianus verba faciens de carne Christianorum, quam propria manu efformavit, & per carnem Salvatoris consecravit, & in usus suæ gloriæ usurpavit, inde haurit certissima nostræ Resurrectionis argumenta. *Haccine non resurget toties Dei?* Quomodo fieri potest, ut caro hæc quæ tot titulis caro Dei est, non resurgat? Sed hæc argumentatio, quæ probat, Christianos aliquando in sæculorum finem esse resurrecturos, plane ostendit, JESUM CHRISTUM resurrexisse triduo post mortem suam, quin tantum exspectaret temporis intervallum post aliorum hominum mortem: *Haccine non resurget toties Dei?* Caro hæc, quæ Dei est, quandoquidem conjuncta Deo est; quæ Dei est, quandoquidem opus est manuum ejus; quæ Dei est, quia fuit instrumentum miraculorum illius; quæ Dei est, quoniam gloriam illius procuravit: cur ejus resurrectio tandiu differetur? Nonne opus est, ut Pater suus illi vitam reddere festinet, & ostendat se non minus in sepulcro ipsius, quam in gloria se Patrem suum esse? *Birout sermone pro die Paschatis.*

Quantum deceat esse gaudium nostrum ob mutationem status J. C. in illius Resurrectione.

Dum Salvator viveret in Mundo nequaquam videbatur omnino Deus esse; *Totus Deus*, Augustinus inquit. Plurimum habebat humanæ infirmitatis; affulgebat aliquis suæ divinitatis radius in miraculis, quæ operabatur; sed laborabat fame, & siti; lacrymas fundebat, & omnibus humanis miseriis se præbebat obnoxium; & quin videretur Deus, prorsus homo videbatur. Sed in ipso primo suæ Resurrectionis articulo, omnes abjecit hominis infirmitates, & visus est *Totus Deus*. Lætor, Domine, videns te in hoc statu, ad quem mala non possunt accedere, ut loquitur Propheta, quoniam positus es extra jactum mortis, & humanæ crudelitatis. Heu! cum noviissimis diebus istis considerabam te cruore manantem, inimicorum tuorum manibus cæsum, edicto justitiæ Parentis tui morientem, miserebar dolorum tuorum, & indignabar videns hominum omnium Sanctissimum, atque integerrimum, simulque Regum omnium maximum adeo crudelibus suppliciis affectum; sed hodierna die videns te in tanta status mutatione exulto gaudio, & lætor, nostra dumtaxat peccata posse tibi dolorem afferre eo in statu, in quo gloriosa tua te constituit Resurrectio. *Idem.*

Salvatoris Resurrectio in semet adeo est admirabilis, ac fulgens, ut quamvis sola esset, satis evidens esset probatio divinitatis secundum Apostoli sententiam, *Qui prædestinatus est Filius Dei ex virtute, & Resurrectione mortuorum.* Videlicet, se ostendit Dei Filium per hoc gloriæ Mysterium, & prædestinatio sua, solemniter declarata fuit per suam Resurrectionem. Sed addere possumus, miraculosam hanc Resurrectionem confirmare cetera quæcumque miracula; quæ ipse vivens fuerat operatus. Imperasse elementis, infirmos curasse, mortuos in vitam revocasse, hæc sunt argumenta sanctitatis, & divinitatis JESU CHRISTI; sed totus hic nitor potentiæ suæ evanescit in sepulcro; unde nisi surrexisset, miracula ejus habita fuissent pro meris illusionibus, ejusque promissiones pro fabulis. Verum cum præsertim confirmaverit auctoritatem Resurrectionis suæ, quæ fuit tamquam cumulus omnium miraculorum totius vitæ suæ, judicium ferri potest ex iis, quæ acciderunt triduo post obitum ejus, quo ille in sepulcro permansit: nam omnes illi ferme, qui crediderunt in illum, nutarunt in fide, & amiserunt lumina, quæ ille in cordibus eorum succenderat ad aspectum miraculorum suorum. Sed postquam triduo post mortem ejus nunciatum fuit, ipsum resurrexisse, hæc evidens fuit veritatis miraculorum suorum demonstratio; visi sunt omnes egredi de sepulcro, in quo triduo permanserant; & dicere possumus omnes cum illo surrexisse ad sarciendam nominis ejusdem celebritatem, ad reparandas mortis ejusdem ignominias, & ostendendum ipsum eum vere esse, quem se esse dixerat. *Idem.*

Miraculum Resurrectionis Salvatoris probavit cetera miracula, quæ alioquin totidem illusiones habita fuissent. Ad Roman. 1.

Eximia est S. Petri Chrysologi sententia, gloriam Resurrectionis JESU CHRISTI obruisse quodammodo mortis ipsius opprobrium, & infamiam: *Resurgentis gloria sepelivit morientis infamiam.* Mortis infamia sepelierat in sepulcro suo vitæ suæ gloriam; sed Resurrectio ipsius quodammodo duplex operatur miraculum; resuscitat existimationem, & vitam ejus, & sepelit mortis ejusdem ignominiam. Crux ejus caligine offunderat gloriæ illius: hominem mori tamquam latronem, damnari tamquam seductorem, & Pseudoprophetam; id quantum offecit in populi mente, conceptui, quem Prophetarum de ipso vaticinia peperarant! Et si in hoc statu *ille permansisset*, quænam oborta fuisset Jerosolymæ *primum, & mox in universo Mundo, quo nomen illius pervasisset*, opinio? *Quisnam ausus fuisset solum loqui de Deo, qui vivere desiisset, cujus ostendi posset sepulcrum, cineres, & supplicii instrumentum?* Quo pacto deleri potuisset dedecus *hujus mortis, nisi seipsum resuscitasset?* Hæc una Resurrectio inimicos potest confundere. Ubi illius veritas comperta, atque explorata sit, omnes evanescent calumniæ, omnes Apostolorum, ac Discipulorum ejus dubitationes dissipabuntur, & ad primum hunc Resurrectionis fulgorem omnis deletur ignominia, & ille cum ineffabili gloriæ incremento resurgit. *Idem.*

Salvatoris Resurrectio abunde mortis suæ ignominias reparavit.

Fatendum est præclarissimam Mundi existimationem fuisse illam JESU, dum viveret. Admirabile ipsi nomen erat, inquit Propheta; illud adeptus fuerat per suæ sanctitatis exempla, & miraculorum suorum fulgorem; necnon prædicationum excellentiam; sed æque verum est, præclaram hanc *existimationem in morte illius evanuisse, cum Judicum sententiis damnatus fuit*, & carnificum manu cruci suffixus. Nomen ejus eodem lapide, quo corpus ejus, contumulatum fuit. Sed in Resurrectione Salvator de hac civili morte triumphat, & alteram operatur gloriæ suæ Resurrectionem, reparans nominis celebritatem, quæ perierat, eamque restituens in eminentiori gradu, quam erat antea. *Idem.*

Quandoquidem J. C. resurrexit in cordibus nostris in hac festivitate, non debet ultra iterum mori.

Magnum privilegium Dominicæ Resurrectionis fuit immortalitas gloriæ; resurrexit cum hac conditione, vel potius prærogativa non ulterius moriendi. *CHRISTUS resurgens a mortuis, jam non moritur.* Nonnullorum contemplationi vacantium sententia est, Filium Dei post Resurrectionem suam visitasse locos, ubi passus fuerat, Prætorium, ubi fuerat flagellis cæsus, Calvarium, ubi fuerat crucifixus, attrectasse Crucem, clavos, & spinas, quin sauciari posset, quia jam impassibilis erat, & immortalis. Cogitate, Christiani, illum iisdem propositis conditionibus resurgendum esse in cordibus nostris; opus esse, ut resurrectio nostra aliquam tribuat immortalitatem vitæ, quam habet in nobis per gratiam, & de nobis dici: *CHRISTUS jam non moritur.* Ingredi debet ille in cor nostrum; mens, voluntas, cupiditates nostræ loci sunt, ubi male habitus, mulctatus, cæsus, & crucifixus fuit: sed ubi redit in cor per gratiam, sit impassibilis; ingrediatur in mentem nostram, quæ tot nefarias cogitationes concepit, ibique non inveniat nisi cogitationes procurandi gloriam ejus, descendat in voluntatem, ibique nulla amplius vitia reperiat; ibi in tuto sit, & nulla ex cupiditatibus nostris honori, vel vitæ illius vim inferre moliatur. Sed heu! Domine mi, longe aliis conditionibus hodie resurgis in corde plurimorum Fidelium! Vix illi tibi vitam dederunt, cum novis sceleribus mortem tibi rursus inferre festinant. Heu! ne inferamus tantam JESU CHRISTI contumeliam;

finamus illum frui hac vita gratiæ, quam recepit in corde nostro, & experiamur, quam utile sit perseverare, & mori in caritate. *Idem.*

Alacriter accipio, Salvator mi, obligationem, quam status resuscitatæ vitæ tuæ mihi injicit vivendi in hac vita tamquam qui resurrexit; absit quam longissime a morte peccati anima mea, & in omnibus actionibus suis præseferat insignia suæ resurrectionis; inimicissima hujus mundi, sepositа a vanitate, ac nugis præsentis vitæ, sæcularibus solatiis oppositа, inanium gaudiorum pertæsa, aliena ab iis rebus omnibus, quæ fascinant sensus, intenta precibus, lacrymisque, petat a te solutionem ab hoc peccati corpore, & fidelius omnibus officiis suis perfungatur, ut ope gratiæ tuæ adlaboret, ut me dignum efficiat vita sæculi venturi, cujus vita tua resuscitata quædam prædicatio est, promissio, & pignus non dubium. *Auctor Recens.*

Salvatoris resurrectio fuit reparatio, & confirmatio fidei Apostolorum, & fundamenti nostræ.

Fides Apostolorum, ut videtur, mutua erat cum Magistro illorum: quæ enim erat habenda fides, ut crederent hominem in cruce morientem esse Deum? Sed eorum fides cum illo resurgit. Resurrectio illius fuit fidei illorum reparatio, & fundamentum, nec non nostræ perfectio. Fides per se obscura est; videtur JESU CHRISTI resurrectio illi lucem præstitisse, quoniam JESUS CHRISTUS reddidit nobis evidentem Resurrectionem suam perspicuis argumentis, quæ tradidit, & evidentem effecit divinitatem suam per ipsam Resurrectionem. Illi omnes, qui aliquid contulerant ad ignominiam passionis ejus, aliquid contulerunt ad constituendam gloriam Resurrectionis ipsius. Pater æternus mittens *Angelos ad illam annunciandam*; Judæi mittentes *milites ad sepulcrum*, ut efficientes, ne inde corpus Domini posset auferri, rumorem, quem in vulgus serere conati sunt, facerent incredibilem. Discipuli tandem fidem Resurrectionis per suam ipsam incredulitatem firmarunt, ea quippe Magistrum impulit, ut præberet illis adeo valida argumenta, quæ eorum quidem curaverunt infidelitatem, & nostram prævenerunt; cum testimonium eorum eo sit validius, quo difficilius crediderunt. *P. Nepveu. Tomo 2. Christianarum Considerationum.*

Quomodo Resurrectio J. C. spem nostram alat. 1. ad Cor. 15.

Constantinus Magnus in præclara Epistola, quam scripsit, dum Nicænæ Symbolo interesset, ad Episcopos qui aberant, Mysterium, hoc, & hunc Festum diem *Spem nostræ immortalitatis* appellat. Et sane si nos sumus viventia JESU CHRISTI membra, nonne possumus polliceri nobis nos futuros esse participes gloriæ Capitis nostri, quod hodie coronari videmus? Si primitiæ in nobis spem cient fructuum, quandoquidem J. C. secundum Apostolum est primitiæ mortuorum; *Primitiæ dormientium*, & videmus in illo primitias gloriosæ Resurrectionis; cur non speremus nos quoque similes fructus? Si progressus filii natu majoris spem gignit, ut æque natu minor proficiat; cum JESUS sit *Primogenitus ex mortuis*, quo nomine a S. Paulo vocatur; cumque egressus fuerit de sepulcro glorioſus, atque triumphans, nos in spem inducit, cum fratres simus illius per adoptionem, nos quoque similiter ipsius ope egressuros: quandoquidem ut Rex Propheta inquit JESUS CHRISTUS quatenus victor *contrivit portas æreas* inferni, *& vectes ferreos confregit*. P. Texier in Dominicali Sermone pro Dominica Paschæ.

Ad Colos. 1.

Psalm. 106.

Fides Dominicæ Resurrectionis nos excitat ad sequelam ejus, & praxim Christianarum virtutum.

Percitum fide Resurrectionis JESU CHRISTI quidquid ne magis movere me potest ad illum sequendum, quam terminus quo mihi perveniendum est? Illum ne est efficientius argumentum, ut virtutis partes sequamur? Quod a nobis petitur, ut mereamur Resurrectionem JESU CHRISTI, cujus nos fulgor præstringit, ac fascinat, toto cælo minus est pretio, quo ipse illam obtinuit. Non credidit ipse nimis caro eam comparare pretio subeundo ipsum Crucis supplicium: ego vero credam mihi nimis magno sumptu eam esse redimendam, cum paullisper aliquantulum vis mihi debeam inferre, & aliquot annos pœnitentiæ peragere? Heu! Si Christiana virtus adeo nobis molesta videtur, inde fit; quia ejus remunerationem ad examen revocare dedignamur; qualem nobis hodie ostendit in seipso. Confortare igitur anima mea hac pretiosa spe, ut olim faciebat S. Job & omnes salutis obices contemne, atque dic cum illo: *Repositа est hæc spes mea in sinu meo*, Christianæ pietatis exercitia nonnunquam me turbabunt, sed suavitas spei resurrectionis eorum leniet severitatem: Spes hæc sita est in corde meo, ejusque erit firmamentum, consolatio, fortitudo, & dulcedo. *Ex libro cui titulus: Verus spiritus, & usus sollemnium anni festivitatum.*

Quam jucunda nobis esse debeat memoria Resurrectionis J. C.

Cogitatio, & memoria Dominicæ Resurrectionis nobis accidere debet perjucunda, illum diligentibus, & gloriam ejus inquirentibus. Quinam enim eorum dolor esse debet, cum illum cogitant ab Apostolo traditum, ad Caipham, tamquam criminis reum adductum, a falsis testibus accusatum, damnatum tamquam blasphemum, habitum ab Herode tamquam insipientem, ab ingrato populo Barrabæ postpositum, flagellis crudeliter a barbaris militibus cæsum, spinis coronatum, cruci suffixum, atque inter inimicorum injurias, atque blasphemias animam efflantem? Verum est hæc opprobria, & hos cruciatus redemptionem nostram operatos fuisse: sed si Redemptorem nostrum diligimus, excessus amoris sui nonne debet nobis gravissimum inferre dolorem, quandoquidem tanto illi stat sumptu? Sed ubi videmus illum de sepulcro egredientem sole nitidiorem, triumphum referre de dæmone, de morte, de peccato, de Scribis, de Pharisæis, de Pontificibus, de Sacerdotibus; ubi videmus illum in gloriæ statu, fortitudinis, majestatis, quem nemo illi potest eripere, neque imminuere; ubi videmus illum resurgere, ut cum illo resurgamus, & velle nos in partem vocare suorum magnalium, & nos de nostra eripere captivitate, possumus ne quidquam videre quod nobis accidat jucundius? Hic non est amplius homo infra Angelos positus, sed homo Rex Angelorum, & quem Angeli adorant: homo gloria, & honore circumdatus post perfunctorias suæ passionis ignominias. Si animam illius consideramus, anima ejus non potest ultra tristari usque ad mortem, sed in æternum cumulata est torrente voluptatis, qui nunquam turbatur: si animam nostram attollimus ad illius divinitatem considerandam, nunc habitat in corpore suo tamquam in Templo se digno: ubi producit opera digna potentia sua, & ubi ostentat magnalia sua, virtutem suam, atque majestatem. *Godeau in homilia pro die Paschæ.*

Quinam fuit effectus præcautionis Judæorum, qui sepulcrum Filii Dei militibus circumdederunt & lapidem, qua aditus in illud obstructus erat, obsignarunt? Nihil prætermissum fuit ad omnimodam securitatem. Quinam fuit, inquam, hujus præcautionis effectus? Non alius sane, quam amovere minimas etiam dubitationes, & levissimas suspiciones de JESU CHRISTI Resurrectione. Namque licet omnis adhibita fuerit cura, cum Salvatoris corpus post triduum, ex quo tumulatum fuerat, non fuerit repertum in tumulo, quid dicere poterant Pharisæi? ablatum fuisse noctis beneficio a Discipulis, dum qui in excubiis positi erant, somno essent sepulti? Sed S. Augustinus respondet; quomodonam potuerunt discipuli ad sepulcrum accedere, lapidem amovere, auferre corpus, quin aliquis ex militibus expergisceretur? Ceterum si vigiles alto erant somno obruti, unde noverunt illi corpus ablatum, & a quibus? Quæ veritatis species est, Discipulos, qui idem erant pavor, atque eadem infirmitas, *ausos fuisse* corpus rapere, quod in depositi loco ibi erat collocatum, & publica auctoritate obsignatum? Verum ausi fuerint; qua mente, quo consilio vellent aliis obtrudere, id, cujus mendacium facile comperiri, & innotescere potuisset? Quid inde sperare poterant? Si enim corpus abstulissent, illis constitisset JESUM CHRISTUM nequaquam resurrexisse, & se ab illo deceptos fuisse; & quemadmodum ipse illos objecerat odio nationis universæ, rei natura postulabat, ut intuiti se illusos fuisse, non solum adhuc illius causam tueri vellent, sed illi abrenunciarent, declarantes coram Magistratibus illum seductorem fuisse: quod testimonium profecto ab universa Synagoga exceptum fuisset cum plausu, & populi totius amorem illis conciliasset; cum e contra Resurrectionem illius evulgantes exspectare non poterant, nisi odia, persecutiones, carceres, & mortem ipsam. *P. Bourdaloue in Mysteriis Tomo 1. Sermone de Resurrectione.*

Præcautiones a Judæis adhibitæ, ne J. C. corpus auferretur, ut illum Resurrexisse rumor manaret, profuerunt ad auferendam omnem Resurrectionis illius dubitationem.

Resurrectioni acceptum referendum est, Christianam Religionem auctam, & multiplicatam fuisse, Evangelium in omnibus Mundi partibus incomprehensibiles progressus fecisse, & divinitatem Salvatoris, quidquid omnes Mundi, inferorumque potestates adniterentur, creditam fuisse in extremis usque terrarum plagis. Satis est animum advertere ad originem, & ortum Ecclesiæ; nunquam Apostoli prædicabant in Synagogis JESUM CHRISTUM, quin illius Resurrectionem in medium afferrent tamquam argumentum insolubile: *Hunc Deus suscitavit tertia die*; hunc Deus Patrum nostrorum glorificavit, liberans illum a morte: hunc vos crucifixistis; sed postea ille ostendit se in statu vitæ recentis. Diceres, hunc solum fuisse articulum, quo eorum prædicatio fieret efficax, & invicta; etenim quanam in re ostendebant illi vim zeli Apostolici quo repleti erant, nisi perhibentes testimonium Resurrectioni JESU CHRISTI? *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis JESU CHRISTI Domini nostri.* In hoc posita erat omnis eorum cura, & totus fructus ministerii sui, perinde ac totum Apostolatus officium ad unum hoc punctum redigeretur. *Idem.*

Videtur Christiana Religio per Resurrectionis veritatem in mundo constituta fuisse.

Actor. 6.

Ibid. cap. 4.

Ex omnibus nostræ Religionis articulis, nullus est, Sanctus Augustinus ait, quod majorem nactus fuerit oppositionem, quam hominum Resurrectio; quia nullus est, qui magis illos in officio contineat, eosque magis divinis legibus subjiciat: *In nulla re tam vehementer contradicitur Fidei Christianæ, quam in Resurrectione carnis.* Si enim homines Resurrecturi sunt, igitur altera est vita post hanc: omnis igitur spes nostra non terminatur in morte; nos ergo manet fors

beata,

beata, vel misera in æternitate; Deus ergo nobis reservat alias remunerationes, vel pœnas: maximum ergo negotium nostrum est hic laboribus exerceri ad illas quidem promerendas, has vero evitandas: Omnes ergo actiones nostræ ad finem hunc referendæ sunt: & cetera quæcumque nullo in discrimine habenda. Nos ergo damnandi sumus, si vitæ hujus ærumnis turbamur, & perstringi sinimus nitore humanarum felicitatum. Virtus igitur sola in terris solidum bonum nostrum est, immo etiam bonum unicum; nam omnes istæ illationes necessario consequuntur principium illud de mortuorum resurrectione. Quamobrem Tertullianus eximium opus, quod hujus argumenti elucubratus est, incipit præclaris his verbis: *Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum. Idem.*

Qui non credunt corporis Resurrectionē, neque credunt animarum immortalitatem.

Impii, Atheique corporum negant Resurrectionem, quia non credunt animarum immortalitatem, neque vitam futuram. Nam quamvis duo isti errores non habeant invicem nexum omnino necessarium; sibi tamen cohærent in mentibus impiorum, qui conantur obliterare de mente sua ideam rerum æternarum, ut adeant possessionem impune peccandi, & delere cupiunt primum fidem Resurrectionis corporum, & per infidelitatis progressum, qui evitari non potest, se excæcant eousque, ut sibi persuadeant animas etiam immortales non esse; quapropter Sanctus Paulus iisdem utitur armis ad utrumque impietatis genus impugnandum. *Idem.*

Si Dei Filius potuit seipsum resuscitare, poterit quoque resuscitare nos.

Sunt, S. Augustinus ait, qui Salvatoris credunt Resurrectionem, sed non intelligunt, vel intelligere nolunt, quomodo inde sequatur, nos quoque posse aliquando resuscitari; sed, Sanctus hic Doctor ait, quod in illo adimpletum video, qua ratione putem in me adimpleri non posse? Nunquid enim minus potens est in me, & propter me, quam fuerit in seipso, & propter se? Et si utrobique eadem semper est virtus, nonne semper eadem poterit operari miracula? Igitur per supremam hanc virtutem in abyssis maris, in terræ visceribus, in penitioribus antris, & specubus, in abditissimis, & obscurissimis mundi recessibus colliget nostrummet ipsorum exuvias, quas mors dissipaverat, congregabit cineres dispersos, sensuque carentes, & efficiet, ut audiant omnes vocem suam, qua excitabuntur. *Idem.*

Dei Filius resurrexit, ut nos participes faceret gloriæ corporis sui.

Non pro se tantum Dei Filius de sepulcro egressus est, & resurrexit: verum etiam pro nobis. *Et sane*, si quatenus caput vult membra sua, *ut ipsum agere, ut ipsum vivere, ut ipsum mori*; cur nolit eadem etiam, ut ipsum resurgere? Nonne æquum est, ut nos vocans in partem laborum suorum, vocet quoque in partem suæ remunerationis? & quoniam pars remunerationis suæ est corporis sui gloria; quia corpus hoc adorabile factum est particeps meritorum cum anima sua, nonne per hoc ipsum tenetur pariter in nobis & corpus, & animam remunerari? Veritas adeo certa secundum Doctorem gentium, ut non vereatur asserere, si mortui resuscitandi non sunt post JESU CHRISTI Resurrectionem, & in vim gloriosæ hujus Resurrectionis, sequi, hanc Resurrectionem veram fuisse: *Si resurrectio mortuorum non est, neque CHRISTUS resurrexit. Idem.*

1. ad Cor. 15.

Væ credentibus resurrectionem & viventibus quasi non crederent.

Væ non solum impio, non credenti, verum etiam peccatori credenti resurrectionem, & viventi, quasi non crederet illam. Profecto quid prodest credere, & non agere juxta fidem: quid dico? & agere eo modo, qui directe opponitur fidei suæ? Credere resurrectionem, quæ efficiet, ut prodeamus coram judice vivorum, atque mortuorum, ut cognoscamur quales erimus, & quales fuimus, & vivere in nefariis criminibus, in flagitiis, modo quidem absconditis, atque latentibus, sed quæ tunc revelata, & coram omnibus hominibus evulgata nos ignominia, atque opprobriis suffundent? Credere resurrectionem, quæ nos est traductura in vitam alteram sive æternum beatam, sive æternum miseram, prout in hac præsenti vita bona egerimus, vel mala; & in præsenti vita nihil omnino facere boni, quod beatam nobis procurare valeat immortalitatem, & in eadem omnia patrare scelera, quæ nobis terribilem conflare possunt damnationem, & nos ad æternam deducere calamitatem? Quid prodest, iterum dico hoc pacto credere? vel potius hoc pacto credere, nonne est se nocentiorem præstare, ac ex semet semetipsum damnare? *Idem.*

Resurrectionis cogitatio consolari debet justos in omnibus ærumnis & persecutionibus eorum.

Beatus fidelis, qui credit, & gloriosam exspectat resurrectionem; nam per Christianorum operum praxim, & morum suorum sanctitatem adducit se in statum illius promerendæ. Hoc S. Paulum excitabat; hoc nascentem consolabatur Ecclesiam; hoc omnibus sæculis deinceps sustinuit tot Martyres, tot Anacoretas, tot Cœnobitas: quia patimur, ajebant illi, corpora nostra mortificamus, abstinemus voluptatibus, quas nobis exhibet mundus; sed non frustra, & quandoquidem certi sumus animam futuram corpori superstitem, & in extrema temporum consumatione corpus iterum adhæsurum animæ, ut simul utrumque vitam immortalem incipiant; non deest nobis unde gaudeamus cogitantes nos uberrimam esse mercedem consecuturos æternæ felicitatis pro iis omnibus, quæ in terra reliquerimus, & pro omnibus sacrificiis, quæ obtulerimus Deo. En quid zelum, ardoremque excitare debet in omnibus piis animabus, quæ me audiunt: dico amplius: En quid sanctificare debet Christianos omnes: ecce ubi consilia capere debent; nullibi enim capere possunt solidiora. *Idem.*

Magnum discrimen inter sepulcrum Filii Dei, & Principum terræ.

Domine quam dissimile est sepulcrum tuum ab illis hominum, eorum vero præsertim qui maxime in terris nituerunt! Hæc quantumvis magnifica videantur, semper tamen humiliant; sed jure Propheta testatus est sepulcrum tuum gloriosum fore. Hominum ambitio hæc mausolæa æque superba, atque contemptibilia, quæ humanæ ædificat vanitati, non nisi mortuis exornare potest simulacris, quibus tristes aptat vultus, oculosque lacrymis manantes. Immo neque tristes, atque luctuosas incidere potest epigraphes ex spectatoribus lacrymas postulantes; & quæ enarrantes potestatem, magnasque mortui dignitates, prædicant hanc potentiam evanuisse, & has præteriisse dignitates; amicis nil ultra ab illo esse exspectandum; corpus suum illic fore in putredine, & fortasse etiam in cineres resolutum. Hoc omnia jactant sepulcra. Tuum vero, Salvator, beatis spiritibus septum est, ore, habituque corporis præ se ferentibus gaudium, quo exultant, annunciant epitaphium sepulcro tuo inscribendum: *Surrexit*. Epitaphium, quod uti tibi convenire potest, quod tuos confirmat discipulos, & terret hostes; quod utrisque significat finem *jam factum* doloribus, & humiliationibus tuis; quod prædicat, si *mortem subire voluisti, te illam vicisse*; quidquid in te *vitæ fuit, virtutis, magnitudinis*, gloriæ, vigere adhuc, & futurum ut æternum vigeat. *Pater Valois in Ascéticis in sermone de Resurrectione.*

Felicitas Discipulorum, qui viderunt illum resuscitatum.

Beati Discipuli quibus datum est videre Magistrum ab inferis redivivum, & attrectare vulnera ejus, videre ac tangere cor illius per lateris vulnus? Quinam tunc fuit stupor vester, qui animæ vestræ raptus? Viderunt illum oculi nostri, dicitis, centies deinde, vobismet vestram fortem gratulantes; *manus* nostræ illum attrectaverunt. Sed quo *cum sensu*, quæ cum actione gratiarum, & quo *cum unctione id dicitis*? Non eamdem nobis *gratiam largitus es*, Domine, sed aliam *largiris majori adhuc a nobis in pretio habendam; illi te viderunt, nos autem non videmus te, & venis*, ut te nobis tradas per communionem; & si te non *videmus coram oculis nostris*: gerimus te in corde nostro; si jucundum est videre thesaurum, quanto jucundius, & utilius est illum possidere? Viderunt illi vulnera tua, nos vero bibimus totum sanguinem, qui ex tuis vulneribus effluxit: illis permittis, ut inferant digitos in vulnera tua; sed tu in persona tua venis in nos, tu in nos ingrederis, & manes in nobis. *Idem.*

Insignis temeritas est dubitare solum de resurrectione Salvatoris, & de nostra in fine sæculorum.

Indignum, temerarium, & non ferendum est post argumenta, quæ habemus de resurrectione, in dubium revocare veritatem hanc, ubi aliqua menti occurrit difficultas. Hoc ut plurimum accidit impiis, quos sola impietatis suæ difficultas magis movet, quam omnia testimonia, quæ possunt afferri, quemadmodum S. Thomas, qui per meram pertinaciam rejecit aliorum testimonia, & in sua incredulitate obfirmavit se, credere nolens nisi manus suas intulisset in vulnera; sed tandem sese dedere coactus fuit postquam id illi contigit, & cum admiratione exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* O Domine, faceor te Deum meum esse! Scio levitatis esse adeo facile fidem rebus habere: sed post invicta argumenta dici ne potest Apostolos non coactos fuisse, ut crederent Salvatoris resurrectionem? *Ex sermone Patris de Lingendes, pro die Paschatis.*

Quam æquum sit, ut corpora reviviscant, ut accedant in partem felicitatis animæ.

Equum ne esset, Fideles, ut humanum corpus, quod propriis manibus fingere voluit Deus, & cui per flatum oris sui immittere studuit spiritum cælestem, ac a materia quavis immunem ad componendam ex intima unione hujus corporis, ac spiritus totum adeo præstans, atque numeris omnibus absolutum, quale homo est; utique, æquum ne esset, ut hoc opus manus Dei non aliam haberet partem in Spiritus hujus beatitudine; ut in æternum separatum esset ab anima explicite a Deo creata ad illud animandum, deducendum, ac regendum concentum diversarum partium, ac motuum, quibus viget, ab anima, quæ essentialiter fertur tamquam forma ad materiam, & quæ non habet quidquid cupit ad naturalem perfectionem suam, cum se inde videt avulsam, & ejectam ex parvulo mundo hoc, in quo posuit illam Deus, ut illum ope, & cura sua gubernaret, eodem ferme pacto, quo Deus ipse universum moderatur per providentiam suam, & suæ voluntatis imperia. Opus ergo esset, hoc ædificium architecturæ prorsus divinæ, & dignissimum, ut ibi anima immortalis inhabitet; in quo adeo illustria sapientiæ suæ insculpsit monumenta, ideo formatum fuisse, ut interiret, & fieret pabulum annorum, atque putredinis? Ratio vera nonne postulat, ut aliud prorsus judicium feramus, & cogitemus, ubi Deus iniit consilium humani corporis ædificandi,

non solum impressisse in illo admirabilia suæ intelligentiæ vestigia, illud tanto ordine, omniumque partium aptissima distributione componendo; verum etiam efficere voluisse, ut accederet in partem beatæ æternitatis, qua anima perfruitur est; quandoquidem particeps fuit laborum, ac meritorum illius. *Abbas de Bourseis sermone tertio de resurrectione.*

Nequicquam impii sibi persuadent impossibilem esse resurrectionem.

Quam prætexere possunt impossibilitatem impii ad resurrectionis veritatem impugnandam? Si arguunt illam ex Dei impotentia; quæ ratio infelicior? Nam nunquid facilius est homines ex nihilo educere, quam ex sepulcro? eos facere, quam reficere? & hoc ineffabile Dei Verbum quod penitiores abyssos illustrat, quod renes scrutatur & corda, & cui tenebræ æque patent, ac lux, ut loquitur Scriptura, ignorare potest, ubi collecti, congestique sint nostrorum corporum cineres? Fieri ne potest, ut in confusione non videat, quod videre potuit in nihilo? Quid vetat quominus in temporum fine reproducat, quod in temporum initio produxit, & iterum per bonitatem suam connectat, quod per justitiam separavit. Quod hac in re nos fallit, hoc est, quod in infirmis argumentationibus nostris metimur Dei potestatem ex potestate naturæ, generatim supponentes quidquid superat virtutem causarum secundarum, vim etiam causæ primæ superare. Hinc fit, ut in ordine naturæ non videntes ullum resurrectionis vestigium, neque ullum illius producendæ principium supponimus in ordine gratiæ nullum esse, quod effectum adeo admirabilem valeat producere. *Idem.*

Discrimen inter sepulcra principū terræ, & illud Salvatoris.

Terrenarum potestatum proprium est, dum vixerint, suam ostentare magnitudinem, & majestatem in throno, ut quamprimum in horrore sepulcri hanc pompam sepeliant; & fallacem nitorem hunc contegant marmorea lamina, quæ lugubres hos characteres insculptos præseferat: *Hic jacet*: Hic ille jacet, quem fortuna potius, quam meritum super populorum caput evexit. Ambitiosus hic spiritus, qui sæculi gloriam appetebat, corruit. Hic computrescit turpe cadaver infamis voluptuosi, pro quo natura non satis protulit voluptatum atque deliciarum; *Hic jacet*. Hic videntur tristes reliquiæ hominis magni quidem coram mundo, sed exigui coram Deo, qui cum intumuisset superbia tamquam fluctus maris in hujus sepulcri pulverem allisus est. Huic accidit prorsus oppositum ac Salvatori Mundi; ubi mundi magnitudo suum invenit interitum, JESU CHRISTI magnitudo suam invenit gloriam, quamobrem Angeli scribunt in illius monumento epigraphem prorsus oppositam ceterorum hominum epitaphio. Pro funestis verbis illis: *Hic jacet*, gloriosa hæc inscribunt verba: *Surrexit, non est hic*. Qui vixit, tamquam mortalium novissimus, modo ad altissimum gloriæ Dei fastigium attollitur; qui in speciem succubuit injustis inimicorum conatibus, victor resurgit, eosque pedibus suis prostratos conculcat. *Patek Texier in Mysteriis Domini nostri.*

Quomodo fieri possumus participes gloriæ resurrectionis Filii Dei.

Qui participes fieri volunt gloriæ Resurrectionis Filii Dei, mori debent, ut ille mortuus est; & ut moriantur eo modo, quo mortuus est, oportet, ut sicut ille cessavit naturalem vitam vivere per effectum propriæ suæ voluntatis; ita nos abrenunciemus vitæ peccati, ut cessemus vivere secundum motum nostrarum cupiditatum, & affectionum, & proprius amor noster, qui verum est earum principium, ita sit in nobis eversus, ut omni careat actione, ut nullam amplius habeat partem in vitæ nostræ regimine, & nos dicere possimus verba illa Apostoli: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me CHRISTUS. Sensus, affectiones, naturæ studia, ac desideria in me mortua sunt; omnes primæ ille dispositiones in me ita immutatæ sunt, ut non sim amplius qui eram, & quidquid fit in me, ab uno illo fiet, qui illud operatur, & tota vita mea non aliud est nisi perfecta nutibus, omnibusque voluntatibus illius obedientia. Hæc ea vita est, quam nos ducere oportet; nobismet ipsis mori debemus, ut fiamus participes gloriæ Resurrectionis Domini. *Abbas Trappensis in Collatione pro die Paschæ.*

Signa certa ex quibus liquet nos cum J. C. surrexisse.

Resurrectionis quæ potissimum signa observanda sint, Apostolus nos admonet: nam cum inquit. Si consurrexistis cum CHRISTO, quæ sursum sunt, quærite, ubi CHRISTUS est in dextera Dei sedens; *plane ostendit eos, qui vitam, honores, otium, divitias ibi maxime, ubi CHRISTUS est, habere cupiunt, vere cum CHRISTO surrexisse. Cum vero addit*: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; *alteram etiam hanc velati notam appositi, qua perspicere possimus, num vere cum CHRISTO surreximus. Ut enim corporis affectionem, & valetudinem gustus indicare solet: ita si quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta alicui sapiant, ejusque cælestium rerum jucunditatem intimo mentis sensu percipiat: hoc maximo argumento esse poterit, eum, qui ita affectus sit, ad novam, & spiritualem vitam, una cum CHRISTO JESU surrexisse.* Ex Catechismo Tridentini Concilii in ea Symboli verba, *tertia die resurrexit a mortuis.*

Quid passim prohibeat plurimorum Christianorum resurrectionem.

Quod plerumque prohibet, ne spiritu resurgamus, ut JESUS CHRISTUS resurrexit secundum carnem, ut plurimum est fermentum peccati, quod in nobis foyemus, & quod exhaurire non quærimus. Clarius loquar: redimus in gratiam cum fratre, parcimus inimico: supereſt tamen aliquod fermentum acrimoniæ, atque ægritudinis, quod parum distat ab odio, & simultate. Nexus impudicus infringitur, non ita tamen, ut quædam reserventur jura, quibus omnino abrenunciandum esse divina lege nequaquam teneri putamus: quædam commercia, quæ urbanitas, & officium sibi licere permittunt; hæc ea sunt, quæ a S. Paulo peccati fermenta vocantur. Fermentum hoc, Fratres mei, expurgandum est, addit Apostolus, si vultis novum Pascha celebrare. Reminiscendum est modico fermento, quod corruptum est, totam massam corrumpi, ita quod supereſt semisopitæ cupiditatis, licet in speciem intermortuæ, delere potest, & ad nihilum adducere meritum universum conversionis nostræ, & efficere, ut nequaquam vere resurrexerimus. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. P. Bourdaloue sermone de Resurrectione in Quadragesima.* 1. ad Cor. 5.

Ut in fine sæculorum multiplex erit resurrectio; ita & in peccatoribus multiplex est conversio.

Quemadmodum per Resurrectionem quam sancto hoc tempore Christianus exigit, non aliud intelligitur nisi vitæ mutatio, atque integra, & perfecta conversio; ita multiplex modo invenitur conversio, quemadmodum in fine sæculorum multiplex erit resurrectio; & sicuti secundum Evangelium alii e sepulcris prodibunt in vitæ resurrectionem, ita alii inde emergent in resurrectionem judicii: *Et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Similiter in hac festivitate videntur peccatores egredi ex Tribunali pœnitentiæ, alii quidem per gratiam vivificati, & cum Deo in gratiam reversi; alii vero per abusum Sacramenti in peccato magis pertinaces, magisque Dei inimici facti. *Beatus*, concludit Spiritus Sanctus in Apocalypsi.: *Beatus est Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Secundum eamdem regulam dico, beatus, qui habet partem in prima conversione! Beatus, & Sanctus, qui cum JESU CHRISTO resurgens, secundum Apostoli effatum in sua conversione sapit tantum cælestia; avertit oculos a terrenis objectis, adhæret Deo propter ipsum Deum. Hæc, Fideles, est illa conversio, & resurrectio, quam hodie postulat Deus, & cujus in persona Filii sui vobis proponit exemplum. *Idem.* Joann. 5. Apocal. 20.

Tenemur apparere conversi, & resuscitati per vitæ mutationem.

Tenemur videri conversi in oculis hominum, illis ostendere nos vere per vitæ mutationem resurrexisse. Tenemur autem primum propter Dei gloriam, quem læsimus; alioquin, fideles, quam reparationem illi faciemus propter patrata a nobis scelera; & quomodo farciemus gloriam quam peccantes illi eripuimus? Quid peccator, qui me audis, millies injuria affecisti Dei Majestatem, & erubesces modo, si coram illo humiliatus videreris. Palam contempsisti Legem illius, & putabis te omnia persolvisse pœnitentia secreta? Licentia, qua illum irritabas, omnibus erat comperta, & explorata, pœnitentia, qua illum placas obscura erit, & absconditа? Non ita fratres, hoc agere non est proprie converti. Quomodo illi satisfieri poterit, nisi per ædificantem conversionem, per conversionem, cujus fructus innotescant, per optimi exempli conversionem, quæ bona fide, ac sincere est efficienda? Opus est ergo, ut peccator se pro Deo stare palam profiteatur, ut se mutatum ostendat, & prorsus alium ab eo, qui erat; verbo vere resuscitatum. *Idem.*

Modus, quo corpus Salvatoris exiit de sepulcro. Matth. 27.

Salvatoris corpus, quamvis cum divinitate conjunctum, sine vita positum est *in monumento novo, quod exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Clauditur, & ostio advolvitur lapis ingens, quo prorsus obstruitur: asseruntur signa Principum populi, positisque custodibus obsignatur. *Signantes lapidem cum custodibus.* Glorioſa illius anima cum corpore iterum jungitur, simulque terra contremiscit; terror milites occupat, vigiles semianimes ruunt, & licet obstet lapis, signa, & petræ impenetrabilis duritiei, corpus hoc repente factum lucidum, agile, impassibile, & penetrabile sibi sua subtilitate viam facit naturæ ignotam, & per sepulcrum infractum pertransiens glorioſe triumphat de omnibus hisce obicibus, quibus sub terra detinebatur. *Maimbourg. sermone pro die Paschæ.*

Discrimen inter corpus Salvatoris cum illatum fuit in sepulcrum, & cum inde resurgens egressum est.

Ingens profecto discrimen fuit inter Salvatoris sepulcrum, cum illuc ingressus est, & illud ipsum cum est egressus. Ingreditur flagellis cæsus, spinis, clavisque terebratus; quæ supplicia pro mortalium peccatis subierat: sed illinc egreditur hodie in statu impassibili, & immortali. Vidimus illum feria sexta in sepulcro tamquam opprobrium hominum, & reliquias rubiei carnificum, qui illum occiderant; hodie vero videmus illum gloria coruscantem, ac de inimicis triumphantem. Angelus nuper illi offerebat mortis nuncium, hodie Angeli Resurrectionem ejus annunciant. Profecto æquum erat ut ignominias illius excuperet gloria, & Pater Æternus, qui illum tradiderat carnificum crudelitati, tamquam victimam justitiæ suæ immolatam, patientiam ejus remuneraretur vita altera, & illis

& illis ostenderet ; amorem JESU CHRISTI potius ipsum in manus eorum tradidisse, quam eorum robur, & vim. *Surrexit, non est hic.* Scribæ, & Pharisæi, parum vobis profuit justitia vestra ; inutilis vobis fuit, o carnifices, vestra custodia ; quamvis officio suo rite defungi decrevisset ; nam quamvis tot adhibitæ fuerint præcautiones, egreditur de sepulcro tamquam victor de morte triumphans. *Biroat in Quadragesimæ sermone pro die Paschæ.*

Apparens complurium fidelium resurrectio.

Plerique Fideles, ut plurimum, in speciem dumtaxat resurgunt ; hæc sunt conversionis mera phantasmata, cor ipsum non resurgit ad gratiam relinquens peccatum. Habet quamdam conversionis speciem potius per hypocrisim, & simulationem, quam per pietatem, atque voluntatem. In resurrectionibus duo sunt termini, peccato moriendum est, gratiæ vivendum. Sed ut plurimum fallimur, quod mortem dicimus, simplex defectus est, vel quædam mortis species, sed mortis veritas abest. Vita quodammodo ad breve temporis spatium recedit ; vires, & spiritus introrsum & in imam cordis partem sese recipiunt ; sed si paulisper exspectas, spiritus, qui intus latebant, prodibunt, & inde liquebit eam nequaquam veram fuisse mortem, sed levem ac perfunctoriam mortis imaginem. Hæc imago est conversionis plerorumque fidelium ; videtis peccatorem ad Confessarii pedes provolutum, humili corporis habitu ; diceretis hunc hominem mortuum esse peccato ; omnes præsefert mortis notas. Confessarius ipse decipitur, edidit enim illi aliquod specimen pœnitentiæ ; tamen hæc non est vera mors, voluntarius defectus est, qui non diu permanebit ; quoddam habet in imo corde vitium, cui sese objiciet ; ubi primum festi dies pertransierint ; exspectate triduum, aut quatriduum, innotescet illud fuisse conversionis phantasma ; revertetur, ut olim ad peccata sua, & vivet in iisdem habitibus, & flagitiis. *Idem.*

Duo resurrectionis genera, alterum perfectum, alterum imperfectum, alterum imperfectorum.

Duo sunt spiritualis resurrectionis genera, alterum perfectum, alterum imperfectum. Imperfecti quidem resurgunt, sed non secus ac Lazarus, qui egreditur de sepulcro pedes manusque habens vittis revinctas, & faciem sudario involutam ; restat enim illis adhuc nonnihil de antiquis habitibus suis, de vivis, & immortificatis affectibus ; itaque periculum est ne iterum propter recidivam moriantur ; nisi strenue omnes infregerint nexus suos, & ejecerint quidquid sepulcrum sapit, & reliquerint omnia veteris hominis insignia. Econtra vero perfecti JESU Magistri sui sequuntur exemplum, qui linteum, & sudarium in sepulcro reliquit. Novo cum fervore resurgunt, veterem hominem exuunt, omniaque illius opera abjiciunt, ut novum induant, ac se prorsus instaurent ad æternam vitam per æthicarum virtutum exercitationem promerendam. *P. a Ponte in Meditatione de Resurrectione.*

Plerique peccatores nolunt egredi de sepulcro, nec habituales vigilias relinquere.

Ut verum dicamus, sepulcrum nostrum diligimus, & ne inde egrediamur, illud gravi solidoque lapide obstruximus, nos tenent habitus pernicioси & affectus effrænes ; non possumus, & nolumus egredi, ita ut de nobis dici possit : *Sepulcra domus eorum in perpetuum.* Similes sumus Evangelico dæmoniaco, qui habitabat in cæmeteriis, & cavernis, quæ sepeliendis hominibus destinatæ erant ; qui, si quos illud conaretur avellere de funesta illa domo, huic insiliebat in oculos, ac furias suas ingeminabat. Saltem fateamur, fideles, nonnisi inviti illinc egredimur. Quid ? animæ nostræ minus erunt paratæ ad Dei voluntatem faciendam, quam corpora nostra ? *Omnes, qui sunt in monumentis*, inquit Apostolus, *audient vocem Dei.* Heu ! nonne toties per sacrum hoc pœnitentiæ tempus audistis vocem Dei, qui adeo frequenter in Lazari persona vos arcessivit : *Lazare veni foras.* Egredere miser de hoc tumulo tot infecto criminibus, fœnerator, impudice, blasphemе ; sed egredere cum animo non ultra huc redeundi, alioquin nonnisi tamquam phantasma, & in speciem solum resurgis. Umbra es, & spectrum errans circa suum sepulcrum, & cineres. Heu ! Christiani, aliquando tandem in vita nostra aliquem exeramus conatum, ut ex hoc sepulcro emergamus, quod, ut vere dicam, ostium est inferorum. *Ogier in publicis actionibus. Sermone de Resurrectione.*

Inimici veritatis Dominicæ resurrectionis, ad illam statuendam contulerunt.

Fatendum est Domine ! ferventissimi patroni tuæ Resurrectionis, nunquam probarunt illam validius, quam illius inimici eam constituerunt ; & sicuti facis, ut omnes tibi serviant tum qui tuis resistunt imperiis, cum qui sese iisdem subjiciunt, ut æterna consilia tua compleantur ; scis ad veritatem statuendam uti conatibus eorum, qui illam evertere adnituntur, non secus ac zelo eorum, qui eamdem propugnant : legentibus paullo attentius historiam miraculosæ Resurrectionis tuæ, qualiter ab Evangelistis narratur, innotescit adorabilis providentia tua, qua ad probandam fundamentalem hanc Religionis nostræ veritatem convertisti quidquid dæmonum, hominumque nequitia suscitavit, ut illi caliginem offunderent, eamque subverterent. Etenim quid profuit lapidem signare ? quid custodes adhibere ? nisi ut adderetur numerus testium, & Resurrectionis fulgor magis, magisque enitesceret ? Si sepulcrum nequaquam appositis militum excubiis servatum fuisset, suppositа ablatio corporis, quam Judæi acceptam referre conabantur Discipulis Domini, majorem habuisset speciem veritatis : sed quæ verisimilitudo est, Discipulos æque timidos, quales erant JESU CHRISTI ea in confusione, ac formidine, quam mors ejus illis incusserat, ausos fuisse audacissimum facinus quale est, nocte concubia, auferre corpus magistri sui inter tot satellites, quibus sepulcrum illud erat circumdatum ? & quamvis pares fuissent, ut consilium adeo temerarium conciperent, quomodo nam illud fuissent executi, S. Augustinus interrogat ? Vel custodes sepulcri, dum corpus illud auferretur, vigilabant, vel dormiebant. Si primum ; quomodo id fieri passi sunt ? Sin alterum, quomodo hoc fieri viderunt ? *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Ex specimine sermonum pro die Paschæ.* Psalm. 25.

Quod pondus habere debet testimonium Apostolorum, ut Resurrectionem credamus.

Quæ utilitas, quis honor, quod commodum cessisset Apostolis simulantibus Resurrectionem Magistri, qui adeo terribiles habebat inimicos, & cujus finis in speciem fuerat adeo contumelioſus ; nisi illis omnino persuasum fuisset de hac resurrectione ; illam ne tanto zelo prædicassent ? ad illam propugnandam totum ne sanguinem suum effudissent ? Sed longius procedat argumentum ; quomodo illi veritatem hanc in omnes terrarum plagas tanta cum felicitate disseminassent ? Quibus pollebant viribus, ut infinitos superarent obices, qui prohibuissent, ne Religio hæc institueretur ? Quænam erat vis ingenii, quæ dicendi facultas, ut humanis mentibus injicerent rem adeo miram, atque inauditam ? Quæ fascinatio efficiebat, ut tot hominum millia simul amplecterentur fidem novam, ad solam illius prædicationem ab indoctis, rudibusque piscatoribus propositam ? Quis magnam hanc veritatem alte adeo impressit in corde tot Martyrum, qui ad illam propugnandam mortem subiere ? Quis auctor fuit, ut de Judæorum rabie, de idololatrarum furore, de hæreticorum nequitia, de improborum protervia triumphum referret ? Quis per tot sæcula illam ad nos usque traduxit ; & quis ad hanc quoque diem illam constituit argumentum universalis lætitiæ in Ecclesia, nisi tu, Deus meus, qui infirma quæque elegisti, ut confunderes fortia, & invalida instrumenta, ut tot miracula operareris ? *Ibidem.*

Veritas Resurrectionis solida probata.

Magnæ, & admirabiles veritates, quas nos credere jubet Deus, rationi stuporem injiciunt ; sed verum etiam probationes illæ, quibus innititur, nostram rationem evincunt ; ita ut si hinc quidem sacrificandum est omnibus intellectus nostri luminibus, ut has veritates credamus, inde abrenunciandum sit omnibus iisdem luminibus, ne illas amplius credamus. Sed JESU CHRISTI resurrectio, ex omnium Doctorum sententia, fortissima est, ac certissima omnium harum probationum ; hæc æque admirabilis est in seipsa, & in figuris suis ; nam quod potissimum constituit nostræ hujus fidei fundamentum, simul fulcit, & sustinet totum Religionis ædificium, ipsum quoque fulcitur iis rebus omnibus, quibus solidum fieri potest, atque inconcussum. *De JESU CHRISTI* Religione dubitari non posset utrum sit vera, necne, si ille resurrexit ; neque posset dubitari utrum vere resurrexerit, necne, si considerantur figuræ, quæ prænotarunt Resurrectionem, Prophetiæ, quæ illam portenderunt, & testes, qui illam prædicaverunt, & miracula, quæ illam subsecuta sunt. Altius rem ab ipsa legis Mosaicæ origine repetamus, & inveniemus diei hujus mysterium connotatum iis characteribus, qui sole ipso sunt nitidiores. *Ibidem.*

Cum certi simus de Salvatoris Resurrectione, de Religionis nostræ veritate dubitare non possumus.

Si mecum reputo ea, quæ gloriosam hanc Resurrectionem subsecuta sunt, nihil video, quod mihi non persuadeat me esse in vera Religione : Video omnes Apostolos, qui hoc propriis oculis conspexerunt profectos in omnes terrarum partes ad prædicandam JESU CHRISTI divinitatem, sexcenta perferre tormenta, ipsamque mortem, ut illam propugnent. Apostoli illi vel decepti erant, vel insignes erant deceptores : Probabile non est deceptos fuisse : quippe satis, superque omnia ad trutinam vocaverant, & eorum nonnulli voluerunt etiam attrectare, & videre corpus Salvatoris, antequam id crederent ; Asserere autem eos decipere voluisse, & in errorem mundum universum inducere ; hoc esset stultitia : nemini enim in mentem venit hæc alios fallendi cupiditas, ubi liquet, omnem versutiæ, & calliditatis præmium esse patibulum ; nihil ergo prohibet, ne credam Religionem meam esse veram. *Ex specimine sermonum pro Dominicis.*

J. C. divinitas per illius Resurrectionem probata.

Plane credibile est JESUM CHRISTUM esse Deum, & veram esse Religionem ab illo institutam ; eadem enim ratio, quæ Deum probat, probat etiam JESUM CHRISTUM esse Deum : Si enim Deus est, veritas illi essentialis est, ideoque fieri nequit, ut probet mendacium, atque versutiam. Si Deus est, fieri nequit, ut nos fallat : at Deus operatus est miraculorum omnium maximum ad divinitatem suam probandam ; ergo si Deus est, JESUS CHRISTUS est Deus, alioquin dicendus esset Deus miraculorum

omnium maximum operatus fuisset ad confirmandum mendacium omnium maximum; quæ manifesta contradictio est, quoniam Deus est Veritas ipsa per essentiam. Nostis jam, Fideles; JESUM CHRISTUM in suæ divinitatis signum, & argumentum tradidisse, se post mortem suam triduo resurrecturum. Mortales omnes hujus prædictionis præstolabantur adventum; occisus fuit, resurrexit, sicut dixit: patet ergò, illum esse Deum; alioquin inferendum esset, nos falli a Deo, maximum miraculorum omnium operante in gratiam seductoris, qui se Deum esse jactitat, & non est, Ceterum de magni hujus miraculi veritate dubitare non possumus. Noverant Judæi, JESUM CHRISTUM dedisse resurrectionem suam tamquam divinitatis suæ signum. Si resurgit, jam conclamatum est. Sacerdotes illorum jam scelesti sunt, Judices crudeles, & injusti. Cavent igitur quam diligentissime, ne corpus evanescat, & ne auferatur. Sepulcrum militibus circum undique custodiendum committitur; lapis immensæ molis advolvitur ostio, lapis ipse obsignatur, ad dolum omnem evitandum. Post hæc corpus non videtur amplius; in sepulcro non invenitur ultra. Quid huic argumento responderi potest? Dicent Judæi, Discipulos corpus furripuisse? Sed quæ veritatis species tot inter milites? Hi nonne cognovissent? Sed si Apostoli hoc mendacium jactitassent, profecto non ignorassent, Magistrum suum Deum non esse: quandoquidem non resurrexisset, ut ille ipsis futurum prædixerat; & nihilo secius omnes mortui sunt, ut assererent illum vere Deum esse, & vere resurrexisse: *Ibidem sermone pro Dominica infra octavam Nativitatis Domini.*

Cæcitas Sacerdotum Synagogæ in Resurrectione manifesta J. C.

Nostis, Fideles, quantum Sacerdotum zelotypia diligens esset in obruendis prohibendisque falsis rumoribus, qui poterant disseminari de Salvatoris Resurrectione. Non satis fuit illi vitam auferre, scire corpus illius inclusum esse in sepulcro in rupe excisò, & ingenti lapide obstructo; quem plures homines summa vi circumagere vix valuissent, ne eriperetur; voluerunt etiam illud signari, & non modicam militum manum prope monumentum illud in excubiis vigilare; Sed heu quam infirma est humana prudentia! quam cæca est, cum adnititur, Deo suis adversari consiliis? Verum quid tot hæ sollicitudines parient? Ex eo tempore notam fecerunt universæ terræ prædicationem JESU CHRISTI, ipsum tertia die esse resurrecturum, & sane milites ubi primum excusserunt terrorem, redeunt in urbem, & ad unguem enarrant, quod viderant, & quid acciderat. Hæc audiens tota turbatur Synogaga; cogitur Concilium, & Pontifices certiores fiunt de singulis circumstantiis facti ante diem illam inauditi. Quis non crederet Christiani Auditores, obstinatos homines perspectæ veritati cessuros? Tandem enim de facto constat, nullus superest dubitandi locus; oculi tantæ huic luci aperiendi sunt. Heu! Quam verum est, mentem corde regi, & imparem esse fidei luminibus suscipiendis, ubi cupiditas aliqua voluntati dominatur! Spectatissimi ex Judæis, ex quibus Synagoga constabat quin Messiam ex tam manifesto argumento cognoscant, veritatem ipsam jugulare contendunt. Magnam argenti vim militibus tribuunt, eosque in vulgus serere jubent, se dormientibus Apostolos abstulisse corpus Magistri sui. Sacrilegi illi Dei viventis ministri, qui depromptam ex Sanctuario pecuniam Judæ perfido solverant, non dubitant ex eodem ærario haurire nummos ad novam calumniam comparandam. Sed possunt ne validius præbere argumentum ad Domini resurrectionem probandum, quam nequissimam versutiam, qua ad illam supprimendam utuntur? *P. de Colombiere Tomo 1. sermone pro die Paschæ.*

Confessio Divi Thomæ de J.C. Divinitate post incredulitatem.

Si S. Thomas postquam aliquandiu incredulus fuit, plane convictus, confessus est Salvatoris Resurrectionem; nonne ipsi magis convicti esse debemus de hac veritate post tot argumenta, ipsumque hujus Apostoli testimonium? Videte igitur illum ad pedes Salvatoris prostratum, qui postquam certus factus est, ut cupiebat, veritatis hujus, Deum suum adorans exclamat: Credo, Domine, tu vere es Dominus meus, & Deus meus: *Dominus meus, & Deus meus.* O vera caro, S. Augustinus ait, caro vere resuscitata! caro, quæ attrectatur, premitur, palpatur, in qua manus imprimitur, & quæ servat adhuc notas passionum suarum, & quæ *offers se examinandam, probandam, diligentius considerandam.* Et quia visus facile falli potest, ut per tactum qui minus est obnoxius illusioni, ne dubitandi locus supersit, ipsius subtilitas vestigetur: *Accedit & curiosa manus, ut corpus contrectaretur solidum, & omne colleretur ambiguum.* Beati oculi, quibus contigit sæpe adeo videre Salvatorem suscitatum; beatæ, & centies beatæ manus illæ, quibus se præbuit attrectandum, & quas ipse dignatus est adducere in hiatum sui cordis. Sed me beatiorem puto, eo quod non viderim quod credo. Sententia hæc innititur verbis ipsius JESU CHRISTI, & mihi satis est credere, quod illi viderunt: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Idem.*

Joann. 20.

Ibidem.

S. Paulus Athenis prædicat, & aggreditur illam urbem in Idololatria immersam reformare. Non loquitur nisi de Resurrectione, de hac verba facit ad populum, de eadem sermonem habet in Senatu, & in Areopago: *Et Resurrectionem annuntiabat eis*: Denique totum Apostolorum negotium, & munus in ipsis Ecclesiæ primordiis erat evulgare magistri sui resurrectionem; *& reddebant Apostoli testimonium resurrectionis JESU CHRISTI*, immo se nonnisi testes Resurrectionis Domini appellabant: *Oportet testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis.* Fratres, inquit S. Petrus proponens electionem Apostoli unius in Judæ locum, unus eligendus est ex horum numero, qui cum nobis testis esse possit Resurrectionis. Videtur nihil ultra addendum, totum hic contineri Evangelium, totumque Apostoli ministerium positum esse in prædicatione resurrectionis JESU CHRISTI, & mortales omnes debere victas dare manus huic infinitæ ipsius potentiæ argumento. Profecto, Christiani, omnes manus victas dedere; hoc persuasit mentes Patrum nostrorum, & huic ideo debemus fidem, quam ipsi ad nos transmiserunt. *Idem.*

Videtur totum Apostolorum officium, & ministerium fuisse prædicare J. C. Resurrectionem,

Utique, Redemptor amabilis, credimus te vivere in Cælo, & futurum, ut aliquando tecum vivamus: scimus mortem quamprimum dissipaturam esse corpus istud, sub cujus pondere geminus: verum scimus quoque, te illud esse reformaturum, ut illud simile reddas tuo, & glorioſum, quale tuum est. *Reposita est hæc spes in sinu meo.* Spes hæc nos sustinet in adversis; hæc nostra mulcet tædia, hæc efficit, ut sine terrore mortem inspiciamus; immo, ut illam cum aliqua impatientia expectemus. Hæc spes, Salvator, nos roborat in certaminibus, quæ nobis quotidie contra mundum sustinenda sunt, & contra nos ipsos. Hæc nos animat, ut divina tua sequamur exempla, & Crucem tuam amplectamur, illi adhæreamus, ibique pro te animam efflare cupiamus, ut aliquando cum te in æternum regnemus. *Idem.*

Spes resurrectionis nos consolatur, & sustinet in laboribus, & in ærumnis. Job 9.

Si certa veritas Dominicæ Resurrectionis erat necessaria ad statuendam fidem divinitatis J. C. non minus erat necessaria, ut nova lex servaretur; neque enim adeo exigui erat momenti homines impellere, ut sese componerent ad exemplum, quod mundi Salvator illis novo Evangelio descriptum reliquerat. Opum contemptus, voluptatum fuga, amor crucis, & mortificationis, dogmata sunt naturæ propensionibus admodum opposita. Quomodo hæc simul concilianda? hoc numquam obtineri potest, nisi homines inducantur in spem vitæ immortalis, immunis a malis omnibus, & omni bonorum genere cumulatæ. Sed cum omnibus moriendum sit, ad vitam hanc transire nemini licet nisi per resurrectionem. Hæc resurrectio est aliquid inauditum. Ethnici, S. Augustinus ait, de animæ immortalitate dubitabant; sed eorum nemini in mentem venit verba faciendi de resurrectione. Quomodo Salvator poterit fidem adstruere huic articulo fidei, qui sancti monumenti est; nisi ipse resurgat? Quomodo vero resurgere poterit, nisi moriatur? *Credere eum resurrexisse non possumus nisi prius mortuum esse credamus*; inquit laudatus Doctor. Quantum igitur necessaria fuit resurrectio ad confirmandam J. C. divinitatem; tantum erat necessaria ad morum disciplinam instituendam. *Idem, sermone 2. pro die Paschatis.*

Fides Resurrectionis Domini omnino erat necessaria ut lex serveretur.

Si corpus, & anima Salvatoris ab invicem separata non semper habuissent indissolubilem cum divinitate connexionem; si ille post mortem redactus fuisset ad communem cum omnibus mortalibus infirmitatem: quomodo corpus ejus revocasset animam suam; quomodo anima iterum corpus suum animasset? Divinitas sola, quæ utrumque regebat in mutua separatione, poterat illis vim conferre sese iterum consociandi. Scitis ne, S. Chrysologus inquit, quare mortuus fuerit J. C. mortuus est, quia poterat non mori. Quæ vis illi vitam potuisset eripere, si ille eam amittere noluisset? Sed dedignatus est propulsare inimicum, quem facile poterat superare. *Quia vincere potuit, declinare contempsit.* Judæi mortem inferunt Salvatori, ut ostendant illum nonnisi hominem esse, & Salvator moritur, ut se Hominem-Deum ostendat; quia resurgendo præbet certissima suæ divinitatis argumenta. Malignam Judæorum incredulitatem confundit, qui speraverant se nomen quoque illius oblitteraturos, illum in tenebris sepulcri concludentes. Miracula, quæ fuerat operatus debuissent illos erudire de miraculo, quod facere poterat: sed respexerunt illi mortem JESU CHRISTI, quasi probationem blasphemiarum suarum, & ipse mortuus est, ut probaret penes se vitæ esse, mortisque dominium. *P. de la Peſſe. Tomo 6. sermone de veritate Resurrectionis.*

Si Salvator non æque fuisset Deus, ac homo resurgere non potuisset.

Hoc Salvatoris corpus, quod fuerat mortis trophæum, modo motum habet; sed quem motum? Momento semet transfert ultra spatia, quæ oculi nostri non valent detegere; nullum pondus, nullus obex illud retinet: immune ab ea crassitie, qua lentum erat, & quæ illud antea fatigabat, consurgit, ac tamquam tenuis spiritus sese jaculatur; quin delassetur,

Gloria & privilegia corporis J.C. resuscitati.

quin

quin indigeat requie, *semper agens*, ac semper immutabilis. Pallor non amplius suffundit os ejus, & membra corporis ipsius; in ejus locum admirabilis fulgor successit; lumen solis non adeo nitet, non adeo vividum est, & fœcundum; obscurissimas dissipat tenebras; per radios tamen lenes, atque blandos, qui oculos quidem perstringunt, sed non officiunt illis. Mors effecerat, ut Salvator dignosci non posset. Triduo ante erat ne illi humanus adspectus? Adeo confectus erat vulneribus: hodie vero nec imbecillitatem hominis habet, neque infirmitates: *Nunc jam non novimus*, S. Leo inquit, *Factum est corpus impassibile, quod potuit configi; factum est immortale, quod potuit occidi; factum est incorruptibile, quod potuit vulnerari*. Vita essentialis, quæ divinitas est, inventa est in gelidis hisce venis abscondita, in his membris sensu carentibus, & omnes obstruxit plagas, quas mors ibi pepererat. Corpus hoc vulnerari poterat, & factum est impassibile; mori poterat, & factum est immortale, laniari poterat, & factum est incorruptibile. *Idem*.

Serm. 1. de Resurrect.

Resurrectio Filii Dei confirmavit veritatē doctrinæ illius, & indubitabilem fecit.

Dum Salvator viveret, & cum hominibus conversaretur, invidia, & odium Pontificum, atque Phariſæorum omnem vim verborum ejus ineptis, ac insipientibus argumentationibus retundere cogitabant. Inimici ejus, qui illum perdere decreverant, sperabant se omnem fidem doctrinæ illius abrogaturos, illi mortem molientes. Sed doctrina ejus nonne per Resurrectionem illius magis enituit, atque refulsit? Hoc nobis considerandum est ad honorem fidei nostræ, & propter gratiam, quam debemus Domino, a quo illam accepimus. Pluries pollicitus fuerat, se recepturum vitam, ubi semel eam posuisset. Hanc recipit, adimplet prædictionem, quæ auditores suos efferaverat; visus est mori, & videtur revivisscere. Quomodo diffidere possemus de oraculis, quæ ipse ad eruditionem, & sanctificationem protulit nostram? Quid opponi potest verbo hominis, qui seipsum resuscitat ad eam, quam docuit, veritatem probandam? Ejus Evangelium eas complectitur veritates, quo spiritus noster pertingere nequit; Veritates sublimes, incomprehensibiles, humanæ sapientiæ absconditas; Sed hoc ipsum docet Evangelium, Salvatorem hunc resurrexisse postquam asseruit, & spopondit se resurrecturum esse; hoc unum miraculum nobis satis esse debet, ut alacriter nosmet subjiciamus jugo fidei cum humili docilitate. *Idem*.

Dici nequit Apostolos cōmentos fuisse, ac publicasse Salvatoris Resurrectionem pro gloria sua, vel pro alia qualibet causa.

Si aliquibus impiis, vel atheis in mentem veniret asserere Apostolos totam hanc Resurrectionis historiam simulasse ad Magistri sui gloriam; vel simul consensisse ad populos fallendos, ut ipsi novæ sectæ auctores haberentur, (quod reipsa nonnulli Christianæ Religionis inimici persuadere conati sunt) facile est ostendere illos hac in re futuros fuisse homines dementissimos, atque desperatissimos. Ubique gentium prædicare hominis Resurrectionem, qui vivens nunquam illos fallere desiisset, qui illis pœnas tantum, ac passiones in hac vita promisisset, qui illis totius nationis suæ odium conciliasset: domos, patriamque deserere, ut in alias incognitas regiones sese conferrent inter infinita discrimina, & persecutiones propter hominis gloriam, a quo fuerint misere decepti, ut sycophantam, atque impostorem in deorum numerum referrent, & alacriter suum sanguinem, vitamque effundere ad fovendam, sustinendamque calumniam, quam annunciabant; nonne hoc est desperatorum more in interitum ruere? nonne hoc est ad furorem insanire? Attamen isti illi sunt insipientes, atque furentes, qui in hujus Resurrectionis fide eam instituerunt Religionem, quam nemo amplectitur, nisi ut austerissimas, atque difficillimas virtutes exerceat. Dicendum esset vitium periisse virtutem, & nos debere mendacio veritatem, Si Apostoli non fuissent testes Resurrectionis Domini, illam ne prædicassent, quin timerent se de mendacio posse redargui? Facta fiducia, & securitate vitam suam effudissent, ut illam assererent? Si vel minima illis fuisset alicujus illusionis, aut mendacii suspicio, quomodonam ne unus quidem renuisset pro causa adeo mala tot, tantosque subire cruciatus? *Idem*.

Deus in Resurrectione reformabit corpus nostrum secundum exemplar J. C. resurgentis.

JESUS CHRISTUS resurrexit; nos quoque suscitabit, sed tunc gaudebit præbens nobis suæ potentiæ specimina reparans opus, quod dæmon corruperat. Quonam honore Deus corpus nostrum dignatus est, Tertullianus ait, cum primum illud effinxit; Ad illud formandum adhibuit consilium suum, manum, laborem, sapientiam, providentiam suam, ac totum denique seipsum impendit. *Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia*. Neque cura illius nobis stuporem debet injicere: cogitabat corpus JESU CHRISTI fingens hominis corpus, hic Pater inquit. *CHRISTUS cogitabatur homo futurus*. Si ergo Deus in honore habuit corpus hominis respiciens corpus JESU CHRISTI, meo quidem videri, liquet illum propter JESUM CHRISTUM omnia esse reparaturum vulnera, quæ nobis dæmon inflixit; verbo illum reformaturum esse corpus nostrum ad exemplar corporis JESU CHRISTI, quod sibi ob oculos proposuerat. *Idem*.

Resurrectio fiducia Christianorum. Tertull. lib. de Resurrectione carnis cap. 1.

Assequi, mihi videor, quod dicebat Tertullianus, solos veros Christianos considerare posse mortuorum resurrectionem, tamquam veritatem, quæ eorum fiduciam constituit: *Fiducia Christianorum, Resurrectio Mortuorum*. Quæ voluptas, ait ille, dicere posse corpori suo, quod patitur, & torquetur, ut se Deo subjiciat; carni, quæ in propria languet infirmitate, ac pœnitentia: *Securæ estote, caro, & Sanguis; usurpastis, & cælum, & regnum Dei in CHRISTO*. Corpus infirmum, sensibile, mortale, caro fragilis, confortare, patienter sustine. JESUS CHRISTUS resurgens nomine tuo adit possessionem Regni Cælestis. Cœlum tuum est; sepulcrum, quod metuis tibi erit incunabula, inde egredieris, ut in æternum vivas; omnes transibunt dolores tui; omnia vulnera tua ad cicatrices redigentur: dies aderit, qua languor, ac tædium non ultra gaudium, & requiem tuam perturbatura. *Idem*.

Ibid. cap. 37.

Beatitudo qua perfruentur justi post Resurrectionem.

Si qui in peccato versantur, recordarentur, se morituros, ut resurgant: si corpus hoc dissolvendum non esset, futurum pabulum vermibus, non ita obstupescerem intuitus illos hoc amore adeo parum honesto, & Christiano complecti. Sed corpus hoc aliquando de sepulcro emerget, & si resurgens secum gesserit characterem sanctitatis, particeps erit gloriæ corporis JESU CHRISTI. Ita est, oculi isti, quos habes modo, videbunt sanctam Salvatoris humanitatem; hæc eadem labia oscula figent pedibus, manibusque illius; denique hoc ipsum corpus, quantumlibet deforme nunc esse possit, induetur lumine, quod Solis luce erit nitidius, *Ah! Quid ergo interierit, vobis* non admodum propitiam fuisse in hac vita fortunam; quandoquidem in altera æternam longe meliorem vobis licet eligere. Vos qui nati estis in paupertate, vos qui in dolore versamini, vestrum est in affluentia, & gaudio resurgere. Vivite ergo, ut illi, qui facti sunt, ut semper vivant: vosmet obeundæ morti præparate, ut immortales efficiamini; videant omnes vos operari, & laborare pro vita altera, & pro beata æternitate. *Idem*.

Mors non est nobis timenda, quia sumus resurrecturi. 1. ad Thessal. 4.

Nolumus, vos ignorare, fratres, S. Paulus ait, *de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent:* Qui vitam meliorem non exspectant, illi vitæ hujus amaritudines reformident: illi mortem fugiant, *quos consolari nequit resurrectio: Vos autem quibus relinquenda est maledicta hæc morientium, & mortuorum regio, viventium* terram ingressuris, ne contristemini propter vitæ vestræ brevitatem; ne numeretis cum mœstitia annos in senium vergentes; ne respiciatis canos vestros mali ominis præcursores; concupiscite, quantum patitur Deus, ea omnia, quæ mortem vestram accelerant: quandoquidem simul immortale corpus induere desideratis: *Hæc erunt vota carnis recuperandæ*, Tertullianus ait. Hæc vota sunt, hæc desideria, quæ nuncupare vobis licet pro carne illa, quam aliquando estis recepturi. *Idem*.

Lib. de resurrectione carnis, cap. 4.

Spes resurrectionis futuræ valida ratio est, ut nostræ saluti consulamus.

Inveniri in hoc mysterio potest unde omnem zelum nostrum ad animarum nostrarum sanctificationem succendamus, & recedamus a corruptis viis, & impoſterum vitam ducamus sanctiorem ad tempus quidem præteritum reparandum, præsens vero, ac futurum in lucro ponendum. Ut autem miraculum hoc operemur, Deo favente, duæ sufficiunt cogitationes; quarum prior est, de resurrectione constare, non loquor autem de spirituali, sed de vera, & corporali resurrectione, quæ post sæculorum finem erit facienda; posterior vero, generalem hanc mortuorum resurrectionem futuram vel beatam, vel miseram, prout nos vixerimus, seu in fideli divinæ legis observantia, seu in criminosa oblivione inevitabilium officiorum, quæ nobis lex eadem imponit. *P. Girouſt in Quadragesimæ Sermone de Resurrectione*.

Resurrectio hæc nobis promissa non eadem omnibus erit.

Ecce Christiani Auditores, quod rite meditari, & attente considerare debetis; videlicet Resurrectionem hanc, quæ omnibus promittitur, non eamdem pro omnibus esse futuram; sed justis, si ita fari fas est, fore vitam resurrectionis; peccatoribus vero mortis, æternæque mortis resurrectionem: terribile, horrendumque discrimen! Justi, quibus non satis est esse, vocarique Christianos, vivitis, ut Christianos vivere decet, & Christiana opera facitis: Sancti imitatores JESU CHRISTI, qui vestrum est exemplar, zelotes legis observatores, S. Paulum audite; non possum præbere vobis fidejussorem meliorem, neque fideliorem testem; in vita pœnitenti, ac laboriosa, participes estis laborum, ac passionum; in vita gloriosa, & immortali participes eritis triumphi sui, & gloriæ Resurrectionis ejus. *Si enim complantati facti sumus similitudini morti ejus; simul & Resurrectionis erimus*. Sed vos peccatores, arbores steriles, & in ignem reservatæ, sacrilegi profanatores nominis, quod decore afficitis vita nefaria, & corrupta, vel saltem otiosa, ac fructibus vacua, resurgetis quidem, sed cum summa ignominia vestra resumetis corpus hoc, quod adeo palpastis, dilexistis, coluistis in terra, ut illud trahatis in flammas inferni in damnationis vestræ consummationem. Hoc est magnum illud, & profundum Mysterium, quod nobis proponit Apostolus,

Ad Rom. 6.

1. ad Cor. c. 15. & quod nobis vult revelare. *Ecce Mysterium dico vobis; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; quomodo immutabuntur amici Dei. Horum corpora fluctibus sepulta, igni exusta, mutilata, laniataque carnificum gladio, abstinentiis, jejuniis, pœnitentiæ austeritatibus attrita, humo defossa, & in cineres redacta, modo quidem in oblivione & caligine squalent: sed veniet dies, qua immutabuntur.

Ibidem. Corpora hæc macie confecta, deformata *in momento, in ictu oculi*, ubi primum tubæ clangor personuerit, *in novissima tuba*, consurgent, in aerem se attollent, circumundique lucem effundent. Erant olim corpora doloris sensibus obnoxia, sed imposterum erunt invulnerabilia, & impassibilia. Ecce quomodo immutabimur, nos fideles Magistro, qui vocavit nos, & in Ecclesiæ suæ sinum recepit. Sed peccatores, homines voluptuosi, & impudici, mundi assectæ, & suimet ipsorum amatores, mulieres in luxu, mollique ignavia immersæ, suisque vanitatibus occupatæ nullam benedictionis, gratiæque mutationem obtinebunt. Horroris objecta post mortem, tales erunt in æternitate; & de sepulcri tenebris in inferni tenebras pertransibunt. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Idem.*

Sensus Job de Resurrectione. Sancti Job verba plena simul sunt vi, unctione, & prorsus divina consolatione. Nunquam ea mecum tacitus reputo, quominus commovear, & reor in Scripturis nullum inveniri ejus argumenti, quod pertractandum est mihi, locum magis apertum, magis energeticum, & appositum ad efficiendam in cordibus impressionem. *Job jacens in sterquilinio, ad incitas, miserrimumque statum redactus, ab amicis derelictus*, & cum dolore se derelictum sentiens, denique tetro obrutus mœrore, ac animo fractus repente semet excitat, linguam mutat, planctus, gemitusque abjicit, & loquens instar Prophetæ divino afflati numine, postulat, ut scribantur ea, quæ dicturus est, ne illorum excidat memoria: *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei?* Vult, ut hæc stylo, quo in cortice scribitur, exarentur, vel in ære incidantur, & plumbeo signo muniantur. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, vel celte sculpantur in silice?* Quid igitur tantum, tantique momenti prolaturus est? Ecce: *Scio, quod Redemptor meus vivit.* En principium, quod statuit; sed quid inde infert? hoc, inquit & scio, quod *in novissimo die de terra surrecturus sum*. Quomodo vero surget? per veram resurrectionem: quia caro hæc, addit, caro mortalis, & corruptibilis, caro inclusa in horrentibus tenebris sepulcri, hæc caro vermibus derosa, & in pulverem redacta a me iterum induetur: *& rursum circumdabor pelle mea*. Nec satis. Caro hæc particeps est futura beatitudinis animæ, *& in* hac *carne mea videbo Deum meum*. Sed nondum satis videtur sibi explicuisse semetipsum; timet, ne quis sibi persuadeat, tunc se non futurum amplius seipsum, sed in alium transformatum iri: non ita, subjicit, hic non alius erit, sed ego, neque erunt oculi alterius, sed mei: *Quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*. Hæc tandem, concludit, hæc est spes, quæ me sustinet, & quæ non excidit unquam ex corde meo. Hæc altas adeo ibi radices egit, ut nihil eam valeat divellere; ut semper mihi animo obversetur, ut nihil illam possit abolere. Inter tot mala, quibus obruor, hæc unica est malorum meorum spes, hæc mea resurrectio. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ibidem. *Idem.*

Job 19.

Deus iterum cum animabus eorum conjunget corpora eo unionis genere, quod non pendebit a qualitatum temperie; vel si pendebit, temperies hæc erit immutabilis. Ut vivant, non ultra refrigerio ad aeris reciprocationem indigebunt, neque ad vitam alimonia; ideoque animæ, & corporis conjunctio erit insolubilis; nexus hic, quo alterum alteri adhærebit, non annorum multitudine, non vi tormentorum laxabitur. Idem ignis, quod erit damnatorum supplicium, loco salis erit illis, ut ait JESUS CHRISTUS, & exercens sævissimis cruciatibus sensus illorum, parcet vitæ in æternitatem duraturæ. Tunc quemadmodum mors alterius erit naturæ, quam in hac, corpora quoque alterius erunt conditionis; mors quin in nihilum redigatur, fiet immortalis, quoniam cum anima Deo privata vivere nequeat, moriendo liberari non poterit malis, quæ patietur. *Liber cui titulus: Tractatus de Religione contra Atheos, & Deistas.* De statu corporum nostrorum post resurrectionem.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. O admirabilis mutatio! transitus favorabilis! O quam ciere in nobis debet consolationem, & imitere fortitudinem! resurgetis impii cum corpore, quod tanta cum mollitie nutritis, quod tanta cum magnificentia exornatis, a quo maxima cum diligentia minima quævis avertitis mala, cujus tanta cura omnia commoda procuratis. Resurgetis quidem sed in supplicium vestrorum incrementum, atque ut recentia suppeditetis nutrimenta voracibus flammis, quibus in æternitatem torquebimini. Vos autem animæ justæ, quæ Salvatoris Resurrectionem vobismet proponitis tamquam exemplum vestræ, resurgetis, atque resurgentes immutabimini. Corpus hoc quod neglexistis, laboribus defessum, humiliatum, subjectum legibus spiritus, severisque Evangelii placitis de sepulcro transibit ad gloriam, postquam laboraverit, ut vos conformes efficeret statui Dei hujus exinaniti, ac patientis; non austeritates, & vigiliæ, quibus confectæ fuerint hujus corporis vires, non lacrymæ, & jejunia, quæ illius formam deformaverint, non humilia, ac amara Christianæ Religionis exercitia, quæ illius temperamentum infirmaverint, non vermes, qui illud in sepulcro depasti fuerint, non ignis, qui illud in cineres redegerit, resistere poterunt potentiæ Dei, qui iterum animabit corpora, eaque reddet Astris toto cælo fulgidiora. *Ex Sermonibus Moralibus. Sermone de Resurrectione.* Varia erit bonorum, malorumque resurrectio.

Sola satis est Judæorum impietas ad statuendam fidem Resurrectionis JESU CHRISTI. Eorum crudelis prævisio sufficit ad fidem nostram roborandam; quo majorem adhibuere sedulitatem in sepulcri custodia, eo lucidiora dedere illius exitus argumenta, quo plures adhibuere satellites, eo plures testes admisere; Divina Providentia illorum curam, metum, vigilantiam disponente, ut ipsi etiam inimici, quamvis inviti invicta perhiberent hujus Resurrectionis testimonia. Frustra corpus hoc clauditur in sepulcro, & sudario involvitur; frustra sepulcri lapis obsignatur; Frustra milites ad illius custodiam adhibentur; unus ille inter mortuos liber de morte triumphat; resurgit, recipit gloriam suam, quam pro salute nostra suspenderat. *Ex iisdem.* Judæorum impietas nonnihil contulit ad fidem resurrectionis constituendam.



MYSTE-

MYSTERIUM
VULNERUM DOMINI NOSTRI J. C.
MONITUM.



DEI Filius apparens Apoſtolis poſt Reſurrectionem duo facit, quæ re adhuc integra nullum inter ſe nexum habere videntur. Oſtendit vulnera ſua, & dat pacem; ſed ſi conferatur, quod dicit, cum eo quod facit, videbuntur duo hæc arcte ſecum connexa; ideoque quoad fieri poterit, utrumque ſimul conſociabimus. Ubi

Animadvertendum eſt. 1. *Hoc argumentum de Vulneribus Salvatoris poſſe conſtituere Partem Paſſionis; verum cum rerum multitudo, de quibus tunc agendum fuit, nobis integrum non reliquerit latius immorari, & ea omnia quæ neceſſe fuiſſet, animadvertere; Eccleſia nobis anſam præbet, fuſius hoc pertractandi argumentum feria tertia Paſchæ, & ſequenti Dominica, qua Concionatores, ut plurimum, Quadrageſimæ finem facere conſueverunt. Non eſt inauditus hujus argumenti ſermo, qui maximam adfert piis animabus conſolationem, & qui non inutilis eſſe poteſt peccatoribus hoc ſancto tempore ad eos ad pietatem ciendos, & in ſancto propoſito confirmandos.* 2. *Equidem ſcio argumentum hoc myſticum videri; ſed monendus eſt auditor, vulnera hæc ſeu cruenta, ſeu glorioſa, nequaquam ſeparari a perſona, quæ illa recepit, eaque conſiderari non ſolum tamquam cauſſam dolorum, quos paſſus eſt homo-Deus; verum etiam tamquam fontes gratiarum, & bonorum omnium, quæ inde recipimus, ex quo eliciemus ſenſus amoris, grati animi, & devotionis erga hunc Mundi Salvatorem, qui retinere voluit vulnera ſua æternum monumentum eorum, quæ fecit, & pro nobis paſſus eſt.*

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Synopſis.

I.



DEI Filium ſua retinuiſſe vulnera etiam poſt Reſurrectionem, conſtat; quandoquidem oſtendit illa *Apoſtolis ſuis*, juſſitque S. Thomam *in illa digitum inferre*. Sed quæritur ratio, cur illa retinuerit, quandoquidem glorioſum ſtatum illius parum decere videntur, & Angeli ipſi obſtupeſcunt, & non ſine altiſſimo admirationis ſenſu quærunt: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Quibus reſponderi poteſt cum Sanctis Patribus illas eſſe Angelis glorioſa inſignia triumphi a JESU CHRISTO de inferno, & morte relati; Apoſtolis certiſſima argumenta Reſurrectionis ipſius; juſtis inexhauſtos gratiarum fontes; peccatoribus apertas objurgationes criminum ſuorum; Sanctis omnibus pretium inæſtimabile ſalutis eorum; ſed ut omnes hæ rationes in unam colligantur, nos conſiderabimus hæc ſacra vulnera tamquam totidem ora, quæ nos erudiunt quomodo recipiendæ nobis ſunt cruces ſeu a Deo, ſeu ab hominibus profectæ. Namque, ut S. Bernardus ait, ideo JESUS CHRISTUS ſuas nobis plagas oſtendit, ut noſtram cieat fortitudinem, & doceat nos propter ipſum pati, dum ea videmus quæ ipſe pro nobis paſſus eſt; unde tria elicimus maximi momenti documenta, quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent.

Zachar. 13.

S. Bernardus ſerm. 61. in Cant.

Primum eſt, neminem eſſe a plagis immunem, videlicet ſine tribulatione, & pœna mentis, vel corporis: ſi enim aliquis impunis eſſe debuiſſet, hic proculdubio erat Filius Dei, ſeu propter perſonæ qualitatem, ſeu propter vitæ innocentiam, ſeu propter poteſtatis magnitudinem. Pilatus produxit Regis qualitatem, ut illum eximeret, protulit ejus innocentiam, ut cum a morte liberaret; & potentia hujus hominis-Dei, qui inimicos ſuos in Horto Olivarum proſtravit, videbatur diſſipare poſſe procellam irruentem in eum; tamen nec dignitas, neque innocentia, neque infinita potentia illum exemerunt a cruce. Quis igitur præſumpſerit illam evitare poſſe, ſi novit virium ſuarum infirmitatem, ſcelerum ſuorum nequitiam, & conditionis ſuæ abjectionem, quæ ipſum toto cælo infra Salvatorem ſubmittit? Præterea quid quid hominum eſt ſuper terram in tres claſſes diſtingui poteſt. In hominem Deum, in hominem juſtum, in hominem nequam. Aſcende in Calvarium; videbis tria hæc perſonarum genera cruci ſuffixa. Peccator ibi eſt in latronis nefarii perſona; hic non caret cruce; ſi pauper eſt, S. Chryſoſtomus inquit, paupertas crux eſt illius; ſi e paupertate emergit, inordinata concupiſcentia magis, quam ipſa egeſtate torquetur; ſi mala utitur valetudine, morbus eſt crux illius; ſi bona, avaritia, ſuperbia, & omnes cupiditates illius tranquillitatem perturbant; mala conſcientia illi eſt loco omnium ſupplitiorum. Juſtus quoque in cruce eſt; improbi enim non ſinunt bonos quieſcere. *Deus ipſe eos tentat, ac tribulationibus perficit. Sed quamvis etiam nihil illis vel a Deo, vel ab hominibus eſſet perferendum, ipſi ſibi crux eſſent*, videntes ſe in triſti exilio, videlicet in hoc mundo, miſeriis refertо. Reſtat igitur homo-Deus, qui eſt JESUS CHRISTUS, & Mundi Salvator: ſed videte, utrum ſit immunis a cruce. *Videte manus, & pedes*, hic vere vi dolorum eſt, cujus crux gravior eſt, quam ſimul omnes peccatorum, juſtorumque omnium cruces: adeo verum eſt, omnes homines, qui veniunt in hunc mundum, juſtus ille ſit, vel peccator, & cujuſcumque conditionis, naſci, atque ad ferendam crucem damnari. Adde his, nos quatenus Chriſtianos eſſe corpus, & membra CHRISTI JESU: hinc Eccleſia quæ cœtus eſt fidelium, myſticum vocatur JESU CHRISTI corpus, quod non ſane melius excipiendum eſt, quam verum corpus illius. Conjicite ergo oculos in corpus hoc adorabile; illud videbitis undique vulneribus confectum; cur iſtud? niſi ut nos doceat, ut Patres inquiunt, ex omnibus Fidelibus, qui partem conſtituunt corporis ſui myſtici, neminem eſſe, cui deferenda non ſint illius ſtigmata, & habenda pars paſſionem ejuſdem; quoniam crux eſt inevitabilis, & noſtrum eſt illam in optimum uſum convertere.

Alterum documentum ex Vulneribus Salvatoris hauriendum intuentibus illa in glorioſo ipſius corpore fulgentia, eſt, nos a Deo in tribulationibus, & ærumnis nunquam derelinqui; quemadmodum nunquam ſuas relinquit plagas, ita nunquam eos relinquit, qui illa propter amorem illius ſuſtinent: *Cum ipſo ſum in tribulatione*. Cum illo ſum, qui in ſua me diligit tribulatione. Quis enim ſine illo, eam poterit ſuſtinere; quis illi reſiſtere? Amici veri adverſis probantur. Nimis multi ſunt qui ſuæ utilitatis amici ſunt; qui, ubi eorum opera indigemus, nos deſerunt. Non ita de Filio Dei ſentiendum eſt. Fidelis amicus eſt, qui nunquam nobis propior eſt, quam cum nos pati intuetur. *Videte manus, & pedes*. Videte perforatas manus illius, videte pedes: ideo retinuit plagas ſuas, eaſque, ut ita dicam, ſibi incorporavit, ut certos nos faceret protectionis ſuæ, & ut præſtaret fidem, qua nobis pollicitus eſt, ſe nunquam nos eſſe derelicturum. Profecto, quamvis ſua illum rebus omnibus præſentem efficiet immenſitas; adeſt tamen magis peculiari modo illis, qui afflicti ſunt; nam infinita ejus bonitas, quæ aucupatur occaſionem de nobis optime merendi, quo majorem, urgentioremque nanciſcitur in noſtris miſeriis, illis officioſius opem laturus occurrit. Qui vidiſſet Danielem in lacum leonum projectum, vel pueros in Babylonis fornace, vel Joſeph in carcere poſitum, nonne de illis jam actum eſſe putaſſet? Sed ibi adfuit Deus, & eos periculo liberavit. *Deſcendit cum* Joſeph *in foveam, & in vincu-*

Pſalm. 90.

Sap. 10.

vinculis non dereliquit illum ; & ut S. Ambrosius addit, ubi majus erat periculum, ibi majus præbuit auxilium.

Tertium, quod ex his plagis haurire possumus documentum, ubi illas divinitatis splendoribus coruscantes intuemur, est, nihil animæ Christianæ esse honorificentius, nihil jucundius, nihil utilius, quam pati propter Dei gloriam. 1. Nihil honorificentius, seu quod J. C. deificavit passiones, easque adorabiles fecit, illas gestando impressas in sancta humanitate sua, ideoque divinæ suæ personæ inhærentes; seu quod per illas meritus est gloriam corporis sui, Resurrectionem, Ascensionem, sessionem ad dexteram Patris, & qualitatem Judicis supremi viventium, atque mortuorum; seu tandem quia in hoc totam Sanctorum gloriam collocavit. 2. Nihil hoc jucundius, recipiens enim in se plagas, & passiones, illis abstulit amaritudinem, effecitque ut inde manaret dulcedo. Hinc fit, quod paupertas, injuriarum venia, aliæque virtutes Evangelicæ, quæ olim erant adeo difficiles, in præsentiarum videantur deliciis affluentes sanctis animabus, postquam JESUS illis tribuit exemplum. 3. Nihil utilius; in plagis enim JESU CHRISTI reperimus gratias ad salutem nostram necessarias, easque nobis applicamus perferentes quidquid ille nobis immittit in hac vita. *Ex tertia parte Meditationum Pater Novet, de vita gloriosa J. C. super terram.*

II. De pace, quam Salvator tribuit, & annuntiat Apostolis, & in eorum persona omnibus hominibus, ostendens suas plagas.

Ut assequamur *incomparabilem felicitatem*, quam Hominum Salvator adfert mundo, *illis* pacem annuntians: supponendum est, quod a nemine vocatur in dubium, hominibus esse bellum contra tria inimicorum genera; bellum illis est cum Deo, quem suis lacessunt criminibus; inter se bellum gerunt per mortales, quas fovent inimicitias; denique contra semetipsos per tumultum, atque rebellionem suarum cupiditatum. Ad hæc persuasum esse debet, bellum hoc semper nobis esse funestum, si contra Deum fit; hoc enim est, *inimicum habere* bonorum omnium Auctorem, ideoque *sibi* conflare malorum omnium cumulum. Bellum *injustum*, ac nefarium est irreconciliabilem *habere inimicitiam* cum proximo; & tandem intestinum, & maximopere periculosum est prælium, quod jugiter, & sine intermissione inferunt nobis inconditæ nostræ cupiditates. Homines ergo indigebant potenti patrono, qui nostram cum Deo pacem procuraret, potenti medio, quo cogerentur invicem in gratiam reverti; potenti subsidio, quo contra suas cupiditates, quod quidem sævissimum, ac pertinacissimum est bellorum omnium, fulcirentur. Dico autem Mediatorem hunc esse Filium Dei resuscitatum, qui nobis pacem procurat cum triplici hoc inimicorum genere, idque vulnerum suorum ministerio.

1. Nos Patri reconciliat, & adhibet hæc ora eloquentiæ, ut loquatur pro nobis, æternamque pacem nobis obtineat.

2. In *his iisdem plagis excipit spiritus exacerbatos*, & se invicem dissentientes.

3. Nos nobismet reconciliat; quandoquidem in Sanctis hisce vulneribus opem nanciscimur necessariam in periculosis tentationibus.

Ut hoc clarius fiat, assignemus vulneribus singulis officium suum in felici hac pacis reconciliatione. Cogitemus *plagas manuum* tamquam pacis hujus pignora; quoniam perforatas *hasce* manus propter amorem nostrum attollit, ut flectat Patris iracundiam. Intueamur lateris vulnus tamquam vinculum, nodumque pacis cum proximo nostro; quandoquidem testatur Apostolus; JESUM nos omnes in suo corde conjungere. Confugiamus tandem ad pedum plagas, tamquam pacis asylum pro nobis; in omnibus dæmonis, aliorumque inimicorum nostræ salutis incursibus. *Hæc partitio est Auctoris sermonum in omnia argumenta, In Mysteriis serm.* 12.

III. Quandoquidem J. C. suas nobis aperit plagas, & ut ibi maneamus, invitat, ope illius tria nobis ædificanda sunt Tabernacula non quidem in Thabor, sed in Calvario secundum S. Bonaventuræ mentem, consiliumque.

S. Bonavent. in stimul. Divin. amoris cap. 4.

Primum erit in vulneribus pedum ejus, ubi meditemur omnes dolores, quos sustinuit, & consideremus omnes gressus illius, ut in Cæli via progredi doceamur.

Alterum erit in vulneribus manuum, ubi attentius recogitabimus omnia opera nostra, & quid fecerit pro nobis J. C. & quam parum nos propter illum faciamus.

Tertium, postremum, & latius in vulnere cordis, ubi indefinenter contemplemur immensam caritatem quam nobis J. C. testatus est, offerens se ad omnia facienda, & patienda, ut nos redimeret.

IV. In eamdem sententiam, eamdemque S. Bonaventuræ partitionem.

1. In sacris Pedum J. C. vulneribus quærere possumus cum Magdalena veniam peccatorum nostrorum.

2. In plagis manuum majorem illius gloriam, quam illi procurare tenemur ardenti zelo, cum Apostolis per virtutum praxim, quomodo Sancti omnes fecerunt.

3. In vulnere lateris transformari debemus in ipsum, conformantes nos divinæ ipsius voluntati, & facti veluti totidem homines secundum cor Dei.

Ad nostram utilitatem Dei Filius post Resurrectionem glorioſa sua vulnera retinuit, & sicut illa ostendit Apostolis suis, ut eos confirmaret in fide, ostendit hodierna quoque die. V.

1. Oculis Patris sui ad illius iram flectendam, quam nobismet conflavimus, & conflamus adhuc quotidie per scelera quæ patramus; illi quodammodo in memoriam revocans, se justitiæ ipsius satisfeciſſe, & ostendens signa malorum, quæ ad id passus est.

2. Ea sibimet ipsi repræsentat, ut meminerit amoris erga nos sui, & causſæ, propter quam illa passus est, quod inflammat ardentem caritatem, quam nobis in terris testatus est, & quæ in Cælo non est imminuta.

3. Illa etiam peccatoribus omnibus exhibet ad auferendam illis de salute ipsorum diffidentiam, eisque ostendendam voluntatem, quam Deus habuit prædestinandi illos ad gloriam, æternamque beatitatem. *Biroat in Dominicam in albis.*

De confidentia in Dei misericordia, quam cogitatio, & adspectus Plagarum Salvatoris nobis debet immittere, supponendum est duo esse, quæ aliquem statuere possunt obicem amantissimæ huic confidentiæ, ut confirmemur contra timorem immodicum, quem in nobis ciere posset magnitudo peccatorum nostrorum, & nostræ salutis incertitudo: hæc sunt veluti duo cordis nostri vulnera, quæ curanda sunt adspectu Vulnerum Salvatoris. VI.

1. Uti debemus cogitatione Vulnerum Filli Dei ad nosmet confirmandos contra immodicum terrorem, quem nobis incutere posset multitudo, & magnitudo scelerum nostrorum; quia Plagæ istæ nobis in mentem revocare debent quid Deus passus fuerit ad nobis veniam promerendam, & assequendam.

2. Harum Plagarum adspectus mulcere debet tumultus, quos ciere potest incertitudo salutis nostræ, ubi consideremus Plagas illius notas esse, & argumenta sinceræ voluntatis, qua nos salvos facere voluit &c.

Salvatoris Vulnera considerari possunt tamquam cruenta, & dolorosa, qualia ipse in Cruce perpessus est, vel tamquam glorioſa, qualia in Cælo conservat. VII.

1. Tamquam dolorosa, & cruenta meruerunt, & operata sunt nostram salutem.

2. Tamquam glorioſa in Cælo pro nobis intercedunt, nobisque obtinent gratias, & necessaria ad salutem nostram subsidia.

Vulnera Filii Dei nostra curant. Ad hoc enucleandum, memoria repetendum est nos peculiariter tria recepisse Vulnera, quæ sunt veluti effectus peccati primi parentis, quæ peccata propria auxerunt, atque exasperaverunt; videlicet infidelitatem in mente; caritatis remissionem in voluntate, & in appetitu propensionem ad sequendas inconditas nostras cupiditates. Hæ sunt Plagæ, vel morbi, qui animas ad æternam mortem perducunt; sed quibus tria reperiemus valida remedia in Vulneribus Salvatoris. VIII.

1. Cum Dei Vulnera confirmarint Apostolos in fide resurrectionis magistri sui, confirmare debent spiritum nostrum in hoc articulo, qui est fundamentum omnium veritatum, quæ respiciunt personam hujus Hominis-Dei.

2. Sunt præsens remedium contra teporem cordis nostri, quia possunt illud inflammare in amore Salvatoris, qui has recepit Plagas propter amorem. *O vulnera corda saxea vulnerantia, & pectora adamantina liquefacientia*, exclamat Sanctus Bonaventura.

Filius Dei retinuit, & servavit Plagas suas in Cælo propter eosdem fines, pro quibus illas recepit in Cruce. IX.

1. Ut satisfaceret justitiæ Patris, ut nobis veniam mereretur: ita Patri illas in Cælo præsentat, ut intercedat pro nobis.

2. Ut nobis aditum in Cælum aperiret, quo ingressus est, postquam illa perpessus est, Ideo Sancti Patres dicunt illas esse Cæli portas, & neminem sperare posse se in illas ingressurum, nisi patiendo, & vim sibi inferendo.

3. Ut nos edoceret, opus esse, ut in hoc similes simus ipsi; si volumus illi similes esse in gloria. X.

Sancti Patres atque inter ceteros Sanctus Ambrosius J. C. vulnera vocat ora eloquentia, quæ illius.

1. In

1. In nos amorem annuntiant; quod enim majus amoris erga nos sui relinquere poterat argumentum?

2. Nos tuentur, & coram Dei Throno causſam noſtram perorant.

3. Sed potiſſimum noſtrum nobis exprobrant ingratum animi vitium, ac noſtram ſtupiditatem.

XI. Vulnera J. C. ſunt certa prædeſtinationis noſtræ pignora; tres enim ſunt voluntates, a quibus pendet ſucceſſus maximi hujus negotii, videlicet voluntas Dei, qui ſtatuit illam, voluntas Salvatoris, qui offert ſanguinem mortemque ſuam ad illius procurandam executionem; ac tandem voluntas hominis, qui illi debet cooperari.

Sed 1. Certi ſumus primæ voluntatis, quæ Patris Æterni eſt, ad adſpectum Vulnerum Filii ſui, & ipſum velle efficaci voluntate nos ſalvos facere; quoniam dedit nobis J. C. qui peccata noſtra deleret, nobiſque gratiam ſuam mereretur.

2. Reſpondere poſſum de voluntate Salvatoris, quem ſcio mihi applicare velle Sanguinem ſuum; quoniam illi nihil antiquius eſt, quam hominum ſalus; quia nonniſi hunc in finem venit in mundum, & mortuus eſt, & præterea quia eorum ſalus eſt laborum ipſius remuneratio, & pœnarum ſuarum conſolatio.

3. Reſtat unica voluntas mea; & de una hac reſpondere non poſſum; incertus enim ſum, utrum futurum ſit, ut ego velim efficienter ſalutem meam, & utrum vere convertar ad Deum: Ex parte noſtra non poſſumus eſſe certi noſtræ fidelitatis, & cooperationis; ſed confugiamus ad Vulnera Salvatoris, figamus infidelitatem, & inconſtantiam voluntatis noſtræ clavis pedum, & manuum Domini; Ita confirmabimur in timore, quem nobis parere poſſunt peccata noſtra, & noſtræ ſalutis incertitudo. *Biront in ſermone pro Dominica in Albis.*

XII. In hæc verba Prophetæ Iſaiæ: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; Oſtendere poſſumus Plagas Salvatoris vere fontes eſſe.

1. Miſericordiæ pro peccatoribus, qui ibi veniam inveniunt criminum ſuorum quamvis immanium, & plurimorum.

2. Gratiarum, beneficiorum, & conſolationis pro juſtis.

3. Gloriæ pro ipſo Salvatore, Beatiſque omnibus in Cælo.

XIII. Deſumi quoque poſſunt pro argumento, & partitione ſermonis hæc verba Doctoris Angelici, reſpondentis quærenti Prophetæ: *Quid ſunt Plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

1. Apoſtolis ſunt certiſſima Reſurrectionis Dominicæ argumenta.

2. Juſtis fontes inexhauſti meritorum, atque gratiarum.

3. Peccatoribus exprobrationes acerrimæ ſcelerum ſuorum.

XIV. JESUS CHRISTUS retinere voluit Plagas corporis ſui in ipſa ſede gloriæ ſuæ;

1. Ut juſtis eſſent argumentum æternæ gratitudinis, quemadmodum ſunt æternum ſui erga nos amoris monumentum.

2. Retinuit Plagas ſuas tamquam monumentum, quod ciens in ipſo memoriam eorum, quæ fecit pro nobis, illum ſollicitiorem efficiat ad augenda, & cumulanda ſua in nobis beneficia.

3. Vulnera ſua ſunt perennia amoris ſui teſtimonia, quæ ſemper, & jugiter excitent amorem noſtrum; nam cor iſtud tranſverberatum nonne debet cor noſtrum jaculo ſui amoris fauciare? Plagæ iſtæ nonne ſunt fornaces, ex quibus erumpunt flammæ, quæ univerſum Paradiſum ſuccendant? Sed nondum incaluit cor meum. *Ex Chriſtianis conſiderationibus P. Nepveu. Tomo 2.*

XV. Divinæ hæ Plagæ conſiderari poſſunt habita ratione triplicis generis perſonarum; videlicet Pœnitentium, qui volunt ſincere converti; Juſtorum, qui pietatem profitentur; & Peccatorum mordicus in ſcelere perſeverantium.

1. Pœnitentibus ſincere converti quærentibus valida ſunt contritionis, ſpei, & conſolationis argumenta.

2. Juſtis ſunt cauſſæ confidentiæ, & amoris, ſolidæque pietatis objecta.

3. Peccatoribus vitæ rationem mutare nolentibus, erunt aliquando cauſſa damnationis, & deſperationis.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri poſſit verum copia ad propoſitas Sermonum partitiones exornandas & Auctores, qui hoc argumentum pertractant.

SAnctus Auguſtinus; *ſerm. 3. de Reſurrectione*; quærit cauſſam, cur Dei filius reſurrexit cum Plagis ſuis. Sancti Patres.

Idem *ſerm. 4. in Evangelium feria Tertia Paſchæ*, oſtendit remedium, quod attulit J. C. Plagis Apoſtolorum.

Idem *lib. 20. de Civit. cap. 30. & lib. de Trinit. capit. 13.* aſſerit J. C. oſtenſurum eſſe Vulnera ſua extremi judicii die ad confuſionem ſuorum inimicorum.

Idem *Epiſt. 49.* refellit Porphyrium Philoſophum, qui ineptis rationibus oſtendere conabatur, Plagas, quas affirmabant Chriſtiani permanſiſſe in corpore JESU CHRISTI Reſurgentis fictitias eſſe, non ſecus ac ejus Reſurrectionem.

Idem, vel alius *in Manuali cap. 21. & 22.* plures habet præclaras ſententias de Vulneribus J. C. & in Meditationibus, quæ diverſi auctoris eſſe ducuntur *cap. 37.* & in Soliloquiis *cap. 2.*

S. Cyprianus, vel Auctor *de Cardinalibus Operibus CHRISTI* loquitur de aqua, & ſanguine, quæ ex J. C. latere effluxerunt.

S. Ambroſius *lib. 10. in Lucam cap. 24.* ex veritate Plagarum J. C. probat veritatem Reſurrectionis Filii Dei.

S. Chryſoſtomus *Homil. de cruce, & latrone* ait Dei Filium oſtenſurum in extremo judicio Vulnera ſua juſtis & reprobis.

S. Bernardus *Serm. 61. in cantic.* plures eximios habet locos de Vulneribus Salvatoris.

Venerabilis Beda, *Homil. in 3. feriam Paſch.* rationes adfert, propter quas Salvator poſt Reſurrectionem Plagas retinuit.

S. Bonaventura *In ſtimulo divini Amoris, fuſius loquitur de Vulneribus J. C.* Aſceticl, aliique.

Lanſpergius *Homil. 54. de Paſſione Domini* loquitur de Vulnere lateris Filii Dei.

S. Thomas 3. part. quæſt. 53. artic. 3. ubi ad examen vocat, utrum J. C. reſurgere debuerit cum cicatricibus, hoc eſt cum hiatibus Plagarum, quæ in ejus pedibus, manibuſque factæ fuerant.

Suarez Tomo 2. *de Myſteriis quæſt. 57.* quærit quomodo hiatus Vulnerum Salvatoris permanſerint cum corporis ejuſdem integritate.

Liber cui titulus, *Faſciculus, Myrrhæ* continet plures conſiderationes de Plagis J. C. Auctore P. Caraſa Præpoſito Generali Societatis JESU.

Lucas Pinelli in Meditationibus.

Cartagena *de Vulnere lateris CHRISTI Homilia duæ.*

P. Saint-Jure in libro Electorum cap. 14. Tractatu de manſione in Plagis Domini.

Idem ſeorſim in ſectione fuſius loquitur de Plaga lateris J. C.

P. Haineuve in Meditatione pro feria tertia hebdomadæ tertiæ poſt octavam Paſchæ.

P. A Ponte in 4. parte Myſteriorum Fidei habet Meditationem de Plaga lateris, aliiſque.

P. Novet in tertia parte Hominis Orationis, de vita glorioſa J. C. ſuper terram.

Interpretes qui ſcripſerunt de Apparitione J. C. ad Apoſtolos, quibus ſua oſtendit Vulnera.

Reina unum habet hujus argumenti ſermonem pro tertia feria Paſchatis. Concionatores Recentes.

Auctor ſermonum in omnia argumenta, in Myſteriis ſermonem habet de pace in Vulneribus JESU CHRISTI.

P. Duneau pro Feria tertia poſt Paſcha unum habet ejuſdem argumenti.

Lambert Tomo 6. anni Evangelici, in homilia pro feria 3. Paſchæ; & in Homilia Dominicæ in Albis.

In Specimine ſermonum pro Adventu; ſermone in diem Feſtum D. Thomæ, ubi ſermo eſt de Plagis Salvatoris non ſecus ac in omnibus Panegiricis hujus Apoſtoli.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes biblicæ ad hoc argumentum.

FOderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea. Pſalm. 21.

Super dolorem Vulnerum meorum addiderunt. Pſalmum 68.

A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: Vulnus, & Livor, & Plaga tumens. Iſai. 1.

Livore ejus ſanati ſumus. Iſaiæ 53.

In manibus meis deſcripſi te. Iſaiæ 49.

In ma-

In manibus tuis sortes meæ. Psalm. 30.
Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. Isaiæ 12.
Videbunt quem transfixerunt. Joann. 19.
Quid sunt Plagæ istæ in medio manuum tuarum. Zachar. cap. 13.
His Plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Idem ibidem.
Unus militum lancea latus ejus aperuit. Joannem 19.
Et continuo exivit sanguis, & aqua. Idem ibidem.
Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Idem ibidem.
Venit JESUS, & stetit in medio: & dixit eis, pax vobis, & cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joann. 20.
Dixit Thomas, nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Idem ibidem.
JESUS dixit Thomæ: infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Idem ibidem.
Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati, qui non viderunt, & crediderunt. Idem ibidem.
Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos in visceribus JESU CHRISTI. Ad Philipp. 1.
Cujus livore sanati sumus. 1. Petr. 2.
Advocatum habemus apud Patrem, JESUM CHRISTUM justum. 1. Joann.
Liber scriptus intus, & foris. Apocal. 5.

Exempla, figuræ, & testimonia veteris, noviique Testamenti.

Eva formam ex latere Adæ dormientis figura est Ecclesiæ ex latere J.C. manantis.

PAtrum, ac potissimum S. Augustini sententia est, sicuti Adam fuit profundo somno correptus, ut inde Heva suam originem duceret; ita JESUM CHRISTUM in cruce mortis sopore captum, ut Ecclesia, quæ Heva est altera, ex eo formaretur. Dominus eduxit os ex femore Adam, ut inde primam efformaret mulierem; & JESU CHRISTI latus lancea perforatur, ut emanantes illinc sanguis, & aqua, efficiant Sacramenta, quæ sanctificare debent Ecclesiam, eamque dignam ipso Sponsam efficere. Hoc docet Sanctus Augustinus *Tract. 9. in Joann.* & alibi planius: *Ascendat Sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur latus ejus, & Ecclesia prodeat Virgo: ut quomodo Heva facta est ex latere Adæ dormientis, ita etiam Ecclesia formetur ex latere CHRISTI in cruce pendentis.* Ecce ubi concepti fuimus, ecce ubi nati sumus, & unde nostram originem duximus quatenus Christiani, & Ecclesiæ filii.

In Symb. ad Catecum. cap. 6.

Ostium arcæ mysticæ alia figura vulneris in latere J. C.

Ostium per quod in arcam diluvii tempore patebat ingressus, secundum S. Augustini sententiam erat figura vulneris J. C. Noe, ejusque domestici, qui per Ostium hoc in Arcam ingressi sunt, salvi facti sunt: ceteri, qui non introierunt, aquis diluvii fuerunt absumpti: & quicumque per vivam fidem in J. C. latus ingreditur, salvam faciet vitam suam, & qui illuc ingredi renuit, amittet eam. Mystici omnes, & contemplationi dediti in hac figura inveniunt meditandi argumenta, & hac in re eximias habent considerationes. 1. Quemadmodum animalia, quæ in Arcam admissa fuere, oblita feritatis suæ, atque antipathiæ pacatam ducebant vitam; Noe vero, ejusque filii divinarum rerum contemplationi vacabant: ita affectus, & motus partis hujus animalis nostrummet ipsorum, in JESU CHRISTI latere cicures fiunt, & potestates superiores fruuntur tranquillitate, & ad divinitatis contemplationem se attollunt. 2. Noe non egreditur ex arca, nisi postquam aquæ diluvii exhaustæ sunt: utque vita sua esset securior dominum rogavit, ut per exteriorem partem ostium concluderet. *Et inclusit eum Dominus deforis.* O vos beatos si Deus eamdem vobis gratiam concesserit, atque incluserit vos in JESU CHRISTI Vulnera, quin inde vobis egredi permittat, donec Mundi procellæ perflabunt. O Noe divine, qui in latere Arcæ Mysticæ, quæ est sacratum corpus tuum aperis januam pro illis, quos de diluvio salvare desideras, me quoque illac digneris recipere, ne peream in generali colluvie tot peccatorum, quæ terram universam inundant.

Genes. 7.

Lapides quinque quos David accepit de torrente, ut se ad prælium cum Goliat ineundum præpararet, sunt figura quinque vulnerum J. C.

Lapides quinque, quos elegit David de torrente cum descensurus esset in singulare certamen adversus Goliath, sunt figura quinque vulnerum J. C. ex quo arma capere debemus contra Dæmonem, aliosque satellites nostræ inimicos pugnaturi. Si cum dexteritate uti noverimus hoc armorum genere in acie, ac tentationis prælio, victoria erit penes nos, eaque nobis deesse non potest. Pie imaginati sunt nonnulli contemplativi dicentes, nomina quatuor Patriarcharum Abraham, Isaac, Jacob, & Moysis insculpta fuisse in primis quatuor lapidibus David, sed illum, quo Gigas prostratus occubuit signatum fuisse nomine Josue, quod erat figura Nominis JESU. Esto sit hæc pia imaginatio nullo innixa argumento; sed hæc solida veritas est, Dæmonem nunquam fuisse victum, & ex mundo exterminatum vi legis scriptæ, sed Evangelii gratia, & virtute Vulnerum JESU CHRISTI.

Recessus in Plagas J.C. cujus figura est recessus Moabitarum in foramina Petræ. Jerem. c. 45.

Jeremias Propheta hortabatur habitatores Moab, ut in Petram confugerent: *Relinquite Civitates, & habitate in petra.* Hoc illis suadebat, quia Urbs eorum depopulanda erat, ac evertenda, & illi adversus incendium sibi consulere cupiebant. Hoc ipsum in sublimiori sensu nobis Sancti Patres suadent, cujus alterum illud nonnisi figura est. Quærendum nobis esse perfugium, & asylum in foraminibus petræ, quæ JESU CHRISTI est. *Petra autem erat CHRISTUS.* Hoc est fugiendum esse tumultum sæculi, mundi commercium, ubi periculum est nos involvi ea ruina, & excidio, quod illi imminet, & in JESU CHRISTI Plagas esse confugiendum.

1. ad Cor. 10.

Liber scriptus intus, & foris de quo loquitur Apocalypsis, figura est J. C. vulneribus sanctii.

In Apocalypsi S. Joannes ait, se vidisse *librum scriptum intus, & foris.* Liber hic, S. Hieronymus inquit, est JESUS CHRISTUS cruci suffixus. Liber hic simul apertus, & clausus est; visibilis est oculis nostris corporeis per externum corticem, invisibilis autem in parte interiori omnibus luminibus naturalibus: id autem quod ad rem pertinet liber est scriptus extrinsecus quidem terribilibus characteribus, plagis nempe, quas hominum nequitia ibi incidit, & sculpsit; & dicere possumus hoc opus fuisse crudelitatis Judæorum, & peccatorum omnium hominum: quod vero spectat ad interiorem hujus libri partem, conceptus fuit in intellectu Dei ab æterno, & consistit in unico Verbo, quod continet in se omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ Dei: Hic ergo liber repletus omnibus secretis divinitatis intus, quæ cuicumque creatæ menti sunt ininvestigabilia, hic, inquam liber extrinsecus scriptus est manu peccatorum, qui profunda hæc Vulnera impresserunt, quæ ille post suam resurrectionem retinuit, & quæ nunquam delebuntur. Qui legere posset, & intelligere quæcumque scripta sunt, sciret omnia Dei consilia, & quid se facturum decrevit in omnem sæculorum omnium durationem. Sed in hac parte liber clausus est; sin autem attentius legere voluerimus quod extrinsecus scriptum est, in sævissimis plagis, quas recepit, nonnihil assequemur de infinita peccati nequitia, de magnitudine amoris, quo Deus prosecutus est homines, de severitate *justitiæ suæ*, deque infinita misericordia, qua usus est erga Plagarum ipsarum auctores.

Apostoli agnoverunt eas veras esse Plagas & de illis testimonium perhibuerunt.

Cum Dei Filius post Resurrectionem suam, clausis januis ingressus est in locum, ubi congregati erant discipuli, putarunt, id quod intuebantur merum esse spiritum. Ut illos in errore versari ostenderet dixit *Spiritus carnem, & ossa non habet*; simulque ostendens illis pedum, manuumque Plagas, inquit: *Palpate, & videte.* Jubenti paruerunt Apostoli, palparunt, & viderunt Plagas esse veras, & illum, quem videbant, & loquentem audiebant, illum esse ipsum, qui recesserat illas. Hinc dilectus discipulus loquens de illo, cujus minister erat, enumerans omnia beneficia, quibus ab illo fuerat cumulatus, non præterit illud, quo dignus habitus fuit, qui illum suis manibus attrectaret. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis.* Alii autem Apostoli videntes pedes ejus, & manus possunt testari hunc illum fuisse, qui Vulnerum suorum cicatrices servaverat.

1. Joann. 1.

Testimonium S. Thomæ, quem Salvator invitavit, ut digitos in Vulnera inferret.

Dubium est, utrum S. Thomas conversus fuerit solo adspectu Vulnerum Sacrorum JESU CHRISTI, an reipsa illa tetigerit, antequam crederet. Nonnulli crediderunt ipsum præ reverentia non tetigisse ea, & S. Augustinus tenet hanc sententiam esse probabilem; quamvis alibi asserat, tetigisse illa, ut Magistro, Dominoque obediret, & nostræ cognitioni prodesset; sed jamjam convictum fuisse de illius resurrectione ad solum intuitum gloriosarum cicatricum. S. Gregorius addit illum attingentem fuisse conversum. *Thomas ad fidem palpando reducitur.* Et S. Ambrosius, Thomam postquam manu sua attrectavit latus JESU CHRISTI, tunc protulisse verba illa, *Dominus meus, & Deus meus.* Postrema vice, qua mentio fiet Vulnerum Filii Dei, vel potius postremus usus, in quem Salvator proferet illa adversus reprobos peccatores, erit eadem illis ostentare extremi judicii die, quemadmodum id innuere S. Joannes videtur: *Videbunt in quem transfixerunt.* Quod Zacharias jam prophetaverat; hinc enim S. Augustinus ait, in peccatores consurget, & ostendens illis Plagas suas dicet illis: Ecce homo, quem crucifixistis, ecce Vulnera, quæ illi intulistis; considerate latus, quod perfodistis: pro vobis apertum fuit, & vos illuc ingredi renuistis. Sed quantum terroris, & confusionis afferent sacræ hujusmodi Plagæ reprobis, tantum afferent consolationis, & gaudii justis. Peccatores videbunt illum, quem criminibus suis vulneravere-runt, & justi considerantes hoc testimonium divinæ

S. Augustt. tract. 121. in Joann. Idem Serm. 161. de Tempore S. Greg. hom. 26. in Evang. S. Ambr. in Psal. 43.

Joann. 19. Augustt. lib. de Symbolo c. 8.

erga

erga se caritatis, videbunt illum quem ex toto corde suo dilexerunt, & hæ eædem Plagæ erunt illis valida ratio eumdem in æternum amandi.

Applicatio quorundam locorum Biblicorum huic argumento.

Dulcedo, & requies, quam experitur anima in Vulneribus Filii Dei.

UT *sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* *Deuter.* 32. Sanctus Bernardus applicat hæc verba ad Vulnera Salvatoris, cum ait, pias animas apibus esse similes, quæ volantes ingentem strepitum edunt, donec speciosum aliquem inveniunt florem, qui eas remoretur: tunc enim illuc ingrediuntur, ut in silentio, & quiete exsugant, & colligant suum mel. Ita dum Servi Dei in adversitatibus suis aliquod in rebus creatis solatium inquirunt, rumorem edunt, festinant, mussitant, solliciti, & inquieti donec sese inserant in Plagas Salvatoris, & ingrediantur in rimas sacræ hujus Petræ, ibi solidæ consolationis dulcedinem delibaturi: *ut per has rimas sugant mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Si anima adhuc infirma est, si non satis habet virium, & elationis, ut divinitatis arcana pervadat; ostenduntur illi in corpore JESU CHRISTI scissuræ, in quas ingredi potest cogitatione non ægre, & ibi delitescere donec vim adepta fuerit per semet in petra hac effodiendi: videlicet, ut de Humanitate Sancta transeat ad divinas perfectiones Salvatoris, postquam majorem acquisiverit puritatem, majoremque spiritus fervorem; si quo enim vitio, vel aliqua tentatur cupiditate, ubi nam tutiorem invenire potest sedem & felicius perfugium, quam in JESU CHRISTI vulneribus? Si præteritæ vitæ peccata, ac stimuli conscientiæ illi turbas cient, procumbat ad Salvatoris pedes cum pœnitente Magdalena: isti nondum fuerant perforati, cum illa ibi suam invenit medicinam: modo vero cum ibi magna pateant vulnera remedium proculdubio certius erit, atque præsentius. Si desperatione tentatur, ne egrediatur ipsa ex his Vulneribus, ibi tutissimum habet asylum, ubi perire nullatenus potest. Denique si ad perfectorum statum pervenit; patet illi cordis Vulnus; jus est ibi incolendi, ac sese cælesti manna nutriendi, quam cum omnibus mundi deliciis commutare nollet. Hoc pacto ibi suget mel de petra, & oleum de saxo per suavitatem, quam ibi reperiet. *Suget mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Ex meditationibus P. Novet.

Quid significarent plagæ, quas Salvator retinuit post resurrectionem.

Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum. *Zachariæ cap.* 13. Propheta quæris ab hoc crucifixo, ac triumphanti Deo, quem in spiritu vides, quem in usum reservet has Plagas, quas vides in manibus ejus? Quandoquidem mortis imperium in cruce evertisti, cur geris adhuc Cicatrices? Sanctus Cyrillus respondet has Plagas remanere impressas in Corpore JESU CHRISTI resuscitati, tamquam certos characteres, qui perhibent testimonium veritati mortis, & resurrectionis suæ; ut ostendat, se simul & hominem esse, & Deum; hominem quidem, quia mortem subiit, Deum vero, quia de morte triumphavit. Vulnera hæc probant illius & humanitatem, & divinitatem; docent enim omnem Ecclesiam de alterius quidem passionibus; de alterius vero fulgidissima gloria . . . Sancti Cyprianus, & Ambrosius crediderunt Salvatorem reservasse Plagas suas post resurrectionem, ut essent semper velut ora eloquentia semper in omnem æternitatem aperta in gratiam peccatorum, & magnum hoc spectaculum Dei pro nobis mortui, & crucifixi semper esset præsens in Cælo, & in terra: Alii sacras hasce Plagas considerarunt tamquam immortalia trophæa amoris sui erga homines, qui æternum instaurabunt gloriam triumphi sui; sed dicimus has Salvatoris Plagas fuisse tamquam fontes luminum non solum pro S. Thoma, inquit S. Gregorius, sed pro Ecclesia universa: nam simul ac JESUS CHRISTUS Apostoli hujus dubitationes dissipavit, nullum reliquit locum fidei nostræ dubitationi. *Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione posita in fide solidatur.* Ex Speciminibus Sermonum pro Adventu. Sermone de S. Thoma.

Vulnera J. C. sunt fontes gratiarum.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Psalm.* 37. Si nosse vultis, ubi sint hi vitæ fontes, ne alibi quæratis illos nisi in Vulneribus JESU CHRISTI. Lancea, quæ aperuit sacrum JESU CHRISTI latus, elicuit aquam, & sanguinem, fontes omnium Sacramentorum Ecclesiæ, & Propheta nobis est auctor, ut ex his vitæ fontibus hauriamus, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hi sunt fontes omnium gratiarum, quæ per sacros illos hiatus effluunt, ut Sanctus Augustinus, & Sanctus Bernardus inquiunt, & quæ sese ubertim effundunt, ita ut in ipso fonte valeant hauriri. Verum si scire vultis quomodo accedere valeatis, ut inveniatis, & gustetis cælestes hos liquores, mementote illos hauriendos esse cum gaudio. *Haurietis in gaudio*, hoc est cum hac divina voluptate, quæ procedit ex viva fide, firmaque spe, & ardenti caritate. Accedite, vel potius currite cum ardore, ac siti, quæ similis sit siti Cervi, qui, ut loquitur Propheta, sitiens & e manibus venatorum fugiens sese illuc conjicit quo aquæ decurrunt. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ab aquæ viventis fontibus sitim relevabimus, vel refrigerabimus ardorem nostrarum cupiditatum. Hi fontes sunt *aquæ salientis in vitam æternam.* Sed sciatis verum hoc gaudium nonnisi in altera vita perfecte gustari posse. In beata æternitate hauretis ex Vulneribus Salvatoris delicias prorsus puras, & voluptates, quæ omnimodam menti vestræ oblectationem præstabunt. Verum quidem est, hæc Vulnera efficere, ut animæ sanctæ magnis superfundantur deliciis: sed cogitate, gratias quæ inde emanant gustandas esse in ipso fonte, & alveo, per quem fluunt, ideoque efficere debere impressionem doloris, qui in vobis cieat sensum, & commiserationem harum Plagarum, quas amantissimus Salvator propter amorem nostri perpessus est. *Auctor recens.*

Psalm. 41.

Joann. 4.

Vulnera Salvatoris nuntiarunt simulque attulerunt pacem Apostolis.

Pax vobis ego sum: videte manus meas, & pedes. *Luc.* 24. JESU CHRISTI Vulnera nobis attulerunt beata nuntia pacis Deum inter, & homines eodem tempore quo divinus Salvator victor mortis ostendit se discipulis suis post glorioſam resurrectionem suam, & dixit eis hæc amantissima verba: *Pax vobis*, ostendit illis Plagas suas, quasi vellet innuere, si pax quam vobis annuntio, vos afficit gaudio, gratias agite Vulneribus, quæ vobis aperio: His enim debitores estis. In Apostolorum persona hæc dirigit verba omnibus hominibus; quoniam justitia, & pax, quæ adeo sibi invicem videbantur oppositæ, æternum percussere fœdus in Plagis ipsius, & in signum perfectæ consensionis se mutuo osculatæ sunt. Vulnera satisfecere Justitiæ, & nobis reliquerunt pacem, atque misericordiam: *Pax vobis.* Quod non significat solum secundum communem salutandi morem apud Judæos: Vobis omnia cupio bona, quia pax bonorum omnium est maximum; sed vobis annuntio, & largior hanc pacem, dicens illam jam sancitam fuisse inter Deum, & vos; & deinceps vos hac pace esse perfruituros. *Idem.*

De aperto J. C. latere prodiit vera hominum vita, cujus fons sunt Sacramenta. S. August. tract. 120. in Joann. S. Ambros. l. 10. in Luc.

Unus militum latus ejus aperuit. *Joann.* 18. Sanctus Augustinus in hæc verba animadvertit, S. Joannem non dicere militem percussisse, aut vulneralse, sed aperuisse latus Filii Dei. *Aperuit, ut illud quodammodo ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarent, sine quibus ad vitam, quæ vere est vita, non intratur.* Ut innuat hunc militem aliquid amplius fecisse, quam vulnerare latus Salvatoris; videlicet illud vulnerando, aperuisse vitæ januam, per quam effluxerunt Ecclesiæ Sacramenta, & sine qua ad veram vitam non patet aditus. Sanctus Ambrosius in eadem sententia, ait, etiamsi sanguis, qui ex Salvatoris latere effluxit, verus sanguis extiterit, hoc tamen non sine miraculo factum fuisse; sanguis enim post mortem in venis adstringitur gelu propter frigus, quod vitali calori succedit: *Ex illo incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat.* Hoc accidit, quia ex hoc corpore immuni quidem a corruptione, sed mortuo, manare debebat omnium hominum vita designata per hanc aquam, & sanguinem, alteram quidem, qua nos ablueret, alterum vero, quo redimeret. Per aquam enim repræsentatur Baptismus, qui est ingressus, & primus omnium Sacramentorum; & per sanguinem Eucharistia, quæ finis est, & extremum illud, ad quod cetera referuntur.

De dolore J. C. propter Vulnera sua.

Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea. *Psalm.* 21. Dolor, quem expertus est JESUS CHRISTUS in Vulneribus suis, maximus fuit, neque dubitandum est, primum propter locum ubi vulneratus fuit; manus enim, & pedes partes sunt nervorum plenæ, ideoque extremum sensum habentes; & clavi carnem lancinarunt, venas perforarunt, fregerunt nervos, atque arterias, non sine maximis convulsionibus. Deinde extremus fuit dolor, propter vim, quam exercuerunt carnifices in corpus illius, illud summo conatu trahentes, ut manus, pedesque producerentur ita ut pervenirent ad crucis foramina, quæ præparaverant. Dolor, quo afficiebatur in omnibus membris suis ita extentis, atque luxatis, similis erat dolori equulei, immo toto Cælo major; nam ita erant extenta, ut singillatim numerari possent omnia pectoris ossa, & corporis totius, quomodo narrat Propheta, qui hæc in spiritu viderat. Tertio quemadmodum pondus corporis in equuleo positi efficit, ut dolor augeatur, ac tamdem intolerabilis fiat: ita JESUS CHRISTUS cruci confixus, & nonnisi Vulneribus suis innixus, sentiebat cruciatus suos in singula momenta augeri; carnem, & venas iterum lancinari, cum propter corporis sui gravitatem venæ, atque arteriæ confringerentur. Adde jugem ossium luxationem, quæ accedens ad aliorum cruciatuum rigorem efficiebat ut dolor J. C. ad excessum pertingeret.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo, a facie furoris Domini. *Isai.* 2. Fortasse sentiens conscientiam tuam criminibus obrutam, magis times justitiam,

Confugiendum est in Plagas J. C. præ timore justitiæ ipsius,

& quid sibi velit manere in Plagis Salvatoris.

stitiam, quam sperare audeas in Dei tui misericordia, sed excipe Isaiæ Prophetæ consilium: *Ingredere in petram &c.* Quæ autem hæc Petra est, nisi JESUS CHRISTUS, *Petra autem erat CHRISTUS*. Ingredere igitur in hanc petram, delitesce in profunditate hujus foveæ sacri lateris ejus, & tutus eris. Audiamus

1. ad Cor. 10. Ex Manuali c. 93.

S. Augustinum: *Peccavi peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum, nec tamen sic despero, clavi, & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum CHRISTO, si eum amavero*. Habeamus pro generali canone effatum illud Doctoris Seraphici S. Bonaventuræ: Si vultis, divinam misericordiam flecti erga vos, gestate in corde vestro Vulnera JESU CHRISTI, & illius sanguine perfusi vosmet Patri ejus offerte:

P. 3. Stimuli c. 12.

Neque enim potest se Deus negare Sanguine CHRISTI perfuso. Ne dubites mentem JESU CHRISTI retinentis Plagas suas fuisse ibi præparandi tibi mansionem, ut sicut Sponsa Canticorum habites in foraminibus petræ, quæ sunt scissuræ manuum, & pedum ejus in

Cant. 2. in Manuali c. 21.

caverna lateris sui: *in foraminibus petræ in caverna macerie*. O quam jucunda, ac tuta est ista mansio! *Tuta & firma est requies in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito*, dicebat S. Augustinus. Si ex me quæris in quo proprie sita sit hæc mansio in Vulneribus Salvatoris, respondebo, cum sit spiritualis, sitam esse in actibus trium facultatum animæ nostræ, intellectus videlicet, voluntatis, & memoriæ. Intellectus noster illic habitat, ut S. Bernardus ait: *Idcirco audis sponsa, columba mea in foraminibus petræ quod in CHRISTI Vulneribus tota devotione versetur, & jugi cogitatione moratur in illis*. Voluntas illic habitat per actus amoris, & gaudii; si ardenter amamus illum, qui recepit ea, & adhuc retinet propter amorem nostri, quemadmodum vulgo dicitur, anima ibi magis est ubi amat, quam ubi animat. Adde, sicuti aliquid amplius est jugiter meminisse alicujus rei, quam per intervalla de ea cogitare: idem habendum est discrimen inter eum, qui semper animo suo reputat Plagas Salvatoris, & eum qui aliquando solum recogitat, quod est inter illum, qui semper in eodem permanet loco, & eum, qui ad tempus tantum illuc diverfatur. *Pater Duneau sermone pro feria tertia post Paschα.*

Sensus gaudii suavitatis, & pietatis, qui in vulneribus Salvatoris percipitur.

Hæc requies mea, hic habitabo quoniam elegi eam. Psalm. 131. Anima, cujus vita abscondita est in Vulneribus JESU CHRISTI, invenit hac in mansione tantum suavitatis, & deliciarum, ut amittat gustum omnium voluptatum sensibilium; labor illi molestus non est, quia jugi fruitur tranquillitate. Nulla est in hac vita amaritudo, quam consideratio horum Sacrorum Vulnerum non leniat, & illam in quamdam dulcedinem non convertat. Tanta est interna consolatio, quam Plagæ illæ in nobis cient, ut exteriorem mortificationem imminuat, ejusque dolorem extinguat,

S. Bernardus serm. 61. in Cantic.

quapropter S. Bernardus ait, militem strenuum vulnera sua non sentire, cum ob oculos habet vulnera ducis sui, eo usque ut Sanctus iste, cui cordi erat hæc devotio, martyrum plurimorum indolentiam in cruciatibus, quibus torquebantur, acceptam referat huic causæ; quia videlicet anima eorum in JESU CHRISTI Vulneribus delitescret. Videbitis, ait, Martyrem exultantem gaudio, dum corpus ejus in frusta discerpitur, & cum voluptate respicientem sanguinem, quem ex suo corpore eliciunt ungulæ, & ferrei pectines ex lateribus suis. Ubinam tunc est Martyris hujus anima? est in Vulneribus Filii Dei. Mirum ergo non est, si minime afficitur doloribus corporis sui, non quod omnem prorsus sensum amiserit; sed quia dolor amoris magnitudine superatur. Ego vero arbitror, alium Sanctum contemplationi deditum jure suo dixisse, eum, qui requiem suam constituit in Vulneribus JESUS CHRISTI, Paradisum in terra nanciscei. Cæli beatitudo est frui Deo; beatitudo terræ est propter Deum pati; sed hujus acquirendæ modum esse, patientiam suam ad Salvatoris exemplum formare, & nunquam ab oculis suis removere præsentiam, atque memoriam Vulnerum ejus; quo in argumento S. Bonaventura exclamat: O felix lancea! beati clavi! quibus contigit adeo præclarum Vulnus inferre? Si id mihi contigisset, nunquam ex latere Salvatoris mei egressus fuissem, atque dixissem: hæc requies mea, hic habitabo in æternum, quoniam elegi eam. Ingredere igitur anima mea in suavissimum Terræ Paradisum, & si quando reipsa ingredi cupis in Paradisum cælestem, paullisper in hoc affectu, & cogitatione versare: ibi invenies absconditum inæstimabilium luminum thesaurum, novum pieratis fervorem, sensus doloris, & patientiæ in afflictionibus tuis, miserationis in alienis; potissimum vero cordis humiliati, & dolore saucii. *Sensus pii collecti ex Sanctis Bernardo, Bonaventura, &c.*

Salvatoris Plagæ sunt asyli contra Dei iracundiam.

Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Psalm. 138. Hoc dicebat David peccator. Proh Deus meus! Quo memet recipere potero, ut tutus sim ab ira tua, & a tumultu peccatorum meorum. Si in Cælum ascendero, ibi te omnipotentem inveniam; si in abyssi profundum descendero, ibi te mihi præsentem videbo, ingredienti in penetrale ipsum cordis mei occurrit imago justitiæ tuæ in iis tumultibus, quos ciet in me conscientia mea. S. Hieronymus huic quæstioni, & spiritus perplexitati respondet, in plagis Salvatoris tantummodo locum esse, ubi valeamus hanc invenire securitatem: *Ubi tuta, firmaque peccatoris permansio? in Vulneribus CHRISTI*. Hæc sunt perfugia, quo tot peccatores in tutum se receperunt, ut Dei vitarent iracundiam, & quo nobis etiam confugiendum est, idque ob duas validissimas causas: quarum prima est; primum quia per rimas corporis sui videmus dispositiones cordis ejusdem; quod paratum est, ut nobis veniam, atque pacem largiatur; secundo, quia in sacratis illis fontibus invenimus infinita testimonia misericordiæ, & bonitatis ejusdem erga homines, cujus in partem facile accedere possumus, si illam nobismet applicare velimus. *Biroat in sermone pro Dominica in albis.*

Sunt loca refugii contra nos persequentes salutis nostræ inimicos.

Esto mihi in domum refugii, ut salvum me facias. Psalm. 30. Vulnera JESU CHRISTI peccatoribus sunt id, quod olim civitates, vel domus refugii nocentibus. Qui illuc confugiebant, in tuto personam vitamque suam collocabant; & qui ad Salvatoris Vulnera confugiunt, sese recipiunt in locum securitatis, ubi ob omnibus inimicorum suorum incursibus proteguntur. Nocens, qui ex eo refugii loco egrediebatur, periculo vitam suam objiciebat; & qui egreditur de Vulneribus JESU CHRISTI in discrimen adducit salutem suam cum victoria, & subit periculum incidendi in manus invisibilium inimicorum suorum. Ratio unica evitandi dolos, & insidias eorum est confugere in hosce refugii locos, ibique sese *in his arcibus* communire. Hoc nobis consilium suppeditat S. Augustinus per hæc verba: Habes ante te munitissimam turrim, hanc ingredere, & revoca memoriam Vulnerum JESU CHRISTI, & ecce te in loco forti, & ne timeas, ut eripiat tibi consensum tuum tuus inimicus. Ingredere in arces has, & propugnacula, ibi eris invictus, & nunquam hostis tuus tibi prævalebit. In urbibus autem refugii nonnisi ad certum usque tempus commorari opus erat; sed consilium ineundum est vivendi, atque moriendi in Vulneribus JESU CHRISTI; neque enim sperandum est fore ut aliquando inimici nostri ponant odium, quod conceperunt in nos, & abjiciant mentem nos perdendi. Sermo hic ut qui paullo mysticus videtur, non aliud significat, nisi nullum esse præsentius remedium contra hujusmodi tentationes, quam Vulnera JESU CHRISTI, quemadmodum docet S. Augustinus, & piam animam tutum ibi invenire perfugium contra omnes incursus inimicorum salutis nostræ, perinde ac in expugnabili turri versaretur. Illa victrix est Sanctus idem Doctor asserit, cum illuc ingreditur per hiatus pedum, & manuum illius, tamquam per totidem ostia. Ut autem veniamus ad praxim, simulac senties primos tentationis appulsus, celeriter confuge ad Vulnera JESU CHRISTI. Ibi recipies subsidium contra inimicos salutis tuæ. Plagæ istæ clebunt in te memoriam ipsum de mundo, & dæmone triumphasse, & eosdem penitus victos, deletosque fuisse. Sed disce ex eo, quod tibi tribuit exemplo, & ex ea virtute, quam his victricibus plagis adjecit, si ad illas confugeris, te posse superare hos eosdem inimicos; quia caro nostra, & affectus nostri incompositi sunt arma validiora, quibus ad nos vincendos dæmon utatur; ita ut recordatio Plagarum Salvatoris non destruat solum peccatum, verum etiam mortificet pravas animi nostri propensiones, ac studium quo rapimur in peccatum, tribuens nobis vim resistendi; ut loquitur S. Gregorius: *Peccati concupiscentia regnare non potest in animo, qui semper secum gerit memoriam Vulnerum, & mortis JESU CHRISTI.*

Hæ Plagæ signum sunt pacis, quam Deus largitur hominibus, quemadmodum Iris post diluvium signum fuit sedatæ iracundiæ.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Genes. 9. Hæ plagæ modo sunt signum practicum, vel monumentum pacis, quam Deus voluit sancire cum hominibus eodem præter propter pacto, quo Deus postquam universali Diluvio mundum universum aquis submersérat, ut certos faceret homines ejus pacis, quam illis concesserat, & iram suam jam deferbuisse, testaretur; illis relinquere voluit arrham, & pignus producens in nubibus irim: ita, magne Deus, postquam Filium tuum gravissimis iracundiæ tuæ flagellis percussisti: postquam illum in aquis passionum suarum demersisti, quemadmodum Propheta tuus loquitur, dignatus es nobis largiri monumentum omnimodæ, æternæque reconciliationis per hæc Vulnera, quæ Filius tuus conservavit usque in sede gloriæ suæ tamquam certissimum pignus pacis, quam illi concessisti pro nobis, & signum, ex quo innotesceret justitiæ tuæ omnino satisfactum fuisse; non attollis hoc signum in nubibus, sed vis illud permanere infixum in sacro Corpore dilecti hujus Filii tui, ut sit arrha perennis misericordiæ tuæ, & pacis nostræ. *Auctor sermonum in omnia argumenta &c.*

Quid sibi velit Apostolus, cum cupit nos in visceribus J. C.

Testis est mihi Deus, ut cupiam omnes vos in visceribus JESU CHRISTI. Ad Philippenses 1. Testis mihi

Deus

Deus eſt, me cupere videre vos omnes una collectos in viſceribus JESU CHRISTI. Licet omnia verba hæc myſtica, & allegorica eſſe videantur, hanc mihi videntur argumentationem complecti. Deus diligit nos, ſimulque diligit fratrem noſtrum, cum uterque ſimus fructus mortis ſuæ, atque Plagarum ſuarum. Hoc modo excipit nos in corde ſuo tenera ſimul, & ardenti caritate: ſed fieri non poteſt, ut ſimul permaneamus in iſto corde, donec diſſenſerimus, & inter nos aliquid ſimultatis viguerit. Etenim ſi homines cum Deo unum quid facere tenentur per vinculum perfectæ caritatis, ut Apoſtolus inquit: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum eo*, videntur illi debere unum, idemque facere inter ſe, quandoquidem eadem diviſio, quæ ſeparat eorum corda, illos quoque ſeparat a corde Dei; videlicet privat eos gratia, & amicitia ejuſdem.

1. ad Cor. 6.

Per vulnera ſua pergit adhuc in Cælo fungi munere mediatoris.

Deus reconciliavit nos ſibi per CHRISTUM. 2. *ad Corinthios capit.* 5. In hoc ſitum eſt mediatoris officium, quod Dei Filius exercuit in terra dum viveret, & pergit exercere in Cælo orans pro nobis, pacem noſtram ſtabiliens cum Deo Æterno Patre ſuo, noſtramque reparans cum illo amicitiam, qua noſmet indignos præbueramus; ſed hoc officium ille præſtat Plagarum ſuarum miniſterio, ita ut cum Sancto Bernardo dicere valeamus: *Clamat clavus, Clamant vulnera*. Clavorum ſuorum impreſſio, & cicatrices Plagarum ſuarum clamant in Cælum, & quid clamant? *Quod Deus ſit in* CHRISTO *mundum reconcilians ſibi*. Eſſe Deum in JESU CHRISTO, & hujus Plagas operari reconciliationem cordis noſtri nocentis cum illius irritata juſtitia, & delere crimina noſtra, vel potius ipſum in ſtatu gloriæ ſuæ perficere, quod in terris incœpit ſupra Calvarium, delens ſcelera noſtra; & per hoc intelligo ipſum in Cælo pergere & operari, quod cœpit in terris; videlicet fungi mediatoris officio inter Patrem ſuum, atque peccatores.

Manſionem noſtram debemus collocare in vulneribus Salvatoris.

Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam Pſalm. 117. Eamus, conſtituamus manſionem noſtram in adorabili corde amabilis hujus Salvatoris. Aditus, quem apegemur, Sanctus Auguſtinus ait, ubi alacriter, tranquille, ac tuto traducemus vitam noſtram in aſylo, ubi erimus ſecuri ab inſidiis dæmonis, a tentationibus mundi, & ultione ipſius Dei; verum non *timetis* propulſari ab hoc virtutum omnium ſanctuario? Etenim quomodo illuc ingredi nobis liceat in cor adeo purum cum tanta impuritate? in cor adeo humile cum tanta ſuperbia? in cor adeo ſuave cum tanta acrimonia? in cor adeo inflammatum amore Dei cum tanta rerum terrenarum affectione? *Juſti intrabunt in eam*. Juſtæ duntaxat animæ pedem inferre poſſunt in cor hoc, quod eſt Divinitatis ſanctuarium. Sed ſi ingredi vultis, incipite diluculo deplorare ſtatum, in quo eſtis, ut ſincere illum deteſtemini, & mox intrate in ſacrum iſtud Cor, quod aperit vobis Caritas JESU CHRISTI; Ignis enim illic ardens abſumet omnes maculas, quas in vobiſmet ipſis detegetis. Heu! cum veſtræ vitæ finis acceſſerit, patebunt oculis veſtris portæ æternitatis, & præſto erit, ut mortis vulnus divellat animam veſtram a corpore, ut inde rapiatur ad Tribunal Dei: Sacerdos pius, qui extremis illis vitæ momentis præſtabit vobis noviſſima ſui miniſterii officia, dicet vobis, oculis veſtris objiciens imaginem Salvatoris de cruce pendentis cum Plagarum ſuarum cicatricibus; intuere, frater, cor JESU; hic tibi collocanda eſt anima tua in manibus tui Creatoris. Tunc oculos morientes in Crucifixum convertes, & colligens quidquid ſibi virium ſupererit ſexcenta emittens languentia ſuſpiria verſus ſacrum latus illius, quaſi ſpiritum jamjam efflaturus velles illum immittere in adorabile cor ipſius. Sed niſi, dum viveres, unquam illuc fueris ingreſſus, tunc ingredi irrito labore conaberis; & quid non exprobrabit tibi Dei Filius, qui tunc temporis fieri incipiet Judex tuus? Ecce, dicet ille tibi, ex S. Auguſtini ſententia: *Vides Vulnera, quæ inflixiſti? Agnoſcis latus quod pupugiſti?* Si tua ſcelera aperuerunt manus, pedes, & cor meum, cupiebam, ut huc ingredereris, ibi eorum medicinam inventurus: *Per te, & propter te apertum eſt latus meum*, & nihilominus mordicus inhærens objectis, quæ tibi vetabantur in lege, illuc ingredi detrectaſti: *Nec tamen intrare voluiſti*. Scito cor iſtud, & has manus tibi in æternum clauſum iri, & tamen nonniſi hac tranſitum tibi patere poſſe cum juſtis ad gloriam. *Hæc porta Domini. Juſti intrabunt in eam.*

Pſalm. 117.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

POtuit CHRISTUS ſine ulla cicatrice reſurgere, ſed habere voluit, unde nutantes columnas, Apoſtolos, *firmaret*. Auguſtinus in Pſalm. 74.

Terruerunt Apoſtolos vulnera Chriſti, firmaverunt cicatrices. Idem ibidem.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam non intratur. Idem. Tract. 120. in Joann.

De latere Domini pendentis, & morientis in ligno, poſtquam eſt lancea perforatum, aqua, ſanguiſque profluxit, in uno eſt mundatio tua, in altero redemptio tua. Idem ſerm. 115. de diverſis.

Contendite, ait Dominus, intrare per anguſtam portam: quid anguſtius illo foramine, quod unus ex militibus, percutiendo latus Chriſti aperuit? Idem de tempore.

Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis. Idem lib. de Virginit.

Quemadmodum Eva facta eſt ex latere Adæ dormientis, ita etiam Eccleſia formatur ex latere Chriſti in cruce pendentis. Idem de Sybol. ad Catech.

Ecce in manibus tuis Domine Deus deſcripſiſti me: lege ipſam ſcripturam, & ſalva me. Idem vel alius Auctor in Soliloquiis.

In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti; in illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus. Idem vel alius in manuali cap. 22.

Tuta, & firma requies eſt infirmis, & peccatoribus in vulneribus Salvatoris: ſecurus illic habito, patent mihi viſcera per vulnera. Idem ibidem.

Quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex vulneribus Domini mei. Idem ibidem.

Quoniam miſericordiæ affluunt, non deſunt foramina, per quæ effluant: Idem ibidem.

Per Foramina corporis patet mihi arcanum mentis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei mei, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Idem ibidem.

Vulnera Domini noſtri JESU CHRISTI plena ſunt miſericordia, plena pietate, plena dulcedine, plena caritate. Ibidem.

Per has rimas licet mihi guſtare, quam ſuavis eſt Deus meus. Idem ibidem.

Copioſa redemptio data eſt nobis in vulneribus Salvatoris noſtri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Idem ibidem.

Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Idem ibidem cap. 22.

Vulnera ſuſcepta pro nobis in Cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri pretia noſtræ libertatis oſtenderet. Ambroſ. lib. 10. in Lucam.

Iſta Cicatrix, nempe lateris Chriſti, *quæ Cælum aperit, regnum acquirit, immortalitatem invenit*. Idem in Pſalm. 77.

Oſtendit manus, & pedes; oſtenſione vulnerum, vulnus amovit. Petrus Bleſenſis.

Quid verba damus? loquaciora ſunt vulnera. Ambroſ. libro de Jacob, & vita beata cap. 4.

Vulnus eſt, quod Chriſtus excepit, ſed unguentum eſt, quod effudit. Ambroſ. in Pſalm. 118.

Ex illo incorrupto licet corpore, ſed defuncto, omnium vita manabat: aqua enim, & ſanguis exivit, illa quæ diluat, iſte qui redimat. Idem lib. 10. in Joannem.

Ipſa fecit teſtimonia ſui corporis, quæ ſua fuerant contumelia paſſionis. Chryſolog. ſerm. 18.

CHRISTUS ſervavit vulnera, ut apparerent vultui Dei pro nobis, & ut ſemper reſervata in corpore plaga ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donativum requirant. Cyprianus ſermone de baptiſm. Chriſti.

Ex vulneribus Salvatoris naſcuntur Principes æternitatis. Chryſoſtomus.

Paſſionis notas retinuit CHRISTUS, ut reſurrectionis myſterium rite intelligamus. Cyrillus lib. 12. in Joann.

Dominus ſignum perpetuæ victoriæ vulnerum cicatrices Cælo inferre maluit, quam abolere. Beda in Luc. cap. 6.

Servavit ſigna mortis, ut ſua morte redemptis, quam miſericorditer ſint adjuti, propoſitis ſemper ejuſdem mortis innovet indiciis. Beda in cap. 6. Lucæ.

Quid ſunt plagæ iſtæ? Sunt monumenta Caritatis, ſunt teſtimonia obedientiæ, ſunt pretia redemptionis humanæ. Rupertus Abbas.

Vulnera illa illi reſervantur ad gloriam, nobis ad gratiam, inimicis ad crudelem conſcientiam. Idem lib. 12. de Vict.

Propterea vulneratum eſt cor Chriſti, ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videamus. S. Bernardus de Paſſione.

Ad hoc

Ad hoc perforatum est latus suum, ut nobis ad te pateat introitus. O quam bonum, & quam jucundum habitare in corde tuo! Idem ibidem cap. 3.

Quis illud cor tam vulneratum non diligat, quis tam amantem non redamet. Idem, ibidem cap. 3.

Ad te clamo, quia pro te patior: vide clavos, quibus confodior, cumque tantus sit dolor exterior, interior est planctus gravior, cum te ingratum experior. Idem in sermonibus.

Vulnera hæc loquuntur pro me, quia diligo te. Idem.

Quid ni viscera per vulnera pateant, in quo enim clarius patet, quam in vulneribus tuis, quod tu Domine suavis es, & mitis, & multæ misericordiæ? Idem serm. 61. in Cantic.

Vulnera sunt opinio virtutis insuperabilis sine assertore præconium propriæ linguæ virtutis. Cassiodorus lib. 8. Variar. cap. 10.

Doles Domine, non tua vulnera, sed mea. Ambros. in Matth.

Cur addis afflictionem afflicto? Magis gravant me vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. Bernardus in Floribus.

Ubi tuta firmitas infirmis, securitas, & requies nisi in Vulneribus Salvatoris? Illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Idem serm. 61. in Cantic.

Fremit Mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Idem ibidem.

Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbatur: quoniam vulnerum recordabor, nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Idem ibidem.

Patet arcanum cordis per foramen corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Idem ibidem.

Vulneratur lancea furoris, qui prius vulneratus fuit lancea Amoris. Idem de Pass. cap. 2.

O amantissima vulnera Domini nostri JESU CHRISTI. Sanctus Bonaventura part. 1. Stimuli Divini amoris.

O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in CHRISTUM nesciunt introire. Idem ibidem.

O vulnera corda saxea vulnerantia, & pectora adamantina liquefacientia! Idem ibidem.

Nolo vivere sine vulnere, quia te video vulneratum. Idem in Medit. de Passione CHRISTI.

Agnosce o homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum CHRISTUM vulnerari. Bernard. serm. 3. de nativitate.

Plagarum cicatrices ideo in corpore suo retinuit, & reservavit, ut victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. Rupertus Abbas lib. 12. de Vict. virt.

Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris? Laurent. Justinian. lib. de Casto Matrimonio.

Pedes, & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis. Guerricus Abbas.

Tuta habitatio, turrisque fortitudinis CHRISTI Domini Vulneribus immorari. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia fontibus hauriri possit in hoc argumento.

JESU CHRISTI Plagæ sunt opus redemptionis nostræ.

OMnes actiones Filii Dei sunt opera nostræ redemptionis; cum enim omnes simul & singulæ sint pretii infiniti propter personæ excellentiam, ne una quidem est, quæ possit non esse caussa nostræ salutis. Tamen JESU CHRISTI Vulneribus adest nescio quid peculiare, quo fit, ut illa nostræ salutis opus nuncupemus: quia extremam adjiciunt perfectionem præcedentibus meritis totius vitæ suæ. Nos ille redimere poterat unica cruoris sui gutta, unico gressu, unico obtutu; verum ut ostenderet thesauros bonitatis suæ addere voluit tamquam cumulum actiones omnes, & passiones vitæ suæ, recipiens hæc Vulnera, quæ obsignarunt quodammodo cetera merita, quia fuerunt caussa proxima, & immediata mortis suæ; quapropter ille non dixit, *consummatum est* nisi postquam plagas accepit, quasi dixisset nunc vere exhaurivi fontem meritorum meorum pro salute hominum, & per Vulnera mea effudi Sanguinem, qui fuit pretium redemptionis animarum secundum ordinem, & beneplacitum Patris mei. Ita docet S. Thomas hac de caussa tribui posse singulariter JESU CHRISTO opus nostræ Redemptionis modo quodam *ex operis ipsius natura* petito, ut ipse loquitur; quia æquum est, ut quicumque moritur pro alio, sit Salvator vitæ illius, pro quo objicit suam.

Rationes propter quas decebat, ut Salvator retineret post resurrectionem hiatu pedum, manuum, & lateris, quod docet Æquum erat, D. Thomas ait, ut anima JESU CHRISTI in Resurrectione Corporis sui illud reciperet eum Cicatricibus, quæ in illo remanserant in Evangelium, cum Salvator apparens in medio Apostolorum, jussit S. Thomam digitum inferre in hiatum lateris, manuumque suarum: quod plurimis innititur æquitatis rationibus; quarum prima est, ut JESUS CHRISTUS haberet notam aliquam victoriæ suæ, atque triumphi de morte, & de inferis relati; itaque nequaquam dicendum est illum non potuisse perfecte curare Vulnera sua, eaque ita claudere, ut nulla cicatrix, nullumque vestigium supereresset; sed ipsum ita voluisse, ut æternum existeret monumentum quanti steterit sibi vincere adeo validos gloriæ suæ, salutisque nostræ inimicos. Ratio altera est, ut confirmaret cor discipulorum suorum in fide Resurrectionis suæ, postquam recognovissent hoc ipsum corpus per Vulnera, quæ in cruce receperat; hinc factum est, quod S. Thomas non viderit solum has cicatrices, verum etiam tetigerit pro se, & pro aliis, & exclamaverit, Dominus meus, & Deus meus! Ratio tertia, ut semper præsentem redderet in oculis æterni Patris memoriam supplicii, quod dilectus Filius suus passus est pro nostra redemptione, jugiter illum urgens pro nobis, ostendens Vulnera sua, quæ sunt tamquam totidem ora pro nobis loquentia. Quarta, ut conciperemus excessum, & magnitudinem misericordiæ suæ, ipso nobis ostendente præclara vestigia eorum cruciatuum, quos propter amorem nostrum passus est. Novissima denique, ut in extremi judicii die, secundum Sancti Augustini sententiam, ostenderet illos jure optimo flammis æternis addictum iri, ob eorum oculos objiciens Plagas Corpori suo inustas per peccata, quorum pœnitentiam agere noluerunt.

Ationem suam cicatrices Vulnerum suorum. S. Thom. 3. p. q. 54. artic. 4.

Plagæ, quas Salvator ostendit Apostolis, fuerunt plagæ veræ non simulatæ, ac tantummodo apparentes.

Veritas est, de qua ante cetera consentiendum est ad eruditionem, & consolationem, quam ex hoc argumento percipere possumus; Vulnera, quæ Dei Filius ostendit Apostolis post gloriosam Resurrectionem suam, vera fuisse Vulnera, non autem solum apparentia, quod Hæretici nonnulli falso jactitabant: vera, inquam, fuerunt, & talia, qualia permanserunt in sacro illius corpore resuscitato, & glorioso, & qualia ibi in æternum permanebunt. Hoc pacto locuti sunt Sancti Patres, quos Suarez magno recenset in numero. Ratio autem, quam tribuunt Theologi, est, quod cum Salvator illas retinuerit, atque ostenderit in testimonium, & argumentum Resurrectionis Corporis sui, quod positum fuerat in sepulcro, veræ esse debuerunt, quemadmodum vera erat eadem Resurrectio, & Tertullianus censuit rationem hanc adeo validam esse, ut inde contra Marcionem Hæreticum arguat veritatem dominicæ Resurrectionis ex veritate Vulnerum, quæ mortis J. C. caussa fuerunt. *Si CHRISTI vera caro non fuit*, ait ille, *vera consequenter non fuerant ejus Vulnera; quod si autem Vulnera ipsius non fuere vera: nostra quoque cum Deo pax: & reconciliatio vera non fuit, falsa est igitur, & fides nostra, & phantasma est totum, quod speramus a CHRISTO.*

De fide Ecclesiæ est Salvatorem in Cælo conservare Vulnera sua gloriosa.

Veritas quoque est, quam quovis tempore docuit Ecclesia, Salvatorem retinere adhuc in Cælo notas, & insignia Vulnerum quinque sacrati Corporis sui in manibus, pedibus, & latere; nam quamvis ex Sacris Bibliis non constet nisi ipsum illa retinuisse post Resurrectionem suam in duabus apparitionibus quas habuit ad Apostolos suos, alteram ipsa illa, qua resurrexit die, cum illis ostendit manus pedesque suos, & permisit illis, ut tangerent, atque attrectarent; alteram vero post dies octo, qua die S. Thomas, qui priori nequaquam interfuerat, per easdem Plagas a sua incredulitate convaluit: nihilominus perpetua traditione de sæculo in sæculum, & testimoniis Sanctorum Patrum accepimus, ipsum illa in Cælo retinuisse, ac semper retenturum esse, eaque extremi Judicii die hominibus esse ostensurum. *Vulnera susceptæ pro nobis Cælo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet.* Sanctus Ambrosius ait.

L. 10. in c. 24. Luca.

Salvatoris Vulnera manent aperta, neque claudantur, ut illa, quæ in nobis curantur.

Præterea constat Plagas has nunquam clausas fuisse, & rimas, quæ factæ fuerant per clavos & lanceam permansisse; quoniam licuit S. Thomæ inferre digitos per medias manus, & pedes, ac manum in latus inferre: ex quo discimus hasce cicatrices non esse illis similes quæ passim remanent, postquam aliquis pugione, vel alia qualibet re, carnem perforante, fuit vulneratus: Vulnera enim nunquam curantur, nisi tollatur rima, & caro divisa iterum coalescat. Quapropter miraculum fuit divinæ potentiæ, Salvatoris Plagas curatas fuisse, quin caro coalesceret; & voluit rimas permanere, ut melius agnosceretur Vulnerum magnitudo, quandoquidem digitus hominis pertransire potuit per manuum, pedumque Plagas, & manus inseri potuit in latus saucium.

Plagæ J. C. bifariam considerari possunt tamquam crucis & dolorosæ & tamquam gloriosæ.

Hoc in argumento prætermittendum non est, Vulnera JESU CHRISTI duplici in statu posse considerari; In priori tamquam cruenta, ac dolorosa, cum illa in cruce recepit; in altero autem tamquam in Cælo gloriosa, ubi illa reservavit propter rationes, quæ supra ex Patribus, atque Theologis allatæ sunt. In duplici hoc statu dicere possumus, illis duplex

fuisse

fuisse munus habita ratione salutis nostræ ; primo enim in statu, quatenus dolorosa nostram merita sunt redemptionem eo in sensu, quem explicuimus: omnes videlicet labores vitæ illius respexisse mortem ejus, & Vulnera tamquam complementum, & consummationem meritorum suorum, & ita illa procurasse, & operata fuisse nostram salutem, nec non promeruisse nobis omnes gratias, atque ad id necessaria subsidia ; in Cælo autem quatenus gloriosa, nobis fructum applicare: quandoquidem Salvator illis utitur tamquam totidem oribus eloquentibus ad obtinenda necessaria ad nos salvandos subsidia; ita ut per has plagas quatenus dolorosas noster sit Redemptor, ut per easdem quatenus gloriosas noster sit Mediator, qui illas opponit justæ ultioni, quam Deus læsus jure suo de sceleribus nostris posset repetere.

Salvator in Cælo suas retinuit plagas ut Advocati nostri fungatur officio.

Passim Patres testimonio S. Pauli inhærentes docent, Salvatorem in Cælo præsentare ob oculos Patris æterni Plagas, ad mulcendam illius iram, & flectendam misericordiam, nostrique Mediatoris apud eum munus obeundum. Ad hoc illi ostendit Vulnera, quæ recepit in cruce, & quæ post resurrectionem retinuit tamquam pignora nostræ reconciliationis. *Vulnera susceptra*, S. Ambrosius ait, *pro nobis in Cælum inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostra pretia libertatis ostenderet.* Quamobrem dilectus discipulus inquit: *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem J. C. justum ; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.*

S. Ambros. in Lucam cap. 14.

1. Joann. 2.

Qua in re situm sit officium Advocati, quod Salvator pro nobis exercet in Cælo.

Theologi quærunt quomodo, & in quo consistat hoc officium Advocati, quod JESUS CHRISTUS exercet pro nobis in Cælo ? Dicunt nonnulli ipsum quidem non fungi hoc munere per formales sollicitationes ; quia supplicis qualitas indigna est eo statu in quo est, eaque dignitate, quam possidet ; illi tamen preces tribuunt interpretativas, eo quod ostendit æterno Patri Vulnera, quæ pro hominibus retulit, eique jus exhibet, quod habet ad illos salvandos. Alii vero probabilius docent, ipsum ad id duplex adhibere vocis genus ; scilicet illam oris sui, quemadmodum facere consueverat, cum in terris versaretur, & illam Vulnerum suorum, quæ carnifices intulerunt illi, & quæ hac de caussa a Sanctis Patribus totidem eloquentia nuncupantur ora pro Peccatoribus peroranti a : *Tot ora, quot Vulnera.* Videt peccata, quæ patravimus, accusare nos coram Divina Justitia, & non aliud habens quod pro nobis afferat, illam obtestatur per vulnera, quæ accepit pro ipsius quidem gloria, nostra autem salute, & per manifesta hæc, æternaque fidelitatis suæ, & obedientiæ monumenta Deum obsecrat, ut nobis parcere velit.

S. Ambros. in Lucam loco supra memorato.

Ex vulneribus Salvatoris tamquam a fonte in nos gratiæ omnes emanant.

Sanctæ Salvatoris Plagæ rivus sunt, per quem omnes gratiæ derivant in homines ; videlicet omnia dona, omnes favores, omnia bona, quæ Deus nobis confert, fluunt a Vulneribus ejus tamquam ex fonte, & per illa transire debent, ut ad nos usque descendant. Hoc docet S. Thomas iis verbis : *Omnia dona gratiæ effectus sunt, & præmia Vulnerum, & meritorum CHRISTI.* Et docet Theologia hoc unum esse ex illis discriminibus, quæ occurrunt inter gratias, quæ in innocentiæ statu concedebantur, & eas, quas post primum hominis peccatum recipimus ; quod primæ illæ immediate fluebant a Deo, & ut ita dicam a manibus illius plenis deliciarum, cum in terrestri Paradiso darentur ; alteræ vero nobis conferuntur per manus Salvatoris, & Mediatoris propter salutem nostram perforatas.

Quomodo plaga lateris J. C. quam mortuus recepit contulit nostræ adoptioni, & Ecclesiæ nativitati.

Diximus jam cum S. Augustino, aliisque nonnullis Patribus Dei Filium peperisse Ecclesiam, & omnes Christianos ad gratiam per lateris vulnus, quemadmodum Eva educta fuit de femore Adam. Non deest tamen difficultas, quomodo fieri potest, ut hæc plaga cordis Domini confluere potuerit ad nostram adoptionem, gratiam, reconciliationem ; quandoquidem Salvator mortuus erat, cum lancea fuit vulneratus ; ideoque non erat in statu in quo mereri posset, quia merendi tempus eumdem finem habet, quem vita. Sed cum eruditissimis Theologis respondere possumus, Salvatorem cum adhuc viveret, scientem sibi post mortem lancea latus esse transverberandum, & id cognoscentem in antecessum vulnus hoc applicuisse, & obtulisse ipsius cordis quoddam veluti sacrificium posthumum (absit invidia verbo) & per Patris acceptationem factum fuisse, ut hæc oblatio per residuum voluntatis JESU CHRISTI meruerit, & hoc pacto nonnihil ad nostræ adoptionis gratiam contulerit.

J. C. plagæ confirmare nos debent contra salutis nostræ incertitudinem.

Salutis nostræ incertitudo potest nobis diffidentiæ sensum ingerere ; nescimus enim, quid de nobis decreverit Deus, utrum per justitiam suam nos perdere, an per misericordiam suam nobis parcere constituerit. Hoc est mysterium absconditum, ac tenebris involutum, atque incertum ; hominum prædestinatio atque reprobatio. Namque si Deum scimus esse Misericordem, scimus quoque Justum esse, & si in prædestinatorum albo recensuit nonnullos, qui jam per antecessum in infernum pedem intulerant ; inter reprobos retulit in criminum pœnam nonnullos eorum, qui jam jam in Cælum pedem intulisse videbantur. Verum JESU CHRISTI Plagas meditantes possumus mulcere timores nostros ; non enim latet quem in finem eas retineat in statu gloriæ suæ. Vultis ergo cognoscere qualiter adfectum sit Cor JESU, & quem in ipso locum habeatis ? judicium facere potestis de illius voluntate, ex mediis, quibus usus est, ut id consequeretur, utrum valida sint, atque efficacia. At ad inspiciendam cordis sui dispositionem, & quid pro nobis facturus sit, aliquid ne requiritur unquam præter ea, quæ pro nobis ab illo jam facta fuerunt ? Et cum ille has Plagas pro omnibus hominibus receperit, nonne inferendum est ipsum, quantum in ipso est, velle salvare homines, dummodo ipsi quoque velint ; statutum enim est, S. Augustinus ait, illum nos invitos nequaquam esse Salvaturum. *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.*

Ratio tutissima efficiendi preces nostras efficaces est, petere per merita vulnerum J. C.

Veritas quoque est, de qua dubitare non possumus, certissimam rationem impetrandi gratias a Deo, esse petere illas per Vulnera dilecti Filii sui. Ipse fidem suam obligavit Joannis cap. 6. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hoc est, si quid petieritis propter amorem mei, in virtute mortis, & passionum mearum, ideoque meorum etiam Vulnerum, hæc vim habent impetrandi non solum per viam misericordiæ, verum etiam per viam justitiæ ; & quod nobis per favorem conceditur, illis debetur per meritum, ac justitiæ rigorem. Quapropter immensa, & infinita merita Plagarum JESU CHRISTI nihil unquam amittunt virtutis suæ coram æterno illius Patre, quæ acceptat illa, eaque semper eodem oculo respicit ; & propterea liberaliter nobis concedit quidquid petimus præsertim, si ab eo petimus gratias ad salutem nostram necessarias, quarum Plagæ istæ sunt veluti thesaurus inexhaustus ; ibi enim reservat inæstimabilia ejus merita, unde nos depromimus omnia supernaturalia gratiæ, glorieque dona. Tamen semper verum est dicere, omnia Dei dona semper effectus esse justitiæ simul, & misericordiæ, quia illa nobis largiens, justitiam exercet cum Filio suo, in cujus nomine ea postulamus, si magnitudinem meritorum ejus consideramus ; sed si nostra respicimus, *nobiscum* exercet misericordiam.

Salvatoris vulnera sunt liber vitæ in quo scripti sunt Prædestinati.

JESU CHRISTI *Vulnera secundum Sanctorum Patrum, atque Theologorum loquendi morem*, sunt Liber Vitæ *in quo* descripti sunt Prædestinati ; & qui scriptus non est *in hoc libro*, in regnum Cælorum non ingredietur. *In libro hoc* scripta sunt nomina eorum, quos prævidet Deus certissime gloriam adepturos propter conformitatem, & participationem meritorum Plagarum J. C. & quamvis secundum præsentem justitiam characteres libri hujus nequaquam sint indelebiles ; quia gratiam semel acquisitam amittere possumus, tamen secundum præscientiam Dei, nunquam delebuntur ; quia cognitio per quam prævidet Deus hominem salvum fore, falli non potest.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, & recentioribus Concionatoribus loci hujus argumenti.

Confidentia, quam habere debemus in plagis J. C. quas pro salute nostra recepit.

CUM Salvator Discipulis suis protulit verba hæc consolatione referta : *Pax vobis ; ostendit eis manus, & latus* ; quasi diceret : Discipuli carissimi, ne ambigere velitis, utrum pax, quam nuntio vobis, *solida*, & vera sit : videte has manus, & latus hoc transverberatum, ut illam vobis procurarem : *hæc sunt pignora*, quæ vobis tribuo veritatis verborum meorum. Quicumque es, quem injusta de divina misericordia diffidentia exagitat, cur dubitas ? putasne Sanguinem, qui ex hisce vulneribus effluxit, non effluxisse pro te ? Gratias, quæ inde manant, delere non posse maculas iniquitatum tuarum ? hæc, quæ ibi patent perfugia tibi obstructa esse, & te in chirographo non contineri ? Ah ! amabilis Salvator tuus testatur, ibi alte insculptum esse nomen tuum. *In manibus meis descripsi te.* Hi sunt clavi, hæc lancea ; quæ hos impressere characteres, respice illos oculis fidei, & ibi illos invenies. Ah ! Si JESUS CHRISTUS gerit nomen tuum descriptum in Vulneribus suis, quid inde pro te mihi non licet inferre ? Prius ergo mater oblivisceretur filii sui, *qui fuit* deliciarum suarum objectum, quam Salvator obliviscatur nostri ; prius videretur caritas in corde suo defervescere, quam salutem tuam nullo in discrimine habere ; potius ille gloriæ suæ cogitationes abjiceret, quam animæ tuæ curam ; donec videbit gloriosa Plagarum insignia, quas pro tua salute suscepit, semper quanti illi steteris cogitabit ; & id cogitare ne poterit, quin interitum tuum prævertere omni cura adnitatur ? Non ita, S. Augustinus inquit ; quis enim sui compos sedato animo, & sine ulla perturbatione videre possit illud interire, quod magnis sumptibus, laboribusque id facere posse, quod pati non posset nemo, cui adhuc aliquid licet minimum boni sensus reliquum esset. *Et peribit CHRISTO pretium suum ? Auctor recens.*

Isaiæ 49.

Idem sequitur argumentum.

At fortasse inquies, locum dedimus divinæ Justitiæ respi-

respiciendi nos tamquam victimas æternarum ultionum Dei læsi. Non diffiteor; sed nonne Salvator noster per Vulnera sua certissimum sibi jus comparavit efficiendi, ut experiremini effectus misericordiæ suæ? Hoc nequaquam inutile patietur esse; ne dubitetis. Nimis zelotes est, cumque peramanter in Scripturis conqueratur, quod peccatores illud inutile efficiant: *In vanum consumpsi fortitudinem meam*, constat illum nihil prætermittere, ut inde quamcumque potest recipiat utilitatem. Pater mi, dicit indesinenter amantissimus iste Mediator; verum est, omnes vias tuas plenas esse justitiæ, & misericordiæ. Sed nonne pollicitus es te facturum, ut tua erga homines misericordia refulgeat, si ego justitiæ tuæ satisfacerem? Ego quidem perfeci quæcumque a me præstolabaris; tu ergo modo præsta fidem promissionum tuarum. Ego me subdidi omnibus rigoribus justitiæ tuæ; hæc vulnera quorum vestigia nunquam delebuntur, æterna erunt testimonia; effunde super homines divitias misericordiæ tuæ; hoc pollicitus es, & plagæ istæ fidelia sunt monumenta. *Pactum captivitatis*, S. Leo inquit, *in jus transiit redemptionis*. Ita JESUS CHRISTUS intercedit pro nobis apud Patrem Cælestem. Ah! Ulla ne haberi potest diffidentia, quam adeo potens intercessio non dissipet? potest ne aliquis vitam adeo nefariam duxisse, ut vincat spem quam inspiraverant Vulnera adeo amabilis Intercessoris? Omnia semper a memetipso verebor, verum etiam omnia in Dei meritis confidam, *qui*, ut S. Joannes Chrysostomus inquit, *suas divitias esse putat si nos salvet, ditescere utique non cessabit*. Alioquin quid anima mea non timeret? Quid enim fieret de abjecta creatura, qualis ego sum, cum toties offenderim Patrem tuum, nisi tanta erga me bonitate usus fuisses? Quid tuæ non deberem justitiæ? Sed ubi mecum reputo Plagas, quas pro me sustinuisti, terrori succedit confidentia. *Idem*.

Plagæ istæ sunt præsens remedium contra desperationem, quæ oboriri posset ad aspectum criminum nostrorum.

Videntur nonnunquam animæ, quæ cum per funestum lapsum in scelus jacturam fecerint innocentiæ, quam satis diu integerrime servaverant, vel quæ cum annos plurimos in omni licentia traduxerint, adeo terribilem sibi proponunt divinæ justitiæ imaginem, ut nonnisi supplicia præstolentur, quasi illos misericordia penitus dereliquisset: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Itaque illas intuemur terra obrutas tristitia contabescere, vel inire consilium vitam suam producendi sub peccati jugo, ex quo sese evadere nequaquam posse sibi persuadent: *Damnandus sum, cur ergo non faciam quod lubet, etsi non licet*: Similes, S. Augustinus ait, Gladiatoribus illis, qui amphiteatro damnati festinabant omnes gustare voluptates, quibus se quam primum per mortem carituros esse videbant: *Prius explere volunt libidinem, quam effundant sanguinem*. Heu! Carissime Auditor quicumque es; si ita affectus es, intuere Plagas amabilis Salvatoris tui, ut abjicias immodicos hosce terrores iracundiæ Dei, quæ illum obstringunt, ut tibi gratiam promereatur, Quod hic dico, nequaquam levibus conjecturis ductus, vel simplicibus divinæ bonitatis præjudiciis innixus assero: id assero, quia video Omnipotentis Dei Filium factum expiationis victimam, ut te cum Patre suo reconciliet. Non igitur fretus sorte aliqua hortor te, ut tuam excites spem, quemadmodum faciebat Rex Ninive, qui cum ad terribiles Jonæ minas indixisset populo suo publicam pœnitentiam, ut illi animos adderet, dicebat: *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Dominus*. Non ita Auditor mi, ad adspectum Vulnerum JESU CHRISTI satis non erit mihi dicere; Quis scit, utrum vobis parcet Deus; dicam enim, veniam esse certissimam: tandem enim, cur illa recepit, nisi ut cum Patre suo pacis nostræ fœdus feriret? *Idem*.

Cum cogito, Domine, Vulnera, quæ pro me recepisti; memet confirmo, & in bonitate tua omne prædestinationis meæ negotium colloco, & nihil mihi, nisi a me timendum esse arbitror; abs te enim omnia mihi speranda sunt, & confidentia mea foras eliminat quemcumque timorem, qui mihi ab justitia tua posset oboriri. Sed qua consolatione carent novissimorum horum temporum hæretici, qui sibi persuaserunt, Sanguinem, qui ex his sacratis fontibus manavit, effusum fuisse pro exiguo tantum mortalium numero, quos placuit Patri tuo educere de massa perditionis, dum ceteros in eadem relinquere placuit. Qui terror non debet animam eorum pervadere credentium, plerisque nihil esse sperandum ex bonis, quæ per Vulnera tua meritus, & adeptus fuisti, & nescientium quænam pro se futura sint formidabilia ista decreta, quæ ex ipsorum sententia non aliam habent regulam quam absolutam Dei voluntatem, sive ad gloriam destinent, sive suppliciis addicant. Quid enim, quid fingi potest ad eiendam desperationem hoc aptius? Salus mea ab uno Deo pendet, & si Deus non conjecit oculorum suorum aciem in me, quidquid agam, in nullam spem interii. Mihi supereſt brevis annorum ambitus, quo in terris vivam expectans æternitatem, & quidquid me consolari potest, miserum est, *fortasse* nequaquam a Regno in æternum prohibitus non sum; & hoc *fortasse* nullo pacto pendet a me? Non ita, Domine, gloria sua non patitur me hos fovere sensus, neque admittere valeo adeo tetras cogitationes, nisi prorsus ejiciens testimonium hoc, quod mihi tua Vulnera perhibent; testimonium, quo certus fio te nequaquam tædere negligentiæ nostræ in procurando salutis nostræ negotio, neque nostræ infidelitatis in tuo servitio, neque nostræ ingratitudinis in gratia tuis largitatibus referenda. Quamvis ergo viderem cælestem ultionem in me detonare, sperarem me posse omnia tua tela evitare confugientem in asylum, quod in medio cordis tui caritas tua mihi aperuit. *Turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam Vulnerum Domini recordabor*, dicam cum Sancto Bernardo, *Idem*.

Sensus doloris, quem in nobis excitare debemus ad adspectum Vulnerum Salvatoris.

Agnosce homo vulnera tua, pro quibus oportuit CHRISTUM vulnerari. Inspice, peccator, Salvatoris tui Vulnera, simulque intelliges, quænam est magnitudo eorum, quæ tu tibi intulisti lacessens adeo sæpe, adeo facile, adeo tranquille Deum, quem super omnia debes amare? Ah! ex his Vulneribus manarunt rivi sanguinis cum divinitate conjuncti, ut mederer tuis; hoc opus fuit, ut peccata expiarem, quæ eorum caussa fuerunt. Audebis ne adhuc illa respicere tamquam nugas, quas Evangelii præcones exaggerant immodicis locutionibus, ut suum zelum exerceant? nonne modo tibi videri debent tamquam horrentia monstra? *Agnosce Vulnera tua, pro quibus oportuit CHRISTUM vulnerari*. O si possem ob oculos tot peccatorum, qui impune videntur ferocius divinæ justitiæ insultare, imaginem proponere Salvatoris Vulneribus obrutam, eosque cogere ad statum considerandum, quo illas peccata sua reduxerunt, quid ad eorum conversionem mihi expectandum non esset a Dei Misericordia, quæ fere hoc utitur medio ad cor eorum permovendum: illi confusi, pudore suffusi, indignabundi eo quod tandiu sæculi vanitatibus se falli passi sunt, succenserent oculis suis, eo quod non effundunt torrentes lacrymarum, odissent cor suum, eo quod dolore non conteritur, & semetipsos exprobrarent, Sanctus inquit Bonaventura, eo quod acri dolore non conficiuntur, eo quod læserunt supremam majestatem, infinitam bonitatem, formidabilem justitiam, incomparabilem pulcritudinem, incomprehensibilem sapientiam; te enim offendimus, postquam perspeximus, atque experti sumus magnitudinem amoris tui, quam palam testatam reliquisti in Vulneribus tuis. *Idem*.

JESU CHRISTI plagæ nobis ostendere debent peccatorum nostrorum enormitatem, quandoquidem hæc ille subiit ad scelera nostra expianda, Isaia 53.

Nonnisi ad scelera nostra expianda Pater æternus teterrimis his plagis Filium suum percussit; quia hic per eximium suæ erga nos Caritatis effectum, sese nobis apud illum vadem, atque fidei jussorem constituit. Sciat universa terra, Pater æternus ait per Prophetam, crimen populi mei me coegisse ut tanta cum severitate animadverterem in Filium, in quo semper mihi bene complacui: *Propter scelus populi mei percussi eum*. Hinc ergo inferendum nobis est, peccata, quæ nugæ dicuntur, hilare ingenium, modi, quos humana prudentia præscribit, præcautiones in negotiis necessariæ, esse odio maximo, quod corda nostra concipere valeant, dignissima. Primum enim. Si Pater æternus adeo severam irrogat pœnam, opus est, ut pœnæ severitas major non sit, quam peccati nequitia. Ille infinite justus est, & potissimus justitiæ canon est: *juxta mensuram delicti* esse debere *plagarum modum*. Deinde vero sententia hæc in Altissimi Filio adimpleta est; opus est ergo, ut pœnæ, quas subit tamquam expiationis victima in locum nostrum substituta, sint quodammodo infinita. Ah! Frater mi! peccata quæ nonnisi pœnis infinitis expianda fuerunt apud Tribunal Dei, qui eadem est justitia, quos horroris, & execrationis characteres habeant necesse est? *Idem*. Deuter. 25.

Si Crux fuit Cathedra peccatoris, Salvator nunquam efficacius prædicavit quam vulneribus suis.

Sanctus Augustinus nos docet Crucem, in qua Salvator efflavit animam, fuisse cathedram, in qua doctrinam suam tradidit efficientius, quam alibi uspiam. *Lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, cathedra fuit magistri docentis*. Sed dicere possumus, Plagas, quibus confossus fuit, esse tamquam totidem ora, per quæ divinus hic Præceptor loquitur nobis. Quid porro dicit? audite illum, animæ ignavæ, quas sanctæ pœnitentiæ Christianæ praxes deterrent. Dicit, inevitabilis esse necessitatis, mortificare nostras cupiditates, quibus cæce paruimus, & sensus nostros, quibus obsecuti sumus. Ita est, Salvator amabilis; Vulnera tua me docent in me severitatem exercere postquam adeo frequenter, & graviter læsi Patrem, ac Deum tuum. Verum est te illas recipere voluisse Plagas, ut mea scelera expiares; verum quoque scio, quemadmodum infinita contritio, qua cor tuum pro me confractum est, nequaquam me præstat immunem a necessitate habendi cor vere contritum; ita supplicia quibus affectum fuit corpus tuum me non dispensare a corporis mei mortificatione. Voluisti agere pœnitentiam pro hominibus, ut illos agere pœnitentiam doceres; væ illis, qui traditum sibi non sequuntur exemplum. Quemadmodum primus es Prædestinatorum, te imitemur oportet, si ex eorum

nume-

numero esse velimus. Hæc lex est immutabilis a Patre tuo constituta: sed quomodo poterimus imitari te, nisi mortificatio in nobis effecerit, quod carnificis manus in tua fecit persona adorabili? Magnus Apostolus, qui hanc tanti momenti, tanta vi docuit veritatem, eamque majori cum sedulitate exercuit, dum cum immensis laboribus in universum orbem sese conferebat ad prædicandum Evangelium, excipiebat corpus suum ea cum severitate, ut dicere posset se tecum cruci esse confixum; ac se in corpore suo stigmata JESU CHRISTI gestare. Ah! quando nam hoc ipsum dicere nobis licebit, nobis, qui ita vivimus, quasi per commodum, jucundumque vitæ genus nos salvos fecisse! *Idem.*

Quomodo J. C. intercedat pro nobis, & nos debeamus offerre Vulnera ejus æterno Patri, ut misericordiam consequamur. Psalm. 83.

Cum Filius Dei se nostrum constituerit in Cælo Intercessorem apud Patrem suum, modus, quo hoc munere fungitur, quod in se recipere dignatus est, neque alia ei suppetat ratio saluti nostræ consulendi, est ostendere Plagas, quas pro nostra salute suscepit, Patremque obtestari per æterna hæc suæ fidelitatis, & obedientiæ monumenta, ut nobis parcere velit, dicens illi cum Propheta, *Respice in faciem CHRISTI tui.* Pater, oculos averte a sceleribus Peccatorum; vide Filium tuum pro tua quidem gloria, & pro eorum salute percussum. Heu! quis ambigit, utrum hæ voces validæ sint, & efficaces ad nobis veniam obtinendam, & pacem nostram sanciendam? Sed erunt adhuc validiores, si nos ipsi caussam nostram perorantes his utemur verbis, & misericordiam implorabimus in virtutem Vulnerum hujus dilectissimi Filii: *Respice in faciem CHRISTI tui.* Pater æterne, ne respicias me, me inquam, miserum peccatorem, sed respice Filium tuum pro me Cruci confixum, vel si me respicis, respice me per Vulnera illius, in quæ confugi. Horum Vulnerum vox altius, & validius clamat, quam vox criminum meorum: non majores habent vires, ut gratias tuas in me trahant, quam peccata mea, ut tuas in me detrahant ultiones. Plurimum quidem justitiæ tuæ debeo, sed majus tibi pro debitis pretium persolvo, cum offero tibi Sanguinem, meique Salvatoris satisfactiones. Crimina mea quantumvis maxima, & plurima, non sunt tamen omnino infinita; illius vero Plagæ atque passiones sunt pretii infiniti; & hoc pacto in latere Salvatoris propter amorem meum Vulnerati, tamquam in asylo iracundiæ *tuæ inaccesso*, securus sum a telis tuis, & *major mihi fiducia* est in misericordia tua ad adspectum Vulnerum Filii tui, quam timor justitiæ tuæ in conspectu peccatorum meorum. *Ex Biroat ex serm. Dominica in Albis, & ex Pater Nepveu tomo 2. Christianarum Considerationum.*

Memoria plagarum, quas Salvator recepit, quin illum ad iracundiam excitent, augent illius amorem erga eorum auctores.

Mors, quæ abstulit dolorem Vulnerum, quæ JESUS CHRISTUS receperat, non abstulit illi amorem, qui effecerat, ut illa reciperet; e contra illa retinet, ut æternum reminiscatur, nos ab ipso ita amatos fuisse, ut pro nobis mortem oppeteret. Neque enim hominum sequitur ingenium, qui vulnerati fuerunt ab inimicis suis, & cujus vulnera totidem signa sunt, quæ cient, & exasperant injuriæ sibi illatæ sensum quotiescumque incidunt in oculos eorum: sed peccatores, qui per scelera sua lethalia Filio Dei Vulnera intulerunt, ne quid simile vereantur. Si JESUS retinet cicatrices pedum, manuumque suarum; non inde fit ut acuatur ad ultionem, sed ut amor illius magis, magisque inflammetur erga auctores earum, atque ut adspectus eorumdem Vulnerum, quæ conceptum in ipsum odium, atque rabies inflixit, eum ad illos ardentius amandum impellat, non oblitum, se propter illos, & ab illis vulneratum fuisse. *Biroat in eodem sermone.*

Ejusdem argumenti.

Neque ideo putes Dei Filium his sensibilibus indigere signis ad fovendum, vel instaurandum amorem suum; sed dicere possumus, ipsum sua retinere Vulnera, ut ostendat, non memoriam mortis, quam passus est, non statum gloriæ, in quo est, non injurias, quibus affectus fuit, potuisse eum imminuere amorem, quo nos semper complectetur, cujus adeo manifesta gestat insignia in pedibus, manibus, & ipso etiam corde. Sed si nosse vis, quam impressionem Vulnera sua in ejus corde pepererint, hoc proprium eorum amoris nostri monumentorum, quibus alicui animi nostri benevolentiam testati sumus, revocare videlicet ejusdem amoris memoriam, & servare cor ipsum in eadem dispositione, in qua erat, cum hoc illi testimonium tradidimus. Sed Salvator nunquam impensius amavit homines, quam cum has recepit Plagas, & pro illis mortuus est; & profitetur se nonnisi pacis, atque reconciliationis fovere sensus pro illis ipsis, qui ipsum adeo crudeliter persequuntur; illis apertissima tradidit monumenta in hoc quem effudit Sanguine, & servare vult suorum Vulnerum impressionem, ut sint æterna hujus rei monumenta! Quæ ratio validior ad excitandum in corde Filii Dei amorem, quo homines prosecutus est? Et quamvis per adynaton peccatores illum delere potuissent, quis dubitat, quominus recordatus sensuum, quos habuit in cruce suum cor, eosdem ad Vulnerum suorum adspectum minime instauret? Cujus rei ratio illinc desumitur, quod natura ipsa ita facti sumus, ut nostra diligamus beneficia, & eos, de quibus benemeriti sumus; atque nos teneri putamus eisdem addere recentia, ne superiorum jacturam faciamus. Dei Filius non respicit Vulnera sua tantum, tamquam amoris sui testimonia, sed tamquam beneficia, & gratias; quandoquidem fideles inde recipiunt vitam gratiæ, & regenerantur, & quia omnes actuales gratiæ inde emanant tamquam ex fonte. Post hos ambigere ne licet, utrum cum suorum meminit beneficiorum, eaque videt quodammodo insculpta in Vulneribus suis, hac consideratione minime excitetur ad nos vehementius amandos, ac recentibus gratiis cumulandos? *Idem.*

Harum Plagarum virtus est infinita, potest enim obtinere nobis veniam omnium peccatorum, quæ ipsi committere possumus, quamvis numero, & magnitudine infinita sint. Earum applicatio nullis finibus continetur; quandoquidem illas pro universo pertulit Mundo, earumque meritum omnibus peccatoribus exhibet. In nostris igitur timoribus confugiamus ad illas, atque in adspectu peccatorum nostrorum cogitemus illas si illæ infiniti sunt pretii, atque virtutis, delere posse nostra crimina; & nostrum esse illas applicare nobis, ut pacem assequamur, & certam efficiamus salutem nostram. Plagas hasce plurimum valere ad omnem diffidentiam, timoremque ejiciendum, quo nostrorum peccatorum adspectus ciere potest, id cognoscere possumus ex sensibus confidentiæ, quam S. Augustinus testatur Salvatori cum ait illi: *Multi, & magni sunt reatus mei, multa & magna sunt vulnera, sed aspice Vulnera tua.* Noli intueri mea scelera, multa, magnaque sunt; sed intuere latus tuum perforatum, manusque tuas clavis terebratas, sanguis inde fluens fidem facit te velle me in gratiam recipere; & cor istud apertum testatur mihi, si ego peccata commisi, te illa expiasse plagis tuis. Felix nocentium asylum! Beatum peccantium tribunal, ubi facile superare possunt diffidentiam, quam gignere potest criminum magnitudo, & sedare tumultus, quos salutis incertitudo in illis potest excitare. *Idem.*

Fiducia nostra collocanda est in plagis ejus cum nostra cogitamus crimina, & propter illa diffidimus.

Clavi isti, qui manus, pedesque Salvatoris perforaverunt, & lancea, quæ latus ejus aperuit, palam ostendunt efficientem voluntatem *in eo nostræ salutis*, quam servat adhuc; neque enim dedisset nobis adeo certa sui in nos amoris *monumenta*, & adeo valida confidentiæ *argumenta*, *nisi voluisset nos in sua bonitate*, & misericordia confidere, & dicere cum Propheta: *In manibus tuis sortes meæ.* Quam beatus sum, mi Salvator, cum sciam sortes meas, meam salutem, atque prædestinationem esse in manibus tuis, neque in manibus solum, quæ creaverunt me, sed etiam quæ redemerunt me, & quæ cruentas propter amorem mei plagas recepe-runt. *Idem.*

Plagæ J.C. probant voluntatem efficacem illius nos salvos faciendi.

Psalm. 30.

Admirabiles quidem sunt notæ Vulnerum, quæ Salvator in cruce recepit, & quæ in glorioso suo corpore retinuit, verum quis non magis admirabitur illas, ubi causssam fuerit assecutus: quæ fuit ut in omnem æternitatem in gloria suæ Resurrectionis servaret infamiæ notas, quas passus est moriens in cruce, quasi veritus esset, ne Pater, & homines earum obliviscerentur? Profecto nonne videtur corpus illud gloriosum immune esse debuisse ab his cicatricibus, non secus ac ab aliis corruptibilibus qualitatibus; quandoquidem dici etiam posset has cicatrices nequaquam decere statum illius: sunt enim signa infirmitatis? Sed non ita; Vulnera hæc illi gloriosa sunt; sunt enim monumenta certaminis, ex quo victor, atque triumphans evasit; & omnibus innotescere vult se quidem resurrexisse, sed postquam efflaverat animam, & se incomparabilem possidere gloriam, sed postquam illam meritus est post passiones, quarum in æternum deferre gestit insignia, quasi adhuc esset in statu mortis, atque passionum, & quasi in eodem semper permansisset, nisi Pater Æternus maluisset Corpori ejus dare debitam illi gloriam, & non posset amplius se cum morte, ac passionibus invenire, nisi per signa præteriti temporis, quæ deferebat; ut omnes Fideles intelligant, se nunquam in partem gloriæ resurrectionis accessuros, nisi constanter ipsum fuerint imitati in morte, atque passionibus quoad vita vixerint. *P. Haineuve in Meditatione pro Sabbato post Paschæ.*

Inter causssas propter quas J. C. retinere voluit post Resurrectionem signa plagarum suarum hæc quoque fuit, ut discerneremus illum imitari in morte sua, ut illi similes essemus in gloria.

Si quid merito causssam homini tribuit succendendi, a quibus vulneratus est, vel causssa fuerunt accepti vulneris; tunc sane est cum injurias evomit, ac improperia, & vix compescere potest motus iracundiæ, quæ intumescit in corde, quod majori cum periculo fauciatum est. Sed hic Homo-Deus non gerit cum respicit in se illata sibi vulnera, eaque illis ostendit vulnerum suorum vestigia, nisi ut justam mulceat Patris sui iram adversus illos, a quibus indignissime percussus fuit, ac ut cum crudelibus inimicis farciat gratiam. Quod cogitans cum Apostolo Thoma exclamo: *Dominus meus, & Deus meus!* Tu Deus es bonitatis, & amoris infiniti, æque ac infinitæ majestatis; nam quamvis quotidie præbeamus tibi tot in nos succendendi argumenta, & gestes nostræ crudelitatis insignia in Vulneribus, quæ nostra tibi inflixere peccata: tamen tantum abest, ut aliquem doloris sensum tuearis, ut ostentes illa tamquam signum pacis, & veniæ, quam nobis largiris, & ut sint testimonia nostræ reconciliationis.

Dei Filius servat plagas suas ad sedandam Patris iracundiam adversus auctores eorum.

tionis. Ad objectum quod merito provocare te potest ad iram, atque ultionem, tuam nobis testatam facis lenitatem, atque misericordiam; & ego qui nocens sum, & peccator, ad unicam voculam exardesco, ad leviſſimæ ſuſpicionis umbram iraſcor, & cum aliis in gratiam redire dedignor. *Idem.*

Excellentia pacis quam Dei Filius nobis annuntiat ostendens plagas suas.

Prætereundum non eſt, Dei Filium promittentem, ſuiſque Apoſtolis pacem nuntiantem poſuiſſe manum ſuam ſuper ſacrum latus ſuum, quod erat adhuc apertum, quaſi hoc ſigno vellet innuere, quam pretioſa hæc eſſet pax, quandoquidem illam ſanguinis, vitæque ſuæ pretio comparaverat; & quanti ab illis eſſet facienda; quoniam adeo caro pretio illam fuerat adeptus. Hoc enim eſt idem, ac ſi dicere voluiſſet hanc eſſe pacem cordis, pacem interiorem, pacem, quæ omnes animæ noſtræ turbas ſedabat; tandem pacem hanc religioſius illi eſſe ſervandam tam cum Deo, quam ſecum invicem; & eum qui tam audax fuiſſet, ut illam perfringeret majorem ſibi dolorem allaturum eſſe, quam ſi cordi ſuo recens vulnus infligeret; neque enim excepturus erat illud in corpore mortuo, & crucifixo, ſed in eo, quod glorioſam in Cælo vitam vivebat. *Idem.*

Plagæ quæ modo esse debent nobis confidentiæ argumenti, erunt aliquando causſa desperationis reprobrorum.

Dei Filius non hac una de cauſſa Vulnerum ſuorum notas retinuit, ut illas Apoſtolis oſtenderet, ac ita Reſurrectionis ſuæ veritatem probaret; non deerant aliæ etiam cauſſæ, quæ in noſtram cedunt utilitatem. In Cælum uſque inferre cupiebat quidem hæc ſui amoris, & redemptionis noſtræ documenta; & ita hoc eſt totum fiduciæ noſtræ fundamentum, quoniam oſtendit illa Deo, quaſi ad ciendum in illo memoriam eorum, quæ pro noſtra ſalute paſſus eſt, & illius iram mulcendam intercedens pro nobis miſeris peccatoribus, infirmis, egeniſque creaturis. Quid enim ipſi poſſemus, niſi pro nobis intercederet JESUS CHRISTUS, qui *ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quomodo vero interpellat? Oſtendens Plagas ſuas, & repræſentans ſe factum eſſe maledictum pro nobis, ut nos de maledicto redimeret. Beatiſſima hæc Vulnera ſunt fons *ſalutis illis*, qui in Salvatore confidunt; quemadmodum erunt damnationis principium ignavis deſertoribus militiæ JESU CHRISTI. *Videbunt*, ut inquit Propheta, *quam confixerunt.* Adſpectus hic erit illis terribile ſupplicium; quæ enim deſperatio eſt in nullam reditus ſpem interiiſſe, idque culpa ſua, eo quod contempſerunt ſalutare remedium, quo illis uti licebat? Ita eſt. Hæ Salvatoris Plagæ impiis, reprobiſque oſtendentur, ut ad hunc intuitum omnes acerbæ, ac moleſtæ ideæ, quæ conſtituturæ ſunt partem ſupplicii eorum ad eos torquendos inſtaurentur . . . Hi ſunt diverſi effectus, quos hæc producent vulnera ſecundum diſpoſitiones mortalium. Utinam ſimus ex eorum numero, quibus divina hæc Vulnera erunt ita jucunda, ut in illis modo omnem ſuam collocent confidentiam. Reſpiciamus hos pedes, & has manus propter amorem noſtrum ſaucias, & hæc nobis ſit conſolatio; admitamur, ut cum noſmet coram Deo præſentaverimus exinanitos præ conſideratione nihili noſtri, ac noſtræ infirmitatis, Vulnera JESU CHRISTI loquantur pro nobis. *Lambert homil. 70. in Evangelium Feria tertia Paſchæ.*

ad Hebr. 7.

Zachar. 12.

J.C. Vulnera testantur ingentem amorem quo nos prosequitur.

Quam ardenti amoris flamma cor Salvatoris Mundi æſtuabat, cum inter graviſſimos Vulnerum ſuorum dolores recordatus eſt noſtri, & nos Patri ſuo commendavit! Adhuc in Cælo eamdem ſervat flammam ardentis ſuæ caritatis, ſuique lateris Vulnus eſt velut hiatus per quem his ſuccenſi cordis ſui æſtus extrinſecus prodire, & quocumque ſeſe videtur effundere; & cum S. Bernardo dicere poſſumus, omnes illius Plagas eſſe tot ora, quæ cum adorabili voce Sanguinis ſui nobis loquuntur: *Vulnera hæc loquuntur, quia diligo te.* Et cum oſtendit mihi apertum cor ſuum, inde mihi videtur egredi hæc vox loquens ad cor meum: vide magnitudinem amoris mei erga te uſque in penitiori parte cordis mei, quam, data opera, apertam retineo, ut illam oſtendam tibi; reſpice ſtatum, ad quem redigi volui propter amorem tui & lege in omnibus Vulneribus meis verum eſſe, te a me diligi magis, quam vitam meam: ſed ſimul agnoſce, quanto me amore diligere tenearis præ omnibus creaturis, & magis etiam quam temetipſum, *P. de Argentano Capucinus, De Magnalibus JESU Collatione 26.*

J.C. Plagæ sunt linguæ eloquentes. S. Ambros. l. de Jacob.

Salvator hominum tot linguis loquitur, quot habet Vulnera, S. Ambroſius ait. *Quid verba damus? loquaciora ſunt Vulnera.* 1. Loquitur infinitas deferens laudes Patri ſuo, quia Plagas ſuas recipiens, non quæſivit gloriam ſuam, ſed ſolum gloriam Patris ſui, a quo miſſus fuit. Recipit enim illas, ut illi obſequeretur, eique placeret, ita ut Plagæ ipſæ per ſe ſint tacita laus, quam illi tribuunt. 2. Plagæ iſtæ pro illo loquuntur; namque prædicant illius victorias, atque triumphos. Si enim Caſſiodorus generali de Vulneribus verba faciens, quæ ſtrennus miles in acie conferta recipit, ait, illa eſſe non dubia virtutis ejuſdem argumenta, elogium, quod ex ſeipſo loquitur, quin aliena indigeat voce, ut evulgetur; ipſamque tandem virtutis linguam; quid dicendum eſt de Vulneribus Salvatoris, quæ ſunt ſigna aliarum victoriarum toto Cælo magis glorioſarum, & virtutis longe præſtantioris? 3. Vulnera hæc loquuntur, nobis ſalutem impetrantes; ea enim oſtendens pro retributione petit omnium hominum ſalutem. 4. Loquuntur, ut nos inflamment, & erudiant, ad patientiam hortando. Macti, hoc animo eſtote, Salvator ait; ego Vulneribus meis mundum vici; vos quoque inde victoriam referetis, ſi propter amorem meum pati noveritis. *Auctor recens.*

Tantum fuit gaudium Apoſtolorum videntium Plagas J.C. ut dubitent utrum tanta felicitate gauderent.

Fieri omnino non poterat, ut cum Apoſtoli vidiſſent, atque attrectaſſent Plagas JESU CHRISTI credere non deberent ipſum reſurrexiſſe. Veritas animis liquido ſeſe illis offerebat, ut non ſtatim ſaltem quaſi per caliginem viderent illam. Nihilominus dicit Evangelium, admirationem, & gaudium prohibuiſſe, ne crederent; *Adhuc illis non credentibus, & mirantibus pra gaudio.* Sed nobis inde inferendum eſt, hanc Apoſtolorum ambiguitatem potius ardens fuiſſe deſiderium ſeſe non decipiendi, quam infidelitatem. Tanto extra ſe gaudio erant correpti, ut vix credere poſſent, quod oculis ſuis uſurpabant. Et profecto lætitia, cum ingens eſt, & proficiſcitur ex objecto, quod ſtuporem quidem ciet, ſed ardenter concupiſcitur; mentem moratur, neque patitur illam vacare diſquiſitioni argumentorum, quæ de rei veritate afferuntur, quæ cauſſa eſt, ut aliquis fallatur, cum falli ſe reformidat. Cujus rei præter propter nobis occurrit argumentum in perſona Jacob; quia cupit ardenter Joſeph filium ſuum adhuc vivere, id credere nequit, quantumlibet veritatis hujus plurima ſibi tradantur argumenta: Ita Apoſtoli ſubita correpti lætitia, ubi Magiſtrum ſuum viderunt ipſis Plagas ſuas oſtendentem ad probandam ſuæ Reſurrectionis veritatem, ægre credebant ipſum eſſe, & ut ſibi illuderetur metuebant. *Lambert, non ſine aliqua mutatione.* Luc. 24.

De Plaga lateris J. C.

Si ad examen revocamus cauſſam Vulneris, quod Filii Dei latus aperuit, certum eſt ex parte Judæorum, & militis, qui lancea pectus ejus percuſſit, fuiſſe cupiditatem non ſolum explorandi utrum vere Chriſtus mortuus eſſet, ſed etiam recentem hanc injuriam corpori illius inferendi. Corpus illud adorabile nullum quidem inde ſenſit dolorem; ſed ſanctiſſima illius Mater acerbiſſimo fuit dolore transfixa, quoniam propter ardentem amorem, quo proſequebatur Filium, Deumque ſuum, vivebat potius in Corpore Salvatoris quam in ſuo; & jure dicere poterat cum Apoſtolo: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum CHRISTI in carne mea.* Deerat Vulneris ſenſus, & dolor in illo, qui vulnerabatur; ſed ſupplevit Mater: quippe lancea æque altam, acerbam, atque crudelem intulit illi plagam; ſed cur Dei Filius, cui non ſatis fuerat flagellis toto corpore cæſum fuiſſe, pedes, manuſque trabalibus clavis fuiſſe confoſſum, ſpiniſque caput habere redimitum, voluit etiam lancea ſibi pectus aperiri? hoc proculdubio factum fuit in ſatisfactionem criminum, quæ homo poſt defectionem ſuam omnibus membris ſuis patraverat, & per omnes internas externaſque facultates ſuas, præcipue vero per affectiones cordis, quod ut idem Salvator ait, parit quidquid hominem coinquinare poteſt, eumque nocentem efficere. *P. A Ponte parte 4. Myſteriorum Fidei Meditat. 53.*

Sensus pietatis super aperturam cor J. C.

Sapiens Dei mei providentia! Opus erat, ut nulla ſupereſſet dubitatio de morte Salvatoris ad id, ut ejus reſurrectio, quæ futura erat fidei noſtræ fundamentum, in dubium revocari non poſſet. Quinam gratiarum fons, quod nobis patuit aſylum per cuſpidem Salvatoris latus aperientem! Sacrum hoc latus nunquam obſtruetur; licebit mihi ſemper in illo memet abluere, & munire ſalutari balneo, quod efficiunt ſanguis, & aqua inde fluens. Nihil prætermittit S. Joannes, quod noſtram confirmare fidem poteſt in tam mirifico miraculo. Dilectus iſte Diſcipulus nihil magis neceſſarium eſſe videbat, quam nobis oſtendere viam cordis JESU, & quidquid ibi nobis eſt inveniendum. *Ex novis Moralibus conſiderationibus in Evangelium Sancti Joannis.*

Rationes propter quas Dei Filius post Reſurrectionem retinere voluit Plagas ſuas.

Voluit JESUS retinere Plagas corporis ſui glorioſi, ut eſſet Juſtis argumentum grati animi erga ipſum, quemadmodum æternum ſunt ſui erga nos amoris monumentum. Ex hiſce notis ignominiæ efficere voluit totidem gloriæ notas, ut intelligeremus ipſum ſibi honori vertere quidquid pro nobis operatur. Retinuit ille Vulnera ſua tamquam monumentum, quod illi in mentem revocans, quid fecerit pro nobis, urgeret illum ad plura nobis præſtanda, ut illius beneficia recoleremus. Plagæ iſtæ ſunt perennia amoris ſui teſtimonia, quæ tamen jugiter amorem noſtrum debent excitare. Hoc latus apertum, cor hoc Vulneratum nonne debet cor noſtrum pervadere telo amoris ſui? Hæ plagæ ſunt fornaces, unde erumpunt flammæ, quibus Paradiſus totus ſuccenditur, & nondum incaluit cor meum? *P. Nepveu tomo 2. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Plagæ quæ in juſtis cient confidentiam, non debent peccatoribus

Quam in Plagis hiſce habere nos decet fiduciam! Quantumvis magna ſint mala noſtra, remedium, quod in hiſce Vulneribus inveniemus, toto Cælo majus eſt, atque

temerariam immittere securitatem.

atque potentius, & unica Sanguinis inde manantis gutta opobalsamum est pretiosum, par curandis omnibus plagis, quas nobis peccata nostra pepererunt... Hoc autem non dico, ut fallacem præbeam peccatoribus securitatem, qui salutis suæ negotium negligentes vindicabunt sibi licentiam lædendi Deum, ducti spe tutandi crimina sua, eaque celandi in JESU CHRISTI Vulneribus; verum sciant se per hunc agendi modum corrumpere usum, qui efficiendus est Plagarum Domini, quæ nobis datæ sunt ad Dei iram mulcendam, ad sedandos animi nostri tumultus; sed per earum abusum evertitur ordo, intentio, & consilium Salvatoris, & quod erat morbi remedium, transit in interitus causſam. Ipse Plagas hasce recepit pro illorum salute, ipsi vero abutuntur illis ad damnationem; hoc est remedium in tetrum virus convertere, ut ait S. Petrus Damiani. *De medicamentis vitiorum faciunt venena mortis.* JESUS pertulit illas, ut criminibus eorum faceret medicinam; illi vero ex hac medicina diluunt venenum, quod illis æternam mortem propinat. Nam quin in illis suam collocent confidentiam, ut sperent patratorum scelerum veniam, ansam arripiunt funestæ fiduciæ, ut recentia scelera committant. Verum quid tunc Salvator? Immutat effectum Plagarum, & quin per earum merita illorum sceleribus parcat, utitur ad puniendam illorum nequitiam, ingratique animi vitium gratiarum suarum subtractione, quæ in eorum vita parit cæcitatem, & obdurationem in sceleribus suis. *Biroat, & alii.*

Plagæ J.C. causſa sunt propter quod ingeminat amorem suum erga peccatores.

S. Bernardus Salvatoris Plagas *Misericordiæ fontes* appellat; non solum innuens, ipsum eas recepisse per non communem sensum misericordiæ, & bonitatis, verum etiam significans novam esse causſam, propter quam movetur cor suum ad misericordiam suam in nos exercendam, & postquam eadem recepit, longe propensiorem ad miserendum nostrorum malorum; ac ubi reminiscitur, se pro nobis mortem oppetiisse, & videt in cicatricibus Vulnerum suorum, signa amoris sui, & pretium nostræ redemptionis; nolle amittere, neque pretium Sanguinis sui, neque sui amoris objectum. *Biroat, in Panegirico S. Thomæ Apostoli.*

Virtus Plagarum J.C. est curandi nostras, videlicet peccata.

Ex qualitatibus Plagarum Salvatoris non postrema est virtus curandi vulnera nostra; virtus quæ in conversione insignium peccatorum refulget. Nihil infirmius vulneribus hominum, quoniam *signa sunt, & indicia infirmitatis eorum; sed nihil fortius* atque potentius *Vulneribus Dei, sunt* enim potentiæ ipsius instrumenta, & in illis quodammodo constituit virtutem gratiarum suarum. *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Abacuc 3.
Manus illius omnipotentes erant, dum viveret in terris, curabat enim morbos conclamatissimos, mortuos revocabat ad vitam, cæcis aciem reddebat oculorum, surdis auditum, tactu manuum suarum. Sed manus istæ nunquam operatæ sunt curationes magis admirabiles, quam postquam propter amorem nostrum perforatæ sunt. In cruce enim operatæ sunt conversionem alterius ex duobus latronibus, qui socii erant supplicii sui, & curarunt infidelitatem plurimorum, qui ejusdem spectatores fuerant, & qui revertebantur percutientes pectora sua, & elata voce clamantes. *Vere Filius Dei erat iste.* Sed in Cælo præsertim emicat virtus Plagarum harum in curatione vulnerum nostrorum; inde enim fluunt omnes gratiæ, quæ primum, & verum est eorum remedium. *Ex Sermone manuscripto.*

Bona, quæ reperiemus in corde Salvatoris, si adhæserimus illi.

In Adorabili Salvatoris corde, Cardinalis Petrus Damiani inquit, omnia inveniemus arma ad nosmet tuendos apta, omnia remedia ad malorum nostrorum curationem appositа, omnia contra inimicorum validissimos incursus subsidia, omnes suavissimas consolationes ad nos in ærumnis reficiendos. Doles? inimici te persequuntur? turbaris memoria criminum præteritorum? Cor tuum inquietum est, aliquo timore percussum, cupiditate aliqua perturbatum? Conjice te, ut ita dicam, in Plagas JESU CHRISTI, ingredere in cor illius, ibi est asylum, ibi perfugium animarum sanctarum, ubi anima tua erit tutissima .... Ab illo, & per illum petere debes quidquid obtinere cupis; per illum, & in illo æterno Patri debes offerre quidquid agis; quoniam sacrum hoc cor thesaurus est omnium supernaturalium donorum, atque gratiarum; est, ut ita dicam, via per quam arctius adhæremus Deo, & per quam Deus sese liberalius nobis communicat. Huic tandem cordi tenemur nostrum omni nisu conjungere, nolentes amplius alia fovere desideria, neque sensus alios, nisi JESU CHRISTI, nobismet persuadentes, spiritum suum, sacrumque corpus migrare, ut ita dicam, in nostrum, & ex duobus cordibus unum tantummodo fieri. Hauriamus, hauriamus per otium ex hoc amabili corde omnia bona, quæ excogitari possunt, nunquam illud exhauriemus. *Ex Petro Damiani, & Anspergio, qui notus est propter opera sua solida pietate referta.*

Infidelitas una est ex plagis animæ nostræ difficillime curanda, cui remedio fuere

Cum infidelitas numeretur inter gravissima peccata, quæ committi possunt contra Deum, est etiam ex profundissimis, ac difficillimis plagis, quæ curari valeant, S. Gregorius Magnus ait; cum e contra fides ex S. Augustini sententia, sit *Sanitas mentis*, & a Sancto Leone vocetur: *Magnus vigor mentium.* Plagæ autem, quam infert animæ nostræ hæc infidelitas, idem accidit, quod plagis, quæ corporibus inferuntur per separationem partium, quæ suapte natura debent esse conjunctæ; ita enim Statuum plagæ consistunt in divisione corporum politicorum, & in separatione membrorum illa componentium. Hæc igitur infidelitatis plaga, certissime parit animæ mortem, quemadmodum e contra testatur Apostolus, justum vivere ex fide: *Justus autem ex fide vivit.* Sed ad curandum hoc lethale vulnus, Dei Filius, ut nostis, re adhuc integra, usus est Plagis, quas in cruce recepit ad probandam suam divinitatem, probans veritatem suæ Resurrectionis: hodierna vero die Plagis iisdem non erit amplius eadem virtus, curandi videlicet in plerisque Christianis infidelitatem; quandoquidem verum est, veram esse in mundo fidem, quemadmodum inferre licet ex verbis ejusdem Filii Dei. *Cum venerit Filius hominis, putas, fidem inveniet in terra?* Tantum ibi communis est infidelitas, vel saltem fides ambigua, nutans, incerta, languens, vitilitigatrix, quæ proxime ad infidelitatem accedit. Sed quodnam præsentius remedium est ad lethale hoc vulnus curandum, iisdem Vulneribus Salvatoris, quæ curarunt vulnera Apostolorum, illud vero potissimum S. Thomæ, & mox illud ceterorum, qui viderunt illa, tetigerunt, & attrectarunt in viventi Corpore Salvatoris, postquam recepit cruentas hasce Plagas in cruce, & mortuus est. *Auctor recens, qui mentem, ac sententiam Biroat amplificare & exornare adnisus est.*

Plagæ Salvatoris.

ad Hebræos rec.

Quæ causſa potentior, & efficacior ad cogendum peccatorem, ut agat pœnitentiam, quam recogitare Vulnera Filii Dei? Huc Sancti Patres revocant oculos, & lacrymas nostras vivo dolore criminum nostrorum, & in his cicatricibus videamus vel id, quod pro nobis Salvator operatus est, vel id quod ipsi contra illud operati sumus. Ibi video cor pro nobis Vulneratum, & cor Vulneratum a nobis. *Video, Deus meus, Vulnera, quæ pro me recepisti per carnificum manus;* sed simul video Plagas, *quas ipse intuli tibi manibus meis.* Quippe *certum est, omnia peccata, quæ committimus contra te instaurare Plagas tuas.* Ita per Prophetam *tuum hoc exprobras peccatoribus: Super dolorem Vulnerum meorum addiderunt.* Non conqueror de clavis, & spinis meis; peccata vestra primis cruciatibus meis recentes addidere dolores, & plagas mihi attulere, quibus priores illæ instaurantur, & augentur. Mirum ne esse videtur, si Sancti Pœnitentes amarissimis lacrymis profecuti sunt sacrata Vulnera Salvatoris? Ah! Quamvis ne verbum quidem proferret, ut conqueretur, ut nihil nobis exprobraret; cruenta imago duplicis hujus generis Plagarum, nonne vulnerare debet corda saxea, & omni sensu carentia? Considerate igitur, Peccatores, Salvatoris Plagas esse tristes peccatorum vestrorum effectus; & vos quotidie illas refricare peccantes; & id meditati inite consilium incessanter plorandi, & nullum unquam finem dolori vestro faciendi; *quoniam causſa, quæ vos plorare jubet, nullis finibus continetur. Biroat in S. Thomæ Panegyrico.*

Pſalm. 68.

Martyres fortitudinem & constantiam suam debent Vulneribus JESU CHRISTI.

Ex Vulneribus Salvatoris Martyres mutuati sunt fortitudinem, atque constantiam, quam præ se tulerunt objicientes se teterrimis suppliciis, eaque cum hæroica patientia sustinentes, sæpe etiam cum gaudio, & voluptate, quod docet S. *Bernardus dicens:* Si Martyr habet vim sustinendi tormenta, hæc proficiscitur ex consideratione Plagarum JESU CHRISTI, cui vacat cum omni pietatis suæ fervore; neque enim mirum est, ut ille sese a suo corpore separans corporis sui dolores non sentiat. Non ideo tamen sensum amittit, sed illum subjicit; non caret doloribus, sed eorum victor est; & si dolorem superat generoso contemptu, hoc non est stupiditatis argumentum, sed amoris effectus. Tantum enim suavitatis, & consolationis invenit in Vulneribus Salvatoris sui, ut illi arduum non sit spernere minas tyrannorum, & omnem carnificum crudelitatem. Considera quæ, & quanta Deus suus propter amorem sui perpessus est, & putat se nunquam satis perferre posse, ut illi amorem suum valeat testari. *Auctor recens.*

Miseratio, & imitatio duo sunt, quæ Plagæ Salvatoris a nobis exigunt, & expectant.

JESU CHRISTI Plagæ, S. Bonaventura inquit, considerandæ sunt, ut imitemur, & misereamur; miseratio efficit, ut tanto sensu afficiamur ex doloribus illius, quem diligimus, quanto si ipsi iisdem afficeremur; imitatio vero efficit, ut illos exprimamus in nobis ultro sustinentes voluntarias pœnas, quas ipsi in nosmetipsos exercemus; quapropter insignis nescio quis Sanctitate vir dicere consuevit. *Nolo vivere sine vulnere, cum te video vulneratum.* Accidit etiam nonnunquam per insignem gratiam, quæ habetur tamquam prorsus singularis amoris monumentum, ut Salvator expleret ardens desiderium, quo Sancti nonnulli concupierunt, illi hac in re fieri similes; & in eorum corporibus imprimeret cicatrices Vulnerum suorum, eorumque dolorem illis sentiendum præberet, quæ lia fuerunt Seraphici Sancti Francisci stigmata, quæ ille gestavit toto vitæ suæ spatio ex quo recepit

illa non sine miraculo ad illud usque tempus inaudito. *Idem*.

Plagæ Salvatoris sunt pignora pacis, quam pro nobis Dei Filius cum Patre suo composuit.

Plagæ istæ, illæ autem manuum potissimum, sunt in glorioso corpore Salvatoris tamquam pignora pacis, quam pro nobis cum Patre sancivit; qua de re vobis persuasum erit, si memineritis, nos ex ipso Mundi primordio per peccatum factos fuisse Dei inimicos. Homo prior per defectionem illi bellum indixerat, & tot scelera quæ deinceps patrata fuerunt, totidem erant actus hostilitatis, qui bellum ipsum aluerant, ac foverant. Deus vero non minus homini bellum inferebat; nam teterrima justitiæ ejusdem exempla palam ostendebant, illum magna succensum esse iracundia, quia manifesta ultionis suæ præbebat documenta. Sed quin ab ovo, ut inquiunt, exordium petamus; omnes, ut liquet, nascimur inimici Dei, quod malum hæreditatis jure manavit in omnes; & alia peccata, quibus scatet vita nostra, & quæ superant, ut inquit Propheta, numerum capillorum, qui sunt in capitibus nostris, nonnisi frequentissime funestum hoc bellum instaurarunt, & tristissimos hujus iracundiæ effectus promeruerunt. Fingite ergo vobis irritatum Deum æternum nobis supplicium minitantem: Fingite vobis hanc iram infinita potentia armatam, quam Sanctus Job comparat fluctibus pelagi perturbati, vel torrenti, qui prope est, ut violenter in peccatores fractis aggeribus erumpat: *Quasi tumentes super me fluctus iimui iram tuam*. Fingite, verbo dicam, nos persequentem, & quia ideo nostram patientem rebellionem, quia æternus est, inquit Tertullianus; videlicet, quia tempus illi defuturum non est, quo nos puniat, ad id enim semper erit illi æternitas integra; quisnam justissimo illius furori resistere poterit? vel cohibere torrentem postquam intumuerit colluvie tot scelerum, & postquam ejus patientia illum tamquam suspensum super caput nostrum plurimos annos detinuerit? Quid tandem de inimici adeo potentis atque irritati manibus arma excutere poterit? Hoc, o Fideles, Salvatoris nostri Plagæ assequuntur. Cum enim ex asse pro nobis divinæ justitiæ, contumeliosissime a nobis lacessitæ omne persolverint debitum, has Deo præsentare possumus ad illius iram mulcendam, pacemque perfecta reconciliatione sanciendam. Equidem scio, cum singulæ actiones Filii Dei singillatim sumptæ, infiniti sint pretii, satis superque fuisse, ut divinæ justitiæ satisfacerent, ideoque, ut nobis procurarent hanc pacem. Verum tamen est dicere, Salvatoris hujus Plagas pretium esse pacis hujus modo peculiari: quandoquidem, ut inquiunt Theologi, passiones, & mors divini hujus hominis erant conditio apposita huic tractatui, quem cum æterno Patre sanxerat: & conditio hæc utrinque fuerat accepta, pro humani generis redemptione; ita ut ceteræ illius actiones nullam haberent vim, nullamque virtutem, nisi quatenus illam mutuabantur a passione, quam tamquam finem suum respiciebant. Hinc sequitur, cum Plagæ istæ sint proxima causa passionis, & mortis ejus, consequenter esse causam pacis, & reconciliationis nostræ cum divina Majestate. *Auctor Sermonum, in omnia argumenta*.

Pacem hanc adeo pretiosam debemus J. C. Vulneribus.

Pax hæc adeo optabilis, & tandiu expectata bonum est, quod ipsi debemus Vulneribus Salvatoris, qui illam nobis promeruit componens cum Deo pacem nostram, non solum quatenus cruenta in Cruce recepit, verum etiam quatenus gloriosa in Cælo retinet; utrobique enim illis utitur, ut nos Patri reconciliet, perfectamque pacem instauret, atque restituat. In cruce obtulit illa pro iis, qui summa cum crudelitate sibi eadem inferebant; ita ut eodem tempore quo inhumani carnifices in se detrahebant iram Dei, profundas infligentes Plagas Corpori dilecti Filii ipsius, amabilis hic, & misericors Salvator earum pretium, & meritum offerret ad veniam illis obtinendam. Sin autem has easdem Plagas tamquam gloriosas intuemur, adhuc sunt veluti pignus æternum pacis nostræ cum Deo Misericordiarum; nam hic idem Mediator, qui recepit illas, attollit has perforatas manus ad veniam pro nobis impetrandam, & est Advocatus, qui

1. Joann. cap. 2. pro nobis orat, ut dilectus inquit Discipulus: *Advocatum habemus in Cælis*; sed Advocatum eloquentem, & patheticum, Sanctus Augustinus addit, quia sua ostentat Vulnera, & adeo valide Patris sui animum movet, ut quidquid pro nobis postulat, assequatur: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Ah! Chri-

ad Hebr. 10. stiani, quam graves, ac molestæ in vos producuntur criminationes! quam valida argumenta ad urgendam vestræ damnationis sententiam? quis causæ vestræ patrocinabitur? Quis diluet tot accusationis capita? Ne hiscere quidem audebimus; vel ut Scriptura loquitur, ne unum quidem ex millibus crimen diluere nobis licebit, nisi divinus hic Salvator pro nobis sua Vulnera ostenderet: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Quam valida hæc est eloquentia! quam potens! Quos excitat misericordiæ sensus in Dei corde in gratiam nocentium! Apagete omnes diffidentiæ, vel desperationis timores; habeto me Deum, qui suscipit causam meam, & perorat illam, non multitudo, non enormitas criminum meorum, non odium, & versutia inimicorum, qui conjuratione facta mihi æternam moliuntur calamitatem, non denique divinæ justitiæ severitas, quæ ad extremum usque quadrantem sibi postulat satisfieri; nil horum terret me; nil labefactat confidentiam, quæ mihi habenda est in his Vulneribus, quæ pro me recepit Deus, & quæ retinet mihi amorem suum testaturus. *Idem*.

Preces nostræ & omnia bona opera nostra cum Salvatoris Vulneribus cõjuncta favorabiliter accipiuntur a Deo.

Benignum invenimus accessum apud Deum per has Plagas, quas illi præsentamus; & credo vos satis assequi mysticum hunc sermonem, qui significat, actiones nostras, preces, satisfactiones cum hisce Vulneribus conjunctas, & illinc effluente Sanguine imbutas facilem accessum habere apud divinæ Majestatis solium, & illinc benigne excipi sub hoc nomine, & societate. Ea ipsa, quæ minima sunt, suspirium, lacrymula, calix aquæ frigidæ eleemosynæ titulo datus, tamquam magnum aliquid, magnique pretii ducitur; quapropter hæc esse debet sancta Fidelium omnium praxis, semper actiones omnes cum Salvatoris Vulneribus consociare, ut coram Deo aliquo habeantur in pretio. Alioquin quidquid bonum efficere possumus, pœnitentiæ, satisfactiones, jejunia, eleemosynæ, ad Sanctuarii lancem modici sunt ponderis. Hæc non sunt nisi veluti rivuli quidam, qui per se usque in mare fluere non possunt; sed cum majoribus conjuncti fluviis horum vi illuc rapiuntur. Ita passiones, & merita nostra nonnisi sunt velut aquæ stillicidia, quæ per se exarescunt, ac dissipantur, nisi commisceantur cum Sanguine, qui ex Plagis JESU CHRISTI emanavit; cum quo ubi confunduntur, perveniunt usque ad Thronum Dei, & influunt in hunc oceanum Misericordiæ, ubi diluunt omnia scelera nostra per viam satisfactionis etiam, & meriti. *Idem*.

Plagæ istæ sunt pignora pacis cum Deo cujus fructus gustamus.

Per te mihi liceat, Salvator, scisitari cum Propheta: *Quid sunt Plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Sunt ne januæ, quæ aditum præbent usque in divinitatis Sanctuarium? sunt monumenta humanæ crudelitatis? Sunt amoris tui characteres? Sunt tot aliæ piæ considerationes, quas devotis animabus meditandas relinquo? Sed solidiori argumentatione dicam, esse pignora pacis, quæ tribuit nobis; quandoquidem efficiunt, ut pacis fructus gustemus, ut cessent actus hostilitatis, ut quodammodo ex utraque parte commercium reflorescat. Tandem enim cum inimici eramus Dei omnia præcedentia merita nostra inhibita erant, & nullam eorum in Cælo mercedem recepissemus; omnia etiam opera bona, quæ illo in statu operabamur, ad æternitatem erant inutilia, sed cum pax facta fuerit, omnia in integrum redeunt, omnia suum tenent pretium, omnia æqui, bonique fiunt. Beata pax, cujus fructus sunt adeo suaves! gloriosæ Plagæ, quæ illam nobis comparastis; pretiosa pignora, quæ nobis tantæ felicitatis vadimonium præstitistis! fontes inexhausti gratiarum; per vos semper instaurare possumus pacem, atque concordiam cum Deo! Ah! Caveamus ne bellum instauretur, cui Plagæ istæ adeo felicem finem imposuere, vel ne pacem adeo utilem infringamus, quam nobis procuraverunt; hoc enim esset Plagas exasperare, & illis, quas Salvator recepit, recentes addere. Cogitemus, Fideles, nihil difficilius sarciri, quam gratiam sæpe dissutam; nec spiritus magis exacerbari, quam abusu veniæ semper impetratæ; ideoque nos novis sceleribus Domini Vulnera refricantes, nobismetipsis altiora, ac magis periculosa vulnera inferre. *Idem*.

Homines aliquo prævalido egent argumento ad pacem inter se retinendam tot inter occasiones illam infringendi, quæ in omnia occurrunt momenta, cum hominum sententiæ tot causarum varietate distineantur? Scio equidem, Mundi Salvatorem ad pacem hanc sanciendam adlaborasse, nihil magis hac Discipulis suis commendasse, & palam præcepisse, ut ab omnibus mortalibus caste, & integre servaretur, & hanc liquisse testamento tamquam rem pretiosissimam, & qua nihil esset antiquius illi: sed ecce post Resurrectionem suam adhibet Plagas suas semipatentes, illam vero præsertim lateris, & cordis sui ad reconciliandos animos, & corda, quæ sæpe simultas, & acrimonia sejungit: ex quo hanc rationem elicio, quæ nos cogit, ut intuitu cordis aperti Filii Dei, fratribus nostris pacem largiamur, si & ipsi cum Deo pacem servare velimus; videlicet, Apostolum testari, cor hoc, & latus apertum Filii Dei locum esse, ubi conjungere voluit homines omnes per immensum amorem, qui omnes simul complectens debet omnes simul vinculis sanctæ pacis conjungere: *Testis est mihi* ad Philipp. 1. *Deus, ut cupiam omnes vos in visceribus JESU CHRISTI*. Sed hæc verba quantumvis allegorica videantur, continere videntur hanc argumentationem: Deus amat nos, simulque amat fratrem nostrum, cum uterque simus fructus mortis, & Vulnerum ejus; & hoc pacto excipit utrumque in corde suo per amorem teneruum simul atque ferventem: Sed fieri nequit ut simul in corde hoc permaneamus, donec dissenserimus, atque inter nos aliqua fuerit inimicitia. Homines enim nonnisi unum, & idem efficere debent cum Deo per vinculum

perfe-

perfectæ Caritatis ; unde sequitur, ut nonnisi unum efficere debeant & inter se ; nam eadem dissensio, quæ illorum corda divellit, eos privat gratia, & amicitia sua : itaque, ut, carissime Frater, oderis fratrem, cum illo tamquam cum inimico agas, & pacem illi dare detrectes, quærendus ille sit tibi in hac Plaga, & in corde hoc Salvatoris tui ; illic eum adoriris, & illic tum tuis odiis persequeris per odium, quod animo foves, & ultionem, quam petis. Cum autem cor istud nonnisi amor sit ; cum hic sit locus ubi simul omnes conjuncti sumus per vinculum caritatis, necesse est, ut recedas ab hoc corde fratrem tuum oppugnaturus ; quoniam illum odisse non vales, cum uterque ibidem maneatis. *Idem*.

Alia quoque urgentissima ratio est servandæ pacis cum proximo nos quatenus Christianos originé habuisse ex Plagis J. C.

Neque minor est ratio pacis cum proximo servandæ, cogitare, nos ex hac plaga lateris J. C. prodiisse quatenus Christianos ; hunc locum esse, ubi omnes effecti fuimus, & ubi cum vita recepimus nomen, & dignitatem filiorum Dei ; unde sequitur nobis servandam esse pacem inter nos, tamquam fratres, unum idemque originis suæ principium habentes ; ita ut sicuti nullum est in natura vinculum arctius, quam Sanguinis, fratres simul conjungentis, ita in gratia nullum esse debeat potentius Sanguine Salvatoris, ex quo duximus ortum, & qui nobis tribuit fratrum qualitatem, ut inter nos pacem, & concordiam tueamur. Tandem enim si Fratrum nomen, & cognatio adeo valent ad jungendos affectus eorum, qui unam, eamdemque familiam componunt, quam impressionem efficere non debet in animos nostros, & corda hoc ipsum nomen, & hæc consanguinitas ; hoc enim vocabulo Sancti Patres utuntur ad exprimendum hoc fœdus, & hanc cognationem, quam omnes in JESU CHRISTI Vulneribus contrahimus ? Si olim in natura prodigii loco habitum fuit, videre duos fratres Jacob, & Esau pugnantes intra viscera parentis suæ Rebeccæ, & locum conceptionis suæ in aciem certaminis commutare : multo magis inauditum esset portentum in gratia videre Christianos, qui omnes invicem sibi sunt fratres, semet odisse, & persequi inter viscera Filii Dei, ac inimicorum instar certatim ibi sævire, ubi fratrum qualitatem recipiunt. Hæc una cogitatio, o Fideles, par non esset sopiendis omnibus odiis, litibus omnibus tollendis, sedandis animis maxime irritatis, & cordibus, ad hujus Vulneris *adspectum reconciliandis ? Ego quidem arbitror cum per inimicitias, quas fovemus, bellum gerimus*, Salvatorem saucium, & semiapertum cor, ubi nobis vitam contulit, habentem sistere se medium inter nos, & per ipsum cor nos obsecrare, ut pacem componamus, & non dilaceremus viscera, in quibus efformati fuimus ; & sicuti in cruce, in qua hæc recepit Vulnera, ita extinxit, ut loquitur Apostolus, inimicitias, quæ gliscebant Judæos inter atque Ethnicos, ut unum inde Christianum efficeret populum, opus est, ut ad earumdem Plagarum intuitum auferamus immortales has inimicitias, quas adeo crebro alii contra alios concipimus. Quod si paci huic assentiri refugimus ; si inter nos bellum gerere pergimus ; quemadmodum qualitati fratrum abrenuntiamus, non meremur alteram filiorum Dei, quam nobis Sanguine suo Salvator adeptus est. *Idem*.

Validissimum habemus asylum, cum procumbibus ad pedes Salvatoris opem ejus

Nullibi tutius invenire possumus asylum, ubi ab omnibus inimicorum nostrorum telis protegamur, & ubi necessariam opem contra eorum incursum inveniamus, quam in Vulneribus, pedum vero præsertim, quos Sancti Patres misericordiæ perfugium appellant.

Nonnumquam ad Principum summorumque virorum pedes procumbimus modo imploraturi protectionem eorum contra vim, quæ nobis infertur, modo justitiam postulaturi, modo gratiam aliquam impetraturi ; sed non semper ita affecti inveniuntur, ut nos exaudiant, neque semper votis nostris subscribunt, cum illis persuasum non est de necessitatibus nostris, de quibus non admodum laborant ; neque ita precibus nostris permoventur, quemadmodum cuperemus. Sed ubi poterimus validius patrocinium invenire, celerius subsidium, ideoque tutius asylum, quam provoluti ad pedes J. C. qui novit periculum, in quo sumus, & necessitatem auxilii sui, & qui sæpe permittit, ut redigamur ad necessitatem ad ipsum confugiendi, ut nos cogat in illo confidere & ab ipsius bonitate expectare gratias ad resistendum inimicis nostris necessarias. Non defuerunt unquam asyla, & loci refugii ; tamen non semper ibi figitur mansio ; illuc tantum confugitur, donec cum adversariis, qui nos persequuntur, gratia sarciatur. Sed nullæ induciæ ; nulla gratiæ ineundæ spes cum salutis nostræ inimicis, eo quod nostræ cupiditates semper reviviscunt, dæmon tentando non fatigatur ; mundus incessanter illecebris suis nos fallere quærit. Semper in asylo permanendum est ; videlicet gratia, & subsidium implorandum est, quod Salvatori placuit adnectere virtuti sanctorum Vulnerum suorum ; & in illis fiducia omnis collocanda est, ut cum Sancto Bernardo dicere valeamus : *Ubi tuta firmitas, nisi in Vulneribus Salvatoris ? fremit Mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado ; fundatus enim sum supra firmam petram*. Mundus, caro, Sathanas consociatis viribus ostentant illicia sua, exarant omnes versutias ; si manserimus in Plagis Salvatoris, sumus in tutissimo asylo, nihil nos potest labefactare ; ideoque sancta, & tranquilla pace fruemur. *Idem*.

imploraturi, seu contra inimicos, seu in qualibet necessitate.

Vulgo dici consuevit, nullam unquam firmiorem, certioremque pacem fieri ea, quæ post multum effusum Sanguinem constituta est. *Nam sicuti experti didicimus quanti steterit, omni diligentia servatur*. Ah ! Christiani, pax *hæc, quæ nobis nuntiatur cum steterit tot Plagis, & Sanguine Filio Dei, nobis vero tot cladibus, lacrymisque, diligentissime cavendum est, ne illam violemus, & frangamus. Ex parte Dei æterna est* ; ne ipsi ex nostra illam dissociemus : *hoc enim esset instaurare Plagas* Salvatoris, *easque magis, magisque exacerbare*, prohibentes effectum quem ille sibi proposuit. Quod si renuitis ingredi in has Plagas, tamquam in locum pacis ; si minime vultis ad hanc compositionem descendere, sive cum Deo, sive cum proximo, & si illis uti non vultis ad procurandam vestram resurrectionem, scitote Dei Filium illas producturum esse ultionum suarum die, atque tunc tantum aberit, quod sint pignus pacis pro vobis, ut futuræ sint signum æterni belli : ex his iisdem manibus *propter amorem* nostrum perforatis discessura fulmina, *quæ vos contorquebunt* ; & cum modo manus *istæ suas effundunt gratias, & beneficia, fontem hunc exhaustum iri* ; & *hæc Vulnera vobis exprobratura* vestrum ingrati animi vitium, & vestram crudelitatem. Ne præstolemur, Fideles, tempus harum ultionum ; modo pacem nostram sanciamus ; quandoquidem Filius Dei illam exhibet nobis adeo commodis conditionibus ; & in nobis unice situm est, illius gustare *fructus in hac* etiam vita, ut illis æternum in *Cælo perfrui* perseveremus. *Idem*.

Cavendum, ne infringamus pacem, quam Salvator nobis suis Vulneribus comparavit.

CRUCIS MYSTERIUM

FESTIVITAS INVENTIONIS, ET EXALTATIONIS SANCTÆ CRUCIS.

MONITUM.



Nemini videatur mirum, Crucem a nobis inter JESU CHRISTI Mysteria recenseri. Hac enim in re secuti sumus Ecclesiæ sententiam, quæ non solum hoc illi nomen tribuit, sed duas celebrat festivitates, alteram quidem, cum inventa fuit a Sancta Helena, alteram vero cum de Perside relata ab Heraclio Imperatore prolata fuit in Calvarium; quarum priorem Crucis Inventionem, posteriorem vero Exaltationem vocat Ecclesia.

Animadvertendum est autem, cum de Cruce sermo est, quid hoc nomine intelligatur, quid colatur & quid significetur. Sunt enim tria Crucis genera, quæ confundenda non sunt; & non ideo tamen separanda, ubi de hoc agatur argumento. 1. Crucis nomine veram CRUCEM intelligimus, in qua Mundi Salvator mortem passus est. 2. Repræsentationem ejus rei, quæ in hac Cruce peracta fuit; cujus signum in fronte nostra formamus, & cujus imaginem expositam videmus in omnibus Templis, atque Altaribus, & quam vulgo Crucifixum vocamus. 3. Hoc nomen Crucis accipitur etiam in sensu prorsus morali pro passionibus, persecutionibus, & mortificationibus corporis, & spiritus undequaque proficiscantur. Proprie de primo alteroque Crucis genere hic loquimur, de Cultu, qui debetur, sive illi cui Salvator confixus fuit, sive illis, quæ repræsentant illam, & quæ sunt nostræ adorationis objectum: Nam quod pertinet ad illam, quæ in morali accipitur sensu pro passionibus sive corporis, sive spiritus, nos ita loquuti alibi sumus, ut quæ istic dicturi sumus, dicentur solum per modum animadversionis, atque ut ex hoc argumento fructum percipiamus.

Alterum, quod monendum arbitror, est, quamvis de Cruce verba fecerimus, cum de Passione J. C. ageremus, tamquam de præcipuo supplicio, quod passus est, & ad quod cetera referuntur, tunc a nobis consideratam non fuisse nisi quatenus contumeliosam, & objectum maledictionis, quemadmodum de illa verba facit Scriptura, sed istic illam consideramus quatenus gloriosam, fontem benedictionis, & objectum dignum cultu, & adoratione omnium Fidelium.

***

vatore, nonne altissimus est honoris gradus, ad quem poterat elevari? 2. Quia facta est fons gratiarum, ex quo voluit Dei Filius illam fieri nostræ salutis instrumentum; ibi enim vitam supernaturalem accepimus per reconciliationem, quæ facta est peccatorum cum Deo læso. Ex his Plagis, quas in Cruce hac recepit, fluunt omnes actuales gratiæ, quas recipimus; per virtutem Crucis, & Mortis, quam in illa passus est, ipse eas petit, & impetrat etiam nunc in Cælo; quamobrem debitores sumus Cruci, tamquam causæ meritorum ejus, quod illam semper gloriosam efficiet, & obsequiis nostris dignissimam. 3. Quia fulgebit in Cælo extremi judicii die, & Fideles judicabuntur secundum eam conformitatem, quam cum hac Cruce habuerunt, & eorum sententia seu ad vitam, seu ad mortem æternam hoc signo signabitur; nonne igitur jure in hoc sensu dicere possumus, illam participem futuram gloriæ Salvatoris? Quod si illa in æternum in Cælo servabitur, futura monumentum amoris, quo nos prosequutus est Dei Filius, quæ communis est Doctorum sententia; nonne inferri potest, illam in æternum gloriosam fore, tamquam signum redemptionis nostræ, vexillum Salvatoris, sub quo nobis in hac vita pugnandum est, & omnes salutis nostræ inimici superandi; honori nobis tribuendo quod simus Crucis discipuli, & totam gloriam nostram in eo collocando, si illi vitam nostram conformaverimus; quoniam hæc via est ad æternam nobis gloriam comparandam.

II. Crux est divinæ justitiæ adinventum, quæ ad Hominum peccata punienda, voluit in Cruce illum mori, qui fuerat cautio pro illis, quapropter mirum esse non debet, si in Crucis supplicio tanta videatur severitas; sed simul bonitatis suæ adinventum est, quod per magnitudinem tormentorum, quæ ibi sustinet pro hominibus Unigenitus Filius suus, illis ostendere voluit amoris magnitudinem, quo illos complectebatur. Justitia Dei efficit, ut Filius suus in Cruce, tamquam in Tribunali suo prodeat ad punienda in persona ejus peccata omnium mortalium: bonitas, & misericordia immolat Filium suum tamquam in Ara, ut pro peccatis eorum satisfaciat, ita ut in Cruce spectare possimus, 1. tamquam Tribunal justitiæ Dei, ubi damnabit peccatum hominum in Persona Filii sui, ut S. Cyprianus inquit, nobis prodesse potest, ut intelligamus peccatorum nostrorum magnitudinem, & ex judicio Dei, quod nobis *judicium ferendum sit*, percipiamus.

2. Considerare debemus Crucem non solum tamquam Aram bonitatis suæ, sed Aram Mundi totius, Sanctus Leo inquit, ubi oblatum est Sacrificium ad flectendam justitiam hanc, & obtinendam veniam peccatorum nostrorum. *Hæc est partitio Biroat in hoc argumento.*

III. Quamvis non instituisset Ecclesia sollemnem festivitatem, neque diem consecrasset in honorem Crucis: interesset nostra, & grati animi nostri esset officium in æternum memoriam ejus recolere: itaque quin immorer in magnifica pompa, eximiisque miraculis, quæ occasionem præbuerunt celebrandi exaltationem illius, postquam de Persarum manibus recepta fuit, & in morem triumphi Jerosolymam reportata; mens dumtaxat mihi est vos excitandi ad ei cultum præstandum, qui debetur ipsi per considerationem felicitatis, quæ illi contigit, factæ nostræ salutis instrumentum; describendo victorias, quas homo-Deus per illam reportavit de Mundo, de peccato, & de omnibus inferni potestatibus, quandoquidem, ut nostis, ipse Mundum non redemit, nisi pretio Sanguinis, quem effudit in Cruce; unde sequitur hanc cum ipso arctam adeo unionem contraxisse, ut huic eidem Cruci referatur acceptum opus salutis nostræ, expiatio criminum nostrorum, & causa beatitudinis nostræ, quamvis nonnisi ejus instrumentum extiterit; quod tamen separandum non est ab illo, qui eodem ad magnum hoc opus usus est; quod efficit, ut Crux non solum magnum sit Mysterium, quemadmodum canit Ecclesia, *Fulget Crucis Mysterium*, sed etiam maxime admirabile omnium Mysteriorum nostræ Religionis, quod probandum mihi propono in duabus propositionibus, quæ æque ad docendum appositæ sunt, & Ecclesiæ consilio conformes: Videlicet 1. Crucem operatam fuisse Mundi salutem; 2. Et Crucem hanc esse Mundi condemnationem.

In Hymno Passionis.

Crux est causa salutis hominum; hoc illius gloriam, & exaltationem constituit. Hæc prima pars erit.

Crux eadem aliquando nos damnabit, nisi modo cooperati fuerimus saluti nostræ per praxim veritatum, & dogmatum, quæ tradit; quæ pars erit altera; & tota simul hujus Sermonis partitio. *Ex Auctore Sermonum in omnia argumenta &c. Tomo argumentorum particularium.*

IV. Tria erant omnino necessaria ad magnum humanæ redemptionis opus. Satisfaciendum erat Dei irritati justitiæ, efficiendum erat, ut cognosceretur, & coleretur homo-Deus, & institueretur Religio super ruderibus, ac ruinis Idololatriæ, & legis antiquæ; & tandem evertendæ erant causæ peccati; quæ sunt Mundi placita. Hoc perfecte adimplevit Dei Filius per Crucem, in qua Spiritum emittere voluit.

1. Infinita requirebatur satisfactio, ut divina placaretur justitia, & persolveretur immensum debitum quod per peccatum conflaveramus. Per Crucem Filius Dei rigorosæ huic satisfecit justitiæ: nam licuisset illi per aliam quamlibet actionem, & leviori sumptu satisfacere, uti omnis docet Theologia; tamen Crux medium erat præscriptum, & acceptum a Patre tamquam maxime congruum, & efficax.

2. Crux effecit ut effulgeret ubique gloria, & divinitas Salvatoris; utpote ea, quæ ipsum tradidit melius cognoscendum: quæ cognitio erat omnino necessaria, ut salvaremur, quemadmodum ille ipse declaravit per os dilecti Discipuli sui: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM:* Quis dubitare potest, quominus Crux illum cognoscendum tradiderit omnibus gentibus; quominus effecerit, ut divinæ illius perfectiones enitescerent, & per illam dederit certissima suprema suæ potestatis argumenta?

3. Crux omnes abstulit causas peccati, & obices omnes salutis nostræ, mundi placita, amorem proprium, sensuum voluptates, dæmonem, omnesque nostræ felicitatis inimicos &c. superavit. *Idem.*

Crux cui Dei Filius suffixus fuit, habuit exitus prorsus oppositos consiliis eorum, qui hoc illi supplicium procuraverunt.

V. 1. Sperabant per hujus supplicii turpitudinem, & infamiam deletum iri gloriam, quam fuerat adeptus per miracula sua, per vitæ sanctitatem, & præclara facta: & per Crucem ipsam Deus illum effecit glorioſum: *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genuflectatur, &c.*

2. Arbitrabantur futurum ut nemo sequeretur doctrinam ejus, & veritates, quas ille docuerat, quod timebant tamquam Synagogæ suæ, fidei [illegible] perniciem; & per Crucem prædicata fuit omnibus nationibus nova lex, & Christiana Religio, quam universus terrarum orbis recepit, & amplexus est.

3. Timebant, ut si pro Messia, & Rege Israel haberetur, Respublica, & natio sua a Romanis everteretur; & in pœnam injusti hujus supplicii, quo affecerunt hunc hominem-Deum, res eorum publica fuit eversa, & natio omnis dissipata, & facta omnium gentium odium, atque opprobrium.

VI. Crux, quæ principium est veræ gloriæ Salvatoris, illum tamen dedecore affecerat in mente Judæorum, quibus scandalum fuerat: *Judæis scandalum*. Considerabant maxime glorioſa vitæ ipsius miracula, per hoc infame supplicium; & conciliare non poterant exitum adeo turpem cum gloria admirabilium actionum, quæ præcesserant .... Ethnici vero ex parte alia respiciebant Dei crucifixionem tamquam stultitiam & ex omnibus monstrosis Religionibus, quas sibi effinxerat idololatria, eam solam rejecerat, quæ colit Deum in Cruce mortuum: sed hodierna die admiramur.

1. Scandalum Crucis digne reparatum per ea magnalia, quæ continet; videlicet Prophetias omnes, quæ respiciunt gloriam Salvatoris per Crucem adimpletas. Videmus signum hoc contradictionis, & scandali mutatum in triumphale Religionis vexillum; Cælum ejus potentiam agnoscere; inferni potestates contremiscere, & ad Crucis adspectum fugam capessere; Omnes homines, Reges, Principes, divites, & pauperes genua flectere glorioso huic signo; & demum victorias, quas per Crucem retulit JESUS CHRISTUS de gloriæ quidem suæ, nostræ vero salutis inimicis.

2. Postquam admirati sumus scandalum Crucis digne reparatum per ea magnalia, quæ continet; considerare possumus in apparenti stultitia Crucis ejusdem admirabiles inventiones divinæ Sapientiæ, quales sunt, hoc pacto satisfeciſſe severitati justitiæ suæ, ac studiis suæ misericordiæ: reparasse omnia hominis jura, eumque restituisse in statu meliori, quam esset ante calamitatem; ac tandem in Cruce sua dedisse nobis exempla omnium virtutum, & media ad æternam perveniendi felicitatem.

VII. Constitutum jam fuit a nobis hoc principium, de Cruce Salvatoris dici posse, quidquid dici potest de ipso Salvatore in iis, quæ ad hominum salutem pertinent, propter arctam unionem, quam habuit cum hoc homine-Deo; quapropter assumi potest pro argumento, & partitione Sermonis habendi in hujus dicti festi celebritate:

1. Crucem esse objectum cultus, & adorationis nostræ.

2. Ideoque esse debere objectum amoris nostri. Hoc est compendium earum rerum omnium, quæ solidiora possunt adferri; cum enim Religio tota redigatur ad cultum, & amorem; hoc est, duplici verbo dicere, quod fusius in sermone explicandum est.

Pro puncto priori dicere possumus, Dei esse cultum nostrum

nostrum dirigere: per Ecclesiam docere nos, JESUM CHRISTUM adorandum esse in Cruce, & Crucem in JESU CHRISTO: Duo hæc objecta separari non posse, & unum, & idem esse. Placuit Deo homines salvos facere per JESUM CHRISTUM Crucifixum, redigendo omnes homines ad illum adorandum sub hoc sacro Ligno; & quemadmodum nullibi, ut ita dicam, JESUS CHRISTUS magis adorabilis, aut amabilis est; hoc ipsum impellit Ecclesiam, ut sua exprimat vota ad hanc aram, in qua innocens hæc victima nostræ salutis opus consummavit: Crucem tuam adoramus Domine: *Ecce enim propter lignum venit gaudium in universo Mundo*. Fideles omnes eumdem habuerunt sermonem, & Mater sua de Crucis argumento; omnes enim sensus eosdem habuerunt. Hinc post Religionis institutionem constantem effecit Traditionem nunquam interpolatam, & universalem: ubicumque adoratus fuit JESUS CHRISTUS, adhibitum fuit Cruci idem adorationis obsequium, Obsequia vero nostra non terminantur in ligno mortuo, & sensu carente; sed ex quo sacratum hoc Lignum sustinuit adorabilia JESU CHRISTI membra, ejusque Sanguine imbutum fuit, obsequia nostra, nostramque venerationem impendimus illi, a quo fuit sanctificatum; facimus id, quod S. Ambrosius approbat in Sancta Helena: Adoramus *JESUM Crucifixum* Crucem illius adorantes, quemadmodum populi, qui cum honorem deferre minime possunt principibus suis, ac præstare obsequia personæ eorum, hoc munus obeunt, colentes illorum imagines: *invenit titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error. Adoravit illum, qui pependit in ligno, qui scriptus est in titulo*. Adoramus in Cruce signa potentiæ JESU CHRISTI, trophæum victoriarum ejus, maximum prodigiorum illius, quod Evangelium Domini signum appellat: *Hoc signum Crucis erit in Cælo*, & quod Ecclesia ejus vexillum, & gloriam vocat: *Vexilla Regis prodeunt*; & cui tandem illa mysterii nomen tribuit, quod non secus ac alia JESU CHRISTI Mysteria adorandum est; *Fulget Crucis Mysterium*.

In Officio Ecclesiæ.

Pro puncto posteriori dicere possumus, Ecclesiam nobis exhibere Crucem futuram objectum amoris nostri æque ac adorationis, & easdem ob causas, quoniam alterum ex altero consequitur, & sicuti Salvator nunquam apertius ostendit se hoc supremo cultu dignum esse, nunquam melius meritus est amorem nostrum quam ibi, ubi suum nobis testatus est; ita ex amore, quo JESUM CHRISTUM, ejusque Crucem dilexerimus, judicabimur; neque ille veniet super nubibus cum tota Majestate sua, quin illum Crux sua subsequatur, atque tunc Crucis amatores ad salutiferi hujus vexilli adspectum præ gaudio exultabunt.

VIII. Ex magnis Religionis nostræ principiis non extremum illud est, JESUM CHRISTUM nostrum esse Doctorem, & judicem: illum audite, dixit Pater æternus: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; & alibi S. Paulus ait: *Constitutus est a Deo Judex viventium, & mortuorum*, quia omnipotens dedit Filio suo judicandi potestatem: *Pater omne judicium dedit Filio*. At ubinam JESUS CHRISTUS melius perfunctus fuit doctoris, & judicis officio, quam in Cruce? Hæc igitur, ut S. Augustinus ait, est

Matth. 17. Act. 10.

1. Schola, ubi Dominus validiora, & saluberrima nobis tribuit documenta. *Crux illa schola erat, ubi docuit Magister; lignum pendentis cathedra factum est docentis*.

S. Augustinus, serm. 234.

2. Crux fuit Tribunal, in quo supremus Judex Mundum, & Mundi principem damnavit: *Nunc judicium est Mundi*.

Joann. 12.

IX. Crux olim mortalium omnium horror, lignum sterile, & infame, antequam JESUS CHRISTUS illud consecraret, modo amor est hominum, & arbor fœcunda, quæ fructus parit immortales; itaque *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Ita Crux est

1. *Virtus Dei*, quo Glorioso Nomine illam S. Paulus appellat: & profecto per illam vicit omnia, Mundum, infernum, mortem, peccatum.

Officium Ecclesiæ in Dedicat. Templi.

2. Virtus, & fortitudo Christianorum; sine qua sunt infirmi, & infirmitas ipsa: hac autem armatura præcincti vinci, & superari non possunt: *Ecce lignum Crucis, fugite partes adversæ*.

X. Crux cum sit nostræ salutis instrumentum, & via a Deo electa ad magnum hoc opus, consideranda est 1. Tamquam regula secundum quam homines erunt salvandi, vel damnandi; ideoque universalis judicii die apparebit.

XI. 1. Pater æternus, & Incarnatum Verbum non poterant melius testari excessum amoris sui erga homines, quam alter quidem tradens Unigenitum suum morti Crucis: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*; alter vero accipiens pro hominum salute supplicium istud terribile: *Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*.

2. Uterque non poterant magis ostendere odium peccati, ac desiderium reparandi gloriam læsi Dei, quam alter quidem exigens hanc satisfactionem justitiæ suæ debitam, alter vero subjiciens se illi propter homines, qui impares erant satisfaciendo.

XII. Eximius haberi potest sermo ostendendo quinam sint illi, quos S. Paulus appellat Crucis inimicos, & quorum miseram deflet sortem: *Nunc autem, & flens dico inimicos Crucis CHRISTI*: &c. Etenim triplex eorum genus inveniri potest, totidem sermonis partibus impugnandum.

Primi sunt in omnem vitæ licentiam effusi, qui per nequitiam omnia evertunt Crucis dogmata.

Secundi, qui in speciem quidem Crucem venerantur, sed intus scandalizantur, quia sermonem ferre nequeunt de pœnitentia, & mortificatione; qui Filium quidem Dei sequi volunt, non autem Crucem illius bajulare, quia unice quærunt vitæ hujus delicias, & commoda.

Tertii tandem sunt, qui reipsa deferunt Crucem, non illam tamen Filii Dei, videlicet, qui non patiuntur propter amorem, aut desiderium sese conformandi cum Salvatore Crucifixo. *Ex secunda parte sermonis de Crucis Exaltatione, apud Auctorem Sermonum in omnia argumenta, &c. Tomo 2. de peculiaribus argumentis*.

XIII. Crux JESU CHRISTI, quæ Judæis quidem scandalum fuit, Gentibus autem stultitia; nunc & Christianis contradictionis argumentum. Duo sunt illorum genera, qui non eos habent de illa sensus, qui essent habendi; alii putant, non decere Deum eidem affigi; alii credere videntur, si ex eorum vivendi ratione judicium ferendum est, cum Salvator abunde pro nobis satisfecerit, nihil esse reliquum, quod persolvant.

Primi satis ostendunt fidei suæ defectum; secundi quærentes quidquid ignaviæ suæ velificari potest, parati sunt ad credendum, dummodo nihil agant, & id nullis sibi laboribus stet. Duplicem hunc errorem convellere adnitar, ostendens

1. Quamvis Crux sit contumeliosa Filio Dei; tamen per hanc ad gloriæ cumulum evasisse.

2. Cum nos redemerit per Crucem suam, tantum abesse, ut nihil nobis agendum superfit, ut immo recentem contraxerimus necessitatem patiendi, ut ille, & cum illo. *Abbas de Monmorel in Sermone de Passionis Mysterio*.

XIV. *Per occasionem diei Festi Exaltationis Crucis haberi sermo potest contra passivum Crucis scandalum, videlicet contra illos, quos pudet illius placitis adhærere*, quemadmodum, S. Paulo teste, Judæi scandalizabantur.

1. Cum Ecclesia repræsentari potest Crux tamquam fulgidum Mysterium: *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium*. Nam hæc illa Crux, cum qua Reges regnant, coram qua se prosternunt, & in qua tandem fideles omnem gloriam suam collocare debent, confitentes se discipulos illius, qui propter nos illi voluit configi.

2. Ostendi scandalum quod ex Cruce sumitur, esse Deo contumeliosum, secretam a Christianismo Apostasiam, & reprobationis principium. *Pater Bourdalove*.

Pro Festo Inventionis Crucis in verba illa: *Notas facite in populis adinventiones ejus*.

XV. 1. Admirabilis fuit adinventio divinæ Sapientiæ eligere Crucis supplicium, & per illud salutem hominum procurare: hic est effectus sapientiæ absconditæ sapientibus Mundi, illam stultitiam appellantibus. *Gentibus stultitiam*.

1. Paral. c. 16.

2. Alius hujus Sapientiæ effectus fuit abscondisse pretiosum hoc lignum Crucis tria sæcula, eo mox effecisse, ut a S. Helena inveniretur eo tempore, quo Christiana Religio per universum Mundum erat prædicanda, ut adoraretur Crux, quæ fuerat salutis nostræ instrumentum.

3. Quoque adinventio fuit digna Sapientia Dei, præcipientis, ut Cruces spirituales, quæ sunt ærumnæ, ac tribulationes, possent esse nostræ salutis subsidia.

XVI. En argumentum quod locum invenire potest in Festo Inventionis, & Exaltationis Crucis: videlicet triplex esse Crucis genus, quod ita sibi invicem respondet, ut unum coli, vel contemni minime valeat, quin cultus, vel contemptus ad duo etiam reliqua referatur.

Primum illud est, in quo Mundi Salvator passus est, & mortuus propter salutem hominum, & cujus afferri possunt elogia, fructus, adoratio, quam debemus illi, & reliqua, quæ deinceps a nobis dicenda sunt.

Alterum est imago, & similitudo ejus, quæ quotidie nobis versatur ob oculos. Huic adhibendus est cultus, quem illi omnes debent Christiani; & singularis devotio, in mentem revocando, quæcumque Deus pro nobis in Cruce passus est.

Tertium sumitur pro pœnis, atque passionibus, quas ipsi sustinere debemus ad exemplum eorum, quæ in prima Cruce acciderunt, & quæ nos credimus in secunda.

Chri-

XVII. Christianis Auditoribus proponere Crucis Mysterium, est revocare illis Redemptionis nostræ Mysterium, docere, cur JESUS CHRISTUS mortuus fuerit, & mortuus in Cruce. Sed ut hoc eo modo fiat, qui illos ædificet in triplici hujus sermonis parte, ostendam amorem, sapientiam, & potentiam Dei, quæ in hoc potissimum elucent Mysterio.

1. Amorem Dei, quo redemit nos, quin indigeret nostri; quin id facere cogeretur, & cum illius essemus inimici: quod nos prætulit Angelis, quos eorum tradidit infelicitati: quod cum posset nos facilius, ac minori sumptu redimere, exercuit in nos admirabilem hunc caritatis excessum moriens, ut nos ab æterna morte liberaret.

2. Sapientiam suam, quod hoc elegit medium tamquam gloriæ suæ maxime congruum, pro satisfactione criminum nostrorum; ut suam adimpleret justitiam, & nobis maxime prodesset.

3. Potentiam suam, quia vicit mundum, infernum, & omnes salutis nostræ inimicos per instrumentum adeo infirmum, quale Crux est. *Hæc est Partitio Molinier in primo Sermonum, quos edidit de Crucis Mysterio.*

XVIII. Crucis supplicium considerari potest, 1. ratione Dei, qui illud præscripsit; & hominis-Dei, qui sese illi subjecit, quod hinc quidem nobis ostendit severitatem justitiæ Dei, quæ in Cruce tantum illuxit; inde vero excessum suæ misericordiæ erga ingratos, & venia indignos.

Hoc ipsum Crucis supplicium ratione peccatoris, qui vere causa est mortis Dei; hoc, inquam, supplicium efficere debet, ut concipiamus duo; quorum primum est gravitas peccati; quousque divinam lædat Majestatem; ad illud enim expiandum, & satisfaciendum divinæ justitiæ, opus fuit Deum mori: alterum vero est magnitudo pœnarum debitarum peccatori, a quibus liberari, in ipso est, sed quas nunquam effugiet, si abusus fuerit misericordia Dei, illi brachia tendentis, &c.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes unde hauriri verum copia potest ad has Sermonum structuras exornandas, & Auctores, qui de hoc argumento verba faciunt.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus, *serm. 130. de verbis Evangel. Joannis 6.* loquens de modo, quo JESUS CHRISTUS redemit nos, de pretio, quod dedit tamquam Cælestis Institor, ostendit Crucem fuisse tamquam rete, vel laqueum, quo Sathanas captus fuit.

Idem *serm.* 300. loquitur de velo, quod tegit Mysteria nostra, & illa veteris, novique Testamenti, & multa præclara inquit de Cruce, quam appellat clavim omnium Mysteriorum.

Idem ibidem, ubi rationem reddit, cur JESUS CHRISTUS Crucem bajulaverit.

Idem *serm. 53. de verbis Evang. Matth. 5.* ubi fusius loquitur de dimensionibus Crucis.

Idem serm. 219. pro vigilia Paschæ, ubi explicat titulum Crucis JESU CHRISTI.

Idem *serm.* 77. ubi rationem adfert, cur JESUS CHRISTUS de Cruce non descenderit.

Idem *serm.* 161. ubi explicat, quomodo Christiani Sapientia in eo sita sit, ut sciat JESUM CHRISTUM crucifixum.

Idem *ibidem*, ubi docet gloriam nostram esse in Cruce JESU CHRISTI non autem in nostra justitia.

Idem *serm.* 51. ubi loquitur de victoriis per JESU CHRISTI Crucem relatis.

Idem *serm.* 366. ubi fusius loquitur de Clavis Crucis JESU CHRISTI.

Idem *serm.* 161. ubi ait nos per Crucem distingui, quemadmodum Judæi ab Ethnicis per circumcisionem distinguebantur.

Idem *serm.* 27. ubi rationem adfert, cur Crucem geramus in fronte.

Idem *serm.* 22. ubi idem tractat argumentum.

Idem *serm.* 20. ubi mirabile narrat factum de signis Crucis, quæ in Catechumenorum vestibus apparuerunt.

Idem *serm.* 363. ubi narrat Moysem victoriam retulisse de Amalech per Crucem, quoniam Propheta hic habebat brachia in Crucis formam decussata.

Idem *serm.* 215. ubi explicat qua cum gloria Christianus ferre debeat signum Crucis in fronte.

Idem *serm.* 88. ostendit honorem, quem Cruci haberi voluit JESUS CHRISTUS.

Idem *serm.* 65. late disserit de Mysterio Crucis, quæ nos tamquam Navis defert per hujus Mundi pelagum.

Idem *serm.* 250. ubi ait, Christianum esse debere Cruci confixum toto tempore vitæ suæ, & clavos ante tempus inde non esse revellendos.

S. Bernardus *serm. 2. de S. Andrea*, explicat nobis quatuor Crucis extrema objicienda esse quatuor tentationibus, quibus potissimum palpamur.

Idem *serm. 1. de S. Andrea*, latius disserit de laudibus Crucis.

Idem ibidem, ait Crucem fuisse pontem, per quem latro crucifixus de terra migravit in Cælum.

S. Sophronius Jerosolymitanus Episcopus Orationem habet de festo Exaltationis Crucis.

S. Leo *serm. 8. de Passione JESU CHRISTI* pulcherrima habet de Cruce.

S. Ephrem integrum edidit Sermonem, ubi Crucis elogia persequitur.

Venerabilis Beda homiliam habet de Festo Inventionis sanctæ Crucis. Tomo 7.

S. Bonaventura duos habet sermones de eadem festivitate: primum in illa verba: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam. Proverb. 3.* Alterum in illa *Matthæi cap. 7. Omnis, qui quærit, invenit.*

S. Petrus Damiani in eamdem Festivitatem fuse loquitur de Crucis Mysterio, de bonis, quæ inde percipimus, de fructibus hujus arboris vitæ, de figuris Crucis, ac reliquis.

S. Thomas Tomo Sermonum unum habet de Crucis inventione, ubi ostendit, 1. JESUM CHRISTUM magis dilexisse nos, quam quidquid illi carissimum esset in Mundo. 2. Bona, quæ nobis per Crucem procuravit. 3. Qua in re illum imitari possumus, cum huic Cruci confixus fuit.

Pro festo Exaltationis sanctæ Crucis S. Augustinus sermonem habet in illa verba, *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri JESU CHRISTI. Ad Galat. 6.* ubi docet; 1. Hanc esse scientiam Christiani, scire gloriam suam constituere in Cruce JESU CHRISTI. 2. De Cruce non esse erubescendum. 3. Per Crucem novum Testamentum esse veteri præferendum, &c. *Tomo serm. 10. ex 17. quos dedit Carthusia Parisiensis.* S. Bonaventura sermonem habet pro hac festivitate, ubi ait, Crucem septemplici modo exaltatam fuisse. *Tomo 3. serm. de Sanctis.*

Chrysostomus *Homil. in Venerabilem, atque vivificam Crucem.* Quæ homilia hujus diei propria esse potest. *Tomo serm. 27.*

Idem *serm.* de adoratione Crucis, ubi laudes ejus persequitur, & ubi ostendit, quidquid fit in Christiana Religione, fieri cum signo Crucis. *Serm. 54. in S. Matthæum, in Exhortatione.*

S. Petrus Damiani duos habet sermones de Crucis Exaltatione. *Tom. 2. serm. 47. & 48.*

S. Ephrem unum habet Sermonem.

S. Laurentius Justiniani.

Hugo a Sancto Victore. *Tomo 2. in Stic. Monast. serm. 100.*

Sanctus Thomas in ea Verba: *Si exaltatus fuero a terra, omnia trahem ad me ipsum.* Sermone de hoc die Festo.

Theologi, aliique. Suarez Tomo 2. in tertiam partem Divi Thomæ, *quæst. 46. art. 4.*

Bellarminus Tomo 2. controversiarum, *lib. 2. c. 25.* ubi agit de Crucis adoratione.

Philippus Idies *in summa.*

Franciscus Costerus *in Enchiridio.*

Thomas Valdensis *de Crucis adoratione.*

Jacobus Gretserus. *Tomo 3.*

Cardinalis de Richelieu in Controversiis lib. 3. ubi agit de cultu Crucis, & Imaginum.

Raynerius de Pisis. *Titulo Crux.*

Ascetici. In collationibus Asceticis P. de Argentano Capucini, Tomo de magnalibus JESU plura habet hujus argumenti colloquia.

P. Saint Jure in libro de Electis fusius variis in locis de hac re verba facit.

P. Haineuve sub finem Tomi 2. Meditationem habet de Crucis Inventione.

Idem de Exaltatione Crucis ad calcem *Tomi 4.*

Concionatores. Molinier integram habet Octavam de Mysterio sanctæ Crucis in Tomo, cui titulus: *Mysterium Crucis, & Redemptionis.*

Idem in eodem Tomo sermonem habet de Festo Inventionis, & aliud de festo Exaltationis.

Biroat Tomo 2. Panegyricorum, sermonem habet de Crucis Inventione, & sequentem de Crucis effectibus.

In specimine Panegyricorum Tomo 2. Tres habet diversos hujus argumenti.

Verjus in unico sermonum suorum Tomo habet Crucis Panegyricum.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta; Tomo 1. Panegyricorum Sermonem habet de Mysterio Crucis, quod esse potest Inventioni, & Exaltationi commune.

PARA-

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, applicationes Bibliorum huic argumento.

NUnc judicium est Mundi, nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras; & ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum. Joann. cap. 12.

Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Matth. 24.

Fecit ergo Moyses Serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Num. 21.

Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Joann. 3.

Ostendit Dominus signum Moysi, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt aquæ. Exod. 15.

Levabit Dominus signum in nationes, & profugos Juda colliget. Isaiæ 3.

Signa Tau *super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio Jerusalem.* Ezech. cap. 9.

Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Ad Romanos 6.

Cum mortui essemus in delictis, convivificavit nos cum illo, donans nobis omnia delicta, delens, quod adversus nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Ad Colos. cap. 2.

Parebit signum Filii hominis in cælo; & videbunt filium hominis venientem in potestate magna, & Majestate. Matth. 24.

Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine CHRISTI, *ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum; ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem.* Ephes. cap. 2.

Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU CHRISTI per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Ad Galat. 6.

Aspiciamus in auctorem Fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta. Ad Hebr. 12.

Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod, & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Ad Philipp. 2.

Elevavit signum in nationibus. Isaiæ 5.

Expolians Principatus, & potestates; traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Ad Colossenses 2.

Nunc autem, & flens dico, inimicos Crucis CHRISTI. Ad Philipp. 3.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. Psalm. 117.

Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me non est me dignus. Matth. 10.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Matth. 16.

Bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. Joann. 19.

Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. 1. Ad Corinth. 17.

Si Filius Dei es, descende de Cruce. Matth. 27.

CHRISTUS Rex Israel descendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus. Marc. 15.

Scripsit titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Joann. 9.

Prædicamus JESUM CHRISTUM, & hunc Crucifixum. 1. Ad Corinth. 1.

Figuræ, & Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Crux in veteri Testamento repræsentata invenitur sub variis figuris.

IN veteri Testamento invenimus tot figuras, vestigia, & similitudines Crucis, ut ubique inveniri videantur, & sicuti omnia collimant ad præsignandum JESUM CHRISTUM Mundi Reparatorem, similiter omnia designant Crucem, quæ reparationis instrumentum erat futura. Posuit Deus arborem vitæ in medio Paradisi terrestris, Crucis figuram, Sanctus Augustinus ait: *Est enim Crux vera arbor vitæ, quæ fructum vitæ tulit* CHRISTUM. In statu innocentiæ Deus illam quodammodo adumbravit in formatione Hevæ, quam eduxit de femore dormientis Adæ; quod significabat, idem S. Augustinus ait, magnum Mysterium, videlicet ex perforato latere JESU CHRISTI mortis somnum dormienti in Cruce formaturum Ecclesiam suam; quæ figura erat eorum, quæ in Cruce erant perficienda. Crux exhibita fuit in Arca Noe, cum voluit Deus inundare terram universam, quod nos docet Sapiens; *Sanavit iterum Sapientia per contemptibile lignum, justum gubernans.* Etenim quænam aptior Crucis figura ligno hoc, quod Sapiens contemptibile appellat, argumentum irrisionum hominum ævi illius, sed quod mundi reliquias salvavit? Crux hæc nonne erat scandalum Judæorum & contemptus Sapientum ex Gentilibus, qui illam tamquam stultitiam respexere? Invenitur etiam Crux abscondita sub integumentis, atque ænigmatibus sexcentarum aliarum figurarum; in Iride, quoniam non secus, ac meteorum illud signum fuit, Dei iracundiam jam placatam fuisse. In scala Jacob, quia nonnisi per Crucem in Cælum debemus ascendere; uti passim Patres loquuntur. Hæc detegitur in virga Moysis, cum qua magnus hic legislator sexcenta operatus est prodigia, ut populum Dei de Pharaonis servitute liberaret. Nonnulli reperiunt illam in æneo serpente, cujus adspectus sanabat a morsu serpentum; alii in columna ignis, quæ præcedebat Israelitas in promissam terram euntes; alii eam florescere vident in Aaronis virga, & alii expiare omnia peccata in Sacrificiis Legis Antiquæ. Alii denique volunt illam esse participem quorumcumque magnorum operum, atque insignium expeditionum Patriarcharum, Prophetarum, Regum, & Sacerdotum veteris Testamenti: quorum unam dumtaxat exempli caussa memorabo, insigne videlicet Davidis certamen contra Goliath, & victoriam, quam adolescens ille reportavit de Gigante temerario, ac superbo, qui ausus est insultare exercitui Dei Israel. S. Augustinus ait, quemadmodum impudentia Goliath potissimum in fronte apparebat, in fronte quoque fuisse percussum. *Habuit impudentiam frontis, & in ipsam frontem lapide superveniente dejectus.* Sed illum superavit David, quia gerebat in fronte humilitatem Crucis JESU CHRISTI. Signate ergo frontis vestræ verticem salutari signo JESU CHRISTI, & Sathanas, cujus figura erat Goliath, victus ausugiet. Audebit ne fortis hic armatus eam ingredi domum, quæ extrinsecus insignita sit stemmate illius, a quo victus fuit? Non oblitus cladis suæ sese recipiet suffusus verecundia. Sed singillatim afferamus figuras aliquot Crucis melius connotatas.

Lignum quod amaras deserti aquas in dulces convertit, est figura Crucis. S. Aug. in Exod. quæst. 571.

Lignum quod aquas amaras maris convertit in dulces figura est sacrati ligni Crucis: multoque magis si consideretur natura, & effectus ligni, quod Moysi monstratum fuit; illius enim nobis virtutem, & gloriam repræsentat, S. Augustinus ait: *Dominus per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam, & gratiam Crucis.* Profecto lignum hoc Dei Sanguine sanctificatum, nos purgat ab hac acrimonia, & amaritudine, quam per corruptionem nostram invenimus in rebus omnibus, quas nobis præcipit Deus. Hoc illud est sacrum lignum, quod replens animas nostras virtute cælesti, & spirituali gratiæ suæ, suave nobis efficit, quidquid amarum videbatur, ac facit, ut pacem, gaudiumque inveniamus in humili obedientia, quam illi præstamus. Sacri hujus ligni memoria, S. Augustinus inquit, nobis erit fons consolationis, & pacis; & si quando, quod patimur, intolerandum videtur, inde fit, quia obliviscimur Salvatorem passum fuisse in Cruce opprobria, ac terribiles cruciatus, prohibiturus, ne nos incomprehensibiles, æternosque perferamus: *Intolerabiliter pateris, quia non cogitas quid pro te pertulerit* CHRISTUS. S. Augustinus ait in Psalmum 50. Ibidem.

Figura Tau respondet Cruci J. C. ejusque figura est. Ezech. cap. 9.

Quemadmodum exterminator Angelus pepercit omnibus Israelitarum ædibus, quarum postes Agni Sanguine imbutos vidit; ita Angelus ille parcere jussus est illis omnibus, in quorum frontibus impressum cerneret signum *Tau*. Signi hujus figura in lingua Samaritana, Græca, & Latina perfectam exhibet Crucem; & posset denotare sacrum hoc salutis humanæ signum, quæ pretium fuit Sanguinis veri Agni Paschalis, JESU CHRISTI Salvatoris nostri pro nobis in Cruce immolati. Igitur spectabat ad Angelum, qui tunc JESU CHRISTI figuram referebat, imprimere *Tau* in frontibus eorum, qui evaserant generalem cædem Jerusalem, quia hæc erat virtus Sanguinis, quem ipse effusurus erat in Sacro ligno Crucis.

Manus Moysis in formam Crucis decussatæ figura Crucis delent Amalec. Exod. 17. v. 16. S. Augustinus, serm. 333.

Ecclesiæ inimici fiunt immobiles tamquam lapides, dum Filii Domini suum cursum perficiunt: *Fiant immobiles tamquam lapides, donec pertranseat populus iste, quem acquisivisti Domine;* & qui ex numero inimicorum resistere audebunt Crucis signo debellabuntur. *Sed & qui resistere tentaverunt, sicut tunc Amalech exterentis manibus Moysi, ita nunc in signo Crucis Dominicæ superantur.* Excellens figura, quæ præparabat spiritum victoriis Crucis JESU CHRISTI. Amalec repræsentat inimicos populi Dei, huic prohibere adnitentes aditum in patriam suam. Tales sunt conatus Sathanæ, qui nostris utitur cupiditatibus, ut incursus sui fiant validiores. JESUS CHRISTUS præparavit nobis contra hunc Amalec invisibilem vallum, quod illum moretur, clypeum, qui omnia illius jacula propulset, turrim fortitudinis, cui nihil resistit. Amalec signo Crucis confunditur, & ex quo Moyses cessat his armis uti, Israel vincitur. Confugiendum est ergo ad artem Mosaycæ similem, tenendo semper decussata brachia, quin fatigemur, & cum veneratione gestan-

Lib. 2. contra Faustum cap. 7.

Sapient. 10.

gestando signum hoc salutiferum, tamquam validum contra omnes inimicos præsidium.

Exemplum Simeonis Cyrenæi, qui invitus gestat Crucem Salvatoris.

Divina fecit Providentia, ut homo quidam, qui Simon Cyrenæus vocabatur, repertus fuerit, qui Salvatoris Crucem gestaret, qua ille opprimebatur, & quæ impedimento fuisset ne usque in eum locum progrederetur, ubi mortem perpessurus erat. Verum si factum hoc penitus inspexerimus inveniemus, hunc hominem, qui hanc gestat Crucem, quia coactus est, figuram esse illorum, qui Christianorum nomen gerunt, & actiones faciunt, & nihilominus nec meritum, neque mercedem habebunt. Cyrenæus hic frustra gestat Crucem Filii Dei, nullum inde fructum, nullam percipiet utilitatem; quia id facere coactus est, quia id ægre, & invitus, ac præter voluntatem suam facit. Similiter Christiani plerique impositum sibi jugum sustinere tenentur; quia id faciunt inviti, & mere humanis rationibus acti. Cum non agant ex animo, & peculiaribus tantum caussis agantur, non autem interiori sensu, neque spiritualibus dispositionibus, quæ pretium operum nostrorum constituunt: crux, quam gerunt, non solum illis non proderit, sed quantumvis dura, & gravis sit per se, cedet in eorum opprobrium, & nonnisi funestos exitus est habitura.

Prophetiæ, quæ Crucem respiciunt. Isaiæ 7.

Psalm. 95.

Post figuras si Prophetias consulo, ibi Crucem invenio, & Crucem impugnantem dæmones, de Mundo victricem, de inferno triumphum referentem, onustam spoliis Principis tenebrarum: *Factus est Principatus super humerum ejus*, dicit Isaias Propheta; *Dominus regnavit a Ligno*, David addit. Prophetæ omnes annunciant vicissim Crucis victoriam, gloriam, atque triumphum illius; & quod admirabile est, atque peculiarem Dei providentiam ostendit, non solum invenitur Crux in promissionibus Prophetarum, verum etiam in prædictionibus Sybillarum, Oraculis Ethnicorum, & Jeroglyphicis litteris Sapientum Ægyptiorum. Eusebius in libris de Præparatione Evangelica, & Lactantius in libro quarto inter alia argumenta afferunt versus Sybillarum, Deo jubente, non Prophetas solum, verum Paganos quoque oraculis suis præparare vias Cruci, & hujus gloriam, atque triumphos non solum in promissionibus servorum suorum, sed etiam in ore inimicorum ejus inveniri.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Per Crucem J. C. omnia reconciliavit.

Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. Ad Coloss. 1. Cum per Sanguinem a se in Cruce effusum reconciliaverit JESUS CHRISTUS quidquid in terra est, & in cælo: igitur ille per Crucem caput, & Summus Pontifex est, ac Mediator noster, & reconciliavit nos per Sacerdotium suum in hoc altari, ubi consummavit omnia per oblationem corporis sui. Principium Ecclesiæ ab ipsa Cruce desumitur: ibi JESUS eam genuit. Si ipse prototypus est, & fons vitæ gloriosæ, atque immortalis, quam exspectamus, ideo est, quia super Crucem illam meritus est, & nos per illum; quia omnis exaltatio ejus, & nostra non aliam habet caussam, quam Crucem. Nomen super omne nomen; Nomen quo audito omne flectitur genu terrestrium, cælestium, & infernorum, suum habet meritum ab humiliationibus sacrati hujus Ligni; Pax militantis Ecclesiæ, & gloria Ecclesiæ triumphantis a Cruce procedit. Hæc ea sunt, quæ confitemur in Canticis celeberrimis in Crucis honorem consecratis: *Per signum Crucis gaudium venit universa terræ.*

Officium Ecclesiæ. Iniquitates nostræ Cruci affixæ fuerunt cum J. C.

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. Ad Rom. 6. JESUS CHRISTUS pertulit nos in Crucem, ubi omnes iniquitates nostras crucifixit. Ergo fieri debemus hujus Sacrificii participes; nequaquam nosmet sejungentes a sacrificio Capitis nostri, & a loco, ubi illud consummavit. Non debemus solum sepellire peccatum; hoc non est aliud nisi replere figuram sepulturæ Salvatoris; sed opus est etiam, ut super sacro Crucis ligno, ad ejus adspectum, contemplantes, & incessanter meditantes illum deleamus membra peccati fornicationem, avaritiam, & alia vitia, quæ S. Paulus enumerat capite tertio epistolæ ad Colossenses. *Nondum est tempus evellendi clavos; vetus homo noster simul crucifixus est.* Omnes homines erant in JESU CHRISTO tamquam in Capite suo; omnes igitur cum illo crucifixi sunt; quia tenebat locum omnium, & erat cautio illorum, & victima.

S. Augustinus, serm. 205.

Ad Coloss. c. 2. Nostra dæmoni obligatio, & quantum debeamus cruci, quæ illam infregit.

Delens quod adversus nos erat Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci. Agnovi ne unquam Salvator, quid pro me feceris in Sacro hoc ligno, ubi extremum emisisti Spiritum? Quot ibi operatus es Mysteria per adorabilem Crucis virtutem? Per illam Patri tuo dissolvisti omne debitum nostrum; ibi delevisti funestum illud Chyrographum, per quod memet tradideram Sathanæ; per Crucem deleta fuit lex prævaricationis, iræ, mortis, & maledictionis scripta in carne peccatorum proprio eorum Sanguine in Judaica circumcisione. Æquum est, ut tanto tibi stet pretio debita mea persolvere, & me a Legis pondere liberare, & mihi tantumdem minime stet justitiam, & Patris tui iracundiam mulcere? Ut aliquid ergo & ipse conferam, omnibus vitæ meæ momentis adorabo triumphum, quem de inferno retulisti, destruens peccatum vi Crucis tuæ: levabo oculos meos in sacrum hoc signum, ut Israelitæ in æneum Serpentem, pro certo habens, adspectum hunc Salvatorem curaturum esse me de vulneribus meis; collocabo in fronte mea tamquam in honoris loco istud admirabile signum & quin erubescam, hoc mihi gloriæ vertam. In omnibus tentationibus meis illud meis inimicis objiciam, ut illos in fugam convertam, & imitatus primos fideles, de quibus Tertullianus ait, illos vel sedentes, vel surgentes, vel domo egredientes, vel illuc revertentes ad minimi suspicionem periculi, semetipsos signare consuevisse: ita fidelis, & constans praxis mea erit hoc facere. Auge solum fidem, & amorem meum erga instrumenta omnia, quæ adorabilis caro tua consecraverit, ut actionem hanc adeo sanctam obeunte me, cor & Religio sit particeps.

Crucis elogium ex hymnis Ecclesiæ desumptum.

Arbor decora, & fulgida. Arbor pretiosa, refulgens, & Sanguine Regis Magni purpurata, inter omnes arbores electa, ut adeo Sancta membra tangeres, quam beata es, eo quod sacrum illud corpus, quod est totius Mundi redemptio, sustinuisti. Tu es libra, in qua appensa fuit hæc redemptio, cum pondere suo abstulit inferno prædam, abunde satisfaciens pro peccatis hominum. Te colimus Crux unica spes nostra! per te sacro tempore passionum Dei justi crescant pietate, & peccatores criminum suorum veniam obtineant. Lingua nostra concinat gloriosum certamen, quod JESUS CHRISTUS in Cruce sustinuit, & fulgidum illum triumphum, quem retulit. Enarret quomodo Mundi Redemptor sese immolans in Cruce tamquam victimam, vicerit. Creator misertus infelicitatis primi Parentis nostri, qui comedens ex vetito fructu, sese præcipitem dederat in mortem, ex eo tempore designavit hoc lignum ad reparanda mala, quæ lignum pepererat. Talis fuit œconomia magni operis salutis nostræ, voluit Deus Sancto artificio nequitiam inimici nostri confundere, & ad curationem nostram iisdem armis uti, quibus usus fuerat, ut nos vulneraret. Postquam trigesimum attigit annum, divinus hic Agnus natus, ut pateretur, & sponte devotus passionibus, super Aram Crucis attollitur immolandus: ibi ille felle, & aceto poratur: ibi sputis inquinatus clavis trabalibus configitur: ibi Corpus ejus lancea percussum sanguine manat & aqua, quibus orbis universus abluitur. Arbor Sancta tu una dignæ inventa es, quæ Mundi redemptionem sustineres, & irrigata pretioso Sanguine Agni sine macula facta es Sacra Tabula, quæ homines salvat a naufragio, & illos in portum adducit: *Atque portum præparare arcæ Mundo naufrago.*

Hymno de Passione.

Crux est pretium redemptionis nostræ

Empti enim estis pretio magno. 1. *Ad Corinth.* 6. Et quomodo addit S. Petrus, non estis empti auro, vel argento. Bona hæc corruptibilia nimis modici erant pretii ad animam salvam faciendam, & redimendam. Adhibitus est Sanguis ipse Dei, & Agni sine macula, sed in Cruce effusus est hic infiniti meriti Sanguis; ibi Deus consummavit vitam suam adeo pretiosam; hæc Ara fuit, ubi immolata est hæc victima, & sicuti loquitur S. Eucherius, hæc fuit trutina, in qua appensum fuit pretium nostræ salutis. *In trutina Crucis semetipsum auctor salutis passus est appendi, ut homini animæ suæ dignitatem, vel ipsa pretii ostenderet magnitudo.* Ita est, o Crux adorabilis Salvatoris mei. Tu fuisti pretium nostræ redemptionis! Tibi nostram debemus felicitatem! Tu nos de morte æterna liberasti! Tu denique delevisti chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: quoniam idem sacer Textus, quo docemur, æternum Patrem posuisse omnia hominum peccata in Filio suo, docet etiam ipsum omnia perpessum fuisse supplicia, quæ illis debebantur. Ecce, Christiani, quid mutaverit Crucis ignominiam in incomparabilem gloriam, & illius horrorem in cultum, & venerationem; cum enim esset improborum supplicium, & mortis instrumentum, facta est caussa salutis hominum, & fons vitæ, postquam Dei Sanguine fuit imbuta.

In Epistola ad Valer.

Per Crucem de peccati gravitate judicium ferri potest; & quousque divinam lædat majestatem.

Delicta quis intelligit. Psalm. 18. Quis novit quid sit peccatum? Ego ipse novi, Deus meus! cum me docet fides, illud a te puniri flammarum æternitate; sed multo planius id novi, ubi video Deum Cruci confixum, & video Deum morientem, ut peccato inferat mortem. Ah! Christiani, ut vos remorer in crepidine præcipitis loci, quo vos trahit vestrarum cupiditatum proclivitas, hodierna die non loquor de inferno, vel extremo judicio; vobis solum ostendo Crucem, ubi efflavit animam Deus, atque Salvator vester; qui vobis dicere videtur: Ecce quanti steterit mihi expiare peccatum! Intellexistis ne unquam magnitudinem supplicii Crucis; horrorem, quem in nobis sola ejus ciet cogitatio, multitudinem tormentorum, quæ in ea perferuntur, inhærentem illi turpitudinem,

dinem, & ignominiam? Ah! si vos non moveat adspectus Crucis, quæ vobis exprimit hæc omnia vehementius, quam posset efficere humana eloquentia! Post hæc peccator, jam te tibi relinquo; ne putes temet excusare posse dicendo, te nequaquam cognovisse criminum tuorum enormitatem? Nunquid eam poteras ignorare, ubi prædicari audisti Deum in cruce obiisse, ut tua crimina expiaret? Non igitur aliquid ultra requiritur, quam crucem ipsius tibi ostendere, ut intelligas in peccato tantam esse nequitiam, quantam nunquam satis assequi possumus.

Plurimi sunt Christiani inimici Crucis Christi.

Nunc autem & flens dico, inimicos Crucis CHRISTI, &c. *Ad Philipp.* 3. En quid lacrymas elicuit ex oculis Apostoli! intueri in Fidelium numero non deesse Crucis inimicos, qui illius virtute regenerati, postquam in baptismate palam professi sunt, se illius futuros Discipulos, illam suis moribus impugnant. Et sane quod bellum apertius, infensius, & crudelius, quam omnes illius characteres delere in vita sua, quomodo plerique faciunt Christiani, qui flagitiis suis omnem abrogant illius placitis fidem? Quinam magis furentes Crucis inimici, qui iterum criminibus suis Filium Dei crucifigunt? *Rursus crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes.* Tandem enim utri eam magis dedecore afficiunt, infideles ne, qui illam prorsus ignorant, an Christiani, qui penitus virtutem ejus evertunt? *Inimicos Crucis*, Num ex hoc numero estis, qui me auditis Christiani? Ah! si hoc verum esset, sanguineas optarem effundere lacrymas ob malum vobis impendens; vitam quippe ducentes adeo oppositam Cruci, quid exspectare potestis nisi condemnationem vestram, ac funestam, æternamque mortem? *Quorum finis interitus.* Vos illam dehonestatis vita æque turpi, & nefaria; vos ergo æterna manet confusio. *Et gloria in confusione ipsorum.*

Ad Hebr. 6.

Ibidem.

Qua die Crux in judicio parebit, quem terrorem suis inimicis incutiet.

Tunc parebit signum Filii hominis. Matth. 24. Cum apparebit Crux, tunc ejus inimici præ terrore contabescent; Infideles, qui illam sibi in ludibrium verterunt, & qui tamquam stultitiam judicarunt, Hæretici, qui illam everterunt, & conculcaverunt; sed præsertim Fideles nequam, quibus satis fuit exteriorem illi cultum aliquem adhibere, donec illam moribus suis dedecorarunt, omnibusque vitæ suæ actibus impugnarunt; *Tunc parebit signum Filii hominis*, Quid tunc dicent hi voluptuosi Christiani, cum gloriosum hoc salutis signum videbunt, & meminerint, se per summam indignitatem contempsisse hoc æternum pignus amoris, & caritatis immensæ Dei, vel se adeo imparem præstitisse gratiam incomparabili huic beneficio, audebunt ne tunc sub glorioso hoc vexillo in aciem descendere, postquam illud in vita hac exhorruerint? sustinere poterunt probrum, quod homo-Deus illis objiciet hanc ipsis crucem ostendens, & cum impio, ac libidinoso Christiano dicet; agnoscis ne miser hoc signum salutis? attente inspice hanc Aram misericordiæ, & mox per me tibi licet quamlibet excusationem prætexere. Sed quomodo possit? Adorabile hoc signum illos redarguet, ipsos interitum suum nonnisi ignaviæ suæ acceptum referre posse; & cum illis integrum fuerit ex sancta hac arbore vitæ fructus colligere, omnino excusari non posse, eo quod ex hoc certissimo salutis subsidio nequaquam profecerint. Sed quod gaudium, quam consolationem, quam securitatem non afferet illis, qui veri Crucis amatores extiterint, qui illam ex corde acceperint, qui illam strenue gesserint, & quorum vita crucifixo huic Deo fuerit conformis? Tunc laborum suorum mercedem recipient, & perfruentur æterna felicitate, quam hæc illis Crux acquisivit.

Adhortatio ad Crucem defendam ad Salvatoris exemplum.

Ægredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua. Cant. 7. Ad quem, vestra quidem sententia, dirigi videntur hæc Spiritus Sancti verba? Non solum infideli huic Jerusalem, quæ illi mortem attulit, & quem illum Regem suum negavit; sed vobis Filiæ Sion; molles animæ, & delicatæ, quæ devotionem quidem, & pietatem profitemini; sed quibus deest animus amplectendi crucem Salvatoris, & exercendi veram & solidam mortificationem, vobis hæc dicta sunt. Egredimini de vobismetipsis, relinquite negotia vestra, sensus vestros, timores, & fallacia judicia, quæ vos fallunt; causantes infirmitatem vestram, commentitias impossibilitates vestras, atque prætexentes officia vestra, quæ majoris momenti ducuntur. *Videte Regem Salomonem.* Contemplamini Regem vestrum modo curvatum sub pondere Crucis & qui tamen progredi non cessat, quamvis illi deficiant vires, & modo renuit de cruce descendere cui confixus est, ut perseveret in proposito ad mortem usque perferendi, & susceptum opus adimplendi.

Mysterium Crucis absconditum est, quod semper profunda meditatione recolendum est.

Dei Sapientiam loquimur in mysterio; quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula: Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit. 1. Ad Corinth. c. 2. Quot sunt Sancti Pauli verba, totidem ferme rationes sunt, quæ probant nobis sæpe cogitandum esse, & alte meditandum Crucis Mysterium. 1. Crucis Doctrina est Sapientia Dei; compendium est scientiæ divinæ profundis repletum Mysteriis: *Sapientiam in Mysterio.* Opus est ergo, ut Christianus se præbeat Dei crucifixi miraculum: opus est ergo, ut toto vitæ suæ spatio in Calvarii accademia concludat, ut ibi studeat, & meditetur *Supereminentem scientiam caritatis CHRISTI.* 2. Hæc est Sapientia, *quæ abscondita est.* Videlicet altius effodiendum est, ut detegatur virtus, & fortitudo Dei in infirmitate: *quam Deus prædestinavit ante sæcula;* videlicet, Scientia Crucis fuit objectum æternarum Dei cogitationum. Utique antequam sæcula initium ducerent, meditabatur Deus hoc exequi Mysterium: ita Deus ab æterno cogitavit mori pro me; ego vero ex quo ille mortuus est; ægre mortem ejus cogito. 3. *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Spiritus fortes Sæculi, terræ hujus politici, prudentes secundum carnem, nihil intelligunt in illa, quia de illa non cogitant. Nos vero, Auditores carissimi, ne simus ex numero mundanorum, qui in Ecclesia consenuerunt, qui habitum fidei receperunt, ut magnum hoc salutis Mysterium cognoscerent, & qui nihil omnino intelligunt; quapropter quamvis Christiani sint, sunt tamen Crucis inimici, *inimicos Crucis CHRISTI.*

Ad Ephes. 3.

Prædicamus JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum. 1. Ad Corinth. 1. Sancti Pauli ævo non deerant Judæi, atque Gentiles, qui ægre ferebant mortem Salvatoris. Prædicationes Apostolorum absterrebant illos, ubi audiebant eos loquentes de Deo mortuo in Cruce; sed alii aderant, qui superius illustrati profunda divinæ sapientiæ consilia adorabant. His videbatur sapientia, & virtus Domini satis enitescere in hoc humiliationis & infirmitatis mysterio. Sunt ne, ut olim Sancti Pauli temporibus, etiam hoc sæculo, qui dum animæ sanctæ humiliter, ac pie meditantur mysticas abjectiones Filii Dei in Cruce, ita sunt insipientes, ut inde scandalizentur? Crux Salvatoris, ut Sanctus Augustinus inquit, magnum est Mysterium, ubi cum fide, & pietate consideretur: sed cum impii, & nefarii homines de hoc Mysterio audiunt verba fieri, illud cum contemptu reprobant: nos vero *Prædicamus JESUM CHRISTUM, & hunc crucifixum.* Verus Christianus non veretur prædicare JESUM CHRISTUM in Cruce positum fuisse, & de eo tamquam mortalium omnium novissimo loquitur; scit enim ipsum eo tempore quo contumeliosissime habitus fuit, ostendisse, se Deum esse plenum potestate, & Majestate.

Nobis, ut olim Judæis scandalo esse non debet mors J. C. sed hanc considerare debemus tamquam grande mysterium.

Tract. 119. in Joann.

Tunc parebit signum Filii Hominis in Cælo. Matth. 24. Ex omnibus circumstantiis magnæ diei, qua judicium habendum est, mihi quidem admirabilior nulla videtur apparitione Crucis. Non equidem miror, Deum universum Orbem confundere, atque omnes homines exterminare volentem, impressisse *in Sole, & Luna* furoris sui signum: *Erunt signa in Sole, & Luna.* Non obstupesco, voracibus universalis incendii flammis universa in cineres esse redigenda: quoniam aquæ diluvii, totusque Dei morientis cruor abluere non potuerunt sordes illius, neque aliud nisi ignis supererat; sed quod arduum est ad credendum, hoc est, quod Crux esset apparitura: *Tunc parebit signum filii Hominis.* Quæ enim ratio est inter apparatum furoris Dei, & maximum amoris illius testimonium? Inter justitiæ Tribunal, ac Thronum misericordiæ? Num fortasse ea futura causa est, quod cum Dei justitia omnino sit victoriam de misericordia relatura, cumque de manibus ejus amabile suum vexillum abstulerit, ostentabit illum inter manubias de inimicis relatas, tamquam triumphi sui ornamentum; an ut peccatores omnes intelligant, nullam ipsi spem superesse, quandoquidem justitia hæc potita est Cruce, quæ illis erat asylum, atque perfugium? Dicam melius. JESUS CHRISTUS apparere jubebit Crucem, ad ciendum magis, magisque furorem suum contra reprobos peccatores ad adspectum præcipui hujus monumenti amoris sui. Sanctus Bernardus hunc nobis suggerit sensum, explicans locum illum Prophetæ: *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis;* qui non abludit a nostro argumento; videlicet JESUM CHRISTUM in postremo adventu ad excitandam iram suam accepturum esse Crucem, ut ad ejus adspectum reminiscatur misericordiæ suæ, & misericordia hæc neglecta, atque contempta, ingentem illius foveat indignationem. *Indignatio non aliunde erit, quam de misericordia.* P. Texier in Dominicali sermone pro prima Dominica Adventus.

Habac. 3.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.

TErriti apud Jerosolymam, qui venerant Judæi, Pagani, Catechumeni, omnes sunt baptizati; dicuntur baptizati fortasse septem millia hominum; signum CHRISTI in vestibus Judæorum baptizatorum apparuit; relatu fratrum fidelium constantissimo ista nunciantur. August. serm. 20.

Illo

Ille enim, CHRISTUS scilicet, si deformis esse noluisset, tu formam quam perdideras, non recepisses. Pendebat ergo in Cruce deformis; sed deformitas illius pulcritudo nostra est. Hujus deformitatis signum fronte portamus; de ista deformitate CHRISTI non erubescamus. Auguſt. ſerm. 27.

Quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsam frontem, lapide superveniente, dejectus est Goliath; evacuata est frons, qua habebat impudentiam superbiæ suæ, & vicit frons, qua habebat humilitatem Crucis CHRISTI. Auguſt. ſerm. 32.

Propterea & nos signum Crucis in fronte portamus, qui illud intelligit: propterea hoc dico fratres; quia multi hoc faciunt, & intelligere nolunt; factorem quærit Deus signorum suorum, non pictorem; si portas in fronte signum humilitatis CHRISTI, porta in corde humilitatis CHRISTI imitationem. Idem ibidem.

Ament vobiscum CHRISTUM, qui ab ipso, quo videbatur victus vicit orbem terrarum; vicit enim orbem terrarum sicut videmus, fratres, subjecit Potestates, subjugavit Reges non superbo milite, sed irrisa Cruce; non saviens ferro, sed pendens ligno; patiendo corporaliter, faciendo spiritualiter. Illius corpus erigebatur in Cruce, illi mentes Cruce subdebant. Denique qua gemma pretiosior in diademate, Cruce CHRISTI regnantium in fronte. Idem ſerm. 5.

Hanc ergo conversationem coapta Cruci CHRISTI. Idem. Serm. 53.

Non frustra ergo Crucem elegit, ubi te huic mundo crucifigeret: Nam latitudo est in Cruce transversum lignum, ubi figuntur manus propter bonorum operum significationem: longitudo est in ea parte ligni, qua ab ipso transverso ad terram tendit, ibi enim corpus crucifigitur, & quodammodo stat, & ista statio perseverantiam significat. Idem ibidem.

Altitudo autem in ligno est, quod ab eodem transverso sursum versus ad caput eminet, & ea significatur supernorum exspectatio. Idem ibidem.

Ubi profundum, nisi in ea parte, qua terra defixa est; occulta enim est gratia, & in abdito latet; post hæc, si comprehenderis hæc omnia, tunc jam extende te si potes, ad cognoscendam supereminentem scientiam CHRISTI. Idem ibidem.

Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, scilicet inter hujus maris fluctus, Crux est CHRISTI in qua signamur, & ab hujus mundi submersionibus vindicamur. Idem ſerm. 65.

Nunquid adhuc contemnendus est in Cælo sedens, si contemptus est cum penderet in ligno? agitaverunt caput, qui eum crucifixerunt, & ante Crucem ejus stantes dicebant, si Filius Dei es, descende de Cruce; sed ut cognoscatur Dei Filius, non descendit de Cruce. Ait enim Centurio, vere Filius Dei erat homo ille. Idem ſermone 87.

Sed quia ipse honoraturus erat Fideles suos, prius honoravit Crucem in hoc sæculo, ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi, & quod eum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam Reges in fronte perant. Idem. Serm. 88.

Magnum est scire CHRISTUM crucifixum, sed ante oculos parvulorum, tamquam involutum posuit thesaurum: quanta habet intus iste thesaurus! Idem ſermone 161.

In hac quidem Cruce per totam istam vitam, qua in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere in evellendi clavos. Idem ſerm. 205.

Ne dubitares, ne erubesceres, quando primum credidisti, signum CHRISTI in fronte, tamquam in domo pudoris accepisti. Idem ſerm. 215.

Noli ergo erubescere ignominiam Crucis: quam pro te Deus non dubitavit excipere, & dic cum Apostolo; mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU CHRISTI. Idem ſerm. 215.

Crux CHRISTI nobis totius caussa beatitudinis est; hæc nos a cæcitate liberavit erroris; hæc a tenebris reddidit luci, hæc alienos Deo conjunxit, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abundans largitio. Idem in ſerm. de Paraſceve.

Hodie Crux fixa est, & sæculum sanctificatum est; hodie Crux fixa est, & dæmones dispersi sunt; hodie Crux vicit, & mors victa est; hodie diabolus victus est, & homo solutus, & Deus glorificatus est. Idem ibidem.

Crucem, ut in ea glorienur, dominus suo gestans humero pro virga Regni nobis commendavit, quod est grande ludibrium impiis, grande mysterium piis, & unde Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia, & gloria. Idem in Epiſt. ad Galatas.

Signum Crucis a nobis expellet exterminatorem, si ramen cor nostrum CHRISTUM habeat inhabitatorem. Idem in Joannem.

Dei Filius sustinuit ignominiam crucis, & tu beatos putas, qui felicitate istius sæculi, & deliciis perfruuntur. S. Hieron. in Epiſt.

Duobus modis Crux tollitur, cum, aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Idem.

Invenimus nos in Cruce gloriam: nobis qui salvamur, Dei virtus est, & omnium plenitudo virtutum. S. Bern. ſerm. 1. de Reſurr.

Crux est humilium tuitio invicta, superborum dejectio, victoria CHRISTI, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, via justorum. Caſſiodorus in Pſalm. 11.

Crux est Christianorum spes, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. S. Chryſoſtomus.

Crux CHRISTI clavis est Paradisi. Joann. Damaſcenus lib. 4.

Signo Crucis omnia auspicanda. Ambroſius ſermone 47.

In Cruce omnes inveniunt virtutem. Chryſoſtom. de Cruce, & latrone.

Crux omni cultu dignior est. Idem adverſus Gentiles.

Crux gloriandi est piis materia. Chryſoſtomus in Epiſtola ad Galat.

Crux vitæ fons est. Idem ad Populum Antiochenum.

Crux CHRISTI nobis est multorum bonorum caussa. Auguſt. ſerm. 29.

Tanta vis Crucis CHRISTI, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nulla superare possit invidia, sed continuo ad ejus præsentiam, totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus. Origenes in Comment. cap. 6. Epiſt. ad Romanos.

In Cruce constitui divitias salutis, eam tutum præbere iter, & per eam conciliari mundi judicem certissime scio. Bernardus in Cantica.

Crux desperatorum spes, navigantium gubernatio, fluctuantium portus, oppugnatorum refugium, afflictorum consolatio. S. Ephrem ſerm. de S. Cruce.

Crux Ecclesiæ firmamentum, atque orbis terrarum securitas. Idem ibidem.

Nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat: hic sit tibi cibus, & potus, desiderium tuum, meditatio tua, oratio, & contemplatio tua. Bernardus in ſerm. Honeſtæ vitæ.

Crux facta est statera Corporis CHRISTI, quod est Ecclesia: cum enim ipse crucifigeretur, cum ipsa appensa sunt peccata, qua commisimus. Idem Homil. de 2. vigilia Paſchæ.

Crucis ignominia facta est credentium gloria. Idem ſerm. 4. de Aſſumptione Virginis.

Attende gloriam Crucis ipsius; jam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem; Dominus domuit orbem non ferro, sed ligno. S. Auguſt. ſerm. 54.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hauriri possit in hoc argumento.

MOnuimus jam quo in ſenſu conſideramus Crucem JESU CHRISTI; agendum ſupereſt de cultu eidem adhibendo, de bonis, quæ inde recepimus, & de illis, quæ nobis ſperanda ſuperſunt; de iis, quæ per fidem nobis credenda ſunt, & quæ nos docet Theologia. Re adhuc integra nobis credendum eſt, Dei Filium cum ſeſe Cruci conjunxerit vinculis acerrimis, arctiſſimiſque, ipſam eodem cultu eſſe adorandam. Eccleſia enim divino ſpiritu afflata, & directa reſpicit illam tamquam cauſſam ſalutis humanæ, fontem gratiarum omnium, omniumque bonorum; ita ut ſemper ſupponere oporteat, dici poſſe de Cruce erga ſalutem hominum, quod dici poteſt de JESU CHRISTO; unicam videlicet eſſe ſpem noſtram; per illam juſtos creſcere pietate, & peccatores veniam obtinere peccatorum ſuorum; quod expreſſum eſt in Hymno, quem Paſſionis tempore canit Eccleſia. *O Crux ave ſpes unica, auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam.*

Quid intelligimus per crucem; & quod J. C. proprium eſt de Cruce quoque dicimus.

Animadvertendum eſt tamen cum Theologis, qui accuratius loquuntur, quam myſtici, ubi dicimus Crucem cauſſam eſſe ſalutis humani generis, tunc intelligi ſupplicium, quod Salvator paſſus eſt in Cruce, quæ fuit illius inſtrumentum; & ubi fit ſermo de victoriis ab illa relatis de inferno, & peccato, meminiſſe opus eſt hæc Oratorio more dici; Oratores enim tribuunt inſtrumento, quod proprium eſt cauſſæ efficientis, non ſecus ac gladio Victoris acceptæ referuntur victoriæ de hoſte ab eodem relatæ.

Quomodo Theologice de hoc argumento fit loquendum.

Crux, quæ infamis erat, facta eſt glorioſa.

Crux, quæ erat antea noviſſimus infamiæ gradus, facta eſt honorabilis, glorioſa, noſtriſque adorationibus digna. 1. Quia imbuta fuit cruore Filii Dei. 2. Quia Salvator illa uſus eſt tamquam inſtrumento ſuarum victoriarum de morte, peccato, & inferno, quod dicendum eſt non ſolum de ligno veræ Crucis, cui Dei Filius affixus fuit, ſed de ceteris quoque cru-

crucibus, quæ illius sunt imagines: ita videmus primum Christianum Imperatorem legem tulisse, qua cautum est, ne crux impositorum adhiberetur in supplicium nocentium propter reverentiam Salvatori debitam, & Cruci, cui ille confixus fuit.

Crucis adoratio in Ecclesia semper adhibita.

Omnis antiquitas non solum Crucis cultum probavit, sed semper usa est Adorationis vocabulo, quod omnium sæculorum fide probatur. Lactantius, qui Constantini tempore florebat, hoc palam ait: *Flectite genu, Lignumque Crucis venerabile adora.* Poeta Sedulius ait: *Nemo ignorat speciem crucis esse colendam;* quod argumento est hanc fuisse veritatem indubiam, & ab omni Ecclesia receptam. S. Ambrosius idem docet. S. Hieronymus narrat de Sancta Paula, quæ *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Et Tertullianus, qui secundo vivebat sæculo, testatur Christianos ab Ethnicis appellatos fuisse, *Religiosos Crucis;* quod liquido ostendit ab ipsis Christianismi incunabulis Crucem in honore, & veneratione habitam fuisse.

In carmin. de Passion.

S. Ambros. de obiti Theodosii.

Tertullian. in Apologet. c. 16.

Quid credat Ecclesia de Crucis adoratione.

Imago, vel repræsentatio rei Sanctæ, proprie, & in semet considerata nunquam colenda, vel adoranda est eodem cultu, quo res ipsa, cujus imago est, & repræsentatio; quod sexto Concilio definitum est. Itaque cum Crucem adoramus non in materia, neque in figura crucis adoratio nostra terminatur, sed in JESU CHRISTO crucifixo, quem Crux nobis repræsentat. Tamen Crux quatenus repræsentatio Salvatoris, qui *illi* confixus fuit, in semet coli debet, quemadmodum sacra vasa, divinis ministeriis dicata, reverentiam merentur, & sacrilegii nomine damnaretur, qui illa polluveret. Dicimus autem *cultum*, qui Cruci adhibetur, si spectetur tamquam *in illa* terminatus, referri ad adorationem, & adorationis nomine nuncupari, ut secernatur a cultu, qui adhibetur imaginibus Sanctorum, qui nonnisi venerationis nomine appellandus est, qui semper minor est illo, qui Sanctis ipsis tribuitur. Sed cum adoratur Crux in Templis nostris, in Aris, & in locis ubi exposita est, semper colitur cultu, qui dicitur relatus ad Salvatorem, ideoque latriæ cultus vocatur.

Hæretici, qui pati nequeunt nomen adorationis in *iis*, *quæ vere non sunt Deus*, nil habent, quod objiciant; quoniam JESUS CHRISTUS verus Deus a nobis adoratur *in Cruce*, & *iniqui sunt judices*, si nos insimulant idololatriæ. *Hoc tamen discrimen est* inter veram Crucem, *in qua Dei Filius passus est*, & alias, quæ *non sunt nisi primæ illius imagines*, quod cum veram colimus Crucem cultus noster magis immediate tendit in Salvatorem, cum quo majorem habet nexum, atque rationem, utpote quæ imbuta fuit illius sanguine, & fuit illi instrumentum, ut salutem nostram operaretur.

Crux Salvatoris electa, & præscripta fuit, ut satisfieret divinæ justitiæ.

Crux Salvatoris præscripta, ac determinata fuit in æternis consiliis, ut esset medium nostræ salutis. Deus enim prævidens peccatum, & lapsum Adæ, prævidit simul satisfactionem, quam Filius suus traditurus erat divinæ justitiæ; & prævidens fore, ut arbor scientiæ esset occasio nostræ calamitatis, providit etiam atque præcepit, ut Crux esset remedium, quemadmodum canit Ecclesia. Quapropter cum primi parentis nostri inobedientia de vetito fructu manducantis fuerit origo, & causa nostræ infelicitatis; Crux quoque fuit origo beatitudinis nostræ per Filii Dei obedientiam: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Ad Ephes. 2.

Salvator libere subjecit se mandatis Patris sui, & acceptavit hoc supplicium & adimplevit salutis nostræ mysterium.

Sciens Filius Dei, se a Patre suo ab æterno destinatum fuisse Cruci ad reparandum orbem terrarum, Cruci inquam, quam a sæculorum primordiis figuræ illi præparaverant, & annunciaverant Prophetiæ, illam acceptavit ex corde, ibique magnum salutis nostræ opus adimplevit, pro quo venerat in terram; ita ut Crucis mysterium, quod latebat sub umbris legis, sub figuris, & ænigmatibus, modo sit universo mundo apertum, & manifestum. Inde Evangelistæ animadverterunt, in obitu Salvatoris velum Templi in duas partes discessisse: *Velum Templi scissum est*, ad innuendum, S. Augustinus ait, mortem JESU scidisse velamenta, & ænigmata legis antiquæ, & ostendisse veritatem mysteriorum, sub velo figurarum, & Prophetiarum antea latentium.

Crux in Filio Dei non fuit pœna, sed punitio criminum humanorum, pro quibus satisfacere voluit.

Proprie loquendo Crux non fuit supplicium, vel pœna ratione Salvatoris; Sanctitas morum, & vitæ innocentia abstulit nomen odiosum supplicio, sed quemadmodum ipse ultro præstiterat se vadem, & cautionem pro peccatoribus, & seipsum in eorum locum suffecerat, dicere licet, severitatem justitiæ Patris sui puniisse in persona Filii sui offensiones omnes, quas acceperat ab hominibus. *Quia non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Vi conventionis, quam pactus fuerat cum Patre suo, factus fuerat quodammodo peccator; videlicet victima pro peccatis nostris, & subiit onus omnium delictorum mundi... O Deus, quonam insigniori exemplo poteras nobis tuam ostendere iracundiam, nisi hanc inveniens crucem qua temet ulcisceretis, & delicta nostra punires, quamvis tot, ac tam validæ obsisterent rationes ex parte dilecti Filii hujus, quæ a severo hoc supplicio illum dispensare debere videbantur.

1. Ad Cor. 5.

Poterat Deus sine Crucis sacrificio peccata dimittere, sed facilitas, atque securitas veniæ obtinendæ viam aperuisset omnibus criminibus; nam exemplum Dei morientis in Cruce, cujus vel sola cogitatio sceleratissimum quemlibet cohibere potuisset, satis validum non est ad hominis concupiscentiam frangendam: nullum erat convenientius remedium inveterato, ac profundo vulneri, per peccatum ulcerato, quam Sanguis JESU CHRISTI effusus in Cruce. Hinc fit nulla esse Sacramenta, nulla mysteria, nullas Religionis cæremonias sine signo Crucis; quoniam omnia suam habent virtutem, & efficientiam a Cruce, & signum hoc revocat in animos nostros principium omnium gratiarum, quæ inde tamquam ex inexhausto fonte demanant.

Poterat Deus hominibus parcere, quin exigeret mortem Filii sui in Cruce; cur ergo exegit.

Ad criminum nostrorum expiationem, acquisitionem virtutum, æternamque vitam comparandam nihil salubrius, & efficientius est, S. Augustinus ait, quam cogitare quid passus fuerit Deus in Cruce pro salute nostra: *Nihil tam salutiferum est, quam cogitare quanta pro nobis pertulit Deus-Homo.* Albertus Magnus Magister S. Thomæ, innixus huic auctoritati S. Augustini dicit, annum integrum in pane, & aqua jejunare, corpus suum maximis, & gravissimis mortificationibus subigere, die qualibet omne Psalterium recitare, non tantum prodesse ad salutem, quantum prodest crebra Crucis, & passionis JESU CHRISTI memoria; hæc enim assidua Crucis meditatio multo majorem habet vim ad attollendam mentem nostram ad cognitionem veritatum æternarum, ad expiandum cor nostrum ab inordinatis rerum creatarum affectionibus, ad corda nostra divino amore inflammanda. Adde his, omne hominum genus fructum uberem percipere posse ex cogitatione, & meditatione Crucis. Incipientes ibi validas rationes invenire ad scelera sua execranda; proficientes ibi invenire, unde crescant in omni genere virtutum; & perfectos ibi acquirere posse unionem cum Deo per caritatis fervorem.

Memoria, & præsentia Crucis, & passionum Salvatoris nobis coram Deo est meritoria.

Non fortuito, neque invitus Crucis supplicium subiit Deus, & liquido hoc probat S. Augustinus per hæc S. Petri verba ad Judæos dicentis: *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus impiorum affligentes interemistis.* Vobis traditus est, & vos illum posuistis in manibus impiorum, ut illum in Cruce interficerent: sed nihil actum est, nisi quod decreverat & præviderat Deus. Sed cur, inquies, Salvator sibi hoc supplicii genus præ aliis delegit? Ille unus tenet causam: tamen Patres, atque Doctores quasdam excogitarunt, nobisque in hoc magna mysteria proposuerunt. Sublimis Crucis pars, ex S. Gregorii Nysseni sententia, significabat JESUM morientem, nobis Cælum aperire debere; pars ima, illum descendentem ad inferos inde spolia esse ablaturum, brachia duo, quæ Ortum, & Occasum respiciebant, sanguine ipsius delenda esse peccata omnium populorum. Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus, Sanctus Bernardus ajunt præcipuum Crucis mysterium in eo contineri, quod Apostolus vocat, altum, latum, longum, & profundum; quia hæc quatuor deprehenduntur primum in attributis Dei; altitudo in potentia, profunditas in sapientia, latitudo in bonitate, longitudo in æternitate. Designant quoque JESU CHRISTI patientis virtutes, in latitudine caritatem, in longitudine patientiam, in altitudine obedientiam, in profunditate humilitatem; sed post omnia ratio vera, propter quam elegit Deus Crucis supplicium ea est, quam tradit D. Thomas; videlicet, supplicium hoc visum esse JESU CHRISTO convenientius ad reparandam & Patris sui gloriam, & salutem hominum.

Actor. 2.

S. Hieron. in Epistola ad Epiphan.

S. August. ad Honor.

S. Bernard. l. 5. de considerat.

In Cruce, & per Crucem Salvator fecit justitiæ Patris sui.

Infinita satisfactio quæsita est ad persolvendum immensum debitum, quod contraxeramus, & per hoc ad mulcendam divinam justitiam. Nostis Sanguinem Dei effusum in Cruce effeciisse hanc satisfactionem noxæ parem, & hoc fuisse pretium nostræ redemptionis; sed hunc infiniti meriti Sanguinem effusum fuisse in Cruce. Ibi Homo-Deus vitam adeo pretiosam consummavit; Hæc ara fuit, in qua victima fuit immolata. Ratio est, quod aliud quodlibet supplicium, præter Crucis potuisset quidem divinæ justitiæ satisfacere; sed non satisfeciisset immensæ caritati Salvatoris, qui subire voluit maximum, & contumeliosissimum tormentorum omnium: hæc fuit integerrima satisfactio, quæ fieri poterat Deo per Hominem-Deum, qui illam tamquam accommodatissimam acceptavit. Non quod, S. Augustinus ait, non potuerit alias satisfaciendi rationes invenire: sed quia hæc visa est accommodatior, efficientior, atque salubrior. *Non quia modus alius non fuit, sed quia convenientior alius non fuit.* Ita Crux effecta est magni hujus operis participeps; per illam adimplerum fuit, quia actiones cetera respiciebant extremum hoc supplicium tamquam finem, qui eas erat coronaturus; hoc, verbo dicam, illud erat, cui nostra salus potissimum inhærebat. Hæc igitur Crux particeps est gloriæ, quam meretur Dei Filius eo quod redemerit homines, & hæc nobis inspi-

inſpicienda, & conſideranda eſt tamquam ſalutis noſtræ inſtrumentum, & tamquam monumentum æternum immenſæ caritatis Dei, qui credidit parum eſſe de Cælo in terram deſcendiſſe, niſi inde aſcendiſſet in Crucem ad flectendam per hoc objectum iram Patris ſui, & brachium ejus jam ſublatum, ut omne ultionis ſuæ pondus in nos exoneraret.

Nihil nobis melius oſtendere poteſt pœnæ magnitudinem, quam peccatum meretur, niſi Crux Salvatoris.

Si Divina Juſtitia reliquiſſet omnes mortales ipſorum calamitati, & in miſeros exercuiſſet omnia inferni ſupplicia per omnem æternitatem, minus auſtera viſa fuiſſet, quam cum exegit pro ſcelerum noſtrorum expiatione Crucis ſupplicium ab Homine-Deo. Ideo nihil melius poteſt nobis oſtendere malum terribile, in quo nos peccatum implicuit, quam cogitare Deum voluiſſe in Cruce mori, ut nos ex eo liberaret: ſimulque nobis judicium ferendum eſt; quænam ſit pœna, quam reprobis deſtinavit Deus, qui neglexerint medium, quod illis exhibet in perſona Filii ſui, qui onus hoc ſubiit: hoc enim conſiderandum, Salvator bajulans Crucem ſuam in Calvarium, propoſuit piis mulieribus, quæ miſeratæ triſte illud ſpectaculum compaſſionis lacrymas effundebant: *Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si Deus adeo ſevere punit in Filio ſuo crimina aliena, quibus erat onuſtus: quo ſupplicio puniet ſcelera noſtra, niſi præverterimus malum hoc per Crucem, cujus remedium nobis ſuppeditavit?

De Signo Crucis.

Signum Crucis eſt Chriſtiana cæremonia repræſentans Paſſionem Filii Dei per expreſſionem figuræ Crucis. Cæremonia hæc præfigurata fuit in veteri Teſtamento per benedictionem, quam Patriarcha Jacob dedit filiis ſuis manibus decuſſatis, & per orationem Moyſis contra Amalecitas manibus in aerem ſublatis, & alias figuras, quas afferre longum eſſet. Docet nos Traditio, cæremoniam hanc incœpiſſe tempore Apoſtolorum, & Sanctus Auguſtinus refert Sanctum Paulum ſigno Crucis ab Anania fuiſſe notatum, & idem aſſerit protomartyrem Sanctum Stephanum habuiſſe in fronte ſignum hoc martyrii ſui tempore, ita ut cum quæritur ratio doctrinæ hujus, non ſecus ac aliarum Eccleſiæ cæremoniarum, reſpondendum ſit cum Tertulliano, earum auctoritatem proficiſci a Traditione, inſtitutionem ab Eccleſiæ praxi, & obſervantiam a fide. Signum hoc dicitur Signum Chriſtiani, quia ſecernit veros Chriſtianos ab Eccleſiæ inimicis, Judæis, Gentilibus, Infidelibus, & *Hæreticis illorum temporum, qui exhorruerunt hoc ſignum*. Quod ſpectat ad virtutem, & miracula, quæ toties operatum eſt, proficiſcuntur a Sanctitate, quam per mortem, & Paſſionem ſuam JESUS CHRISTUS illi communicavit.

Lib. de Corona milit. cap. 3.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quomodo Filius Dei reddiderit Crucem ſuam glorioſam, & quomodo eā colere poſſimus.

OMnis JESU CHRISTI, quatenus hominis gloria in Cruce ſita eſt. *Humiliavit ſemetipſum*, S. Paulus ait, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Sed ſi JESUS accepit gloriam a Cruce, ipſe etiam huic Cruci partem gloriæ ſuæ communicavit. Conjice oculos, S. Auguſtinus ait, in ſublimem hunc gloriæ fulgorem, ad quem modo Crux exaltata eſt. Crux hæc, cui olim inſultaverunt Judæi, modo ſummo cum honore in maximorum Principum fronte refulget. Quæ ſignum erat opprobrii, facta eſt triumphans Religionis vexillum. Qui olim infami huic ligno ſuſpendebatur, maledictus erat; ſed poſtquam ibi mundi Salvator clavis confixus fuit, ille maledictionem in benedictionem convertit. Martyres omnes, qui pro JESU CHRISTO eam paſſi ſunt mortem, quam ipſe pro illis pertulit, ſed qui præſertim animam efflarunt in Cruce, veluti Sanctus Andreas, ut ille, Crucem hanc honoraverunt. Verum eſt, illam debere in origine ſua omnem ſanctitatem, & gloriam; ſed ſi mundi Salvator non habuiſſet mortis ſuæ imitatores, niſi diſcipulos reliquiſſet, qui, ut ille, Crucem appetiiſſent & ſanguinis baptiſmum, quo omnes humanæ naturæ maculas deterſit; Crux in primum cecidiſſet opprobrium; ſed cum membra una cum capite fuerint Cruci confixa, omnia aliquid contulerunt huic triumpho Crucis, quo fit adeo venerabilis in Eccleſia. Nobis calcanda ſunt magiſtri, ac diſcipulorum veſtigia, in nobiſmet Crucem adorare debemus, & paſſiones noſtras virtutibus JESU CHRISTI crucifixi ſanctificare. Ah! ſi nobis eſſet pars aliqua ſacri hujus ligni, in quo divinus Salvator expiravit, qua reverentia geſtaremus illam? Tribulationes noſtræ potiori jure ſunt pars Crucis illius, & illas nihilominus perhorreſcimus? *Ex ſpeciminibus ſermonum pro Adventu, & ſermone de S. Andrea.*

Meditari debemus myſteriſi Crucis.

Sine profunda meditatione, nunquam ſcrutabimur myſterii Crucis profunditatem. O ſi poſſem dicere Auditoribus meis, quod Agæo Proconſuli dicebat S. Andreas! *O ſi ſcires myſterium Crucis!* vel ſi crucitanæ mulieri Salvator: *O ſi ſcires donum Dei!* Si noſtrum expiationis meritum Dei Sanguinem, vitamque ſuam effundentis? Ut igitur rite aſſequamur ſingulare hoc beneficium, ſæpe meditandum eſt; ſæpe profundis contemplationibus, quod ſanctiſſimi viri fecerunt feliciter, noſmet immergere oportet in hanc infinitam abyſſum bonitatis Dei morientis in Cruce. Profecto omnia Dei beneficia ſunt magna, & admirabilia univerſa opera ejus: ſed cum loquimur de Cruce, S. Paulus ait: *Dei ſapientiam loquimur in myſterio, quæ abſcondita eſt;* Serio cogitare debemus, & alte meditari, ut ibi detegamus virtutem, & fortitudinem Dei, quæ ibi latet ſub maximæ infirmitatis ſpecie. *P. Texier in peculiari Tomo myſteriorum, ſermone de Paſſione.*

Joann. 4.

Ita eſt, Crux adorabilis Salvatoris mei, tibi noſtram debemus felicitatem; tu nos de morte liberaſti; tu deleviſti chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; etenim idem Textus, quo docemur, æternum Patrem impoſuiſſe Filio ſuo omnium hominum peccata, docet etiam, illum ſubiiſſe pœnas, quæ illis debebantur. Ecce, o Chriſtiani, quid mutaverit Crucis ignominiam in incomparabilem gloriam; & horrorem noſtrum in cultum, & venerationem, quod cum eſſet Crux ſupplicium nocentium, & inſtrumentum mortis, facta ſit cauſſa humanæ ſalutis, & fons vitæ, ex quo Dei Sanguine imbuta fuit; quamobrem nos demiſſiſſima illi debemus obſequia noſtra, quæ illi præſtat Eccleſia, & præſtari jubet feſtis diebus, quos in illius honorem dicavit. *Auctor ſermonum in omnia argumenta; in ſermone hujus argumenti.*

Cruci debemus noſtram fidelitatem.

Foveamus, Fratres, ſenſus, & affectiones, quas ex nobis Crucis exigit Myſterium; demiſſa cum humiliatione adoremus ſaluberrimum hoc ſignum ſalutis; ad magnum hoc ſpectaculum afferamus ſenſus pares magnitudini objecti, ingratitudini cordis noſtri, præparemus noſmet ſeria hujus myſterii cogitatione & meditatione enormium delictorum noſtrorum, quæ toties JESUM CHRISTUM crucifixerunt. Memineriminus Crucis hujus adorationem ſimul eſſe honorariam noſtræ infidelitatis mulctam, grati animi actionem, perfugium confidentia plenum erga Salvatorem noſtrum in Cruce diſcumbentem, ubi pro nobis partus doloribus laborat; obſequium erga Regis noſtri ſolium, & tandem officium, quod nobis in memoriam revocat quidquid debeamus JESU CHRISTO crucifixo, qui ut erueret nos de ſervitute peccati, mori debuit, & mori per Crucis ſupplicium; hanc imaginem Crucis inſtaurare in nobis quidquid debemus JESU CHRISTO morienti. Hæc præcipua eſt Eccleſiæ devotio: ita videmus Crucis vexillum ubique fulgere; & reipſa, quandoquidem tota occupatio noſtra in hac vita eſt impugnare peccatum, adnitamur illud in nobiſmetipſis interimere: ubi nam aptius inveniemus objectum, quam Crucis, in qua peccatum per JESU CHRISTI mortem delectum eſt? Ubi inveniemus vires ad illud profligandum, niſi in vulneribus Salvatoris? Quod in noſtris tentationibus perfugium? Quod in laboribus noſtris ſolatium? Quæ arma ad repellenda tela venenata tentatoris, niſi huic opponamus Crucem, qua victus fuit? *Fugite partes adverſæ; vicit Leo de Tribu Juda.* Nos igitur, ut Sanctus Petrus hortatur, armemus hac cogitatione, JESUM CHRISTUM paſſum eſſe Crucem, ut noſtrum deleret peccatum; in ea manus ſuas extendiſſe, ut nos invitaret ad ſe, ſimulque nos armemus hac S. Pauli ſententia hortantis, ut *deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta. Auctor recens.*

Quibus ſenſibus adorandā ſit Crux J. C.

Officium Eccleſiæ.

Hebr. 12.

Throni Regum, Judicum Tribunalia, Doctorum Cathedræ in locis eminentibus debent collocari, ut eorum dignitas dignoſcatur. JESUS CHRISTUS aſcendit in Crucem tamquam Rex in ſolium ſuum. Ita omnis natura illum agnovit, eique tamquam Domino ſuo præſtitit obſequium; Ex quo in throno hoc ſedit, Sol per Ecclypſim, terra jugibus tremoribus ſuis, monumenta reddendo mortuos ſuos: aſcendit in Crucem tamquam Judex, nunc magis quam alio quovis tempore mundi princeps judicatur, & condemnatur. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; & ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*: Ita in Cruce, quaſi in Tribunali pœnitentem abſolvit, & improbum, quem minime pœnitet, damnat. Denique JESUS CHRISTUS in Cruce, tamquam in Cathedra vehementius, quam in alia quapiam vitæ ſuæ circumſtantia prædicat. Princeps Apoſtolorum illum audire nos jubet de Cruce prædicantem, & Gentium Doctor nonne docet in Cruce eſſe Evangelii compendium, & JESUM CHRISTUM nunquam præſtantiora dogmata edidiſſe? *Bircat Tomo 3.*

JESUS CHRISTUS eſt in Cruce, veluti in Throno, Tribunali, & Cathedra prædicantis.

Joann. 3.

Crux J.C. agnoscitur a Judæis & Regibus pro Throno Regni sui.

Throni Regum indigitant elevationem eorum, simulque submissionem populorum hisce Potestatibus, quas Scriptura Deos appellat. Nonne videmus, cum JESUS a Judæis electus fuit in Regem Israel, Principes, & milites, qui eo momento accedebant ad illum, straviſſe veſtimenta ſua ſub pedibus ejus, ut illi thronum attollerent? Et initio Gallicæ Monarchiæ milites nonne ſuper clypeos ſuos Reges noſtros attollebant? Deus nonne poſuit in Sole thronum ſuum:

Pſalm. 18. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum*: Sed ex quo factus eſt homo, mutavit ſedem principatus ſui, & in Cruce poſuit Thronum ſuum. Hoc nomine a Patribus vocatur, qui illum repræſentant regnantem inter ſupplicia. Ibi agnoſcunt adimpletam illam JESU CHRISTI Prophetiam, qua dixit: *Et ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*. Ibi illum adorat Eccleſia tamquam Regem ſuum. *Regnavit a ligno Deus*. Ibi confundit Judæos, quia per hoc Crucis ſupplicium inſultare voluerunt regno JESU CHRISTI, & ibi Sapientia Dei perfectius conſtituit hanc dignitatem, quæ palam pertinebat ad Leonem de Tribu Juda. Pilatus, quin ſciret, æterno Patri obediebat; præter mentem divina exequebatur decreta, & prophetias, quæ titulum hunc Regis promiſerant JESU CHRISTO, ubi eſſet in Cruce. Igitur Crucis inſcriptio fuit promulgatio Regni JESU CHRISTI; fuit Trophæum. Myſterium hoc nobis videntibus adimpletum eſt. Reges, Imperatores geſtant cum gloria in diademate ſuo, & in fronte Crucem JESU CHRISTI, cujus ſe ſubditos profitentur: *Tamquam trophæo cuidam litteras inſcriptas clara voce pro victoria Regem præſentat*, S. Chryſoſtomus inquit. *Idem*.

Joann. 9. Hymnus Officii.

J. C. eſt Rex noſter pluribus titulis, & potiſſimum pro Cruce.

Empti enim eſtis pretio magno. 1. *Ad Corinthios 6.* Crux JESU CHRISTI perſolvit redemptionis noſtræ pretium. Reges ditionem triplici via ſibi comparaverunt; per acquiſitionem, cum armata manu adepti ſunt provincias, & regna, per meritum, cum eorum qualitates corporis, & ſpiritus ſunt ita eminentes, ut populi ſponte ſeſe illis ſubjiciunt. Divine Salvator! propter duplicem hunc titulum noſter es Monarcha; nos triumphali currui tuo propter duplicem hanc cauſſam ſubjeciſti. Glorioſum nobis eſt confiteri nos eſſe famulos tuos, & nos eſſe Regnum

Apocal. 5. tuum: *Feciſti nos Deo noſtro Regnum*. Tandem enim nonne Crucis tuæ meritum eſt, nos a te fuiſſe redemptos? Nonne per Crucem triumphaſti de Mundi Principe, & nos de illius tyrannide in libertatem vindicaſti? *Triumphans illos in ſemetipſo*. Tu non ſubſtituiſti velut Reges terræ arma alienigena, neque ſubditorum tuorum ſanguinem effudiſti; tu ſolus prælia-

Coloſſenſ. 2. tus es, tu tibi fuiſti exercitus tuus. Tu ergo Rex es acquiſitæ hujus ditionis tuæ, quoniam deleviſti Chirographum, pro quo venundati fueramus, & temet affigens Cruci, fatale illud Chirographum affixiſti, *affigens illud Cruci*. Non ſumus ergo amplius noſtri.

2. Corinth. 6. *Non eſtis veſtri, empti enim eſtis pretio magno*. Sed nonne illius etiam ſumus titulo meriti? Amor, quem in Cruce nobis teſtatus eſt, major eſſe non poteſt. Hic amor par eſt humiliationibus Crucis, quæ infinitæ fuerunt. *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem*

Philipp. 3. *Crucis*. Itaque nonniſi propter amorem humiliavit ſe, S. Bernardus ait. Quam potens iſta Crux eſt ad hominum animos conciliandos! Non Angelus, neque aliqua creatura poterat pro nobis ſatisfacere; quia nulla adeſt proportio inter creaturæ meritum, quod exiguis finibus continetur, & juſtitiam Dei repoſcentem ſatisfactionem infinitam: ſed præſertim quia creatura pro nobis ſuſtinens Crucis humiliationes, ut videtur, partita fuiſſet cor, & amorem hominum cum Deo. Tantam Crux habet illecebram, ut ſibi ſternat viam in cor eorum, pro quibus ſe illi objicit aliquis. Per ſubmiſſionem Iſaac in rogo, Dei animus delinitus fuit; & ille promiſit Abrahæ frequentiſſimam ſoboLem. Ita per JESU CHRISTI ſubmiſſionem doloribus Crucis, illi frequens poſteritas fuit promiſſa. *Regnavit a ligno Deus*. *Idem*.

Crux titulus humiliationis probat Regnū J. C.

Num caſu accidit? an potius peculiaris providentiæ effectus eſt, ut unus ex editioribus montibus Jeruſalem fuerit locus, ubi Crucis thronus poſitus fuit? Loci eminentia nonne argumento eſt JESUM CHRISTUM effeciſſe, ut in ipſo etiam infirmitatis ſuæ ſtatu haberetur Rex univerſæ naturæ? Omnia elementa S. Gregorius inquit, ſenſerunt præſentiam, & Majeſtatem Domini ſui in Cruce: Nonne id confeſſus eſt Centurio? Quoniam ſenſit vocem omnium creaturarum, quæ illi ſuum teſtabantur obſequium, cum illis confeſſus eſt, JESUM vere eſſe Regem, & Filium

Joann. ult. Dei: *Vere Filius Dei erat iſte*. Neque obſtat JESUM CHRISTUM non natum eſſe Regem: ſed per æter-

Apocal. 19. nam generationem ſuam, nonne eſt *Rex Regum, & Dominus Dominantium*? Nonne per ipſam etiam temporalem generationem Rex eſt, quandoquidem Filius fuit David, & hæres ſceptri Patrum ſuorum? Sed duplex hoc jus, quod erat illi ad regnum minus cniſuæ ſanctitatem; per puritatem placitorum ejus, quam tuit per fulgorem prodigiorum ſuorum, per doctrinæ per Crucem; ſi optabat felix illud momentum, quo Cruci ſuffigendus erat: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, & quomodo coarctor?* Quia ſua in Crucem elevatio conferre debebat illi poſſeſſionem Regni Patrum ſuorum. Fruſtra ergo, o perfidi Judæi, Regem veſtrum occiditis; fruſtra illum ignoratis. Vivet regnaturus in vos, velitis, nolitis. Promittitis vos in illum credituros, ſi deſcenderit de Cruce; & tunc vos illum Regem veſtrum habituros. *Si Rex eſt* Matth. 27. *deſcendat nunc de Cruce, & credemus ei*. Sed e contra, ut evincat ſe Regem eſſe veſtrum non deſcendet de Cruce: *Auctor recens*.

Videſne quomodo JESUS CHRISTUS in ludibrium vertat omnes hominum niſus? Conantur gloriam illius exinanire opprobriis ſupplicii turpiſſimi, Crucis nempe; & JESUS CHRISTUS patibulum hoc in Tribunal convertit, ubi ſua exercet judicia; per Crucem enim acquirit judicandi poteſtatem; quia ultro ſeſe ſubjecit judicio ipſorum etiam impiorum, a quibus damnatus fuit, ut crucifigeretur; *Crucifigatur*. Æquum erat, ut judicium injuſtum quod acceptabat, eſſet fundamentum, ſimulque ſuæ poteſtatis inſtrumentum: *Omne judicium dedit filio ſuo*. Revera in Cruce mundum judicavit, eumque damnavit. Hoc illud tropHæum eſt quod evertit Imperia, & Regna idololaJoann. 12. trarum, quod idola contrivit, & dæmoniis Templa, & Aras abſtulit. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Et quoniam mundus non erubuerat adorare lignum & lapidem: JESUS ut hanc repararet contumeliam, voluit lignum Crucis adorari, ut ſatisfaceret pro idololatriæ impudentia per ſanctam fidei im-

Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 21. pudentiam. *Ut quoniam non erubuerat homo lapidem & lignum adorare: eadem conſtantia confuſus de CHRISTO pro impudentia idololatriæ talis faceret Deo per impudentiam fidei*. *Idem*.

Crux J. C. eſt Cathedra Doctoris; nunquā melius docuit niſi in Cruce.

Crux JESU CHRISTI fuit lectulus, vel rogus, ubi innocens Iſaac pro ſalute noſtra mortuus eſt. *Lectulus morientis*, S. Auguſtinus ait; verum fuit etiam cathedra docentis. Ubique JESUS CHRISTUS obiit munus Doctoris in deſertis, in urbibus, in montibus, ſecus Jordanem; ubique JESUS CHRISTUS exercuit, quod docuit; ipſe dixit ſe mitem eſſe, & humilem corde; beatum eſſe, qui perſecutionem ſuſtinet propter juſtitiam; ſed in Cruce, magis quam alibi adimplevit Doctoris officium. Et ſane hinc quidem aperiamus Evangelium, inde vero audiamus, quid JESUS CHRISTUS nobis dicat in Cruce. In Evangelio docet praxim Virtutum; ſed illas ita præclare exercet in Cruce; ut ibi ipſe ille eas diſcat, abſit invidia verbo: quod enim de obedientia ſciebat, modicum erat, ſi conferatur cum eo, quod de eadem didicit in Cruce: *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obe-* Ad Hebr. 5. *dientiam*. In Evangelio docet parcere inimicis, & in Cruce amori ejus ſatis non fuit injmicis veniam largiri, ſanguinem ſuum in eorum medicinam convertit, ut eorum ſcelera diluat, & poſtulat Patrem, ut hæc illis medicina applicetur. Ceſſo nunc admirari, cur S. Paulus optaret Scientiam JESU CHRISTI inhærentem Cruci: *Scire etiam ſupereminentem Scientiam* Ad Epheſ. 3. *JESU CHRISTI*. Non petit ille Scientiam JESU in medio Doctorum, non Scientiam JESU in Thabor, cum a Patre ſuo datus fuit omnibus hominibus doctor, non Scientiam JESU, cum vi, & reſponſionum ſuarum æquitate confundit Doctores, & Phariſæos cum Saducæorum ſecta conjunctos: ſed magnus hic Apoſtolus divinitus illuſtratus petit Scientiam JESU Cruci confixi, & de Cruce tamquam de Cathedra docentis: quia ibi, audeo dicere cum ſcripturis, JESUS CHRISTUS adeptus erat Doctoris lauream, & ſcientia illius non poterat augeri, neque major fieri illa, quam de ſacro illo Tribunali tradidit. *Didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam*. Idem.

Natura univerſa, & ipſi etiam mortui audiverunt J. C. tamquam ſedentem in Doctoris Cathedra. Pſalm. 33.

Emiſiſti Domine de Cruce clamorem ingentem, & Pater tuus exaudivit te: *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Munere fungebaris Prædicatoris, in cathedra docentis, & debebas ita clamare, ut vox tua exaudiretur in cælo ad mulcendam Patris tui juſtitiam, & obtinendam miſericordiam miſeris, quos magis, quam te ipſum diligebas. Ingens tibi tollendus erat clamor, quoniam eras in ara tamquam victima ibi immolanda, & audiendus eras, ut Pater æternus reciperet oblationem tuam in odorem ſuavitatis. Quam valida eſt vox tua, ut de hac tuæ Crucis Cathedra exaudiatur? Te clamantem elementa audivere, ac tuis lectionibus docilia, in parmentem tui doloris acceſſerunt. Venerat hora, Domine, qua mortui ipſi audientes vocem Divini hujus Præconis, emergere debebant ex monumentis ſuis, ut docerent homines marmoribus ipſis ſurdiores, & lapidibus, qui ad JESU CHRISTI vocem ſenſibiles ſe præbuerunt. *Idem*.

JESUS omnium hominum formoſiſſimus eſt in Cruce in oculis fidei.

Carnalibus tantum oculis JESUS CHRISTUS in Cruce deformatus videtur. Fides oſtendit nobis in Cruce ſpectaculum dignum Deo, Angelis, & hominibus, Thronus Salomonis in ſublimiori gradu gloriæ ſuæ cedit nitori gloriæ Crucis; ibi JESUS CHRIS- Matth. 12. TUS major eſt Salomone: *Et ecce pluſquam Salomon hic*. Nonne omnes dæmones catenis alligati ſunt

huic

Officium Eccleſiæ.

huic triumphali currui ? *Captus eſt ille, qui tenebat captivum hominem.* Mors victa eſt, Cæli januæ apertæ ſunt, peccatoris vincula effracta ſunt. Aſcendiſti igitur in Crucem, Domine, tamquam in currum triumphi tui; duo Crucis hujus brachia ſunt arma duo terribilia, ubi cum abſcondita ſit divina potentia tua, inimicos tuos profligaſti. *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus; cornua in manibus ejus.* Ex ſacra hac arbore ſtruis ſcalam myſticam; ut nos attollas ad te. Ibi tamquam Dominus, & dominator de vera gloria diſponis illam concedens ſocio ſupplicii tui. Quapropter Eccleſia oſtentans tuæ Crucis vexillum impetus lætitiæ ſuæ cohibere non poteſt, ubi occurrit oculis ejus hoc ſignum noſtræ redemptionis. Vult omnes enodari linguas, ut concinant pugnam, atque glorioſum Crucis Trophæum: *Pange lingua glorioſi lauream certaminis, & ſuper Crucis trophæo dic triumphum nobilem qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.* O Crux adorabilis! Sacra arbor! Beata, quod tuliſti vitæ fructum, & quod omnia reparaſti mala, quæ arbor funeſta mundo pepererat. Lignum adorabile, ubinam radices ſumpſiſti? Demitte ramos tuos coram cæleſti Rege, pretioſa planta! Offer ſacratis membris Salvatoris, quæ te debent adorabilem reddere in omnia deinceps ſæcula brachia tua. Tu ſola digna fuiſti, quæ geſtares hominum redemptionem, quæ rubeſceres ſanguine agni immaculati, & fieres tabula ſalutaris, in qua mundus, qui naufragium fecerat, feliciter ſalvaretur: *Atque portum præparare arca mundo naufrago.* Ex Specimine Panegyricorum Tomo 2.

Cant. Habac.

Hymn. Eccleſ.

Sacramenta ex J. C. crucifixo emanarunt.

JESUS CHRISTUS, qui noluit homines ſalvos facere ſine illis, quamvis illos ſine eorum ope creaverit, ſubjecit illos mediis, quibus gratiam ſuam adnectere dignatus eſt. Sacramenta cum ſanctis diſpoſitionibus illos ſanctificant; ſed undenam hæc ſacramenta ſuam virtutem recipiunt? nonne ex Cruce JESU CHRISTI? Ex vulneribus, quibus confoſſus fuit Eccleſia prodiit; hæc ortum ſuum, conſervationem, & propagationem ſuam debet Cruci. Nulla unquam victima a Cæleſti Patre in ſuavitatis odorem accepta fuiſſet, niſi præfiguraſſet JESUM CHRISTUM in Cruce. Actiones JESU CHRISTI pro objecto habebant divinam hanc Crucem, & nonniſi in Cruce eſt Redemptor noſter. Omnia JESU CHRISTI merita, quæ ſe effuderunt in membra ejus, a Cruce virtutem ſuam mutuantur; & per oblationem corporis ſui in Cruce opus ſuum, & noſtrum conſummavit; *Conſummatum eſt*; & ſi Crux defuiſſet, ſacrificium imperfectum extitiſſet: *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Idem.

Joann. 19.

Ad Hebr. 10.

In Cruce præſertim J. C. cum morte cōfixit, eamque ſuperavit. Joann. 9.

JESUS CHRISTUS nonne omni ſemper tempore habuit claves mortis, & vitæ? nonne ejus arbiter fuit? Mortui reſuſcitati nonne oſtendunt illum ſemper Dominum fuiſſe, cui omnia parebant, quia ipſe vita erat, & reſurrectio? *Ego ſum reſurrectio, & vita.* Tamen nonniſi per Crucem victoriam de morte reportavit. Quoniam gerebat peccati ſpeciem, oportuit ipſum mori. Mors illum tamquam ſuo jure apprehendit, & poſt momentum illud S. Leo cum Eccleſia univerſa dicit, initum fuiſſe prælium inter JESUM CHRISTUM, qui vita eſt, & inter mortem; vicit illam per ſe, cum JESUS CHRISTUS mortuus eſt inter ulnas illius: configamus nos quoque veterem hominem Cruci, ut & ipſi de morte victoriam referamus. *CHRISTO confixus ſum Cruci.* Crux fons eſt vitæ illis, qui emittunt ſpiritum in illa. *Idem.*

Ad Galar. 2.

Crux navis eſt, qua nobis trajiciendum eſt mare hujus mundi.

O homo, S. Auguſtinus exclamat, Cælum eſt Patria tua; illuc tibi tendendum eſt. Sed Cælum inter & te vaſtum mare tranſeundum eſt, quod ſæculum eſt, procellis, ſcopulis periculiſque refertum. Nihil tibi eſt, quod te ſuper profundas haſce aquas ſuſtineat, quæ præſto ſunt, ut te ſubmergant. Venit ad te, ut te in patriam deferat; & ipſe via factus eſt, qua tibi eſt tranſeundum. Via in mari non niſi lignum eſſe poteſt innatans aquis, ac tempeſtati reſiſtens. Lignum hoc eſt lignum Crucis, ex hoc ligno compacta eſt Sancta hæc Arca, hæc Sacra navis, qua ſalvantur animæ: piget te hanc Arcam ingredi? pudet te ligni Crucis? ligni Sanctæ humilitatis, quod unum vulnus ſuperbiæ tuæ ſanare poteſt? pudet ne te ligni hujus, quod rubore ſuffundit ſuperbos, eoſque ſalvos facit efficiens humiles? Inſipiens, ingrate; *mare, mare tranſeundum eſt, & lignum contemnis.* Ex Sancto Auguſtino Tract. 2. in Joannem.

Æneus ſerpens figura J. C. in Crucem ſublati. Joann. 3.

Non Sancti, ſed JESUS CHRISTUS de ſe, & de Cruce ſua eximiam hanc figuram explicuit, quæ manifeſta fuit prophetia quindecim ſæculis antequam in Cruce moreretur prolata. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in illum non confundatur.* Quam figuram ita explicat S. Auguſtinus. Quid eſt æneus hic Serpens, niſi JESUS CHRISTUS in Crucem ſublatus? Mors Salvatoris expreſſa eſt per Serpentem ſecundum communem illam loquendi rationem, per quam cauſſa ſumitur pro effectu; nam ſerpens antiquus mortem introduxit in Mundum, ex quo os homini ſublevit, ut rebellaret contra Deum per ſuperbiam, quæ morte punita fuit. Serpens hic æneus erat, & ſerpentis habebat imaginem, virus autem non ita, ut nobis oſtenderet, pergit S. Auguſtinus, JESUM CHRISTUM nequaquam aſſumpſiſſe peccatum, quod ſerpentis venenum eſt, ſed mortem dumtaxat, quam peperit ſerpens, ut JESUS CHRISTUS deferens in carne ſimili carni peccati, non vero peccatum, ſed pœnam peccato debitam liberaret eos, qui ex carne peccati erant naſciturі. Sed JESUS CHRISTUS exaltatus ſanat, quemadmodum Serpens exaltatus curabat Iſraelitas. Crux igitur repræſentabatur per illud vexillum, ubi ſerpens erat, & rem exprimit ad unguem; ſufficit enim attente intueri JESUM CHRISTUM in Cruce, ut a cupiditatibus noſtris ſanemur. *Sermo Manuſcriptus.*

Crux nos cum Deo reconciliavit.

Quidquid Sanctus Paulus tribuit JESU CHRISTO, Cruci ipſius etiam tribuit. Eratis olim, ait, procul a Deo; ſed cum modo ſitis in JESU CHRISTO, acceſſiſtis ad illum per virtutem Sanguinis ſui. *Nunc autem in CHRISTO JESU, vos qui eratis longe, facti eſtis prope in Sanguine CHRISTI*, atque tunc tribuit Cruci JESU CHRISTI eumdem effectum. Illic, inquit, qui duos populos in unum corpus conjunxit, illos reconciliavit cum Deo per Crucem ſuam deſtruens in ſemetipſo inimicitiam eorum: *Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem; interficiens inimicitias in ſemetipſo.* JESUS CHRISTUS vocatur lapis Angularis; Architecti illum reprobaverant, ſed a Deo electus fuit, ut in caput anguli collocaretur. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput Anguli.* S. Paulus Crucem vocat lapidem angularem, qui duos populos reconciliat: *& reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem.* Qua fronte novatores audent Cruci negare debitam adorationem; quandoquidem hinc quidem Scriptura, inde vero Eccleſia, & prodigia per Crucem patrata, ſunt monumenta, quæ ſanctam hanc probant conſuetudinem, & damnant Chriſtianorum ignaviam, qui ſalutare hoc Signum non eo, quo debent, excipiunt cultu; & noviſſimos hæreticos, qui audacter inſurgunt contra hunc adorationis cultum, quem Cruci defert terra univerſa? *Auctor recens.*

Ad Epheſ. 2.

Pſalm. 117.

Quicumque ſunt CHRISTI adhærent Cruci cum illo. Chriſtianus donec vivit, debet eſſe in Cruce, S. Auguſtinus ait. *In hac quidem Cruce per totam vitam ſuam pendere debet Chriſtianus.* Temeritas eſſet deſcendere, quandoquidem non deſcendit illinc JESUS CHRISTUS, tunc etiam cum Judæi ſe in illum credituros pollicebantur. Tempus avellendi clavos de Cruce JESU CHRISTI, nonniſi poſt mortem illius fuit; igitur *non eſt tempus avellendi clavos*, & exſpectandum eſt, donec ſacrificium noſtrum ſit conſummatum. Crux hæc cui Dei ſervus ſe affixum eſſe gloriari, ut Apoſtolus, debet, qui dicebat Deo: *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JESU CHRISTI.* Hæc inquam Crux, pergit S. Auguſtinus, cui inhærere debet, non dies quadraginta, ſed toto vitæ ſpatio, ille, qui Chriſtianis oculis intuetur illam, contemplatur eam tamquam theſaurum; quia ibi cogitat JESUM crucifixum, & omnia contemnit præ hac Scientia, quæ nonniſi in ſchola Crucis docetur, olim habita tamquam horroris objectum; ſed a JESU CHRISTO ad tantum honorem evecta eſt ad honorandos fideles, qui in ea gloriam ſuam collocarent, ut terræ Principes edicto cautum vellent, ne quis nocentium crucifigeretur. *Sed quia CHRISTUS honoraturus erat fideles ſuos in fine hujus ſæculi, prius honoravit Crucem in hoc ſæculo, ut terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi.* Et Lignum hoc, cui Judæi Dominum affixerunt, illum probris obruentes, factum eſt adeo venerabile, ut Reges deferant illud in fronte, conſiderantes ſe in terra tamquam advenas, non ſecus ac vulgo Chriſtiani conſiderant Crucem JESU CHRISTI tamquam navim, qua in patriam ſunt deducendi. *Quantas ergo vires lacertorum habent, qui natat in pelago? aliquando magnitudine maris victus abſorbetur, & mergitur; opus eſt ergo, ut in navi ſimus, hoc eſt in ligno portemur. Hoc autem lignum, quo infirmitas noſtra portatur, lignum Crucis eſt.* Non aliud eſt medium, quo naufragium evitare valeamus, niſi Crux JESU CHRISTI, per quam conſecramur. *Crux eſt Domini, in qua ſignamur.* Ex S. Auguſtino.

Aug. 205.

Ad Galat. 6.

Serm. 88.

Serm. 75.

Hæretici veri ſunt Crucis inimici; quoniam illius Cultum impugnant.

Quid reſpondere poſſunt Hæretici teſtimoniis, quæ illis afferimus, cum illis oſtendimus, in primitiva Eccleſia, & ab ipſo Apoſtolorum ævo Crucis imaginem ſemper ſingulari in veneratione habitam fuiſſe, & Crucis ſignum ſemper uſum obtinuiſſe apud Chriſtianos? Factum negabunt? Inſurgent in adeo ſanctum inſtitutum? Condemnabunt illud idololatriæ, vel ſaltem ſuperſtitionis nomine? Pro facto, & conſuetudine, rejicere poterunt totius antiquitatis teſtimonium? Eſto rejiciant auctoritatem S. Dionyſii diſcipuli S. Pauli, & apocryphis recenſeant libros de Eccleſiaſtica Hierarchia, ubi ſæpe legimus Eccleſiam in omni-

in omnibus Sacramentis adhibuisse signum Sanctæ Crucis: quid respondebunt Tertulliano, qui secundo vivebat sæculo, & qui asserit, ævo suo Christianos sese signo Crucis armasse, & crebro illud in fronte imprimendo, ipsum quodammodo cavare consuevisse, quia illud in qualibet occasione, & in singula fere momenta sibi imprimebant, sive negotium aliquod, sive actionem aliquam inchoarent: *Frontem signaculo Crucis terimus?* Quid respondebunt Sancto Justino Martyri, ipso Tertulliano antiquiori, qui testatur Crucis imaginem adfuisse in iis locis, in quibus Christiani congregabantur? Quid objicient Sancto Basilio scribenti, Christianos consuevisse se Signo Crucis signare per Apostolicam traditionem, ab Ecclesia receptam? Mendacii redarguent Sanctum Chrysostomum, qui integros edidit sermones de Cultu, & Adoratione Crucis, & qui in libro de divinitate JESU CHRISTI palam memorat Crucem ubique erectam fuisse, & expositam venerationi populorum in Templis, in plateis, in viis, quales nunc fieri consueverunt. Quid post hæc necesse est afferre Augustinos, Hieronymos, Gregorios, omnesque Ecclesiæ Doctores traditionis testes? Aliisne opus est argumentis ad ostendendum hujusmodi reformatores ex illorum esse numero, quos S. Paulus Crucis inimicos appellat; possunt ne post tot tantorum virorum testimonia negare, nos esse primitivæ Ecclesiæ conformes in Crucis adoratione, & usu signi illam repræsentantis; cum illi ipsi secesserint ab hac Ecclesia antiqua, ut aliam sibi recentem ad arbitrium ædificarent: recentem dico, quia ibi non videtur amplius Crux, crucifixus, vel Crucis signum, vel Redemptoris imago, vel ulla nostræ redemptionis nota. Omnia deleta sunt, obliterata, exterminata apud illos veros inimicos Crucis Salvatoris; quoniam postquam cultum impugnarunt, fregerunt, obtriverunt, conculcarunt imagines, ita ut in Urbibus eorum, in Templis, in domibus nullum supersit Crucis vestigium. Ploremus eorum cæcitatem fideles; lacrymæ nostræ majorem vim habebunt ad impetrandam a Deo conversionem illorum, quam disputationes nostræ ad eos persuadendos, & rationes ad pertinaciam eorum perfringendam. *Molinier in sermone de Exaltatione Crucis.*

Libro de Corona milit.

S. Basil. lib. de Spiritu Sancto.

Inter J. C. & Crucem adest gloriæ communicatio.

Mirum non est, quod Mundi Salvator Crucem suam exaltare voluerit, eamque gloriosam efficere, quandoquidem Crux ipsa illi tantam comparavit gloriam; & dicere possumus inter Crucem hanc, & Hominem-Deum, qui eidem confixus fuit, mutuum intercedere gloriæ commercium, per quod alter alteri, quidquid acceperunt sibi ultro, citroque communicarunt. Crux effecit, ut pro Deo ille haberetur, qui inter ulnas suas animam efflavit, & in præmium illa, quæ erat antea mortalium omnium horror, & execratio, facta est objectum cultus, & adorationis, ex quo imbuta fuit Sanguine Filii Dei. Per illam Salvator de mundo, omnibusque infernorum potestatibus retulit triumphum, ut loquitur S. Paulus Apostolus, & vicissim ille voluit hoc esse victoriæ vexillum, sub quo omnes Christiani decertare debent de inimicis iisdem victoriam relaturi. In Cruce ille nos Patri suo reconciliavit; & hæc eadem Crux in æternum erit monumentum pacis, & reconciliationis nostræ. Per Crucem Dei Filius adeptus est absolutum in universam terram imperium: *Regnavit a Ligno Deus*, & videtur Deus Cruci dedisse supremam potestatem in naturam universam; quandoquidem infernus & dæmones contremiscunt ad intuitum glorioli hujus Vexilli. Crux aperuit Cælum JESU CHRISTO, qui primus acquivit illud per eam, & quandoquidem hæc tutissima via est, qua illuc perveniatur; in illa peccatum deletur, & in illa nobis reliquit certissimum præsidium ad veniam obtinendam. In Cruce constitutus fuit Judex, & arbiter sortis æternæ omnium mortalium, & magni judicii die prodire jubebit, consignaturus sententiam, quæ illi erit ferenda: *Tunc parebit signum Filii hominis*. Verbo in Cruce meritus est titulum, & qualitatem Salvatoris, & hoc illi Nomen appositum fuit: & Crux in omnia sæcula signum erit, causa, atque instrumentum salutis nostræ. Igitur nonne fatebimini, Fideles, Crucem hanc esse non potuisse glorioliorem, neque magis exaltari unquam potuisse? *Auctor sermonum in omnia argumenta, &c. in argumentis particularibus. Tomo primo.*

In Hymno Passionis.

Matth. 24.

Gloriosissimum Crucis elogium est, fuisse nostræ salutis instrumentum.

Ex omnibus elogiis, quæ Ecclesia, Patres, & fideles omnes tribuunt Cruci Salvatoris, glorioslissimum procul dubio illud est, quod cetera complectitur, videlicet signum esse, & causam nostræ salutis; itaut quemadmodum victoris ensi acceptus refertur honor victoriæ, quam de inimicis reportavit; & instrumento opus illud, in quo perficiendo adhibitum fuit: non puto necesse esse, me fusius habere sermonem de sensu horum verborum, & de veritate, quam continent; neque alias mihi afferendas esse elucidationes, cum dico, Crucem salvum fecisse mundum, qui sine illa periisset; sicuti diluvii tempore, quo mortales omnes universali diluvio erant involuti, Arca, per quam reliqui salvi facti sunt, jure mundi salus, & naturæ pereuntis refugium appellata fuit, quæ in illa unicam spem nacta est, præsidiumque. Hac similitudine utitur Ecclesia ad innuendam felicitatem quam invenimus in Cruce. Itaque quin latius verba faciam de laudibus beneficii, quo nullum majus inveniri poterit, quandoquidem ceterorum est origo; cogitandum vobis est, qua in re situm sit, ut inde judicetis Crucem non immerito haberi tamquam Signum, & Christiani characterem, tamquam Religionis vexillum, tamquam salutis nostræ instrumentum. *Idem.*

Crux effecit, ut Filius Dei cognosceretur.

Crux cognoscendum tradidit Gentibus Filium Dei, & mox illas adduxit ad cognitionem Veritatis & in viam salutis. Profecto ubi fides illis nunciata fuit, prædicatus illis fuit Deus crucifixus, tamquam articulus difficillimus ad credendum, & quo admisso ceteri facilius admitterentur: *Prædicamus CHRISTUM, & hunc crucifixum*, dicebat Apostolus, ideoque profitebatur, se nihil aliud scire, quam Deum in Cruce positum, quamquam tot alia didicisset arcana ad tertium usque Cælum assumptus. Nam hæc supposita veritas ceteras complectitur, & cum semel persuasum est de Crucis Mysterio, nihil ignoratur eorum, quæ ad salutem sunt necessaria. Ita illa signum est Christiani, & nota, ex qua cognoscitur, quam Religionem fuerit amplexus, itaut quod olim Judæis erat scandalum, & Gentibus stultitia, delectum fuerit, ut manifestaret virtutem, & Sapientiam Dei, & illi ab Angelis, & hominibus adorationes procuraret. Post hæc ne miremini amplius, si Dei Filius vicissim voluerit sibi glorioslum reddere hoc sui supplicii instrumentum: si ab illis usque temporibus veri Christiani Signum illius imprimunt in fronte; si hoc Signum adhibetur in omnibus nostræ Religionis cæremoniis, in omnibus Sacramentis, in mysteriis omnibus, & demum, si omnes terræ portestates coram hoc adorabili signo flectunt genua. Oportet ergo, Fideles, ut in hoc gloriemur, & quin erubescamus, illud nobis honori, atque dignitati veramus. *Idem.*

1. Ad Cor. 2.

Crux, quæ salutis nostræ caussa est, plurimis, eorum vitio, caussa est perditionis.

Mirum sane est, Crucem, quæ nobis omne bonum attulit, facta salutis nostræ instrumentum, vitio nostro fiat occasio interitus nostri, & perditionis; & si postquam Mundum salvum fecerit, aliquando illum damnabit, eo quod usus non fuerit medio adeo præstanti, quod vitam duxerit prorsus oppositam placitis Crucis. Videmus etiam Salvatorem, dum viveret, non solum illam constituisse thronum suum, in quo habitus fuit supremus hominum Dominus; sed etiam Tribunal Judicis, de quo protulit sententias suas gratiæ, & condemnationis; nam simulac illi affixus fuit, alterutri latronum, qui socii erant supplicii, gratiam contulit, alterum vero propter voluntariam obdurationem ipsius, reprobavit; & antequam Cruci affigeretur, pridie quam pateretur, nonne discipulis suis aperuit, tempus adventasse, quo mundus erat judicandus, damnandus, & reprobandus, illi videlicet, qui adhæserant placitis mundi? *Nunc judicium est mundi.* Et profecto sententia damnationis mundi signanda erat in Cruce, & cum eodem Sanguine, qui futurus erat pretium salutis ipsius, si eodem uti dicisset. *Idem.*

Joann. 12.

Crux, quæ ubique fulget, non invenitur in corde plurimorum Christianorum, qui per actiones suas se illi inimicos esse profitentur.

Mundus profecto Idola cæcæ Gentilitatis abjecit, sed illius non ideo vitia reliquit. Mutavit religionem, non mores. Crux in Templis, & in omnibus fere publicis plateis posita est; non autem in corde eorum, qui Deum crucifixum agnoscunt. Non ita, Crux Salvatoris mei! ubique annunciata, & in ipso Regum diademate insita, nunquam tamen collocata fuisti in mente, ac æstimatione Fidelium, qui acrius vitiis suis, vitæque suæ scandalo oppugnant, quam fecerint armis, cruentisque persecutionibus suis tyranni, & infideles; vita enim plerorumque discipulorum Crucis, qui Christiani sunt, est Crucis ejusdem subversio. Hæc illos damnabit aliquando, vel modo etiam argumentum est damnationis eorum, quoniam hi illi sunt, quos Apostolus vocat Crucis inimicos. *Inimicos Crucis CHRISTI, quorum finis, interitus, & gloria in confusione ipsorum.* Etenim quod bellum apertius, sævius, infensius, quam omnia illius in vita sua delere vestigia? quam moribus suis omnem illi abrogare auctoritatem? Quinam infensiores Crucis inimici sunt, quam illi, qui sceleribus suis iterum Filium Dei crucifigunt? *Rursus crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes.* Tandem enim quinam, sententia vestra, illi esse videntur, qui illam magis dehonestant? infidelesne, qui illam omnino non norunt? an Fideles, qui omnino virtutem ejus destruunt? Nunquid ex hoc estis numero vos, qui me auditis Christiani? Ah! cuperem cum Apostolo cruentas effundere lacrymas propter ea mala, quæ imminent vobis? ducentes enim vitam adeo oppositam Crucei, quid vos manet, nisi damnatio, & mors funesta simul, atque æterna? *Quorum finis interitus.* Vos ilam dedecore afficitis vita æque turpi, & criminosa; vos igitur nonnisi æterna manet confusio. *Et gloria in confusione ipsorum.* Idem.

Ad Hebr. 6.

Ah!

Non sufficit exterius Crucem honorare, nisi Crucis deferantur insignia per christianam mortificationem.

Ah! quam parum est extrinsecus Crucem colere, si illam gerere detrectamus? hæc enim inevitabilis est necessitatis, si salvi fieri volumus. Sed Evangelium nequicquam hanc tundit incudem? homines enim sensibus suis addicti semet accommodare nequeunt, & mira illusione sibi persuadent hoc mere consilii esse, non autem præcepti; sed ad ignavos fideles confundendos, & obtinendum, ut & ipsi contra se eamdem ferant damnationis sententiam, satis est oculis eorum subjicere Crucem hanc, & ex illis quærere; utrum adorent Deum crucifixum; utrum sperent æternam felicitatem, quam ille per Crucem ipsis promeritus est; utrum exspectent se adituros aliis conditionibus beatitudinem, quam illis, quas ipse pollicitus est? Temeraria, & mendax esset hæc spes. Sed conditio proposita, & quam ille inevitabilem statuit, hæc est: Matth. 26. *Quisque tollat crucem suam, & sequatur me.* Solus Crucis hujus adspectus, & collatio, quæ facienda erit cum vita tot hominum, qui nullum gerunt Crucis signum, & qui nullo ex loco exprimunt illam, nonne eorum erit damnatio? Hoc mihi timorem, atque trepidationem incutit pro salute tot mortalium, qui se irreprehensibiles putant, & ultra jactum censuræ, quia vitam agunt, non prorsus abnormem, ac flagitiosam, sed tantum abest, quod carnem suam crucifigant, ut immo illi omnes procurent voluptates, ubi palam non vident peccatum, quin cogitent hanc ipsam sufficere causam, ut Cælo prohibeantur, & expungantur ex albo prædestinatorum, quod nullam habuere partem Crucis Domini nostri. Quid enim quid proderit nobis Crucem ubique attolli, si vanitas nostra ultra terminum, atque mensuram intumescit? Quid juvat, illam mutasse Religionem, & ejecisse ab universo mundo cultum Idolorum, si adhuc fuerimus nostrarum voluptatum idololatræ? Quem fructum percipiemus videntes illam ubique gentium coli, vel a potentissimis mundi principibus adorari, si illam in corde nostro horruerimus, atque contempserimus; & si vita nostra, quin vita sit Crucis, fuerit vita voluptatis, atque oblectationis? *Idem.*

Triumphus, & victoriæ Crucis.

Evanescite, Potestates tenebrarum, ad Crucis adspectum evanescite. Omnes dæmones qui mundum mendacibus oraculis suis repleverant, revertantur in æternos carceres, quo illos præcipites egit Dei justitia; & omne genu in inferis non secus ac in Cælo, & in terra flectatur audito JESU Nomine, qui per Crucem suam triumphum retulit *de omnibus Mundi potestatibus. Profecto dæmones ad solum* Crucis signum confugiunt: adorabile hoc redemptionis nostræ signum ubique gentium sublatum totum terrarum orbem emundavit a spiritibus immundis, qui eodem fuerant potiti; omnia climata, ubi tot sæculis JESU CHRISTI floret Religio, crediderunt hæc abominationis simulacra, quæ Patres nostri fictis eorum numinibus erexerant, locum facere sacro huic Vexillo, quod ubique Crucis victorias annunciat: omnes hi genii, quos cæca superstitio sibi tamquam totidem numina proposuerant, evanuerunt, ex quo JESUS CHRISTUS in Cruce manubias de inferno reportavit. *Abbas de Jarry sermone de Magnalibus JESU.*

Solus Crucis & Dei crucifixi adspectus ejus probat divinitatem.

Solum Dei crucifixi spectaculum expositum hodierna die adorationi omnium mortalium indubium est divinitatis ejusdem argumentum; obduratissima quævis impietas hoc debet testimonium veritati: Consilium hoc adeo magnum, adeo præter ordinem, adeo inauditum efficiendi, ut in Cruce positum omnes adorent, tantum aberat, ut ab homine posset adimpleri, ut ne in hominis quidem mentem posset incidere. Dei crucifixio vere scandalum videbatur; sed hæc crucifixio iis addita, quæ illam præcesserunt, & subsecuta sunt, procul dubio eventus est maxime admirabilis, in quo homo cognoscere debet potestatem sua superiorem, & qua majorem ne comminisci quidem posset. JESUS CHRISTUS nobis persuadere volens, se Deum esse, & objectum fieri cultus mortalium non poterat illis videri major, neque adorabilior, nisi in Cruce, ex qua fecit sibi instrumentum suorum miraculorum, & thronum suorum magnalium. Ex hac annihilationis abysso, ubi cogitationes omnes confunduntur, & ratio turbatur, exurgit gloria adeo nitens, radii adeo vividi, ac nitentes veritates coruscant animæ mysterii hujus magnalia meditanti, ut cum Propheta exclamet, o Domine, nimis credibilia sunt testimonia tua! Judæi cæci Messiam vestrum videre cupiebatis caput habentem pretioso diademate redimitum, fulgenti amictum purpura, manusque illius pretioso onustas sceptro, non autem clavis terebratas. Volebatis videre pedes illius magnificum thronum calcantes, non autem Cruci suffixos; sed hæc tormenta, & abjectiones, quæ vobis Messiam vestrum absconderunt, gloriosa sunt signa, quæ illum vobis debebant ostendere. Ita Prophetæ describerunt illum, & hisce characteribus eum connotarunt. *Idem.*

Per Crucem divina justitia recepit satisfactionem parem magnitudini injuriarum, quibus fuerat affecta.

Æque de injuriarum qualitate fertur judicium ex iis satisfactionibus, quas leges imperitarunt, quippe judicium earum minime creditur aberrare. Justitiæ libra tribuitur; præsumitur enim ab illa statui aliqua proportio inter satisfactionem, & injuriam, & ad restituendum ordinem, quem scelus abstulit, admittenda est opposita æqualitas. Quid autem Dei justitia operatur in Cruce, cum præcipit, ut Filius suus ibi moriatur, & ab ipsa immolatur? Id agit, Sanctus Bernardus inquit, quod statera, in qua nostra appendit peccata: *Statera criminum.* Altera quidem in lance locat injurias, quas illi fecimus, in altera vero satisfactiones, quas sibi offert Filius suus per Sacrificium gloriæ suæ in humiliationibus suis, & per Sacrificium Sanguinis sui in morte sua, & inventa proportione, & æqualitate inter ea, quæ passus erat pro nobis, & quæ a Filio suo recepit, jam acquiescit. Hac eadem nos uti suadet Spiritus Sanctus, ut appendamus eadem peccata nostra, quæ commisimus, & ut comparatione facta pretii, quod Salvator persolvit, & culparum, quas ipsi apposuimus, intelligamus, Dei justitiam hanc proferre sententiam. Hæc omnia fecit in pondere, numero, & mensura in ordine universorum, & multo magis in Crucis œconomia. Adest igitur proportio inter satisfactionem, quam postulat, & injuriam, qua Deus fuit affectus: sed pro acceptis injuriis postulat vitam Dei, & judicat necesse ad hoc, ut in apice juris satisfiat, Deum mori in Cruce; & infinita hæc satisfactio medium est adimplendi justitiam ejus. Dicendum ergo est peccatorum nostrorum magnitudinem esse infinitam, & quod infinite illi displiceat; quandoquidem justitia adeo æqua, judicavit, se acquiescere non posse omnibus omnium satisfactionibus, & habitura satisfactionem noxæ parem, petiit Sanguinem, & vitam Dei. *Bivort in Crucis Panegirico.*

Crux, quæ est signum redemptionis nostræ, erit aliquando impiis occasio reprobationis.

Cruci nihil gloriosius est, quam a JESU CHRISTO delectam fuisse pro signo suo particulari, quo connotare voluit duo præcipua officia Messiæ qualiti inhærentia, videlicet redemptionem, & mundi judicium. Idem accidit ac virgæ admirabili, quam posuit Deus in manibus Moysis, per quam Deus tot benedictiones effudit in populum suum, sed quæ mutata est in serpentem, qui ceteros voravit angues, ut intelligamus Crucem, quæ salutis, & consolationis signum est pro peccatoribus *in hac vita*, mutatum iri in signum terroris, & reprobationis *in die ultionis*. *Quemadmodum virga eadem Moyses fidit fluctus maris Erithræi, elicuit fontes aquarum in deserto arido, mutavit aquas in sanguinem, & percussit Pharaonem, & Ægyptum variis plagis, quibus Deus animadvertit in Regis impii obdurationem*: ita Crux hæc, quæ JESUS CHRISTUS aperuit hominibus viam admirabilem in terram promissam, qua usus est, ut in hujus vitæ desertum fluerent fontes gratiarum pro omnibus peccatoribus; eadem Crux, inquam, signum erit terribile, quod apparere jubebit coram se, cum veniet judicaturus Mundum per ignem, & redditurus singulis secundum opera illorum. *Ex Specimine Panegiricorum pro die Exaltationis Sanctæ Crucis.*

Per Crucem Deus erudit nos de officiis nostris.

Volebat Deus homines efficienter erudire, ob oculos eorum statuens exemplum, quod intuerentur, ut inde quidquid sibi faciendum esset cognoscerent: signum, cui sese conformare debebant, ut tales fierent, quales esse debebant. Posuit autem hoc signum in monte, ut ab omnibus posset conspici. Crucem exposuit tamquam compendium virtutum omnium, & omnium officiorum Religionis; per illam erudiit homines de omnibus veritatibus, quæ illis non erant ignorandæ, ut essent veri Christiani, & *quæ in praxim* redigendæ sunt, ut fiant salvi, ita ut *in* ipsa Cruce *ipse sit via, veritas, & vita; Via* quæ nos adducit, *vita* quæ nos animat, & veritas, quam sequi debemus: *ibi in ictu* oculi videmus, quidquid in nobis reformandum est, & in nobis addendum. O Domine! abscondis secreta tua sapientibus sæculi, & revelas ea parvulis, animabus simplicibus, qui vitam hanc impendunt in jugem meditationem Crucis, & Mysteriorum, quæ continet! Quæ mirabilia non inveniunt illic hæc munda corda, in quibus cupiditatum, & criminum nebulæ nullam offundunt caliginem luminibus interioribus, quæ efficiunt, ut mysticas hasce tenebras penetrent? Sanctus Paulus, cui Deus revelaverat ea, quæ oculus non vidit unquam, neque auris audivit, & quæ nunquam in cor hominis ascenderunt; non sciebat tamen nisi JESUM CHRISTUM crucifixum; tota enim vera scientia, cujus homo capax est, in Crucis Mysterio continetur: hæc tota est Religio vestra, o Christiani: tota in applicatione, meditatione, & imitatione JESU CHRISTI crucifixi consistit. *Ibidem.*

Crux Tribunal erit terribile peccatoribus die judicii.

Hic idem JESUS CHRISTUS, qui tanta cum humilitate subiit peccatorum judicium, S. Augustinus ait, ipse judicabit illos cum omni severitate justitiæ suæ: sed Crux ejus erit veluti terribile tribunal, de quo pronunciaturus est irrevocabilem damnationis eorum sententiam. Respice, miser, Crucem ostendens inquiet, respice quid pro te passus fuerim, & per hunc amoris excessum judica te ipsum de tuo ingrati animi vitio! Quo abierunt gratiæ, quas tibi meritus fueram

per tot dolores, & opprobria, quæ in Cruce hac sustinueram? Quid feciſti de pretioſo hoc Sanguine, quem pro te ad extremam uſque guttam effuderam? Quem fructum retuliſti ex tot Sacramentis, quæ pro tuis neceſſitatibus inſtitueram? Tu contempſiſti, profanaſti, diſſipaſti hos omnes theſauros, hæc omnia meæ bonitatis monumenta, quæ in corde tuo parere debebant grati animi ſenſus, aluerunt ſolum miſeram ſpem inveniendi in me tuorum ſcelerum impunitatem: ſed quo magis miſertus ſum tuæ miſeriæ, eo magis nequitiam tuam perhorreſcam; nihil tibi parcam, quia omnia tibi condonare decreveram; & odium meum eo procedet, quo fore decreveram, ut amor, & bonitas in te procederet mea. Quænam, inquam, erit confuſio peccatoris, cum efficiet Deus, ut peccator ſentiat, agnoſcat, intelligat magnitudinem, nequitiam, & omnem ſuæ ingratitudinis extenſionem? Nunquid ſeſe inter Crucis brachia conjiciet? Nunquid Crux brachia habitura eſt, ut illum recipiat? illum, qui ipſam reſpexerit tamquam ſuæ impietatis aſylum, qui eam conſiderare debebat tamquam ſuæ redemptionis inſtrumentum. *Ibidem.*

Omnia modo nobis loquuntur de bonitate, & miſericordia Salvatoris in Cruce.

Accedamus ad Crucem, ibique coram J. C. crucifixo procidamus. Omnia nobis loquuntur de exceſſu caritatis illius. Videmus Caput ejus inclinatum ad præbendum nobis pacis oſculum; aperta brachia ad nos complectendos; latus apertum, ad aditum in cor ſuum nobis patefaciendum: manus & pedes clavis conſixos ad oſtendendam nobis amoris erga nos ſui conſtantiam, & firmitatem. En objectum, quod ſemper ante oculos noſtros verſari debet, & quod Crux exhibet nobis; ecce exemplum, ſecundum quod omnem vitam debemus componere. Tanta eſt Crucis virtus, quidam S. Pater ait, ut ſi ob oculos noſtros verſetur, & ſerio illi animus advertatur, nulla ſit cupiditas, nulla in peccatum proclivitas, quæ ſalutari hac recordatione non diſſipetur. Tantus eſt Crucis fructus, quem percipere debemus ex morte, quam Dei Filius ibi paſſus eſt: Non aliam niſi Crucis ſcholam adeamus, neque alium audiamus doctorem niſi JESUM CHRISTUM crucifixum. *Abbas de Monmorel in Homilia de paſſione Domini noſtri.*

Crux effecit, ut elucesceret gloria divinitatis Salvatoris.

Non ſolum per Crucem ſatisfactum eſt divinæ juſtitiæ, ſed per eamdem etiam effectum eſt, ut ubique enitesceret Salvatoris gloria, atque divinitas, utpote quæ illum melius tradidit cognoſcendum; quæ cognitio omnino eſt ad ſalutem neceſſaria, quemadmodum ipſe etiam JESUS CHRISTUS profeſſus eſt per os dilecti diſcipuli: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti JESUM CHRISTUM.* Hæc, inquam Crux, illum tradidit cognoſcendum omnibus gentibus: namque per illam perfectius oſtendit divinas perfectiones ſuas, & tribuit certiſſima monumenta ſupremæ ſuæ poteſtatis, quemadmodum ipſi etiam ſupplicii ſui ſpectatores confeſſi ſunt. Quod ipſum evincit, ipſum uti voluiſſe ea ratione, quæ una omnium maxime videbatur oppoſita conſiliis humanæ ſapientiæ ad hoc, ut ab omnibus nationibus coleretur; re enim vera nihil magis contulit ad celebrandam divinitatis, & infinitæ ſapientiæ ſuæ potentiam, quam noviſſe gloriam ſibi comparare per Crucis infamiam; & feciſſe, ut homo traditus poteſtati inimicorum ſuorum, odio eorum, & ultioni ſacrificatus, confuſione obrutus, opprobriis ſaturatus, ac tandem inter duos nefarios latrones crucifixus, habitus fuerit per hanc ipſam rationem pro vero Deo & Salvatore hominum; habitus, inquam, non a paucis hominibus, vel ab una tantum gente, ſed ab omnibus populis, & nationibus; non ſolum ab hominibus e trivio, vel modici ingenii, & nullius auctoritatis, ſed a Principibus, & ſapientibus, & hoc pacto ceteros abrogaſſe cultus, & ceteras Religiones? Quæ magis evidens divinitatis ejuſdem probatio! nonne inferendum eſt, eamdem poteſtatem, quæ in ipſis mundi primordiis lucem ex ipſis elicuit tenebris, voluiſſe in mundi ipſius reparatione haurire gloriam ſuam ex ea re, quæ æternam caliginem illi videbatur offuſura? Quod inſignius potentiæ argumentum, quam triumphaſſe de omnibus univerſi orbis poteſtatibus adeo infirmo, fragilique inſtrumento; atque ut Sanctus Auguſtinus ait, videre, *Crucem a locis ſupplicii rum feciſſe tranſitum in frontes Imperatorum?* Auctor ſermonum in omnia argumenta, &c. Tomo Sermonum particularium.

Joann. 17.

S. Auguſt. in Pſalm. 56.

Per Crucis ſignum inutiles efficere poſſumus conatus inimicorum ſalutis noſtræ.

Quemadmodum per Crucem victi fuerunt omnes ſalutis noſtræ inimici; ita per Crucem vim habemus illos vincendi; quocumque in numero ſint, & quantumcumque formidabiles eſſe videantur, nullum in nobis ciere debent terrorem: nemo enim adeo imbecillus eſt, qui ſigno Crucis ſuffultus; illos fugare non poſſit: quia illi ne ſuſtinere quidem valent adſpectum Crucis, poſtquam virtutem illius experti ſunt, & quod noſtram augere debet fiduciam, illud eſt, quod moleſtiſſimæ omnes tentationes, atque violentiſſimæ, incurſus pertinaciſſimi, & ſæviſſima prælia, quæ mundus, caro, omniaque ſimul creata nobis inferre poſſunt, in irritum cedent, cum noſmet Cruce armabimus, & ſub hoc vexillo pugnam conferemus. *In hoc ſigno vinces.* Hæc illa eſt epigraphe, quæ olim circa glorioſum hoc ſignum lecta fuit, cum primo Chriſtiano Imperatori apparuit; ſed hac quoque die dici omnibus Chriſtianis poteſt, qui per opem, quam a Cruce recipiunt, de omnibus inimicis ſuis referre poſſunt victoriam. Hac ope ſuffulti ejicient fortem armatum, ac de omnibus illius dolis, & conatibus triumphabunt: *In hoc Signo vinces.* Neque illis eſt, cur aliquid ſibi a mundo reformident; Crux enim omnes illius illecebras infirmavit, omnibus placitis ejus abrogavit fidem; nam illius pompæ, honores, opes, & voluptates modicam habent vim in Chriſtianum, qui meminit ſe Crucis eſſe diſcipulum: ſufficit enim ut honoribus quidem, quorum ſpem mundus facit, objiciat opprobria, & contumelias, quas voluit ſuſtinere Deus moriens in Cruce; voluptatibus autem, quas illi mundus ipſe præſentat, ineffabiles dolores Salvatoris ſui. Quem denique effectum obtinere poſſunt pollicitationes; vel poſſeſſiones terrenorum bonorum in mente illius, qui videt paupertatem, in qua mortuus eſt Deus ſuus? *Confidite, ego vici mundum*, dicebat ipſe Dei Filius: Per Crucem victus fuit mundus, & arma de manibus ejus excuſſa; placita ejus nullam amplius habitura ſunt poteſtatem: ſi ad illum impugnandum iiſdem armis uſi fueritis ad vim tum inferendam, cum propulſandam; licebit vobis reſpicere mundum, quomodo Sanctus Paulus conſueverat, eodem cum horrore, quo olim crucifixus reſpiciebatur, *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.* Idem.

Joann. 16.

Ad Galat. 6.

Chriſtianus crucem ſuam geſtare debet, & hoc pacto dimplere ea, quæ deſunt Paſſioni J. C.

Quamcumque ſpem habeamus, Chriſtiani, in Cruce Salvatoris, & quantacumque ſit vis Sanguinis quem effudit propter amorem noſtrum; conſtat nos nunquam ſalvos futuros, niſi nobis applicuerimus fructum, & niſi adimpleverimus hoc pacto ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, ut loquitur S. Paulus, ita ut deferentes Crucem noſtram ſaluti noſtræ cooperemur. Hæc enim prima conditio eſt, quam Salvator ipſe requirat ab iis, qui eumdem ſequi deſiderant: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam.* Et ne quis ignorare poſſet hanc veritatem, quæ eſt de ipſa Chriſtianæ Religionis eſſentia, voluit, ut publice id profiterentur, Religionem hanc amplectentes per Baptiſmum, in quo, ut ita dicam, ſub Crucis vexillo cenſemur. Hinc fit, ex S. Auguſtini Sententia, ut vita veri Chriſtiani viventis ſecundum placita legis ſuæ ſit Crux, & juge Martyrium. *Tota vita Chriſtiani crux eſt, & martyrium.* Itaque Chriſtianam vitam ducere, Crucem geſtare, exercere præcepta, quæ per hanc Crucem docemur, ſynonima ſint, & æquipollentia. Verum quid plerique agunt Chriſtiani? quin pugnent ſub Crucis vexillo, eamdem oppugnant Crucem, & videntur illi bellum indixiſſe moribus, & actionibus prorſus oppoſitis profeſſioni adeo ſanctæ, & adeo ſollemni Sacramento, quo ſe illam ſecuturos juraverunt. Etenim ubinam videtur humilitas, quam nobis hæc Crux repræſentat in Deo ad exceſſum uſque humiliato, & exinanito; cum interim nonniſi ambitio videatur, & inexplebile nitendi, creſcendi, alioſque ſuperandi deſiderium? Qua in re videtur illa rerum omnium paupertas, quam illis Crux prædicat, atque commendat? Qui videt eorum diteſcendi, & fortunæ bona acquirendi cupiditatem, credere ne poteſt Crucem illorum eſſe theſaurum? & qui conſiderat jugem perquiſitionem, & feſtinationem ad ea obtinenda, quæ palpant ſenſus illorum, quis perſuadere ſibi poterit illos adorare Crucem? Quid enim aliud agunt, qui illam ignorant; & quid deterius facere poſſent, ſi illam penitus evertere adniterentur? *Idem.*

Matth. 16.

Sunt Chriſtiani qui quod neſciſſimi non ſunt, ſe minime putant inimicos eſſe Crucis J. C.

Sunt Chriſtiani, qui licet nequiſſimi non ſint, non ideo tamen ceſſant eſſe Crucis inimici. Hi aliquam tuentur mediocritatem, & ſpeciem retinent; ſed qui intus, & in cute amatores ſunt ſuimet ipſorum, qui nihil niſi ſua commoda, ſuaſque voluptates inquirunt. Eos intelligo, qui externum Religionis corticem præ ſe ferunt, qui palam quidem Crucem venerantur, omnemque, ſi lubet, exteriorem illi adhibent cultum, qui a Chriſtiano viro exigi poteſt: ſed qui intrinſecus ſcandalizantur; qui turpiſſima quidem vitia perhorreſcunt, & impudiciſſimas voluptates, & qui denique habent quædam Religionis principia, propter quæ ſatis regulariter obeunt exteriora quædam officia; quin tamen velint ſibi de mortificatione, vel de pœnitentia verba fieri, cujus vel ipſum ignorare nomen volunt, quin loquamur de aliis ſignis Crucis, quam illud ſibi in fronte imprimere, vel in aliquo cubiculi ſui angulo ejuſdem imaginem pati. Verum ſi id genus homines in oculis mundi ſunt irreprehenſibiles, putas ne illos coram Deo culpa vacare; & Crucem, quæ illis ſcandalo eſt, eo quod illam pati averſantur, non eſſe æquiſſimam damnationem mollitiei eorum, & modicæ ſimilitudinis, quam habent cum Deo crucifixo? *Idem.*

Si cum Sancto Auguſtino conſideramus Salvatorem ex Cruce ſibi cathedram poſuiſſe, oculis tantum opus eſſe mihi videtur, ad percipienda, quæ inde nobis tradit

Crux Cathedra eſt de qua J. C. prædicat, & do-

cet omnia Evangelii sui placita.

tradit documenta. Ibi stultam vanitatem, & superbiam nostram confundit; ibi nostram molitiem, nostramque ad corporis oblectamenta proclivitatem condemnat; ibi acriter, & infectanter nostram in proximum duritiem, amoremque proprium objurgat. Crucifixus esse debet symbolum Christianæ vitæ, & fidele speculum omnium Christianorum; in quo videntes nosmet quales sumus, videmus quales esse debemus.

Proh Deus! quam eloquens est in Cruce silentium tuum! *Cum exaltatus fuero a terra*, dicebat Salvator, *omnia traham ad me*. Dicendum sane est, nos mordicus terræ huic adhærere, prohibituros in nobis hujus Oraculi effectum! Oraculum istud adimpletum est in tot barbaris gentibus, in tot Principibus infidelibus, in tot obduratis peccatoribus; at quam impressionem hodierna die in plerisque Christianis divinum hoc parit objectum? Crucifixi intuitus excitat ne fidem nostram? Cupiditates nostras extinguit? præsens est vitiis nostris medicina? JESUS CHRISTUS Judæis quidem scandalum est; Gentibus autem stultitia; sed Christiani omnes respiciuntne illum tamquam virtutem Dei, ejusque Sapientiam? Possum ne dicere cum S. Paulo; *absit mihi gloriari, nisi in Cruce JESU CHRISTI, per quem mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo?* Crucifixus videretur ne cum alacritate ac reverentia in mundanis cætibus, in his aleæ, & inertiæ conventibus abjis hominibus, qui quodammodo honori sibi vertunt esse parum Christianos? Hoc tamen novissimum erit, quod intuebuntur objectum, & solum in quo consolationem quærent contra mortis terrores tunc temporis cum illis erit prodeundum coram judice Supremo. *P. Croiset in libro cui titulus: Exercitationes ascetica pro singulis anni diebus; pro Martii die vigesima nona.*

Modo Crucem ferentes evitare possumus probrum, quod nobis inferet Deus mortis tempore, eo quod parum adeo secuti fuerimus Crucis placita.

Sub vitæ nostræ exitum nobis exhibebitur imago Crucifixi, videlicet JESUS propter amorem nostrum in Cruce moriens? Quantæ consolationis hoc erit? Sed exhibebitur nobis moriens in Cruce, tot oribus, quot habet vulnera, dicens, quid fecerit, quid passus fuerit per amorem nostri, & quid nobis propter amorem ipsius erit faciendum. Heu! Salvator mi, dic mihi hodierna die cum fructu; quod frustra tunc mihi dictura est Crux tua: Vide quid habeo, quod offeram tibi: Pater æterne vide utrum tua perseveratura sit iracundia, ubi hoc tibi objectum ob oculos statuam. Hoc est Crucis asylum, in Cruce hac modo vivere volo, & spero, hanc te mihi gratiam concessurum, ut moriar amans, & fidenter hanc Crucem amplectens. *Idem.*

Sensus S. Chrysostomi de signo Crucis.

Neminem igitur pudeat horum salutis nostræ symbolorum, atque signorum. Passio certe Domini nostræ beatitudinis caput est, atque origo, qua vivimus, & per quam sumus. Sed veluti coronam, sic lato animo Crucem circumferamus. Omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consumantur. Nam cum regeneramur, Crux Domini adest; cum Sacratissimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur, ubique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente magno studio Crucem inferamus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humilitatis Domini signum est. Ductus est enim ut ovis ad occisionem. Quando igitur Cruce te signas, universam tecum Crucis causam verte: & iræ, ac reliquarum passionum incendia extingue: quando te Cruce signas, magna tuam frontem arma fiducia, libertate animum munias. Nec enim latet vos quænam sint, quibus libertati donati sumus. Paulus enim cum ad capessendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad Crucis, & Sanguinis Dominici memoriam reduxit dicens: Pretio empti estis, non sitis servi hominum. Pretium autem hic Crucem appellavit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum cum hastam videat, qua lethale vulnus susceptit congredi tecum audebit. Nam si solummodo loca, in quibus capite damnati pœnas persolvunt videmus, in genti horrore concutimur; quid passum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires ejus CHRISTUS dissolvit, & quo caput draconis magno ictu retavit? Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne quando in majestate sua veniat CHRISTUS de te verecundetur. Tunc enim Signum hoc super radios Solis coruscans ante CHRISTUM videbis. Præcedet enim profecto Crux magnam vocem aspectu emittens, & ad universos homines pro Domino respondens, atque ostendens nihil ex parte Domini defuisse. Hoc signum, & priscis, & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si calorum ostia recluslit, si Paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque hujusmodi superavit? Hoc igitur in mente tua celato, & animarum amplectere salutem. Hæc Crux terrarum orbem convertit, atque sanavit; Hæc terrorem abegit, veritatem reduxit, terram in Cælum restituit, ex hominibus Angelos effecit. Hac Cruce mors in somnum redacta est, hac omnia quæ nobis adversabantur humi dejecta conculcantur. Si ergo gentilium quispiam tibi dixerit, Crucifixum ne adores, noli dubitare clara voce, & læta facie dicere: Et adoro, & adorandi nunquam faciam finem; & si ridebit, largas tu effunde lacrymas de insania ejus. Agas immortales Domino gratias, cujus beneficio hæc suscepimus, qua nullus absque divina gracia dicere potest. Nam idcirco hic etiam videt, quia homo animalis non suscipit ea, quæ ipsius spiritus sunt. Sicut etiam pueri tunc mirantur, quando magnum quid, atque mirabile perspexerunt: & si ad videnda Mysteria infantes produxeris, proculdubio ridebunt. Infantibus sane gentes mihi similes videntur, immo vero illis quoque imperfectiores, ac ideo multo miseriores; quia non in ætate juvenili, sed in provecta infantium levitate adeo perturbantur, ut nulla venia digni & sint, & videantur. Sed nos clara, & magna voce dicamus, & tunc maxime quando adsunt gentiles, eximia fiducia exclamemus: Gloria nostra, caput, & origo beatitudinis, libertas, & corona Crux est. Ex Sermone S. Chrysostomi in Matthæi caput 16.

MYSTERIUM ASCENSIONIS.

MONITUM.



MYSTERIUM Ascensionis Domini semper Ministris Verbi Dei visum est argumentum tractatu difficile; Nam, hinc quidem, nullius tantum est flumen ingenii, ac dicendi vis, qua verbis satis magnificis exprimere valeat magnificentissimum Triumphum hujus victoris Mundi, Mortis, & Inferni; inde vero si moralis disciplinæ deligunt argumentum, quod plurimi hodierna die faciunt, periculum est, ne, quin utilius fiat, minuatur idea, confidentia, & devotio, quam in nobis ciere debet glorioſissimum, & uberrimum consolatione Mysterium. Uterque evitabitur Scopulus, argumentum hoc ita pertractando, ut Salvatoris gloria cum utilitate jungatur, & fructibus, quos ab ejus Ascensione percipimus, ita ut Mysterium, & moralia documenta ita commisceantur, ut inter se cohæreant, atque sibi respondeant.

Ut hoc cedat e voto, opus est 1. ut moralis, & considerationes, quæ fiunt, sint propriæ argumenti; & non cum aliis argumentis communes, puta, Resurrectioni, Transfigurationi, & Beatorum felicitati. 2. Oportet quoad fieri poterit, in sermone locum invenire præcipuis Mysterii circumstantiis, ut substernantur quasi fundamenta probationibus, atque ut illas calleat auditor, & inde ipse per se fructum percipiat, per naturales animadversiones, quæ illum moveant, eique certam spem faciant ascendendi in Cælum cum J. C. modo sequatur exemplum, quod ab eo sibi præbetur, & viam, quæ veluti digito sibi monstrata ab eodem fuit, qua ad tantam beatitudinem valeat pervenire.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus argumenti Partitio.

I. DE Dominicæ Aſcenſionis Myſterio tot occurrunt dicenda, ut difficile mihi ſit initium facere in hoc argumento, quod menti meæ non niſi miracula repræſentat. Paucis dicitur, JESUS CHRISTUS in Cælum aſcendit; ſed quotannis opus eſſet, ut paucorum horum verborum ſenſus, & mirabilia, quæ in illis continentur, explicarentur; quamvis minime putem linguam mortalem illa exprimere poſſe, neque humanam mentem illa comprehendere; quandoquidem Angeli, qui teſtes atque ſpectatores fuerunt divini hujus triumphi nonniſi & ipſi ſumma cum admiratione loquantur: *Quis eſt iſte Rex gloriæ!* Ut autem ſub uno ſermone complectamur, quidquid magnum, atque admirabile eſt hoc in Myſterio, animadverto, Aſcenſionem triplici adſpectu poſſe conſiderari, pro triplici ratione, quam habet 1. cum JESU CHRISTO, triumphali more in Cælum aſcendente. 2. Cum Angelis, & Beatis qui illum concomitantur, & qui cum eodem ſunt in æternum regnaturi. 3. Cum Fidelibus, qui ſunt ſuper terram. Quoad JESUM CHRISTUM, Aſcenſio complementum eſt, & gloriæ ipſius conſummatio. Quoad Angelos, & Beatos Aſcenſio eſt complementum felicitatis eorum. Quoad nos Fideles Aſcenſio eſt complementum Religionis noſtræ, perfecta Eccleſiæ inſtitutio, perfectio Sanctitatis omnium Fidelium. Quæ tres erunt partes hujus ſermonis.

Pſalm. 23.

Pars Prima. Quamquam ab ipſo primo Conceptionis JESU CHRISTI momento, anima ejus beata fuerit; & gaviſa viſione beatifica, & reſurgens communicaverit corpori ſuo omnes admirabiles qualitates, quæ illud reddiderunt ſpirituale, immortale, & incorruptibile; & per novam hanc vitam jam retulerit victoriam de peccato, ac morte, ac tandem ſe cognoſcendum præbuerit tamquam verum Dei Filium; verum nihilominus eſt, aliquid tamen adhuc defuiſſe illi ad perfectam animæ ſuæ felicitatem; aliquam adhuc fieri debuiſſe decoris glorioſo corpori ſuo acceſſionem, recentem lucem aliquam victoriæ ſuæ, & novos aliquos honores ſuæ divinitati; quod factum eſt in ejus Aſcenſione, ideoque aſcenſio eſt perfectio, & conſummatio gloriæ ipſius. 1. Conſtat felicitatem corporis Filii Dei debuiſſe perficere quidquid deerat felicitati animæ ſuæ; quia cum corpus, & anima ſint partes duæ, quæ eſſentialiter mutuo a ſe pendent, conſtat, alteram non poſſe omnino eſſe beatam ſine altero; & cum naturalis earum eſſentia ſemper ſit imperfecta, cum illæ ſejunctæ ſunt; ſimiliter eorum ſupernaturalis, divinaque eſſentia, nunquam eſt integra, cum harum partium alterutra ſupremum ſuum non poſſidet bonum. Sed ante Aſcenſionem aliquid deerat Corpori Salvatoris ad complementum gloriæ ſuæ, quæ tantum erat inchoata per Reſurrectionem; quonjam permanens adhuc in terra, qui locus eſt mutationis, & corruptionis, nondum erat in loco ſuo naturali, neque licebat illi plene frui fructibus, & honoribus vitæ hujus recentis. Adde his, quod cum Salvator eſſet beatus, non poterat ſine aliqua gloriæ ſuæ diminutione eſſe extra Cælum, quæ eſt beatorum ſedes; quia permanens in terra, non recipiebat honores, qui ſibi debebantur: Oportebat ergo, ut in Cælum aſcenderet, ne quid ultra ſuæ gloriæ deeſſet. 2. Oportebat etiam, ut per Aſcenſionem ſuam extremum adderet decus victoriæ, quam de morte, ac inferno retulerat, oportebat, ut tamquam Victor triumphans ingrederetur: poſtulabat enim juſtitia, ut ingreſſus in Cælum æque glorioſus eſſet, ac ille, quem fecerat de Cælo in terram deſcendens, humilis fuerat: atque ut huic lux tribuatur, opponenda eſt obſcuritati, atque humilitati primi illius pompa, & magnificentia alterius, qui eſt triumphalis ejus Aſcenſio; & afferendum eſt, quidquid de hoc dicunt Prophetæ, Apoſtoli, Patres Eccleſiæ, & ſacri Oratores.

Pars Altera oſtendere debet, Aſcenſionem Filii Dei eſſe complementum felicitatis Angelorum, ac beatorum in Cælo: quoad Angelos pertinet, verum eſt nihil beatorum eorum ſpirituum felicitati defuiſſe. Quippe conſiſtit in clara viſione Dei, & in amore, & gaudio, quod neceſſario concomitatur Dei poſſeſſionem: Sed ex Theologorum ſententia non deeſt alterum beatitudinis objectum, quod ad perfectionem, atque complementum felicis ſtatus hujus eſt neceſſarium, & alterum hoc objectum eſt adorabilis perſona Verbi Incarnati, admirabiles animæ & corporis ipſius qualitates, & perfectiones Sanctæ hujus Humanitatis, quæ accidentalem conſtituit cum Angelorum, tum hominum felicitatem. Hoc loco explicandum eſt gaudium, quod parit cognitio dignitatis & prærogativarum illius; & earum rerum omnium, quæ pertinent ad hunc Hominem Deum: qua cognitione in æternam rapientur admirationem.

Pars tertia ſpectat rationem, quam habet Aſcenſio cum Fidelibus terræ. 1. Eccleſia generatim in illa ſuam nacta eſt perfectionem: cum enim JESUS Eccleſiæ Caput conſtitutus ſit, eam regit, inſpirat, gubernat, mittens ad illam Spiritum Sanctum. Ex quo Salvator in Cælum aſcendit, in univerſum terrarum orbem ſeſe effudit; & paullo antequam illuc aſcenderet mandavit Apoſtolis ſuis, ut in omnes gentes Fidem diſſeminarent. 2. Si Fideles ſingillatim conſiderentur, eos reddit ſanctiores, atque perfectiores per deſiderium ſequendi illum, per ſpem, quam illis tribuit, & viam, quam illis ſternit faciliorem, videlicet imitationem, &c.

II. Omnia Myſteria vitæ Salvatoris aliquam habent rationem cum virtutibus Chriſtianis: probavit, confirmavitque fidem noſtram per reſurrectionem ſuam; noſtram emundare, & conſumare debet caritatem per deſcenſum Spiritus Sancti: ſed hodie in Aſcenſione ſua, ſpem noſtram excitat. Spes autem eſt deſiderium boni, quod comparari poteſt; & ita ſpes duo complectitur: 1. Adſpectum magni alicujus boni; 2. poteſtatem illius acquirendi. Quapropter

1. Salvator Mundi in ſua Aſcenſione totam nobis oſtentat Empyrei gloriam, & magnificentiam: fingine poteſt majus bonum?

2. Nobis opem ſuam pollicetur ad illam acquirendam; poſt hæc non dubitare licet, quominus hoc Myſterium ſit ſpem noſtram inflammaturum? Duo hæc efficient argumentum, ac partitionem ſermonis hujus. Gloria JESU CHRISTI, primum erit punctum; ejus propenſio ad opem hominibus ferendam, alterum. Gloria JESU CHRISTI nos debet impellere, ut conſtans ineamus illius imitandi conſilium; certum illius imitandi conſilium coget illum, ut nobis ferat opem: duplici verbo ſpes noſtra innititur imitationi noſtræ, & illius patrocinio. Fruſtra ſperamus nos JESU CHRISTO ſimiles futuros in Cælo, niſi illum in terra fuerimus imitati: fruſtra nos illum imitaturos eſſe ſperamus, niſi illius opem imploraverimus.

III. Per Incarnationem, Dei Filius incœpit magnum opus ſalutis noſtræ, & illud in Aſcenſione perfecit; ſed cum Incarnatio fuerit humiliationis, & exinanitionis Myſterium; Aſcenſio e contra eſt Myſterium elevationis, magnitudinis, atque potentiæ: in altero Dei Filius in hominis nativitate ſuam deprimit divinitatem: dignitatem ſuam ſub perſona ſervi; & ſuam immortalitatem ſub corpore mortali, atque paſſibili; quæ tres ſunt humiliationes, quas Salvator in ſua Aſcenſione replevit.

1. Qui paſſibilis erat, factus eſt impaſſibilis, & immortalis; & quamvis hujus prærogativæ poſſeſſionem adierit ex ipſo ſuæ Reſurrectionis momento; tamen noniſi poſt Aſcenſionem ſuam illa gaviſus eſt; quoniam hæc merces eſt aſſiduorum laborum, atque Paſſionum vitæ mortalis ſuæ; quod locum præbet præclaris animadverſionibus de Juſtorum malis, quæ propter Deum ſuſtinuere, & quæ pro mercede, gaudio, & immortali gloria Deus remuneratur. *Momentaneum, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. ad Cor. c. 4.

2. Qui Servus erat, factus eſt Dominus omnium Creaturarum, illi ſua obſequia præſtantium.

3. Qui homo ſolum videbatur, quodammodo factus eſt *Totus Deus*, ut nonnulli Patres inquiunt.

IV. JESUS CHRISTUS per Aſcenſionem ſuam triumphans adit poſſeſſionem gloriæ, quæ merito ſibi debebatur, ſimulque aſſumit titulum Glorificatoris hominum, pro quibus in Cælum aſcendit, quemadmodum pro illis inde deſcendit. Tria profecto requirebantur, ut glorioſum hunc titulum Glorificatoris mereretur.

1. Ut Cælum aperiret hactenus omnibus hominibus clauſum; ubi oſtendendum eſt hoc ab eo factum; & a nemine præter illum fieri potuiſſe.

2. Opus erat, ut certam nobis ſpem daret, illuc ingrediendi; quænam eſſe debeat hæc ſpes, & in quo fundata eſſe debeat.

3. Ut illuc noſtra pertraheret deſideria; nam ibi eſt noſter theſaurus, ideoque ibi etiam eſſe debet cor noſtrum, quemadmodum ille ipſe teſtatur. Hic autem eſt fructus ille, quem ex Aſcenſione Salvatoris mundi percipimus. Cælum modo patet, & noſtra in voluntate ſitum eſt illuc ingredi: certam habemus ſpem Hominis Dei meritis innixam fore ut illuc admittamur. Nos ille trahit, vel ſaltem illuc nos trahere debet per ferventia deſideria; hic enim locus eſt noſtræ quietis, ubi perfecta felicitate ſumus perfruituri, & ecce cur S. Leo Aſcenſionem Filii Dei, vocat hominum elationem, & glorificationem.

V. Argumentum quod mihi huic Myſterio æquiſſimum videtur, & quod plurimis moralibus conſiderationibus locum præbet, illud eſt, quod Sanctus Paulus nobis

ſuppe-

suppeditat, cum ait, illum ad altissimum Cælorum verticem ideo ascendisse, quia illinc ad infimas usque terrarum partes descenderat, innuens, quantum Dei Filius dum viveret sese humiliavit, tantum per glorioſam Ascensionem suam fuisse exaltatum; ubi S. Thomas animadvertit, illum in tribus potissimum semet humiliasse, quæ idcirco fecerunt totidem veluti elevationis gradus in hoc glorioso mysterio, & quæ sermonis paritionem possunt efficere.

1. Humiliavit se quoad locum, descendens usque in penitiores terræ abyssus, & in præmium admirabilis hujus humiliationis ad altissimum Cælorum fastigium elevatur.

2. Humiliavit se in honore suo, & existimatione cum omnes sustinuerit contemptus, contumelias, & calumnias excogitabiles, opprobriis saturatus, ut inquit Propheta; & ecce in hoc Mysterio declaratur Rex gloriæ, & magnificentissimo triumpho decoratur.

3. Humiliavit se quoad potestatem suam; cum subditus fuerit omnibus terræ potestatibus, & in hoc Mysterio supremam accepit potestatem super omnes Creaturas: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Matth. 28.

VI. In hoc Mysterio Salvator hominum est vere Rex gloriæ. Titulum hunc ei tribuit Psalmista loquens Spiritu Prophetico de illius Ascensione: *Quis est iste Rex gloriæ? iste est Rex gloriæ.* Idque triplici ex caussa.

1. Quia possidet Regnum Cæli titulo acquisitionis, qui proculdubio titulus est glorioſissimus, sed qui debetur proprie Filio Dei, qui acquisivit illum sola virtute sua sumptibus Sanguinis sui; qui ingentem hanc acquisitionem sibi solus comparavit, quin cum ullo gloriam partiretur, quod faciunt terrarum Domitores, qui suas debent victorias Ducum suorum consiliis, & militum strenuorum fortitudini. Ipse solus pugnavit; ipse solus viam sibi stravit; ipse solus victoriam reportavit; ipse tandem sibi solus aditum aperuit in Cælum quod antea erat inaccessum.

2. Pro modo, quo possessionem adit Regni hujus, videlicet pro modo, quo illuc ingreditur, & quo admittitur; scilicet triumphali more cum magnifico sanctarum animarum comitatu, quas eripuit de captivitate, & beatorum spirituum occurrentium illi, in nube lucida, quæ ipsi est instar triumphalis currus, & cum omni apparatu, qui decet meritum ejus, & sonæ ipsius dignitatem.

3. Pro suprema potestate quam ibi exercet, pro bonis, quæ procurat subditis suis, pro donis, & gratiis, quibus illos cumulat, & quas imposterum sperare debent; quæ omnia in illius gloriam cedunt infinitam.

VII. Assumi etiam pro sermonis themate potest elogium, quod unico verbo Mysterium hoc celebrat Ecclesia illud Admirabile appellans: *Per admirabilem Ascensionem tuam*: quia vere Ascensio digna est admiratione Angelorum & hominum, & Ecclesia hoc patio innuit illam omnibus locutionibus nostris esse superiorem.

1. Admirabilis est propter magnitudinem, ac dignitatem ascendentis in Cælum. Neque enim est terræ domitor, qui post insignem aliquam victoriam relatam, vel captam urbem, vel Provinciam aliquam suo subditam imperio triumphum agat; hic Homo-Deus est, qui victo dæmone, quem principem tenebrarum appellat, referens ex inferis manubias, Cælum sibi aperit, & omnibus illis, qui eum sequi voluerint.

2. Admirabilis est pro modo, quo Salvator ad altissimum Cælorum apicem penetravit; quid enim magis novum, ac admirabile, quam videre corpus propria virtute sese in aerem extollere, sine ope aliena, & hoc pacto ad conspectum suorum discipulorum ascendere, qui & ipsi admiratione capti obstupescunt.

3. Admirabilis est ratione finis propter quem ascendit; etenim tam pro se, quam pro nobis ascendit ad Patrem suum, quemadmodum ipse declaravit.

VIII. Hodierna die considerari potest Ascensio Filii Dei non tamquam suæ gloriæ possessio, sed tamquam spes nostræ, quoniam illius præstantissima caussa est, ac solidissimum fundamentum; Hoc ipsi videbimus in parte prima sermonis hujus; & in altera quænam esse debeat hæc spes, quam ipsi concipere debemus ad adspectum Salvatoris in Cælum ascendentis; & quomodo sit dirigenda, ut & ipsi aliquando illuc ascendamus, in hac ipsa vita nosmet attollentes corde, & affectu; hæc erit sermonis partitio, quæ Mysterium convertet in moralis disciplinæ praxim, cujus usus Christiano esse debet familiaris.

Pars prima. Dico, Salvatoris Ascensionem solidissimum esse fundamentum, & validissimam spei nostræ caussam; si velitis mecum tria animadvertere, quæ hujus argumenti maxime propria sunt, & naturalia. Primum est Dei Filium nobis adeptum fuisse jus in Cælum contendendi, quo ille primus ingressus est, & cujus nobis aditum reseravit jam tot sæculis clausum. Alterum est, illum in hac ipsa Ascensione viam nobis ostendisse, quæ ad Cælum, & vitam adducit, humiliationem scilicet, & passionem, per quas meritus est elevari, & gloria coronari: *Vidimus JESUM per passionem gloria, & honore coronatum*, ut Apostolus loquitur &c. Tertium est, Salvatorem in Cælum ascendentem, & ad Patris sui dexteram sedentem nobis præbere opem, quæ necessaria est, ut perveniamus ad gloriam, quam ipse nobis promeruit. ad Hebr. 2.

Pars altera. Ut sciamus quænam esse debeat spes Christiani, aliquando Cælum, supremumque possidendi bonum, cujus jus Dei Filius nobis adeptus est per suam Ascensionem; cogitare satis est conditiones, & qualitates Spei generatim, easque particulariter ad Ascensionis Mysterium applicare. 1. Præsupponit illa desiderium, quod ab eadem sperari non potest, Sanctus Thomas ait. 2. Postulat constantiam, strenuumque nisum ad acquirendum difficile bonum, quod illius objectum est. 3. Illam subsequitur lætitia quædam præveniens possessionem, & efficiens, ut in anteccessum eamdem delibemus. Hi proprii sunt spei Christianæ characteres; quos Dei Filius in Cælum ascendens impressisse videtur in corde discipulorum suorum, & qui in Evangelio afferuntur tamquam circumstantiæ pompæ hujus, cujus spectatores fuerunt. *Hæc omnia excerpta sunt ex Auctore sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta Tomo primo mysteriorum, sermone de Ascensione.* 2.2.q.25. art.2.

IX. Ad celebrandum, recolendumque Ascensionis Mysterium, & partem obtinendam felicitatis, quam nobis Dei Filius comparavit.

1. Sequi debemus ex corde Salvatorem, antequam illum sequamur corpore, hoc est ferventibus desideriis in Cælum adspirare.

2. Ut aliquando illum sequamur corpore, legenda nobis sunt ejus vestigia, & ingredienda via, quam ille ingressus est, passionem videlicet, & humiliationem: *Oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24.

X. Omnia JESU CHRISTI *Mysteria* producere debent *in nobis quosdam effectus, qui sunt veluti eorum spiritus; ita cum ille temporalem assumit nativitatem in utero Virginis*, nasci debemus spiritaliter; cum ille moritur in Cruce, nos peccato mori debemus; cum glorioſe ad vitam novam resurgit, ad gratiam debemus resurgere; sed cum mundum relinquit reversurus ad Deum, infringere debemus vincula, quæ nos alligant terræ, ut Cælestibus dumtaxat vacemus; ita ut in eo statu nosmet collocemus, ubi gloria perfruamur, duo sunt nobis facienda.

1. Corda nostra avellenda sunt de terra, & sursum in Cælum semper attollenda.

2. Imitandæ sunt virtutes divini prototypi nostri, tamquam media, quæ nos illuc possunt adducere. *Hoc est argumentum Abbatis de Monmorel in Festum hunc diem.*

XI. De bonis, quæ cedunt nobis ex Ascensione Filiorum Dei, quatenus hominibus, & Christianis.

1. Gloria quam recipit Salvator ascendens in Cælum, & sedens ad dexteram Patris, nobis est cum illo communis; quia natura nostra in persona ejus elevatur ad altissimum Cælorum fastigium, & supra nobilissimos Spiritus. Nos sumus illius fratres, membra, & filii.

2. Possessio, quam adit Regni sui, firma spes est nos illius socios futuros esse, & summo bono perfruituros.

3. Potentia quam exercet, tota pro nobis est: quandoquidem post Ascensionem suam misit Spiritum Sanctum suum, nobisque distribuit dona, & gratias suas.

XII. In Ascensione Filii Dei tria præsertim detegunturmirabilia, quæ ad utilitatem nostram referuntur, & ad spirituale bonum animarum nostrarum.

Primum est, JESUM CHRISTUM nunquam melius instituisse, & protexisse Ecclesiam suam, quam cum ascendens in Cælum visus est illam deseruisse.

Alterum est, ipsum nequaquam melius cognitum fuisse quid esset, quam cum se oculis nostris eripuit, quia fides modo efficit, ut illum perfectius agnoscamus.

Tertium est, illum nunquam propius accessisse ad nos, neque arctius nobis adhæsisse, quam cum recessit, quoniam nobis tot præbet caussas, & media illum amandi. *P. Texier.*

XIII. 1. Quatenus Caput nostrum JESUS CHRISTUS in Cælo coronatus non est, nisi postquam fuit Crucifixus. Nos cum JESU CHRISTO in Cælum ascendere non possumus, nisi cum illo ascendimus in Calvarium; sed etiam post hoc vitæ hujus labores sanctam nobis immittere debent spem nos cum illo in Cælum esse ascensuros.

2. Hæc spes ascendendi in Cælum cum illo, patientiam nostram roborare debet inter vitæ hujus pœnas:

nas: in exilii hujus ærumnis, anhelemus ad patriam, & in spe patriæ nostræ ærumnas exilii nostri perferamus. *Abbas de Jarry sermone de Ascensione.*

XIV. 1. In Salvatoris Ascensione remunerationem meritorum ejus invenio.

1. Remunerationem humiliationum ejus; quia sublatus est ad Cælorum omnium altissimum, positus est ad dexteram Æterni Patris, qui maximus est honoris gradus, & adeptus est possessionem dominationis Universorum.

2. Passionum suarum; fruitur enim beatitudine, quam illæ ipsi acquisiverunt.

3. Victoriarum suarum; quia triumphans in Cælum ingreditur.

Secundo loco, & pro parte altera in hac ipse Ascensione invenio spem nostræ remunerationis, æternæque felicitatis. 1. Caput est nostrum, nos vero membra illius; igitur sperare debemus nos aliquando illum esse secuturos.

2. Nobis acquisivit jus ad gloriam contendendi: gloria hæc illi debetur titulo divinæ filiationis, & ipse transfert secundum jus suum in nos, applicans nobis merita sua, ut actiones nostræ dignæ fiant æterna felicitate. 3. Ipse in Cælum nos trahit per gratias, quas nobis immittit, & preces, quas pro nobis effundit Æterno Patri.

XV. Sanctus Thomas ad examen revocans naturam, & qualitates spei, duos peculiariter illi motus tribuit; primus est violentum desiderium supremi boni, quod unum nos beatos efficere potest; hic primus gradus est, quem spes efficit, ut objectum suum versus moveamur: sed quia bonum septum est difficultatibus, ac impedimentis, & toto Cælo superat omnes naturæ vires, spes Christiana per motum alterum nos excitat, & animat contra hæc impedimenta ope invisibili, qua roborat cor, & secretam illi inspirat confidentiam assequendi bonum quod optat, & ita cogit illum, ut serio, & sedulo in illius acquisitionem incumbat. In Ascensionis autem Mysterio validas considerationes invenio ad excitandum duplicem hunc motum in his verbis inclusas: *Assumptus est in Cælum, & sedet a dextris Dei.*

Marc. 16. 1. JESUS CHRISTUS ascendit in Cælum, & illuc ascendens reliquit nobis vestigia, quæ sequi debemus.

2. Et ad dissipandos timores, quos in nobis ciere posset infirmitas naturæ nostræ, sedet ad dexteram Patris, ubi absoluta cum potestate disponit de gratiis omnibus, quæ necessariæ sunt, ut nos adducat ad gloriam, in altero quidem nobis ostendit locum, quo contendere debemus; in altero vero, nos illuc attrahit. *Ex sermone P. Cheminais.*

XVI. Dei Filius jure meritus est tres deferre glorioſos titulos, vel tres augustas qualitates, quæ proprie, & de jure uni ipsi conveniunt, videlicet titulum, & qualitatem Salvatoris hominum, Mediatoris inter Deum & hominem, Dispensatoris donorum, & gratiarum Dei erga homines: Verum dici potest illum nunquam melius, perfectiusque tria hæc obiisse munera nisi in Ascensione sua, per quam omnino illis defunctus est.

1. Quod spectat ad Salvatoris qualitatem, dicere possumus, dum mortalem ageret vitam, ipsum nequaquam fuisse Salvatorem omnino perfectum, vel ut castigatius loquar, illum nondum repleſſe, quod necessarium erat ut nos adduceret in supremi boni felicitatem, in quo salus nostra consistit. Ad id oportebat, ut Cælum aperiret nobis, postquam nobis meritus fuerat jus ad illud adspirandi, quod præstitit primus omnium ascendens. Ita quamvis ab ipsis incunabulis vocatus fuerit Salvator: *Natus est vobis hodie* Luc. 2. *Salvator*: Id tamen accidit intuitu eorum, quæ sibi erant facienda secundum imperium, quod a Patre receperat toto vitæ suæ spatio. Omnes illius actiones, exempla, miracula fuere media, ab ipso ad salutem nobis procurandam adhibita. Mors, & passiones illius nobis contulerunt jus, de quo per primi parentis peccatum decesseramus. Sed per Ascensionem suam in persona sua Cæli possessionem ingredimur, & tunc vere, ac reipsa salvamur.

2. Quoad titulum Mediatoris, verum est, ipsum per mortem suam nos reconciliasse Æterno Patri, illum pro suis etiam inimicis deprecatum fuisse, obtulisse labores, passiones, & mortem suam, ut veniam nobis mereretur: Sed post Ascensionem suam jugiter fungitur Mediatoris officio, quemadmodum docet Apostolus; ostendit plagas pro nobis receptas, precatur, intercedit, ac incessanter Patrem urget *semper vivens* ad Hebr. 7. *ad interpellandum pro nobis.*

3. Demum postquam ascendit in Cælum factus est Dispensator omnium donorum, atque gratiarum. Testatur Propheta illum ascendentem in Cælum *hominibus dediſſe dona*; quod facere solent Principes cum in ad Ephes. 4. suam Metropolim ingrediuntur. Inde misit ad nos Spiritum Sanctum suum, qui per essentiam donum est, & auctor omnium donorum.

Quidquid pertinet ad hoc Mysterium duabus his propositionibus complecti possumus. XVII.

Quarum prima est: Ascensio est consummatio gloriæ Filii Dei.

Altera: Fundamentum est spei Omnium Fidelium.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, unde hauriri copia potest ad propositas sermonum Partitiones exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *de Agone Christiano* explicat, quomodo Salvator in Cælum ascendit, & hoc ipsum ostendit *in Psalm. 92.*

Idem *libro de Fide*, & *Sapientia* ostendit, quomodo corpora nostra in Cælo fiant tamquam spiritualia.

Idem *serm. 58. de verbis Domini* loquitur de gaudio, quod nobis concipiendum est de glorioso Ascensionis Mysterio.

Idem *serm. 178. de Tempore* fusius loquitur de hoc Mysterio.

Idem *inter sermones de Tempore* plures habet de Salvatoris Ascensione, in 6. hujus Mysterii comparat Nativitatem cum Ascensione.

Idem *sermone 10.* hujus Mysterii loquitur de gloria, ac triumphis JESU CHRISTI in Ascensione.

Idem Tomo 10. de diversis. *6. 17. 58. 175. 177. 178. 179.* & 180.

Sanctus Gregorius Magnus *Homil. 29. in Evangel.* comparat Ascensionem Domini cum raptu Enoch, & Eliæ, alterius quidem ante legem, alterius vero sub lege.

Idem *in cap. 8. Job*, prolixum habet de hoc Mysterio sermonem, quem ad morum doctrinam redigit.

Idem *in Psalm. 5. pœnit.* ponit Salvatoris Ascensionem spei nostræ fundamentum.

Idem in primum Regum librum ostendit quomodo Salvator per hoc Mysterium carnem nostram elevaverit.

Sanctus Cyprianus *Tomo 3.* sermonem habet de hoc Mysterio.

Sanctus Chryſostomus *Tomo de diversis novi Testamenti locis serm. 38. & Tomo 6. serm. 1.* & alibi.

Beda *homil. in Evangel.* recenset miracula, quæ facta sunt in illo Mysterio.

Sanctus Epiphanius *de CHRISTI Assumptione Oratio.*

Eusebius Emissenus habet Homiliam, ubi agit de omnibus, quæ hoc Mysterium respiciunt.

S. Gregorius Nyssenus, Orationem habet hujus argumenti.

Yvo Carnotensis in oratione de hujus diei Festivitate refert ea, quæ tunc acciderunt miracula.

S. Innocentius III. Papa de hujus diei Festivitate loquitur.

S. Leo duos habet sermones, in quibus plura de hoc habet Mysterio.

Sanctus Bernardus sex habet de hoc Mysterio sermones.

Sanctus Bonaventura quinque, in quorum secundo comparat diem Ascensionis, quo ascendit in Cælum cum novissimo judicii die, quo venturus erit ad omnes homines judicandos, & in tertio illius consilia, ac desideria pro nobis Cælum ascendendi.

Hugo de S. Victore tractat hoc Mysterium in uno sermone.

S. Laurentius Justiniani, hujus diei mirabilia recenset.

S. Thomas unum habet sermonem præter ea, quæ habet in parte tertia summæ suæ. Ascetici, alique.

Granatensis in Memoriali *lib. 6.*

Idem in Meditationibus de Vita Domini, ubi loquitur de fructibus, quos Salvator nobis in hoc mysterio communicavit.

P. a Ponte parte 5. Meditationum de mysteriis fidei, 17. Meditatione.

P. Novet in 3. parte Hominis Orationis de gloriosa JESU CHRISTI Vita in Cælo.

Omnes, qui scripsere meditationes de Vita JESU CHRISTI.

Suarez *de Mysteriis*, ubi funditus tractat, ac Theologice quidquid pertinet ad hoc Mysterium.

Raynerius de Pisis *in Pantheologia.*

Ex Interpretibus Salmeron, Barradius, Sylveira, Cornelius a Lapide fusius locuti sunt de omnibus hujus Mysterii circumstantiis.

Cartagena plures habet hujus argumenti homilias, & largam suppeditat rerum supellectilem.

P. Nepveu tomo 2. Christianarum Considerationum.

Molinier in sermonibus de Mysteriis. Concionatores Recentes.

P. le Jeune Oratorii Sacerdos.

In Moralibus sermonibus non deest sermo hujus argumenti.

Abbas

Abbas de Aubinac in sermonibus editis.
Abbas de Bourseis duos habet hujus Mysterii.
Abbas Trappensis in Collationibus.
Biroat in Mysteriis.
Pater de la Colombiere tomo 1. duos habet sermones decimum quintum, & decimum sextum.
P. Duneau duos hujus Festivitatis.
P. Texier in Tomo Mysteriorum.
P. Bourdalove in Tomo Mysteriorum.
P. Cheminais unum hujus Mysterii, qui in novissima editione sermonum additus fuit.
Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta in Mysteriis Domini Nostri.
In specimine sermonum tomo 2. pro Dominicis tres sunt hujus argumenti sermones.

Qui collectanea edidere.

Labatha Titulo *CHRISTI Ascensio*,
Spaner Tomo 1. Titulo. *Ascensio CHRISTI.*
Langius, sive Polianthea Titulo Ascensio.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Figuræ, & Applicationes Scripturarum ad hoc argumentum.

Inclinavit Cælos, & descendit, & ascendit super Cherubin, & volavit super pennas ventorum. Psalm. 17.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco Sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde &c. Psalm. 23.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Ibidem.

Notas mihi feciſti vias vitæ. Psalm. 15.

Exaltare super Cælos Deus, & in omni terra gloria tua. Psalm. 56.

Qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi. Psalm. 67.

Date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus in nubibus. Psalm. 67.

Qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem. Ibidem.

Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. Psalm. 67. & ad Ephes. 2.

Ascendit Deus in Jubilo. Psalm. 46.

Qui ascendit super Cælum. Ibidem.

Deus sedet super sedem Sanctam suam. Ibidem.

Qui ponis nubem ascensum tuum. Psalm. 103.

Ascendit pandens iter ante eos Rex eorum. Mich. 8.

Et Dominus quidem JESUS postquam locutus est eis, assumptus est in Cælum, & sedet a dextris Dei. Marc. 16.

Factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cælum. Luc. 24.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado. Joann. 14.

Vado parare vobis locum. Ibidem.

Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos. Joann. 16.

Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Joann. 12.

Exivi a Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem. Idem ibidem.

Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Joann. 20.

Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo. Joann. 7.

Spiritus nondum erat datus, quia JESUS nondum erat glorificatus. Joann. 4.

Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Joann. 6.

Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Joann. 17.

Oportuit CHRISTUM pati, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24.

Hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem JESUM CHRISTUM. 1. Joann. 2.

Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Matthæi 6.

Cum hæc dixisset videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Actor. 1.

Hic JESUS, qui assumptus est a vobis in Cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum. Ibidem.

Deus exaltavit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne Nomen. Ad Philipp. 2.

Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. Matth. 21.

Quæ sursum sunt quærite, ubi CHRISTUS est in dextera Patris sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ad Coloss. 3.

Ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia. Ad Ephes. 4.

Convivificavit nos, & consedere fecit in Cælestibus. Ad Ephes. 2.

Expolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Ad Coloss. 2.

Quod autem ascendit quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ. Ad Ephesius 4.

Viri Galilæi quid hic statis aspicientes in Cælum? Actor. 1.

Expectamus Dominum JESUM CHRISTUM, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Ad Philipp. 3.

Præcursor pro nobis introivit JESUS. Hebr. 6.

Habemus Pontificem magnum JESUM, qui penetravit Cælos. Ad Hebr. 4.

Excelsior Cælis factus. Ad Hebr. 7.

Vidimus JESUM per passionem gloria & honore coronatum. Ad Hebr. 2.

Introivit JESUS in ipsum Cælum, ut appareat vultui Dei pro nobis. Ad Hebr. 9.

Sedenti in throno, & Regno, gloria, & potestas. Apoc. 5.

Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Jann. 14.

Figuræ, & Exempla Veteris, Novique Testamenti.

Raptus Henoch figura Ascensionis Salvatoris.

SAnctus Gregorius *in Homil.* 29. duas potissimum deprehendit figuras Ascensionis Salvatoris in veteri Testamento, unam ante, alteram post legem scriptam. Prima ex his figuris est Henoch, qui raptus, translatusque fuit in locum ignotum, ne improbitas præverteret cor illius rectum, & innocens; & ne inficeretur generali corruptione sæculi, quo vivebat. Hic tamen raptus longe aliud est ab Ascensione Salvatoris, sive causſam spectes, sive modum, quo utrumque hoc admirabile prodigium adimpletum est.

Raptus Heliæ.

Altera Figura est Helias Propheta, qui igneo quidem curru fuit raptus, sed aliena virtute, cum Salvator de terra ascenderit, & penetraverit usque Cælorum apicem virtute sua; quod vero commune est inter alterius raptum, & Ascensionem alterius illud est, quod Sanctus Bernardus adnotavit loquens de raptu Heliæ; videlicet, quod Helias flammeo sublatus curru ad Elisæi discipuli adspectum, secum abstulit omnia Discipuli desideria: *Universa ejus desideria secum abstulit.* Duo, ut ita dicam, raptus fuere, alter quidem visibilis, & materialis in ardenti curru, alter invisibilis cordis hujus discipuli; sed longe aliud accidit, cum Dei Filius in Cælum ascendit. Aufert secum desideria Apostolorum videntium illum; omnes illius triumphum mirantur, oculos habent in Cælum sublatos, & cor a terra divulsum; hinc quidem respiciunt hunc Salvatorem gloriam, & illecebras suas ostentantem; inde vero considerant, ipsum abire ad constituendam partem cælestis beatitudinis, cumque reipsa illum comitari non possint, sequuntur illum oculis, & corde per sua desideria.

Visio Danielis in qua pingere videtur gloriam Ascensionis Domini.

Nonne diceres Propheram Danielem prophetasse, simulque pinxisse gloriam, atque triumphum Dominicæ Ascensionis, quemadmodum prophetaverat, & connotaverat tempus, quo erat occidendus? En verba ex capite 7. quibus narrat visionem, quam habuit in somnis. Considerabam, inquam, hæc in nocturna visione & vidi tamquam Filium hominis venientem cum nubibus cæli, & procedentem usque ad antiquum dierum. Illum huic præsentarunt (*Angeli, & Sancti qui comitabantur eum*) & hic dedit ei potestatem, honorem & regnum; & omnes populi, ac omnes Tribus, & linguæ servierunt illi. Potestas ejus æterna non auferetur ab eo, & Regnum illius non delebitur in æternum. Visio hæc Prophetica, ubi sermo fit de Filio Hominis, qui progreditur, & se præsentat antiquo dierum, qui æternus est Pater, a quo recipit potestatem, honorem, æternumque regnum cum submissione populorum omnium, nonne palam indigitat gloriam, & Regnum, cujus hic homo-Deus adit possessionem in sua triumphali Ascensione?

Nemo de hoc Mysterio sæpius vel magnificentius locutus est Regio Propheta.

De hoc Mysterio nullus Prophetarum apertius, & magnificentius locutus est Regio Psalte; nam toties, & adeo magnificis verbis de illo verba facit, ut videatur præsens glorioso huic interfuisse spectaculo, eumque corporis æque, ac mentis oculis conspexisse; ita enim factum exhibet, ut videre est, ex locis, quos attulimus, & præsertim cum cælestis illius regni cives urget, ut portas attollant aditum facturi huic Regi gloriæ, cujus meritum, virtutem, & victorias enarrat. Modo illum ostendit nube lucida invectum, modo super alas Cherubim ascendentem, modo innumera beatorum Spirituum multitudine stipatum, ac tandem ad dexteram Patris æterni sedentem. Itaque ut aliquam nobis proponamus imaginem triumphalis hujus Ascensionis, quæ alioquin omnes superat ideas, & locutiones, uti sufficit verbis Sancti Regis hujus hoc in argumento triumphantis.

Consi-

Gloria eorum qui Salvatorem ascendentem concomitantur. ad Hebr. 4.

Consideremus quæso hypotiposim, quam S. Paulus nobis proponit horum omnium Sanctorum componentium gloriosam hanc turbam hodierna die JESUM CHRISTUM in Ascensione sua concomitantem: *Sancti viri ludibria, & verbera experti.* Ex horum Beatorum numero alii quidem fuerunt objectum irrisionis, & crudelitatis Mundi: *Insuper & vincula, & carceres;* Alii ferreis vinculis adstricti fuerunt, & viventes adhuc in foveis sepulti: *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Considerate gloriam Prophetæ Jeremiæ, & Zachariæ; lapides, quibus obruti sunt propter Deum, componunt coronas eorum. Oculos conjicite in strenuos fratres Machabæos. Hic cum gaudio viderunt ossa sua confringi, omnesque artus dilaniari, antequam triumpharent cum JESU CHRISTO, & si admirabilis eorum mater hodie præcedit illis, caussa est, quia ipsa una tantum passa est, quantum omnes simul ejus Filii, videns illos deinceps unum post alium laniari. *Secti sunt.* Hæc Israelitarum manus sunt illi, quos furor Antiochi trucidavit. *In occisione gladii mortui sunt.* Illi vero quos tanto in numero videtis, non quidem totum sanguinem simul effuderunt, sed guttatim: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & cavernis.* Scire vultis, quænam essent illorum indumenta? asperum cilicium; quæ illorum mansio? solitudines, & saltus; quæ illorum perfugia? speluncæ, atque cavernæ. *Iis* victitabant fructibus, quos horrentia deserta poterant ministrare. Mortales ad extremam redacti pauperiem, ad cumulum miseriæ in ipsis etiam exagitati erant nemoribus, *ubi* feris quietam vitam agere fas est. En teste Apostolo quænam erat vita gloriosorum Sanctorum, qui hodierna die JESUM CHRISTUM triumphantem concomitantur. Ecce quomodo Mundo nuntium miserunt, ut in Cælum ascenderent: *Quibus dignus non erat Mundus,* Sanctus Paulus addit. Mundus illos possidere non merebatur; magna illa corda pro Cælo facta erant; ideoque nunquam rati sunt Mundum suo amore dignum.

Ibidem;

Visio Zachariæ figura Ascensionis Domini.

Quid aliud innuere volebat Deus Zachariæ Prophetæ ea in visione, quæ legitur capite tertio ejusdem prophetiæ, nisi triumphalem Salvatoris Mundi Ascensionem? Ostendit illi summum Pontificem, cui nomen JESUS in comitatu gloriosissimo circumdatum. Magna cohors Angelorum post magnum cum dæmone certamen, victo dæmone festinabant, ut illum locupletissimis vestibus exornarent; alii imponebant capiti ejus diadema gloria coruscans, alii eum pretiosissimis indumentis operiebant, cum interim diabolus humiliatus, & catenis onustus suo spoliabatur imperio. Quid aliud inquam innuere volebat Deus præter captivitatem dæmonis, atque peccati, a qua Salvator nos liberat in gloriosa sua Ascensione. *Ascendens CHRISTUS in altum captivam duxit captivitatem.*

ad Eph. 4.

Sancti Veteris Testamenti qui Salvatorem comitantur in triumpho Ascensionis suæ.

Si consideras speciosam hanc multitudinem, quæ Salvatorem triumphantem subsequitur, videbis omnes *insignitos victoriis*, quas retulerunt de suis cupiditatibus, *vel* præclaris rebus gestis, quibus honorem hunc promeriti sunt; videbis Moysem strenue sceptro, & coronæ Pharaonis abrenuntiantem; Abraham omnes naturæ sensus jugulantem, ut optatissimum filium Isaac unigenitum immolet Omnipotenti; Joseph a propriis fratribus exagitatum: Job contra omnes inferorum, & terræ vires pugnantem, quin tamen Dei laudes celebrare cesset; aliosque id genus plurimos.

In novo Testamento nullam inveniemus figuram, nullum exemplum, aut hujus Mysterii prophetiam; veritatem enim habemus, cujus historiam allatam a S. Marco, & Sancto Luca in Actis Apostolorum hæc est.

Historia Ascensionis uti in novo Testamento narratur.

Ex quo JESUS CHRISTUS resurrexit, cum quadraginta dies cum Discipulis suis conversatus fuisset, de Galilæa accersivit illos Jerosolymam, & illos postremum allocutus iterum præcepit illis, ut in universum mundum abirent Evangelium ubique prædicaturi. Pollicitus est illis peculiarem opem, præsertim vero virtutem operandi miracula, imperans tamen ne discederent Jerosolymis, nisi recepissent Spiritum Sanctum. His dictis adduxit eos Bethaniam versus in montem Olivarum, & cum loqueretur adhuc viderunt illum in aerem se attollere, & nube amictum ex oculis ipsorum auferri. Ita ingressus est in Cælum, ubi sedet ad dexteram Patris. Verum cum illi sursum in Cælum respicerent, quo ille ascendebat, duo Angeli sub humana specie albis præcincti tunicis dixerunt illis: Viri Galilæi, quid admiramini suspicientes in Cælum? JESUS qui vos deserens, & in terra relinquens ascendit in Cælum, redibit eodem modo in terram cum eodem fulgore judicaturus illos, qui mandatis suis obediverint.

Quomodo S. Paulus de Ascensione Domini loquatur,

Sanctus Paulus zelo succensus gloriæ Magistri sui, in Epistolis passim verba facit de Salvatoris Ascensione usus semper verbis magnificis, cum e contra Evangelistæ simpliciter factum enarrent. Magnus hic Apostolus credidit nihil aptius esse ad ciendos in nobis sublimes sensus magnitudinis JESU CHRISTI quam cogitatio triumphalis Ascensionis ejusdem; quod Ethnicæ Religionis Heroes irrito labore populis persuadere conati sunt. En præ ceteris, quid dicat scribens ad Colossenses: *Expolians Principatus atque potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Et ad Ephesios asserit illum a Deo exaltatum fuisse super omnes celsitudines, Principatus, & Potestates, verbo, super quidquid excelsius est in terra, atque etiam in Cælo: *Constituens eum supra omnem Principatum, & Potestatem, & omne Nomen, quod nominatur sive in hoc sæculo, sive in futuro.*

ad Coloss. 2.

Applicationes aliquorum Scripturæ locorum huic argumento.

Qui vere diligunt JESUM CHRISTUM lætari debent de Salvatoris Ascensione pro communi utilitate.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado. Joann. 14. Quid facietis, Discipuli, quos Dei Filius relinquit ut revertatur ad Patrem suum, & quos in terris relinquit, Cæli possessionem aditurus? Num gloria ejus gaudebitis; num mœrebitis ejus discessu? An anima vestra inter utrumque motum hunc adeo sibi oppositum fluctuabit? Dei Filius hanc prævertit difficultatem per hæc verba: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado.* Si meam quidem quæritis gloriam, me Cælum petente, gaudere debetis; sed etiamsi id tantum spectetis, quod interest vestra, non ideo minus lætandum est; vado enim, ut vestri curam geram, ut vobis sedem præparem, ut ad vos mittam spiritum meum, ut perficiam opus reconciliationis vestræ cum Patre vestro, & meo; & ut vobis certa præbeam subsidia, quibus adjuti sequi me, quo vado, possitis. Quid respondere possumus Christiani his argumentis amoris sui, quæ nobis exprobrare videntur modicum amorem, quo illum prosequimur. I, Domine, adi possessionem hujus regni tui, quod tot tibi laboribus stetit. Jam satis a te factum est pro miseris creaturis, quæ per se nihil facere possunt, ut infinitæ caritati tuæ referant gratias. Satis est exilium produxisse, quod tantum tibi tædium allaturum est. Tempus est, quo revertaris in locum nativitatis tuæ, & sedeas in Throno, quem tibi Pater æternus ad dexteram tibi præparavit: Tu autem æterne Pater quousque differes triumphum, quem Filius tuus sibi tot victoriis comparavit? Quandonam illa nobis affulgebit dies, qua visuri sumus illum nequaquam perdidisse omnes labores suos, quamvis pro nobis illos impenderit, qui sumus impares, qui ullum grati animi sensum illi testemur. *P. de la Colombiere Sermone de Ascensione.*

Sensus Apostolorum videntium JESUM ascendentem in Cælum.

Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cælum? Act. 1. Gaudium ne, an dolor invasit cor discipulorum, quo facti sunt tamquam immobiles in hoc monte? Num voluptas videndi Salvatorem in Cælum ascendentem, an dolor illum non amplius videndi, omnem illis sensum videtur ademisse? Quæ voluptas videre ascendentem in Cælum eum, quem fleverant in monumento! sed etiam quis dolor amisisse illum, quem vita sua cariorem habebant? Quæ oblectatio videre finem impositum iis certaminibus, quæ ille tanta cum gloria adimplevit! Sed quæ mœroris caussa illum triumphantem sequi non posse! O miseros Discipulos! Heu! Non audietis ultra vocem divini Præceptoris vestri! Infelices Orphanos vobis eripitur Pater amabilis! Filii Sponsi, ecce tempus lacrymarum, quod vobis intentatum fuit, jam adest! Frustra Cælum suspicitis, & emittitis suspiria vestra post deliciarum vestrarum objectum, si huc illum revocare contenditis, in irritum cedunt vota vestra. Si vos urget illius sequendi desiderium, æquissima est intentio vestra, sed adhuc est expectandum: adveniet dies illa, qua licebit vobis post illum ascendere in regnum illud, cujus hodie possessionem ingreditur. Interea consolamini, & quin lacrymis vestris perturbetis Ascensionis ejus lætitiam, amor in illius partem vos vocet; hæc ratio est per quam in antecessum beati fieri valeatis.

Dei Filius in Cælum ascendit, ibi nobis locum paraturus & nos facturus participes regni sui.

Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam accipere Regnum, & reverti. Luc. 19. Dicere possumus hanc simul esse applicationem, & explicationem simul parabolæ, quam Salvator aliquando proposuit Apostolis suis de Rege quodam, qui peregre profectus fuerat Regnum sibi comparaturus, & qui revertitur ad suos facturus illos suæ felicitatis consortes. Nam homo hic qui ob hanc unam qualitatem meretur vocari dominus universorum, quia hominum amor dies quadraginta illum post Resurrectionem in terris detinuerat, suspendens non statum quidem, sed locum gloriæ suæ, abiit tandem susceptorus possessionem Regni meritis suis debiti, sed ea mente, ut nobis quoque præparet sedem nostram; quemadmodum ore suo testatus est; vel si mavis, imitatus est Patriarcham Joseph, qui accitis fratribus suis in Ægyptum, ubi tamquam alter a Rege habebatur, & colebatur, illis tribuit potiundos uberrimos Regni illius agros: *Fratres tui venerunt*

Gen 47.

nerunt ad te, in optimo loco fac illos habitare; Dicebat illi, qui tunc Ægypti tenebat imperium. Ita satis non est Filio Dei nos invitare in locum gloriæ, & Regni sui, primas etiam nobis exhibet sedes; ideoque pro nobis ascendit hodie in Cælum, quemadmodum pro nobis illinc descenderat. Namque ut certius, & non revocandum in dubium, jus nostrum efficeret, nos in persona ipsius Cæli possessionem adimus. *Auctor sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta.*

De hoc, quod Dei Filius super Cælos ascendit.

Ascendet super omnes Cælos. Ad Ephes. 4. Hæc Apostoli verba negotium facessunt Theologis, quærentibus quinam sit adeo sublimis locus, qui Mundi ambitu non continetur? Et S. Thomas credit illum reipsa esse super omnes Cælos in infinitis illis spatiis, quæ sola Dei immensitate replentur, & sub cujus pedibus altissima sternitur Empyrei superficies, & quidquid in universo continetur. Ita est Fideles, ille qui per humiliationis, atque humilitatis prodigium, non invenerat in terra locum, ubi caput suum reclinaret, *filius hominis non habet, ubi caput reclinet*; modo per excessum gloriæ non invenit locum in Cælo dignum, quo excipiatur. Opus est, ut Thronus ejus superior sit naturæ universæ, ne quid terminos statuat illius magnitudini, & cum nequeat Mundus capere Majestatis ejus fulgorem, sub pedibus suis subjecta habeat omnia creata.

JESU CHRISTI humiliatio mensura est exaltationis ejusdem in Ascensione.

Quod ascendit quid est, nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ. Ad Ephes. 4. Ordo est a divina Providentia sapienter institutus, ut quicumque se humiliaverit exaltetur & voluntataria humiliatio sit mensura exaltationis. Veritatem hanc in Filio suo magis enitescere voluit Deus, & Apostolum suum conceptis verbis asserere, JESUM ideo ascendisse, quia ante descenderat. Nihil ergo aptius mihi videtur ad vobis ostendendum quousque Mundi Salvator terrestrem naturam exaltaverit, quam considerare quousque Mundi Salvator sese demiserit. Alterum dequ sumendum est pro alterius mensura: qui enim non cognovit admirabilem Filii Dei descensionem, nunquam Ascensionis ejusdem gloriam assequetur. Qui nescit, unde venerit, & quo usque descenderit, nesciet unquam quo usque ascenderit. Qui Cælorum altitudinem dimensus non est, & abyssuum profunditatem, judicium ferre non poterit de spatio, quod inter utrumque intercedit. Quod *si verum est Incarnatum Verbum ad inferos usque descendisse*, & ascendisse usque ad altissimum Cælorum fastigium, quomodo audere possumus de illius Ascensione verba facere, quandoquidem metiri non possumus neque alterius profunditatem, neque altitudinem alterius. *Altitudinem Cæli, & profundum Abyssi, quis dimensus est?*

Eccli. 1.

Ratio propter quam expediebat Apostolis ut Dei Filius eos corporali sua præsentia privaret.

Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Joann. 16. Fieri ne igitur potest, ut Filii Dei præsentia esset impedimento, ne Apostolorum Sanctitas perficeretur? Quamvis hoc intellectu sit arduum, ille tamen hoc dixit, & satis est, ut omnis difficultas ejiciatur. Profecto præter rationem, quæ respicit fidem, cujus objectum abesse debet, ut majori cum merito exerceatur: Sancti Patres aliam rationem addunt, quæ ad Caritatem refertur; videlicet amorem, quo Salvatorem prosequebantur Apostoli, aliique Discipuli, quamvis sanctus, & legitimus esset, habuisse tamen nescio quod nimis naturale, ac sensibile, ideoque fuisse emundandum, & efficiendum ita ab omni sensu vacuum, ut non considerarent Salvatoris humilitatem, nisi ut sese attollerent ad contemplationem naturæ divinæ, quæ universalis est terminus & centrum nostræ felicitatis. Sed ad nos regendos in exercitatione adeo sublimis sanctitatis, validis nobis opus erat subsidiis; quæ ut efficientius nobis procuraret JESUS CHRISTUS, in Cælum ascendit cum vulneribus, quæ in Passione recepit, abit illa expositurus oculis æterni Patris, ut ibi incessanter fungatur officio Mediatoris hominum, quemadmodum dicit S. Joannes: Advocatum habemus apud æternum Patrem JESUM CHRISTUM. Omnia enim dona, & gratiæ, quæ Cælitus communicantur Ecclesiæ, atque Fidelibus, distribuuntur per Salvatorem sedentem ad dexteram Patris, ubi incessanter orat pro illis.

1. Joann. 20.

Hujus Mysterii effectus nos impellere deberet ad omnes affectiones nostras in Cælum transferendas, ubi est J. C. thesaurus noster.

Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6. Cum omnis thesaurus noster sit JESUS CHRISTUS, qui nunc in Cælis est; & cor nostrum suapte natura illic esse debeat, ubi noster est thesaurus: Inevitabile Christiani officium est, omnes affectus suos collocare, ibique illos in æternum figere. Talis generatim est hujus Mysterii Spiritus, qui in praxi nos debet impellere ad promerendam cum JESU CHRISTO Cæli beatitudinem, & hac mente contemnenda omnia terræ bona. Profecto quamvis ad beatitudinem comparandam ad Salomonis exemplum periculum faceremus eorum, quæ maximas habent in hominibus illecebras, & quæ illi delicias suas putant, quid inveniremus, nisi quod ille invenit; videlicet *vanitatem*, *atque miseriam*. Vanitatem, quia nobis satisfacere nequeunt; etiam cum possidemus illa: miseriam in difficultate possidendi: Vanitatem in incertitudine illa obtinendi; miseriam in necessitate videndi illa serius ocyus per mortem abrepta. Opponamus huic vanitati, atque miseriæ soliditatem, ac perpetuitatem cælestium bonorum, ad quæ nos JESUS CHRISTUS invitat; hæ prærogativæ non sufficiunt ut cogamur contemnere non solum Mundi voluptates, sed etiam pœnas illis inhærentes?

Ut sequamur JESUM CHRISTUM in Cælum, illuc ascendere debemus ut ille per viam passionum.

Oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. Passionum via illa fuit, per quam JESUS CHRISTUS ad gloriam pervenit: nunquid dispensari possumus, ne cum illo, & post illum eamdem viam ingrediamur? Profecto Discipulus non est major Magistro suo, nec servus melior Domino suo. Si hujus necessitatis adspectus terret sensus nostros, animum confirmare debet. Etenim si integrum nobis esset aliud invenire medium, ut Cælum assequi possemus; si aliqua nobis spes supereset illuc non pervenientibus; si aliquid daretur medium inter æternam felicitatem, æternamque miseriam, possemus fortasse aliquam inire rationem, & ignaviam cum sensuum cupiditate conciliare; Sed quoniam absolutæ necessitatis est ad gloriam pervenire, & pervenire per viam, qua illuc pervenit JESUS CHRISTUS, quæ via passionum est; necessitas hæc omnem nobis aufert prætextum. Hoc necesse est; nihil in oppositum afferri potest. Ut intraret JESUS CHRISTUS in Cælum oportuit illum pati, & oportet ut per passiones nos quoque in Cælum ingrediamur.

Quid prohibet ne sequamur J. C. ascendentem.

Quo ego vado, vos non potestis venire. Joann. 21. Non dubito, quin plerique Christiani sibi repræsentantes gloriosam hanc turbam, quæ sequitur JESUM CHRISTUM, ardentia conceperint vota eumdem sequendi; sed heu! metuo, ne Dei Filius illis redditurus sit, quod olim dixit Apostolis suis: *Quo ego vado, vos non potestis venire modo*; nam ut ascendamus in Cælum perfruituri gloria, quam Deus nobis præparavit, Mundus est relinquendus: *Ecce relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* Sed quantum licet conjicere, vos adhuc magnos habetis nexus *cum illo*; multa supersunt adhuc vobis infringenda *vincula*, ut perfectam assequamini libertatem; *Hæ calamitates*, & ærumnæ, quæ adeo *violenter agitant vestras affectiones*, *ostendunt adhuc nullo vobis esse in discrimine terræ hujus bona*, & mala; sed magnum adhuc effectum operari *in corde vestro*, ideoque vos nondum esse in via, quam *vobis* JESUS CHRISTUS connotavit, ut illum ascendentem sequamini.

Joann. 16.

Ascensio J. C. Mysterium spei est Fidelibus.

CHRISTUS in vobis spes gloriæ. Ad Coloss. 1. Ascensio Christianis est Mysterium spei plenum, & pignus certissimum beatæ immortalitatis: nam si JESUS CHRISTUS secundum S. Pauli oraculum, resurrexit propter nostram justificationem, dicere possumus illum ascendere, ut nos faciat suæ gloriæ participes, qui fructus est justificationis, & Apostolum jure suo appellasse JESUM CHRISTUM spem nostram glorioso hoc die, ubi se in statum adducit replendi omnia vota nostra, & certas faciendi *contentiones nostras* & jura in Cælum, *tamquam hæreditatem quam ille nobis promeritus est. CHRISTUS in vobis spes gloriæ.* Ah si nos recipere possemus impressiones gratiæ, & respondere omnibus benevolentiæ argumentis, quæ nobis JESUS CHRISTUS reliquit, nunquid aliquid ultra requireretur, ut in ipsum omnes converteremus cogitationes nostras, & omnem spem collocaremus in Salvatoris bonitate, & omnem *conatum exercuremus* ad sequendum illum, *qui factus est nostra spes*, quoniam ipse est simul spei nostræ causa, objectum, finis, atque principium? *Ex sermone Patris Cheminais.*

Quomodo Salvator in Ascensione sua recepit vere omnem potestatem.

Data est mihi potestas. Matth. 28. Novissimis annis, quibus Dei Filius in terris commoratus est, non fuit arduum intelligere ex numero, & magnitudine miraculorum, quæ operatus est, sibi a Patre omnem collatam fuisse potestatem, quippe ostendit ipsum absolutum esse Dominum maris, ac terræ, & inferorum, sed oportebat, ut se etiam in Cælo summum imperium obtinuisse probaret. Mare illum Dominum suum agnoverat, quoniam solidum sub pedibus ejus sese substraverat; terra, quia in morte illius contremuerat; infernus, quia portas ejus confregerat, & dæmonem victum catenis obstrinxerat. Verbo, qui leprosos mundaverat, claudos recta incedere fecerat, mortuos suscitaverat, mutis loquelam, surdis auditum, cæcis aciem oculorum reddiderat, ille inquam, qui omne infirmitatum genus curaverat, proculdubio absolutum affectus est imperium super omnia terrena, sed in gloriæ suæ cumulum, & ad confusionem pertinacissimorum inimicorum suorum, necesse erat, ut de terra in Cælum ascenderet, ut tamquam verus Deus possessionem adiret hæreditatis suæ, & ibi reciperetur tamquam Dominus virtutum, & Creator universorum, & hoc illud est, quod cum Patribus vocari potest consummatio gloriæ, & operum Salvatoris. Paulo antequam in Cælum ascenderet, dixerat: *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*: quod non intelligitur solum de sensibili possessione, quæ potest elemento-

Matth. 9.

Matth. 28.

mentorum ordinem invertere ; sed etiam de supernaturali potestate, quæ respicit Mundum spiritalem, veluti œconomiam Ecclesiæ, gratiæ, & salutis. *Omnis potestas*. Fungi incœperat hac auctoritate, cum esset in terra, sed illam plene exercet in Ascensione.

Dei Filius ascendens in Cælum, nobis idem est, ac qui erat in terra.

Quod autem ascendit, quia & descendit, &c. ad Ephes. 4. Qui ascendit in Cælum, idem ille est, qui de Cælo descendit. Timere possemus, JESUM CHRISTUM, qui hodierna die mutat conditionem, & qui de Cruce in Cælorum ascendit verticem, mutasse etiam naturam, & aliquid amittere de benevolentia, quam dum viveret, testatus est Discipulis suis : Sed Apostolus aufert nobis suspicionem adeo contumeliosam, cum ait, eum, qui ascendit, eumdem esse, ac qui descendit. Profecto idem est ascendens, ac erat descendens. Descendit per misericordiam, ascendit per amorem, eamdem habet bonitatem eamdem caritatem ; æque lenis est, suavis, misericors qualis erat in terra ; quin nori status sui gloria aliquam pariat in corde illius mutationem. *Non potest*, S. Augustinus ait, *obliviscì hominem, quem ipse gestat*. Non potest obliviscì eorum, qui sunt ejusdem cum illo naturæ. Scit, se hominem esse similem nobis, se nonnisi pro nobis hominem esse, se possidere omnem gloriam suam, & omnem magnitudinem suam pro nobis, & necessitatibus nostris ; se nequaquam futurum esse qualis est, si non essent homines, & peccatores. Ideo illorum obliviscì non potest, neque eorum curam abjicere, pro quibus in terram descendit, & pro quibus ascendit in Cælum. *Liber, cui titulus. Sermo asceticus*.

Verus Fidelis in Cælum terre debet sua desideria quin terræ inhærcat.

Viri Galilæi quid hic statis aspicientes in Cælum? Act. 1. Apostoli secuti oculorum suorum obtutibus JESUM CHRISTUM euntem in Cælum, nos docent, in quo solida pietas consistat : etenim quid est verus Christianus, nisi homo, qui terram dedignatur, qui eam contemnit, atque fastidit, qui ibi mœret, ac flagrat abeundi cupidine, qui nonnisi vitam æternam contemplatur, & videt, Regnum æternum, & bona ineffabilia, quorum JESUS CHRISTUS adit hodierna die possessionem, & cujus perfruitionem nobis pollicetur ; qui jam habitat in Cælo votis, affectibus, atque colloquiis, *Nostra autem conversatio in Cælis est*. Corpus nostrum hic quidem est, cor vero non item. Cogitationes, obtutus, spes in Cælo sunt. Verum est necessitates hujus vitæ, & carnis corruptibilis pondus nos invitos adhuc in terris detinere, sed anima nostra ibi est, ubi suus est thesaurus. *Ibi est mens, ubi erit requies*. En quid in nobis producere deberet Ascensio, & quod fere nunquam producit. Etenim inveniunturne Christiani, qui id agant? Frustra id prædicamus, & nihilominus hæc veritas est fundamentalis. *Idem*.

ad Philipp. 3.

ad Coloss. 3.

Cur expediebat, Dei Filium e terris abire & in Cælum ascendere.

Expedit vobis, ut ego vadam. Joann. 16. Expediebat, ut Salvator nobis auferret adspectum humanitatis suæ ; nobis opus erat, ut ille esset apud Deum, ut pro nobis intercederet ; hoc illum coegit, ut a nobis discederet. Non igitur in Cælum dumtaxat ascendit illic triumphi honore gavisurus, & perfruiturus gloria sibi debita tamquam æterni Patris Unigenito, tamquam victori mortis, & inferni, sed potissimum ad salutem nostram ; illuc defert suæ victoriæ insignia ; vult illam in aula cælesti ad examen vocari, & recenseri, & sibi a Patre permitti, ut illius nobis applicet fructum. Igitur ascendit ad nostram potius utilitatem, quam suam, ut locum nobis præparet, ut nobis ostendat in persona sua quid destinat Deus omnibus electis suis ; quia sicut ille caput est nostrum, sperare debemus nos in partem accessuros omnium privilegiorum suorum. Glorificatio ejus pignus est nostræ, & ad amovendos omnes obices, qui prohibere, vel retardare possent hanc beatitudinem, addit preces votis suis, se nostrum efficit advocatum, & Mediatorem apud Patrem suum. *Idem*.

Dei Filius fungitur Mediatoris munere apud Patrem suum pro peccatoribus.

Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Ad Hebr. 7. Neque enim sufficit commissa delere peccata, & interdum largiri remissionem ; obtinendum est etiam subsidium contra inimicos, qui superfunt contra tentationes, contra pericula ; roboranda est infirmitas nostra gratiis æque validis, & copiosis ; quas petere Mediatoris est. Ita amabilis Salvator noster, sese offert quotidie Patri suo pro nobis, non cessat loqui pro notis, quia semper potest salvos facere per ipsum accedentes ad Deum, & est semper vivens ad interpellandum pro illis. Quis autem dicere posset, quænam sit virtus jugis hujus intercessionis JESU CHRISTI ? Quid non obtinebit Vox Sanguinis hujus, qui pro nobis efflusus fuit, & qui melius clamat, quam Sanguis Abel ; quia Sanguis Abel poscebat ultionem, Sanguis vero JESU CHRISTI postulat misericordiam. Hic ergo non exaudiri non potest cum offert Deo non solum preces, & supplicationes ejus, sed Sanguinem ipsum, & vitam, & postulat fructum passionum suarum. *Idem*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Si fideliter, si devote Ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, ascendamus corde, ut cum dies promissus advenerit, sequamur & corpore. Augustinus serm. 1. de Ascens. & 175. de tempore.

Scire debemus, fratres, quia cum CHRISTO non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum Medico nostro. Ibidem.

Dum naturam humanam Syderibus importavit, credentibus Cælum patere posse monstravit : dum vincentem in Cælestibus elevavit, victorem mortis, quo sequamur, ostendit. Idem in Actis.

Resurrectio Domini spes nostra est, Ascensio glorificatio nostra. Idem serm. de Ascensione.

Ubi portio mei regnat, ubi me regnare credo ; ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me agnosco ; ubi Sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Idem.

Eadem persona CHRISTI descendit, & ascendit ; descendit quidem sine corpore, ascendit vero corpore induta. Idem, in verba illa : Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo.

In die Nativitatis Dominus vere hominem se esse confessus ; in Ascensione vero se esse Deum testatus est. Idem serm. 6. de Ascensione.

Ascendit Dominus post Sepulcrum, Cælum ; post Crucem, Thronum. Idem, sermone 20. de Ascensione.

Stabant Apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad Cælum Dominum, quia incessu non poterant, oculis sequebantur. Serm. 7. de Ascensione.

In gremium immortalitatis, mortalis natura transfertur. Idem serm. 178. de temp.

Stupenda novitate super cælestes thronos terrenum corpus imponitur. Idem ibidem.

Quis sic non diligat CHRISTUM, ut & suam naturam jam immortalem gratuletur in CHRISTO ? Idem serm. 58. de verbis Domini.

Pretium nostrum dedit cum penderet in ligno, collegit, quos emit, cum sederet in Cælo. Idem sermone 175. de tempore.

Cum bonitatis auctore non ascendit malitia, nec cum Filio Virginis libido, atque luxuria ; non ascendunt vitia post virtutem parentem, nec infirmitates, & morbi post medicum. Idem sermone 176. de tempore.

Salvator noster ascendit in Cælum, non ergo turbemur in terra, ibi sit mens, & hic erit requies. Idem sermone 175. de tempore.

Quod præcessit in capite, sequetur in corpore, hæc est spes nostra, ad hoc credimus, ad hoc duramus, & perseveramus in tanta malignitate hujus sæculi, antequam spes fiat res. Idem in Psalmo 65.

Salvator noster cum in ea carne quam assumpsit ascendit in Cælum, peregre profectus est ; quia locus carnis proprie terra est, quæ quasi ad peregrina loca ducitur, cum in Cælo collocatur. Gregor. Homil. super Evang.

Oportet, ut illuc sequamur in corde, ubi CHRISTUM credimus corpore ascendisse. Idem ibidem.

Illa natura, cui dictum est, terra es, & in terram ibis ; hodie in Cælum ibit. Idem Homil. 26. in Evangelia, & Chrysostomus Homil. de Ascensione.

Cælos transivit, super Seraphim elevatur, nec ante stetit, quam sedem Dominicam meruisset. Chrysostom. serm. 3. de Ascens.

Homo qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsam sedem pervenit, ut altius non posset ascendere. Idem ibidem.

Hodie Angeli naturam nostram in sede Dominica immortali gloria fulgentem viderunt. Idem ibidem.

CHRISTI Ascensio nostra provectio est, & quo processit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis. Sanctus Leo serm. 2. de Ascens.

CHRISTUS cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. Idem ibidem.

Nostra naturæ humilitas in CHRISTO super omnem Cæli militiam, super omnes ordines Angelorum, & ultra omnem altitudinem potestatum ad Dei Patris est provecta consessum. Idem ibidem.

Ut illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in filio. Ibidem.

Non solum hodie Paradisi possessores firmati sumus, sed superna Cælorum in CHRISTO penetravimus. Idem.

Super omnium Creaturarum Cælestium dignitatem humani generis natura conscendit. Idem sermone 1.

Quia nascente Domino humiliata est divinitas, ascendente Domino est humilitas exaltata. Gregor. Homil. 29. in Evang.

Ascen-

Aſcenſio eſt felix clauſula itinerarii Filii Dei. Bernard. ſerm. 2. de Aſcenſ.

Sequamur Fratres agnum quocumque jerit, ſequamur patientem, ſequamur & reſurgentem, ſequamur multo libentius, & aſcendentem levantes corda ad illam in quâ regnat, gloriam Dei Patris. Idem ſermone de Aſſumpt.

Per hoc quod ſe noſtris oculis viſibiliter ſubtraxit, CHRISTUS noſtris ſe mentibus inviſibiliter radicavit. Greg. hom. 7. in Enchirid.

Excellentius, ſacratiuſque innotuit, cum in paternæ Majeſtatis gloriam ſe CHRISTUS recepit S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ.

Propter hoc CHRISTUS aſcendis in Cælum, ut ſublevaret cor hominis ad ſuam dilectionem. Bernard. Senen. ſerm. 2. de Aſcenſ.

Humilitas CHRISTI claritatis eſt meritum; claritas humilitatis eſt præmium. S. Auguſt. tract. 10. in Joannem.

Hoc ſperate membra quod videtis in capite. Idem in Joann. 12.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penè depromi valeat in hoc argumento.

Quid intelligamus, & credamus per hoc Myſterium Dominicæ Aſcenſionis.

CUM Domini Aſcenſio unus ſit ex fidei noſtræ articulis, per hunc profitemur firmiter credere JESUM CHRISTUM poſtquam complevit Redemptionis noſtræ Myſterium aſcendiſſe quatenus hominem corpore, & anima in Cælum, ubi ſemper fuerat quatenus Deus, præſens ubique per divinitatem ſuam, & illuc aſcendiſſe per propriam virtutem, & non alienam, quemadmodum Elias igneo curru translatus eſt, vel quemadmodum Abacuc Propheta, & Philippus Diaconus, qui longiſſima obierunt itineris ſpatia per aerem divina virtute ſublati. JESUS CHRISTUS noſtrum Deus, ſed etiam quatenus homo. Verum eſt hoc miraculum nequaquam accidiſſe viribus naturalibus hominum; ſed cum partim anima JESU CHRISTI erat beata, & agilitatis dono prædita, transferre potuit quocumque voluit corpus ſuum, partim vero cum corpus illius quoque glorioſum eſſet, quin obtemperaret, obſequebatur voluntati animæ ſuæ; quæ cauſa eſt propter quam illum propria virtute credimus in Cælum aſcendiſſe.

Quid ſignificet ſedere a dextris Dei.

In his verbis animadvertere opus figuratam loquendi rationem Scripturis familiarem, quæ ut ſeſe aptet modulo noſtro, quo concipimus corporalia, tribuunt Deo membra, & humanos affectus, quamvis nihil horum ſit ſpiritus: qui quidem loquendi modus eſt, quia cum videamus apud Homines dexteram partem illis concedi, qui habentur in honore, applicantes ideam, quam in nobis ciet dexteræ vocabulum, rebus ſpiritualibus, confitemur, *JESUM CHRISTUM ſedere ad dexteram Patris*, ut exprimamus ſtatum gloriæ, ad quem elevatus eſt tamquam homo ſuper omnes creaturas. Similiter hoc verbum *ſedet* non innuit ſitum, in quo corpus eſt, cum revera ſedet, ſed ſignificat ſtabilem, & permanentem gloriæ poſſeſſionem, & ſupremam, regalemque poteſtatem, quam JESUS CHRISTUS a Patre recepit, qui ſecundum Apoſtolum, conſtituit illum *ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, &c.* Ubi innoteſcit hanc locutionem innuere ſtatum gloriæ, qui ita proprius & particularis eſt Salvatori, ut nulli creaturæ convenire poſſit; quod in cauſſa fuit, ut idem Apoſtolus alio in loco diceret: *Ad quem Angelorum dixit aliquando, ſede a dextris meis?* Quibus S. Thomas addit, ſi hæc ſeſſio accipitur pro requie, pro manſione, vel habitatione in beatitudine Patris æterni; ſeſſio hæc convenit JESU CHRISTO, quia in æternum, & immutabiliter permanet in beatitudine Patris ex Divo Auguſtino. Quod ſi ſeſſio hæc accipiatur pro potentia, & regno Patris, convenit etiam JESU CHRISTO, quatenus regnat, & judicat cum Patre æterno. Verbo, ſeſſionis nomen in ſacris litteris duplicem habet ſignificationem, quarum prima requiem ſignificat, altera vero judiciariam, regalemque potentiam. Sanctus hic Doctor in ſequentibus articulis tradit JESUM CHRISTUM quatenus Deum, quatenus hominem, & quatenus hominem-Deum ſedere ad dexteram Patris.

ad Eph. 1.

ad Hebr. 1: D. Thom. 3. P. artic. 1.

Cur dicatur ſedere a dextris potiuſquam a ſiniſtris Patris ſibi.

Operæ pretium eſt populum doceri, Deo neque dexteram eſſe manum neque ſiniſtram, nec quidquam eorum, quæ illi tribuimus ratione corporum noſtrorum habita, & Scripturas, ac Patres his uti loquendi modis, ut ſeſe accommodent mentium noſtrarum imbecillitati, quæ ſpiritualia comprehendere nequeunt, niſi ſub imaginibus ſenſibilibus; & ſane ut Theologorum more loquamur, Deus non habet aliam faciem, niſi eſſentiam ſuam, non alios oculos, niſi cognitionem ſuam, non alia brachia, niſi omnipotentiam, non cor, niſi amorem, & bonitatem, non alia viſcera, niſi miſericordiam. Sed dextera in homine eſt tamquam principium motus, & virium, & cum aliquid honorem deferre volumus, illum ad dexteram noſtram collocare conſuevimus, ita ad ſignificandum Deum Patrem honorare voluiſſe Filium ſuum, Scriptura inquit, Deum Patrem locaſſe Filium ad dexteram. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* Pſalm. 109.

Sicut, & poſitura Corporis J.C. in Cælo.

Ad quæſtionis hujus de poſitura corporis Filii Dei in Cælo elucidationem, reſtat ſcire, S. Thomæ aliorumque Theologorum communem eſſe ſententiam, Mundi Salvatorem ſtare, & hanc communem futuram eſſe hominum poſituram corporum glorificatorum, quæ nunquam fatigabuntur, quemcumque motum exerant; & arduum eſt ſibi fingere alium aptiorem corporum ſitum, niſi imaginari volucrimus ſubſellia, quæ non decerent, niſi eſſent Throni, quemadmodum in Apocalypſi exhibentur.

Diſcrimen inter Aſcenſionis Myſterium, & alia.

Alia Myſteria, quæ reſpiciunt Mundi Salvatorem, nobis revocant in mentem ejus humilitatem, & admirabilem illius exinanitionem; nihil enim humilius, & abjectius cogitari poteſt, quam videre Dei Filium naturam, & infirmitatem noſtram induiſſe, & pro nobis pati, ac mori voluiſſe; ſed cum dicimus illum reſurrexiſſe, & in Cælum aſcendiſſe, necnon ad Dei Patris dexteram ſedere, nihil dicere poſſumus magnificentius, nihil admirabilius, ut inde intelligatur præſtantia gloriæ, & divinæ Majeſtatis ipſius.

Uni convenit JESU CHRISTO ſedere ad dexteram Patris.

S. Thomas in articulo 4. quæſtionis ejuſdem docet, unum decere JESUM CHRISTUM ſedere ad dexteram Patris; quia ſedere ad dexteram æterni Patris eſt eſſe æqualem illi, quod uni convenit JESU CHRISTO quatenus Deo: ſed per excellentiam poſſidere beatitudinem ſuper omnia creata, hoc convenit JESU CHRISTO ſecundum humanam naturam, ubi quatenus homo dicere tamen poſſet aliquo in ſenſu ſecundum Evangelium, omnes Sanctos in Cælo eſſe ad dexteram Patris, non tamen eodem modo, quo ſedet Filius Dei, neque quatenus *Deus*, nec quatenus homo.

De judiciaria JESU CHRISTI poteſtate in Cælo.

Quamvis videatur Salvator *altius evehi non potuiſſe, quam ut ad Patris dexteram ſederet, habet tamen alium elationis gradum, judicandi videlicet poteſtatem, quam in ſua Aſcenſione recepit*, & per quam Pater ſuus illum conſtituit ſupremum Judicem hominum, & Angelorum; non quod Pater æternus ſe abdicaverit jure ſuo, ut illud transferret in filium; ſed quia novo modo exaltavit illum, quoad hujus muneris exercitium, quod illi proprium aſſignatum eſt, quomodo S. Thomas docet, & explicat. Æquum erat, ut qui ſeſe eo uſque abjecerat, & peccatoris notam induerat, & qui quatenus talis ab hominibus adjudicatus fuerat ſupplicio æque crudeli, atque turpi, in tantæ humiliationis prænium hanc reciperet judiciariam poteſtatem, propter quam Sanctus Petrus aliorum etiam Apoſtolorum nomine dixit: *Præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe conſtitutus eſt a Deo judex vivorum, & mortuorum*; cujus poteſtatem adiit aſcendens in Cælum. Actor. 10.

Cur neceſſe fuit ut Dei Filius in Cælum aſcenderet.

Theologi plures afferunt rationes ex Sanctis Patribus deſumptas, cur oportuerit Salvatorem in Cælum aſcendere? quarum præcipuas afferam, quæ in Catechiſmo Tridentini Concilii exponuntur. 1. Quia decebat, ut Corpus illius factum glorioſum, & immortale in reſurrectione ſua, *habitaret locum adeo ſublimem, ac fulgidum quale Cælum eſt.* 2. ut frui poſſet gloria, & regno, quod adeptus erat ſanguine ſuo, & ut curam gereret earum rerum omnium, quæ pertinent ad ſalutem noſtram. 3. Ut Thronum ſuum in Cælo conſtituens probaret, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, neque regnum perfunctorium, atque terrenum, ſed ſpiritale, ac æternum. 4. In Cælum voluit aſcendere, ut Aſcenſio ſua excitaret in nobis deſiderium ſequendi illum, & ut intelligeremus, ut quamvis ſimus adhuc in hoc Mundo, noſtras cogitationes ſemper eſſe in Cælum attollendas. 5. In Cælum aſcendit, ut ſeſe præſenter Deo, ut inquit Apoſtolus, & fungatur munere advocati apud Patrem. Nihil autem eſt quod ſolidam, veramque lætitiam Fidelibus valeat afferre, quam ſcire, JESUM CHRISTUM omnia poſſe apud Patrem, & conſtitutum fuiſſe pro nobis apud illum Advocatum, & Mediatorem. 6. In Cælum quoque aſcendit locum nobis paraturus, ut promiſerat, & pro nobis quatenus caput noſtrum gloriæ poſſeſſionem aditurus. 7. Tandem in Cælum aſcendit, ut nobis aditum reſeraret, hactenus clauſum, per Adæ peccatum, atque ut nobis viam tutiorem faceret, & faciliorem, quemadmodum prædixerat Apoſtolis ſuis, ita ut ad oſtendendam fidem a ſe præſtitam, ſecum abduxerit in Cælum animas Sanctorum, quas ab inferis revocaverat.

Quæritur in Theologia an CHRISTUS in Cælo preces effundat.

Quæſtio inter Theologos agitur, utrum JESUS CHRISTUS in Cælo preces fundat, & quomodo? Crediderunt nonnulli preces non decere ſtatum, in quo eſt, & parum gloriæ ſuæ convenire, & illius

eſſe

esse imperare potius tamquam Dominum, quam ut supplicem deprecari. Sed sanior, & vulgatior Patrum, atque Theologorum sententia est, gloriæ statum, in quo nunc est Salvator, non abhorrere a precibus; quamtumlibet sublimis sit, semper est in statu orandi Patrem suum; quamobrem Apostolus ait, quod est *semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Sed hoc intercedit discrimen inter preces quas fudit in terris, & quas fundit in Cælo, quod in terris aliquando oravit cum clamoribus, & lacrymis, cum sensu doloris, & miserationis; sed in gloriosis precibus, quas fundit in Cælo, revocat ea, quæ fecit, repræsentat gemitus, quos emisit, & vulnera quæ passus est pro gloria Patris sui, & salute nostra, eumque obtestatur per motus caritatis suæ, ut justitiæ suæ brachium coerceat, & mulceat iram.

ad Hebr. 10.

Maxima bona quæ ex Salvatoris Ascensione recipimus,

Præter cælestium donorum copiam, quæ per Ascensionem Salvatoris nobis communicantur, plura adhuc majora bona percipimus. 1. Meritum fidei nostræ magnum recipit incrementum: cum enim fides sit rerum earum, quæ non videntur, & quæ rationem, & humanam mentem excedunt, liquet, nisi a nobis Salvator recessisset, fuisse futurum, ut fidei nostræ meritum imminueretur; quamobrem Dominus noster beatos vocat, qui crediderint, quin viderent. 2. Roborat mirum in modum spem nostram: si enim credimus constanter JESUM CHRISTUM quatenus hominem in Cælis ascendisse, & quatenus talem sedere ad dexteram Patris sui, simul concipiemus firmam spem, nos quatenus corporis sui membra aliquando ascensuros, ut capiti nostro jungamur; quam spem excivit in nobis Salvator verbis illis cupio, ut ubi ego sum, ibi queque sint illi, quos dedisti mihi. 3. Efficit etiam, ut nostra voluntas impensius feratur in Cælum, & cum Dei spiritu fuerit succensa, experiamur verbi illius veritatem: *ubi est thesaurus tuus, ibi erit cor tuum*. Reapse per Ascensionem suam reddidit amorem nostrum prorsus spiritualem, expedivit illum a sensibus, & effecit, ut modo illum considerantes tamquam a nobis remotum, amemus eum, & colamus tamquam Deum nostrum.

Joann. 17.

Matth. 6.

Sensus, quos fovere debemus de Ascensione Filii Dei.

Opus est, ut Fideles eosdem habeant sensus de Ascensione JESU CHRISTI, quos habere debuerunt de illius morte, & resurrectione; nam licet debeamus salutem, & redemptionem nostram passioni JESU CHRISTI, qui per merita sua justis in Cælum aditum referavit: Ascensio ejus nobis proposita est ut discamus non solum attollere nostras cogitationes in Cælum, & illuc spiritu ascendere, verum etiam ut illud habeamus tanquam fontem, & originem gratiæ, quæ necessaria est, ut nostris perfungamur officiis.

Ratio cur expediebat, ut Deus se ab Apostolis separaret.

Donec Dei Filius cum Apostolis, atque Discipulis suis commoratus est, nonnisi humanos sensus, & cogitationes acceperunt ab illo; quapropter dixit illis: *Expedit vobis, ut vadam*. Hic enim amor imperfectus quo Apostoli eum diligebant, tunc cum erat cum illis, perficiendus erat per amorem prorsus divinum, quem illis immittere debebat Spiritus Sanctus, quem ille erat missurus; quapropter Salvator illico subjicit: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*

Joann. 16.

Mysterium Ascensionis respicit J. C. quatenus hominem, & Deum; & cur.

Ascensionis triumphus proprie neque ad Divinitatem pertinet, neque ad Creaturam seorsim sumptas. Tandem enim Creator nequit ascendere, quia est in ultimo termino, & supremo suæ magnitudinis gradu: *in fine magnitudinis*, ut inquit Doctor Angelicus; Creatura nequit descendere, quia est in ultimo gradu humilitatis, & sicut nihil est supra increatam essentiam, ita nihil est infra creatam, nisi nihilum. Oportebat ergo, ut summa magnitudo, & extrema humilitas simul cohærerent in una eademque persona, quæ ascendere posset & descendere; quæ in sola JESU CHRISTI persona invenitur. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit.*

ad Ephes. 4.

Naturæ ordo cessit ordini justitiæ in Ascensione Filii Dei,

Ordo, quem divina sapientia instituit, postulat, ut singula locum suum teneant secundum suæ essentiæ excellentiam: ita in Mundo posuit Cælos super terram, spiritum super corpus, Angelum super homines. Hanc ipsam rationem servat justitia diligentissime in suis remunerationibus; efficitque ut ordo naturæ cedat ordini gratiæ & conditionis privilegium merito virtutis. Quapropter mirum esse non debet, si Deus, ut suam ostenderet magnificentiam remuneraturus meritum humanitatis Sanctæ Salvatoris, attollit hodie terram super Cælum, & corpus super spiritus omnes; & demum collocat hominem ad dexteram Dei, ordo naturæ cedit ordini justitiæ, remunerando maximam humiliationem maximo gloriæ gradu, & Salvatoris dejectionem usque ad centrum terræ per elevationem usque ad Cælorum fastigium. *Ascendit supra omnes Cælos.*

ad Ephes. 4.

Ex omnibus Mysteriis, quæ spectant ad Filium Dei, Ascensio nulla est humiliatione commixta.

Salvatoris Ascensio Mysterium est mere gloriosum, quin illi quidquam caliginem offundat. Profecto quamvis admirabile Incarnationis Mysterium omnibus stuporem incutiat, videtur tamen non deesse aliqua Divinæ Majestatis abjectio, cum Dei Filius novem mensibus in matris suæ utero clausus permanserit. Nativitatem multa concomitata fuerunt prodigia, quæ illius magnitudinem portenderunt: sed ploravit & alsit in stabulo: quæ humiliatio! Reges ad illum adorandum venerunt, & tamquam Domino suo munera obtulerunt: hoc quidem gloriosum est, sed fugienda illi fuit Herodis persecutio, quæ genuit confusionem, Curavit ægros, suscitavit mortuos; magnum potestatis ejusdem argumentum! Sed simul manibus suis operatus est; esuriit, sitiit; quæ nota est infirmitatis. Homines salvos fecit, eosque de captivitate Dæmonis eripuit; hoc meretur, ut sese illi terra universa subjiciat; sed moritur in Cruce, hoc scandalum affert fideliſſimis ejus discipulis. Resurgit, & gloriosus emergit de sepulcro; hæc certissima est divinitatis ejusdem probatio; sed adhuc apparet sub mortali specie, & conversatur cum illis, qui sustinere non possunt fulgorem Corporis sui beatificari. Hoc est aliquid adhuc humanæ infirmitatis retinere; hoc non est plene frui juribus ac privilegiis Dei. Denique in ceteris Mysteriis Salvatoris nescio quid occurret, quod quamdam offundit caliginem eorum nitori. Magnitudo ibi cum humilitate, gloria cum verecundia, perfruitio cum privatione, copia cum inopia, fortitudo cum infirmitate, voluptas cum dolore, plenitudo cum paupertate admixta sunt; Una ejus Ascensio tota illustris est, toto fulgida, tota magnifica, tota admirabilis.

Necesse erat J. C. in Cælum ascendere ut cõpleret opus salutis nostræ.

Frustra JESUS CHRISTUS mortuus fuisset, & resurrexisset pro nobis, nisi in Cælum ascendisset, ut illuc nos post se traheret. Cum Ascensio Filii Dei sit postremum ex Mysteriis illius, eorum quoque sigillum est; JESUS CHRISTUS mortuus est propter Redemptionem nostram, resurrexit propter nostram justificationem, & ascendit in Cælum propter nostram glorificationem. Abiit sedes nobis paraturus, quemadmodum dixerat Apostolis suis; in Cælum tulit primitias naturæ nostræ, tamquam primogenitus inter fratres; primus omnium adiit possessionem cælestis hæreditatis, ut alios quoque participes faceret. Patriarchæ, Prophetæ, Justique omnes legis antiquæ concomitantur triumphalem ejus ingressum tamquam prædestinati ad gloriam; sed Sancti novæ legis gloriosam hanc turbam subsequentur, & nos quodammodo regnamus in Cælo, ubi portio naturæ nostræ regnat cum JESU CHRISTO, ut S. Maximus inquit: *ubi portio mei regnat, ibi regnare me sentio.*

Veritas Ascensionis Salvatoris non minus constat, quam Resurrectio si judicium feratur luminibus rationis.

Quamvis Dei Filius non haberet tot oculares testes, quot Discipulos, qui in monte Olivarum congregati illum adspectu suo abeuntem prosecuti sunt, donec nubes abstulit illum ab oculis eorum, nunquid ratio naturalis consentire non debet cum fide in hoc Dominicæ Ascensionis Mysterio? quoniam non minus fuit evidens, & sensibilis, quam mors ejus, & Resurrectio. Nam ex Ethnico hunc articulum negante, & non concedente, corpus ex carne, ossibusque compactum, quale nostrum est, potuisse propriis viribus, & sine ulla ope aliena in aerem se attollere, quærere possemus, quid igitur factum est de hoc sacrato corpore, victima, & hostia expiationis immolata propter salutem hominum? Dici nequit in tumulo permansisse, quandoquidem ipsis etiam inimicis persuasum fuit de illius resurrectione; Postquam resurrexit, non permansit in terris; quoniam post elapsos ab ejus resurrectione dies quadraginta non amplius visus est: quomodo igitur evanuit, nisi per Ascensionem? Pietas fidelium potuit surripere Tyrannorum iracundiæ reliquias, & ossa tot Martyrum, eaque populorum veneratione exponere; ille vero, qui caput ipsorum est, ex quo omnem gloriam mutuati sunt, permansisset in sepulcro, vel quid de illo factum fuisset, lateret? Hæc idea oboriri potest in homine, cui reliquum est recti sensus?

Salvatoris Ascensio est confirmatio divinitatis ejus, & infallibilis Probatio, illum vere esse humani generis Redemptorem.

Haberi ne potest ulla magis manifesta probatio divinitatis JESU, & quæ melius ostendat illum esse Messiam, & humani generis Redemptorem, quam ejus Ascensio? Tandem enim Cælum clausum erat, Sanctissimus quisque de hac vita ad inferiores Mundi partes transierat, ibi liberatorem præstolaturus. Si non est hic liberator ille, quem expectabant, qua vi, & quo privilegio homo hic potuit viam aperire adeo inauditam ad sedem beatorum? Quomodo ænea confringere valuit ostia, quæ hactenus Moysi, aliisque Prophetis aditum præcluserant? *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo Filius Dei.* Sententia contra Adam prolata omnes homines afficiebat: Omnibus hominibus intercluſus fuerat aditus in Paradisum, & JESUS nisi illinc descendisset, frustra illuc ascendere adniteretur. Amplius dico: si homo hic non esset vere Dei Filius, quin tale privilegium mereretur, dignus esset e contra maximis suppliciis, eo quod non debitam sibi vindicasset qualitatem.

Joann. 3.

Qui descendit ille idem est qui ascendit super Cælos, ut impleret omnia. Ita loquitur Apostolus de admirabili humilitate Filii Dei super terram, & de infinita gloria ejus in Cælo. Postquam narravit, illum in inferiores terræ partes per bonitatem suam descendisse, nos monet etiam ipsum per potentiam suam super Cælos ascendisse, postquam descendit, ut omnes adimpleret figuras;

Idea, quam nobis tribuit Apostolus S. Paulus de Ascensione Filii Dei

figuras, & prædictiones, ascendisse, ut beneficiis suis homines cumularet, & repleret universum terrarum orbem monumentis potestatis suæ, & characteribus suæ magnitudinis; postquam tot miracula operatus est super terram, postquam super aquas ambulavit, inferni portas confregit, & omnes dæmonis vires debellavit; modo illum in Cælo triumphare, ut *in nomine illius omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS est in gloria Dei Patris*,

ad Philipp. 2.

Æquum erat ut Pater æternus per gloriosam Ascensionem remuneraretur Filii sui humiliationes.

Dei Filius Patrem suum glorificaverat super terram prædicationibus suis, rumore miraculorum suorum, actionum sanctitate, puritate vitæ, & mortis suæ doloribus: perfeci opus quod dedisti mihi, dixit ille Patri suo in divina illa oratione, quam illi obtulit. Oportuit, ut Filius hic unigenitus æqualis Patri sacrificaretur illi pro debita eidem satisfactione; nonne æquum erat, ut Pater æternus tantum attolleret Filium suum, quantum ille sese demiserat; & infinitas hujus Filii humiliationes nonne subsequi debebat gloria sine fine? ita cum æternæ gloriæ, quam habuerat in sinu Patris sui, nebulam offunderant temporales humanæ naturæ infirmitates, quas pro nostra salute susceperat; æquum est ipsum petere, ut cum opus suum fuerit absolutum numeris omnibus, gloria suæ divinitatis in sua renideat humanitate; & omnes intelligant hunc hominem-Deum, qui in tempore passus est, Deum esse ab æterno? JESUS CHRISTUS ergo cum de Cælo in terram descendisset honorem Patris sui reparaturus, illius gloria requirebat, Sanctus Augustinus ait, ut rursus de terra in Cælum ascenderet. Quemadmodum ejus humilitas fuerat gloriæ suæ causa, opus erat, ut hæc recens gloria fieret remuneratio suæ humilitatis: quemadmodum ejus obscura Mysteria initium duxerant ab Incarnatione, oportebat, ut glorioſa quæ inceperant ab illius Transfiguratione, & Resurrectione Mysteria, per Ascensionem consummarentur.

Unius erat Filii Dei in Cælū ascendere per se, quin aliena ope juvaretur.

Differunt hæc duo, in Cælum virtute propria ascendere, & illuc ferri aliena; cum per nosmet, & sine ope aliena ferri non possumus, felix hic motus minus pendet ab illo, qui illuc ingredi vellet, quam ab caussæ exterioris officio, per quam est attollendus. Verum si agit independenter ab hac caussa, & virtute propria; tunc ingreditur, cum vult, & quomodo vult, non indigens concursu rerum omnium, quæ vel retardare, vel negare possent illi gloriæ possessionem. Tale privilegium unius erat Filii Dei; si enim objiciuntur nobis admirabiles circumstantiæ raptus Eliæ, hinc discimus meri hominis corpus hoc indiguisse subsidio, ut de terra elevaretur ad ignotam regionem; sed nihil simile occurrit in Ascensione Salvatoris. Divinitas, quæ per miraculum in terram demiserat, ubi corpus illud acceperat, attollit sine miraculo corpus hoc de terra exilii sui in Cælum, quod est patria sua, ubi æternum regnaturum est.

Ordo, & œconomia salutis nostræ quæ incœpit per Incarnationem desiit per Ascensionum.

En paucis verbis nostræ salutis œconomia. Homines redimendi erant Dei Sanguine. Dei Filius natus est, ut haberet, unde homines redimeret. Vixit inter illos, miracula operatus est, ut illi cognoscerent, ipsum esse Redemptorem, quem Deus illis promiserat; mortuus est, ut pro illis redemptionis pretium persolveret per effusionem Sanguinis sui; resurrexit, ut probaret se esse Deum, qui pro illis obierat, utque eos doceret, fructum Redemptionis eorum esse debere gloriam corporis, & animæ eorum. Permansit dies quadraginta super terram, ut illos de sua Resurrectione persuaderet: denique ascendit in Cælum, ut ibi ea frueretur gloria quam meritus est, & ut præpararet Electis illam, quam merebuntur per mortem suam, & subsidium gratiæ suæ.

Quomodo verum sit dicere Dei Filium in Cælum ascendere, cum nunquam inde discesserit.

Joann. 6.

Joann. 3.

Mirum esse non debet si Verbi incarnatio passim in Scripturis descensus nomine appelletur; nam quamvis Deus, qui ubique est, nequeat descendere, tamen quia conjunctus est naturæ adeo humili, dicitur descendisse. Ipse etiam ita loquebatur: *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam*, & ad Nicodemum loquens dixit illi: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo Filius hominis, qui erat in Cælo*. Verba, quæ continent totum secretum, & totam veritatem Mysterii Incarnationis: Si eadem persona non esset simul Deus, & homo, verum non esset Filium hominis descendisse de Cælo; quia non fuerat in Cælo secundum humanam naturam, ideoque de Cælo descendisse non poterat. Non erat in Cælo, cum loquebatur cum Nicodemo, secundum naturam humanam; & nihilominus dicebat, Filium hominis de Cælo descendisse, & in Cælo esse, & illuc esse ascensurum: ex hoc loquendi genere Salvatoris, Patres, atque Theologi didicerunt necessario oportuisse, ut eadem persona simul esset Deus, & homo, & esse idiomatis communicationem inter duplicem naturam propter idem suppositum. Eadem de caussa in Ascensionis Mysterio verum est dicere, Dei Filium, qui & ipse Deus est, ascendere in Cælum, quod nunquam reliquerat, cum essentialiter sit ubique; & hominem, ac Filium hominis ibi pro Domino haberi, & ab Angelis, atque hominibus adorari.

Incarnatio Verbi, & Ascensio continent totum opus nostræ redemptionis, altera illud incepit, altera illud perfecit.

Dei Filius egressus est de sinu Patris, ut veniret in Mundum, cum incarnatus est in utero Virginis, & rediit in Patris sinum, cum ascendit in Cælum. Igitur Incarnatio, & Ascensio duo sunt Mysteria, quæ complectuntur magnum opus nostræ Redemptionis, cui alterum quidem initium dedit, alterum autem complementum. Cum autem dicant Philosophi finem esse primum secundum ordinem intentionis, & postremum secundum ordinem executionis, media vero e contra prima esse in executione, & ultima in intentione, idem dicere possumus in duobus hisce Mysteriis. Incarnatio præcessit, quoad tempus, sed Ascensio fuit finis, terminus, & corona omnium actionum Verbi incarnati. In terras descendit, ut glorioſius in Cælum ascenderet. *Exivi a Patre, & veni in Mundum*. Veni in Mundum non ut hic permanerem, sed ut operarer salutem hominum per mortem meam, & ut mox iterum ascenderem ad Patrem meum: *Iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*; perfecturus, & consummaturus opus, quod mihi faciendum imposuit. Etenim officium Redemptoris, pro quo in terram veni, proprie loquendo consummandum est meo reditu in Cælum.

Joann. 16.

Salvator pro nobis ascendit in Cælum.

Non pro se tantum in Cælum ascendit JESUS CHRISTUS, nam ut S. Leo inquit, Ascensio JESU CHRISTI noster profectus est, & certam habemus spem, corpus etiam perventurum esse ad gloriam capitis, quod præcessit. Ille pro nobis incarnatus est; ille pro nobis mortuus est, pro nobis resurrexit, descendit ad inferos, & ascendit ad Cælos. Ille ingressus est stadium suum, quod compositum esse debet descensione, & ascensione, ut ita dicam. Opus est ut & nos orbem nostrum, sicut ille, complcamus; ille venit ad nos, & rediit ad Patrem; descendamus usque ad nos, & ad ipsum usque ascendamus: hæc Mysticorum Theologorum est animadversio. Descensus in nosmet est infirmitatum nostrarum cognitio, quæ parit humilitatem; Ascensio in Deum est cognitio magnalium ipsius, infinitæ bonitatis suæ, quæ ciet in nobis confidentiam.

Quomodo in hoc Mysterio Filius Dei subtrahens se oculis Ecclesiæ suæ emundat fidē, & melius tradit se cognoscendum.

Fidei nostræ exercitium est credere id, quod videri non potest, docet Theologia post S. Paulum. *Fides est credere quod non vides, non contemplantibus nobis ea, quæ videntur, sed quæ non videntur*. Non agitur hic quæstio, utrum Fides simul esse possit cum sensu; dicere mihi sufficit cum eodem Salvatore, beatos illos esse, qui crediderunt, & non viderunt. Secundum hoc principium ratiocinantes nihil melius in hac vita cognoscimus, nisi quod cognoscimus per fidem, quæ est quædam participatio Sapientiæ, & Cognitionis Dei: At JESUS CHRISTUS sese oculis nostris invisibilem præstans, fit objectum fidei nostræ; igitur recedens, se nobis tradit melius cognoscendum; & si hodierna die vult, ut nubes inter se, & Ecclesiam intercedat: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, hoc vult, ut propitiam interserat umbram fidei, cujus caligines adspersæ sunt vividioribus luminibus, atque certioribus, quam omnes excogitabiles demonstrationes, quæ sensibus inniteruntur; ita ut, divinus hic Sol incidens in Ecclypsim in hoc Mysterio, ac nobis auferens sensibilem adspectum suum, incipit illuminare oculos animæ per fidei lumen, quæ falli non potest. Ita si per oculos hominis, quorum acies brevis est, nec penetrat rerum superficiem, non cognoscimus amplius JESUM CHRISTUM secundum Carnem, videlicet, si non videmus ultra ejus humanitatem, oculis fidei detegimus opes, atque thesauros Divinitatis ejusdem, eumque præsentem reddimus spiritui nostro: *Respicientes in auctorem fidei, & consummatorem JESUM CHRISTUM*.

2. ad Cor. 4.

Ad Hebr. 12.

Quamobrem S. Leo dicit, cum JESUS CHRISTUS sese recepit, & quodammodo condidit se in sinum Patris sui, visum fuisse in oculis Ecclesiæ suæ modo quodam præstantiori, atque sanctiori.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Æquum erat ut JESUS CHRISTUS in Cælum ascenderet & non permaneret amplius super terram.

QUemadmodum Mundi Salvator ascendit in Cælum propria virtute, principium elevationis suæ est excellentia personæ suæ, & meriti sui magnitudo. Non decebat illum semper in terris permanere: locus hic non erat conformis qualitati personæ suæ; erat enim homo Cælestis, ut inquit Apostolus: *Secundus homo de Cælo cælestis*: Oportebat igitur ipsum in Cælum reverti. Neque id conforme erat gloriæ corporis sui; Cælum glorioſorum corporum locus est; Denique nec merito quoque illius erat conforme; sese usque ad terræ centrum demiserat, merebatur usque ad Cælorum fastigium extolli. Cur *ascendit?* Sanctus Paulus inquirit, nisi quia primum descendit in inferiores partes terræ. Apostoli sententia sublimis est: Corporum magnitudinem ex eorum altitudine metimur, & ex profunditate; illam vero spirituum

ex eorum humiliatione, & elevatione. Ascendunt, prout descendunt; sese attollunt, prout se humiliant. *P. Novet 3. parte Hominis Orationis; meditatione pro die Ascensionis.*

Quam justum erat ut Salvator in Cælum ascenderet.

Cum per Resurrectionem suam reliquisset vitam mortalem, pro vita immortali, decebat, ut beatum corpus illius terram relinqueret locum corruptionis, & mortis, ut transiret in Cælum veram sedem spirituum, & corporum gloriosorum; justum erat, ut cum humilitas sua illum abjecisset veluti vermem infra omnes homines, victoria sua illum collocaret velut regem hominum, & Angelorum supra omnes beatas mentes. Hoc modo Judæis ablaturus erat crassum errorem hunc, a quo ne ipsi quidem immunes erant Apostoli, rati, illum venisse ad statuendum Regnum terrestre, & carnale, cum regnum ipsius esset prorsus spirituale, & cæleste. Cæleste regnum debebat potissimum per fidem subsistere; Ut autem istud perficeret, & verificaret, Dei Filius in Cælum ascendit. Cum esset ille objectum fidei nostræ, oportebat, ut a nobis recederet, ut ipsi illam majori cum merito exerceremus, juxta ea quæ dixit Thomæ: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Hoc jam palam significaverat suis, cum adhuc mortalem vitam ageret, dicens, ipsis expedire, si ipse recederet, alioquin Spiritum Sanctum, qui obsignaturus erat eorum fidem, aliasque virtutes, nequaquam in illos esse descensurum. *Auctor libri qui inscribitur: Verus Spiritus, & sanctus usus sollemnium anni festivitatum.*

Apostrophe & Oratio ad Filium Dei, ut nos in partem vocet gloriæ Ascensionis suæ.

Non tibi tantum, Domine, ingrederis in Regnum tuum, sed etiam pro nobis; illuc ascendis tamquam caput nostrum, & juxta ea quæ nobis pollicitus es, eo pergis, ut Electis tuis præpares sedes illis destinatas. Eo vadis tamquam mediator noster, præsentaturus nos Patri tuo fructus hujus redemptionis copiosæ, quæ Cælum, terramque reconciliavit. Illuc ascendis tamquam dux noster ostendens nobis terminum, quo nobis contendendum est, indigitas viam, qua nobis gradiendum est. Caput Adorabile hujus militantis Ecclesiæ, quam super terram formasti laboribus tuæ vitæ mortalis, voca nos in partem gloriæ triumphantis Ecclesiæ, quam incipis in Cælo colligere, & cujus futurus es æterna felicitas. Sumus membra tua, & ubicumque caput invenitur, opus est, ut cum illo membra quoque inveniantur. Sine te, sine felicitate possidendi, & videndi te, quam requiem gustare possumus in hac lacrymarum valle, in qua permanemus? Et quid nobis exhibere potest Mundus, quod nobis locum teneat supremæ illius beatitudinis, quæ in te, ac tecum gustatur? Ah! Domine, quandonam illa illucescet dies, qua ex hoc exilio egrediar? Quandonam apparebis oculis meis omni gloria tua redimitus? Langueo expectans te, Mundus jam nihil mihi est, & cor meum, jam tecum est in Cælo. *P. Valois Tomo 4. operum Asceticorum, in colloquio de Mysterio Ascensionis.*

Alia oratio, ut apud Patrem fit noster advocatus.

Ito, Salvator amabilis! ito, offer te Patri tuo, ostendito illi vulnera adorabilis Corporis tui, quorum adhuc in manibus, pedibusque tuis geris vestigia. Ad horum adspectum omnis mitescet iracundia, omnia suspensa manebunt fulmina; quid dico? hic omnes validissimas gratias assequetur, easque stillabit in nos. Quid poterit ille tibi negare, divine Redemptor, cum illi narrabis, te ab illo ad nos missum fuisse: coram ipso apparebis tamquam summus Sacerdos, cum ingrediebatur in Sancta, non oblaturus illi hircorum sanguinem, sed Tuum. Accedam ergo, fiducenter Domine ad thronum misericordiæ tuæ. Eo magis te afficient mala mea, quo illa expertus es quantum nos, & magis adhuc quam nos. Dux fidelis, si a te petimus opem, ideo petimus, ut sequamur te, & tua vestigia legamus. Nobis non alia felicitas speranda est, nisi illa, in cujus possessionem ingrederis: ad illam assequendam non alia patet via, nisi quam ipse signasti; si glorificari volo, sicut tu; oportet, ut me exinaniam sicut tu; si eam obtinere cupio remunerationem, quam tu; opus est, ut laboribus exercear, sicut tu; si coronari volo sicut tu; opus est, ut pugnem, ut patiar, sicut tu. *Idem.*

In exordio Ascensionis hortari possumus Dei Filium ad Regni sui possessionem adeundam.

Ito, Domine, terra mansio non est, quæ te deceat. Cælum tuum est, & tu Dominus illius; Adi possessionem æterni hujus Regni tui, sede ad dexteram Patris. Inde propter hominum amorem descendisti: egressus es de Patris tui sinu, ut venires inter nos, atque ut te ostenderes Mundo; tempus est, ut Mundum relinquas, & ad Patrem tuum revertaris. Quæ tibi sustinenda fuerunt certamina? Quinam superandi inimici? Sed tandem illos vicisti; submersisti peccatum in Sanguine tuo, contrivisti omnes potestates tenebrarum virtute Crucis tuæ; Infernum confudisti descensu tuo in limbum, & per Resurrectionem tuam mortem ipsam interemisti. Post tot profligatos hostes, post tot relatas victorias, abi gloriose, & amabilis victor; æquum est, ut omnes triumphi honores recipias . . . . Pater æterne, gloria tua jam reparata est; satisfactum est justitiæ tuæ, cultus restitutus est, omnes adimpletæ voluntates tuæ. Glorificavit te Filius tuus; tuum modo est illum gloria coronare, & dare illi, quod ex eo recepisti. *Idem.*

Dominus in Ascensione sua pro omnium Creaturarum Domino agnoscitur.

Glorioso hoc Dominicæ Ascensionis die, hæc illi verba dirigi possunt: *Dominus universi tu es.* Nos agnovimus te tamquam Dominum Terræ, cum adeo glorioſus prodiisti ex ejus sinu, eduxisti tot mortuos de sepulcris. Agnovimus te Dominum Maris, cum illud tibi obtemperans sedavit tumentes fluctus suos, ac tempestatibus malaciam indixit. Denique in gloriosa Ascensione agnoscimus te tamquam Dominum Cælorum; dicam melius, tamquam Dominum omnium creaturarum, non solum sensu carentium, sed etiam rationabilium; quoniam ne una quidem fuit, quæ non aliquid conferre voluerit in honorem triumphi tui. Oculos in Cælum attollamus, ibi videbimus innumeram beatorum Spirituum turbam occurrentium tibi: demittamus oculos in terram, ibi videbimus quidquid in Mundo magnum est, Sanctam Virginem, Apostolos, atque Discipulos suspicientes. Verum est montem Olivarum eorum suspiriis personare; sed nescio utrum tibi gloriosius sit ab illis optari, quos deseris, quam excipi cum lætitia ab illis, quos tuo adspectu dignaris & fieri potest, ut non minus terræ suspiria, quam Cæli plausus tuam ostendant magnitudinem. *Sermo manuscriptus.*

Salvator in partem vocat triumphi sui eos omnes qui cum illo pugnaverunt.

De Salvatore triumphante non idem sentiendum est, ac de aliis terrarum domitoribus; hi bellum gerere volunt cum frequentibus exercitibus, & soli triumphum referre; illi satis invenire nequeunt sociorum in laboribus bellicis, & neminem pati possunt socium in honore victoriæ; Illi pericula cum tot mortalibus partiuntur, ut pars, quam habent ipsi, plerumque sit exigua, & quotidie milites demetant laurus, quibus eorum duces coronentur. Sed Mundi Salvator efficere vult participes gloriæ triumphi sui generatim omnes, qui secum pugnaverint, & ad spem hanc in cordibus nostris inflammandam non solum ascendit in Cælum inspectantibus Apostolis suis, quos certos facit se abire ad sedes illi parandas, verum etiam comites habere vult eos omnes, qui tot victorias in veteri testamento retulerant. *Idem.*

Ut fiamus participes triūphi JESUM CHRISTI nobis pugnandum est, ut ille pugnavit, & illum sequi debemus.

Nullus dubito, Auditores, quominus Christiani gaudeant, immo etiam sperent se consortes futuros triumphi JESU CHRISTI; sed ad id pugnandum est, ut ille pugnavit; & si medium nosse placet, audite Sanctum Augustinum docentem: *Ascendamus cum mente, & cum promissa dies advenerit, sequemur & corpore.* Auferendus est hic adfectus cum quo terræ inhæremus; auferenda est hæc negligentia, qua in Cælum anhelamus; superandi sunt omnes obices, qui nos morantur, & vetant ne illum sequamur; unus est, ut desiderium illum servandi efficiat, ne omnia sequamur vestigia, quæ nobis JESUS CHRISTUS reliquit: *Si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen passibus amoris:* hic Sanctus Doctor ait. At JESUS CHRISTUS Ascensionis suæ die Mundum hunc reliquit: *Ecce relinquo Mundum.* Hic primus illius gressus est, & suæ Ascensionis principium; opus est ergo, ut cor quoque nostrum relinquat Mundum, & abrenunciet affectui, quo illi adhæret: *Et vado ad Patrem.* Dei Filius in Cælum ingreditur, & in Patris sinum redit; hic postremus est gressus, finis, & triumphi sui consummatio; opus est ergo, ut etiam cor nostrum abeat in Cælum, ut Mundum relinquat fuga, & odio earum rerum omnium, quæ illum componunt. *Ecce relinquo Mundum.* Opus est, ut per amorem, ac desiderium jugiter tendat in Patrem cælestem: *Et vado ad Patrem;* & hæc ratio est reipsa aliquando cum JESU CHRITO ascendendi; opus est, si aliquando coronari cupis, oppugnare amorem, quo terram diligimus: *Ecce relinquo Mundum*, & contemptum, quo Cælum sus deque habes: *Et vado ad Patrem.* Cum dico, Mundum relinquendum esse, ut sequamur JESUM CHRISTUM, non ideo omnes homines in Claustra redigere fert animus, neque in solitudines compellere; sed dico eo, in quo vivunt, statu, animo, & affectu, mundum illis esse relinquendum, & sicuti satis non esset extrinsecus illum reliquisse, si cor adhuc implicitum est, ita credendum non est, viventibus in eo licere impune adhærere iis voluptatibus, & honoribus, quibus perfruuntur. Ad hæc Mundi nomine intelligo non vitam omnino in omnem libidinem effusam, & flagitiosam, non impudicitiam effrænem, neque enormem ambitionem; sed Mundum quemdam, qui inveniri potest in omnibus statibus Christianismi; verbo omnia intelligo objecta, quæ superbiam nostram inflare possunt, nostram fovere vanitatem, alere secretam æstimationem nostrummet ipsorum, & sensum hunc, quo fugimus humiliationes: intelligo objecta omnia, quæ sensus nostros palpare possunt, & commodam, suavemque vitam nutrire; denique dico corde, & affectu ea omnia esse relinquenda, ubi corrupta invenitur natura, quamvis multa perferenda sint in hac separatione: etenim nonnisi hac proposita conditione Salvator pollicetur

nos

nos vocaturum in partem triumphi sui, hac enim via illum sequi, & cum eo tenemur in Cælum ascendere. *Idem*.

Quam viam ingressus fuerit J. C. in Cælum ascensurus, & quam ipsi ingredi teneamur, ut ascendamus cum illo.

En maximi momenti documentum, quod tradidit Salvator duobus Discipulis, cum quibus colloquebatur in via, quæ ducit in Emaus: *Nonne oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam suam*. Existimemus illum ita loqui nobiscum, & idem placitum tradere nobis pro norma quam sequi debeamus: omnia sunt perferenda ad promerendam gloriam, cujus hodie possessionem aggredior. De Cruce in Cælum ascendo; de sepulcro egredior ad accipiendam sedem a dextris Patris mei: jugi mortificatione Regnum hoc acquisivi; si hujus aliquando vultis esse participes, legite hoc iter Sanguine meo purpuratum; per hoc eo pervenitur; hæc via tuta est, alia quævis vos in errorem inducet. *Oportuit pati CHRISTUM & ita intrare in gloriam suam*. Et sane, cum glorioſa illa Prophetarum, & Patriarcharum turba, quæ comitabatur JESUM CHRISTUM triumphantem, ad Empyreum accedens cum David exclamavit; *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales*, clausæ ab ipso temporum primordio; Attollite, & recipite Regem gloriæ; Angeli non quæsiverunt magis ad nos eruendos, quam quia nescirent ipsi, atque ut præclaræ actiones divini hujus hominis magis innotescerent; non quæsiverunt, inquam, cui facto inniteretur nomen hoc Regis gloriæ, & quia ingredi vellet, tamquam Dominus, & Dominator: *Quis est iste Rex gloriæ?* Tunc enim Cælum undique personare auditum est narrationibus præliorum, atque victoriarum, quæ illi tanto steterant sanguine. *Dominus fortis & potens in prælio*, & laudibus illustrium rerum gestarum, eximiarumque virtutum ejus. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Cur autem retinere voluit plagas pedum, manuumque suarum? Ut haberet totidem tamquam titulos indubios, quibus probabatur jus quod ille sibi ad hunc gloriæ thronum comparaverat: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Vos autem Auditores lectissimi, creditis, Salvatorem in Cælum ingredi non potuisse, nisi per effusionem Sanguinis sui; & putatis vos ingressuros esse per viam rosis, ac floribus stratam? Quid? ille, ad quem pertinebat gloria, quaterus Filium Dei, illius possessionem adire non potuerit nisi post annos triginta vitæ pauperis, & mortificatæ: Captivi autem, & mancipia cum illo in partem accedent, quin aliquid pœnarum, & laborum impendant? Nonne Deus vel injustus credendus est, vel alte adeo sentias oportet de meritis tuis, ut putes, Deum post vitam adeo suavem, & commodam tibi concessurum, quod pretio adeo caro vendidit Filio suo. *Idem*.

Dei Filius secum trahit in Cælum corda nostra & nostros affectus.

Quid Dei Filius efficere poterat validius, ad excitandum in nobis desiderium sequendi illum, & in Cælum ascendendi, quam illuc primum ascendere, & discere se ad Patrem suum abire? *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Si enim verum est, cum Elias Propheta igneo curru in Cælum raptus fuit, ipsum secum abstuliſſe vota Elisæi discipuli sui, ut S. Bernardus ait: *Omnia discipuli desideria secum abstulit*: Heu! quinam esse debent sensus Christianorum, postquam Salvator eorum in Cælum ascendit! Saltem Salvator iste, se de nobis satis bene meritum fuisse putabat, ut cordium nostrorum sibi mereretur affectus, & sperabat se futurum omnium desideriorum nostrorum objectum, & secum corda nostra esse pertracturum. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Desiderium hoc sese iterum conjungendi cum JESU CHRISTO, hic Salvatoris amor, qui efficiebat, ut magnus ille amator JESU CHRISTI dissolvi cuperet, ut esset cum CHRISTO, proferat anathemata in omnia corda, quæ ita essent dura, ut JESUM nequaquam diligerent. *Si quis non amat Dominum JESUM sit anathema*. *Idem*.

1. ad Cor. 16.

Quam languida est spes nostra in Cælum eundi.

Joann. 20. Ad Rom. 8.

Cælum, quo hodierna die JESUS CHRISTUS ascendit, nobis optandum est non solum tamquam patria, verum etiam tamquam hæreditas nostra. Illud Regnum est, quod pertinet ad Patrem nostrum: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. *Si filii & hæredes*. Quid cogitari validius potest ad corda nostra inflammanda, quam scire, Filium ascendere aditurum nomine nostro hujus hæreditatis possessionem? Sed quamvis JESUS CHRISTUS testetur, se abire ad præparandam nobis mansionem æternam in hoc regno quod adeptus est, spes nostra languet; si enim hæc spes firma esset, non solum nos a terra divelleret, sed etiam efficeret, ut cum gaudio sustineremus quæcumque nobis accidunt adversa, ut Apostolus inquit: *Spe gaudentes*, quod ipse jam expertus didicerat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Adversa omnia mihi sunt lætitiæ argumentum. *Idem*.

Ad Rom. 12. 2. ad Cor. 7.

Hypothesis triumphi J. C. in Ascensione.

Quocumque oculos convertam, video omnes Universorum partes, singulas pro modulo suo aliquid conferre magnifico apparatui Triumphi JESU CHRISTI. Si Cælum suspicio, video omnem bipatentis Empyrei gloriam, quæ jucundissimum exhibet spectaculum; video Angelos catervatim descendentes, ut cælesti lumine coruscantes, & suavissimis concentibus suis triumphantis victorias celebrantes; Si in infernum usque despicio, video rebelles spiritus tenebrarum privatos imperio, & catenis, atque pudore onustos. Circum Salvatorem agnosco omnes illustres veteris Testamenti Patriarchas, gratias agentes liberatori suo, ad cujus pedes video Discipulos, & Apostolos suspicientes, & corde ac desiderio sequentes Magistrum suum, quem nubes lucida sensim attollit, atque eorum oculis aufert. Verum quidem est cordium dispositionem in utrisque longe differre. Sancti Patriarchæ nequeunt satis testari gaudium, quo exultant; Apostoli vero non satis dolorem suum præseferre. Illi miscent voces suas Epiniciis Spirituum beatorum; hi efficiunt, ut mons Olivarum suis resonet suspiriis. Verum nescio, utrum gloriosius sit JESU CHRISTO videre horum mœrorem, quam illorum gaudia; & utrum molles lacrymæ terræ hujus æque sint Domino acceptæ, ac laudes, & plausus Cæli totius. Ipsæ etiam sensu carentes creaturæ participes esse volunt hujus triumphi, & nubes conflatæ ex eo, quod in omnibus elementis purissimum, ac lucidissimum est, in triumphalis currus morem illum attollit in Cælum, & potius fulgore suo, quam obscuritate oculis Apostolorum surripit unicum consolationis eorum objectum. *Sermo alius manuscriptus*.

Sermo quem habere potuit Dei Filius Patri, in Cælum ingrediens. Joann. 17.

Salvator Cælum ingressus rationem redditurus Missionis suæ Patri, videtur repetere præclara illa verba, quæ in passionis suæ protulit pervigilio: *Pater ego te clarificavi super terram*. Pater, in terris operam dedi, ut te omnes homines adorarent; nihil prætermisi, ut omnes te diligerent; sumptibus honoris, vitæque meæ honorem tibi procuravi; *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam*. Diabolus victus, vinctusque est; peccatum ad nihilum redactum; homines opetiæ tuæ de Mundo, & carne triumphant, & unicefese tuæ devovent servituti. Quamprimum nonnisi ad Altarium tuorum pedes victimæ jugulabuntur, nonnisi in Templis tuis adolebitur, & perfecte sibi parebunt subditi tui. Hoc mihi faciendum præcepisti; hoc tandem feliciter adimplevi post multos labores, atque dolores: *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam*.

Ibidem.

Antithesis inter Incarnationis humiliationē & Salvatoris Ascensionem.

Quemadmodum Sanctus Paulus Apostolus æquam nobis daturus ideam elevationis JESU CHRISTI, illam metitur a majori ipsius humiliatione, quæ est Incarnationis Mysterium, de altitudine alterius judicium nobis ferendum est a prioris humiliatione per æquissimam oppositionem. In Incarnatione Cælum in terram usque descendit; in Ascensione terra in Cælum usque ascendit; in Incarnatione divinitas in nihilum se inclinat; in Ascensione humanitas usque ad Dei thronum attollitur: in Incarnatione Dei Filius de æternitate descendit in tempus, de gloria in contemptum, de Throno in Crucem, de Cruce in sepulcrum, & de sepulcro in inferos: in admirabili autem Ascensione humiliata ejus divinitas de inferis redit in sepulcrum, de sepulcro in Montem Olivarum, de hoc monte in Cælum, de Cælo in sinum divinitatis. Terram deserit, secat aerem, cælestes superat Orbes, soli caliginem lux ejus offundit; eum laudant sydera, Sancti adorant, Angeli reverentur, & colunt, eique præstant obsequium: Omnes Filii Dei creaturarum sensu carentium plausibus miscent lætitiæ voces, ac suavia cantica triumphorum. *P. Noves in parte 4. Hominis Orationis, cui titulus vita gloriosa JESU CHRISTI in Cælo*.

Æquum erat ut Dei Filius & Mundi Salvator primus in Cælum ascenderet. Matth. 1. Ad Coloss. 1. Ibidem.

Hic proculdubio debebatur honor Filio Dei, ut primus in Cælum ascenderet, quandoquidem primogenitus erat inter fratres suos: *Ut sit primogenitus in multis fratribus*. Erat primogenitus Patris: *Unigenitus, qui est in sinu Patris*, Primogenitus Virginis: *Peperit filium suum primogenitum*. Primogenitus ante omnia creata: *Primogenitus ante omnem creaturam*. Primogenitus Mortuorum: *Primogenitus mortuorum*. Primogenitus eorum qui ex mortuis resurgunt: *Primogenitus ex mortuis*. Debebat ergo esse primus eorum, qui ascendunt in Cælum: *Qui de Cælo est, super omnes est*, Nulla sine ordine societas est, nullus ordo sine submissione, nulla submissio sine superioritate, & sine imperio, at ad quem pertinet imperium, nisi ad naturas præstantissimas? Sed inter omnia creata, quid est præstantius sancta Redemptoris humanitate? Nunquid inveniri possunt ampliores qualitates? Ejus sopientia sublimior est, quam Cherubin; & plusquam Cherubin superant vilissima insecta. Potentia ejus nonne major est, quam Regum, & plusquam Reges inter captivos eminent; & Sanctitas ejus super Beatos, & plusquam Beati peccatoribus antecellunt. Nonne igitur æquum erat, ut in Cælum ascenderet futurus caput Angelorum, Rex Regum, sanctus Sanctorum, & supremus Dominus universorum? *Qui de Cælo est, super omnes est*. *Idem*.

Ad Rom. 1.

Causæ lætitiæ nostræ in Ascensione Filii Dei. Psalm. 46.

Quodnam lætitiæ argumentum omnibus diligentibus JESUM CHRISTUM: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*. Populi plau-

plausibus vestris gaudium testamini, præ lætitia exultantes laudate Dominum. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Dominus ascendit inter epinicia, Dominus ascendit inter clangentes buccinas: denique Arca hæc, quæ Mundum eripuit ex naufragio, postquam in Sanguinis diluvio innatavit, in cælesti monte quievit; innocens hic Joseph, cujus virtus fratrum suorum dolo fuerat oppressa ex carcere educitur, ut gloriæ coronam recipiat; invictus hic Samson postquam inferni portas confregit, in Empyreum triumphaturus ascendit; victor hic Josue postquam cum arca fœderis Jordanem traduxit, adit possessionem terræ viventium; Sol hic justitiæ, qui lineis decem retrocesserat, ad idem punctum revertitur, unde discesserat: parvulus hic vermiculus in ortu suo, innocens hic agnus in passione sua, leo hic in Resurrectione sua hodierna die Aquilæ instar in Cælum ascendit, & nos invitat ut cum illo ascendamus: Denique hodierna die Cælestis Jerusalem recipit legitimum Regem suum, Ecclesia suum Pontificem, Dei domus hæredem, & Mundus universus caput suum: *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Dei Filius sedet in throno sancto suo; omnes terræ Principes illi subjecti sunt, & ipse infinite super illos ascendit. *Idem.*

Ibidem.

Ibidem.

Quomodo Salvator in Ascensione sua repleverit omnia, & in quo sensu.

Apostolus hisce verbis exprimit caussam suæ in Cælum elevationis: *Ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia.* Ascendit super omnes Cælos repleturus vacuum, quod Angelorum in Cælo rebellio pepererat, & ubique plenitudinem suam restituturus. Jam repleverat terram plenitudine gratiarum, vitæ suæ spatio, inferos terrore, & lymbum consolatione post mortem suam, necnon tumulum suum gloria suæ Resurrectionis; quid reliquum erat, nisi ut repleret Cælum gloria suæ Ascensionis? *Ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia.* Ceterum JESU CHRISTI gloria triplici in statu consideranda est, videlicet in Incarnatione, Resurrectione, & Ascensione. In Incarnatione anima ejus erat gloriosa, sed conjuncta erat cum corpore mortali, atque passibili; igitur gloria nondum erat plena; in Resurrectione anima erat conjuncta cum corpore immortali, atque impassibili; sed corpus nondum erat in loco, qui illud deceret: oportebat ergo illud in Cælum ascendere, ut cumulum adderet gloriæ suæ. *Ascendit super omnes Cælos, ut impleret omnia.* Sed o Salvator animarum! nonne vides, te in Cælum ascendentem, ut illud repleas gloria tua, vacuum in terra locum relinquere? Quid erit Mundus sine te, nisi tristis solitudo? quid terra, nisi desertum? quid cor nostrum, nisi miserum inane? Jam vobis prospexi, respondet. Simulac ascendero in Thronum gloriæ meæ, mittam ad vos Spiritum Sanctum, ut repleat vos plenitudine gloriæ meæ. O Admirabile Commercium, quod hodierna die facis Salvator mi inter Cælum, & terram; aufers de terra gloriosum Corpus tuum illud Cælo daturus, & das terræ Spiritum tuum, quem de Cælo mittis, ut repleat amore suo corda nostra. *Idem.*

Quos sensus fovere debemus cogitantes Salvatorem nostrum esse in Cælo.

Profecto si animum advertentes ad hodiernam festivitatem, attente consideramus JESUM CHRISTUM ascendisse in Cælum, ut locum nobis ibi præparet; ipsum Caput esse, cujus omnes membra sumus, & mentem illius esse, ut membra ibi aliquando cum Capite suo conjungantur; cum S. Gregorio argumentabimur, opus esse, ut corde sequamur illum, quo putamus cum corpore ascendisse, & nihil ultra nobis placere debere in terris, cum Patrem habeamus in Cælis. Optabimus cum Apostolo, disrumpi omnia vincula, quibus mortali huic corpori adhæremus, ne ullus obex amplius nos sequi vetet divinum Salvatorem nostrum. Certe ex quo Dei Filius ascendit in solium gloriæ suæ, & Mundum reliquit, mihi videtur nihil superesse in terris, quod hic detinere valeat corda nostra, & nescio quomodo anima Christiana hoc tempore alias alere possit cogitationes, nisi de triumpho JESU CHRISTI vocantis illam in partem suæ felicitatis; neque alia desideria, nisi illum sequendi, neque alias curas, quam inquirendi media. *Abbas de Monmorel ex parte.*

Satis esse non debet sterilis hujus Mysterii admiratio; exercenda est humilitas, & mortificatio, quæ sunt viæ sequendi Salvatorem.

Docet Scriptura, JESUM CHRISTUM debere humiliari, ac passionibus suis gloriam, cujus hodie possessionem aggreditur. *Quod autem ascendit, nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ.* Sed eadem nos docet Scriptura, humilitatem, & mortificationem sola esse media, quibus uti debemus, ut ad paratam nobis beatitudinem perveniamus, & ita nos docet JESUS CHRISTUS: *Qui se humiliaverit, exaltabitur*: &. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: Igitur credendum non est Mysterium Ascensionis tale esse, ut nostram duntaxat inire valeat admirationem, & non sufficere cum stupore intueri JESUM CHRISTUM de terra assurgentem in Cælum: taliter affecti erant Apostoli, dum per illa verba correpti fuere: *Viri Galilæi, quid aspicitis in Cælum?* Quasi illis Angeli dixissent; ne ita occupati sitis videndo Magistrum vestrum ascendentem in gloria, ut negligatis vosmet ascendere cum illo. Non agitur hoc loco, ut oculis corporis illum intueamini ascendentem; agendum est, patiendum est, verbo, sequi oportet ejus vestigia, ut possitis aliquando occupare locum, ad quem vobis præparandum abiit. Cum Discipulis mitius non agetur, quam cum Magistro; & credendum non est nobis gratis dandam esse eam gloriam, quam ipse tanto sibi pretio comparavit. Omnino opus est, ut illam humiliatione spiritus, & corporis mortificatione comparemus; hic est fructus, quem percipere debemus ex Mysterio, quod celebramus. *Idem.*

Ad Eph. 4.

Mundi Salvator in hoc Mysterio nos docet summum bonum nostrum esse in Cælo.

Disce, Auditor, a JESU CRISTO in Cælum ascendere, & disce quatenus Christianus, si talis es, vel saltem quatenus homo, Cæli beatitudinem esse postremum finem tuum, & te in Mundo esse, ut illam merearis; namque in hoc Mysterio JESUS CHRISTUS hanc nos docet veritatem & verbis, & exemplis; num quidquam est æquius hac agendi ratione? Quidquid fluit ex adeo nobili principio, iterum illuc non debet reverti? fluvii, qui originem suam ducunt ab Oceano, nonne illuc post cursum suum debent redire? & cum ipsi in Mundum venerimus, ut gloriæ Dei inserviamus, postquam hoc defuncti fuerimus officio, non debemus reddere rationem nostri ministerii? Quænam esset calamitas nostra, si in æternum ab illo abesse deberemus, & quæ nostra injustitia, si illi reddere negaremus, quidquid recepimus, & quidquid suum est? Potuit ne Deus nos creare pro alio aliquo non autem pro se; & rationabilis creatura voti compos esse posset, si aliud quodpiam bonum illum posset satisfacere præter Deum? *Exivi a Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* JESUS CHRISTUS non poterat magis patheticum relinquere documentum, neque tempore, quod aptius esset ad illud in mentibus nostris imprimendum. Relinquere volebat Discipulis suis solidam consolationem, simulque maximi momenti morale præceptum; huc enim cetera sunt referenda. *P. Cheminais sermone de Ascensione.*

Ad Hebr. 4.

Quandoquidem Salvator in Cælum ascendens noster est Advocatus, Pontifex noster, atque Mediator, amplectamur S. Pauli sensus, qui hortabatur Hebræos, ut omnem spem suam in JESU CHRISTI intercessione collocarent: *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit Cælos, adeamus cum fiducia ad Tronum gratiæ, ut misericordiam consequamur: Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Salvator hic quatenus homo nostrarum miseretur ærumnarum, & quatenus Deus illis solatium potest adferre. Hoc mihi persuadeo Domine, quamvis toties in te peccavimus, te non abjecisse tamen benitatem insitam tibi; tu es Salvator meus, & mihi omnis spes erit abjicienda, ubi meum Salvatorem esse desieris: sed potesne Domine amabili huic qualitati nuntium mittere? Beatus ille, qui absque eo quod criminosæ innitatur præsumptioni, fovet spem adeo solido fundamento insistentem; videlicet illic in Cælis aliquando expectationem suam adimpleri &c. *Idem,*

De ultimis verbis quæ dixit Discipulis suis Deus in monte Olivarum antequam illos relinqueret.

Cur mihi non liceat, Christiani Auditores, earum rerum loco, quæ mihi vobis dicendæ sunt, hic vobis repetere sermonem, quem habuit ad suos Discipulos Salvator, antequam ab illis secederet? Quæ vobis esset voluptas simul atque utilitas illum audire? Licet discedam a vobis, Discipuli carissimi ad Patrem meum ascensurus, non ideo tamen sine dolore a vobis secedo. Quæcumque me in Cælo manet gloria, nisi hoc æque vestra referret, ac mea, consilium capere non possem a vobis discedendi. Descendi in terram, cum credidi ibi necessariam esse præsentiam meam; si in Cælum ascendo, ideo fit quia scio imposterum vobis me absentem profuturum. Ceterum quam primum aderit Spiritus Sanctus subiturus in locum meum, & vos non diu consolatore carebitis. Ite Apostoli mei, & docete Mundum universum eas veritates, quas tradidi vobis; ite, errorem eripite miseris, qui in vitio, & ignorantia sepulti sunt: ita, si fieri potest, facite, ut ex omnibus animabus, quas redemi, ne una quidem pereat; nolite expaveſcere vel Doctorum scientiam, vel principum hujus Mundi potentiam; ipse dabo vobis, quo pacto utrorumque superbiam confundere valeatis. Vos quidem patiemini, sed subsidia, quæ a me vobis sunt expectanda, omnes pœnas vestras mulcebunt. Ite igitur, rursus dico, & promeremini divites coronas, quas vobis præparaturus in Cælum ascendo. Apostoli, atque Discipuli non diu gavisi sunt voluptate illum audiendi; Salvator enim cum manus elevasset, ut ut extremum benediceret illis, incœpit sensim sese de terra tollere, & sine sensu intra nubes sese colligere. *P. de la Colombiere Sermone secundo de Ascensione.*

Quomodo Filius Dei exceptus fuit a Patre, totaque alia cælesti.

Si Prodigi Filii Pater tantam præ se tulit lætitiam, ac tantam celebravit festivitatem redeunte filio, a quo tanto dedecore fuerat affectus, ac familiæ universæ tantam infamiæ labem adspexerat, eo quod illius bona tot inter impudicitias, atque compotationes obligurierat: quibus blanditiis, & qua gaudii significatione existimandus est ab æterno Patre exceptus fuisse

fuisse Unigenitus suus, qui ut illi morem gereret, absumptus fuerat laboribus vitæ pauperis, atque patientis; Filius his amantissimus, qui ut Patris sui gloriæ consuleret semet crudelissimis tradiderat supplicüis; Filius hic innocens, qui tot peccatores salvos fecerat, & qui morte sua omnibus hominibus Cæli aditum reseraverat? Tunc Deus ille Majestatis agnovit ipsum pro Filio, tunc universæ Aulæ cælesti declaravit, omnia illius auctoritati esse cessura, ejusque potentiæ subjicienda; hunc futurum Dominum Cæli, quod aperuerat, inferni, quem vicerat, atque terræ quam sanctificaverat. Credibile est, tunc beatos omnes Spiritus palam clamasse: *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem, & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Agnus qui mortem subiit, meretur divinis honoribus decorari; dignus est qui fortiter, ac sapienter, summaque regnet cum potestate. Æquum est, ut illi omne reverentiæ, observantiæ, honoris signum adhibeatur, ut ad supremum gloriæ apicem referatur, & Cælum omne in æternum ejusdem laudibus resonet. Inter lætas hasce beatorum Spirituum voces Filius Hominis in Cælum invectus est, ubi nullus hominum adhuc visus fuerat, & quo numerosus ille Sanctorum exercitus, quos ex umbra mortis eduxerat, subsecutus est illum in beatam sedem illam, exceptum ea pompa, quæ debebatur meritis liberatoris sui, propriisque meritis singulorum? *Idem.*

Apoc. 5.

Spes eundi in Cælum, & accedendi in partem gloriæ Salvatoris sui iners esse non debet.

Membra sumus Mystici Corporis Domini nostri: Ille caput nostrum est. Sed caput nunquam sine membris esse debet, & deesset aliquid felicitati JESU CHRISTI, si solus esset in gloria: pertulit in Cælum sua vulnera, ut nostræ pretium redemptionis semper præsens oculis æterni Patris teneret portas Regni Cælestis semper patentes omnibus illis, quibus aditum reseravit Sanguine suo, & per os Apostoli clamat, voluntatem suam esse, ut omnes sancti simus ad hoc, ut simus beati: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Sed non sufficit habere hanc spem in corde, nisi satagamus nosmet magis magisque in Cælum ferventibus votis attollere, sequendi JESUM CHRISTUM. Mihi igitur per vos liceat eadem dicere, quæ dixit Angelus Discipulis JESU CHRISTI, qui testes fuerunt gloriosæ Ascensionis hujus; & qui, postquam nubes illum ab ipsorum oculis abstulerat in otiosa Mysterii hujus admiratione oculis Cælo inhærebant; *Viri Galilæi, quid statis hic aspicientes in Cælum.* Cur hic moram nectitis suspicientes in Cælum? Quærite media illuc ascendendi, adlaborate ea abjicere corruptionis pondera, quæ terram versus vos detrahunt: auferte obices, qui obstruere possunt aditum gratiæ in animas vestras: repetitis gemitibus, geminatisque suspiriis contendite eas vobis promereri gratias, propter quas operatis faciatis digna de Cælo, & gloria ad quam anhelatis. *Ex Speciminibus Sermonum pro die Ascensionis.*

1. ad Thess. c. 4.

Salvatoris Ascensio est præmium humilitatis ejusdem; & quam gloriosa eidem fuerit illa dies.

JESUS CHRISTUS Dei Filius, & ipse Deus non secus ac Pater, cum descenderit in inferiores terræ partes, ascendit hodierna die ad sublimem Cælorum apicem. Cum humilitas ejus, Sanctus Augustinus ait, fuerit causa gloriæ ipsius, æquum erat, ut gloria pretium esset humilitatis ipsius, ut Victor de Mundo, & de peccato, de inferno, & dæmone magnorum laborum suorum mercedem reciperet, & gauderet fructu Victoriarum suarum; & postquam magna sustinuit certamina in diebus carnis suæ, ad dexteram Patris sui collocaret hanc eamdem carnem immortalem effectam, & constitueret hanc sanctificationis arcam in loco, qui debebatur illi, & in gloria, quæ illi erat præparata. Hoc est gloriosum illud spectaculum, quod hodie nobis proponit Ecclesia. Angeli stupore capti, dum luminibus coruscantem & amictum gloria illum intuentur, quem vulneribus confectum, & opprobriis saturatum viderant, Cælos divinis canticis replent, quæ illis gaudii motus, & exultantis lætitiæ affectus suppeditant: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini porta æternales, & introibit Rex gloriæ.* Quam igitur gloriosus est Salvatori Mundi dies iste; sed nobis quam utilis, si enim volumus, gloria nostra separari non potest ab ejus triumpho, quo perficit in Cælo magnum opus redemptionis nostræ, quod in terris incœperat, & quo ut nos consoletur ob jacturam visibilis præsentiæ suæ, pollicetur se abire ad nobis sedem præparandam. *Ibidem.*

Psalm. 23.

Salvatoris Ascensio pro illo, & pro nobis justa erat, & necessaria.

Mysterium Ascensionis JESU CHRISTI est gloriæ ipsius consummatio, ac terminus spei nostræ. Deus, S. Augustinus ait, largiri debebat Filio suo gloriam ipsi debitam, ut insigni Mysterio celebraret præteritas illius humiliationes, debebatque nobis significare privilegia, & gloriæ hujus præstantiam ut unice magno huic inhærentes objecto incessanter nosmet attolleremus per lumina fidei, & per desideriorum nostrorum vehementiam; ita ut Ascensio JESU CHRISTI sit velut illecebra, qua utitur nos ad se attrahendos, & gratia hujus Mysterii proprie sit gratia separationis, qua nos avellit a terra, ubi non est amplius, & facit, ut suspiremus in Cælum, cujus omnes nobis pulcritudines ostendit. Ex quo adorabilis humanitas Filii Dei collocata fuit ad dexteram Patris æterni facta est objectum spei viatorum, æque ac felicitatis beatorum. Hæc undique renidet in Cælo per fulgorem inde emanantem. Quot scatet illecebris hæc sedes, Domine virtutum! Anima mea nihil præterea concupiscit, quam te possidere; cor meum, & caro mea non aliam habent oblectationem, quam quæ proficiscitur ex felici hac possessione. Nihil me roborat, & languentem sustinet, quam spes, quam mihi tribuit. Tales erant sensus Apostolorum, qui testes beati triumphi Præceptoris sui, terram contemnebant. Tunc incœperunt illum magis, magisque gustare, adhærere illi arctioribus vinculis; ardentius, quam ante illius desiderio teneri. Tales esse debent sensus nostri, ut sequamur cælestes impetus, quos fides, ac spes nostra nobis inspirant. *Ibidem.*

Salvatoris Ascensio roborat spem nostram in Cælum aliquando ascendendi.

Ex omnibus Mysteriis, quæ celebramus, & quæ Religio nobis repræsentat, nullum est, quod melius spem nostram confirmet, quam illud Ascensionis; quod certius sit futuræ nostræ beatitudinis pignus, & quod peculiaria nobis conferat jura in bona Cæli, quod hactenus clausum fuerat, & ubi neque caput, neque mediatorem habebamus, qui ibi nostram sedem indigitaret. Quæ nostra fuisset calamitas, nisi portæ Cæli nobis reseratæ fuissent? nonne redacti fuissemus ad languentem spem, cujus terminus diutius dilatus eo magis animam affligit, quo ardentius festinat assequi bonum, quod nunquam possidet; Ceterum, si Cælum nobis non fuisset apertum, & si illic non caput, neque mediatorem haberemus, qui ibi locum nostrum præpararet, spes nostra nonne confusa fuisset, & cum veteris Testamenti Justis beata contigerit sors illuc cum JESU CHRISTO ascendendi, nonne in eorum felicitate natiti essemus insignem causam deplorandæ nostræ calamitatis? In priori illo statu spes nostra omni caruisset lætitia, in altero vero omni fundamento: sed benedictus esto in æternum, divine Salvator! quod per Ascensionem tuam aperuisti *Cælum, quod clausum erat,* & præparasti sedem, *quæ nobis erat destinata. Et sane cur in Cælum ascenderet coram Discipulis suis? Cur ascenderet stipatus corona Patriarcharum, & Prophetarum, nisi ut doceret homines, spem illorum quamprimum adimpletum iri; ipsos perfruituros non diu expectata possessione felicitatis, quam præstolantur, & ipsos in ejus persona, & Mediatorem, & caput esse inventuros.* Spes hominum potestne solidiori incumbere fundamento! Æquum erat, ut ante JESU CHRISTI Ascensionem Cælum clauderetur, ut ille, qui inde descenderat redemptionem nostram operaturus, primus illius possessionem adiret post magni hujus operis consummationem. Sed quod coram Apostolis volueris ascendere, hoc mihi cieret admirationem, nisi a Patribus discerem, hanc circumstantiam unam ex *illis esse, quæ magis spem nostram confirmant, & nobis ea ostendit insignia jura, quæ nobis contulit in Cælum illuc ascendens. Idem.*

Quo in sensu S. Paulus testetur Salvatorem in Cælum ascendisse ut omnia impleret.

S. Paulus asserit, illum qui descendit, eumdem esse, ac illum, qui super omnes Cælos ascendit, ut impleret omnia; ita Magnus hic Apostolus loquitur de admirabili humilitate Filii Dei super terram, & de infinita ejusdem in Cælo gloria; postquam narravit, illum descendisse, ut omnes repleret figuras, & adimpleret omnes prædictiones, *ascendit cumulaturus homines beneficiis suis, & universum orbem impleturus vestigiis potestatis suæ, & characteribus suæ magnitudinis; ut postquam tanta in terris edidisset miracula, postquam super aquas ambulasset, inferni portas confregisset, omnes dæmonum vires debellasset, modo in Cælo triumphet, ut in ejus nomine omne genuflectatur Cælestium, terrestrium, & inferorum, & ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS est in gloria Dei Patris sui. Ibidem.*

Dei Filius in Cælum ingressus est, ut impleret magnum nostræ redemptionis opus. Ad Hebr. 9.

Dei Filius pro nobis ingressus est in Cælum, Apostolus inquit, tamquam præcursor noster, ut nos sequamur illum modo per spem, & ut hæc spes nobis sit tamquam firma, ac tuta anchora in variis æstibus vitæ hujus mortalis: *Ubi Præcursor pro nobis introivit JESUS.* Quemadmodum non solum venit in terram, ut mereretur gloriam corporis, quod in Virginis utero acceperat; sed etiam ut operaretur salutem omnium, qui in ipsum erant credituri; si nihil illi faciendum supereſt propter Sanctam suam humanitatem, adhuc illi operandum est pro salute Sanctorum suorum, donec ingrediantur gloriæ partem; quod nobis innuere vult Apostolus, cum ait, illum postquam descendit, *ascendisse super omnes Cælos, ut impleret omnia.* Perficit in Cælo magnum hoc opus redemptionis humanæ, quod incœpit in terra: inde tamquam Ecclesiæ Caput, quemadmodum illum vocat Apostolus, regit illam per Pastores, quos illi præficit, illam illustrat per Doctores, sanctificat per Sacramenta, protegit ope gratiæ suæ, vivificat spiritu. *Ibi indesinenter orat pro nobis,* & noster fit Advocatus, ut peroret causam nostram apud Patrem suum; Mediator, ut

Ad Eph. 4.

illi nostras offerat preces, Pontifex, & victima, offerens quotidie Sanguinem eumdem, quem super Crucem effudit pro salute Mundi totius; *Habemus advocatum apud Patrem JESUM CHRISTUM, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.* Illic est super Thronum gratiæ, & misericordiæ, ut adeamus illum in tempore opportuno ad obtinendam remissionem peccatorum nostrorum, antequam appareat in Throno justitiæ suæ Mundum judicaturus. *Idem.*

1. Joann. 2.

Ascensio Filii Dei efficere debet ut elevemus corda, & desideria nostra in Cælum.

Audientes omnia mirabilia, quæ in Ascensione Filii Dei contigerunt, animæ fideles, eodem estis in statu, in quo erant Discipuli Domini nostri, cum illum euntem in Cælum suspexerunt. Nam quamvis ab oculis eorum evanuisset, erectis permanserunt oculis, sensu confusi, verbis destituti, & obruti magis illius sequendi impotentia, quam acti cupiditate illum revocandi. Profecto nullus est in hac societate, qui secretis motibus, non adnitatur de terra Cælum versus attolli, secuturus illuc Salvatorem triumphantem; & qui nolit gloriæ ejusdem particeps fieri. Sensus hujusmodi æquissimi sunt, & ab Evangelicis non abnormes. Cælum optare debemus, & jus est nobis eo contendendi. Sed ut perveniamus illuc, incipere debemus nosmet attollere donec sumus in terra; quomodo vero id fieri possit, dicam. Duplex est Elevationis genus, quæ dici possunt Elevationes de loco; Prior est cum animæ nostræ relinquentes terrenam mansionem hanc elevabuntur super Empyreum, quod accidet corporibus nostris post generalem resurrectionem. Altera est elevatio cordis, cum per amorem separamur a rebus abjectis, atque humilibus, & nostra attollimus desideria versus æterna objecta; & hæc altera elevatio via est, meritum, & medium obtinendi primam. *Ex Specimine Eloquentiæ Abbatis de Ambignac Sermone de Ascensione.*

De Sanctis legis antiquæ, qui ascendentem Dominum subsecuti sunt.

Dei Filius hodierna die in Cælum ascendens illuc secum adducit Sanctos omnes, quos tempus, cujus plenitudo erat expectanda, captivos in inferis detinebat: *qui sensus est verborum Sancti Pauli, Videre videor beatas hasce animas, quæ plurimorum annorum intervallo elanguerant in neutro statu infernum inter & Paradisum, mortem inter & vitam, noctem inter & diem, inter supplicia & beatitudinem: liberi erant a servitute peccati, sed paradisi libertate non erant donati; immunes erant a secunda morte, sed vita secunda non fruebantur; septi non erant tenebris horroris, sed non erant illuminati splendoribus immortalitatis: non sustinebant indignationis Dei tela, sed æterni Paradisi delicias non possidebant; cum repente in ictu oculi rapi se sentiunt virtute Filii Dei, sese attollentis in Cælum, quo illum sequuntur, in quod ingrediuntur, & in quo Deus detegens faciem suam, atque tot sæculorum velum infringens, eos ambit iisdem fulgoribus, quibus amictus est Filius suus, illos eadem cumulat lætitia, & in eamdem immergit felicitatem. Glorioſus ſtatus, quem concupiscere quidem animæ licet, lingua vero non potest exprimere. Idem.*

Salvatoris Ascensio jucundissimum est spectaculum, sed quod ibi augustius & majus erat, erat invisibile.

Jucundum est fidei nostræ spectaculum sequi JESUM CHRISTUM adspectu cum hac turba discipulorum, coram quibus ascendit in Cælum, & considerare hunc mortis victorem, qui onustus spoliis inferni, & peccati super alas ventorum, ut inquit Scriptura, sublatus penetrat sublimiorem Cælorum verticem, & divinitatis ipsius solium ascendit, ibique locat sacratam hanc nostræ carnis portionem, postquam facta fuit victima salutis nostræ. Sed in quam extasim raperemur, si nubes fidei nostræ dissipatæ nobis permitterent intueri apparatum invisibilis hujus triumphi, qui decoravit ingressum in Cælum Regis Gloriæ! innumeram hanc multitudinem captivorum, qui ex terræ penetralibus liberati, ubi illum tot sæcula morabantur, catervatim liberatoris sui currum sequuntur. Quidquid erat innocentium animarum, quæ ab orbe condito fideles extiterant legi Dei, & per Messiæ exspectationem fuerant sanctificatæ, illum sollemni hac die circumfusæ pro meritorum suorum varietate in gloriæ ipsius societatem ingreditur. *Abbas du Jarry sermone de Ascensione.*

Cum J. C. patiendum est, ut fiamus gloriæ ejus in Cælo participes.

Loquere Domine, sed divina ea voce, quæ inflammabat corda duorum illorum Discipulorum in Emaus proficiscentium; & dic ignavis animabus, quæ laborem, ac adversa perhorrescunt; nonne oportuit JESUM CHRISTUM pati, ut intraret in gloriam suam, & vos contenditis illum in Cælum sequi, quin incedatis per viam quam ille nobis indigitavit? Ne abutamur Fideles pretiosis hisce pignoribus amoris Dei nostri erga nos; adversis utamur tamquam libramentis miseræ hujus proclivitatis quæ nos trahit in terram; & cum Mundus nobis suas offeret delicias, ut nos alliciat, opponamus illi amaritudines suas, ut nosmet ab illo avellamus. Verum altera ex parte ne animum despondeamus sub pondere calamitatum, quas nobis ingruere patitur Deus; constantiam nostram relevare debemus ea promissione, quam fecit Salvator Discipulis suis aliquot diebus ante Ascensionem suam, ut in antecessum leniret dolorem adeo amaræ separationis dicens, hanc non fore diuturnam, & quamprimum illis non defuturam consolationem ipsum iterum videndi: *Modicum, & videbitis me.* Hinc Sanctus Paulus Apostolus nos hortatur, non solum, ut patienter mala sustineamus, sed semper gaudeamus per illam hilaritatem, quam spes parit in nobis. *Idem.* Joann 16.

Salvatoris gloria, & quam admirabilis sit pompa Ascensionis.

Quem vestrum, dilectissimi Fratres, non movet objectum, quod Ecclesia filiis suis exhibet ea die, qua divini Sponsi sui celebrat Ascensionem, cum divinus iste Salvator postquam benedixit Discipulis suis, eisque pacem dedit, inspectantibus ipsis sublatus fuit in Cælum, atque involutus nube, quæ quamprimum abstulit eum ex oculis eorum, transtulit nostram naturam per medios Spiritus, atque Intellectus, futurum æternum objectum admirationis eorum? Quam suavis cogitatio, animæ Christianæ, comitari Filium Dei in invisibili apparatu triumphi sui? sese commiscere cum turba glorioſorum captivorum a vinculis mortis solutorum, qui Victoris sui currui circumstant, cum ipso per æternales portas ingrediuntur in Cælum, quæ ad conspectum hujus Regis gloriæ panduntur? Nisi timerem obrui pondere Majestatis, illam nimis prope volens considerare, exponerem oculis vestris primogenitum hunc Electorum, coram quo colles æterni curvantur; vobis illum cum dilecto Discipulo ad admirandum proponerem tamquam facem, aut lampadem, radiis suis cælestem Jerosolymam illustrantem; exponerem vividas illas imagines, cum quibus Sanctus Joannes describit ineffabilia JESU magnalia; ostenderem illum habentem in fronte mysticum diadema compositum ex duodecim stellis, quarum singulæ sunt Sole ipso nitidiores, & sub pedibus ejus centum & viginti quatuor aureas coronas, quas offerunt illi Seniores Apocalypsis, albis renidentem vestibus nive candidioribus, quibus amictus apparuit die Transfigurationis suæ, & in magnifico apparatu, in quo Propheta nobis repræsentat Sponsam Regis gloriæ coruscantem lumine, ex ipsius corpore glorioso emanantem. *Idem.*

Ingressus Filii Dei in Cælum comparatus cum eo, quo Reges post insignem, aliquam victoriam ingrediuntur in metropolim suam.

Nulla fere est occasio, in qua Regum Majestas magis eniteat, quam cum in imperii sui Metropolim ingrediuntur, cum post insignem aliquam de hostibus relatam victoriam lauro, & coronis redimiti revertuntur. In hujusmodi occasionibus omnes suas opes populorum oculis ostentant, ut & admirationem spectaculorum novitate, & reverentiam sibi concilient ostensione suarum divitiarum, suæque potentiæ; quamvis ut verum fatear, omnis fulgor glorioſorum id genus triumphorum non ex Principum persona proficiscatur; cum ad id Dominorum, & Aulæ Principum magnifica pompa, & servorum caterva quamplurimum conferant. Triumphales arcus, trophæa, simulacra, pyramides, Tabulæ, Epigraphes, & alia sexcenta rara, & mirabilia objecta meliorem id genus celebritatum partem constituunt; & sæpe accidit, ut ille, pro quo magnus hic apparatus instituitur sit pars minus speciosa, ac spectabilis triumphi, vel saltem nemo inficias ire queat, si ille fuerit illustris, atque magnificus, alienis tamen sumptibus talem fieri. Præclara equidem pompa est, sed propter quam unius diei ambitu continetur; illam spectantibus plerumque carissimo stat pretio. Comœdia est, ubi Princeps primas agit partes; sed cum cedat in subditorum oblectationem, horum quoque est sumptus erogare. Longe aliter sentiendum est de Ingressu Filii Dei in Cælum, Ipse unus totus est illius honor, Angeli, & Sancti qui illum subsequuntur, nonnisi de illius largitatibus divites sunt, & nonnisi ejusdem splendoribus enitescunt; & quamvis ille præcipuam obtineat hujus triumphi gloriam, Beati, & Fideles non ideo minus admirabiles percipiunt utilitates. *Sermo Manuscriptus.*

Salvator in Cælum ascendens beatis spiritibus magnum est gaudii, & felicitatis incremetum.

Quis dubitare potest, quominus Filii Dei præsentia die Ascensionis suæ in Cælum fuerit felicitatis, & voluptatis incrementum Angelis, omnibusque beatis Spiritibus, & amor, quem experti sunt erga objectum adeo dignum, auxerit lætitiam eorum, ac ingeminaverit eorum raptus, atque impetus? Poterant illi respicere infinitas perfectiones, quæ in Sancta Salvatoris hujus humanitate renidebant, tamquam in maxime admirabili opere manuum Dei, quin in novas admirationes, recentesque extases inciderent? Dicite nobis supremæ Intelligentiæ, Cherubin, Seraphin, Spiritus repleti luminibus, & gratiis; lumina vestra, nonne quadam ecclypsi laboraverant coram hoc Sole? gratiæ, & admirabiles perfectiones vestræ nonne evanescere visæ sunt coram admirabilibus illius pulcritudinibus? Nonne præ reverentia faciem vestram operuistis coram adorabili Majestate hujus hominis-Dei? Nonne singulari affecti fuistis voluptate ejus infinita, cognoscentes præ vestris privilegia, & palam profitentes illum dignissimum esse, qui vester esset Rex, Magister, Dominus, & Deus, & honori vobis futurum fuisse, si inter humiles ipsius

servos

servos recenseremini. Ah! quanta igitur est oblectatio videre Magistrum hunc adeo dilectum, Regem adeo carum, Dominum adeo venerabilem, & hunc hominem-Deum adeo adorabilem, videre inquam illum hodierna die adeuntem possessionem gloriæ suæ.

Dei Filius supra Cælos omnes ascendit, & sedet ad dexteram Patris. Psalm. 67.

Dei Filius Ascensionis suæ die non solum sublatus fuit ad fastigium usque Materialium Cælorum, quo modo testatur Apostolus, *Ascendit super omnes Cælos*, verum etiam super omnes Spiritus, & sedit ad dexteram Dei, qui altissimus est honoris gradus, & secundum Scripturarum Sermonem significat æqualitatem gloriæ, potestatis, & majestatis cum Patre suo, quod efficit, ut Tertullianus pro illis Psalmistæ verbis: *Ascendit super Cælum*, consueta sua loquendi energia, dicat; *ascendit sublimitatem*. Superat quamcumque excogitabilem altitudinem, quo ne nostrarum quidem mentium acies valeat pervenire. Hic ille Thronus est, & locus, quo rebellis angelus ausus est suam inferre ambitionem; sed frustra superbi illius Spiritus tumor sedem illam occupare est adnisus, uni humiliato, & exinanito Deo debitam. Angeli, & Beati, qui huic interfuistis miraculo, vos ergo dicite, utrum Propheta satis expresserit, cum ait, illum super alas Seraphim sublatum fuisse; utrum S. Paulus satis digne loquatur, cum ait illum a Patre constitutum fuisse super omnem principatum, & potestatem? *Constituens eum super omnem principatum, & potestatem, & super omne nomen, quod nominatur, sive in hoc sæculo, sive in futuro*; & utrum S. Bernardus exhauserit omnes conceptus suos, dicens, illum recepisse gloriam quam habebat antea in sinu Patris sui. Unicuique licet, Auditores, omni nisu contendere, ut sese super omnes Cælorum orbes, omnesque Angelorum choros attollat; nos vero nihil dicemus præter ea quæ dixit Apostolus, ipsum videlicet usque ad altissimum Cælorum apicem ascendisse, quemadmodum usque ad terræ centrum descenderat; metiar altitudinem alterius, si forte scrutari vobis inde licuerit alterius abyssum: sed neque vos, neque ego id poterimus assequi. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christianæ argumenta, Tomo 2. Mysteriorum.*

Ad Ephes. 1.

Dei Filius per Ascensionem suam nobis ostendit Cæli viam, quæ nobis antea erat ignota. Psalm. 15. Luc. 24.

In hoc Mysterio Salvator nobis ostendit viam, quæ ducit in Cælum; eam videlicet, quam ipse secutus est illuc ascensurus, secundum illud Regis Prophetæ verbum: *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Quænam vero *hæc via est? Ipse eam nobis indigitat dicens*, se nonnisi per passionem suam ingressum fuisse in gloriam suam: *Nonne oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam suam?* Igitur humiliatio ad gloriam via est: *Quod ascendit, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ*; & tribulationes viæ sunt, per quas ad supremum bonum pervenitur. Ita S. Paulus ait: *Videmus JESUM per passionem gloria, & honore coronatum*. Cum igitur Dei Filius nobis indigitaverit viam hanc, per quam ille primus ingressus est; illac proculdubio tendere ipsi debemus ad felicem eumdem terminum perventuri; reliquæ viæ omnes deviæ sunt, in quibus manifestum est aberrandi periculum. Paulisper ergo cogitemus, carissimi, quænam sit abnormitas inter terminum ad quem contendimus & viam, quam eo perventuri, sumus ingressi. Gloria est finis noster, & scopus noster æterna beatitudo, sed quænam est via, per quam illuc assequi admitimur? Nunquid per humiliationem, quemadmodum Filius Dei illuc ingressus est? Nunquid per passiones, quemadmodum illuc ipse pervenit? Neque enim existimandum est, membra illuc pervenire posse per similes rosis stratas, cum caput fuerit spinis coronatum. Nunquid hac de causa antequam in Cælum ascenderet, relinquere voluit sacra pedum suorum vestigia in monte Olivarum impressa, quæ ad hanc quoque diem exstant; ut inde intelligamus, ut nonnulli Sancti Patres inquiunt, in Cælum, & gloriam ascensuris, gressus, & vestigia illius esse sequenda. Sed vestigia hæc sanguine notata eo in loco, ubi illum ex omnibus Corporis sui artubus effudit, cum mystico illo sudore manavit; sed gressus illius impressi per profundas ipsius humiliationes in hoc eodem loco, ubi toties sese prostravit in terram, quasi vellet nobis iter delineare cruentis vestigiis suis, ac nobis dicere, quod olim dixit Moysi: *Inspice, & fac secundum Exemplar, quod tibi monstratum est in monte*, qui primum fuit meorum præliorum theatrum, & disce, ut me in gloriam ascendentem sequaris, tibi decertandum esse, ac sustinendas humiliationes, quemadmodum ipse sustinui. Animæ Christianæ! undenam oriuntur obmurmurationes istæ, in quas erumpitis, ubi vobis Deus aliquid adversitatis immittit? Quæ causa est harum imprudentium querelarum? Cur tanta esterimur impatientia in minimis, quæ nobis incidunt, contradictionibus? Audistisne umquam Crucem viam esse, quæ ducit in Cælum, & humiliationem medium esse, per quod pervenitur ad gloriam? Quod si vobis animus deficit ad pugnam sustinendam, quemadmodum ipse illam sustinuit, quo jure confiditis fore vos participes victoriæ, & beatitudinis, quæ victoriam subsequitur? *Non dedignetur homo sequi, quæ præivit homo Deus*, Sanctus Bernardus exclamat. *Idem.*

Ad Ephes. 4.

Ad Hebr.

Exod. 25.

Videtur ideo in Cælum ascendisse Dei Filius, ut illuc nos suis gratiis pertraheret, quæ sunt media ad illuc perveniendum. Cum igitur consideramus Salvatorem die gloriosæ suæ Ascensionis, dicendum est non solum factam esse ab eo Regni hujus acquisitionem; sed etiam ablatos fuisse omnes obices, qui illuc nobis aditum intercludebant; omnes salutis nostræ inimicos victos esse, & si restat adhuc, ut a nobis quoque vincantur, conatus, quos exerunt, ut nos inde prohibeant, si voluerimus ipsi, nobis in majorem acquisitionis nostræ gloriam cessuros. Verbo, neminem prohiberi, nisi qui se indignum præbet, qui illuc ingrediatur: quod nostram confirmare debet spem, metus omnes dissipare, ac constantem ciere confidentiam nos quoque aliquando, ut Salvator ingressus est, esse ingressuros. Cum enim hæc spes legitimo innitatur juri, & fulciatur ope, quam Deus nobis suppeditat, nos fallere, aut confundere nequit, quemadmodum Apostolus loquitur: *Spes autem non confundit*. Hæc nonnisi ex parte nostra deficere potest, quoniam omnem excogitabilem habemus spem in Deo, qui nobis acquisivit jus in Cælum, qui Cæli viam nobis ostendit, & qui nobis confert virtutem, ac potestatem omnes obices infringendi. *Idem.*

Post quam Salvator in Cælum ascendit, nihil prohibere potest, quo minus, illuc spem nostram erigamus.

Ad Rom. 5.

Illud deplorandum est, quod plerique Christiani sibimet Cæli aditum obstruunt, & sunt spei suæ prævaricatores, quemadmodum S. Cyprianus nos fidei prævaricatores appellat: *Spei nostræ sumus prævaricatores*. Etenim *quomodo nam sperare possumus æternam hanc beatitudinem, dum illam in hac terra conquirimus? Jugiter Deum obsecramus, adveniat Regnum tuum*, atque eum obtestamur, ut nos Regni sui participes faciat; cum interim nostrum diligamus exilium. Ad beatæ mansionis illius libertatem contendimus & Mundi hujus servitutem amamus? Speramus æternum cum Deo regnaturos nos esse, & cupimus semper in terra permanere? Verbo, volumus infinita hac beatitudine perfrui, & nihil agere ad eam promerendam. Hoc voco prævaricatores esse spei suæ; & profecto si rara est in terris fides, *quemadmodum ipse queritur Dei Filius, & si caritas adeo intepuit, ut vix videatur scintilla sacri hujus ignis, quo primorum fidelium cor æstuabat, nonne dicere possumus spem in hominibus esse infrequentiorem? Idem.*

Christiani spei suæ prævaricatores, sibi obstruunt viam in Cælum.

Nostis unum ex gravissimis primi parentis nostri malis fuisse Cælum & sibi ipsi, & omnibus posteris suis præclusisse. Angelus, quem præfecit Deus cum flammivomo gladio ad aditum illuc prohibendum, fuit figura severitatis justitiæ suæ, qua decrevit nullum hominem in gloriam admissum iri, nisi antea huic justitiæ fuisset satisfactum. Quamvis complures Sancti in gratia Dei obierint in veteri Testamento; nemo tamen adhuc in Cælo fuerat receptus. Salvatori nostro reservata erat gloria, *ut ille primus ingrederetur*, & aperiret Paradisum, *qui in diem usque Ascensionis clausus fuerat, ac inaccessus. Itaque animadvertetis, ubi Regius Psaltes describit triumphalem ejus reditum in Cælum, memorare, bis imperatum fuisse Angelis januæ Cælestis custodibus: Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini porta æternales, & introibit Rex gloriæ*. Quo facto ostendit portas illas bis apertas fuisse, semel quidem sibi, secundo vero Prædestinatis omnibus, qui omnes in illius persona continentur. Hodierna igitur die Cælum pertinet ad hominum posteritatem. Æternales ædes illæ, quæ hactenus Angelis tantum aperiri consueverant, tamquam eorum habitaculum, incipiunt patere etiam hominibus, non solum pro animabus eorum, verum etiam pro gloriosis eorum corporibus: & hic status, de quo dejecti fueramus post protoparentis nostri peccatum, fit possessio nostra per Ascensionem Filii Dei, qui illum aperit, sequentibus se Patribus, qui in Limbo detinebantur, & qui ejus triumphum comitati fuerunt. *Biroat sermone pro Ascensione Domini.*

Salvator per Ascensionem referat portas Cæli, quæ per primum Adæ peccatum clausæ fuerant.

Psalm. 23.

Jure suo Ecclesia Salvatoris Ascensionem vocat admirabilem; Est enim beatissimus terminus itinerum Filii Dei, Sabbatum suavissimum, quo cessat a diutinis laboribus suis, finis operis salutis nostræ, consummatio Mysteriorum vitæ patientis, reditus ab ea Legatione, qua functus est, ad Patrem suum, corona præliorum ejus, victoriarum triumphus, gloriosus in suum regnum ingressus, aditus ad possessionem Æterni Imperii, Cæli aperitio, terræ exultatio, felicitas Angelorum, Sanctorum lætitia, ratificatio pacis nostræ cum Deo, captivorum liberatio, mœrentium consolatio, Spes eorum, qui pusillo sunt animo, fortitudo infirmorum, objectum dignum ambitione magnarum animarum, & unicus fons verarum voluptatum. Hoc Mysterium est quod cum gaudio celebrat Ecclesia, quod Angeli cum Epiniciis exaltant, & quod cum admiratione universa natura intuetur. *Per Admirabilem Ascensionem tuam. Sermo Manuscriptus.*

Mysterii hujus excellentia, & elogia quæ illi deferunt Sancti Patres.

Hic, Fideles, magna voluptate afficeremur audientes Prophetas, Apostolos, Ecclesiæ Patres, & Sacros Oratores, & videntes conatus, quos exerunt certatim, ut aliquam nobis adstruant ideam admirabilis hujus trium-

triumphi Domini nostri eo die, quo ascendit in Cælum. Non loquuntur nisi de Triumphali curru, de throno fulgenti, de palmis, coronis, epiniciis, concentibus, acclamationibus, pompis, largitatibus, magnificentia. Alii veterem nobis memorant Romam, ut illic triumphales ingressus admiremur; ostentant nobis superbos illos terrarum domitores auro, lapillisque pretiosis renidentes, magnificis insidentes curribus, quos leones trahunt, & Elephanti, stipatos ducibus, militibusque suis lauro redimitis, palmasque manu præseferentibus. Nobis etiam exhibent, qua pompa Reges captivi post victores traherentur, & quomodo ob oculos plaudentis populi ostentarentur thesauri, & divitiæ debellatarum nationum, non sine imaginibus victarum Urbium, ac Provinciarum, & postquam admirationem excitarunt horum miraculorum ostensione, addunt, Salvatoris triumphum toto Cælo fuisse admirabiliorem, & cum S. Fulgentio argumentantur: *Quam speciosa potest esse Jerusalem Cælestis, si sic fulget Roma terrestris. Idem.*

David loquens de pompa cum qua Arca Dei translata fuit, Jerosolymam prophetice loquitur de Salvatoris Ascensione.

Cum David loquitur de pompa, cum qua Arca Testamenti Jerosolymam translata fuit, descriptionem instruit admirabilem in Psalmo 67. ubi diceres ipsum ea in occasione superavisse semet, sententiæ enim, locutiones, verba ita sublimia sunt, ut ob oculos mentis illius versatus fuisse dicendus sit longe speciosior triumphus illo, quod oculis corporis intuebatur. Prophetice loquebatur de JESU CHRISTI Ascensione, cujus nonnisi umbra, & figura erat Arca. Raptus Eliæ, qui vivens adhuc igneo curru in Cælum abreptus fuit; & alter ille Enoch, qui lucis turbine ablatus est, cum Salvatoris Ascensione comparari non possunt: Quandoquidem toto Cælo gloriosius fuit huic per seipsum, & propria virtute ascendisse. Nequaquam, S. Bernardus ait, aliena vi opus fuit, non machinis, neque arte, ut attolleretur. Nubes, qua exceptus fuit; illi quidam, si vis, loco fuit Tabernaculi, non autem currus, aut fulchri. *Idem.*

Ascensio discipulorum fidem confirmavit.

Donec Salvator in terra cum Apostolis mansit, fides eorum alebatur miraculis, quæ ipse coram illis operabatur; & omnibus fulgentibus probationibus divinitatis ejusdem, quarum testes oculati fuerunt. Ita illum palam confessi sunt Dei Filium per os S. Petri, qui fuit ceterorum discipulorum organum cum dixit: *Tu es Filius Dei vivi*; sed cum *fides* sit *rerum non apparentium*, oportebat, ut Apostoli privarentur adspectu JESU CHRISTI, ut fides eorum probata per ejus Ascensionem in Cælum, reciperet gradum incrementi, & meriti, quem illo præsente habere non poterat. Tunc enim impressiones, quas Salvatoris præsentia, atque societas in sensibus illorum effecerant, evanuerunt ita, ut nec cavo, nec sanguis, nec ulla ratio alia humana, & terrena non ultra ullam habuerint partem in fide illorum, non secus ac in eorum spe, & caritate. Hinc dicit Apostolus, quamvis cognoverint JESUM CHRISTUM secundum carnem, non tamen se illum adoraſſe per hanc cognitionem, & divinitatem illius credidisse; etenim ignis Spiritus Sancti, qui super illos post Ascensionem descendit, emundavit mentes eorum, & corda ab omnibus imaginibus sensibilibus, atque corporeis, quibus erant repleti. *Ex Speciminibus Sermonum pro Ascensione.*

Matth. 16.

Ratio esse attollendi in Cælum est se a terrenis rebus avellere.

Præcipua Salvatoris a Discipulis suis discedentis mens fuit eos, simulque Christianos omnes admonere, ad hoc, ut in Cælum ascendant, opus esse, ut animum a terrenis rebus avellant. Dixerat illis JESUS CHRISTUS se Regem esse, se omnes terræ gentesditioni suæ subjecturum, se Apostolos suos instituturum judices omnium mortalium, eosque judicaturos cum ipso duodecim Tribus Israel: nihilque erat adeo proprium, atque magnificum, & accommodatum ad palpandam hominum cupiditatem, atque ambitionem hisce promissionibus: sed Ascensio JESU CHRISTI nos docet, hæc omnia in Regno spirituali esse adimplenda, & Discipulos suos non posse attollere se ad gloriam capitis sui, nisi per viam humiliationum, paupertatis, atque passionum, quæ sibi quoque aditum ad Cæli gloriam aperuerunt. Magnum hoc documentum tradiderat ille Apostolis suis, cum ad dirimendam litem inter illos obortam de ipsorum præstantia, dixit illum, qui inter ipsos magnitudine debebat præcellere, debere sese tamquam omnium minimum præseferre, & quicumque semet humiliaverit, eum exaltatum iri. Sed hac de re illos efficientius erudiit, cum Crucis, & sepulcri opprobrium perpessus, quadraginta dies cum illis conversatus, & de regni sui mirabilibus colocutus, inspectantibus ipsis, ascendit in Cælum, relinquens in vestigiis extremis, quæ impressit in monte Sacro, qui fuit hujus Mysterii theatrum, signum coruscans; quod omnibus hominibus indigitat viam, quam sequi debent, hunc Regem gloriæ secuturi. Quidquid terrenum est locum habere nequit in regno spirituali: itaque opus est ut Christianus toto vitæ suæ tempore adnitatur infringere vincula, quibus huic mundo inhæret, ut anima sua per mortem liberata, nihil amplius inveniat, quod suum in Deum volatum impediat. *Ibidem.*

Ex qua Salvator noster est in Cælo, cor nostrum avellere debemus ab omnibus terræ bonis, & Cælestia cogitare.

Quænam esset cæcitas nostra, omnimumque sensuum carentia erga æterna bona, si Deus omnia potens, gloriosus, dives, omnibusque plenus illecebris non posset allicere cor nostrum, quod propter ipsum unice factum est, & quod, quamvis mundum depereat, nunquam tamen voti sui compos fieri potest nisi Deum ipsum possideat. Quænam hæc cæcitas esset inquam, si JESU CHRISTI Sanguine redempti, in partem gloriæ ejus acciti, quotidie enixis precibus ab illo petentes, ut Regnum suum adveniat, omnem spem nostram intra vitæ hujus bona, honores, voluptates, & commoda contineremus? Si diebus singulis experti miserias, & corruptionem mundi, illum adhuc diligeremus? Si cognoscentes magna bona, quæ eos manent, qui sequuntur Salvatorem euntem in Cælum, & ipsum possident Deum, nullo in discrimine haberemus Cælum, & Deum, quasi hic non esset Pater noster, neque illud patria, & sedes nostra? Cælum igitur, & supremi hujus boni possessio esse debet objectum spei meæ; ubi enim thesaurus est meus, opus est ut ibi etiam sit cor meum; ibi enim erit JESUS CHRISTUS, vita mea, salus mea, cibus meus bonum, gloria, beatitudo, pax mea, & quidquid rationabiliter optare possum, ideoque opus est, ut ibi omnia figam desideria mea. *Ibidem.*

Cur Dei Filius ascendere voluerit in Cælum coram discipulis suis.

Cum Dei Filius se transfiguravit in Thabor, hoc accidit coram tribus tantum Discipulis, quibus etiam silentium indixit, ne de iis, quæ viderant, loquerentur; in Ascensione autem, cum terram reliquit abiturus in Cælum, coegit Discipulos suos in montem Olivarum, ubi omnes gloriosam hanc elevationem intuiti sunt: *Videntibus illis elevatus est.* Si nosse cupimus, unde profecta sit hæc adeo diversa agendi ratio; inde S. Cyprianus ait; quia in Apostolis duo mala curanda erant, eorum incredulitas, & diffidentia; & JESUS CHRISTUS, ut idem Pater inquit, duobus hisce malis duo summa opposuit Mysteria. Ut primum curaret, quadraginta dies voluit in terra permanere post suam Resurrectionem, ut frequentibus apparitionibus veritatem illis ostenderet. Poterat ille, S. Cyprianus ait, statim in Cælum ascendere, sed voluit sese accommodare Discipulorum suorum infirmitati, & omnes eorum suspiciones dissipare per Ascensionis suæ veritatem, & gloriam.

Quinam fuerit sensus Discipulorum videntium Magistrum suum in Cælum Ascendentem.

Quis posset exprimere sensus Discipulorum Salvatoris, cum viderunt carissimum Magistrum suum postquam illis extremum vale dixisset paulatim de terra se attollentem, quasi invitus ab illis recederet? Ille ascendebat Corpore, & illi eum mente sequebantur; illum suspiriis suis comitabantur, & lacrymis: sed hæ lætitiæ potius, quam mœroris erant lacrymæ, & illa suspiria amor potius, quam dolor eliciebat. Alii gloriæ illius plaudentes clamabant: Ascende Domine in requiem tuam, ascende tu, & Arca Sanctificationis tuæ. Mundus hic dignus non est qui te possideat; Alii vero in admirationem rapti videntes illum incedentem super nubes libero, facilique ascensu, dicebant: Æquum est, divine Salvator, ut postquam ostendisti supremam potestatem tuam super mare, super terras, & super inferos, Cælum quoque agnoscat imperium tuum, & Sydera se humilient sub pedibus tuis. Sed cum interea nubes interjecta Discipulos inter, & Salvatorem abstulisset hunc ab oculis eorum, eum videre desierunt, seu quod nubes illa signum esset visibile præsentiæ Patris Æterni, & Spiritus Sancti, quemadmodum nonnulli Patres Ecclesiæ arbitrantur, seu quod glorioſi hujus Corporis lumen incidens in infirmos Apostolorum oculos illos perstrinxerit. Quomodocumque res gesta fuerit, Salvator subtilitate sua penetrans omnia, & corporis motu exæquante mentis celeritatem, momento fere spatia traduxit. *Idem.*

Salvatoris in Cælum recepti.

Denique Dei Filius incredibili pernicitate omnes Cælorum orbes superans in sinum Patris Æterni properavit, sedens ad illius dexteram super Seraphim, & super omnes beatorum Spirituum ordines. O requies gloriosa! O iter Salvatoris mei felicissime absolutum! O Thronus jure debitus majestati personæ illius, & meritorum ejus magnitudini! Patris Æterni sinus est ejus patria, domus, sedes, centrum, & naturalis locus illius: *Unigenitus, qui est in Sinu Patris.* Alibi ubicumque erat tamquam in exilio, in statu inquieto, & coacto; oportebat, ut in hoc sinu requiem, & libertatem inveniret, non quidem filiorum per adoptionem, sed Filii Unigeniti Dei. Ibi etiam inter ineffabiles amplexus Patris sui recepit præmium laborum suorum, coronam certaminum, fructum pœnarum, atque passionum. Ibi adiit Æterni illius Imperii possessionem, quod in omnia creata exercebit; ibi auctus fuit auctoritate judicis supremi viventium, & mortuorum, Arbitri Cæli, ac terræ, Capitis Prædestinatorum, dispensatoris gratiarum, remuneratoris virtutum; ibi recepit Angelorum obsequia, Sanctorum adorationes, Fidelium vota, & sacrificia: Ibi denique Sancta humanitas sua, vidit se tamquam liquatam, ac fusam in splendoribus, & luminibus divinitatis, nihil habentem de mortali conditione ingressam in societatem, & communionem bonorum omnium

Joann. 1.

omnium-

omniumque perfectionum cum Deo. Ut verbo me expediam, ibi, ut Sanctus Ambrosius ait, Salvatoris humanitas nihil habet, quod Deus esse non videatur. *Per omnia Deus.* Hic moremur, Christiani, demittamus oculos, faciem nostram tegamus non secus ac Cherubin coram hoc Mysterio admirabili; ne perstringamur immodicis gloriæ suæ splendoribus, & nobis illud admirari sufficiat, quin curiosius illud scrutari audeamus. *Idem.*

Gaudium quod testari debemus Salvatori nostro ob ejus Ascensionem in Cælum, & nostræ gratulationes.

Apocal. 5.

Nobis gloriosum hoc Mysterium meditantibus, admirationes nostræ steriles, ac tacitæ esse non debent, sed cum sensibus amoris, gaudii, benedictionis, & gratiarum actionis conjunctæ. Opus est, ut liberatori nostro tantam hanc gloriam gratulemur, & gaudeamus videntes illum sedentem ad dexteram Patris, & cum beatis spiritibus dicamus illi: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem.* Divine Salvator! Agnus immortalis! & victima, quæ pro mundi totius salute immolata fuisti, æquum est, ut omnia creata divinitatem tuam confiteantur, metuant potentiam tuam, Sapientiam adorent, tuo se subjiciant Imperio, concinant victorias, & acquisita jura tua, æternisque laudibus celebrent mortem, gloriosam resurrectionem tuam, tuumque triumphalem ingressum in Cælum. Lætare Salvator adorabilis, gaude fructu laborum tuorum, & remunerationis tuorum suppliciorum; gaude immortalibus deliciis, quæ tot tibi amaritudinibus steterunt; sed felicitatis tuæ magnitudo ne efficiat, ut obliviscaris, nos adhuc miseros esse; & in sinu Patris tui mementò, si tibi placuerit, nos a te orphanos in terra fuisse relictos. Sed quomodonam obliviscatur, quandoquidem non reliquit nos, nisi ut ascenderet nostram nobis beatitudinem procuraturus. *Idem.*

Salvator in Cælum ascendit, ut ad se trahat corda nostra, eaque a rebus terrenis avellat.

Dei Filius de Cælo in terram descendit lucraturus corda nostra, & postquam nihil hic intentatum reliquit, ut sibi eorum compararet imperium, iterum de terra ascendit in Cælum, ut illa secum auferret. Illuc incessanter mentes, & corda nostra debemus attollere; illuc cogitationibus, votisque nostris debemus ascendere, donec vere possimus ascendere; cumque Mysterii Ascensionis spiritus sit nos a terrenis rebus divellere, ac supernarum desiderium nobis immittere, ut Dei nostri mentem assequamur, videndum nobis est, quibus vinculis in terra detineamur, eoque gladio evangelii nobis sunt *præcidenda. Verum est non posse nos affectiones nostras in nihilum redigere*, sed illas rationi subjicere possumus. Tunc Sanctus Augustinus ait, in salutis nostræ remedium convertemus, quod sæpe est ejusdem impedimentum; easque calcantes, nobisque subjicientes, inde nobis efficiemus quoddam scabelli genus, cujus ope in Cælum usque ascendamus. *Abbas de Monmorel Homilia in Evangelium Ascensionis.*

Mysterium Ascensionis est Mysterium alienationis a rebus terrenis.

Salvator ideo in Cælum ascendit, ut avelleret discipulos suos a nimis naturali affectione, qua suæ adhærebant humanitati, & hodie hic idem Salvator terram relinquens nos invitat, ut ab illa nosmet avellamus. Hæc est conclusio, quam infert Apostolus: Quoniam JESUS CHRISTUS in Cælum ascendit, & sedet ad dexteram Patris: *Quæ sursum sunt quærite ubi CHRISTUS est in dextera Patris sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* *Ad Colossens.* 3. Ita primi Christiani homines erant penitus a mundo avulsi, & se in terris viatores esse putabant, & hospites. Mundus illis erat exilii locus; considerabant corpus suum tamquam carcerem; jugiter flebant, exspectantes donec ex hac misera captivitate eriperentur. Hic communis erat horum verorum filiorum sensus. At sumus ne in eodem sensu nos, qui terræ ita inhæremus, quasi istic in æternum essemus permansuri? *Pater Nepveu Tomo 2. Christianarum Considerationum.*

Mysterium Ascensionis est Mysterium desiderii.

JESUS CHRISTUS in Cælum ascendens, nos invitat, ut desideriis saltem illum sequamur. Hic illa est aquila, quæ ut loquitur Scriptura, in Cælum consurgens nos secum ad volandum invitat. J. C. unicus thesaurus noster in Cælo est, ibi quoque debet esse cor nostrum. Ille caput est nostrum, & nos illius membra: debemus ergo respicere statum nostræ ab illo separationis tamquam statum pro nobis violentum, & crudelem. Ægre sustinere debemus hanc vitam, quasi mortem veram, quoniam retardat nostram cum illo conjunctionem, quæ totum est nostri amoris objectum. Hi sunt ne sensus nostri? Si secus; arguimento est, nos nequaquam diligere JESUM CHRISTUM, vel amorem nostrum languere. *Idem.*

Mysterium Ascensionis est Mysterium spei.

Si JESUS CHRISTUS in Cælum ascendit, ascendit ille, ut viam nos doceret, ut aditum nobis aperiret, ut spem nobis faceret ascendendi cum illo. Ipse nostrum caput est; aliquid suæ deesset felicitati, nisi conjunctum esset cum membris suis. Hic ille Joseph est, qui regnans in Ægypto, cujus felicitatis est auctor, non satis esset beatus, nisi fratres testes essent, & socii beatitudinis suæ; ita in cœna novissima dixit Patri suo, se velle, Discipulos suos ibi esse, ubi ille quam primum futurus erat. Et rationem adfert; ut videlicet perfecta sit felicitas mea. Quod autem tunc petiit pro Discipulis suis, hoc petit quotidie sedens ad dexteram Dei Patris, & ecce qua in re spes nostra sit constituta. *Idem.*

Mutatio, quam peperit Salvatoris Ascensio in spe nostra.

Inficias ire potest nemo, Ascensionem Filii Dei admirabilem in Apostolis mutationem peperisse. Certum est, & constat in Evangelio, illos modicum *profecisse* ex illius præsentia, doctrina, *miraculis. Illum profecto* secuti fuerant propter carnalia, & cupida consilia; respicientes eum tamquam illum, qui restituturus *erat populum, & regnum Judæorum in pristinum fulgorem revocaturus: sperabant se futuros participes*, dignitatum, & honorum *felicis hujus* ditionis. Ambitiosa hæc dispositio satis apparuit, cum duo Filii Zebedæi Matris opera sibi depoposcerunt primos recubitus in regno illius, quæ petitio maximas in ceteris turbas excivit, quorum desideria non alio spectabant. Abjecerunt crassas, carnalesque ideas, cum expiravit in Cruce; putaverunt quippe se deceptos fuisse, cum respexerunt illum tamquam populi sui liberatorem, ac reparatorem Regni Israel. Sed ubi ille resurrexit, eosdem sensus receperunt, & paullo antequam ascenderet ab eo quæsierunt, *utrum* Regnum Israel esset restituturus; adeo mordicus regni, ac magnitudinis persuasio illis adhæserat: *Sed post* Ascensionem humilius de semet sentire incœperunt, nonnisi de Spirituali JESU CHRISTI regno, & gratiæ bonis solliciti. *Ex libro cui titulus. Sermones Ascetici.*

DESCENSUS SPIRITUS SANCTI,

ET QUIDQUID AD HOC PERTINET MYSTERIUM.

MONITUM.



A instituto me nequaquam discedere opinor, si, cum mihi agere proposuerim de Salvatoris Mundi Mysteriis, verba faciam de Spiritus Sancti descensu, qui potius ad tertiam pertinet adorabilis Trinitatis Personam, quam ad Incarnati Verbi Mysterium. Animadvertendum est tantum, divinum hunc Spiritum, quem Cælum terræ largitur, a Filio æque, ac a Patre procedere; ut dicere liceat hunc Spiritum esse Hominis-Dei, & ab ipso ad nos mitti, præterquam quod preces ejus, & merita illum nobis obtinuerunt. Ideo Mysterium hoc ad illum spectat, tamquam effectus promissionis ejus; cum Spiritus Sanctus sit ille, qui perhibiturus est testimonium divinitatis JESU CHRISTI, & perfecturus opus ejus, videlicet hominum sanctificationem, publicationem novæ legis, & Ecclesiæ suæ Institutionem.

Quantum vero Mysterium hoc in Ecclesia celebre est, & plenum consolationis Christianis omnibus, tantum copiosum est, & fœcundum ob varietatem argumentorum, a Concionatoribus pertractandorum: sed in habendo delectu rerum earum, quæ in hujusmodi materia dicenda sunt, auctor ero, ut immoretur Concionator iis potius, quæ auditoribus ædificandis, & sanctificandis prosint, quam agant de divinitate, persona, processione, & missione divini hujus Spiritus; quod Theologum magis decet, quam Prædicatorem, cui ea tantum dicenda sunt, quæ sunt necessaria ad ostendendam muneris a Deo nobis collati præstantiam, ejusque in nobis sublimem æstimationem ciendam. Hinc potissimum immorandum est infidelitate, qua respondere debemus gratiis, quibus Spiritus Sanctus nos prævenit, in donis illius, & eorum usu a nobis faciendo, in veritatibus, quas nos docuit, in motibus interioribus, quos in nobis ciet, ut vitæ nostræ rationem, & actiones nostras componamus secundum placita Sancti Spiritus, quæ placitis spiritus mundi ex diametro adversantur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Synopsis Sermonum hujus Argumenti.



Nter Nomina, quibus vocatur Spiritus-Sanctus, qui hodie in Apostolos in Cœnaculum congregatos descendit, Scriptura potissimum illud memorat *Sancti*, ac tribuit illi Sanctitatem, quæ huic communis est cum duabus aliis Personis Sanctissimæ Trinitatis; descendit enim illam productus in nobis tamquam primam, ac nobilissimam sui ipsius communicationem; 1. Faciens se interius principium vitæ Sanctæ ac prorsus divinæ per gratiam Sanctificantem, quæ nos sanctos, & justos facit, & quæ nos usque ad dignitatem filiorum Dei attollit. 2. Cum vita nonnisi propter actionem sit, fit agens principium, quo impellimur, & excitamur ad actiones huic statui conformes per gratias actuales, quæ vocari possunt flatus animatus Spiritus hujus divini, qui nos prævenit, & cujus impressiones sequi debemus. Videlicet, bifariam est Spiritus Sanctus; tum quia sanctitatem nobis communicat, tum quia nos ad vivendum more Sanctorum impellit; per quorum alterum manet in nobis, per alterum vero nos regit, & ad agendum impellit; per illud primum liquebit, quid ille agat in nobis, per hoc alterum, quod agat pro nobis; quæ quæ erunt Sermonis hujus partes.

Pars prior. Nihil est in natura universa, quod Deum perfectius repræsentet, quam vita. Cum enim non aliud sit, nisi motus, cujus principium est in nobismetipsis; hinc est imago Supremi illius Entis, quod Prisci nonnisi sub primi Motoris nomine intellexerunt, qui motum tribuit omnibus entibus. Quamobrem, cum voluit Deus hominem creare ad imaginem suam, nil aliud egit, nisi quod illi vitam contulit, per quam recepit adeo perfectam cum ipso Deo similitudinem, ut Tertullianus illum exiguum Numen appellet: *Limum in Deum Solidatum*. Sed fatendum est, vitam, quam nobis Spiritus Sanctus inspirat, longe præstantiorem nobis afflare similitudinem; quippe quæ toto Cælo nobilior est, & ut melius dicam, divina; Ipse etiam illius est Auctor, atque principium per gratiam, quæ appellatur sanctificans, quia ubi primum infusa est in animam nostram, Sanctos nos facit; & est quodammodo vinculum, quod nos cum hoc divino spiritu conjungit; sed arcte adeo, & per unionem adeo intimam, ut si per impossibile non esset ubique, tamen in anima justi inveniretur, quia ibi est non solum per immensitatem suam quemadmodum est in entibus omnibus, neque per consecrationem mere externam, quemadmodum in Templis est; sed per similitudinem perfectam, per vivam expressionem animatam sua divinitate, atque, ut loquitur Princeps Apostolorum, per naturæ ipsius participationem: *Maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Quamvis autem hæc participatio merum sit accidens, tamen vinculum est, quod nobis adnectit hunc Spiritum Sanctum, per illud in nobis manentem, nos vivificantem, possidentem, & coram Deo nos commendantem magis quam quidquid est in natura. Quanti ergo a nobis faciendum est pretiosum hoc donum, quod nostram constituit dignitatem, gloriam, beatitudinem! De eodem melius adhuc sentiemus, si supponamus opinionem multorum Sanctorum Patrum Scripturis innixam, principium vitæ hujus, & justificationis nostræ non solum esse creatam qualitatem, quam gratiam dicimus sanctificantem; sed propriam substantiam divini hujus Spiritus, qui personæ suæ adnectit beneficium nostræ Sanctificationis, & qui satis esse non putat replere nos donis suis, nisi, cum ipse per essentiam donum sit, seipsum nobis donaret. Ubi veritas hæc exposita, ac probata fuerit, latius loquendum est de vitæ hujus præstantia, de felicitate possidendi illam, de infelicitate illam amittendi, de modica sedulitate illam tuendi, ac de exiguo illo, in quo habetur, discrimine; quandoquidem quotidie periculo objicitur pro minima re qualibet, ac de pœnitentia, qua aliquando erimus torquendi, si illius jacturam fecerimus. 2. Petri 1.

Pars altera. Cum vita non sit aliud quam motus, cujus principium in nobis est, sequitur, tot esse vitæ genera in animato subjecto, quot videmus actiones, diversosque motus, extrinsecus prodeuntes. Ita in plantis, in animantibus, & in homine ipso, qui ratiocinatur, qui comparat, videmus vitam diversam a vita aliorum animantium. Cum ergo in Christiano videmus actiones, quarum principium esse non potest in natura, quia huic sunt oppositæ, vel quæ saltem naturæ vires excedunt, inferendum est, aliud aliquod adesse principium supernaturale, quod esse non potest nisi Spiritus Sanctus secundum illa S. Gregorii verba: *Habitare animam in corpore probant vitales actus corporis, habitare in anima Spiritum Sanctum probat vita spiritalis.* Ita vivere per Spiritum Sanctum est agere secundum motus, & gratias Spiritus Sancti, qui datus est nobis, ut vivamus, & agamus, ut decet sanctos,

Distin-

Distinguuntur autem duo gratiarum genera, per quæ divinus hic spiritus nos impellit, atque urget ad actiones sanctas agendas; quorum alterum est luminum in intellectu, quem illustrant, ac in vias salutis deducunt, alterum est motuum in corde, qui nos excitant, & impellunt ad sequenda hæc lumina, & has veritates exercendas. Ad alteram partem hanc exornandam, evolvendæ sunt magnæ veritates illæ, quas nos docet Spiritus Sanctus; fallacia Mundi placita, quorum errorem nobis ostendit, & quomodo ille nos donis suis agat, & regat. Mox disserendum est de fortitudine, & constantia, quam nobis immittit ad exercendas veritates, quas docet, & illinc elicienda ea, quæ decent, documenta.

II. Quam maxime refert cognoscere quid sit Spiritus iste, quem Dei Filius nobis, non secus ac Apostolis suis pollicitus est, & quos effectus operari debeat in nobis, ne simus similes discipulis illis, quos S. Paulus Ephesi invenit, ex quibus cum Apostolus quæsivisset utrum recepissent Spiritum Sanctum, ingenue responderunt, se ne audivisse quidem nomen Spiritus Sancti. Plurimi hodierna die sunt Christiani, qui cum summo Christianæ Religionis dedecore in eadem vivunt ignorantia, & fortasse adhuc nequiore; quapropter nostrum est docere, non solum, quid sit Spiritus Sanctus in Adorabili Trinitate; sed præterea, quid sit in nobis, quid in nobis producere debeat, cur ad nos mittatur, quid nobis faciendum sit, ut illum recipiamus, & unde judicium ferre valeamus, utrum receperimus illum. Quamobrem vobis ostendere fert animus, Spiritum Sanctum, cujus Apostoli primitias, & plenitudinem acceperunt pro se; pro nobis quoque, data ratione, esse spiritum veritatis, spiritum sanctitatis, spiritum fortitudinis. 1. Spiritus est veritatis; nos enim replens luminibus suis, docet omnem veritatem; hæc prima erit pars. 2. Spiritus est Sanctitatis; quia sese nobis conjungens destruit in nobis quidquid opponitur sanctitati; quæ pars erit altera. 3. Spiritus est fortitudinis; quia nos pares efficit, qui omnia faciamus, & omnia sustineamus propter Deum, inspirans nobis virtutem supernaturalem, & constantiam omnibus difficultatibus superiorem. Quæ sunt Spiritus Sancti qualitates, quæ nobis repræsentantur igni mystico, sub cujus symbolo Apostolis datus fuit. Ignis enim virtutem habet illuminandi, expiandi, & fovendi; quæ sunt *tres erga nos divini Spiritus proprietates: etenim quatenus* Spiritus Veritatis nos illuminat, quatenus Spiritus Sanctitatis, nos emundat, & quatenus Spiritus Fortitudinis, nos animat; tamquam Spiritus Veritatis elevat, & perficit spiritus nostros; tamquam Spiritus Sanctitatis reformat, & tractat corda nostra; & tamquam Spiritus Fortitudinis movet omnes facultates nostras per zelum, quem ciet in nobis, ubi vult nos pro Dei gloria operari. *Hæc est partitio Sermonis P. Bourdalove in hoc Mysterio.*

III. Ostendi potest, illum descendere in terram, & in animam Christianorum, ut per dona, effectusque suos faciat, quod per naturam, & personæ suæ proprietatem efficit in adorabili Trinitate.

1. Sanctitas est increata, & spiritus, & nobis datur, ut sanctificemur.

2. Unio est personalis, vinculum, & nodus, qui Patrem conjungit, & Filium, & venit, ut nos Deo conjungat, & simul invicem per amorem, & mutuam caritatem.

3. Est Trinitatis perfectio, & venit ad consummandum opus Filii Dei, nos perficiens in omnibus virtutibus.

IV. Sicuti veniebat Spiritus Sanctus mundum impugnaturus, & aversurus placita illius per Apostolorum ministerium, opus erat, ut ubertim super illos omnia sua lumina effunderet, omnem sanctitatem, omnemque virtutem, qua illi indigebant, ut hanc victoriam reportarent. Hinc illi plenitudine gratiæ repleti fuerunt; *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.* Plenitudo hæc ad tres præcipuos redigi potest effectus oppositos tribus præcipuis obicibus, quos mundi spiritus opponit Deo; quæ tres erunt sermonis partes. Actor. 2.

1. Mundus seductor est, qui oculatissimas mentes specie sua fallit. Non erat Apostolis modus quo sese contra hunc spiritum illusionis tuerentur; opus ergo erat, ut Spiritus Sanctus, qui spiritus est veritatis, illis auferret mundi errores, eosque æternis repleret doctrinis.

2. Mundus est corruptor, cujus commercium sanctissimorum quoque morum vitiat puritatem. Apostoli non erant immunes, omnes enim peccaverant; oportebat ergo, ut Spiritus Sanctus, qui Spiritus est Sanctitatis, eos impositerum a sæculi corruptione præservaret, eosque confirmaret in gratia.

3. Mundus est persecutor, qui palam bellum indicit Evangelio, & qui se virtutis Tyrannum constituit. Hic ipsis etiam Apostolis terrorem incusserat, qui non audebant videri Discipuli JESU CHRISTI, propter metum Judæorum; oportebat ergo, ut Spiritus Sanctus, qui Fortitudinis spiritus est, illos contra mundi tyrannidem confirmaret. Hoc ille præstat hoc est: *Vincamus Mundum*, S. Augustinus ait, *cum suis erroribus, & amoribus, & terroribus*. De erroribus mundi, de corruptione mundi, de mundi persecutione triumphemus. *Hæc est partitio Sermonis P. Cheminais de Festo Pentecostes.*

V. Quamcumque curam gesserit mundi Salvator sibi formandi Discipulos illustratos, atque ferventes, nihil in mentibus eorum inveniens nisi mancam, nutantemque fidem, non agnoscens in eorum corde nisi amorem tepidum, timidum, & languentem, misit illis spiritum intellectus, ad fidem eorum perficiendam; spiritum fervoris ad perficiendam caritatem. Cum nobis eadem insint vitia, iisdem egemus subsidiis; ideoque nobis datur Spiritus Sanctus.

1. Tamquam Magister, ut Christianas veritates nos doceat.

2. Tamquam Dux, qui ad Evangelicarum veritatum perfectionem nos adducat. *Duæ hæ animadversiones constituunt partitionem Sermonis Domini Flechier in diem festum Pentecostes.*

VI. Invenio Spiritum Sanctum in Apostolos descendisse sub tribus præcipuis qualitatibus, & cum tribus eximiis officiis, quæ ipsi in illis sunt exercenda. Venit tamquam Spiritus Luminis, & Veritatis, ut illos erudiret; tamquam spiritus gratiæ, & sanctitatis, ut illos sanctificaret; tamquam spiritus caritatis, & zeli, ut illos ad mundi conversionem excitaret.

Cum iisdem officiis descendit hodierna die in Christianos, & quod operatur in Apostolos, docere nos debet quid facere velit in cordibus nostris, ut intelligamus.

1. Quomodo sequi debeamus lumina hujus Spiritus Veritatis.

2. Quomodo cooperari debeamus gratiis Spiritus hujus Sanctitatis.

3. Quomodo servare debeamus ignes, & motus Spiritus hujus Caritatis, & zeli. Quæ tres sunt partes sermonis, & fructus tres, quos debent producere. *Biroat Sermone primo pro die Pentecostes.*

VII. Cum Dei Filius in mundum venerit reformaturus hominem, *cujus facultates omnes primorum parentum culpa perturbaverat, dedit illi fidem, quæ rationi ejus præesset, caritatem, quæ illius voluntatem moderaretur, & gratiam, quæ libertatem illius muniret.* Spiritus autem Sanctus, ut extremam adderet manum huic operi, dilapsus in terram tamquam lumen, & ignis, addidit fidei intellectum, ut credat, quod non videt, quasi illud reapse videret: Salvator acquisivit, & promeritus est nobis caritatis habitum, quem propriis peccatis amiseramus, habitum inquam caritatis, qui nos ad supremum adducit bonum; sed Spiritus Sanctus caritati adjicit zelum, & fervorem, ut & ipsi ad hoc bonum supremum, atque æternum adducamus illos omnes, quos creavit Deus, ut illud possideant. Denique sicuti Dei Filius gratiam addidit *libertati* nostræ, ut possibiles nobis faceret actiones, quæ sunt *super naturam; Spiritus Sanctus* addit gratiæ fortitudinem, non ut possibilia solum, verum etiam facilia adstruat ea etiam, quæ maxime adversantur naturæ, ita ut dici queat, nos per JESUM quidem Christianos fieri, sed per Spiritum Sanctum sanctificari. Videamus ergo quomodo magnum hoc adimpleatur Mysterium, & pro viribus explanemus tria sermonis *hujus* puncta.

1. Quid sit hic intellectus, quem fidei addit Spiritus Sanctus.

2. Quid zelus, quo caritatem inflammat.

3. Quid fortitudo, qua animat gratiam. *P. de la Colombiere, Sermone pro die Pentecostes.*

VIII. Institui potest sermo hujus argumenti maxime propius ostendendo Deum in hominis reformatione in statu gratiæ eamdem secutum fuisse rationem, quam servaret dans illi statum naturæ.

1. Cum Deus effinxit ex limo terræ corpus hominis, primum inspiravit illi vitæ flatum, qui contulit illi admirabilem cum suo Creatore similitudinem. *Inspiravit ei spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem.* Hoc ipsum facit dans nobis Spiritum Sanctum, qui in nobis est vitæ principium, per gratiam, quæ efficit nos filios Dei per adoptionem, & nobis tribuit similitudinem, & participationem naturæ cum Creatore. Fusius disserendum est de excellentia, & privilegiis vitæ hujus prorsus divinæ. Genes. 2.

2. Creavit hominem Deus in originali justitia, quæ perfectum illi contulit imperium in semet, & affectus suos non secus, ac in terræ animantia. Hoc præstat Spiritus Sanctus in animabus nostris, delet peccatum per gratiam sanctificantem, & subjicit nobis nostras cupiditates, vim præbens ad eas rationi subjiciendas, & si minus nobis aufert concupiscentiam, id agit, ut sit nostræ virtuti exercitatio, nobisque causa meritorum.

3. Simulac Deus hominem creavit ad imaginem suam, ac illum effecit dominum sui ipsius, & creatorum

corum omnium dominatorem, ut intelligeret se Deo subditum esse, cui sibi erat obtemperandum, irrogavit illi præceptum, & legem, illi ejusque posteritati mortem minitatus, si accepta libertate abuteretur, & legem latam infringeret. Nonne hoc ipsum peragit Spiritus Sanctus scribens in cordibus nostris legem amoris, & caritatis, quam temerare non licet, quin nobismet mortem consciscamus, & divinum hunc Spiritum extinguamus in nobis?

IX. *Non accepistis Spiritum servitutis, sed accepistis Spiritum Adoptionis filiorum. Ad Romanos* 8. De nova nativitate Christiani, per quam recepit adoptionem filiorum Dei.

1. Christianus, qui se cogitat tamquam adoptivum Dei Filium, fateri debet, se ingredi in hanc adoptionem per meram Dei Caritatem; se indignum hoc esse beneficio, & cui debeat illud?

2. Plurimi facere debet hanc adoptionem cogitans, qua in re sita sit, ad quem statum per illam elevetur, & bona, quæ percipit.

3. Habere debet sensus conformes sublimi huic dignitati, & vitam ducere ab hac adoptione minime abnormem. *P. Texier in Dominicali, & in Tomo Mysteriorum.*

X. Princeps Apostolorum verba faciens de immensis, & infinitis largitatibus Dei, quas in hac festivitate recipimus, tria docet, quæ esse possunt sermonis fundamentum; ait autem; *Deus maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* 2. Petri 1.

1. Has communicationes, & supernaturales effusiones Spiritus Sancti hominem sanctificantis appellat promissionum nomine, quia sunt objecta præcipua promissionum Dei, & complementum præstantissimorum ejus consiliorum de homine; quamobrem Patres inquiunt hanc festivitatem esse perfectionem ceterarum, & Mysterium hoc complementum, & finem reliquorum Mysteriorum: præterquam quod hæc ipsa realia dona vocantur promissa, quia, ut loquitur S. Paulus, sunt arrhæ, & præsentia pignora ejus gloriæ, quam expectamus. *Dedit nobis pignus Spiritus.* 2. ad Cor. c. 3.

2. S. Petrus addit, dona hæc esse pretiosa, videlicet pretii *inæstimabilis*; quod non innitur fallaci rudium, & imperitorum hominum ignorantiæ, sed æstimationi Dei judicantis illa digna esse, quæ redimantur sudoribus, lacrymis, meritis Sanguinis, & vitæ Dei; dona in semetipsis etiam pretiosa, & in substantia sua, quoniam hominem illa possidentem elevant ad gradum superiorem omnibus entibus mere naturalibus.

3. Hic Princeps Apostolorum finem facit elogio horum donorum dicens, hæc dona efficere participes divinæ naturæ, quod magnum est opus descensus visibilis Spiritus Sancti in Apostolos, & invisibilis in corda Fidelium; videlicet, Divinus hic Spiritus, qui sterilis est in Trinitate, fœcundus fit hodie & per admirabilem generationem, producit sibi filios, quibus divinam communicat naturam, & dat potestatem vocandi Deum Patrem suum. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Idem P. Texier in *Mysteriis.* Joann. 1.

XI. Pro sermonis partitione desumi potest, quod in Opusculo quodam habet S. Thomas; Spiritum Sanctum animæ justæ conferre tria, quæ anima corpori tribuit, vitam, sensum, & motum: ita divinus hic Spiritus, quem Sancti Patres appellant animam animæ nostræ, dat illi

1. Vitam supernaturalem gratiæ, & caritatis.

2. Sensum, & gustum rerum divinarum, & veritatum Cælestium.

XII. 3. Motum versus Deum, ita ut pro Dei tantum gloria agat, eumque in omnibus actibus suis respiciat.

Censeo haberi non posse utiliorem, & consolationis uberiorem in hoc argumento sermonem, quam illum in duas partes dividere: in quarum prima referantur præcipue circumstantiæ descensus Spiritus Sancti cum animadversionibus, quæ in singulas fieri possunt, cujusmodi sunt 1. Spiritum Sanctum in Apostolos descendisse die Pentecostes, quæ circumstantia detegit nobis præcipuas relationes antiquæ legis, & novæ. 2. Quia divinus hic Spiritus magno cum fragore descendit, instar vehementis venti; quid in hac re valeat animadverti. 3. Quomodo Apostoli, ac Discipuli sese in Cœnaculum receperint, exspectantes, donec Spiritus Sanctus descenderet. 4. Cur descenderit sub symbolo ignis, & in formam linguarum. 5. Cur Spiritus Sanctus descenderit cum tali fulgore, & rumor sese effuderit in omnem Jerosolymam, quæ omnes referri possunt circumstantiæ cum animadversionibus ad erudiendum, & ædificandum appositis.

Pars altera complectetur signa per quæ cognoscere possumus; utrum facti fuerimus incomparabilis hujus beneficii participes. 1. Judicare possumus ex mutatione, quam in ictu oculi Spiritus hic peperit in mente, & corde Apostolorum, & videre utrum, & ipsi simili ratione mutati fuerimus. 2. Apostoli, *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*: Cumque hic Dei Spiritus sit Spiritus Sapientiæ, atque Intellectus, Consilii, & Fortitudinis, Scientiæ, & Pietatis, & separari nequeat a timore Domini, qui alium quemlibet timorem extrudit, nosmet colligere debemus, utrum secundum hæc lumina, & hæc placita vivamus, & utrum hæc sit vitæ nostræ regula? 3. Apostoli Spiritu Sancto repleti sese extrinsecus effuderunt, perhibuerunt testimonium Filio Dei, palam confessi sunt JESUM CHRISTUM sine timore mortis, & suppliciorum, & tandem divino hoc animati Spiritu fidem in universum terrarum orbem disseminarunt. Sicuti caussa non cognoscitur nisi ex effectibus, quos parit; profecto si nihil simile experimur in nobis, ex quibus signis cognoscere possumus, utrum Spiritum Sanctum receperimus?

Qui aguntur Spiritu Dei, qui pater est luminum, XIII. sunt Filii Dei; qui vero aguntur Mundi spiritu, sunt dæmonis filii, qui vocatur Princeps tenebrarum, & mundi hujus. Sed non magis opponuntur tenebræ, & lumen, quam spiritus mundi, & Spiritus Dei: spiritus mundi spiritus est mendacii, spiritus nequitiæ, spiritus injustitiæ; sed spiritus Dei tribus hisce oppositis characteribus distinguitur. 1. Spiritus est veritatis. 2. Spiritus Caritatis. 3. Spiritus justitiæ. *Ex Specimine Sermonum pro die Pentecostes.*

Spiritus Sanctus per invisibilem descensum in Chri- XIV. stianos, convertit eos in totidem templa Spiritualia, ut ibi modo inhabitet prorsus divino. Possumus autem considerare tria Christianorum genera in sollemni hac die: eos videlicet, qui uberiorem Sancti Spiritus effusionem pertraxerunt in se per fervoris, & caritatis instaurationem; eos, qui postquam per aliquod scelus jacturam fecerunt Spiritus Sancti, per veram conversionem repararunt illum; eos, qui postquam diu rebelles motibus Spiritus Sancti recens propulsarunt conatus, quos ille exerit, ut in animas eorum revertereturt.

1. Primi illi Templa sunt jam consecrata, quæ novis muneribus cumulat.

2. Secundi sunt Templa polluta, quæ per pœnitentiam emundat.

3. Tertii sunt Templa profanata, quæ deserit non iterum in illa redsturus. *Ex iisdem speciminibus.*

Pro argumento, ac partitione Sermonis desumi pos- XV. sunt. 1. Præparatio, quam attulerunt Apostoli Spiritum Sanctum recepturi. 2. Effectus admirabiles, quos producit Spiritus Sanctus in iis, qui illum vere receperunt.

Pro Parte prima præparatio, quam exegit Salvator ab Apostolis, ut illos dignos efficeret, qui reciperent divinum hunc Spiritum, fuit recessus, oratio, ardens sese sanctificandi desiderium. Has eadem dispositiones nos quoque adferre debemus, ut fiamus participes fructuum, & privilegiorum hujus Spiritus Sancti.

Pro Parte altera. Divinus hic Spiritus in illis, qui sunt dispositi eosdem operatur effectus, quos operatus est in Apostolis quoad ministerium, ad quod illos destinaverat. 1. Inspiravit illis fortitudinem, & robur ad tuendam Religionem, quam amplexi fuerant. 2. Illos illustravit luminibus, ut eos Doctores Mundi constitueret. 3. Ut faceret Prædicatores, ardentem illis zelum inspiravit, & eorum linguæ fuerunt quasi linguæ ignis, pares inflammandis omnibus cordibus, quod facit adhuc data proportione in omnibus fidelibus illam hodie recipientibus.

Spiritus Sanctus est 1. *Spiritus veritatis.* 2. Spiritus XVI. amoris, & flammarum. 3. Spiritus vitæ: Hinc ille esse debet Spiritus Spiritus nostri, divinis luminibus suis illum illuminans; cor nostri cordis, illud amore prorsus divino inflammans; vita, & anima animæ nostræ; vel potius opus est, ut hic Spiritus unus nos illuminet; cor hoc unum nos foveat; & hæc una vita nos animet.

In hæc verba: *Nolite Spiritum contristare. Ad Ephes.* 4. XVII. Spiritum Sanctum in duplici statu varietate considerare possumus, vel quatenus volentem ingredi in cor peccatoris, vel quatenus in illius corde per sinceram pœnitentiam receptum. In utraque hac circumstantia illum possumus contristare. 1. Si negamus aditum in cor nostrum, illuc intrare cupienti. 2. Si semel ingressum illinc abire cogimur. Prima est injuria pertinaciæ; Altera ingrati animi contumelia; duo crimina, propter quæ S. Paulus inquit: *Nolite Spiritum contristare*, ad quæ evitanda duplicem sermonis hujus partem impendemus. *Biroat* 2. *Sermone in diem pentecostes.*

In illa Evangelii Verba: *Cum venerit Spiritus veri-* XVIII. *tatis, docebit vos omnem veritatem. Joann.* 16. 1. Spiritus Sanctus docuit Apostolos, & per illos, omnes homines veritatem; hoc est fidem in JESUM CHRISTUM, & omnia nostræ Religionis Mysteria, & quidquid necessarium est ad salutem; ubi ostendi potest quo in statu esset mundus antequam Spiritus Sanctus descenderet, & quam imperfecti essent ipsi etiam Apostoli, & quam parum illuminati.

2. Mundo immisit amorem veritatis cognitæ, effi- Actor. 2. cirque,

citque, ut Evangelii placita exerceret, & virtutes maxime oppositas naturæ corruptæ.

3. Dedit illis virtutem ad veritatem tuendam, cum zelo prædicandam, ac vitæ ipsius sumptibus propugnandam. Moralis hinc eruenda erit; quantumvis nos eisdem luminibus illustrati fuerimus quibus Apostoli, & fortasse easdem credamus veritates, illas in praxim non redigimus, & aliquando illas profiteri erubescimus.

XIX. In duplici Sermonis parte ostendere possumus 1. Mirabilia, quæ operatus est Spiritus Sanctus in Apostolis, & in nonnullis primitivæ Ecclesiæ Sanctis. 2. Et nisi illi resisteremus; eosdem effectus in nos productu rum, quamvis non eodem cum fulgore descendat in nos.

XX. Satis commune argumentum est, ostendere Divinum hunc Spiritum esse, 1. Spiritum lenitatis, per gaudium, pacem, consolationem, quam gignit in anima; libertatem, quam nobis tribuit eundi ad Deum & nos liberandi de captivitate cupiditatum nostrarum, & legem amoris, quam imprimit in cordibus nostris. 2. Spiritum fortitudinis ad affectus nostros subigendos, vincendas tentationes, & resistendum omnibus salutis nostræ inimicis.

XXI. Hac die vigere cœpit lex Evangelica, ejusque facta est promulgatio: videmus etiam Spiritum Sanctum, qui Spiritus est fortitudinis palam in Apostolos dilapsum auctorem fuisse 1. Ut illi hanc legem inviolate servarent; 2. Eamque contra infideles, & protervos homines tuerentur; etenim utrobique Spiritus fortitudinis requirebatur.

Pars Prima. Apostoli post receptum Spiritum Sanctum legem hanc servarunt 1. secundum omnem illius latitudinem. Nostis quod infirmitatibus, ac vitiis erant obnoxii; non deerat illis ambitio; modicum erat illis fidei; alius enim negaverat Magistrum suum; alius aliquandiu fuerat incredulus: sed post Adventum Spiritus Sancti, quænam fuit virtus illorum? quid inde non profecerunt? 2. Illam maxima cum perfectione observarunt, consilia, æque ac præcepta. Quæ illorum virtus fuit? Quæ paupertas! Quæ a terrenis rebus abalienatio! Quæ caritas! quis zelus! Eamdem & ipsi legem habemus, sed illam ne eodem pacto servamus? nonne dubitare licet, utrum receperimus Spiritum Sanctum? &c.

Pars altera. *Spiritus Sanctus ostendit virtutem suam in Apostolis, qui legem tutati sunt contra humanas rationes, persecutorum crudelitatem, metum Potestatum terræ, &c.* Modo vero nemo suis audet officiis defungi propter hominum metum? Nunquid recepimus ipsi divinum hunc Spiritum? &c.

XXII. Proprie loquendo hodierna dies haberi potest a singulis tamquam principium Religionis suæ. Quomodo istud? 1. quia Spiritus Consolator ubertim effundit in Apostolos omnia lumina, quibus indigebant, ad fidei, & Religionis institutionem. Punctum primum, & primus effectus Descensus Spiritus Sancti.

2. Hic idem Spiritus Consolator effundit in eosdem Apostolos vim, quæ ad tantum hoc opus requirebatur; alius effectus illapsus Spiritus Sancti. Apostoli hodie, & in ictu oculi illuminantur, quantum postulat Apostolatus; hoc primum punctum est. Confirmantur, quantum postulat laboriosum hoc Ministerium. Lumen, & robur, quæ tunc Apostolis communicata fuerunt, nos docent, quo lumine & vi indigeamus ad Religionem tuendam. *Ex Sermone manuscripto Patris Stephani Chamillard.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri potest copia ad has partitiones exornandas, Auctoresque de illis tractantes.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *Serm.* 183. *de temp.* Sermonem habet de Missione Spiritus Sancti, & ostendit, quomodo illum possideamus, & quomodo cor nostrum ad recipiendum illum emundare debeamus.

Idem *serm.* 184. *de temp.* ostendit, promissionem a JESU CHRISTO factam mittendi Spiritum Sanctum, adimpletam fuisse, & cupit eamdem adimpleri in nobis divinum hunc Spiritum recipientibus.

Idem *serm.* 2. *pro feria* 2. *Pentecostes & de temp.* 185. fusius agit de omnibus, quæ pertinent ad Descensum Spiritus Sancti in Apostolos, & in Fideles.

Idem *serm.* 2. *pro feria* 2. *& de temp.* 186. ostendit Spiritum Sanctum nunc quoque hominibus dari, & præterea agit de aliis hujus argumenti, & *serm.* 187. *de temp.* verba facit de dono linguarum.

Idem *serm.* 10. *pro feria* 4. *Pentecost.* docet quomodo descenderit in Apostolos in formam linguarum ignis, & venti vehementis, & alias persequitur hujus Adventus circumstantias.

Idem *lib.* 2. *de Trinit.* ostendit Spiritum Sanctum dictasse Moysi legem veterem, & Apostolis novam.

Idem *de Spiritu, & littera* docet voluntatem nostram juvari gratia Spiritus Sancti, & in omnibus bonis actionibus prævenire.

Idem *in Psalm.* 18. *conc.* 1. explicans verba illa, *Cœli enarrant gloriam Dei*, applicat ea ad Apostolos, qui post acceptum Spiritum Sanctum, Nomen Domini pertulerunt in omnem terram, & gloriam ejus prædicarunt.

Idem *serm.* 6. *de verbis Apostoli* comparat legem veterem datam Israelitis inter procellas, ac tonitrua cum nova Christianis data sine hoc terroris apparatu.

Idem *lib.* 13. *Confess.* moraliter exponit verba Geneseos: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Sanctus Gregorius *lib.* 5. *Moral.* loquitur de gratiis, & afflatibus Spiritus Sancti, hæc explicans verba: *Porro ad me dictum est verbum absconditum;* & in libro *moral.* 11. *cap.* 6.

Idem in Ezechielem docet singula dona conferre ad nostram sanctitatem, & perfectionem.

Idem passim in moralibus ostendit, quid operetur in nobis Spiritus Sanctus.

S. Ambrosius *Tomo* 5. *serm.* 59. ubi explicat divinitatem, processionem, & missionem Spiritus Sancti; & quid nobis faciendum sit, ut nobis dona illius mereamur.

Idem eodem tomo *serm.* 60. *de temp.* rationem reddit celebritatis Pentecostes, & cæremoniarum, quæ ævo suo observabat Ecclesia.

Idem sermonem habet pro feria 2. Pentecostes, ubi loquitur de Cælestibus donis, quæ hodie data fuerunt hominibus.

S. Hieronymus in cap. 2. Joel explicans verba illa: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, Prophetiam hanc explicat, ad Spiritus Sancti effectus pertinentem.

Idem in Prophetam Zachariam cap. 12. explicat verba illa: *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ, & precum.*

Idem in *Epistola ad Hedibiam* respondet pluribus Quæstionibus de Spiritu Sancto.

S. Chrysostomus *Homil.* 47. *in Joannem*, narrat quid fecerint Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum.

Idem *Homilia* 11. *in Acta Apostol.* ostendit, quomodo Spiritus Sanctus confirmavit Apostolos, eosque pares Apostolico muneri fecit.

Idem *Homil.* 4. *in Acta* explicat quomodo Spiritus Sanctus in ignis figura super Apostolos requieverit.

Idem *Homil.* 2. *in primam Epistol. ad Thessal. cap.* 5. explicat verba illa; *Spiritum nolite extinguere*, & docet quomodo Spiritus extinguatur.

Idem *Homilia* 34. *in Epistola Pauli ad Hebr.* docet, quomodo Spiritus Sanctus maneat in nobis, & recedat a nobis.

Idem *de diversis novi Testamenti locis serm.* 39. *vel* 36. *juxta Typograph. Errorem* multa decidit ad festum diem hunc spectantia.

Idem *Tomo* 5. sermonem habet de Spiritu Sancto.

Idem *Tomo* 6. sermonem habet ejusdem argumenti, ubi agit de beneficiis, donis, & effectibus Spiritus Sancti.

Idem *Tomo eodem* sermonem habet *de Sancto, & adorando Spiritu*, ubi loquitur de illius divinitate, donis, & effectibus, & alium sermonem de Pentecoste, ubi loquitur de laudibus, & fructibus hujus Mysterii.

Sanctus Cyprianus sermonem habet de Spiritu Sancto, ubi explicat ea, quæ de illo scripta sunt in Sacris litteris.

S. Gregorius Nazianzenus Orationem habet in hunc diem festum, ubi loquitur de discrimine Pentecostes Judæorum, & Christianorum, & habet omnia quæ de hoc Mysterio dici consueverunt.

S. Gregorius Nyssenus quoque sermonem habet de hoc Mysterio, ubi agit de dispositionibus ad recipiendum Spiritum Sanctum.

Origenes *Homil.* 1. *in Psalm.* 38. loquitur de Spiritu Sancto, qui datus fuit Apostolis. Item *homil.* 3. *in cap.* 4. *Isaiæ & lib.* 1. *de principiis*, ubi explicat verba illa: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

S. Basilius *Homil.* 2. *in Hexameron*; ubi explicat verba eadem.

Idem *Homil.* 12. *in psalm.* 45. in verba: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei.*

Beda *Tomo* 7. *Homil. æstiv. de tempor.* loquitur de Pentecoste veteris, novæque legis.

Eusebius Emissenus *Homil. in Pentecost.* loquitur de bonis, quæ Apostoli, & Fideles ex descensu Spiritus Sancti acceperunt.

Yvo Carnotensis sermonem habet, ubi hujus Diei Sanctitatem ostendit.

S. Leo tres habet sermones, ubi diserte agit de omnibus, quæ ad hoc pertinent argumentum.

S. Bernardus habet de festo hoc sermones 5. sed in primo, alteroque de hoc agit Mysterio.

S. Bonaventura habet sermones 14. S. Maximus Homilias 3. S. Thomas sermones 4. Innocentius III. sermones 3. S. Laurentius Justiniani unum; S. Bruno duos; Gerson unum, quem in Constantiensi Concilio pronunciavit.

Gra-

Ascetici aliique.

Granatensis *in duce peccatorum cap. 5.* loquitur de justificatione, donis, & effectibus Spiritus Sancti.

Item *in Memoriali lib. 7. cap. 3. & in sermone de festo die Pentecostes.*

Pater a Ponte *in part. 5. Medit.* in Fidei Mysteria *medit. 22. & seq.* ubi agit de iis, quæ ad hoc Mysterium pertinent.

P. Nepveu Tomo 2. Considerationum pro die Pentecostes loquitur de caussis descensus Spiritus Sancti, & pro prima subsequenti festivitate, loquitur de effectibus, quos peperit Spiritus Sancti descensus.

Liber cui titulus: Verus Spiritus, & sanctus usus sollemnium anni festivitatum: fusius agit de festi hujus institutione, deque bonis, quæ ex Spiritus Sancti descensu percipiuntur.

Busæus in meditationibus, & generatim omnes qui meditationes in Mysteria elucubrati sunt.

Jacobus Alvares. *Tomo 3. lib. 6. parte 4.*

Petrus Canisius. Parte 1. 12. in explic. articulis 9. Symboli Apostolorum.

Suarez *de Mysteriis.*

Raynerius de Pisis *in Pantologia.*

Marchantius *in horto Pastorum Tract. 4.*

Catechismus Tridentini Concilii. *Artic. 8. Symboli Apostolorum.*

In Operibus Ascetici P. le Valois pulcra est Paraphrasis Hymni: *Veni Sancte Spiritus, & emitte Cælitus.*

P. Ludovicus de Argentano Capuccinus in Collationibus Theologicis de magnalibus Dei *collat. 9.* fusius de Spiritus Sancti persona loquitur.

Concionatores recentiores.

Matthæus Faber *in Domin. Pentecost. Conc. 2. 3. 4. & ter. 3. Conc. 1. &* in pluribus aliis sermonibus.

Granatensis & Orosius in sermonibus hujus diei festi.

P. Bourdalove Tomo 1. Mysteriorum sermone pro die Pentecostes.

Flechier Tomo 2. Panegyricorum. Sermone pro die Pentecostes.

In sermonibus P. Cheminais Tomo 2. sermo est de Spiritu Sancto.

Biroat in Mysteriis duos habet hujus argumenti sermones.

P. Texier in Tomo Mysteriorum tractat hoc argumentum pro die Pentecostes.

Idem in sermonibus in anni Dominicas pro Dominica Pentecostes.

P. Duneau in Tomo Mysteriorum duos habet sermones in Pentecosten.

P. De la Colombiere Tomo 1. serm. 17. & 18. pro die Pentecostes.

Abbas de Monmorel in Tomo 3. Homiliam habet in Evangel. Pentecost. & sermonem in idem.

In Ascheticis sermonibus unus est pro feria 3. Pentecostes, ubi sermo de Spiritu Sancto.

In specimine sermonum pro Dominicis, & Mysteriis Tomo 2. tres sunt deinceps compendiosi sermones, & in Tomo 4. qui tantum est pro Dominicis, unus est pro Dominica Pentecostes.

Auctor sermonum in omnia argumenta unum habet in Tomo 1. de Spiritu Sancto, & alterum in Tomo tertio Dominicalis.

In Homiliis Godeau una est de descensu Spiritus Sancti.

Qui collectanea ediderunt.

Granatensis in locis Communibus.

Labatha *Titulo Spiritus Sanctus.*

Lohner *Titulo Spiritus Sanctus.*

Carthagena in Homiliis in hanc festivitatem.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Figuræ, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Genes. 5.

Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Genes. 6.

Num poterimus invenire talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Genes. 41.

Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. 2. Reg. 23.

Implevi eum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere. Exord. 21.

Josue repletus est Spiritu sapientiæ. Deuter. 35.

Cœpit Spiritus Domini esse cum eo, nempe cum Samsone. Judic. 13.

Spiritus autem Domini recessit a Saul. Lib. 1. Regum 16.

Spiritum tuum bonum dedisti eis, qui docerent eos. 2. Esdr. 9.

Spiritum rectum innova in visceribus meis. Psalm. 50.

Spiritu principali confirma me. Ibidem.

Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Psalm. 103.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Psalm. 142.

Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Sapientiæ 1.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Ibid.

Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de Altissimis. Sapient. 2.

O quam bonus es, & suavis Domine: Spiritus tuus in omnibus. Sapient. 12.

Dedi Spiritum meum super eum, judicium super gentibus proferet. Isaiæ 42.

Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus sapientiæ, & pietatis, & replevit eum Spiritus timoris Domini. Isaiæ 2.

Dominus misit me, & Spiritus ejus. Isaiæ 48.

Spiritus meus, qui in te est, & verba, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo. Isaiæ 59.

Dabo eis cor novum, & Spiritum novum tribuam in visceribus eorum; & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & præcepta mea custodiant. Ezechiel. 36.

Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri. Ezech. 36.

Intromittam Spiritum meum in vos, & vivetis. Ezechielis 37.

Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Daniel 6.

Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt omnes filii vestri. Joel. 2.

Repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio, & virtute, ut annunciem Jacob scelus suum. Mich. 3.

Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ, & precum. Zach. 20.

Spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. Aggæi 1.

Ipse, nempe CHRISTUS, *vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Matth. 3.

Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Idem 10.

Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Idem cap. 12.

Spiritu Sancto replebitur Joannes *adhuc ex utero Matris suæ.* Luc. 1.

Spiritus Sanctus superveniet in te. Ibidem.

JESUS plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane, & agebatur a Spiritu in desertum. Idem 4.

Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. Idem ibidem.

Super quem videritis Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritum Sanctum. Joann. 1.

Spiritus ubi vult spirat. Idem cap. 3.

Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Ibid.

Spiritus est Deus, & eos, qui adorant in spiritu, & veritate oportet adorare. Joann. cap. 4.

Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere. Joann. 14.

Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Idem ibidem.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Idem 20.

Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. Act. 1.

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, Act. 2.

Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Act. 7.

Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneri. Act. 15.

Sed neque si spiritus est audivimus. Act. 19.

Qui secundum carnem sunt, qua carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt, qua sunt spiritus sentiunt. Ad Rom. 8.

Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Ibidem.

Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Ibidem.

Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filii Dei. Ibidem.

Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ibidem.

Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui a Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis. 1. Ad Corinth. 12.

Factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. 1. Ad Corinth. 15.

Dominus autem spiritus est, ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas, 2. Ad Corinth. 3.

Quoniam estis Filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater. Ad Galatas cap. 4.

Si spiritu vivimus, spiritu, & ambulemus. Idem cap. 5.

Spiritum nolite extinguere. 1. Ad Thessalon. 4.

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effundit in nos abunde per JESUM CHRISTUM Salvatorem nostrum. Ad Tit. 3.

Spiri-

Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 2. Petri 1.

In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. 1. Joannis 3.

Spiritus est, qui testificatur, quoniam JESUM est veritas. Ibidem 4.

Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & ii tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Ibidem.

Nescitis, quia Templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis. 1. Ad Corinth. 3.

Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. 1. Ad Corinth. 12.

Signati estis spiritu promissionis sancto, qui pignus est hæreditatis nostræ. Ad Ephes. 2.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ad Rom. 5.

Factus est repente de Cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. Act. 2.

Exempla, & Figuræ, veteris novique Testamenti.

Adam creatus fuit ad similitudinem, & ad imaginem Dei. Quid interfit inter utrumque hoc nomen.

ADam, Patres inquiunt, creatum fuisse ad similitudinem Dei, recipiendo animam spiritualem, atque intelligentem, sed creatum fuisse ad imaginem Dei, recipiendo, S. Cyrillus ait, substantiam Spiritus Sancti & hunc esse spiritum, & flatum, & spiraculum, quod Deus illi inspiravit, ut loquitur Scriptura. *Inspiravit spiraculum vitæ.* Post peccatum remansit in illo vestigium aliquod similitudinis; sed imago prorsus deleta fuit. Caritas, & gratia, quæ secutæ sunt in veteri Testamento, sunt veluti adumbrationes, & prima lineamenta hujus imaginis, sed per receptionem Spiritus Sancti, perfecta hæc imago omnino in pristinum nitorem restituta est. Hinc Scriptura, & S. Paulus inquiunt, nos signatos fuisse Spiritu Sancto tamquam aliquo signo, quod per applicationem propriæ substantiæ suæ impressit in nostris animabus imaginem suæ divinitatis: *Per spiritum, in quo signati estis . . . . in quo & credentes signati estis spiritu promissionis.*

Ad Ephes. 1. & 4.

Festivitas Pentecostes respondet Festivitati Judæorum legis antiquæ.

Patres animadverterunt diem hunc adeo sollemnem apud Christianos, quo Spiritus Sanctus in formam linguæ ignis descendit super Apostolos, respondere diei celeberrimo apud Judæos, quo Deus dedit illis legem in monte Sinai inter fulgura, atque tonitrua. Nostis populum aureum Vitulum adorasse, cum Moyses cum Deo conversabatur. Sanctus hic Legislator de monte descendens cum vidisset populi sui infidelitatem, confregit Tabulas legis, quas dederat illi Deus, judicans fruftra illam incisam fuisse in lapide, cum illius characteres deleti essent in cordibus per idololatriam eorum, qui Vitulum aureum de genu adoraverant: sed postquam fecit, ut patratum facinus repararent per severum supplicium, quod ab illis repoposcit, ac expiavit cruore viginti, ac trium millium nocentium manus, quæ Idolo thus adoleverant, rediit in montem, & Deus scripsit legem in aliis Tabulis, quas nequaquam confregit, utpriores, & quæ in Arca fœderis conditæ fuerunt. Hæc figura est ejus rei, quæ in hodierno accidit Mysterio. Peccator sacrificavit aureo Vitulo, Idolo Creaturæ, dum verus Moyses incidebat divinam legem suam cum charactere sanguinis sui effusi in monte sancto. Pertraxistis indignationem Dei super vos, & meriti estis, ut harum gratiarum subtractio deleret memoriam legis suæ de infidelibus animabus vestris; sed Spiritus Sanctus hodie descendit, ut iterum characteres insculperet non jam amplius in tabulis lapideis, sed in cordibus pœnitentia contritis.

Ratio, quæ invenitur inter hanc festivitatem, & eam, quã Judæi celebrabant.

Non immerito S. Lucas animadvertit Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos die Pentecostes. Hæc circumstantia aperit nobis admirabiles rationes legis antiquæ, & novæ. Illa data fuit post dies quinquaginta, ex quo Judæi agnum paschalem comederunt; hæc autem post mortem JESU CHRISTI Paschæ nostri. Cum enim Divinus hic Salvator esset Agnus, cujus Sanguis expiaturus erat veros Israelitas, voluit eo tempore immolari, quo Judæi comedebant agnum figurativum, ut nova lex institueretur eo tempore, quo Moyses receperat suam. Hæc data fuit inter fulgura, & tonitrua; mons totus igne micabat. Ita cum Spiritus Sanctus in Apostolos descendere voluit, *factus est repente de Cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Sed si quæ occurrit similitudo in modo, quo utraque hæc lex lata fuit, magis notandæ sunt dissimilitudines; nam cum rumor exauditus de monte Sina terrorem, ac metum incussit Judæis; discipuli audierunt sine formidine fragorem, quem Spiritus Sanctus excivit descendens in illos; & dum Judæi proposita mortis pœna vetabantur ad montem Sina accedere, discipuli omnes qui accedunt sum fide gratiæ vitam inveniunt. Ratio duplicis hujus discriminis est, quia Moysis lex pro servis, & captivis erat destinata; sed Spiritus Sanctus fert legem libertatis pro Filiis Dei. Hodierna igitur die efficit Deus, ut veritas succedat figuræ, insculpens in cordibus legem caritatis, idque die eadem, qua lex timoris insculpta fuerat in lapide.

Actor. 2.

Pentecostes Festivitas eo spectabilior est, quod finis est omnium Mysteriorum JESU CHRISTI; hac enim die implentur veteris Testamenti Figuræ; Lex Moysis locum facit Evangelio, Synagoga Ecclesiæ, vetus Testamentum novo, servi filiis, Judæi Christianis: hodie Deus præstat fidem, quam obligaverat per Prophetas. *Dabo eis cor novum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum; & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & præcepta mea custodiant.* Ad intuendum harum Prophetiarum complementum satis est considerare quod in hac festivitate actum fuerit Jerosolymæ, & in persona Apostolorum.

Hæc Festivitas est finis Mysteriorum Salvatoris.

Ezechiel. 2.

Jampridem promiserat Deus per hos Prophetas, se daturum populo suo novam legem, quam Spiritus Sanctus in eorum cordibus erat incisurus: en quomodo hac de re verba faciat apud Jeremiam cap. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum illorum dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post illos dies, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum; & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vir ultra proximum suum; & vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Venit tandem tempus quo insignes hæ promissiones adimpletæ sunt, in magno hoc Mysterio Deus efficiens, ut figuræ succederet veritas, Pentecostes Christianorum illi Judæorum mittit Spiritum Sanctum suum super terram ad illas adimplendas, & contrahendum cum hominibus fœdus prorsus novum, & scribendam legem in cordibus eorum per divinum hunc Spiritum, qui DEI digitus appellatur, ut in illis effunderet amorem suum, ut illos inflammaret, & tamquam ignis absumeret omnes iniquitates eorum, ut animaret, & vivificaret justos, & vivos efficeret eos, qui antea erant peccatores, & mortui. *Caritas* enim Dei, quæ una dare potest vitam animabus nostris, *diffusa est in cordibus nostris*, S. Paulus inquit, *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nam *Lex Spiritus vitæ*, idem alibi ait, *liberavit me a lege peccati, & mortis.*

Complementũ Prophetiæ Ezechielis de nova lege, quam tulit Spiritus sanctus die Pentecostes.

Ad Rom. 8.

Spiritus Sanctus duplici peculiariter symbolo figuratus fuit, ut pluribus Scripturæ locis docemur; Primum ex his Symbolis illud est Columbæ: formam hanc mutuatus descendit in Salvatorem cum hic baptismo Sancti Joannis ablueretur, cui signum hoc datum fuerat, ut illum dignosceret in turba confluentium, ut ab illo baptizarentur; & eum esse sciret super quem videret Spiritum Sanctum sub columbæ specie descendentem: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem, & venientem super eum: hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Alterum est symbolum ignis, nam sub hac figura semper apparuit in veteri Testamento, & in novo, quod non alio indiget argumento, quam quod hodierna die accidit, qua in formam linguæ igneæ dilapsus est super Apostolos. Sanctus Gregorius rationem reddit, cur sub duabus hisce figuris apparere voluerit; videlicet quia ab illis, quibus se commnnicat, exigit simplicitatem, quæ columbæ propria est & zelum ardentem, cujus symbolum ignis est.

Spiritus sanctus apparuit sub duplici figura columbæ, & ignis.

Quemadmodum Ecclesia JESU CHRISTI componenda erat non ex Gentilibus tantum, verum etiam ex Judæis, opus erat, ut Spiritus Sanctus visibili specie in utrosque descenderet; quod accidit ubi primum S. Petrus Apostolus gentibus prædicavit, ut idem testatur: *Cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut & in nos in initio.* Quod confirmat id, quod a S. Luca narratur; eadem videlicet prodigia, quæ visa sunt, ubi Spiritus Sanctus visibiliter in Apostolos descendit, satis diu perseveraffe in iis, qui fidem amplectebantur, & convertebantur, ad prædicationem eorum, qui jam Spiritum Sanctum receperant.

Spiritus sanctus visibili ratione descendit non solum in Apostolos, sed in eos etiam, qui ad eorum prædicationem amplexi sunt fidē. Act. 2.

Sacer Textus asserit quod in ipsis mundi primordiis *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quod pacatum erat elementum, & quo quasi triumphali curru Dei Majestas vehebatur. Hoc ipsum dicendum est de hominis corde, quod per mare repræsentatur propter extensionem desideriorum suorum, & abyssuum profunditatem; namque ante illius inobedientiam, hoc erat thronus Dei Pacis; ibi malacia, & tranquillitas imperitabant per perfectam cupiditatum, & rationis contensionem. Sed post primum peccatum, & hominis inobe-

Aquæ super quas ferebatur spiritus sanctus in mundi principio, repræsentant cor hominis affectibus agitatum. Geneſ. 1.

inobedientiam, eor istud factum est locus, & instrumentum supplicii hominis ipsius: universalis colluvies cupiditatum omnium rationem ejus penitus submersit, & quotidie sexcentæ procellæ in medio illius debacchantur. Sed Spiritus Sanctus cordis hujus possessionem reparaturus, sedat, & mulcet hos motus inconditarum affectionum nostrarum; & gratiæ ipsius, quæ sunt veluti flatus divini hujus Spiritus, quocumque deferunt pacem.

Spiritus sanctus se ostendit Eliæ tamquam lenis aura; & super Apostolos descendit tamquam ventus vehemens, & cur?

3. Reg. c. 19.

Legimus in tertio Regum libro, Prophetæ Eliæ fugienti persecutionem Jezabel, cum secessisset in antrum quoddam montis Oreb, Angelum apparuisse, & præcepisse, ut illinc egressus ibi staret expectans adventum Spiritus Dei: attende, illi ait. Primum quidem audies sibilum venti vehementis, qui tanto impetu perflabit, ut valeat montes evertere, rupesque conterere; sed Dominus non ita venit; *Non in Spiritu Dominus*. Hinc audies furiosum terræ tremitum; *non in commotione Dominus*. Dein videbis magnum ignem apparere; sed *non in igne Dominus*. Demum senties flatum auræ lenis tamquam zephiri; ibi erit Dominus. Ubi intellexit Angeli monitum Elias operuit faciem suam pallio, stetitque in aditu specus, exspectans transitum Spiritus Dei.

In hac historia videmus agendi modum omnino alium ab eo, quo se gessit Spiritus sanctus die Pentecostes, ubi cum vehementi vento, cum magna emotione, & cum igne descendit; & notanda est hujus discriminis ratio. Elias erat homo plenus igne, adeo ardenti zelo succensus contra Pseudoprophetas, & contra illos de domo sua, qui non adorabant Deum verum, ut si hoc licuisset illi, ne unus quidem superfuisset in terra, quem ignis Cælestis non absumeret. Hoc ille testatus est palam, cum una vice quadringentos Pseudo-prophetas Reginæ Jezabel interemit, & altera cum de Cælo elicuit ignem in duos duces Regis Achab, & eorum milites, qui quinquaginta numero singulis parebant, illum ad Regem, ut jussi fuerant, deducturi. Vehementes impetus isti zeli adeo ardentis, significabantur per ventum petras conterentem: *Non in Spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus*. Deus Prophetæ volebat ostendere, *illi nimis violentam esse naturam, & animæ tranquillitatem nequaquam inveniri inter turbas, inquietudines, & emotiones: sed in malacia, & spiritus tranquillitate; quod minime prohibet*, ne Spiritus Sanctus iis in occasionibus, ubi agitur de gloria Dei, operetur alio modo. Apostoli qui laturi erant Evangelium in universam terram, & Dei Verbum annunciaturi, commovendi erant, atque intrinsecus agitandi, ut tantum opus ad finem perducerent; quod significabat ventus, strepitus, & ignis, qui concomitati sunt descensum Spiritus sancti.

Ignis absconditus in puteo ab Israelitis figura Spiritus sancti, cujus flammæ absumunt sordes peccatorum.

Repetite memoria, quid olim fecerint Israelitæ zelotes, a quibus restitutum fuit Templum Dei post Babylonis captivitatem. Qui cum meminissent a Patribus suis sacrum ignem in imo puteo absconditum fuisse, illis inspiravit Deus, ut illuc infunderent magnam aquæ copiam, quod cum fecissent, viderunt illinc divinam prodire flammam, quæ non sine ingenti miraculo ibi viguerat. Hæc figura ad nos pertinet. Vultisne reædificare Templum Dei in animabus vestris? Pœnitentiæ lacrymis infidelitatum vestrarum sordes eluite, & videbitis inde prodire sacrum ignem Spiritus Sancti, qui absumet reliquias sordium vestrarum, & animam vestram purificabit.

Ossa dispersa, quæ vidit Ezechiel Prophetæ, quæ Deus flatu suo revocavit in vitam, repræsentant, quod hodierna die fit in Christianis.

Ostendimus quomodo divinus hic Spiritus datur hominibus futurus principium vitæ supernaturalis, atque divinæ per gratiam sanctificantem, quam effundit in nobis: modo quærere ex vobis, utrum receperitis Spiritum Sanctum, idem est ac quærere utrum receperitis hanc gratiam, quæ afferens vobis divinum hunc Spiritum efficit, ut vivatis vita hac pretiosa: sed quam timeo, ut accidat plerisque fidelibus illud ipsum, quod olim accidit Prophetæ, cui Deus ostendens acervum mortuorum, & ossium, quorum alia ab aliis erant separata, simul hæc illi protulit verba: fcisne, Propheta, cadavera, quæ vides esse domum Israel? Hæc domus Israel, Christiani, erat populus Dei, & nihilo minus composita erat ex mortuis, & cadaveribus. Ah! nonne similiter tantumdem dici posset de Ecclesia quæ huic domui Israel successit: esse enim potest, ut plerique eorum, qui illam componunt, gratia careant, cadavera mera sint, vitæ dumtaxat speciem habentia? *Nomen habes, quod vivas, & mortuus es*. Sed opus est hodie ut Deus instauret quod egit coram hoc Propheta: vix enim effudit flatum, & Spiritum suum super mortuos, & super ossa, cum statim consurrexerunt, accesserunt invicem, singula in locum suum reversa sunt, ac vitam receperunt: opus, inquam, est, ut hic Spiritus, qui sacer est flatus harum divinarum personarum, hodierna die iterum nos animet, nobisque vitam tribuat prorsus sanctam, atque divinam.

Apocal. 3.

Fateor, me nunquam animum advertere ad præstantiam vitæ hujus, quam Spiritus Sanctus nobis communicat, quin cupiam, ut in universa terra exaudiantur hæc Regii Prophetæ verba: *Quis est homo, qui vult vitam!* Non quidem vitam hanc, quæ nobis communis est cum abjectissimis jumentis, & quam S. Augustinus comparat torrenti pertranseunti, & secum vastitatem, spumamque trahenti; sed quis vult vitam hanc divinam, & supernaturalem, cujus principium Deus est, & cujus motus omnes tendunt in Deum? Quam si hodierna die, ut credo, recepistis; Ah! dicit Apostolus, cavete, ne amittatis illam divinum hunc Spiritum jugulantes. *Spiritum nolite extinguere*. Sciendum enim vobis est, per mortale peccatum, quod patratis, vos perfracturos arctam hanc unionem, quæ est inter animam vestram, & divinum hunc Spiritum, & vos funestum effecturos cum illo divortium, quemadmodum quidam loquitur Propheta: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum*.

Psalm. 33.

1. Ad Thess. 5.

Isaiæ 59.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ huic argumento.

Quænam sit Libertas, quam nobis tribuit Spiritus sanctus.

UBI *spiritus, ibi libertas*. 2. *Ad Corinth.* 3. Libertatis nostræ præstantia innititur qualitati filiorum Dei, quam nobis Spiritus Sanctus impertit. Salvator non liberavit nos de captivitate peccati, ut viveremus tamquam subditi, atque mancipia: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis*. Non amplius tamquam simplices mercenarii Cælum sperare debemus, sed tamquam filii habentes jus ad Patris sui hæreditatem per Spiritum Sanctum, *in quo signati estis spiritu promissionis*, & facti Filii Dei. Sed hic Spiritus, hæc similitudo, quam recepistis, est veluti promissio, & pignus cæleste ejus hæreditatis, quæ filiis debetur; quod ipse S. Paulus testatur. *Signati estis spiritu promissionis, qui est pignus promissionis vestræ*.

Ad Rom. 8.

Ad Ephes. 1.

Dona Spiritus sancti comparata aquæ vivæ de qua loquitur Dei Filius cum Samaritana.

Si scires donum Dei! & quis est, qui dicit tibi, si quis sitit veniat ad me! tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam, ad extinguendum ardorem incompositorum desideriorum tuorum, & replendum cor tuum deliciis immortalibus. Dei Filius loquitur de Spiritu sancto, qui est in corde Fidelium tamquam fons aquæ vivæ, ex quo plures rivuli emanant, *ut dicit* S. Gregorius. Hæc sunt Spiritus Sancti dona, quæ comparantur aquæ vivæ incessanter fluenti, & quæ nunquam a principio suo separatur; quod ostendit animam, quæ non adhæret Deo per divinum hunc spiritum, & nullum habet motum in Cælum, animam esse mortuam, non habentem amplius vitam, & quæ quamprimum corruptione, & execrabilibus vitiis replebitur. *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam*, Spiritus JESUS! Vivus fons omnium bonorum cælestium! flumen suave, cujus impetus lætificat animam, quæ civitas est, & mansio Dei, veni in cor meum ad extinguendam sitim sensibilium voluptatum, quæ illam coinquinant, non replent. Sed si sciremus, quam pretiosum sit aquæ hujus viventis donum, quæ non aliud est nisi Dei gratia, quid inausum relinqueremus ad illam obtinendam, &c.

Joann. 4.

Dei Filius dans nobis Spiritum sanctum, dat donum dignum se.

Ascendens CHRISTUS *in altum dona dedit hominibus*. *Ad Ephes.* 4. Vix Dei Filius ascendit in thronum gloriæ suæ cumulatus manubiis terræ, cum magnas exercuit largitates cum hominibus, & misit ad eos dona magnifica. *Quænam? Spiritum Sanctum*. Interrogat, & respondet S. Augustinus. Reges terræ ostentare volentes in die triumphi sui suam Magnificentiam, magna populis donaria largiuntur, suæ potestati, suisque opibus congrua. Sed hæc dona terrena sunt, quia Reges sunt terræ. Quid autem potest largiri Cæli Deus dignum sua divinitate, nisi Deum? Donat id, quod ipse una cum Patre suo producit in æternitate. Quid autem producit? Spiritum Sanctum: Eumque producit tamquam donum: *Exivit non quomodo natus, sed quomodo datus*. Cui vero dat illum? Homini justo. Qui dat illum? Dei Filius. Qui Deum dat, nonne Deus esse debet?

S. August. lib. 5. de Trinitate.

Quodnam donum nobis dat Deus dans Caritatem, quæ ipse est Spiritus sanctus.

Videte qualem Caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus. 1. *Joann.* 3. Considerate quousque nos dilexerit Pater Æternus, & quam nobis dederit Caritatem: Caritatem non creatam solum, sed increatam, quæ nos attollit super omnem terræ celsitudinem: Quæ gratia! Spiritus Sancte, nonne toto Cælo supra nos magis es, quam Cælum sit super terram? Et nihilominus descendis usque ad nihilum nostrum, ut nos participes efficias divinæ essentiæ tuæ, & nos per essentiæ tuæ communicationem Dei Filios efficias? Quisnam tantum hunc honorem posset concupiscere? Ne igitur degeneres sitis a nobilibus sensibus, quos fovere debent Filii Dei: contemnite quidquid est contemptibile, & Deum unum in pretio habete: *Nunquam humana opera mirabitur quisquis se cognoverit Filium Dei*; & qui aliquid admirari potest post Deum, sese dejicit de eo generositatis gradu, qui illum decet.

S. Cyprian. lib. de Spectaculis.

Dei Filius pollicetur, se missurū Spiritum sanctum, qui locum teneret Filii Dei, ut illi succederet in animarum regi-

Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. *Joann.* 14. Spiritus Sanctus vi missionis suæ venit, ut

cum suum teneat, & consoletur Fideles in ipsius absentiâ.

regimine „ & ut consolaretur hac mutatione Dei Filios, qui alioquin remansissent tamquam orphani propter jacturam, quam fecerant præsentiæ Salvatoris sui, nisi parem sibi successorem illis dedisset: *Vicarium Redemptoris, & socium Majestatis*: quamobrem Salvator promisit Apostolis suis, se non relicturum illos orphanos: *Ego rogabo Patrem* dixit illis, *& alium Paraclitum dabit vobis*. Si non subrogasset in locum suum Spiritum Sanctum quidquid illis dare potuisset, consolatio eorum non æque solida esse potuisset, & nimis perniciosa mutatio: mihi aufers Deum illum daturus Cælo, dixisset terra, & vis consolari jacturam meam? Da mihi igitur Deum, ut damnum sarcias, nihil enim æquiparare potest absentiam Dei, nisi Dei præsentia. Hoc præstitit Mundi Salvator, & ut S. Augustinus ait, quo tempore Cælo infert hominem, mittit in terras Deum: *Hominem portavit ad Cælum, & Deum misit ad terras*. Et propter hoc commercium Spiritus Sanctus datur hominibus non solum per operationes gratiæ suæ, idem Sanctus Doctor inquit, sed per præsentiam majestatis, & *ut fides Apostolorum, quem sibi a Domino in locum Dei promissum esse meminisset, verum Deum esse cognosceret*.

Ut fruamur spiritualibus deliciis, quas Spiritus sanctus effundit in animam, abrenunciandū est sensibilibus voluptatibus.

Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Joann. 16. O magnum Mysterium! Fratres mei, S. Bernardus exclamat, quid sibi volunt hæc verba? *Quid sibi vult; nisi abiero, Paraclitus non veniet ad vos?* Quomodonam homo sensibus addictus, corruptæ inhærens carni, subjectæ appetitibus suis, & cupiditatibus plenæ, speret adhuc se consecuturum æternas delicias quas ne ipsi quidem Apostoli consequi potuerunt, dum adhærerent præsentiæ visibili Sanctæ Humanitatis JESU CHRISTI? *Audeat qui carnem fovet, carnem sapit, illum sperare torrentem voluptatis, quem cum ipsa quidem Verbi carne percipere nullatenus Apostoli poterunt*? Hoc significat; vultisne, ut Spiritus consolator repleat cor vestrum præsentia donisque suis? Exhaurite illud omnibus rebus creatis, & iis rebus omnibus, quæ illi possunt displicere; revocate cor vestrum ab erroribus suis, ut illud cum Dei Sanctitate conformetis; extrudite ex intellectu vestro errorem mendacium, inanem creatarum rerum æstimationem. Spiritus Sanctus, Spiritus est veritatis, qui simul esse non potest cum falsitate vestra affectus omnes abnormes, omnesque terræ consolationes; exhaurite tandem *cor vestrum, ut repleamini: cur putatis*, S. Bernardus pergit, Deum velle replere vos melle, cum pleni sitis felle?

Descensus Spiritus sancti in Apostolos genus est secundæ Incarnationis.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Joel. 2. Nescio utrum animadverteritis, in descensu Spiritus Sancti novum occurrere Incarnationis genus, quod secutum est Verbi Incarnationem. De prima dictum fuit: *Verbum caro factum est*, de altera: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, videlicet super omnes homines. Per primam, *Verbum caro factum est*; per alteram Caro facta est Spiritus. Per primam Filius Dei factus est Filius hominis; per alteram Filius hominis factus est Filius Dei. In prima Omnipotens oneravit se nostris infirmitatibus, in altera induit nos sua fortitudine. In prima, qui erat impeccabilis sumpsit similitudinem peccati; in altera peccata nostra delevit. In prima immortalis venit moriturus pro nobis, in altera Spiritus Sanctus venit daturus vitam animabus nostris, ideoque altera hæc Incarnatio, si hoc nomine vocari potest, fructus est primæ, quia Dei Filius non venit in Mundum, nisi ut sanctificaret illum per hunc Spiritum divinum. Ne putetis tamen Spiritum Sanctum eodem modo, quo Verbum Æternum Carnem assumpsisse, sese conjungendo nostræ carni; hic enim error effet magno cum periculo conjunctus. Sese quidem effudit super carnem, sed non factus est caro: se quidem nobis communicat, verum quam personam suam naturæ nostræ conjungat. In nobis est per gratiam, & per dona sua; & ibi admirabiles operatur effectus, quos nunquam satis possumus admirari.

Spiritus sanctus descendit in formam ignis, ut nos divino amore succenderet.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Luca 12. Hic fuit primus effectus descensus Spiritus Sancti in cor Apostolorum, ibi videlicet ardentem producere caritatem: Spiritus Sanctus est amor Patris, & Filii; per hunc Pater Æternus amat Filium suum, & amatur a Filio; per hunc Pater, & Filius amant nos, & per eumdem Pater, & Filius amantur a nobis. Itaque descendit ille in formam ignis, ut significaret, se venisse ad inflammanda corda divino hoc amore, quem JESUS CHRISTUS se missurum in terras promiserat, ut corda inflammaret. Et sane ubi Apostoli divinum hunc Spiritum receperunt, succensi sunt hoc divini amoris igne, quem in universam terram effusuri abierunt, ut frigidissima eorda eodem accenderent. Heu! frigus, ac duritiem cordis nostri, nonne satis ostendunt, nos nequaquam passos fuisse, ut divinis hisce flammis accenderemur? & non potius alio quopiam igni huic opposito uritur cor nostrum?

Deus in veteri lege, Deus erat terroris, & de-

Deus totius consolationis. 2. Ad Corinth. cap. 3. Antequam Salvator ad nos mitteret Spiritum Sanctum Deus erat minax, qui nonnisi per tonitrua loquebatur, qui Mundum diluviis submergebat, & mittebat Angelos exterminatores; Deus terribilis, qui aperiebat terram, & maria, ut populos, & exercitus deglutiret; sed ubi placuit illi mitius agere cum hominibus, misit illis primum Filium suum, ut esset illis Consolator, atque tunc cœpit esse illis Deus Consolationis.; ubi vero dedit eis Spiritum Sanctum, qui alter est Paraclitus, dici potest esse *Deus totius consolationis*. Dei Filium Consolatorem esse æque ac Spiritum Sanctum liquido probat Sanctus Augustinus per hæc verba Salvatoris: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: dicens, Patrem suum hominibus daturum esse alium Consolatorem, ostendit se quoque fuisse Consolatorem; & sane nonne consolabatur ægros, quos ad se alliciebat, promittens, se illos esse refecturum? *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*. Nonne consolabatur paupères, cum illis Regnum Cælorum pollicebatur? Verbo; Dei Filius ita est Consolator, ut sit eadem consolatio; ita enim loquebatur Sanctus senex Simeon, cum dicebat se exspectare consolationem Israel: *Justus, & timoratus exspectans consolationem Israel*. Similiter Spiritus Sanctus Consolator est; & hoc nomine Salvator ipse illum vocat in Evangelio, & mox Ecclesia propter præclarum hunc Spiritum eum optimum Consolatorem appellat: *Consolator optime*; & fatetur hunc illum esse, qui consolatur nos per donorum suorum infusionem; fortitudinis dono confirmans nos, ut tribulationes sustineamus; dono consilii inspirans, ut tentationibus resistamus. Ille in nobis producit *fructus caritatis*, gaudium, pacem, patientiam, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam &c. Quid igitur mirum, si Pater æternus cum ad nos subinde miserit hosce duos Consolatores vocetur ab Apostolo, *Deus totius consolationis*.

solationis, sed post descensum Spiritus sancti Deus est consolationis.

Matth. 12.

Luca 2.

Signati estis Spiritu promissionis Sancto, Ad Ephes. 1. Per loquendi modum hunc intelligendum est; ubi primum Spiritum Sanctum per gratiam recipimus, *ipsum* adire possessionem animarum nostrarum, tamquam boni sui, illum nobis imprimere *stemma suum*, tamquam propriæ *possessioni suæ*. Quam mentem videtur *Sanctus Paulus nobis immittere voluisse* per ea *verba, quæ sequuntur: Postquam* enim hortatus est Ephesios, ne contristare vellent Spiritum Sanctum; tamquam rationem subjicit: *In quo signati estis*, quibus verbis secundum Interpretum animadversionem significat: cum Spiritus Sanctus ingreditur in animam per gratiam, hanc statim migrare in possessionem dominii sui; ideoque illi signum suum imprimere; inurere in illa characterem suum, ut liqueat illam juris sui esse, quemadmodum fieri apud homines consuevit, qui annulo suo, suum imprimunt stemma rebus suis, iis vero potissimum, quæ majori habentur in pretio: *Signati estis*. Spiritus Sanctus nobis conferrur in duobus Sacramentis, Baptismo *videlicet*, & Pœnitentia: in utroque nos possidet tamquam bonum sibi proprium; in Baptismo quidem præter gratiam sanctificantem, *imprimit characterem* in recipientibus illum, qui denotat illos esse suos; & character hic indelebilis est. Pœnitentiæ Sacramentum non imprimit quidem characterem, sed gratiæ, quascumque in hoc Sacramento recipimus dæmonum vestigia abolentes, imprimunt notas, & signum Spiritus Sancti: *In quo signati estis*. Nos quoque non secus ac Templa notamur, secundum consuetudinem *Religionum omnium*, quæ est in frontibus Templorum insculpere nomen divinitatis, quæ ibi adoratur; & ne putetis possessionem hanc spiritui solum inhærere, transit, ut idem Apostolus inquit, usque ad corpus, & effundit se in membra non solum, quia intimæ cohærent animæ, verum etiam quia, secundum Tertulliani sententiam, sunt veluti subjectum, atque instrumentum Sanctitati Spiritus Sancti. *Inhabitaturus corpora nostra datus est Spiritus sanctus, & Sanctitatem eorum effecturus*. Venit in nos, ut habitaret in eodem corpore nostro, ejusque Sanctificationem operaretur. Post tot titulos, ac jura, postquam juridice, & sollemniter adeo possedit corpus, & animam; nonne sacrilega est injustitia excludere illum de Templo suo, eique auferre cor, quod gratia annulo suo consignaverat? *Biroat in 2. Sermone Pentecostes*.

Quomodo Spiritus sanctus accipit possessionem animæ, & eam signo suo signiet.

Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joann. Sæcularium amicitia tribus in rebus deficit. Sero amare incipiunt, statim amare desinunt, & parum amant. Incipiunt sero, quia magna vitæ illorum pars abit antequam perfectam sibi formentamicitiam; statim amare cessant, quia parum habent vitæ, & multum inconstantiæ, & levitatis; amant parum, quia cor habent exiguum: sed divini cordis amor est sine pari. Nos amat sine principio, sine interpolatione, & sine fide. Nos amat sine principio, quia nos amans producit Spiritum Sanctum; & quemadmodum Spiritus hic procedit a Patre, & Filio ab æterno, ita nos respicit, & dat se nobis ab æterno. Nam ut Sanctus Augustinus ait,

Spiritus Sanctus erat donum Patris, licet nemo esset adhuc, cui dari posset: hæc autem æterna amoris præventio nobis relinquit amandi necessitatem, quam nunquam adimplebimus, & illi hanc confert prærogativam, quod ille primus dilexit nos, & quod in ejus persona singulare est, nos prævenit ab æterno. Quandonam igitur Domine incipiam amare te, quandoquidem etiamsi ego dem tibi cor meum in ipso primo motu vitæ meæ, debebo semper tibi amorem æternum, quo honorasti me, & pro quo nunquam tibi parem gratiam rependam. 2. Nos amat sine interpellatione, quia immutabilis est; utilitas sæpe cor hominum mutat; cupiditas arctissimas necessitudines frangit, eas delet oblivio, humana infirmitas jugem curam sustinere non potest; sed Deus hisce defectibus obnoxius non est, non amat ex utilitate, non ex cupiditate, neque ex libidine, sed ex sapientia summa, quæ in delectu suo falli non potest. 3. Amat sine fine, quia cum sit, ut inquit Sanctus Dionysius principium uniens, esse non potest causa discordiæ. Amor ejus est sine pœnitentia, & gratia sanctificans, qui nodus est amicitiæ, quam contrahit cum nobis, donum est irrevocabile, quod nunquam nobis aufert, nisi culpa nostra nos ipsi illius jacturam fecerimus. Perfectissima inter homines amicitia ea est, quam ad mortem usque fovent, & pro qua se mortem subire gloriantur: sed Deus in vita, in morte, & post mortem amicus est. Amor ejus non solum æternus est, sed illis, quos amat, tribuit etiam æternitatem.

Si volumus Spiritum sanctum permanere in nobis, illi fideliter obedire debemus.

Directus est Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps; Spiritus autem Domini recessit a Saul. 1. *Reg.* 16. Illum Saul quidem receperat, sed volebat subjicere illum voluntati suæ, quin illi obsequeretur. Ecce quare Spiritus recessit ab illo, & accessit ad David, quem invenit obedientiorem, obsequentiorem, & cordi suo propiorem. Vis ne Spiritum Sanctum semper in te permanere? esto illi semper fidelis; fac, ut regnet in corde tuo, ut mundi Spiritus non inveniat amplius locum in te; nam ut Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, Spiritus Sanctus venit in animam nostram tamquam Dominus, non tamquam Servus. Ne putes te diu gavisurum præsentia illius, nisi ei morem gesseris. Zelotypus est imperii cordis tui; illius est imperare; tuum vero imperata facere: sine igitur illum secundum voluntatem suam operari; multiplex est illi ratio agendi, sed semper idem est Spiritus, & nos illi semper eumdem amorem, eamdemque obedientiam debemus.

Proprium est Spiritus sancti docere omnem veritatem.

Cum venerit ille (Spiritus) docebit vos omnem veritatem. Joann. 16. Docere sine exceptione omnem veritatem, & docere illam omnes, nemine excepto, posse docere illam omnibus modis, hoc Dei unius est; & hoc omnino facere nequit alius aliquis Spiritus præter Spiritum Dei. Ideoque hic character est maxime essentialis, atque divinissimus, quem JESUS CHRISTUS in Evangelio Spiritui Sancto tribuerit: *Docebit vos omnem veritatem.* Et hic idem character mihi videtur primum omnium apparuisse die hac solemni, qua Spiritus hic veritatis descendit in Apostolos, & in omnes Discipulos, qui convenerant undequaque, Sanctus inquit Augustinus hæc ponderans verba: *Omnem veritatem.* Nonnisi ad Dei Spiritum pertinet docere, & persuadere omnem veritatem; sunt enim veritates, quas caro, & sanguis non revelant, veritates, quæ humanam rationem avertunt; veritates, quas horret natura; veritates, quæ humiliant; quæ crucem figunt, quæ negotium facessunt, quæ mortificant; sed quæ simul sunt Veritates salutares, & necessariæ, verbo, Veritates, quas homo, juxta Evangelii vocabulum *portare* non posset, multoque minus gustare, & amare. Si ergo contingit, ut sincere, & efficaciter persuadeatur, hic esse non potest nisi effectus Spiritus superioris agentis in illo: sed unus Dei Spiritus hanc habet potestatem: Spiritus hominis, Sanctus Chrysostomus inquit, docet hominem, & persuadet illi, quod amori proprio satisfacit, quod satisfacit vanitati, quod ciet curiositatem, quod favet cupiditati; sed quod cupiditatibus nostris adversatur, quod contradictorie oppositum est omnibus hominis affectionibus, cum ex ipso homine oriri non possit, necessario opus est, ut Dei Spiritus hoc nos doceat, & nobis persuadeat. *Ex sermone Patris Bourdalove.*

Quomodo Apostoli baptizati fuerunt Spiritu sancto, & quo in sensu hoc sit intelligendum.

Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies. Act. 1. Mundi Salvator jamjam ascensurus in Cœlum, loquens ad discipulos suos de Spiritu Sancto, quem missurus erat in terram, dixit illis, Divinum hunc Spiritum illis futurum esse loco alterius baptismi, & eodem momento, quo in illis adimplendæ erant promissiones suæ, ipsos baptizatum iri Spiritu Sancto. Quomodo istud? quia cum proprius baptismi effectus sit purificare, & sanctificare, & Spiritus Sanctus descenderit potissimum ad expianda hominum corda, ita Spiritus Sanctus descendens super Apostolos, esset tamquam sollemnis baptismus, cujus salutarem impressionem unusquisque perciperet. Quid autem est baptizari Spiritu Sancto, nisi recipiendo Spiritum Sanctum acquirere puritatem prorsus Cælestem, atque divinam? Scio Apostolos in sua vocatione ad Apostolatum, baptizatos fuisse a JESU CHRISTO, & scio virtute primi hujus baptismatis illos coram Deo mundatos fuisse, juxta ipsius JESU CHRISTI testimonium: *Et vos Mundi estis.* Verum etiam vos non ignoratis, primum illud baptisma collatum Apostolis, fuisse baptismum aquæ, cum alter, cujus characterem Spiritus Sanctus per immediatam suam præsentiam impressit, fuit modo prorsus peculiari, baptismus ignis; quod discrimen jam Sanctus Præcursor prænunciaverat loquens ad Judæos de Messia: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni*; discrimen, quod omnino adimpletum est, cum Spiritus Sanctus in formam linguæ igneæ sese divisit, & insedit super singulos discipulorum. Quorsum autem sub ignis Symbolo? ut innueret, S. Chrysostomus inquit, sicuti igni vis est ad agendum celerior, ad penetrandum aptior, & ad emundandum efficientior, quam aquæ; ita per adventum Spiritus Sancti hominum corda perfectius erant expianda, quam per priorem baptismum expiata fuissent. *Idem.* Joann. 13. Actor. 2.

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Act. 2. Spiritus Sanctus aliquando sese in mensura communicat, ut ait S. Paulus: *Secundum mensuram*; sed hodie sine ulla exceptione, ac modo semet effundit in Apostolos. Hi non solum visitantur, inspirantur, moventur a Spiritu Sancto, quemadmodum alibi exprimit operationes gratiæ, sed eodem replentur. Cur hoc? quia Deus destinabat illos ad ministerium, quod nihil minus flagitabat hac plenitudine Spiritus Sancti, ut illo feliciter perfungerentur. Agebatur de Mundi conversione; quod opus aggrediendum & adimplendum! Ipsi nostis, Fideles. Mundus, cum quo nobis pugnandum est, est fortis armatus ille, qui tandiu rebellat, & qui nihil intentatum relinquit, ne loco cedat, & amoveatur ab injusta possessione, quam sibi usurpavit. Oportebat igitur, ut Spiritus Sanctus, qui accedebat illos delecturus per ministerium Apostolorum, effunderet ubertim super illos omnia lumina sua, omnem Sanctitatem, omnem vim, qua illi indigebant ad tantam hanc victoriam referendam. Hinc illos hac gratiæ plenitudine cumulavit. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Padter Cheminais. Sermone de Festivitate Pentecostes.

Cur Spiritus sanctus descenderit tanto cum fragore, & instar venti vehementis.

Factus est derepente sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum. Actor. 2. Quorsum ingens hic strepitus die Pentecostes? Cur Spiritus Sanctus descendit instar advenientis Spiritus vehementis? Nonne quia necesse est hominem attentum reddere magnis eventibus? Cum corpore simul constet & anima, aliqua re sensibili excitandus est, ubi vult Deus sese illi communicare: Ingens hic strepitus præsignabat turbas, quas quotidie experiuntur illi, qui salutis spiritum sunt pariturі. Inde incipit conversio, per timorem amor inducitur; primus est tamquam Chirurgi instrumentum, quod sauciat, alter est, velut oleum, quod curat. Alioquin fieri non poterat; ut ingens hic rumor, qui in Apostolorum domo audiebatur, magnam non traheret mortalium multitudinem; quod fieri volebat Deus, ut magnam haberet testium copiam ejus miraculi, quo suam formabat Ecclesiam; denique per venti hujus impetum figurare cupiebat divinam, celerem, & omnipotentem Sancti Spiritus operationem, qui tamquam ventus spiritualis movet, & agitat cor, penetrat illud, emundat, replet, ibique pacem & requiem veram operatur. Rumor hic *factus est derepente*, tum, ut persuaderet Fidelibus, dona Spiritus Sancti nunquam ex humanis meritis proficisci, cum, ut significaret admirabilem celeritatem qua divinus hic Spiritus mutat corda; nam simulac gratia est in corde, statim extrudit peccatum & perfecte hominem mutat. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, S. Ambrosius ait.

Quo in sensu alii quidem contristent, alii vero extinguant Spiritum sanctum.

Nolite contristare Spiritum Dei. Ad Thessal. 5. *Spiritum nolite extinguere. Ad Ephesios* 4. Nunquam lego S. Pauli monita, quæ tradit Christianis Thessalonicæ, atque Ephesi, quin timore percellar. Primis illis dictum est: *Nolite contristare Spiritum Dei*; his autem; *Spiritum nolite extinguere.* Hæc profecto verba sunt ænigmatica; neque miror, si crucem fixerunt Sanctis Patribus, atque Interpretibus, ut eorum sensum elucidarent. Arduum enim, ac difficile est intelligere, quomodo nam ille, qui gaudium est, & personalis dulcedo, valeat contristari; neque minus comprehendi potest, naturam immortalem, & vitam essentialem posse extingui. Verum est Spiritum Sanctum tristitia affici nequaquam posse, si verbum hoc significet affectum, quo doleamus, & qui lancinet cor nostrum exspectatione, aut sensu gravis cujuspiam mali. Morti obnoxius esse non potest; si per hoc verbum intelligatur, illum cessare, ne sit per substantiæ suæ corruptionem. Hoc tamen non vetat, quominus vera sint Apostoli verba. Per hæc emphatica verba nobis voluit significare, quanta sit contumelia, qua quotidie coinquinatur a duplici Mortalium genere, quorum alii obstruunt illi aditum in cor suum, vel in eo semel receptum extru-

extrudunt; alii vero eum tamquam captivum detinent, quin illi libertatem permittant divinarum suarum operationum. Primi illi sunt peccatores; secundi vero Christiani tepidi, & imperfecti.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

QUod *est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus Corpori* CHRISTI, *quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis.* August. serm. 2. in Feria 2. Pentecost.

Sicut ignis venit Spiritus Sanctus, fœnum consumpturus, aurum coctturus, & purgaturus. Idem in Psalmo 18.

Quia Caritas diffusa est in cordibus nostris, ideo est consequens, ut quia Spiritus Deus est, ne diligere possumus Deum, nisi per Spiritum Sanctum, amamus Deum de Deo. Idem.

Nullum est isto Dei dono excellentius: dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine caritate nihil possunt. Idem.

Missus est Spiritus, ut qua Salvator inchoaverat, Spiritus Sancti virtus consumeret, & quod iste acquisivit, ille custodiat, quod ille redemit, iste sanctificet. Idem tract. 108. in Joannem.

Nunquid modo non datur Spiritus Sanctus? quis hoc putat non est dignus accipere, datur & modo. Idem serm. 2. Pentecost.

Quia Spiritus Sanctus sic ab æterno procedebat, ut posset donari, jam donum erat, antequam esset, cui donaretur. Idem lib. 1. de Trinit. cap. 15.

Hominem CHRISTUS DOMINUS *portavit ad Cælum, & Deum misit ad terras.* Idem serm. 185. de temp.

Quid miraris, quia homines a Deo nascuntur, attende ipsum Deum natum ex hominibus. Idem in Joannem.

Quæris a me si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est Spiritus Sanctus, cur unus Filius, alius non? Respondeo sive capias, sive non capias; de Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus, sed ille genitus, iste procedens, Idem contra Maximin. lib. 3. cap. 14.

Habitare in corpore animam probant vitales actus corporis, habitare in anima Spiritum Sanctum, probat vita Spiritualis. Gregorius in Moralibus.

In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus; a Cælo datur Spiritus, ut diligatur Deus; sicut ergo una est Caritas, & duo præcepta, ita unus Spiritus, & duo dona. Idem Homil. 26. in Evangelia.

In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter, & loquentes facit. Idem Homilia 30. in Evangelia.

Pensate quanta sit dignitas habere in cordis hospitio adventum Dei. Idem Homilia 30.

O qualis artifex est Spiritus! nulla ad discendum agit mora id omne, quod voluerit; mox enim ut tetigerit mentem docet, solumque tetigisse, docuisse est. Ibidem.

Idcirco Spiritus Sanctus in igne, & columba nobis monstratus est, quia videlicet quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Idem in Moral.

Nec minimam paleam intra cordis, quod possidet habitationem patietur residere; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis, & compunctionis exurit. Idem Ibidem.

Donum Sancti Spiritus pignus dicitur; quia per hoc nostra anima ad interioris spei certitudinem roboratur. Idem lib. 16. Moral.

Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ.

Ut Deus diligi possit se tribuit, quia Deus est Caritas, & Deum nonnisi Caritate diligimus; nisi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non possumus. S. Fulgentius lib. 2. de Prædest.

Nulla in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus doctor est. Beda Homilia 9. in Lucam.

O quam velox est sermo sapientiæ! & ubi Deus magister est, cito discitur, quod docetur. S. Leo sermone de Pentecost.

Inhabitaturus corpora nostra datus est Spiritus Sanctus, Tertullianus.

Dies Pentecostes, dies Propitiationis, dies remissionis, dies est indulgentiæ. S. Chrysost. serm. de Pentec.

Copula unionis nostræ cum CHRISTO. Idem Hom. 2. de Pentecost.

Extinguit Spiritum vita impura. Idem Homilia 21. in 1. ad Thessal.

Qui accipiunt Spiritum Sanctum, amore cælestium terrena contemnunt. Idem de anima, & ejus origine.

Non est sæcularis animæ habere Spiritum; multo opus est studio, ut eum apud nos retinere possimus. Idem Homilia 34 in Epistola ad Hebræos.

Sicut non habet corpus unde vivat, nisi de Spiritu, sic effectus hominis, qui amor dicitur non vivit, hoc est non amat Deum, nisi de Spiritu Sancto. S. Bernard. de vita Solitaria.

Cognoscam Spiritus Sancti præsentiam mutatione cordis mei, cum e terreno illud Cæleste factum video, e carneo spiritale. Bernard. in Cantic.

Spiritus Paracletus dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Ibidem Serm. 2. Pentec.

Gratia est primum, & excellentissimum inter dona creata. S. Bonaventura.

Vicarius CHRISTI *Spiritus Sanctus.* S. August.

Nisi Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo Doctoris. Nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Gregorius Homilia 30. in Evangel.

Qui prius timebant, & formidabant, post Spiritus Sancti acceptionem in media pericula prosiliebant. Chrysostomus Homil. 74. in Joann.

Qui prius ancillæ voce requisitus timuit, post adventum Spiritus Sancti vires Principum casus contempsit.

Hæc est administratio Spiritus Sancti; Scripturæ revelantur, intellectus reformatur, disciplina dirigitur. Tertullianus.

Quomodo diligimus, ut Spiritum accipiamus; quem nisi habeamus, diligere non valemus. Augustinus in quæstion.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hauriri possit in hoc argumento.

Quid proprie significet nomen Spiritus Sancti.

CUm Spiritus Sancti nomen æque tribuatur Patri, ac Filio in Trinitate personarum divinarum, cum uterque sint Spiritus, & Sanctus; quandoquidem confitemur Deum esse Spiritum, & præterea hoc eodem nomine designentur Angeli, & Sanctorum animæ, necesse non est monere Fideles ne labantur in errorem per vocis æquivocationem. Supponendum quippe est, illos satis eruditos esse, ubi loquimur de Spiritu Sancto, nos loqui de Tertia Persona augustæ, & adorabilis Trinitatis. Scriptura Sancta hoc uricur termino *in hoc sensu in veteri Testamento, quamvis infrequentius, quam in novo, in quo id passim facit, veluti* cum jubemur *baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* & cum dicit Evangelium, JESUM *conceptum fuisse ex Maria Virgine de Spiritu Sancto*; quo in sensu nomen hoc millies usurpatum invenitur. Scholasticis Theologis explicandum relinquo, quare Spiritus Sanctus non habeat nomen proprium, non secus ac Pater, & Filius, & cur illi commune hoc Spiritus Sancti nomen tribuatur; sciamus satis est, non posse nos dare nomen Deo, nisi mutuemur illud a rebus creatis; & cum nos in creatis non aliam cognoscamus viam communicandi substantiam suam nisi per generationem, non posse nos nomine proprio exprimere viam hanc, qua Deus se totum communicat per amorem, qui penitus differt ab amore generationis. Præterquam quod inditum fuit nomen Spiritus Sancti Tertiæ huic Trinitatis Personæ; quia illi peculiari convenit modo, quod peculiariter nobis communicat vitam prorsus spiritualem, & quia sine afflatibus divini hujus Spiritus, nihil facere possemus dignum æterna vita.

Spiritus Sanctus in omnibus pari est reliquis duabus personis Trinitatis.

Neque necesse est validis argumentis ostendere, Spiritum Sanctum esse Deum similem Patri, & Filio, illi parem esse, æque potentem, ac æternum, infinite perfectum, bonum supremum; ejusdemque essentiæ, & naturæ cum Patre, & Filio. Hic articulus est Fidei nostræ, plurimis Scripturæ locis probatus, quæ attribuit illi quidquid credimus proprium esse Dei unius; quale est sanctificare, & vivificare animas nostras, loqui per Prophetas, esse ubique, penetrare, quidquid latet in Deo; & hoc decisum fuit in prima Constantinopolitana Synodo, quæ Symbolo hunc adjecit articulum ad Hæretici Macedonii errorem, & impietatem refellendam.

Sanctus Spiritus vere donum est, & donum per excellentiam.

Communis est Patrum sententia, donum a Salvatore de Cælo nobis mittendum, esse Spiritum Sanctum, qui peculiariter donum vocatur ab origine; donum quippe effectus est, & productio voluntatis amantis. Sed Spiritus Sanctus est terminus amoris Patris, & Filii, quod uni illi convenit. Vocatur autem donum antonomastice, quia omnia dona complectitur; quia amor primum est donorum omnium; quia cetera dona sunt effectus primi. Hinc illi acceptæ referuntur omnia Cæli dona, & adeo absolute Spiritui Sancto tribuuntur, ut indiscriminatim dicatur donum, vel spiritus Prophetiæ; donum, vel Spiritus sapientiæ. Denique donum dicitur per Antonomasiam, quia Deus donans Spiritum suum donat seipsum.

Donum non solum est gratia sanctificans, sed ex sententia plurimorum Patrum propria Spiritus Sancti substantia.

Plurimorum etiam Sanctorum Patrum sententia est infinitis Scripturæ locis probata, eximium hoc donum, quod JESUS CHRISTUS communicat, non esse solum gratiam Sanctificantem, & Caritatem, sed propriam hujus Spiritus Sancti substantiam, qui est in cor-

in cordibus nostris non solum per operationem suam, sed etiam substantialiter & personaliter: quâ in re S. Augustinus sensum suum plane explicat, cum dicit, Spiritum Sactum in Apostolos descendisse: *Non visitator subitus*, sed æternum permansurus apud illos, eosque consolaturus. *Non jam per gratiam visitationis, & operationis, sed per præsentiam majestatis.* Olim satis erat illi linire gratia sua corda nostra, tamquam sacro unguento, sed hodierna die unguenti substantia recipitur: *Atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.* Admirabile privilegium, sed proprium novi Testamenti. Prophetæ, & Patriarchæ, S. Cyrillus inquit, senserunt operationem Spiritus Sancti, sed nunquam possederunt Spiritum Sanctum in substantia. Verum est opinionem hanc in scholis non esse communem; sed neque habet quidquam oppositum fidei, & cum tantæ innitatur auctoritati, nemo prohibere potest, ne tradatur populo, velut infinite gloriosa homini, & appositæ ad inspirandos sensus sublimes de Christiani dignitate; sed cum hac modificatione, Spiritum videlicet Sanctum nequaquam unum efficere compositum cum nobis, quemadmodum fuit persona Verbi cum Sancta Salvatoris humanitate; & nos per unionem Spiritus Sancti nequaquam veros Deos fieri.

Augustin. serm. 185.

De divina adoptione, quam recipimus per Spiritum sanctum.

Per hanc receptionem sive substantialem Spiritus Sancti, sive per gratiam, quæ unionem parit mere accidentalem; per hanc, inquam, receptionem nos vocamur, & reipsa evadimus Filii Dei: Nam quamvis hic sermo sit tantum de adoptione, non est tamen adoptio similis illi, quæ inter homines fit, in qua nulla fit unquam naturæ communicatio, & ubi omnia ad summum rediguntur ad aliquos mutuos voluntatis actus; sed in beata hac adoptione Filiorum Dei, recipitis naturæ divinæ communicationem, ut loquitur S. Petrus, recipientes Spiritum Sanctum, & per hanc communicationem quodammodo in Deos commutamini; *Divinæ consortes facti naturæ. Ego dixi, Dii estis, & Filii Excelsi omnes.* Fingi ne potest adoptio perfectior? Hoc passim nobis iteratur a S. Paulo. *Qui Spiritu Dei agmtur, ii sunt Filii Dei. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Hinc dicit etiam S. Paulus, non nostræ tantum animæ, verum ipsa etiam Corpora vocantur Templa Spiritus Sancti; etenim per hanc divinæ naturæ participationem, imago Dei in homine instauratur.

2. Petri 1. Psalm. 81. Joann. 10. Ad Rom. 8. Ad Galat. 4.

Consilium Filii Dei mittentis ad nos Spiritum sanctum.

Caussa propter quam Spiritus Sanctus descendit in terras post Ascensionem JESU CHRISTI, fuit, ut illum reciperent animæ nostræ, & fierent Templum illius; quidquid enim Dei Filius operatus, vel passus est pro nobis in Mundo eo spectabat, ut effunderet, & accenderet ignem Spiritus Sancti in cordibus nostris; idque ille palam profitebatur; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Ceterum dicendum est, divinum hunc ignem hominibus fuisse maxime necessarium; quandoquidem expediebat, ut JESUS CHRISTUS abiret, ut ipse testatur: *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Expediebat ergo nobis, ut JESUS CHRISTUS resurgeret, & in Cælum ascenderet, ut inde in nos mitteret divinum hunc ignem, quod innuit S. Joannes his verbis: *Nondum enim erat Spiritus datus; quia JESUS nondum erat glorificatus.*

Lucæ 12. Joann. 16.

Joann. 7.

Cur Spiritus sanctus dicatur vivificans.

In Symbolo Spiritus Sanctus *vivificans* appellatur; nam sicuti spiritualis animæ vita pendet magis ab unione, quam cum Deo habet, quam corpus ipsum pendeat ab anima, ut vivat, atque nutriatur: cum Scriptura tribuat Spiritui Sancto unionem hanc animæ cum Deo, constat, Spiritum Sanctum, dare vitam hanc; & cum subditur, illum procedere a Patre, & Filio, docemur, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere tamquam ab uno principio ipsum producente; quæ veritas est, quam nos credere jubet Fides, & a qua ne transversum quidem unguem recedere licet, cum innitatur auctoritati Scripturarum, & Conciliorum contra Græcorum schismaticorum errorem.

Cur plura opera tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis communia Spiritui sancto referantur accepta.

Quamvis opera, quæ Sanctissima Trinitas operatur ab extra sint tribus Personis communia, plura tamen peculiariter tribuuntur Spiritui Sancto, ut intelligamus, illa effectus esse extremæ caritatis, quam pro nobis habet Deus; ideoque nobis cum profundis sensibus pietatis, & actionis gratiarum fatendum est, omnia, quæ accepimus a Deo bona, esse totidem dona, gratias, & beneficia Spiritus Sancti.

Quæ sint Spiritus sancti dona.

Præcipua Spiritus Sancti dona, & quæ illi potissimum conveniunt, ab Isaia Propheta memorantur; *Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, Spiritus timoris Domini*: omnes enim hæ qualitates dicuntur Spiritus Sancti dona, & nonnunquam illis ipsum Spiritus Sancti nomen tribuitur. Quamobrem S. Augustinus scite animadvertit, diligenter esse cavendum, ubi Scriptura loquitur de Spiritu Sancto, utrum loquatur de tertia Spiritus Sancti persona, an de donis illius; nam duo hæc tantum inter se differunt, quantum Creator a Creaturis.

Inter omnia Spiritus Sancti dona proculdubio præstantissimum, maximoque habendum in pretio est gratia, quæ nos justos facit, & *signat credentes Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Hæc enim gratia nos conjungit Deo, arctissimo vinculo Caritatis, quæ efficit, ut accensi desiderio sublimioris perfectionis vitam novam amplectamur, & quodammodo participes effecti naturæ divinæ appellemur Filii Dei, & vere simus.

Præstantissima donorum omnium Spiritus sancti gratia est, nos justificans.

Ad Ephes. 1.

Ex iis, quæ diximus, liquet, donum, quo Cælum nobis largitum est Spiritum Sanctum, cumulum esse ceterorum, quæ sine hoc inutilia permanerent, licet alioquin pretiosissima. Profecto omnia merita vitæ ac mortis JESU CHRISTI nunquam proderunt ea non accipienti; & ad illa recipienda ope Spiritus Sancti indigemus.

Si Spiritus Sanctus procedit, quod testatur Salvator per hæc verba: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, qui a Patre procedit;* Si inquam procedit a Patre, sequitur, illum Deum esse, uti Pater Deus est. Neque enim hic agitur de processione simili processioni Creaturarum; alioquin nihil peculiare continerent verba illa, *qui a Patre procedit*, per quæ Dei Filius nobis innuere voluit æternam processionem hujus Spiritus veritatis; & cum Salvator idem dicit, se missurum illum, ostendit se quoque originis ejusdem esse principium; etenim secundum veram divinarum missionum doctrinam, nullus mittitur, qui non procedat ab illo, a quo mittitur; quod si Spiritus Sancti divinitas manifestata fuit per simplicem promissionem adventus ejusdem nobis factam: quid erit de hujus promissionis executione. Num dubitari potest, Deum non esse, per quem *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis?* Dubitarine potest, Deum non esse, qui nos facit Filios Dei? *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Dubitare fas est Deum esse, qui per donum linguarum efficit, ut Dei magnalia nuncientur? *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Dubitare licet Deum non esse, qui orare nos docet? *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* Videlicet secundum Sanctorum Patrum interpretationem; qui efficit, ut oremus. Dubitandi locus est Deum non esse, cui nemo potuit mentiri, nisi Deo mentiretur? *Ananiæ cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Dubium esse potest sitne Deus, qui eadem est essentia cum Patre, qui Deus est, & cum Verbo, quod est Deus? *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Ambigere licet de illius divinitate, in cujus nomine simul, ac in nomine Patris, & Filii baptizatur: & in cujus nomine remittuntur peccata, quod unius Dei proprium est? *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ambigere fas est, utrum Deus ille sit, contra quem blasphemare, est blasphemare in Deum, quin hoc seclus remitti possit in Cælo, & in terra: *Qui in Spiritum Sanctum blasphemus erit, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Nonne Spiritus Sancti divinitas, ad evidentiam probata est per effectus missionis, ac tot Scripturarum Testimonia?

Probatur divinitas Spiritus sancti.

Ad Rom. 5. Ad Rom. 8.

Act. 2.

Ad Corinth. 6.

Act. 5.

1. Joann. 5.

Matth. ult.

Lucæ 12.

Caussæ descensus Spiritus sancti.

Prima caussa, quæ impulit Deum, ut ad nos mitteret suum Spiritum Sanctum, est bonitas ejus. Bonitatis enim proprium est se communicare, & infinitæ bonitatis est, se infinite communicare. Hoc jam fecerat Deus nobis dans Filium suum, & nobis hoc satis esse debebat; sed satis non erat Deo, qui postquam nos donis suis cumulasset, voluit etiam largiri nobis ipsum donorum suorum principium, videlicet Spiritum Sanctum. Profecto quamvis Deus sit infinite locuples, nobis nihil amplius dare potuit? A nobis nil petit aliud, quam modicum dispositionis ad ipsum recipiendum, videlicet, ut offeramus illi cor vacuum sui ipso, & creaturis, ab eodem replendum. Caussa altera est misericordia Dei miseriæ nostræ conjuncta. Quo majores sunt miseriæ nostræ, eo ampliorem tribuunt divinæ misericordiæ materiam. Spiritus Sanctus est Caritas, & eadem misericordia, ideoque Pater æternus ad nos illum mittit: Hic ille Spiritus Sanctus est, qui efficit, ut cognoscamus miserias nostras, & ut cupiamus ab illis liberari; qui facit, ut oremus gemitibus inenarrabilibus, quos ipse exaudit tradens seipsum nobis, ut consoletur nos in afflictionibus nostris, & nostris miseriis opituletur. Tertia caussa fuere preces, & merita JESU CHRISTI. Hic homo-Deus, tamquam Mediator nostri illum nobis obtinuit; illum tamquam redemptor nobis meritus est per passionem suam; & tamquam Deus, a quo Spiritus Sanctus procedit, illum misit ad nos. Quinam bonitatis excessus? Mundi Salvator, postquam seipsum nobis dedisti, dedisti nobis etiam Spiritum Sanctum tuum, qui vicibus tuis perfungeretur.

Finis propter quem Deus misit.

Primus finis propter quem nobis Deus dedit hunc Spiritum Sanctum, fuit, ut nobis testimonium perhiberet de Fi-

Fit ad nos Spiritum sanctum.

de Filio suo, ostendens perfecte hominibus ejus divinitatem, & magnitudinem perfectionum illius, & quantum ipsi debeamus propter bona, quæ nobis procuravit; necnon magnitudinem spei, quam in ipso collocamus propter ea bona, quæ nobis pollicetur. Hoc illud est testimonium de JESU CHRISTO, quod Spiritus Sanctus perhibet Spiritui nostro faciens, ut agnoscamus illum, & cordi nostro faciens, ut illum amemus, quod perfectam efficit sanctitatem. Finis alter, propter quem venit Spiritus Sanctus fuit, ut suggereret Apostolis, simulque efficeret, ut conciperent & gustarent veritates, quas JESUS CHRISTUS illos docuerat. Docuerat illos JESUS CHRISTUS sublimes Veritates; sed non intelligebant eas, scandalizabantur, & quamprimum earum obliviscebantur. Sed simul ac in illos dilapsus est Spiritus Sanctus, omnes immutati sunt. Illis in mentem revocavit omnes insignes illas veritates; perfecte intellexerunt eas, gustarunt, & exercuerunt eas; easque aliis persuaserunt. Finis tertius; qui in ipso etiam Evangelio memoratur, est ipsum venisse, ut Mundum redargueret, atque damnaret eo, quod in JESUM CHRISTUM non credidissent; pro Mundo intellige Iudæos, Gentiles, ipsosque Christianos, quibus mortua fides erat, vel qui fidem moribus pravis dedecorabant.

Spiritus sanctus est principium vitæ supernaturalis animæ.

Generalis est lex in natura, accidens esse non posse primum vitæ principium, sed tantum immanentem substantiam. Exempli gratia; principium vitæ in plantis est substantia vegetabilis; principium vitæ in animantibus, est substantia sensibus prædita; principium vitæ in hominibus est substantia rationalis. Opus est ergo, ut vitæ principium in Filiis Dei sit substantia superior naturæ universæ, quæ Deus est. Gratia quam effundit in animam nostram vere est sacrum vinculum, quod nos conjungit Spiritui suo; sed hic Spiritus Sanctus est nostra prima vita, & tamquam anima animæ nostræ, quæ illam deificat, & quæ illi vitam supernaturalem, & divinam impertit. Hinc fit, ut sicut Philosophi definientes hominem per partes essentiales, illum componentes dicunt, constare ex duabus substantiis, scilicet corpore materiali, & anima spirituali: ita Sancti Patres Christiani definitionem tradentes, qui vere sit Dei Filius, dicunt, esse *compositum constans corpore, anima, & Spiritu Sancto. Hæc verba sunt Sancti Cyrilli ostendentis, Spiritum* Sanctum quodammodo esse animæ id, quod anima corpori, cum hoc tamen discrimine, quod anima est caussa formalis vitæ corporis; & Spiritus Sanctus est caussa illa, quæ dicitur efficiens vitæ animæ: Anima adhæret corpori per unionem substantialem; Spiritus Sanctus conjunctus est cum anima per gratiam, quæ est qualitas supernaturalis, quam producit per præsentiam suam intime infundens se in animam, & in omnes facultates ejus; quod Sanctus Thomas post Sanctum Augustinum, & Sanctum Dionysium appellat divinam emanationem, quod proprium est dumtaxat substantiæ dominantis, & infinitam potestatem habentis. Hic autem modus, quo Spiritus Sanctus se animæ nostræ conjungit per gratiam, est Mysterium, quod superat rationem humanam; & non extrema ex rationibus illis, quas adfert Sanctus Athanasius divinitatis Spiritus Sancti est potestas, quam habet habitandi in anima nostra, eam efficiendi sibi Templum, illam jure incommunicabili possidendi, & vicissim tradendi se illi modo admirabili, qui dilectum Discipulum impulit, ut per epiphonema in hæc erumperet verba: *Videte qualem Caritatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.*

1. Joann. 3.

Quo in sensu intelligendum est Spiritum Sanctum venire in animam nostram.

Cum dicitur in Evangelio, Salvatorem missurum esse Spiritum Sanctum, nequaquam existimandum est, illum venire posse in aliquem locum, ubi non sit: Cum enim sit Deus, est ubique per præsentiam, per potentiam, per essentiam; sed dicitur descendisse in Apostolos, & venire etiam in animas nostras, cum ibi est, vel ibi novo quopiam modo operatur. Ita jam præsens erat Apostolis suis per immensitatem, per quam intimus est creaturis omnibus; sed non ideo verum non est, ipsum super illos descendere per gratiam: quoniam habitare vult in his sanctis personis per præsentiam prorsus peculiarem, per quam in aliis creaturis non est, & se tradit illis per novum hoc munus, quod ad illas tantum pertinet, per quod intime cum illis conjungeretur per novam missionem hanc, cum illis minime præsens fuisset per suam immensitatem, & efficeret, ut ibi permaneret, cum per impossibilem suppositionem abesse posset a rebus, quæ nonnisi per illum, & in illo subsistunt.

Quomodo hic Spiritus sanctus est Missus.

Præterea ad magnum hoc significandum Mysterium fide dumtaxat cognitum dicimus Divinum hunc Spiritum missum esse; nam quamvis par sit duabus primis Personis Trinitatis mittentibus illum, tamen constat ab utraque missionem accipere cum ab utraque procedat, Pater, æternusque Filius mittunt illum, quoniam Pater, æternusque Filius illum producunt. Verbum Incarnatum mittit illum, quoniam per vitam, & mortem suam meritus est, ut ille mitteretur ad homines, quemadmodum promiserat, se missurum esse, cum ascendisset in Cælum; & hic idem est Spiritus Sanctus, qui datur nobis a Patre, & Filio, & qui seipsum dat, quia & ipse Deus est æque ac Pater, & Filius: Cumque nunquam dederit se simplicibus creaturis, neque adeo plene, neque tanta cum luce, quanta se dedit Discipulis suis die Pentecostes, dies hæc celebratur, tamquam dies descensus sui, quamvis reipsa descendat quotidie invisibili ratione in animas peccatorum, quæ convertuntur, & in animas justorum, in quibus jam regnabat, cum excitat illas ad actiones præstantiores, quas operari non possent, si his non communibus favoribus carerent.

Quinam fuerit finis admirabilis hujus missionis.

Finis propter quem divinus hic Spiritus missus est, fuit, ut perficeret, & impleret, quod Dei Filius incœperat pro conversione, & salute Mundi, quod Dilectus hic Filius per vitam, & mortem suam meritus fuerat, hoc Spiritus Sanctus venit communicaturus hominibus, ut faceret Mundum prorsus novum, populum benedictionis, spirituales personas, Ecclesiam prorsus sanctam; verbo, ut singulis daret gratias, & dona necessaria, ad beatitudinem assequendam. Profecto per hunc Spiritus Sancti adventum terra tota instaurata est, & faciem mutavit, & homines mutatis moribus, consiliis, sententiis facti sunt homines sancti, quemadmodum Propheta prædixerat: *Emitte Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ.*

Comparatio unionis Spiritus Sancti cum anima justorum, cum unione Verbi, cum sancta humanitate Salvatoris.

Si Deus unquam ostendit suæ liberalitatis excessum, hoc duobus accidit temporibus; primum cum incarnatus est, mox cum misit Spiritum Sanctum. In priori dedit nobis Filium suum Ecclesiæ caput, in altero dedit nobis Spiritum Sanctum, qui est tamquam cor illius. Quæri posset utra ex duabus personis sit spectabilior; sed quæstio hæc solvi nequit, immo nequit habere locum, quia uterque thesaurus est infinitus, & pretii æqualis, quamobrem omnis, quæ fieri potest, comparatio non respicit excellentiam duarum Personarum divinarum in seipsis, sed tantum missionem earum, & proportionem, quæ invenitur inter unionem Verbi cum sancta sua Humanitate, & unionem Spiritus Sancti cum anima nostra: relationes sunt admirabiles, & a Theologis tres præsertim memorantur. *Prima est, quod Verbi cum sancta* JESU CHRISTI *Humanitate conjunctio se se attollit ad divinam essentiam per viam generationis, quæ efficit, ut beatissimæ Virginis Filius sit etiam Filius Dei, non per gratiam, sed per naturam, non per creati alicujus doni communicationem, sed per communicationem personæ increatæ, & infinitæ.* Similiter, sed cum proportione, conjunctio Spiritus Sancti cum anima nostra attollit justos ad divinam filiationem, videlicet illos facit filios Dei per adoptionem, quæ quædam est imitatio naturæ: quod locum præbuit Ecclesiæ Patribus dicendi, Spiritum Sanctum nativitatis spiritualis esse principium. *Altera relatio est;* unio Hypostatica *constituit animam* JESU CHRISTI in possessione omnium cælestium divitiarum; *est enim hæres ex asse Patris sui: Quem constituit Dominus hæredem universorum;* & in dilectissimo hoc Filio conclusit omnes thesauros sapientiæ suæ. Unio Spiritus Sancti per effectum quodammodo similem ditat animam omni genere donorum, ac opum spiritualium, & sicut olim Judith sibi cor Holofernis conciliavit, dux iste *jussit illam intrare, ubi repositi erant thesauri ejus;* simili pacto statim ac anima sibi captivavit cor Dei, repente locupletatur, & in communicationem omnium thesaurorum ejus ingreditur. Relatio tertia, unio *Verbi* attollit sanctam JESU CHRISTI humanitatem super solium, ac tribuit illi absolutum imperium in omnes creaturas; Divina hæc unctio illum consecrat tamquam summum Pontificem, & tamquam Regem, & confert illi dignitatem supremi quidem adoratoris divinitatis, mediatoris autem Mundi. Spiritus Sanctus cum animabus nostris se conjungens nobis similem confert nobilitatis, & celsitudinis characterem; nos Reges facit, & Sacerdotes in æternum; quamobrem Scriptura Sancta populum Christianum viventem secundum spiritum JESU CHRISTI *genus sanctum, & Regale Sacerdotium* appellat.

Ad Hebr. 1.

1. Petri 2.

1. Petri 2.

Docet Theologia Spiritum Sanctum esse amorem personalem, vel ut loquitur S. Bernardus, cor Patris, & Filii in adorabili Trinitate; unde hæc elicitur conclusio, ex corde non solum a Patre Filium, & vicissim a Filio Patrem amore necessario diligi; verum etiam creaturas amore libero, ita ut resiliant in nos scintillæ amoris hujus ardentis quo duæ divinæ istæ personæ sese mutuo diligunt, & Pater nos amet eodem amore, quo ab æterno amat Filium suum; amor Patris, qui nos respicit tamquam filios suos, tamquam hæredes, & adlectos in societatem Throni, & imperii JESU CHRISTI; quæ quidem incomparabilis est gratia; sed quod omnem superat admirationem, & nisi fides efficeret, ut omnis nobis auferretur dubitatio, non solum temerarium esset id præsumere, verum etiam impossibile id assequi mente: tandem enim Spiritus Sanctus, qui, ut dictum est, Dei cor est, cum quo amat creaturam, simul est cor creaturæ,

cum quo hæc amat Deum, & quemadmodum in Deo est cor Patris, est etiam cor Filii in creatura, sine quo Deum non possemus diligere. Hoc unum intercedit discrimen, quod Spiritus Sanctus, qui est cor istud divinum, est terminus amoris, quo nos complectitur Deus, & principium amoris, quo ipsi diligimus Deum. Deus nos amans producit Spiritum sanctum; sed nos amantes Deum non producimus hunc Spiritum Sanctum, sed hic amorem nostrum producit, quod conforme est doctrinæ S. Augustini palam dicentis, Spiritum Sanctum, qui in nobis est esse principium amoris, quo diligimus Deum.

Spiritus sanctus bifariam est in anima justorum.

Præsupponendum semper est Spiritum Sanctum dari omnibus justis duplici modo; primo quidem tamquam principio supernaturalis essentiæ, quæ dat animæ vitam, in quam effundit gratiam sanctificantem cum omnibus infusis virtutibus, omnibusque donis Spiritus Sancti; hoc enim necessarium est ad perfectionem, & vitæ spiritualis incrementum. Altero modo tamquam principium operationum supernaturalium, quas producit per motum gratiæ actualis, quæ excitat omnes hos divinos habitus, & traducit illos a potentia ad actum, videlicet, quæ efficit, ut agamus supernaturaliter.

Cur bonitas tribuatur Spiritui sancto.

Boni appellatio peculiariter Spiritui Sancto tribuitur, quia per voluntatem procedit, cujus nobilissimum attributum est bonitas; quemadmodum sapientia est attributum intellectus: Sicuti ergo Filio tribuimus Sapientiam, quia procedit per viam intellectus, tribuimus quoque bonitatem Spiritui Sancto, quia per viam voluntatis procedit; ad hæc cum constet voluntatis proprium esse communicare se, & amorem esse causam hujus communicationis, inde sequitur Spiritum Sanctum procedentem per amorem causam esse omnium communicationum divinitatis extra illam. Hæc ratio est propter quam seipsum communicat, quia amor est primum donum, quoniam est origo, & fons ceterorum, & non valens se ab intra communicare, hoc facit ab extra dans se hominibus, & se effundens in creaturas. Ceterum cum ille sit primum donum, nihil vehementius cupit, quam donare se, & semper se donat, modo ne respuatur: cum enim donatio sua libera sit, & voluntaria, talis est etiam acceptatio nostra, & neminem cogit, integrum cuilibet relinquens ipsum recipere, necne.

Quotuplex & quot modis resistamus Spiritui sancto.

Deprehendi in Scripturis quatuor possunt modi, quibus bonitati Spiritus Sancti resistimus. 1. Resistimus cum ille nos interiori prævenit gratia; & obstruimus oculos luminibus ejus, & repellimus afflatus ejus: hoc Sanctus Stephanus exprobrabat Judæis: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut & Patres vestri, ita & vos.* Mirum sane est cor ita durum inveniri, ut flatu hoc divino se flecti non sinat. Vere tunc illi resistitur, cum non assentimus optimis cogitationibus, sanctisque motibus, quos parit in nobis, & cum iis opposita facimus, ad quæ nos impellit. Quominus id contingere possit, & sæpe etiam contingat, dubitandum non est post definitionem Tridentinæ Synodi, quæ anathemate ferit hanc veritatem negantes, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum non posse dissentire, si velit; anathema sit.* Sed hæc vocatio, & motio, cui potest homo renuere consensum suum, non est aliud nisi gratia interior, quam idem Concilium vocat illuminationem, & inspirationem Sancti Spiritus, quam, ut illud docet, nos repellere possumus. 2. Resistimus Spiritui Sancto illum contristantes, ut Apostolus loquitur: *Nolite contristare Spiritum Dei.* Non ideo tamen illum contristari posse putes, quod cogitare esset blasphemia; sed idem fit ac si contristaretur, cum semel admissus, ejicitur, ut ita dicam per factum aliquod, quod illi displiceat; ita illum ingredi volentem non recipere, & receptum extrudere, est illum contristare, quia major est contumelia illum semel receptum ejicere, quam non admittere ingredi cupientem. 3. Resistimus eidem Spiritui Sancto, ei facientes injuriam, quod aliquid deterius est, quam illum contristare, quapropter minitatur Apostolus horribile supplicium illi, *qui Spiritus gratiæ contumeliam fecerit.* At honesto viro fit injuria, cum illi præfertur homo terræ filius, & nequam; veluti cum Judæi JESU CHRISTO Barrabam prætulerunt; quamobrem, qui postquam experti sunt quid intersit discriminis inter Spiritum bonum, & malum, inter vitam ascéticam, & voluptuosam, in pristina relabuntur flagitia, inferunt contumeliam Spiritui Sancto, perinde ac dicerent: *non hunc sed Barrabam.* 4. Cavendum est etiam diligentissime ne Spiritum Sanctum extinguamus, qui modus est longe contumeliosissimus resistendi prorsus extinguendo omnia ejus lumina, & vivendo, quasi Deus non esset, sine sensu pietatis, & religionis, unde omnimoda sequitur vivendi licentia ac talis morum corruptio, ut lumina nostra extincta esse videantur. Hoc Apostolus vocat Spiritum Sanctum extinguere; *Spiritum nolite extinguere;* & hic status est miserrimus omnium, in quem anima ruat.

Ego rogabo Patrem, Dei Filius inquit, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat æternum vobiscum. Ubi considerandum est, Filium Dei promittere donum Spiritus Sancti Apostolis suis duplici modo, quatenus Deus est, & quatenus Homo. Quatenus Deus pollicetur, se missurum illum, *Mittam eum ad vos.* Missio enim Spiritus Sancti innititur illius processioni; ideoque cum ille procedat a Patre, & Filio; missio ejus ab utroque proficiscitur. Sed quatenus homo dicit se rogaturum Patrem: *Ego rogabo Patrem:* ut se nostrum mediatorem ostendat; & nos ipsi debere tantam gratiam, qua nos essemus indigni, & quam nunquam obtinuissemus, nisi pro nobis intercessisset. Præterea Filio Dei satis non fuit petere pro nobis Spiritum Sanctum tempore vitæ suæ mortalis; sed postquam ascendit in Cælum recordatus est nostri, instaurans eamdem precem non solum in gratiam Apostolorum, verum etiam omnium Fidelium, qui credunt in ipsum. Quibus addendum est, licet JESUS CHRISTUS pro nobis poposcerit donum hoc incomparabile, velle tamen, ut ipsi ex nobis petamus illud testaturi, quo illud in pretio habeamus, & quantopere eodem indigeamus.

Donum Spiritus sancti fructus est precum JESU CHRISTI. Joann. 15. Joann. 14.

Cæremonia, quæ die hac celebratur, non est similis aliis anni festivitatibus, videlicet simplex commemoratio, sed ipsum Mysterium descensionis Spiritus Sancti, Mysterium semper subsistens, & quod usque in sæculorum finem subsistet in Ecclesia Dei, donec erunt fideles, qui illius possint esse participes, & qui illum in cordibus suis instaurare satagant. Nostrum autem dumtaxat est in hoc numero recenseri, quoniam verum est, immo de fide per sacramenta legis Gratiæ posse nos quotidie recipere Spiritum Sanctum, & in virtute promissionum Salvatoris eumdem Spiritum, qui visibiliter descendit in Discipulos Jerosolymæ congregatos, actu etiam descendere, & vere; non autem cum eodem fulgore, iisdemque prodigiis, sed cum iisdem effectibus conversionis, & sanctificationis, ubi invenit animas nostras bene dispositas, & easdem illi aperire conamur.

Hoc idem Mysterium, quod in Apostolis adimpletum est, adimpletur etiã in omnibus Fidelibus.

Sanctus Spiritus in adorabili Trinitate sterilis est, quia terminus est ejusdem Trinitatis, sed quantum Fides illum nobis sterilem repræsentat, tantum illum extra se fœcundum, agentem, efficacia, & virtute plenum ostendit in illis, quibus sua dona communicat; Nam secundum Scripturas Spiritus Sanctus in nobis est principium immediatum, & substantiale omnium operationum gratiæ. Per Spiritum Sanctum regeneramur in Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Per eumdem reconciliamur in pœnitentia: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Per illum oramus, vel potius *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Per illum Caritas diffusa est in cordibus nostris, & sicuti quatenus Spiritus Sanctus ipse est Caritas subsistens, per quam Pater, & Filius sese mutuo, æternoque amore diligunt; ita Patres inquiunt, ille in animabus nostris Caritas est radicalis, per quam diligimus Deum, & a qua omnia prodeunt sancta desideria, quæ propter Deum fovemus: *Caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Sed si unquam hæc proprietas Spiritus Dei palam nobis revelata fuit, hoc accidit etiam in hoc glorioso Mysterio descensus Spiritus Sancti, in quo videmus homines, intelligo Apostolos, antea ignavos, & pavidos, repente per virtutem divini hujus Spiritus, ferventi zelo succensos, quo pares fiunt omnia faciendo, & sustinendo pro nomine JESU CHRISTI.

Spiritus sanctus est sterilis in Trinitate, sed ab extra fœcundus in illis, quibus sua dona communicat.

Joann. 3. Joann. 20. Ad Rom. 8. Ad Rom. 5.

Spiritus-Sanctus, sanctus est in seipso, & per naturam, & propriam personam suam, quoniam procedit ex voluntate Patris, & Filii, & essentialis Dei sanctitas consistit in rectitudine voluntatis suæ; sed extra se, ut inquit Apostolus, est Spiritus sanctificationis, quia tota hominum sanctitas per appropriationem tribuitur activitati gratiarum suarum; sed quod operatur in omnibus sanctis, id operatus est descendens in Apostolos modo prorsus particulari. Verum est Apostolos sanctos fuisse ante descensum Spiritus Sancti, quia jam receperant gratiam justificantem, quid ultra igitur operatur in illos descendens? Illos iterum sanctificat per præsentiam magis peculiarem, magis extensam, magis operantem, & perfectiorem. Receperunt tantum gratiarum, quantum capere poterant, juxta hunc statum, & hoc divinæ providentiæ consilium, ut suo possent ministerio defungi, præterea in eo quod divini hujus Spiritus unctio sese effundit universe in omnes animæ ipsorum facultates, immo etiam in corpora ita, ut illorum animæ, & corpora in omnibus ministeriorum suorum functionibus non agerent nisi per impressiones, & potestatem Spiritus Sancti; hæc erat velut anima secunda & spiritus secundus qui sese effundebat in omnes facultates eorum, ut rebus in omnibus sancte operarentur.

Divinus hic Spiritus, qua sanctus est, est etiam sanctificans & producit in nobis sanctitatem.

Inter Doctores non constat in quo consistat blasphemia contra Spiritum Sanctum, quæ illi adeo est contumeliosa, ut neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittatur. S. Augustinus cujus sententia ab omnibus fere

Quid sit peccatum, & blasphemia contra Spiritum sanctum.

fere Theologis probatur, tenet, hanc esse salutis nostræ desperationem, & finalem impœnitentiam, tamquam peccatorum extremum, & ceterorum criminum pœnam; pœna est, quia procedit a Dei recessu, peccatum est, vel peccati circumstantia, quia efficit, ut alia scelera nequeant remitti. Sed quomodonam ad hoc scelus pervenimus, nisi per repulsam, quam ipsi facimus gratiæ Dei, sive Deus pœnas sumpturus contemptus nostri nos deserat, seu nos per cæcitatem, & desperationis impetum, amittimus inanem in ipsius bonitate confidentiam?

Dei Spiritum sanctum dantis consilia. Actor. 2.

Patres animadvertunt Dei consilia in Spiritus Sancti descensu innotuisse per circumstantias facti hujus. Ingens factus est sonitus quasi venti vehementis. Quia mittens Apostolos ad bellum indicendum inimicis Dei, hoc strepitu innuere voluit quam violentum futurum esset hoc bellum. Venit autem in venti formam, vel aeris concitati, ut nobis significaret, sicut aer, quem reciprocamus, dat vitam corporibus nostris, ita flatum divini Spiritus vitam dare nostris animabus. Apparuit ille sub forma linguarum; lingua enim nobis data est, ut extrinsecus valeamus secretissimas animæ nostræ cogitationes exprimere; & Spiritum Sanctum nobis dari a Deo, ut nobis aperiat ineffabilia divinitatis secreta, efficiatque ut a nobis credantur. Præterea linguæ proprium est secernere sapores, & gustum rerum; & verus character Spiritus Sancti est dare nobis gustum rerum sanctarum, atque æternarum, & efficere, ut secernamus prærogativam, quam habent præ terrestribus, & perituris. Linguæ, sub quarum forma Spiritus Sanctus apparuit, igneæ erant; ignis enim proprium est illuminare, & accendere: sed Spiritus Sanctus in Apostolis venit duplicem hunc pariturus effectum: sed quo luminum genere illos illustrat? fulgentibus luminibus, quæ nobis colenda sunt, & luminibus salutaribus, quæ a nobis optanda sunt, & petenda.

Cur prodigia, quæ visa sunt in descensu Spiritus sancti, modo non videantur.

Quæritur, cur lumina, & prodigia, quæ concomitata sunt descensum Spiritus Sancti, & effectus, qui illum subsecuti sunt, hodie non amplius videantur? Et respondent, illa non esse amplius necessaria, ut olim erant, cum enim ordinata fuerint ad Ecclesiæ institutionem, ex quo hæc constituta fuit, apud nos tenent locum miraculorum, quæ ad illam instituendam plurimum contulerunt. Ceterum occasio erat præstanda meritis fidei nostræ, *postquam data fuerant illi argumenta, ab omni suspicione vacua apud mentes rationabiles*. Cum hæc eadem fides prædicanda erit gentibus, & populis, qui nihil de illa audierint, & qui non potuerint aliter erudiri de veritatibus, quæ nobis erunt credendæ; tunc fulgentia hæc Spiritus Sancti lumina, quæ miraculose Apostolis illuxerunt, non deerunt illis, qui eorum fungentur ministerio, & alia prodigia, quæ prædicationem Evangelii comprobarunt, non deerunt illis, qui tenent locum eorum. Ita communicata fuerunt S. Francisco Xaverio in Indiis, ut integrum Idololatrarum Mundum converteret, aliisque Apostolicis viris, quemadmodum olim concessa fuerunt Prophetis, cum illis indigue-runt, ut in Religionis honorem cederent. Sed præter hujusmodi occasiones sufficere nobis debent certissima, quæ nobis suppetunt argumenta credendi veritates nostræ Religionis; & imploremus gratias Spiritus Sancti, ut illis vitam nostram conformemus.

Tres personæ adorabilis Trinitatis aliquid contulerunt ad opus nostræ salutis.

Constat, idque nobis esse magno esse debet solatio, tres divinas personas voluisse partiri inter se opus salutis nostræ. Amor Patris illum impulit, ut nobis traderet Filium suum; Amor Filii, ut semet pro nobis morti etiam traderet; sed hæc omnia nobis fuissent inutilia, si Spiritus Sanctus, qui per proprietatem personæ suæ est amor ipse, non applicuisset illa nobis efficiens, ut cognosceremus illum per fidem, & ut per amorem illi responderemus. Bonitas Patris, qui prospicere voluit redemptioni nostræ, fuit ex parte Dei, velut primus actus, qui salutem nostram operatus est: Passio, & mors Filii, qui illam nobis promeruit, fuit velut actus secundus; dona, & gratiæ Spiritus Sancti, quæ illam nobis applicuerunt, fuerunt veluti tertius. Pater adoptavit nos, atque extulit ad eminentem filiorum suorum dignitatem. Filius Dei nos incorporavit illi, & nos elevavit ad gloriosam qualitatem membrorum suorum; Spiritus Sanctus nos sanctificavit, & consecravit, & animas, atque corpora nostra constituit tamquam Templa suæ divinitatis, & hæc omnia facta sunt in nobis, cum Baptismum recepimus.

Discrimen inter missionem Filii Dei & illam Spiritus sancti.

Animadvertendum est magnum discrimen inter missionem Filii Dei, qui voluit Mundum redimere, & illam Spiritus Sancti, qui ad illum sanctificandum descendit: Quemadmodum redemptionis opus adimplendum erat per passiones Filii Dei, missio illius in hunc Mundum esse debebat, quomodo fuit, in infirmitate, humilitate, & humiliationibus. Venire debebat abconditus, ignotus; si enim cognitus fuisset, nequaquam fuisset crucifixus. Hoc dici non potest de missione Spiritus Sancti. Opus sanctificationis, & conversionis Mundi; quod est objectum missionis hujus, opus est meræ potentiæ Dei, & gratiæ suæ: nulla ibi adest infirmitatis commixtio; ideoque missio ejus de Cælo plena est gloriæ; inde visibiliter descendit in terram; descensus illius conjunctus fuit cum pompa, & luce, eumque gloriosa miraculorum excepit multitudo.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti loci ex Ascetici, & recentioribus Concionatoribus hujus argumenti.

Sanctus Spiritus antonomastice donum est.

QUodnam est donum hoc, quod adeo jactitat Apostolus: *Dona dedit hominibus*, & quod Salvator antequam in Cælum ascenderet, promiserat, se missurum Discipulis suis? Spiritus Sanctus est, qui peculiariter donum vocatur in virtutem originis suæ; quia donum effectus est productionis voluntatis amantis. Sed Spiritus Sanctus terminus est amoris Patris, & Filii, quod uni convenit illi; donum dicitur per excellentiam, quia omnia complectitur dona, & amor primum est omnium donorum, quia dona cetera non sunt nisi effectus primi hujus; ideoque illi accepta referuntur omnia Cæli dona, donum timoris, & sapientiæ, & alia, quæ absolute adeo tribuuntur Spiritui Sancto, ut indiscriminatim dicatur donum, vel Spiritus sapientiæ. Denique donum vocatur per excellentiam; quia Deus nil majus donare potest, quia dans Spiritum Sanctum suum, dat semetipsum. *Auctor recens.*

Donum, quod nobis Deus facit Spiritus sancti, fructus est meritorum passionum Salvatoris.

Spiritus Sanctus *hodie* descendit coronaturus merita JESU CHRISTI crucifixi; tamquam pulcherrimum fructum Crucis illius, & dignissimam passionum ejus remunerationem; sed ut verum dicam, Deus unus esse potest digna Dei remuneratio. Quapropter divinus hic Salvator apparens post Resurrectionem suam, eisque sua vulnera ostendens, tamquam fornacem, unde emanabat vivens hæc amoris flamma, dixit illis: *Accipite Spiritum Sanctum*. Nequaquam dixit illis, uti Sanctus Cyrillus animadvertit: recipite gratiam Spiritus Sancti, sed accipite ipsum in *persona Spiritum* Sanctum. Dedit illis, quod *precibus & lacrymis suis postulavit; dedit illis, quod pro illis meritus est passione, & morte sua, nec non laboribus vitæ suæ*: quid autem meritum infinitum exæquare potest, & quæ hæc merces est infinita? Missio Spiritus Sancti fructus est mortis Dei, & finis, qui admirabilem vitam ejus coronat. *P. Nouet in Meditationibus, in diem festum Pentecostes tertia parte Hominis Orationis.*

Ad Deum, ut decet amandi, opus est corde Dei, qui est Spiritus sanctus.

Venit Spiritus Sanctus ad ferendam legem amoris in corda nostra, & futurus vinculum admirabilis hujus unionis, quam habemus cum JESU CHRITO, cujus amorem nobis inspirat: *Copula unionis nostræ cum CHRISTO*. Hoc nomine illum Sanctus Chrysostomus vocat; sed ad Deum amandum, Sanctus Fulgentius inquit, non sufficit cor hominis, oportet habere cor Dei: *Ut autem Deus diligi possit, ipse se tribuit, quia Deus est caritas*: Opus est, ut Deus tribuat seipsum, *quia Deus est caritas*, & sine caritate ipsum amare non possumus; igitur nisi recipimus Deum, illum amare non possumus. Sanctus Fulgentius eximius ille Sancti Augustini Discipulus a Magistro didicerat sententiam adeo præclaram, atque divinam, dum ita loquitur: *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; ideo est consequens, ut quia Spiritus Sanctus Deus est, ne diligere possimus Deum, nisi per Spiritum Sanctum amemus Deum de Deo. Idem.*

S. Fulgentius, Lib. 2. de Prædestinatione.

Dei Filius nobis mittit Spiritum sanctum in locum suum, cum illius absentiæ nihil supplere queat, nisi Spiritus sanctus, qui est ille Deus est.

Semper meminisse debemus, Deum se dare nobis hac die, & ab eo nos constitui in possessione non solum omnium cælestium bonorum, verum etiam sui ipsius per emanationem, intimamque præsentiam personæ suæ, quæ ineffabili modo se nobis conjungit futura noster thesaurus, portio nostra, nostrum supremum bonum, & omnia. Ita esse oportebat, ut sua adimpleret consilia, & amori suo satisfaceret: cum enim venerit Spiritus Sanctus, ut teneat locum Filii Dei, & illi succedat in regimine animarum, atque ut consoletur fideles in hac amantissima permutatione; nisi ille semetipse in ejus locum substituisset, quidquid dare posset, infirma fuisset illorum consolatio, & mutatio nimis damnosa. Mihi Deum aufers Cælo daturus illum, terra diceret, & jubes me jacturam meam consolari? Ut hanc repares, da mihi Deum; nihil enim video, quod valeat sarcire absentiam Dei, nisi Dei præsentiam. Hoc facit Mundi Salvator, & sicut dicit Sanctus Augustinus, simulac *Hominem portavit ad Cælum, Deum misit ad terras*. Et propter istud commercium Spiritus Sanctus non solum se tribuit animabus per operationes gratiæ suæ, verum etiam per præsentiam suæ Majestatis replens vas cordium ipsorum, non odore tantum, sed etiam substantia sacri hujus opobalsami, ut Apostoli non dubitarent quominus Deus esset, qui visitabat illos, quandoquidem illis promissus fuerat in locum Dei. *Idem.*

Serm. 185. de temp.

Dignitas & pulcritudo animæ possidentis Spiritum sanctum per gratiam.

Certum est nihil turpius, & abjectius esse peccatore, qui mortali noxa Deum suum amisit, sed verum quoque est, ipsum ubi primum cum illo in gratiam reversus est, emergere statim ex hac abysso, & per admirabilem mutationem ex miserrima creaturarum omnium fieri statim felicissimam, atque præstantissimam. Statim ac divinus amor est in anima peccatrice, per mutationem, quam Spiritus Sanctus operatur, vivida flamma caritatis, quæ in illa est, adeo in sublime se attollit, ut nulla sit magnitudo neque in Mundo visibili, neque in invisibili, quæ sit cum illa comparanda. Status illius adeo nobilis est, ac sublimis, ubi gratia induta est, ut nihil videat super se nisi solum Deum: *Gratia Dei non solum omnia sydera, & omnes Cælos, sed etiam omnes Angelos supergreditur*, S. Augustinus ait. Si vis habere locum, quem Dei gratia tenet inter opera ejus, ne immoreris in terræ dignitatibus. Hæ nonnisi pulvis sunt: contemne Regum, & Cæsarum dignitatem; hæc nonnisi vanitas est; prætergredere Cælos omnes; ascende super præstantissimos intellectus, super Seraphim, quorum minimum præstat universo Mundo; illa miseræ essent creaturæ, si gratia hujusmodi privarentur. Hominis conversi vita adeo pretiosa est, & quod ab illius manibus prodit tanti meriti est, ut quidquid, licet modicum agat, Deus non satis digne valeat remunerari, nisi semetipsum illi tradat. Homo justus; exempli gratia, dat caritatis titulo pauperibus aquæ calicem. Quanti valet hæc actio? Regnum? Nimis parum est; Mundum? decies centena mundorum millia? Nondum satis: minimum gratiæ bonum præstat omnibus naturæ bonis. Magne Deus immensos habes thesauros, & infinitas divitias! Sed quamvis omnia dares, quæ sunt extra te, non tamen dares, quod meretur; non posses pro bono opere dare quantum valet, nisi temet illi dederis in præmium. Bonitas animæ, quæ est in gratia, adeo validas habet illecebras, ut Deo, cum integrum est illam producere nec ne, minime integrum sit illam non amare, posito quod produxerit illam; & quamvis tanto odio persequatur reprobos, & dæmones, illos tamen non amare non posset, si gratia essent amicti. Unicus pulcritudinis *illius radius delere posset usquequaque horribilem turpitudinem, quæ illos execrabiles efficit, & convertere in gloriæ lumen omnes tenebras inferorum. Denique opes, & divitiæ, quas possidet satis æstimari* non possunt. Nam sicuti esse naturale præter propriam excellentiam, est etiam fons bonorum omnium, quæ intra naturæ terminos continentur; similiter esse spirituale gratiæ, fons est omnium bonorum, quæ veniunt cum illa, & nonnisi per illam subsistunt. *Idem.*

Lib. 2. ad Bonifacium c. 6.

Minimum bonum gratiæ est major omni bono naturæ totius universi. D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9.

Mirabilia, quæ contigerunt die Pentecostes, instaurabatur singulis diebus in iis, qui in Ecclesiæ principio convertebantur.

Ne putetis miracula, quæ concomitata sunt descensum Spiritus Sancti, semel tantum accidisse, vel accidisse solum in primis Discipulis JESU CHRISTI: Etenim Sanctus Lucas conceptis verbis profitetur, miracula, de quibus sermo est, instaurata fuisse *singulis diebus orientis Ecclesiæ*: Spiritum Sanctum descendisse *super Fideles* modo cum baptismate abluebantur, modo cum manus *illis imponebantur*, modo cum illis nunciabantur verba salutis, & *per hoc augebatur credentium in Domino multitudo*. Quod tunc fiebat cum nitentibus signis, quæ a Sancto Luca referuntur; hoc (tanta sit licet sæculi nequitia) hodierna die accidit in anima, quamvis modo magis simplici; hoc nos ipsi non semel vidimus, & hoc admirati sumus, cum homines protervi, & in sua licentia pertinaces, mundani, impii, increduli, qui nobiscum vivebant, hoc Veritatis spiritu afflati impietati suæ abrenunciarunt, sese jugo Religionis submiserunt. Incœperunt cognoscere Deum, eumque glorificare; ita enim Mundus factus est Christianus; ita a tenebris infidelitatis se convertit ad purum fidei lumen; ita Dei Spiritus, juxta Dei ipsius promissionem, replevit orbem terrarum. *P. Bourdalove, sermone pro die festo Pentecostes.*

Admirabilis Apostolorum mutatio post Spiritus Sancti descensum.

Nonne admirabile prodigium fuit videre Apostolos eo momento, quo receperunt Spiritum Sanctum ita plenos Mysteriorum Dei, & in scientia Regni cælestis ita versatos, quantum hactenus rudes fuerant, & erroribus pleni? Nonne mutatio fuit dexteræ excelsi videre illos Jerosolymæ prædicantes eas veritates, quas fuerant professi, se non solum non crediturос, verum etiam quibus adversabantur, antequam JESUM CHRISTUM sequerentur? O adorabile, & impenetrabile Mysterium! Jam nostis. JESUS CHRISTUS quantumvis Deus esset, videtur satis non fuisse, ut doceret illos doctrinam illam cælestem, ad quam explicandam in terram venerat, quamcumque susceperit curam illos erudiendi ad triennium de iis, quæ ad divinam illius personam spectabant. Illos ejus avertebat humilitas; illis crux ejus scandalum erat; promissiones ejus non intellexerant, & quin ab illo veram exspectarent redemptionem, chymericam sibi proponebant; hæc omnia totidem erant ænigmata ex quibus nihil percipiebant: *Erat verbum absconditum ab eis.* Quare? Quia nondum receperant Spiritum Sanctum, & omnes veritates tales erant, quales unicus Dei Spiritus docere potest; sed eo ipso temporis puncto, quo illi datus fuit Spiritus Sanctus, veritates illæ, quæ antea visæ fuerant adeo incredibiles, illis evolutæ sunt, ut secretum earum assecuti omnia eorum principia detexerint, & omnia quæ inde consequebantur plene cognoverint. *Idem.*

Lucæ 12.

Mundi spiritus hodierna die ubique regnat, & in omnibus negotiis dominatur.

Ecce auditores carissimi, nostri hujus sæculi malum nunquam satis deplorandum! Universus orbis hodie Mundi spiritu repletus est; & dicere possumus Mundi spiritum esse spiritum dominantem, qui universa moderatur. Profecto Mundi spiritus consulitur in negotiis; Mundi spiritus regnat in conversationibus; Mundi spiritus nectit amicitias, & sodalitates; Mundi spiritus regit usus, & consuetudines. Secundum Mundi spiritum feruntur judicia; secundum Mundi spiritum loquimur, agimus, omnia ad Mundi spiritum componuntur: dicamne? vellemus etiam servire Deo secundum Mundi spiritum, & religionem nostram ad Mundi spiritum componere; & quia hic Mundi spiritus, spiritus est mendacii, erroris, calumniæ, hypocrisis, necessario sequitur, & ipsa etiam probat experientia, in Mundo nihil esse nisi falsum, & in speciem; Falsæ voluptates, falsi honores, falsa gaudia, falsæ prosperitates, falsæ laudes, falsæ virtutes, falsa prudentia, falsa probitas, falsa justitia. Hinc fit, ut homines mundani hoc spiritu repleti, non aliud videantur habere studium nisi aliis fucum faciendi, ac semetipsos fallendi; celandi, quod sunt, & quod minime sunt, simulandi. Hinc fit, ut ex Apostoli sententia Mundus sit scena, ubi omnia accidunt in figura; ubi nihil solidum est, nihil reale; ubi floret adulatio, ubi sinceritas in odio est; ubi cupiditas dolo, ac versutia suffulta loquitur audacter, ubi simplex, & modesta veritas captiva est, & in silentio. Spiritus perniciosus, qui prout Mundo paritur, eclypsim inducit vivis luminibus non Christianismi, & Religionis tantum, verum etiam rectæ rationis. *Idem.*

Apostoli, quæ ante Spiritus Sancti adventū, erant imperfecti, postea fuerunt prorsus spirituales.

Antequam descenderet Spiritus Sanctus, Apostoli quamvis in Filii Dei schola eruditi, tamen adhuc erant imperfectissimi, quemadmodum liquet ex Evangelio. Erant adhuc ambitiosi, cupidi, invidentes, glisscebant adhuc inter illos dissensiones, labebantur in infirmitates, a quibus gratia nondum prorsus illos præservaverat. Sed simulac receperunt Spiritum Sanctum, facti sunt homines ascetici, a Mundo alieni, omnium contemptores cupiditatum, homines non sancti solum, sed consummatæ sanctitatis; homines pleni Deo, vacui semetipsis; verbo homines perfecti, & irreprehensibiles. Non sunt amplius, S. Chrysostomus inquit, aurum illud terrenum, infectum, & informe, quale terra producit; sed aurum mundatum, & probatum igni. Sed ignis, quo probati sunt, S. Paulus addit, est ipse Deus noster, est Spiritus Sanctus, qui large, effuseque dona, & gratias suas effundit, quæ per amoris ignem absumunt, quidquid est impuri, ac terreni in Electis suis. *Idem.*

Magna opera, quæ Spiritus Sanctus exequitur per Apostolos. Exod. 8.

Spiritus Sanctus per maximum, quod unquam visum fuerit, miraculum, facit, ut Apostoli aggrediantur, & exequantur opera ita super humanas vires posita, ut exclamare teneamur: *Digitus Dei est hic.* Miseri piscatores, homines illiterati, filii terræ, & qui tamquam Mundi rejectanea habebantur; sed qui hoc afflati spiritu sibi proponunt Mundum universum convertere, & reformare. Quid habent, unde possint ad hunc sibi propositum finem pervenire? Quos possident thesauros? Quo consilio operantur? quibus armis utuntur? Non aliis nisi vi Spiritus tui, o Deus! qua ubique triumphant. Non evidentia Mysteriorum, quæ annunciant (sunt enim incomprehensibilia) non lenitas, & laxitas ethices, quam prædicant (quoniam omnibus adversatur sensibus) non artes, & illicia affectatæ eloquentiæ; quandoquidem non aliud eorum studium fuit (nisi professionis suæ). Tamen omnia illis subjiciuntur, vel potius legi, quam annunciant. Docti, & indocti, populi cultissimi, & barbaræ nationes, Principes, & subditi, divites, & pauperes. Nova hæc lex, eorum ministerio traducit maria, inaccessos penetrat locos, statuitur in Provinciis, in regnis, in imperiis, & nunquam insignes illi terrarum domitores, quos profana adeo jactitavit historia, quorum heroica facta exaltavit, & quorum nomina æternitati commendare voluit elogiis magnificis, cum tota ipsorum potentia, omnibusque apparatibus suis, cum florentissimis copiis, non dicam longius, sed nec æque longe potuerunt suos proferre triumphos. Neque putetis Apostolis plurimas defuisse persecutiones, & contradictiones superandas; sed per extremum effectum fortitudinis Spiritus Sancti per omnia probati mortem & supplicia contempserunt. *Idem.*

Quinam erant Apostoli ante descensum Spiritus sancti, & quinam postea facti sint.

Quis dicere potest quales erant Apostoli ante Spiritus Sancti descensum? Plura ne dari possunt signa infirmitatis, quam quæ illi ediderunt? Modo inter illos oborta lis est de primatu; modo videntes se in æstuoso pelago coram divino Magistro suo trepidant,

cumque

eumque dormientem excitant, quasi dormiens illos salvare non posset. Ibi Princeps ex illis, postquam nimis sibi præfidens promiserat, a se illum nunquam esse negatum iri, ad ancillæ ostiariæ vocem negavit: Thomas ille qui paratus erat, ut Jerosolymam se conferret moriturus cum JESU, non potuit credere eum vivere, cum jam apertissimis verbis prædixisset se die tertia resurrecturum. Dum Salvator adhuc viveret, modo credebant in illum, modo vero non credebant; & illum in morte ejus deseruerunt, ac miseri fugam corripuerunt, ita omnibus humanis cupiditatibus obnoxii pro temporum varietate præsetulerunt præsumptionem, vel metum, vanitatem, vel infirmitatem, temeritatem, vel ignaviam, diffidentiam, & incredulitatem. Sed ubi receperunt Spiritum Sanctum, homines isti carnales facti sunt prorsus cælestes, & alii ab eo, quod erant. Tunc visi sunt sincera humilitate fateri, se nihil habere per se, se nihil esse, nihil posse, nisi per Domini gratiam; sed cum illius ope omnia posse, nihilque sibi esse timendum; citra temeritatem, ac metum; sapientia, & firmitas eluxerunt in omnibus actionibus eorum, & quod semel visi sunt, hoc omnibus vitæ suæ diebus apparuerunt. Illi, Sanctus Chrysostomus inquit, qui antequam Spiritum Sanctum reciperent, trepidabant, & metuebant, postmodum conjecerunt sese inter pericula, inaudita cum intrepiditate objecerunt se periculis mortis, & omnibus vitæ miseriis; & rudes illi, quibus nulla erat litteratura, audacter disputabant, & in admirationem rapiebant illos a quibus audiebantur: hujusmodi effectus producebat Spiritus Sanctus. *Abbas de Monmorel, Sermone in Evangelium Dominicæ Pentecostes.*

Miracula quæ concomitata, & consecuta sunt descensum Spiritus sancti.

Evangelista, qui adeo diligenter describit descensum Spiritus Sancti in Apostolos, ait eos, qui ejusdem spectatores fuerunt, obstupuisse. *Stupebant omnes, & mirabantur.* Et æquissima erat hæc admiratio: quia totum hoc Mysterium constat miraculis, sive consideremus illud in illius circumstantiis, sive in consequentibus, & effectibus ejus. Nonne prodigium est in summa aeris serenitate videre procellam repente oboriri, & cœnaculi parietes sine ullo periculo concuti, ubi Apostoli erant congregati? Mox visum fuit tamquam ignis innocui diluvium, quod sanctum cœtum illum replevit, ac divisum in plures linguas super Apostolorum, ac Discipulorum capita requievit? Quod miraculum deinceps fuit videre piscatores rudes, timidos, & excordes palam prædicantes in populo, & differentes de rebus profunda doctrina refertis; explanantes obscurissimos Scripturarum textus, & in ipso primo sermone tria mortalium millia convertentes? Quod miraculum, audire linguas, ex quibus prodeunt vocabula Parthica, Medica, Arabica, Persica, Romana, aliarumque plurimarum nationum, quæ admiratione perculsæ, ultro citroque sibi dicunt: O Deus, quid hoc rei est! nos ipsi audivimus homines hos Galilæos lingua nostra loquentes! Si consideramus admirabiles effectus descensus visibilis Spiritus Sancti in Apostolos, quodnam stuporis objectum est videre per virtutem Spiritus Sancti omnes falsos antiquitatis Deos insepultos ruinis Templorum suorum, dirutas eorum aras, sacra sublata, Philosophos confusos, Tyrannos victos, Dei crucifixi Fidem in orbe universo constitutam! Sed ut admirabiles hasce circumstantias, & omnes hujus Mysterii effectus relinquamus, immoremur in reipsa, & ejus natura, quæ consistit in justificatione hominis, & spiritali regeneratione, quatenus filii Dei. Quod prodigium, quod homo ex limo compositus animetur spiritu Dei, & ex dæmonum mancipio fiat Dei Filius; quisnam hoc miraculum comprehendere poterit? *P. Texier in Mysteriis sermone pro die Pentecostes.*

Quid operata sint in Apostolis lumina Spiritus sancti.

Nihil apertius effectu luminum Spiritus Sancti. Homines antea rudes, ac terreni repente, & sine ulla ingenii dispositione ad sublimes scientias attolluntur. Petrus Spiritu Sancto repletus, uno tantum sermone exponit æternorum consiliorum œconomiam, scripturæ difficultates, Prophetarum oracula; ipse, & alii Apostoli norunt linguis omnibus loqui; cordium secreta penetrare; operari maxima quæque prodigia; nec patiuntur quemquam resistere veritatibus Religionis, quas annuntiant. Talia sunt Spiritus Sancti lumina, quæ satis venerari non possumus, quia cum sint miraculosa dona Spiritus Sancti, sunt inconcussa nostræ Religionis fundamenta. Profecto hæc fidei nostræ argumenta adeo sunt valida, ut Mundus universus, quamvis gravissima obstarent præjudicia, & acerrimæ repugnantiæ, tandem debuerit Christianam Religionem amplecti. *Liber cui titulus: Verus Spiritus, Sanctiusque usus sollemnium anni festivitatum.*

Spiritus sanctus venit ad homines sanctificandos.

Videtur Deus descendere faciens Spiritum Sanctum suum non minus sanctificare voluisse animam omnium fidelium singillatim, quam novum afflare decus Religioni, per quam generatim erant sanctificandi. Hac de re nobis non licet ambigere; sed nos, cur non respondemus illecebris Spiritus Sancti, quærentis hodierna die sese communicare, & dissipare inanes umbras, quibus seducimur? inter tenebras, quas nobis offundit ignis, & fumus cupiditatum nostrarum, quoties fecit, ut earum indignitatem, atque tyrannidem intelligeremus? inter impressiones blandas, quas in nobis pepererunt vitæ præsentis objecta, quoties effecit, ut eorum agnosceremus vanitatem, incertitudinem, brevitatem, tristem tumuli scopulum, in quem omnia alliduntur, bonorum, malorumque æternitatem, quæ in eorum remuneratione, vel pœna futura est? Væ illis, qui claudunt oculos hisce luminibus salutaribus Spiritus Sancti; quia nostrum singuli tenemur inquirere, attrahere, & in lucro ponere in reliquo Christianæ vitæ decursu, cujus sunt velut anima.

Fideles sanctificat illis animum immittens.

Spiritus Sanctus non solum Fideles sanctificat salutaribus consiliis, verum etiam constantia, quam illis immittit, & quæ illis est necessaria ad componendam vitæ suæ rationem secundum hæc consilia, & lumina salutaria; quod nobis indigitatur per symbolum ignis, sub quo Spiritus Sanctus descendit in terram. Ignis hic non est lumen simplex, sed lumen plenum actuositate, & ardore, qui transit in animas Apostolorum, ac se ostendit in eo, quod faciunt, seu pro propria sanctificatione, seu pro aliena; paullo ante ignavi, & infirmi usque ad negandum Magistrum suum ad vocem ancillæ; mox intrepidi usque ad exprobrandum inimicis suis, quod Deum, & Salvatorem suum interfecissent. Alacriter offerunt se subeundis pro caussa hac gravissimis contumeliis, & sævissimis cruciatibus, par ardor in omnibus elucet Discipulis, qui Spiritum Sanctum receperunt: indigitandum illis est, quid sibi sit faciendum, & gravissimi licet adversentur obices, sese ad omnia adimplenda præsto sunt. Quærunt, quid nobis faciendum est? & statim, quidquid illis proponitur, exequuntur. Talis est dispositio Fidelis, qui flammis Spiritus Sancti succenditur. Nunquam a se fieri satis putat; nihilque illi arduum, ne dicam impossibile videtur; nos autem semper a nobis satis, superque factum existimamus, &c. *Idem.*

Spiritus sanctus non Apostolos solum, sed universum orbem sanctificat.

Satis non est Apostolis sanctificari, *nisi universum orbem sanctificent communicaturi omnibus hominibus ardores Spiritus Sancti, quo repleti sunt, quo magis norunt pretium illius, eo magis volunt illud extollere; & zelus eorum agit eos usque ad extremas terrarum plagas, ut ubique lucrentur adoratores Deo,* qui nunquam satis potest adorari. Profecto vera pietas non est, quæ alienam impietatem nullo habet in discrimine; & salvari non vult, cui negotium non facessit aliorum damnatio. Ubi semel intelleximus quantopere Deum amare, eique servire debeamus; satis esse non potest cor nostrum, ut Deo debitum cultum adhibeamus, quærimus omnia omnium corda, ut illa nostro adjiciamus, eaque simul consecremus supremo Domino, cui facta sunt. Si ergo Spiritum Sanctum recepimus, potissima cura nostra esse debet ad pietatem, & religionem excitare omnes, cum quibus nobis aliqua est relatio, eosque nostris sermonibus excitemus, exemplis cogamus, & nostro patrocinio foveamus. Ubicumque Spiritus Dei invenitur, dat virtuti secretum sese communicandi, & quemlibet fidelem convertit in Apostolum, repletum luminibus, & ardoribus gratiæ, prout indigemus, & indigent ea, quæ Deus de nobis habet consilia. *Idem.*

Fortasse adhuc restitimus spiritui sancto quod olim exprobrabatur Judæis.

Nunquid semper resistetis Spiritui Sancto, dicebant Judæis Apostoli? Nunquid ad me singillatim probrum hoc spectat? Quid fuit totus vitæ meæ cursus, nisi series momentorum, quibus feci ea, quæ prorsus erant Spiritus Sancti monitis opposita? Ita restiti huic Spiritui Sancto; illum in memet jugulavi, contristavi, afflixi, & merebar eodem in æternum privari; sed o bonitas hujus Spiritus prorsus divini! probrum ipsum æquissimum, quod nuper mihi objeci, nova est ejusdem sollicitatio, ut ad se me trahat, & efficiat, ut præteritum reparem. Æternas tibi gratias ago, o Spiritus omnis Consolationis, & Caritatis! Vox tua hodierna die instauret fulgorem suum, & silentium indicat voci Mundi, inter rumorem illecebris refertum, sed ita pernicioſum, quem objecta sensibilia excitant circum me, fac, ut audiam clamores ineffabiles, quos in anima verorum Christifidelium ciet. Dæmon, caro, Mundus hactenus me nimis occupaverunt; me pœnitet attendisse linguæ, & placitis eorum; imposterum tuis tantum aures adhibiturus. *Idem.*

Quomodo hodierna die Salvator, & Spiritus sanctus quo mittit secum partiantur curas, amorem, & officia ad Ecclesiæ utilitatem.

Vix Salvator Cælos aperuit ad dexteram Patris sui locum occupaturus, cum illos aperit Discipulis suis communicaturus, si minus magnitudinem, & gloriam suam, saltem gratiæ suæ copiam; cum usque ad illos descendere nequeat, & illos attollere usque ad seipsum, mittit ad illos alterum seipsum, qui illos consoletur, erudiat, protegat, sanctificet. Ita Ecclesia feliciter hodierna die invenitur inter JESUM CHRISTUM, & Spiritum Sanctum, ab altero quidem attracta, & recta ab altero, qui inter se partiuntur, ut Sanctus Bernardus ait, sui officia pro salute nostra. Manet JESUS CHRISTUS in sede gloriæ suæ, ut noster sit advocatus, & mediator apud Patrem suum;

medius

medius inter nos manet Spiritus Sanctus futurus nobis Paraclitus, & Magister. Alter in Cælo format coronas, quas destinavit Electis suis. Alter illos in præliis suis animat, ac roborat. Alter ingressus est in Sanctuarii penetralia, consummaturus Sacerdotii sui Ministeria; alter hic in terris format victimas spirituales, & sanctas. Alter in Cælum evectus gestat hominem in sinum Dei, ut illi præbeat certum pignus gloriæ suæ, beatæque æternitatis; Alter de Cælo missus efficit, ut Deus in hominis sinum descendat ad illum expiandum, suisque luminibus, & gratia replendum. Hoc est Mysterium, quod sancta hac die recolit Ecclesia. *Flechier in sermone pro die Pentecostes.*

Quomodo Spiritus sanctus nos doceat.

Cum dicimus primum, ac potissimum Spiritus Sancti munus esse docere nos, non putetis, Sanctus Bernardus ait, hunc visibilem esse Magistrum, agentem per organum sensuum, quærentem sibi elaboratis ratiociniis, & sensibilibus curiosæ alicujus doctrinæ explicationibus fidem sibi comparare, & audientium in se admirationem convertere. Dei scientia non sermonum, & humanarum persuasionum vi quemadmodum Philosophorum scientia comparatur. Spiritus Sanctus est Magister invisibilis, & secretus, qui se communicat animæ per infusionem suæ veritatis, & caritatis, qui docet illam, quod exercere debet, & credere; & qui tradit illi, non quidem scientiam, quæ inflat, sed quæ gignit caritatem, & Christianam humilitatem. Sicuti in nobis est homo interior, & absconditus, quem S. Petrus *hominem cordis* appellat, capacem desiderii, spei, amoris, & fidei, necesse est, ut sit magister interior, qui de suis voluntatibus nos erudiat, qui nos certos faciat promissionum suarum, qui nos sua doceat Mysteria, qui sua repleat caritate, & qui perficiat hominem hunc spiritualem, & Christianum, ad quem informandum JESUS CHRISTUS descendit in terras. *Idem.*

1. Petri 3.

Spiritus sanctus efficit, ut operemur bonum, quod faciamus & singulis sua talenta distribuit.

Spiritus Sanctus mortem adfert facultatibus animæ nostræ, & inferens lumina sua in tenebricosos nostrarum cogitationum sinus, nos erudit de fide nostra, & officiis; hic efficit, ut bonum secernamus a malo per secretos instinctus, quos in nostris conscientiis impressit; hic detegens in nobis spiritualium infirmitatum nostrarum principium, nobis ostendit, quod cum imbecilli, & invalidi simus, omnia possumus in Deo, qui nos confortat; ipse nos supra sensus & rationem nostram attollit; ille nos orare docet, & ipse postulat pro nobis gemitibus quos Apostolus inenarrabiles vocat. Tempus est veritatem annuntiandi? Hic emundat labia Præconum Evangelii, & inspirat illis verba spiritus, & vitæ. Tempus est tacendi? Ipse humilium claudit os, & opponit labiis eorum ostium circumstantiæ, atque prudentiæ. Hic idem spiritus operatur omnia in omnibus, hos redigit ad simplicitatem filiorum Dei, illos elevat ad sapientiam præstantiorem prudentia sæculi; aliorum consecrat zelum, & fortitudinem, qui propugnant veritatem; hic coronat lenitatem, & patientiam eorum, qui propter illam sustinent; qui tandem singulis distribuit talenta, & tamquam Dominus universorum singulis proponit regulas sui ministerii, & vim illius fideliter adimplendi. *Idem.*

1. ad Cor. c. 12.

Quomodo & in quo Spiritus sanctus perhibeat testimonium Salvatori.

Spiritus Sanctus missus est, ut testimonium perhibeat personæ, divinitati, & doctrinæ JESU CHRISTI. *Perhibet* testimonium nativitati ejus; nam per virtutem suam præfuit, dum adorabile corpus illius in Virginis utero effingeretur; perhibet testimonium morti ejus, cujus efficientiam ostendit; gloriæ ipsius, cujus pignus est; caritatis, cujus est dispensator; veritatis, cujus testis est per excellentiam. *Spiritus est*, Sanctus Joannes inquit, qui testatur, quoniam JESUS CHRISTUS est veritas; & quidquid extra JESUM CHRISTUM est, falsitas; addit Sanctus Augustinus. Profecto quid est hic Mundus, quem passim damnat Evangelium? nisi congeries vanitatum, & mendaciorum? Voluptates ejus sunt illusiones; promissiones ejus, nugæ; illecebræ proditiones; gaudia deliramenta; mœrores desperationes; placita errores; leges flagitia; opera bona hypocrisis. Talis est mundi spiritus: Sed Spiritus JESU CHRISTI ipse veritas est; promissiones ejus fideles; spes certæ; leges justæ; opera sancta; gaudia solida; & quidquid est, quidquid ait, quidquid agit, quidquid præcipit, efficit corpus immutabilis, sanctæ, atque æternæ veritatis, cujus, non secus ac doctrinæ testimonium præbiturus Spiritus Sanctus descendit. *Idem.*

Admirabilis mutatio quæ in Apostolis facta est, ex quo receperunt Spiritum sanctum.

Satis liquet quinam essent Apostoli, antequam reciperent Spiritum Sanctum; ignavi erant, infirmi, timidi, ignari, vani, ambitiosi, ingenio modico; minori etiam constantia: qui generosissimus videbatur, negaverat magistrum, dominumque suum ad solam ancillæ vocem; ceteri illum deseruerant, & in fugam se conjecerant nocte ipsa passionis illius. Post ejus mortem clausi sese tenebant; & præ metu delitescebant adhuc post ejus ascensionem; sed ubi Spiritus Sanctus illos sua fortitudine replevit, incredibilis facta est in illis mutatio. Imperterriti facti sunt, & prorsus sancta generositate pleni, visi sunt citra timorem occurrere morti, & ipsis etiam suppliciis; sensu carentes in bonis, & malis unice Magistro suo occupati, non laborant, nisi ut illius prædicent gloriam, & divinitatem. Loquuntur coram Magistratibus, & Principibus Sacerdotum, coram universa Jerusalem ea alacritate, & securitate, quam quicumque illos noverant, admirantur. Humiles, & generosi; prudentes simul, & audentes; pauperes, & misericordes; mites, & constantes; amantes orationis, silentii, solitudinis, & pœnitentiæ, indefessi zelotes salutis fratrum suorum, quin jejunia, vigiliæ, frigus, nuditas, indigentia, fames, sitis, minæ, carceres, vincula, supplicia, & ipsa mors inhibere valeant impetum spiritus, qui eos possidet, & replet. *Repleti sunt Spiritu Sancto omnes.* Act. 2. Optabilis plenitudo, quæ tantum abest, ut oneret, & gravet animam, attollit eam, & ascendere facit ad Deum. Non equidem miror, quod Apostoli tot populos lucrati fuerint, quod prima Sancti Petri prædicatio tria hominum millia converterit; & altera quinque millia. Pleni erant Spiritu Sancto, qui per os illorum loquebatur. Quid autem arduum homini, quem Spiritus Sanctus replet, animat, ac regit? *Ex ascetico sermone Domni Treuve, Sermone in Pentecostes.*

Recessus necessarius est, ut homo se disponat ad recipiendum Spiritum sanctum.

Statim ac Apostoli amiserunt divinum Magistrum suum, & viderunt illum ascendentem in Cælum, illico recesserunt, & traduxerunt dies decem expectantes Spiritum Sanctum, qui illis fuerat promissus. Speramus, Dominum aliquam nobis gratiam esse collaturum? Opus est, ut nosmet illi præparemus antea. Sed cum nequeat ille majorem nobis gratiam conferre, quam nobis largiens Spiritum suum, sequitur, nos non posse nosmetipsos digne satis disponere ad illum recipiendum. Solitudo autem habenda est tamquam prima dispositio, quam adferre debeamus ad Spiritum Dei recipiendum: ibi ex Mundi commercio remoti, exhaurimus cor nostrum terrenis affectibus, & illud in statum adducimus excipiendi Deum in nos venire volentem, ibique figere mansionem suam. In tranquillo dumtaxat portu propitiæ solitudinis, possumus incessanter oculos in Cælum attollere & ostendere tamquam infra se, quidquid in Mundo majori habetur in pretio. Si consuluerimus eos, qui identidem huic vacant sanctæ exercitationi, affirmabunt, se inde egredi semper expeditiores ab terrenis affectibus, & Spiritu Sancto repletiores. Ne miremur ergo intuiti paucos Fideles ex tanta hac festivitate proficere; quia tantum abest, ut sese illi præparent per solitudinem, ut plerique velint vivere semper in Mundi tumultu, & in suarum cupiditatum æstu versari: alii quidem, quia nullo habentes in discrimine gratias cæleſtes, nihil agunt ad eas promerendas, alii vero per ignorantiam præcipuarum veritatum Religionis, possent dicere cum Ephesiis, ex quibus S. Petrus Apostolus scisitabatur, utrum recepissent Spiritum Sanctum: *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus.* Act. 19. *Abbas de Monmorel; Sermone in Evangelium Dominicæ Pentecostes.*

S. Cyprianus Ep. 1. ad Donatum.

Descensus Spiritus sancti necessarius erat ad statuendam veram Religionem.

Auferte hunc Spiritus Sancti descensum, auferte hanc plenitudinem luminum, quæ hac die fuerunt effusa, quomodonam Apostoli jacere potuissent Religionis nostræ fundamenta? Christiana Religio fuissetne, ut modo est, in omnes terrarum plagas effusa? Agressi ne fuissent Judæorum conversionem? primum eorum opus fuisset insuperabile: nam initium erat ducendum persuadendo, JESUM, quem crucifixerant, esse Filium Dei, & Messiam, quem præstolabantur; cogendo Pharisæos, aliosque Judices, ut semetipsos damnarent, quia injustam, & impiam tulissent sententiam, atque ut fierent cultores JESU, postquam illius fuerant interfectores, eumque haberent Auctorem vitæ, quamvis illum crucifixissent. Quæ autem species est probabilitatis, quod rudes homines, omnis litteraturæ expertes per ratiocinia, & argumentationes redigerent populum perspicacem, superbum, & rebellem Deo, & qui tot prophetis restiterat? Si ad Ethnicos, & Paganos sese convertissent, quomodonam dissipassent tot fallacia præjudicia, in quibus Patres, & majores Idolorum suorum cultus zelotes filios, minoresque suos alere adnitebantur? Cum post decem, vel duodecim sæcula tradita fuerint de Patribus in filios quædam principia, potissimum vero ad Religionem spectantia; hæc nonnisi cum ad extrema quæque ventum fuerit, abjiciuntur. Fruſtra probassent illi veritatem Religionis, quam annuntiare cupiebant; hic infirmus extitisset conatus, si nescissent refellere hanc varietatem religionum oppositarum; ac sibi invicem contradicentium. Hoc non caruissent suis difficultatibus. Disputandum fuisset cum celeberrimis ingeniis, qui illas, licet ab omni ratione abhorrentes, propugnare adnisi fuissent. *Ex MS. sermone Patris Stephani Chamillard.*

Zelus, & fortitudo S. Petri post receptum Spiritum sanctum.

Nonne admiramini Sancti Petri consilium, Discipuli illius, qui ausus non est confiteri *JESUM CHRISTUM*, & profiteri eum tamquam Magistrum suum coram ancilla; modo scit universam Jerusalem confluxis-

fluxisse ad sonitum venti hujus vehementis, ignis, & fulgurum, quibus usus est Spiritus Sanctus tamquam symbolis ad annuntiandum adventum suum; scit Judæos plenos furore, qui illos ad Deicidium patrandum adegit, & ad sanguinem Justi effundendum, obsidere domum, ubi cum fratribus clausi erant; scit Pharisæos, quorum faciem, & oculos ultra mensis spatium evitat, cum plebe consensisse. Homo omnium fortissimus ad intuitum periculi adeo patentis extimescret: quid tamen agit iste Apostolus? quod arripit in hujusmodi occasione consilium? Audacter egreditur, silentium indicit, attollit vocem, Judæos alloquitur. *Petrus autem cum undecim levavit vocem suam, & locutus est eis.* Hæc audientes nonne judicaretis, fortasse Petrum omnem impendisse curam, ut plebem mulceret, & sibi Scribarum, & Magistratuum animos deliniret? Sed quin hac utatur arte, vel mollius in frequenti concione illa loquatur, incipit exprobrare auditoribus suis teterrimam omnium iniquitatem. *Auctorem vitæ interfeciſtis.* Quo acerbius hoc est improperium, eo diutius in illo immoratur, ut magis illos rubore suffundat; exaggerat corruptionem, quæ in illis regnat, descendit singillatim ad mores eorum corripiendos, illos ad celerem, sinceramque pœnitentiam hortatur: *Pœnitentiam, inquit, agite;* & exhortatur eos dicens: *Salvamini a generatione ista prava.* Denique, quia inimici, cum quibus illi res est, increduli sunt, ac formidabiles, acriter urget illos; suaque nitet lenitas in eos tantum, qui contrito corde ingenue fatentur, se ita miseros fuisse, ut Deum suum interimerent. Hos paterno affectu complectitur; in arena baptizat, manus illis imponit, & certos Dei nomine facit, omne scelus illis remissum fuisse.

Actor. 2.

Actor. 3.

Actor. 2.

Incomparabile Dei beneficium mittentis ad homines Spiritu Sanctum suum.

Deus nonne videtur, Christiani, hodierna die in hominum favorem, ut quidam Ecclesiæ Pater loquitur, seipsum, & amorem suum exhaurire, atque erga eosdem factum esse prodigum, mittendo Spiritum Sanctum suum ad eorum sanctificationem, postquam ad eorum redemptionem miserat Filium suum: *O Deum, si fas est dici, prodigum sui pra desiderio hominis.* Quis non admirabitur hoc felix commercium, quod hodierna die Cælum inter, ac terram statuitur, in quo Cælum recipit hominis carnem, & *terra Dei* spiritu repletur? Ascendente *de terra in Cælum* JESU CHRISTO, & Spiritu Sancto de Cælo in terram descendente. *O quanta*, Sanctus Augustinus ait, *& quam inæstimabilis pietas Redemptoris, hominem portavit ad Cælum, & Deum misit ad terras!* Consideremus divinum hunc Spiritum sub ea qualitate, qua illum Salvator promiserat, tamquam divinum Paraclitum, qui venit repleturus animas nostras pace, gaudio, gratia, & sanctitate, veniens dissipare tenebras mentium nostrarum, inflammanda, & expianda corda nostra, liberanda ab servili, ac turpi rerum creatarum amore, ab omnibus sensibilibus rebus avellenda, & ad invisibilia Cæli bona sursum elevanda. *Pater Chaussemer. sermone pro die Pentecostes.*

Descriptio eorum, quæ acciderunt die Pentecostes.

Auditur primum magnus de Cælo sonitus tamquam venti vehementis, mox linguæ igneæ coruscant quæ semet separantes, & in Apostolorum quovis quiescentes illos pares efficiunt Evangelicis veritatibus ubique locorum disseminandis. Spiritu Sancto repleti statim omnibus loquuntur linguis, Judæi ex omnibus Mundi nationibus, quos Dei Providentia Jerosolymam coegerat ad sacrum Pentecostes diem celebrandum, ut deinceps in universas terras effunderentur testes mirabilium hujus diei, audito rumore descensus Spiritus Sancti, magno in numero densantur circum domum, in qua erant Apostoli, obstupefacti, & perterriti, quod singuli eorum audiebant illos patria lingua loquentes, in admirationem rapti dicunt, hi homines, qui loquuntur, nonne omnes sunt Galilæi? Quomodo ergo audimus illos linguæ nostra loquentes? Parthi, Medi, Elamitæ, qui Mesopotamiam, Judæam, & Capadociam incolimus, illos audimus patrio sermone nostro de admirabilibus Dei nostri loquentes? En quid locum præbeat Sancto Petro Apostolo vocem attollendi, & in prima concione sua ad Judæos proferendi non solum Prophetarum testimonia, sed ipsos etiam sensus auditorum suorum de visibili complemento Prophetarum suorum, & ita illos persuadendi, & in uno ictu tria illorum millia convertendi. *Idem.*

Una hæc prodigiosa mutatio in Apostolis facta nonne manifesta est probatio, eos Spiritus Sancti virtute animari; ideoque nonne authenticum est, indubium testimonium præstitum gloriæ, & divinitati Magistri sui JESU CHRISTI æque ac veritati rerum omnium, quas nobis revelavit? Quinam, amabo vos, erant Apostoli ante Spiritus Sancti descensum; & quinam sunt hodie? antea ignavi, debiles, pavidi, indocti, rudes, imperfecti; nunc fortes, audentes, imperterriti, perfecti, magnifice loquentes in omni linguarum genere de magnalibus Dei. Unde nam recens in illis vis est, scientia adeo sublimis, hæc loquendi, & sensum suum exprimendi in omnium populorum sermonibus facultas, hæc miraculorum omnigenorum potestas? & præ ceteris hæc imperterrita constantia, qua ipsos etiam Judæos conquirunt, ut non sine vitæ suæ discrimine prædicent gloriam JESU CHRISTI nuperrime crucifixi, nisi a Spiritu Dei, quem receperunt? Quod discrimen inter Petrum negantem JESUM CHRISTUM ad vocem Ancillæ, & Petrum Apostolorum caput, primum omnium os aperientem, ut palam Judæis exprobret crimen Deicidii? *Idem.*

Mutatio Apostolorum probatio est divinitatis JESU CHRISTI.

Cœnaculum, in quo clausi erant Apostoli, cum Spiritus Sanctus visibili ratione in *illos descendit*, habendum est tamquam Ecclesiæ incunabula. *Illic* orta est inter tot miracula, quorum maxima proculdubio sunt adeo prompta, totius orbis conversio, sanctitas, & innocentia in omnes terras effusa; fortitudo tot millium Martyrum ex omni ætate, & sexu, qui sævissima quævis subire malunt supplicia, quam minimam thuris particulam adolere numinibus, dirutæ idololatriæ; dæmonum delubra undequaque eversa, & ex semet labentia ad sonitum vocis Apostolorum eodem pacto, quo mœnia Jerichuntina ad tubarum clangorem collapsa fuerunt. Hoc spiritus erroris imitari non potest; & ecce quomodo Spiritus veritatis venit redarguere Mundum de peccato incredulitatis. Post hæc dubitare de Christianæ Religionis veritatibus, victas non dare manus tot adeo manifestis, atque perspicuis probationibus, oculos claudere tot testimoniis adeo validis, Spiritum Sanctum probantibus, hoc sane est Dei ultiones in caput suum detorquere, dementiam præ se ferre, non autem spiritus fortitudinem, quia hoc est committere peccatum omnium maximum, & quod plerumque remitti non potest, cum ut plurimum illud finalis excipiat impœnitentia. *Idem.*

Cur in ortu Ecclesiæ Deus tot operatus fuerit miracula, & hodierna die tam raro contingant.

Deus in ipso Ecclesiæ principio hæc miracula operatus est, quoniam illa censuit ad ejus institutionem necessaria; sed hodierna die iniquum esset exigere a Deo, ut eadem toties operetur, quoties incredulorum flagitat libido; quod non solum fidem non confirmaret, immo verissima esset eamdem delendi ratio. *Nos*, Christiani, ne petamus *miracula, ut credamus*, neque oremus *Spiritum Sanctum eo modo nobis conferri quo illapsus est in Apostolos; ab eo quæramus* nostræ *conversionis miraculum; non precemur* ab eo aliquod ex *his donis nitentibus, quæ olim* erant *in Ecclesiæ* suæ institutione necessaria; sed quæ hodierna die non sunt amplius utilia, & quæ fortasse nobis esse possent perniciosa. Pro dono linguarum petemus, ut nostram cohibere valeamus, ita ut nunquam proferat verba veritati, caritati, puritati, pietati contraria, & ut omnis conversatio nostra christiana sit, & utilis proximo; pro dono curationis corporearum ægritudinum, petamus illud curationis animarum nostrarum, & facultatem extinguendi ardorem, & ignem cupiditatum nostrarum, & illas etiam vivificandi per pœnitentiam. cum illis per peccatum *mortem intulerimus; pro dono* prophetiæ illud *quæramus prævidendi* quid de nobis *futurum sit; nosmet* bene præparandi ad mortem, *& adducendi nos in* statum perveniendi ad beatam æternitatem; loco fidei, quæ sit par montibus transferendis, aliam postulemus, quæ nostram frangat superbiam, quæ pravas cordis nostri corrigat affectiones, quæ nobis diligendas, atque credendas præbeat Religionis nostræ Veritates, & nos applicet totos nostris officiis. *Idem.*

Ita Mundi spiritu repleti sumus ut vix Spiritum Sanctum agnoscamus.

Hodierna die ita occupati *sumus*, ita repleti, & Mundi spiritu fascinati, ut vix noverimus, utrum sit, necne Spiritus Sanctus. *Si* quis novus aliquis Sanctus Paulus ex Fidelibus quæreret; Accepistis ne Spiritum Sanctum; quam multi respondere possent illud ipsum, quod olim huic Apostolo responderunt Ephesii: *Neque si Spiritus Sanctus est audivimus.* Quod si minus ore, actibus certe suis responderent, ex quibus conjicere facile est ipsos nescire Spiritum Sanctum, quia non invocant illum, quia illum non consulunt, quia sunt rebelles luminibus ejus, *quia* omnibus ejusdem motibus resistunt, quia Spiritus Sanctus non est principium illud secundum quod suam vitam componunt. Si agunt, si cogitant, si loquuntur, secundum Mundi spiritum loquuntur, cogitant, agunt; si nutriunt consilia, spem, contentiones, hæc ea sunt, quæ *in illis* Mundi spiritus ciet; si regulas habent, placita, instituta, hæc ea sunt, quæ illis spiritus Mundi præscribit. Sanctus Paulus ceterorum Apostolorum nomine dicebat, *Nos autem non spiritum hujus Mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est.* Sed quot Christiani possent hodierna die dicere oppositum: nos autem non recepimus Spiritum Dei, quia spiritu Mundi repleti sumus? Sancte, & Omnipotens Spiritus, qui Dei es, non vero Mundi, dignare descendere hodierna die in corda rebellia, redde te ad nos sanctificandos fortiorem, quam sit Mundi spiritus ad nos corrumpendos. *Idem.*

Actor. 19.

1. ad Cor. 12.

Primus effectus, quem in Apostolorum corde produxit descensus Spiritus Sancti, fuit sincera, & ardens Caritas. Spiritus Sanctus est *Patris* amor, & Filii. Per illum Pater æternus amat Filium suum, & Fi-

Effectus Spiritus Sancti in corde Apostolorum.

& Filius amat Patrem suum. Nonnisi per ipsum, gratiamque ipsius amamus Deum nostrum; ideoque divinus hic Spiritus sub ignis figura descendit, ut nobis innueret se venisse ad corda divino hoc amore inflammanda, quem JESUS CHRISTUS se in terras missurum promiserat ad succendenda omnia corda. Profecto simulac Apostoli Spiritum Sanctum receperunt, accensi fuerunt igne divini Amoris, ad quem diffundendum profecti sunt in omnem terram, ut eodem corda magis frigida inflammarent. Heu! frigus, & durities cordis nostri nonne ostendit, nos nequaquam passos fuisse, ut divinæ hæ flammæ nos accenderent? Nonne potius alio aliquo igne cor nostrum flagrat flammis illis oppositis? Alius divini hujus Spiritus effectus profectus ab amore, quo cor Apostolorum inflammat fuit zelus ardens gloriæ JESU CHRISTI, qui illos impulit, ut quamprimum in universum terrarum orbem se conferrent, ad prædicandam illius gloriam, atque magnalia. Visi sunt duodecim piscatores sine scientia, sine litteratura, sine eloquentia, sine ingenio, sed Spiritu Sancto repleti extremas in terrarum plagas abire ad annuntiandam Magistri sui gloriam, & persuadendum Oratoribus, Philosophis, Sapientibus sæculi, Principibus terræ, hominem crucifixum Deum esse. Opus admirabile! quod tamen duodecim piscatores, per se quidem infirmi, sed animati, ac suffulti virtute Spiritus Sancti, & pleni ardenti ea Caritate, cui nihil est impossibile, ad finem perduxerunt. Heu! Undenam proficiscitur noster modicus zelus pro gloria Salvatoris, nisi ex modico amore? Dici enim possumus, nos illum amare, cum nullus videatur effectus & si hoc verum est, dici possumus nos recepisse Spiritum Sanctum? Denique tertius hujus Spiritus Sancti effectus fuit admirabilis fortitudo in gravissimis periculis, heroica constantia in horribilibus tormentis. Visi sunt discipuli isti paullo ante adeo pavidi, & ignavi, ut omnes Magistrum suum dereliquerint, visi sunt, inquam, statim ac Spiritum Sanctum acceperunt, fieri strenui, veluti leones se objicere maximis periculis, provocare tyrannos, suppliciis occurrere, JESUM CHRISTUM in ipsis etiam eculeis prædicare, & proprio sanguine obsignare testimonium, quod Magistri sui divinitati perhibuerant. *Pater Nepveu in Christianis considerationibus tomo 2.*

Quemadmodum fides docet, Spiritum Sanctum esse consummationem Fœcunditatis divinæ ab intra in ipso Deo, ipse etiam perficit opera Dei ab extra, & cum sit novissimus terminus æternarum communicationum in sede gloriæ suæ; ita opus est, ut in tempore perficiat omnia gratiæ opera, quamobrem Patres ausi sunt audentiori fortasse, vero tamen vocabulo illum appellare: *Vicarium CHRISTI & Redemptoris successorem*; perinde ac adorabilis iste Redemptor, cum sit immortalis, indigeat successore, qui locum suum teneat obiturus gloriosa munera ipsius. Non ita, Fideles; hæc non est Sanctorum Doctorum sententia; sed innuunt dumtaxat Spiritum Sanctum adjicere gratiarum suarum effusionem effusioni Sanguinis Salvatoris ad salutis nostræ consummationem. *P. Champigni in delectis sermonibus suis, sermone de corde novo.*

Quomodo Spiritus Sanctus terminet Dei fœcunditatem ab intus, & perficiat opera gratiæ ab extra.

Hodierna die divinus iste Spiritus descendit ad perficiendas Filii victorias, ad consummandam beatitudinem nostram, & rerum omnium vicem nobis tradendam. Spiritus virtutis, qui nos sanctificas, Veritatis, qui nos erudis, Caritatis, qui nos animas, Fortitudinis, qui nos roboras, Sapientiæ, qui nos regis, Timoris, qui nos dirigis, Pietatis, qui nos cum Deo conjungis, & facis nos in illo manere! Felices animæ, in quas ille dilapsus est; quia recipientes illum, receperunt pignus salutis nostræ, signum vocationis suæ, suæ prædestinationis principium, auctorem, & consummatorem gratiarum suarum! Sed ubinam sunt hæ animæ beatæ? Vos estis ne ex hoc numero? Vos accepistis ne Spiritum Sanctum? Apostoli vos quidem primitias recepistis; in vos ille primos descendit; verum etiam ope luminum ejus cognovistis Mysteria Regni Dei, Religionis veritates, omnem legum suarum extensionem circa moralia ejus placita, omnem perfectionem præceptorum, quæ in hoc spiritu continentur, qui revelat, quidquid ibi latet, qui scrutatur quidquid ibi absconditum est; qui expedit quidquid ibi est impeditissimum, penetrat quidquid est obscurissimum, evolvit quidquid minime intelligitur. Vos autem experientia ac studio id estis assecuti quidquid sublimia ingenia nunquam intelligere valuerunt. *Ex Moralibus Sermonibus, sermone de festivitate Pentecostes.*

Fines propter quos Spiritus Sanctus in terras descendit.

Pulsat nonnunquam ad cordis nostri januam Spiritus Sanctus, sed illuc non ingreditur, quia illam invenit clausam, & ad eam reservandam majori vi, suaque uti non vult potestate. Nonnunquam ingreditur, sed non diu ibi permanet, quia ibi infidelitatem, atque mobilitatem nanciscitur. Ad illius aspectum commovemur, patrata crimina confitemur, agimus pœnitentiam, in posterum nos non ultra peccatores pollicemur; sed quam primum nostrarum oblivisci mur promissionum, & ubi primum sese nobis obtulerit occasio ad pristinos habitus revertimur, & quin sequamur Spiritus Sancti lumina, proprium sequimur sensum, ac voluntatem: ecce cur ille recedit: *Si Spiritum accepistis credentes*, quæsivit olim ab Ephesiis Sanctus Paulus. Vobisne persuasum est de Evangelicis institutis? Nunquid inde sumitis vitæ vestræ principium? gustatis cælestia? Estne vobis fortitudo, & necessarium consilium ad amplectendum immutabile vosmet salvandi propositum, & quibuscumque sumptibus ad perfectionem tendendi? Si hoc verum est, habetis Spiritum Sanctum; sin autem orandus est, ut vos sua visitatione dignetur; vobisque nihil prætermittendum est, quominus illum suspiriis, ac votorum vestrorum fervore in vosmetipsos pertrahatis. *Pater Novet in hoc Mysterium.*

Obstruimus Spiritui sancto aditum in cor nostrum; & illum recedere cogimus.

Ut videamus miracula, quæ Spiritus Sanctus operatus est, ad examen sufficit revocare, quinam essent Apostoli antequam ille descenderet. Homines erant infirmi, omnibus humanis cupiditatibus obnoxii: omnia in eorum animis impressionem faciebant, præsertim vero timor hominum. Dei Filius illos in novos homines transformare cupit missurus eos in universam terram ad evellendas superstitiones, & idololatriam, quæ ibi omnino tot sæcula grassabatur; ad evertendum sathanæ imperium, & instituendum regnum æternum, quod nunquam evertendum cetera everteret. Volebat Deus mittere illos in mundum, ut inde avellerent omnes errores, omnesque hominum cupiditates, atque ut omnem hunc laborem sustinerent, alia indigebant virtute, alio animo, alia sapientia, aliis luminibus, denique alia gratiæ mensura, aliaque Spiritus Sancti plenitudine. Hic est gradus ille, ad quem JESUS CHRISTUS illos studet attollere, & qui proprius est affectus descensus Spiritus Sancti. *Ex speciminibus Ethnicis.*

Ad quid Spiritus sanctus destinabat Apostolos, & quomodo oportuit, ut illos dispaneret.

Præteritis diebus Dominicæ Ascensionis Mysterium celebravimus, hodierna vero descensionis Mysterium recolimus. Prodigia sunt æque admirabilia cernere naturam humanam in persona Filii Dei usque ad dexteram Patris ascendentem; & divinam naturam in Spiritus Sancti persona, usque ad infirmitatem nostræ carnis descendentem: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Itaut si Cælum hodie panditur, non ideo fit, ut iterum terra cælestium aquarum lapsu mergatur, sed ut irrigetur benedictionum, & gratiarum diluvio. Ventus hic, cujus sonitus vehemens totam perterrefacit Jerusalem, nonnisi malaciam spondet, ac tranquillitatem. Hæc fulgura, atque tonitrua non sunt nuntia justitiæ, & irarum Dei, tubæ sunt, quæ hominibus pacem annuntiant, quam Salvator illis obtinuit a Patre, & quæ ad liberalitatum suarum distributionem illos appellat. Quam beati essemus si diluvii hujus gutta sacra labi posset in aridam, sterilemque terram cordium nostrorum! Si ventus hic adeo suavis, atque serenus detergere posset animam nostram ab omnibus sordibus, quibus inquinata est! Si cælestis hic ignis in cordibus nostris accendere posset flammas sancti amoris! Si tandem Deus adeo liberalis atque magnificus sua nobis dona communicaret! Verum quid vetat ne tanta hac beatitudine perfruamur? Numquid noluit Deus nobis æque ac Apostolis, primisque Fidelibus gratificari? *Numquid modo fratres, non datur Spiritus Sanctus? quisquis hoc putat, non est dignus accipere.* Divinus hic fons publicus est: omnibus patet, intercluſus est nemini: tot sæculis defluit; & semper æque ac re adhuc integra, redundat. Nobismet unice succensere debemus, si non æque repleti sumus ac Discipuli; quoniam Spiritus Sanctus ad nos quoque, ut ad illos, missus est; & nisi eamdem recipimus gratiarum plenitudinem inde est, quia propter modicum pretium in quo illam habemus, nosmet præbemus eadem indignos. *Ex recenti Auctore.*

Spiritus sanctus descendit in terras cumulaturus homines doni, & gratiis, quarū participes, fieri nostrum est. Actor. 2.

Cum Spiritus Sancti descensus afferat secum vividiora lumina, & urgentiores afflatus, quibus peccatores resistunt, sequitur hoc die festo obdurationem plurimorum peccatorum consummari; quia hodie majoribus Dei gratiis reluctantur. Ita vos qui jampridem resistitis hac die Spiritui Dei, qui vos impulit, ut ad ipsum revertamini, jure formidate eamdem pœnam, quam Judæi sunt experti; nam, quandoquidem quidquid accidebat illis in figura, reipsa in Ecclesia adimpletum est, dubitarine potest, quin eodem pacto, quo descensus Spiritus Sancti fuit medium illud extremum, quo usus est Deus ad infelicem populum convertendum; ita descensus ejusdem Spiritus Sancti instauratus in Ecclesia pro obduratorum peccatorum conversione, sit sæpe gratia novissima, quam recipiunt; & eadem resistentia pari pœna puniatur? Tandem enim cæcitas peccatoris in eo sita est, ut oculos claudat luminibus, quæ recipit, & obduratio, ut resistat inspirationibus, quas Deus illi immittit, ideoque quo majora recipit lumina, quin videat, eo ma-

Sicuti hodie resistitur magis luminibus Spiritus Sancti, ita hodie consummatur cæcitas plurium peccatorum.

eo magis excæcatur; & quo majoribus gratiis cumulatur, quin commoveatur, eo magis obdurescit. *Ex Specimine Sermonum pro Mysteriis, & Dominicis tomo 2.*

Spiritus sanctus ad nos mittitur in Cæli via dux nobis futurus.

Ego mihimet persuaseram, Domine, cum Filius Dei in Cælum ascenderit, hoc satis fuisse, ut nos ad omnes effectus nostros attollendos invitaret: cogitabam, cum Paradisi via nobis sit explorata, nos non amplius adhæsuros fore terræ, & cor nostrum a terrenis effectibus expeditum sublatum iri ad locum suæ quietis, ubi nos Salvator expectat, æternum cum ipso victuros. Sed hic homo-Deus agnovit, nos qui illum sequi debebamus, aberrare, & sequi viam illi prorsus oppositam, quam nobis ostendit: quapropter fidelem nobis ducem mittit, qui nos illuc adducat, Hæc non solum ignea est columna, qualem dedit populo Israel in deserto, neque stella, qualem Magis, aut Angelus, qualem Tobiæ comitem tradidit; sed ipsemet Spiritus Sanctus in propria persona sub plurium linguarum figura; linguæ sunt, quæ nobis viam ostendent, & ignis, qui nobis ambulantibus præibit. Hujus ignis flammæ sunt verba; verba harum linguarum sunt flammæ. Hæ flammæ accenduntur æterno flatu Patris, & Filii; & hæc verba in ore eorum efformantur. Hæc lingua est lingua veritatis, & ignis caritatis. O nos beatos, si hæ linguæ nobis locutæ fuerint, si hic ignis nos inflammaverit. *Sermo Manuscriptus.*

Spiritus sanctus venit perfecturus hominem.

Non miror, si tres adorabilis Trinitatis personæ in ipsis Mundi primordiis adeo serio de hominis creatione deliberabant, atque in admirabilibus infinitæ Sapientiæ suæ adinventionibus media quærebant efficiendi in hoc homine suam imaginem, & similitudinem. Hoc enim sublime erat in idea, & mente earum, consilium satis arduum, quod opere compleretur, & plurimum temporis requirebat ut perficeretur, omnibusque numeris absolveretur. Verum est, difficultatem hanc nequaquam ex parte Dei obortam fuisse, cujus potentia semper est par suæ voluntati; sed summa erat ex parte humanæ naturæ, quæ par non erat recipiendo formam divinam, quam illi dare nolebat Trinitas nisi post magnas, ac divinas dispositiones. Cum omnes humanæ naturæ perfectiones non sufficerent ad id, illæ nonnisi fuerunt materia, *ex qua magnum hoc opus existeret; quidquid in lege veteri factum est, nonnisi remota* quædam fuit dispositio; JESUS CHRISTUS vivens in terra, morjens, resurgens, in Cælum ascendens, illud in statum redegit dumtaxat, in quo formam recipere posset, & ecce Spiritus Sanctus in persona descendit; ut hanc illi applicet, & extremam illi perfectionem adjiciat. *Idem.*

Cum nihil ad bonum cor sibi conciliandum validius sit, quam illud insigni aliquo beneficio delinire; mirum non est, si Deus nos ad excessum usque dilexerit, ut loquitur Apostolus, *Propter nimiam caritatem suam*. Ecclesia novissimum donum, quo nobis Sanctum Spiritum suum largitus est, cum primo conjungit, videlicet cum Incarnatione Verbi ceterorum fonte, ac principio, quasi dicere vellet, Dei bonitatem exhaustam non fuisse, cum per amoris prodigium dedit nobis Unigenitum suum; quandoquidem aliud nobis priori par munus addit; sed tale, ut cum sit ultimus terminus productionum divinarum in adorabili Trinitate, dici potest etiam extremum esse conatum bonitatis, & misericordiæ Dei, illud nobis dedisse. Et profecto Deus jam de Cælo descenderat, & se nobis similem fecerat, ut per hanc similitudinem nos ad amorem sui pelliceret; dein in Crucem ascenderat, ut ibi suum cruorem effunderet, nobisque post mortem suam cor aperiret, ut nobis suæ caritatis ostenderet magnitudinem, & videret, utrum cor nostrum suis afficeretur beneficiis. Antequam ex hoc mundo excederet, posuerat seipsum in altaribus nostris, ut esse pro amore nostrum immolaret, ac inde usque ad cor nostrum effueret, ibique per præsentiam suam validiores faceret impressiones. Sed quemadmodum rebelle cor hominis nondum victas dederat manus; ecce extremam amoris sui profusionem, qua dedit nobis Spiritum Sanctum suum, qui est cor illius, & amor ipse; quod nobis immittere debet firmam fiduciam, fore ut Deus nobis cetera quoque largiatur; & sicuti S. Paulus ajebat, illum, qui dederat nobis proprium Filium suum, certissime cetera quoque esse daturum. Itaque dicere possumus, eum, qui dedit nobis Spiritum Sanctum suum, omnia etiam bona inde manantia large, effuseque collaturum; dummodo illa per ejusdem Spiritus Sancti motum deprecemur. *Auctor recens.*

Ad Ephes. 2.

Auditus fuit, S. Lucas ait, magnus tamquam vehementis venti de Cælo venientis sonus; qui semper Evangelii prædicationem concomitatus est; & fieri non poterat, ut aliter eveniret; si consideremus quinam illi fuerint, quibus prædicaverunt Apostoli, & quid illis prædicaverint. Mundus implicitus erat amore rerum visibilium, de præsenti tantummodo vita laborabat, omnigenis erat involutus tenebris superstitionum, atque errorum. Repente exauditur hominum clamor, elata voce dicentium, cessate ab amore rerum omnium, quas dilexistis, cessate a metu rerum omnium, quas formidastis, cessate a desiderio rerum omnium, quas concupistis: alia sunt bona cupienda, alia sunt mala metuenda, in quorum comparatione bona, & mala nullo sunt in discrimine habenda. Alter est Mundus, qui efficere debet, ut contemnamus quidquid in hoc Mundo videtur. Nuntius mittendus est omnibus Diis hujusmodi, quos adoratis &c. Mirum ne esse debet, doctrinam, quæ tantam rerum omnium inversionem gignebat, causam esse tanti rumoris in Mundo? Animadvertitur merito, rumorem illum de Cælo auditum fuisse; non igitur erat hominum tantum placita sua effutientium. Hic ipse Deus erat, qui annuntiabat has veritates hominibus per Ministros suos, & comitabatur eorum verba visibilibus signis potentiæ suæ; erant Cælestes homines, expediti ab affectibus rerum terrestrium; & quorum vita æque sancta erat, ac doctrina. Multi reperiuntur homines, qui eadem dicunt, quæ illi, sed dispari eventu; quia eorum prædicatio non est cum hoc Cælesti sono conjuncta; immo e contra sæpe est cum terreno strepitu consociata; agnoscuntur mores, & affectus horum Ministrorum Evangelicorum; & Mundus nihil nisi humanum, & a cupiditate profectum annuntiat, nihil quod terram non sapiat, & carnem, & sanguinem redoleat. Liquet quid illi cupiant, & quid velint; & rumores hi, qui illis præcedunt, nequaquam ad vitæ, sententiæque mutationem illos disponunt. *Idem.*

Quid significent linguæ igneæ, quæ super Apostolos apparuerunt.

Præter ingentem strepitum, qui auditus fuit, alterum quoque fuit signum visibile descensus Spiritus Sancti; nempe linguæ igneæ, quæ quieverunt super singulos eorum, qui erant congregati, & quæ replevernnt illos ardore interiori, qui ex corde emanavit in linguam, & verba. Corda hæc ardentia nonnisi cognita verba proferebant, aptissima ad inflammandum alia corda, quæ Deus intrinsecus *præparabat, ut ignem* conciperent. Deus præparat corda; *sed ut plurimum* utitur ignitis verbis *Præconis Evangelici, ut in illis ignem accendat: hæc solita est conversionis animarum via: hoc etiam ostendit*, cur hoc tempore adeo infrequentes videantur conversiones; raro quippe invenitur lingua inflammata, quæ hominibus offerat sermones ardentes, cum passim conciones, quæ audiuntur scateant inanibus eloquentiæ prorsus humanæ lenociniis, sine calore, sine vi; quæ lumina sunt ardore carentia. *Idem.*

Veritates, & miracula quæ Apostoli populis nunciaverunt.

Apostoli de Cœnaculo Jerusalem egressi sunt deferentes in cordibus suis Spiritum Sanctum. Habebant in se thesaurum scientiæ, fontes gratiæ, dona spiritualia, quæ ubicumque effundebant; & profecti sunt ad prædicandum in universam terram facti veluti lex vivens, & libri Spiritus Sancti *gratia animati; qua*propter admirabili cum certitudine pronunciant Mysteria, quorum *ne ideam quidem* concipere valuerunt *veteres Philosophi; eaque non quindecim*, aut viginti *auditoribus* prædicant, sed Civitatibus, & Oppidis, Græcis, & barbaris; in locis frequentissimis & penitioribus desertis. Nihil dicunt, quod terram sapiat, cælestia dumtaxat loquuntur: sed præterea annuntiant hominibus doctrinam naturæ viribus superiorem: prædicant statum, ac regnum, de quo nunquam sermo auditus fuit; alias detegunt opes, aliam paupertatem aperiunt, libertatem, & servitutem aliam; aliamque vitam, & mortem; Mundum novum, vivendi rationem prorsus novam; denique mutationem & quamdam generalem rerum omnium instaurationem. *Sanctus Joannes Chrysostomus in Evangelium Sancti Matthei.*

Quomodo Spiritus sanctus extinguitur.

Nolite extinguere Spiritum Dei, clamat Apostolus. Spiritum Sanctum extinguere voco, gratiis ejusdem resistere, inspirationes ejus negligere, per motum illius agere nolle; Spiritum Sanctum extinguere voco, alio, quam ipsius igne inflammari. Idne facitis Christiani? Spiritu Dei estis animati? an spiritus Mundi vos agit? spiritus ambitionis, spiritus avaritiæ, spiritus invidiæ, licentiæ, libidinis? Bona fide; hodierna die alione *flagramus igne*, quam cupiditatum? Nunquid libentius unquam, & liberius verba facimus, quam cum proximi existimationem lacessimus? Alione ardore corripimur, quam rem nostram quærendi, & nostræ vanitati indulgendi? &c. *Frementiere in Sermone pro die Pentecostes.*

Maximus Spiritus sancti effectus est destruere amorem inordinatum corporum nostrorum.

Sicuti ad mutandum cor hominis, eique aliud prorsus novum tribuendum, divinus hic Spiritus inchoare debuit humani generis reformationem, & cordis hujus corruptio ab incompositis illius affectibus proficiscitur, quorum primus, vehementissimus, ac perniciosissimus est ille, quo corpus nostrum complectimur; quod cum sit pars nostrum, ut plurimum potissima est, & antiquissima omnium curarum nostrarum; ita primus, & maximus effectus adventus Spiritus Sancti fuit delere, & eradicare inordinatum hunc corporum nostrorum amorem; *quia hic maximum* opponit obicem operationibus Spiritus Sancti.

Hinc

Hinc Apostolus comparat Dei Spiritum gladio anciAd Ephes. 6. piti, quo ipsa substantia nostra dividitur, & hæc pars nostri, quam tantopere diligimus, separatur a nobis. *Gladius Spiritus*. Quapropter vix divinus hic Spiritus adiit possessionem cordis nostri, cum sanctum nobis odium inspirat in corpus nostrum, & nos adigit ad inferendum illi bellum irreconciliabile, sicuti in sanctis omnibus innotescit; quia amor, quo plerumque corpus nostrum amamus, & ille, quo Deum prosequi tenemur, in eodem corde subsistere nequeunt, secundum ipsius Dei verbum, quo olim hominibus comminatus est: *Non permanebit Spiritus meus in homine*, Genes. 6. *quia caro est*. Cum enim homines effecti fuerint carnales, Spiritus Dei non poterat ulterius in illis permanere. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, in Sermone pro Dominica Pentecostes in Dominicali*.

Cum Spiritus sanctus sit amor substantialis, sustinere non potest dividi inter se & creata, cor quod totum vult possidere.

Spiritus Sanctus per antonomasiam vocatur Amor, cum sit amor substantialis, & personalis, ideoque pati non potest, cor dividi inter Deum, & creata. Cor istud unice creatum fuit propter illum; eique dedit quandam immensitatis speciem in desideriis, & capitum infinitum, qui nulla re alia potest adimpleri. Vult igitur se solum amari, & amari præ ceteris; vel si aliquis est amor alius, vult hunc suo subordinari, atque ad eumdem finem tendere; quia cum de amore agitur, infinite zelotypus est; omnis divisio illi odiosa est, neque patitur quidquam imminui de affectu, qui sibi debetur. Sed deleto, sublatoque omni amore, quo terrena hæc deperimus; factoque, ut ita dicam, corde prorsus novo, in corde hoc, quod instauravit, mutavitque, permanet tamquam in Templo, quod expiavit, & amori sacravit suo; atque tunc cor istud vocari potest novum, quia novas habet affectiones, ex quibus liquet illud vere mutatum fuisse. Sed ubi considero quam frigidi, & languentes simus in ejus amore, & quanto ardore feramur in hæc terrena, credere ne possum recepisse nos Spiritum Sanctum. Retinemus semper inutiles, periculosos, criminosos affectus nostros; tales sumus, quales fuimus semper, æque ardentes in utilitatibus nostris perquirendis, æque Mundo huic inhærentes, æque repleti philaucia, æque voluptatum amatores, commodorum, & earum rerum omnium, quæ palpant sensus nostros, studiosi; denique cor nostrum ad hæc tantum factum esse videtur. Nequaquam; audeo dicere, non accepimus Spiritum Sanctum; nam nos a terrenis rebus divelleret, ut omnia desideria nostra sursum ascenderent; novum nobis cor tribueret, inspirans nobis novos affectus, quos immutata vitæ ratione præ nobis ferremus. Quid non fecerunt Apostoli, postquam illum receperunt? Quas flammas hic Spiritus Sanctus non excitavit in illis? quo ardore alios sanctos excitavit? Nonne visi sunt Reges, & principes mutare purpuram suam in cilicium? Nonne visi sunt alii calcare divitias, honores, voluptates, nobilitatem, & quidquid Mundus perdite quærit? Quot inter claustra, & in solitudines fecesserunt, ut Deum unice diligerent, ac de eodem uno solliciti cogitarent? Si eumdem Spiritum Sanctum recepimus, ne dubitemus, quo minus cor nostrum mutet, nobisque sensus eosdem immittat. *Idem*.

Ardens precatio ad Spiritum sanctum, ut mutet cor nostrum, & illud amore prorsus divino succendat.

Spiritus Sanctus, & omnipotens dignare hodierna die in rebellia corda nostra illabi, & ad illa sanctificanda fortiorem te ostende quam sit spiritus Mundi hujus ad ea corrumpenda. Muta corda nostra lapidea, quæ Mundus in nobis effinxit, ut præbeas nobis carnea, quæ sint flexilia, ac docilia ad motus, & impressiones gratiæ tuæ. Divine consolator animarum, flatus adorabilis Patris, & Filii, fons inexhaustus luminum, ardens fornax amoris, Spiritus veritatis, sanctitatis, caritatis, suavitatis, pacis, atque concordiæ, descende in nos hodie, veni ad confirmandum infirmos, ad roborandum pavidos, ad subigendum rebelles, flectendum pertinaces, exhilarandum tristes, consolandum afflictos. Non petimus, ut nobis concedas sicut Apostolis miraculorum patrandorum facultatem; petimus solum, ut in nobis formes veram justitiam, veramque sanctitatem, quæ nonnisi a te procedere potest, qui ejusdem unicus es fons. Facti tuæ sanctitatis participes, efficiemur etiam tuæ felicitatis consortes, in hac quidem vita per gratiarum tuarum affluentiam, in altera vero per divitias gloriæ tuæ. *Pater Chaussemer*.

MYSTERIUM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

MONITUM.



Arduum non est assequi conjectura, cur plerique concionatores evitent habere Sermonem de adorabili Trinitate ea die, qua ab Ecclesia illius celebratur Festivitas, licet hoc Mysterium proculdubio maximum sit, & ceterorum principium. Conceptus, quem de hoc argumento homines imbibere, illud videlicet nimis abstractum esse, & superare mortalium captum, fidem adstruit; majorem fructum percipi posse ex argumento morali, quod non postulat adeo sublimis Theologiæ cognitionem, neque tantam dicendi facultatem. Quamobrem alii de fide tantum generatim loquuntur, alii de perfectionibus Dei verba faciunt, quin ne verbum quidem addant de ea, quæ omnium maxime admirabilis est, nempe de Unitate naturæ in Personarum multiplicitate. Alii tandem desperantes se cum fructu loqui posse de tanto Mysterio, sermonem componunt suum ad Evangelium, quod Ecclesia proponit die ejusdem festivitatis; ubi uberiorem dicendi campum sibi patere putant.

Meum non est praxim hanc non ita pridem invectam redarguere, satis enim mihi esse reor sequi instituti mei rationem, qui elegi provinciam suppeditandi materiam in omnia Religionis nostræ Mysteria, quorum augustissimum, & maxime necessarium illud Trinitatis colui, & de quo Ecclesia ut fideles edocerentur, semper diligentissime procuravit. Monendum est tandem, ut argumentum istud utilius pertractetur, Concionatori media insistendum esse via, catechistam inter, atque Theologum: videlicet, ut erudire cupiens nequaquam seipsum submittat ad familiarem sermonem, neque ita attollat, ut supra audientium captum assurgat, usus sine ulla necessitate verbis scholam redolentibus, a quibus abstinere hoc in argumento ita facile non est; sed illi danda est opera, ut explicet plane, quam fieri potest quidquid fides, & revelatio nos de incomprehensibili hoc Mysterio docuerunt, quod ideo potest sublimiores sensus amoris, obsequii, gratitudinis, & devotionis immittere erga Tres divinas Sancta Trinitatis Personas.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

I. SI hominis proprium eſt, & non extrema immortalitatis Animarum noſtrarum probatio, Religionem habere; verum quoque eſt dicere, Religionis proprium eſſe, attollere mentem, & cor hominis huic inſpirando dignas divinitate ſententias, regendo mores illius ad normam Veritatum, quæ ab illa traduntur: hæc eſt prærogativa chriſtianæ Religionis præ ceteris, quæ fuerunt unquam. Sed quemadmodum noſtræ Religionis fundamentum eſt adorabile Trinitatis divinarum Perſonarum Myſterium, hujus Myſterii fides proprie Chriſtianos facit, ejuſque cognitio omnino eſt ad ſalutem neceſſaria. Hac in re unice immorari mens eſt in hujus Feſtivitatis celebritate, adnitendo non quidem illud evolvere, ac vobis intelligendum proponere, quod toto Cælo mentis noſtræ vires excedit; ſed ſolum perſuadere vobis duas Veritates, quæ totam ſermonis hujus partitionem conſtituent. Prima; nihil nobis ingerere poſſe ſublimiores ſenſus de Deo, niſi Myſterii hujus incomprehenſibilitatem; quod quidem ceſſit in maximam laudem Religionis. Altera; nihil ad amandum, atque ſerviendum ſummo huic Deo nos magis impellere, quam quod ratio fidei luminibus ſuffulta *detegit de hoc eodem Myſterio*; quæ duo, ſicuti ſunt finis Religionis, erunt etiam hujus ſermonis partitio.

Pars prima; ajo cognitionem, quam Fides nobis tribuit de hoc Myſterio, quamvis confuſam, & craſſam, præbere nobis altiorem, nobilioremque divinæ hujus Majeſtatis Ideam, quam quidquid concipere in hac vita poſſumus per omnes ratiocinationes, niſus, atque conatus humanæ mentis. Quamvis enim comprehendere non valeamus quomodo ſubſiſtat in tribus Perſonis Deus, & ibi inveniantur apparentes quædam contrarietates, quas mens noſtra explanare non poteſt; audeo tamen dicere hanc ipſam incomprehenſibilitatem id eſſe, unde Myſterii magnitudinem cognoſcere poſſumus. 1. Quia ſi illam penetrare *poſſemus*, & ſi Deus, quantumvis *infinitus*, *poſſet mentis noſtræ captu contineri, non eſſet id* aliquid magnum, quia captus noſter tantus non eſt, neque ſatis profunda illius penetratio; ſed ſcire creata omnia, omneſque beatos Spiritus ſimul conjunctos illud aſſequi non poſſe; hoc ſane mihi adſtruit cognitionem nobiliorem, atque præſtantiorem, & ad veritatem hanc intelligendam, & in lucem afferendam nihil requiritur præterquam quod rite exponere, cum fidem, tum rationem innixam revelationi, quæ nobis facta fuit. Plures id genus expoſitiones occurrent in paragraphis 5. & 6. unde inferri poterit, incomprehenſibilitatem hujus Myſterii nobis adſtruere nobiliorem Dei, quem adoramus, conceptum.

2. Gloriam Dei eſſe, recognoſci ex creaturis ſuis per confeſſionem infirmitatis ſuæ; quia hoc idem eſt, ac fateri tantum fulgorem Majeſtatis ſe ſuſtinere non poſſe, & hoc Myſterium, quod interiorem illius gloriam conſtituit, probare exteriorem per cognitionem, quam nobis tradit, licet imperfectiſſimam, cui nihil poteſt comparari; quod facile probatur per comparationem populorum, qui ignoraverunt Myſterium hoc adorabile, & nihilominus judicarunt opus eſſe Religione quadam, ad præſtandum cultum Divinitati, quam venerabantur. Etenim quot errores, & quot inſanæ opiniones cordatiſſimorum etiam virorum circa Divinitatem invenientur in tractatus hujus decurſu? Igitur ſi gloria conſiſtit in perſpicua cognitione meriti, & magnitudinis alicujus; quam gloriam haurire poterat Deus ex cognitione adeo abjecta, & falſa Majeſtatis Dei, & divinarum illius profectionum? Sed poſt hujus Myſterii revelationem, tunc homines veram habuere ideam magnitudinis Dei, eique veram tribuere gloriam; gloria Patri, Filio, & Spiritui Sancto &c.

3. Demum Religionis gloria eſt habere Myſteria ſupra ipſam rationem poſita, & omnimodam mentis noſtræ ſubmiſſionem flagitantia; & admirabilis eſt divinæ Sapientiæ Providentia, quæ homines ſalvare voluit, illos vocare ad cognitionem veritatis, fide potius, quam ratione, quia non omnes pares ſunt argumentationibus acutis, ſed omnes pares ſunt credendis Myſteriis, & iis etiam, quæ ſublimiora ſunt, Gratiæ ſubſidio. Ita ſicuti Sapientiores ubi ſequuti ſunt ſola rationi ſuæ lumina, erraverunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis, Apoſtolo teſte, Deus operæ pretium duxit rationem aliam ſequi, quæ eſt: homines pertrahere præſertim per hujus Myſterii fidem, quæ illos credere cogit ea quæ rationem ipſorum ſuperant, & quæ rationi eidem videntur in ſpeciem adverſari.

Pars altera: Quemadmodum non ſumus aliquando futuri beati, niſi per viſionem trium adorabilium Trinitatis Perſonarum; ita in hac vita Sancti non erimus, niſi per earum amorem. Hic autem vobis oſtenſurus ſum, hanc eamdem Majeſtatem complecti plures, & urgentiores hujus amoris cauſſas, quandoquidem 1. Nihil nobis melius oſtendit, quemadmodum Deus prior nos dilexerit; quippe creavit nos ad imaginem ſuam, & videntur Tres divinæ Perſonæ voluiſſe in nobis imprimere apertiſſima lineamenta ſimilitudinis earum in Natura, & Gratia. 2. Nihil melius teſtata facere ea, quæ ab illo recepimus beneficia, & quæ a ſingulis Perſonis peculiariter accepimus. 3. Nihil melius detegere nobis ſuaviſſimam amabilitatem, divinaſque Dei Perfectiones, quam Myſterii hujus revelationem.

II. Ut cum utilitate ſermonem habeamus de ſacroſanctæ Trinitatis Myſterio, & iſte, quoad fieri poteſt, ad morum noſtrorum ædificationem referatur: en tres propoſitiones, quæ Sermonis hujus argumentum, & partitionem conſtituent.

1. Dico: Profeſſionem, quam in Chriſtiana Religione elicimus credendi in uno tantum Deo Trinitatem Perſonarum, actum eſſe Deo glorioſiſſimum, quem Fides noſtra valeat producere; Propoſitio prima.

2. Dico: eſſe fundamentum ſolidiſſimum ſpei noſtræ; ſecunda propoſitio.

3. Denique dico: eſſe vinculum caritatis, quod invicem regnare debet inter homines, præcipue vero inter fideles; propoſitio tertia. Prima vobis oſtendet quid faciamus pro Deo confitentes adorabilis Trinitatis Myſterium. Secunda, quid faciamus pro nobiſmetipſis; & tertia quod viciſſim alternis facere debeamus. Credere Deum unum in Perſonis tribus, maximum eſt Fidei obſequium, quod Deo præſtare poſſit creatura; hæc erit pars prima. *Credere Deum in tribus Perſonis maximum eſt confidentiæ argumentum, quam creatura habere poſſit in Deo; hæc* erit altera, *Credere Deum in tribus Perſonis*, eſt habere ob oculos validiſſimam cauſſam, & præſtantiſſimum Prototypum caritatis, quæ nos omnes in Deo, & ſecundum Deum conjungere debet; hæc tertia. Hæc omnia moralia ſunt, & attentionem veſtram expoſcunt. *Partitio hæc eſt Patris Bourdalove in primo tomo Myſteriorum.*

III. Deus, qui nobis mentem largitus eſt ad eum cognoſcendum, & lumina ad quærendum, in ſanctis Scripturis nos docet: ſe velle quæri in cordis ſimplicitate: *in ſimplicitate cordis quærite illum*: Et qui voluerint penetrare divinæ Majeſtatis ſecreta oppreſſum iri pondere gloriæ ipſius: *qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria*. Placeat nobis igitur offerre Deo hoc in ſermone tria adorabili Perſonarum divinarum Trinitati obſequia. Sap. 1. Proverb. 25.

Primum eſt humiliare mentem noſtram ſub magnitudine, & obſcuritate impenetrabilis hujus Myſterii.

Secundum applicare voluntatem noſtram iis, quæ in hoc Myſterio nobis ſunt benefica, & amabilia.

Tertium ſanctificare Animam noſtram exprimendo in nobiſmetipſis, & imitando *divinum hoc Myſterium*. *P. Texier in Tomo Myſteriorum.*

IV. Sicuti per hoc Myſterium Chriſtiani ſumus, duo omnino requiruntur ad obeunda veri Chriſtiani officia; videlicet, bene credere, & bene vivere; quorum alterutrum ſi deſit, Chriſtianus, qui rationis eſt compos, nunquam perveniet & ad bonum ſupremum, quod nobis Chriſtiana Religio promittit: in Myſterio autem adorabilis Trinitatis, continentur hæc duo eſſentialia munera Chriſtianiſmi.

Primum, hoc Myſterium, quemadmodum illud exponit Eccleſia, & quomodo a nobis intelligendum eſt, redigitur ad credendum 1. Unum eſſe Deum, & fidem, atque rationem docere nos, quam ideam, & ſenſum habere debeamus de illius Juſtitia, potentia, providentia, & aliis, quæ continentur in plurimis articulis Fidei noſtræ. 2. Deum hunc unicum in eſſentia ſubſiſtere in tribus Perſonis, quorum una non eſt alia; & quamvis tres indiviſæ conferant, primum quidem ad Sanctitatem noſtram, deinde vero ad æternam Beatitudinem, ſcimus tamen, per appropriationem, creationem Patri, Redemptionem Filio, & Spiritui Sancto Sanctificationem acceptam eſſe referendam, & mox id, quod Fides nos docet de Verbi Incarnatione, & ſalutis adminiculis, quæ Filii merita, ut Spiritus Sancti Gratiæ nobis procurant. Ita Myſterium hoc, quod cererorum fundamentum eſt, continet, veluti in compendium, vel potius eminenter complectitur quidquid homini Chriſtiano credendum eſt.

2. Eſt exemplar eorum, quæ nobis credenda ſunt, & la-

& rationis, qua vivendum nobis est, ut simus veri Christiani. Ut hac de re nobis sit persuasum, meminisse debemus; Mysterium, quod colimus, complecti duo illa, quæ diximus esse præcipua objecta Fidei, & adorationum nostrarum, videlicet, Unitatem Essentiæ Dei, & Personarum Trinitatem. Hoc posito, duo quoque sunt, quæ debent esse argumentum imitationum nostrarum, & normam eorum, quæ nobis facienda sunt, ut simus veri Christiani. 1. Imitari debemus adorabilem hanc Unitatem per Christianæ caritatis unionem, hoc enim Salvator concupivit, & enixe petiit a Patre suo, ut *fideles inter se unum sint, quemadmodum nos unum sumus*. 2. Caritatem nostram perficere debemus imitantes secundam hanc communicationem, quæ inter Personas divinas invenitur; nempe, quemadmodum Pater communicat Filio naturam suam, & quidquid habet, & quidquid est, una excepta Paternitate, quæ est incommunicabilis, & quomodo Pater, & Filius communicant quidquid perfectionum in ipsis est, & quæ possunt communicari, similiter verus Christianus communicare debet fratribus suis liberali caritate ea bona, quæ a Deo recepit, etiam eadem in illos effundens.

V. Revelavit nobis Deus Mysterium Augustissimæ Trinitatis in divinis Personis triplici de caussa; Primum, ut nobis aperiret hoc ipsum Mysterium, quod incognitum, & ignoratum fuerat, quasi universe in toto orbe terrarum. 2. Ut nobis ostenderet beneficia, quæ inde recepimus. 3. Ut significaret perfectiones, quas in se possidet Trinitas. Aperuit nobis hujus Mysterii veritatem, ut illud credere teneremur; ostendit nobis beneficia, quibus cumulati fuimus, ut illi gratias ageremus; significavit tandem perfectiones, quas in se continet, ut easdem imitaremur: ex tribus his caussis triplicem eliciamus ad doctrinam nostram, propositionem. 1. Revelavit nobis hujus Mysterii veritatem; ideoque Fidem nostram, nostramque mentem illi sacrificare tenemur.

2. Aperuit nobis beneficia, quæ recepimus; ideoque debemus illi memoriæ nostræ, & jugium gratiarum nostrarum sacrificium.

3. Exposuit nobis perfectiones suas, tamquam objectum imitationis nostræ; ideoque suum debet imperium exercere in cor, & voluntatem nostram: quæ eres sunt partes sermonis. *Ex Biroat Sermone 2. de hoc Mysterio.*

VI. Bifariam respicere possumus hoc Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, vel tamquam Mysterium tenebrarum, & caliginis; quia Scriptura illud nobis revelans simul etiam celat, tamquam impenetrabile, ac toto Cælo mentium nostrarum captum excedens; vel tamquam Mysterium splendoris, ac lucis; quia facta nobis revelatio palam ostendit divitias Bonitatis, & Amoris Dei erga homines; sed ex hac obscuritatis, ac lucis Mysterio duplex insigne bonum recipimus.

1. Per illius obscuritatem, magnitudinem ejus intelligamus, in eo quod mentes nostras excedit, quemadmodum vetus quidam Christianus auctor loquens de Philosophis, qui cognoscere voluerunt Dei naturam per lumen Rationis, dixit, *illos nunquam habuisse nobiliorem Dei cognitionem, nisi cum omnem abiecere spem illius cognoscendi: Majestatem Dei intelligendi desperatione senserunt.* Minutius Felix in Octavio.

2. Per illius fulgorem, ac lumina, quæ hæc Majestas in Mundum protulit illuminans nos nova hac cognitione, ostendit nobis suam erga nos Bonitatem: quorum alterum spiritus nostri submissionem, alterum cordium nostrorum poscit gratitudinem. *Idem in Sermonem primum in hoc Mysterio.*

VII. Mysterium, quod recolit Ecclesia in hac festivitate, Mysterium adeo sublime, ac impenetrabile ab hominibus cognosci non potuit, vel in lege Naturæ, vel in lege scripta, vel si cognitus fuit nonnullis ex sanctorum Patriarcharum, vel Prophetarum numero, hoc accidit in figuris, & obscure adeo, ut non desit dubitandi locus, utrum illud ipsi intellexerint. Secretum hoc reservatum fuit legi Gratiæ pro Populo dilecto, & pro filiis fœderis novi, ita ut de hoc divino Mysterio dici possit, quod Sanctus Paulus dixit de Incarnatione: *Sacramentum quod absconditum fuit a sæculo, & a Generationibus; nunc autem manifestum est Sanctis.* Ubi invenio, Deum ita amasse Christianos, ut nobis revelaverit, quod ipsi per nos assequi non possumus, cum tota mentis nostræ perspicacia, & acumine. Nunquam attigissemus Trinitatis cognitionem, nisi Deus ipse os aperuisset ad eam nobis tradendam, & non potuissemus unquam credere, nisi ille explanasset sensum suum verbis ita perspicuis; quapropter vobis ostendere fert animus,

1. Magni hujus Mysterii veritatem esse prorsus incomprehensibilem.

2. Esse nihilominus indubitabilem: scilicet, nihil hoc rationi obscurius, nihil tamen hoc fidei evidentius esse. Verbo, claudendos esse oculos, ut credatur; hoc punctum erit primum; & nosmet excæcandos, ut credamus; quod erit alterum. *P. de la Colombiere tomo 1. sermone pro die Trinitatis.*

VIII. Duplex tantum genus est luminum, quorum ope cognoscere possumus Sanctæ Trinitatis Mysterium adorabile; lumen Fidei, & lumen gloriæ. Velle, Sanctus Bernardus ait, magnum hoc Mysterium cognoscere lumine rationis: *vana curiositas est.* Illud cognoscere lumine Fidei, ut in hac vita amemus, & adoremus illum: *magna securitas est.* Sed postquam illum in hac vita amaverimus, & adoraverimus, intueri in altera: *summa felicitas est.* Relinquamus ergo primam rationis cognitionem, & immoremur in reliquis duabus, ac ex illis duas sermonis partes constituamus.

1. Cognitionem Mysterii Trinitatis per Fidei lumen æque utilem esse, ac tutam: hoc punctum erit primum.

2. Cognitionem in Cælo per lumen gloriæ æque beatam esse, ac perspicuam: hoc erit alterum. *Pater Chaussemer in sermonibus de Mysteriis.*

IX. 1. Adniti volo ostendere in priori sermonis hujus parte magnitudinem Mysterii, quod hodie recolimus, & quam perfectionum Dei ideam nobis tribuat Scriptura.

2. In altera videbimus cultum, quem debemus Deo, & quomodo sit a nobis adorandus. *Liber, cui titulus, sermones ascetici; sermone pro die S. Trinitatis.*

X. Opus est, ut principium, & fundamentum veræ Religionis duas habeat sibi essentiales qualitates; oportet, ut hinc quidem sublimem nobis adstruat ideam magnitudinis Dei; inde vere perfecte cognoscendam præbeat hominis infirmitatem, ut aliquid nobis communicet de Creatoris quidem potestate, de Creaturæ vero infirmitate; quæ duæ qualitates perfecte continentur in Trinitatis Mysterio, quam tamquam primum Fidei nostræ objectum veneramur.

1. Nihil nobis tribuit sublimiorem Dei conceptum, quam cognoscere ipsum infinitis spatiis omnes cogitationes nostras excedere.

2. Nihil nobis tribuit humiliorem conceptum hominis, cujus mens adeo a rectis limitibus continetur, ut ne seipsum quidem cognoscat, neque millesimam partem earum rerum, quæ sunt circa ipsum, & cui nihilominus tanta inest temeritas, ut velit Divinitatis abyssum perscrutari, quæ caussa est maximorum errorum, qui palam ostendunt, quam per se sine fidei subsidio sit infirmum. *Specimina Sermonum pro Dominicis per annum.*

XI. In nostra Religione nullum est Mysterium majus, sublimius, & divina Majestate dignius sanctissimæ Trinitatis Mysterio.

1. Quia nullum est, quod tribuat nobis altiorem conceptum, ac majorem illius Dei cognitionem, quem adorant Christiani.

2. Quia hoc Mysterium ipse Deus in lege Gratiæ nobis revelavit.

3. Quia Mysterium hoc nos, & homines fecit, & christianos. *Sermo manuscriptus Patris Stephani Chamillard.*

XII. 1. In sanctæ adorabilisque Trinitatis nomine Christiani sumus.

2. Per frequentem hujus Mysterii, & eorum, quæ promisimus, cum Christiani fieremus, memoriam, vivemus tamquam veri, & fideles Christiani.

3. Per adorabilis hujus Mysterii invocationem morimur, ut decet veros christianos, atque prædestinatos; quia minister Ecclesiæ hoc a Deo petit in ipso nostræ mortis articulo.

XIII. Duæ tantum patent viæ, quibus ad Dei cognitionem pervenitur; rationis, & Fidei. Si procedere volumus tantum per rationis viam, certissime excæcabimur, & errabimus in perquisitione naturæ Entis hujus Supremi, quod unicum est, quamvis in tribus Personis perfecte distinctis subsistat. Ut igitur habeamus sublimis hujus veritatis cognitionem, confugiendum est ad Fidem, quæ una potest nobis satisfacere in desiderio adeo præstanti, quale est illud Deum cognoscendi.

1. Teneo igitur Fidei viam unicam esse, ut Dei cognitionem assequamur, qui quidem unus est in natura, & essentia, sed triplex in Personis, ut hoc in argumento dici solet.

2. Addamus etiam hanc eamdem unicam esse viam, per quam ad ejus amorem perveniamus. Neque enim ex toto corde amabimus Deum, nisi cognoverimus illum per lumen Fidei nostræ, quo illum cognoscere possumus. *Ogier in Tomo 2. publicarum actionum suarum.*

XIV. Hujus argumenti sermo in duas partes dividi potest.

1. Est mentis submissio, quam debemus Mysterio, quod superat hominum, & Angelorum intellectum, propter caussas, quas habemus nosmet submittendi huic Veritati licet aliter lumina rationis, & sensuum suadeant. Hæ porro caussæ sunt innegabilis revelatio a Dei Filio nobis facta; testimonia, quæ Cælum nobis tribuit, & quæ fuerunt manifesta; ratiocinatio ipsa, quam nos facere possumus de hoc Ente supremo,

mo, quod seſe communicare debuit infinite ab æterno, quemadmodum infinitum est, & æternum.

Pars altera obsequium, quod debemus Deo propter hoc Mysterium, quod in tribus consistit. 1. In gratitudine propter ea bona, quæ a tribus Personis recipimus. 2. In timore filiali, ac reverentiali. 3. In amore nostro erga Deum.

XV. In adorabili, & incomprehensibili Mysterio Dei Unius in tribus Personis, est quid clam, quod ipsi lumine naturali cognoscimus, & quiddam, quod nonnisi per revelationem didicimus, sed quæ necessario sunt nobis credenda, ut simus Christiani. Quod evidenter per solum rationis lumen cognoscimus, hoc est: Unum duntaxat esse posse Deum, quod pariter efficere debet, ut agnoscamus Bonum, atque præstantiam Christianæ Religionis præ illis omnibus, in quibus falsa numina adorantur. 1. Quia Unum duntaxat supremum habemus Dominum, a quo rebus in omnibus pendemus, cui unice placere debemus, & cui supremum cultum debemus adhibere; sed facile est satisfacere Domino, nihil jubenti, quod sit ultra vires nostras, cognoscenti, & gratam habenti levissimam quamlibet opellam nostram. Heu! Ubinam essemus, si nobis obsequendum esset diversis dominis, consequenter oppositas voluntates habentibus? Quamobrem dixit Dei Filius: *Nemo potest duobus Dominis servire.* 2. Unum duntaxat supremum habemus Judicem, cui rationem actuum nostrorum reddituri sumus, qui eorum testis est, qui de illis judicat, quia tales sunt; & qui scrutatur penitiores cordium latebras, & qui perfecte cognoscit quidquid facimus propter illum & cap. 3. Hic unicus est universorum Dominator, simulque Creator noster, & novissimus finis noster, qui omnia fecit pro nobis, & qui solus nos æternum beatos potest efficere &c.

Pars altera, quod de divino hoc Mysterio cognoscimus per revelationem a Filio Dei nobis factam, complectitur validas, & urgentissimas illius amandi caussas. 1. Quia Nobis ostendit, se priorem dilexisse nos; cum enim non indigeret opera nostra, creavit nos ad Imaginem suam, & tres divinæ Personæ Trinitatis impresserunt in nobis Characteres similitudinis suæ in natura, & gratia, quod proculdubio argumentum est amoris, ac distinctionis, cujus Æternæ gratiæ nobis, & agendæ, & habendæ sunt. 2. Quia de tribus his adorabilibus Personis cogitare *non possumus, quin meminerimus Æternum Patrem nos ad excessum usque dilexisse*, & dedisse nobis Filium, a quo redimeremur; Filium hunc unicum, Æternum, & immortalem seſe fecisse nobis similem, ut nos similes faceret sibi; & Divinum Spiritum hunc dignatum fuisse communicare se nobis ineffabili modo, ut esset nostræ justificationis Principium. 3. Est etiam potens gratitudinis argumentum, ex hoc Mysterio cognoscere naturam Boni, vere esse communicare seipsum, sed quamvis communicationes intra se sint infinitæ, voluisse etiam se communicare ab extra, & facere, ut ipsi eodem perfruemur bono, quo ipse gaudet; qui quidem effectus est bonitatis, & amoris, cui pares referre gratias non possumus. 4. Satis non est, Deum libere nobis bona conferre; voluntas Trium Personarum est, ut agnoscamus desiderium, atque potentiam trium omnium Personarum, id exequentium; igitur omnibus Personis omnes sumus debitores.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque auctores, unde haurire copia potest ad propositas sermonum Ideas exornandas.

SAnctus Augustinus composuit libros quindecim de Sancta Trinitate summo cum labore, ut ipse testatur.

Idem in primo Sermone *de Verbis Apost.* Verba facit de incomprehensibilitate naturæ divinæ, de Personarum Æqualitate, & de Unitate in Trinitate.

Idem *in serm.* 19. & 189. loquitur de ineffabili hoc Mysterio.

Idem, vel auctor sermonum *ad fratres in Eremo sermone* 15. nos monet, ut coerceamus curiositatem nostram in hoc argumento, & nolimus scire plura iis, quæ Dei Filius docuit discipulos.

Sanctus Ambrosius *lib.* 1. *de Fide ad Gratianum Augustum cap.* 2. tractat hoc Mysterium, & exponit, quid Ecclesia credere nos jubeat, & in prologo lib. 2. illud explicat.

Idem *lib. de dignitate Animæ cap.* 2. docet quomodo Trinitatis Imago reperiatur in homine. Et eodem libro docet propter similitudinem hanc, Deum a nobis amandum esse ex toto corde, mente, & anima nostra.

Origenes *Homil.* 9. *in caput* 6. *Isaiæ*, comparat generationem Verbi luci, & splendori, qui æque vetus est, ac lumen, a quo procedit.

Sanctus Chrysostomus *tomo* 5. *sermone de Trinitate* probat hoc Mysterium per Scripturas, & pro primo argumento affert illud ex Genesi: *faciamus hominem ad imaginem nostram.*

Idem tomo 6. sermonem habet, ubi Verba facit de Trinitate consubstantiali, inseparabili a Personis distinctim contra Arrium, Macedonium, & Hæreticos alios, qui contra admirabile hoc Mysterium insurrexerant.

Idem habet quinque *Homilias de incomprehensibili Dei Natura*, & in quinta mirifice explicat Apostoli Verba: *Qui habitat lucem inaccessibilem.*

Symbolum Sancti Athanasii continet quidquid nobis credendum est in hoc ineffabili Mysterio.

Sanctus Bernardus in primo brevium sermonum suorum loquitur de Creata Trinitate, quæ in nobis est per tres Animæ nostræ facultates, & explicat, quomodo hæc deciderit a præstantia sua, & quomodo fuerit per peccatum corrupta.

Idem *in lib.* 5. *de consideratione* adhibet capita 6. 7. 8. 9. 10. probaturus, & explicaturus divinæ Naturæ Unitatem, & Trinitatem personarum.

Sanctus Eucherius, vel Eusebius Emissenus in sermone de hoc Mysterio, præclaram tribuit ideam magnitudinis Dei.

Sanctus Thomas præter ea, quæ *in summa* docet de Unitate Dei, & Trinitate Personarum divinarum sermonem habet in Verba illa: *O altitudo Sapientiæ, & Scientiæ Dei &c.*

S. Bonaventura in 3. Festivitatis hujus sermone ostendit, credendam, timendam, amandam, & adorandam esse Sanctissimam Trinitatem.

S. Bruno tres habet hujus Festivitatis sermones, in quorum *tertio de hoc adorabili* Mysterio verba facit.

Gerson duos habet de Trinitate sermones, in quorum primo loquitur de Deo Uno in essentia, & Trino in Personis.

Granatensis in catechismi parte 4. dialogum habet, ubi instruit proselytum eorum omnium, quæ ad hoc pertinent Mysterium.

Jacobus Alvarez de Paz 3. *Operum suorum tomo part.* 3. *decad.* 9. *contemplat.* 81. *& seq.* agit de hoc Mysterio, ac de his, quæ ad illud referuntur.

P. de Argentano Cappuccinus *tom. collat. de Magnalibus Dei collat.* 6. 7. *fusius loquitur de divino hoc Mysterio.*

P. Novet part. 3. *hominis Orationis* plures habet meditationes amplum tractatum exæquantes.

P. a Ponte in meditationibus de Mysteriis fidei 6. *p. medit.* 4. fuse agit de Unitate Dei, de Personarum Trinitate, & de divinis Perfectionibus.

P. Haineuve meditationem habet pro Dominica Trinitatis.

P. Bourgoin quatuor habet de hoc Mysterio meditationes, ubi postquam in prima ostendit adorandam esse Personarum divinarum Trinitatem in essentiæ Unitate, in reliquis tribus sequentibus ostendit quamlibet ex divinis Personis singillatim esse adorandam.

Liber, cui titulus *Sapientia Christiana* Eximii Guilleminot *cap.* 2.

P. Nepveu in primum tom. Christianarum considerationum loquitur de Unitate Dei, & in 2. Suppeditat pios affectus erga Trinitatem.

P. Levalois in Asceticis colloquium habet de hoc Mysterio.

Guillelmus Auctor Italus spissum edidit volumen hujus argumenti.

Plurimi Theologi, & catechistæ *more suo hoc argumentum tractarunt.*

E Concionatoribus, qui data Opera loquuti sunt de hoc Mysterio.

Matthias Faber, inter plures festivitates hujus sermones tres habet, hoc Mysterium explicantes.

Biroat in Tomo Mysteriorum duos habet.

P. Bourdalove in tomum primum sermonum *in Mysteria.*

Pater Texier in tom. Mysteriorum unum habet, & in dominicali pro die Trinitatis.

Ogier incipit Tomum secundum actionum suarum publicarum sermone de Trinitate.

P. Duneau in tom. Mysteriorum duos habet hujus argumenti sermones, Fromentiere, & Abbas du Jarry.

Auctor sermonum in omnia ethicæ Christianæ argumenta in Mysteriis Domini nostri.

In Specimine sermonum in Dominicas, & in sermonibus moralibus sermo est de Trinitate.

Labatha } *tit. Deus.*
Lohner }

Homiliæ Cartagenæ.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, Figuræ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Deuteronom. 32.

Ego Dominus, extra me non est Deus. Isaiæ 45.

Ego ipse sum; ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Isaiæ 43.

Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse & Deus tuus in Cælis sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. Deuteron. 4.

Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Isaiæ 4.

Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Baruch 3.

Domine quis similis tibi? Psalm. 34.

Magnus Consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Jeremiæ 57.

Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Job 36.

Posuit Deus *tenebras latibulum suum.* Psalm. 17.

Qui lucem habitat inaccessibilem. 1. Ad Timot. 6.

Quem nemo vidit unquam, sed nec videre potest. ibid.

Generationem ejus, Verbi Divini, *quis enarrabit?* Isaiæ 53.

Videmus nunc per Speculum, & in ænigmate, tunc etiam facie ad faciem. 1. Ad Corinth. 13.

Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, invisibilia conspiciuntur. Ad Rom. 1.

Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Ad Ephes. 4.

Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, & gloria. 1. Ad Timot. 1.

Docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28.

Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Matthæi 11.

Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis &c. Ad Romanum 1.

O altitudo divitiarum, Sapientiæ, & Scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Ad Rom. 11.

Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. 1. Joann. 5.

Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM. Joannem 17.

Pater Sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Ibidem.

Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Ibidem.

Ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ibidem.

Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram. Genes. 1.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Apocal. 4. & Isaiæ 6.

Filius meus es tu, ego hodie genui Te.

Exempla, figuræ & similitudines veteris, novique Testamenti.

Homo factus fuit ad imaginem Dei, ejus similitudinem gerit.

PRima similitudo, quæ simul est probatio magni hujus Mysterii, invenitur in *lib. Gen. cap.* 1. ubi Moyses representat Deum, tamquam consulentem de hominis creatione, & dicentem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quibus enim hæc dicit? non certe Angelis: Angeli enim nihil contulerunt, nihilque conferre potuerunt huic operi. Ceterum homo factus fuit ad Imaginem Dei; non autem Angeli; ideoque Deus Pater dicit Filio, & Spiritui Sancto verba illa. Hi sunt cooperatores in hominis Creatione: loquitur ad Coopificem Filium, & Spiritum Sanctum, inquit Sanctus Chrysostomus. Verba, quæ in scripturis sequuntur, *Deus creavit hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, colligunt tres divinas Personas, & docent tres omnes illas unum esse Deum. Hinc inferimus Animam nostram factam esse ad Imaginem, & similitudinem Dei, nos in illa gerimus Trinitatis Imaginem. Patris in memoria; Filii in intellectu; Spiritus Sancti in voluntate. Sicut enim, tres hæ facultates unam duntaxat constituunt Animam; ita tres divinæ Personæ Unum constituunt Deum; & hæc similitudo plerumque adfertur ad adstruendam, ac tribuendam imperfectam aliquam cognitionem Mysterii hujus incomprehensibilis.

Visio Abrahæ, qui tres vidit, & unum adoravit, Figura Trinitatis.

Una ex pulcherrimis Imaginibus Trinitatis, & veluti prima lectio, quam tradidit Deus hominibus, ut illos disponeret ad Mysterii hujus cognitionem, ea est, quod in eodem Geneseos libro *cap.* 18. Domino apparente Abrahæ hic visus est sibi videre homines tres coram se, quos cum vidisset, se prostravit, & adoravit dicendo, *Domine*. Mystica visio, quam habuit Pater fidelium, proculdubio repræsentabat illi Imaginem Trinitatis, & perfectam æqualitatem divinarum Personarum in ejusdem Essentiæ Unitate: nam cur Dominus, volens se ostendere Abrahæ, fecit, ut illi tres homines apparerent? & cur Abraham videns tres collegit illos in unum, ut illis cultum, & obsequia sua præstaret? *Tres vidit, & Unum adoravit*; S. Augustinus inquit! Nisi quia tres illi Unum sunt tantummodo, & Unum Deum, & Unum Dominum constituunt. *Domine*.

Visio Isaiæ Prophetæ repræsentat adorabile Mysterium Trinitatis.

Sexto Capite Isaiæ, Propheta hic narrat se vidisse Dominum in sublimi Throno sedentem, circum quem stabant Seraphim, sex alas singula habentia, quarum duabus quidam velabant faciem ejus, duabus aliis velabant pedes ejus, & reliquis volabant sibi invicem clamantia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus, & omnis terra repleta est gloria sua.* Canticum hoc divinum, quod incessanter psallant Seraphim in Cælo, & Ecclesia quotidie repetit in terra dum Sancta Mysteria celebrantur, nobis exhibet adorabilis Trinitatis Mysterium. Beati illi Spiritus dicunt semel *Dominus*, & semel *Deus*; sed non dicunt tamen semel *Sanctus*. Hoc ter inquiunt, non bis, nec quater. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus.* Unde liquido constat tres divinas Personas habere distinctim unam gloriæ æqualitatem, unamque unitatem Naturæ.

Aliæ imagines & similitudines Trinitatis sed imperfectæ.

Sancti Doctores dederunt nobis imagines, & similitudines, ut nobis præberent faciliorem hujus Mysterii cognitionem. Animadverterunt in Sole substantiam, radium, calorem; dixeruntque Solem repræsentare posse Patrem, qui se communicat Filio, tamquam radio suo, quandoquidem Filius a S. Paulo vocatur Splendor gloriæ suæ; mox respexerunt Solem, & radios, qui sunt tamquam caloris principia, veluti Imaginem Patris, atque Filii producentium Spiritum Sanctum Ardorem, & personalem Amorem utriusque; consideraverunt quoque Animam nostram cum tribus facultatibus suis, memoria, intellectu, & voluntate, quæ Unam tantummodo efficiunt Substantiam spiritalem, & indivisibilem, tamquam adumbrationem trium Personarum, Unam, eamdemque Divinitatem constituentium. Sed in hisce omnibus similitudinibus defectum invenerunt, & quandam insufficientiam ad hoc Mysterium exprimendum; dixeruntque cum Sancto Hilario, *quod omnis comparatio homini utilis potius habeatur, quam Deo apta.* Confessi sunt cum Tertulliano: *Dei principaliter proprium esse nullius rei capere comparationem.* Sufficiat ergo nobis dicere cum JESU CHRISTO: Unum esse Deum essentiæ simplicissimæ atque indivisibilis, hanc tamen essentiam subsistere in tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto; cetera vero esse impeditissima, maxime confusa, & obscura ad Mysterium hoc explanandum.

Iris in Cælo Trinitatis imago.

Sanctus Basilius invenit in iride Mysterii hujus imaginem, Iris, Pater hic inquit, nubes est, quam idem radius tribus diversis coloribus imbuit, & Sanctus Dionysius Allexandrinus illam comparat aquæ fontis defluentis, quæ rivulum facit, a quo tandem fluvius producitur. En aqua, diversa habens nomina. Sed postquam omnes similitudines has, vel hæc symbola intellexerimus, caveamus, Sanctus Augustinus ait, ne putemus Mysterium Trinitatis nos intellexisse: profecto hæ omnes creatæ Trinitates, si ita dicere fas est, ubi non est realis distinctio, & Unitas tantum apparens sunt tria nomina uni, eidemque rei indita. Sed in Deo distinctio, & Unitas sunt æque reales: verum quidem est, Patrem non esse Filium, & Filium non esse Patrem; verum est nihilominus Unum esse, & idem; ita ut comparationes, quæ in hoc argumento afferuntur, opem ferre possint, ut concipiamus quid doceat Fides; non autem, ut comprehendamus, quod credimus.

Ratio cognoscendi utrum Idea, quam concipimus de Deo sit vera.

Scire vis, Sanctus Augustinus ait, utrum vera sit Idea, quam tibi effingis de Deo? Vide utrum Ideam hanc comprehendas; si comprehendis illam, non est Idea Dei, quam habes: Idea est Creaturæ, non Creatoris. Præclaram hujusce rei figuram habemus in natura: videmus aliquando Solem efficere in Nube quamdam Imaginem sui ipsius, & alium pene dixerim Solem; efficit, ut Imago sua tanta in luce coruscet, ut vix, & ne vix quidem distinguas verum Solem ab eo, qui est ejusdem imago. Si tamen nosse cupis, uter verus est Sol, en certissimum argumentum. Fixis oculis suspice ex his solibus alterum; si illum facile vides, nisi ille oculos tuos perstringat; Sol hic, quem vides, falsus est; sin autem e contra illum sustinere non potes, quin hallucineris; illum vides, cum illum videre non possis, radiis ejusdem excæcatus. Pariter scire vis, utrum Ens illud supremum subsistens in Tribus Personis, in unam collectis naturam, utrum inquam hoc Ens, cujus Imaginem efficis juxta Symbola, quæ vides in Natura, certum tibi indicium præ-

præbeo; si Ideam hanc comprehendis, si spectas primum hoc Ens, quin perstringaris, & ut loquitur Scriptura, quin *opprimaris pondere gloriæ suæ*, si arbitraris te concipere Naturam hanc simplicissimam, ac tres distinctissimas Personas; non est Deus verus, quem concipis, sed tantum ejus Imago: e contra, si Supremi hujus Entis Divinarumque Personarum Perfectiones tanta in luce refulgent, ut mentis tuæ oculos perstringant, & hallucinetur ratio tua: tunc Idea tua vera est, & Deus, quem concipere non vales, est Deus verus; quoniam superat Ideas nostras, & captum omnium spirituum creatorum.

Tres Personæ Trinitatis in Baptismo Filii Dei cooperatæ sunt.

Ex historia Sancta didicimus, Sanctissimam Trinitatem in Baptismo Domini nostri fuisse repræsentatam, & quamvis videantur singulæ Divinæ Personæ peculiarem aliquam seorsim actionem operatæ; verum tamen est dicere, quemadmodum docet S. Augustinus, omnia indivise peracta fuisse per Sanctissimam Trinitatem: videlicet, inquit ille, tota Sancta Trinitas formavit carnem JESU CHRISTI, quamvis hæc ad unum JESUM CHRISTUM pertineat. Tota Trinitas fecit Columbam, quæ visibiliter super illum descendit, quamvis illa ad Unum Spiritum Sanctum pertineat; Tota Trinitas effinxit vocem, quæ dixit: *Hic est Filius meus*, quamvis vox illa Uni Patri acceptam referatur. Quemadmodum autem Tres hæ divinæ Personæ in Mysterio Incarnationis consociatæ sunt ad attollendam Sanctam Salvatoris Humanitatem, usque ad Verbi unionem; & in Baptismo ejusdem ad declarandum id quod erat antea; videlicet Filium Dei per naturam; similiter in regeneratione nostra spirituali consociantur ad nos attollendos ad dignitatem filiorum adoptivorum.

S. August. serm. 63. de Verbis Domini & l. 2. de Trinitate c. 5.

Quidquid operabantur Apostoli in nomine S. Trinitatis operabantur.

Apostoli respexerunt semper Trinitatis Mysterium, tamquam Religionis JESU CHRISTI fundamentum. Quidquid operabantur, in Nomine adorabilis Trinitatis operabantur: Si prædicabant, si baptizabant, si patrabant miracula, omnia fiebant in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & JESUS CHRISTUS ipse illis proponit hoc tamquam principium, & fundamentum fidei eorum. *Euntes*, ait ille, *baptizate eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hinc Doctores consequenter docent Baptismum collatum non sub Nomine Trium adorabilium harum Personarum non esse verum, neque legitimum; adeo verum est Trinitatis Mysterium primum esse *objectum*, & *Fidei nostræ principium*.

Matth. 28.

In mundo mala & fatalis est Trinitas opposita Divinæ Trinitati.

Cum præcipuus Sanctæ Trinitatis effectus in tribus Animæ nostræ facultatibus fit impressam ibi relinquere suæ Sanctitatis Imaginem; ita animadvertendum est, esse in Mundo malignam, fatalemque Trinitatem, quæ increatæ opponitur Sanctitati, & delet in cordibus nostris creatam Sanctitatem, videlicet avaritiam, voluptatem, & ambitionem. Hæc triplex est illa concupiscentia, de qua loquitur S. Joannes, & quæ Mundi Trinitatem constituit: *Omne quod est in Mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia Oculorum, & Superbia Vitæ*. Hoc enim illud est, quod Mundus adorat, quod præ ceteris diligit, quod Idolum zeli est, quod erigit in corde suo, ut bellum agat cum Deo vero, & hominum affectus, atque intentiones illi præripiat. Prima concupiscentia, quæ est terrenorum bonorum concupiscentia, apponitur Æterno Patri, qui est Fons bonorum omnium, quæ large, effuseque omnibus creaturis impertit. Nobis hæc ab illius manu essent expectanda; & nihilominus incomposita ista concupiscentia Dei recordationem aufert, inficit memoriam nostram, & importunis nos replet sollicitudinibus, quæ nos ab illius avertunt famulatu. Secunda, nempe concupiscentia carnis, opponitur Verbo, cujus Nativitas in tempore, atque Æternitate, luce purior est; & hæc concupiscentia in Intellectum nostrum tot tenebras jacit, ut hic impar fiat intelligendis Cæli veritatibus, & secundum illas moribus suis conformandis. 3. Quæ est vanitatum, & divitiarum Sæculi concupiscentia, adversatur Spiritui Sancto in humilium corde quiescenti, & depravat voluntatem motibus Gratiæ rebellem. Hinc sequitur Animam, quo magis deperit tria hæc Idola, eo magis frigescere in amore, & obsequio Sanctissimæ Trinitatis.

1. Joann. 2.

Magnum hoc Trinitatis Mysterium Christianis tantum revelatum fuit, & infidelibus absconditum.

Trinitatis Mysterium secretum est, Christianis tantummodo revelatum; tantum enim abest, quod Abraham, aliique nonnulli Sancti Patriarchæ, & Prophetæ communicaverint Judæis lumina peculiaria, quæ hac de re hauserant, ut videamus reliquias perfidæ hujus nationis in omnia Mundi Regna dispersas, credere Deum, unicum in Persona, non secus ac in Essentia: non Patres eorum, non eorum Doctores quidquam illis de insigni hac Veritate tradiderunt. E contra vero, ne unus quidem Christianus est, qui toties non audierit verba sibi fieri de hoc Mysterio, quoties de Religione fuit eruditus. Scit se complexum fuisse legem Dei Hominis facti, ex quo scit Unum esse Deum in Tribus Personis: duæ cognitiones istæ, altera alteram sequitur, & nunc separari non possunt.

De cognitione quam habuere

Quod attinet ad cognitionem, quam habuerunt Sybillæ quæ de Deo loquuntur, qui genuit Unigenitum; quemadmodum earum carmina testantur apud Lactantium *cap. 4. lib. 6.* & quod de eadem re Ethnici nonnulli scripserunt, veluti Trismegistus in Pimandro, & Plato in Epistola, quam scripsit ad Dionysium Siciliæ Regem, ubi tria fatetur in Divinitate principia, & vult, hoc Mysterium arcanum haberi: & Orphæus, quemadmodum Theodoretus animadvertit, meminit in carminibus suis Dei, quem Spiritum vocat, & Divini Intellectus productionem; & id, quod habet Sanctus Augustinus *lib. 7. cap. 9. confessionum*, ubi asserit se legisse in libris Platonicorum quod S. Joannes dicit in principio Evangelii sui: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum, & omnia per ipsum facta sunt . . . .* Hæc omnia videntur ostendere inter Paganorum tenebras affulsisse quemdam Veritatis radium, quem dicimus infinite excedere captum, atque Intellectum omnium spirituum creatorum. Sed his objectionibus non arduum est respondere. Quod enim ad Sybillas pertinet, S. Augustinus, & universe Doctores omnes docent, illas a Deo inspiratas fuisse, & nihil dixisse, nisi quod cælitus didicerant: quod autem pertinet ad Gentilitatis Sapientes, Sancti Patres, & præsertim Sanctus Augustinus animadvertunt, illos legisse legis antiquæ libros, in quibus hæc Veritas pluribus in locis declaratur, quandoquidem ibi fit mentio de Deo, de Filio ejus, qui Verbum vocatur, & de Spiritu illius, cui universorum perfectio tribuitur. Hi bibliorum loci Ethnicis locum dedere nonnihil asserendi; sed illi nunquam satis intellexerunt hanc Divinarum Personarum distinctionem, quarum clara, & formalis revelatio Christianæ Religioni reservabatur.

huius Mysterii Sybillæ & aliqui Philosophi ex Gentilibus.

Applicatio nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

Quid in hoc Mysterio clarum, & quid in eodem obscurum est.

IN *Sole posuit tabernaculum suum . . . . . Posuit tenebras latibulum suum. Psalm.* 17. Regius Propheta ad ostendendam Gloriam, & Majestatem Dei utitur duabus istis locutionibus longe *diversis*, & quæ primo intuitu videntur *oppositæ*; cum dicat modo: *in Sole posuit tabernaculum suum*; modo vero, *posuit tenebras latibulum suum*; sed invenio duo hæc in speciem opposita in adorabilis Trinitatis Mysterio consentire; nam quod attinet ad Veritatem existentiæ Dei, lucidior est Sole. Probationes, inquit Sanctus Ambrosius, palam scriptæ sunt in omnibus universorum partibus, & lumen astrorum; & quamvis ipse vellet se abscondere sub densitate Cæli, ac Terræ, sua illum detegerent opera, Auctorem prædicantia; ita ut, quidquid conentur Athei deleturi generalem Divinitatis impressionem, quam magni hujus Mundi adspectus naturaliter format in omnibus hominibus, minime possint, vel jugulare, vel omnino illi caliginem offundere; sed quod pertinet ad Naturam in tribus Personis subsistentem, *hæ tenebræ sunt, quas acumine suo Intellectus noster penetrare non posset. Deus ex propriis luminibus suis sibi format integumentum*, quod illum inaccessibilem reddit propter nimium fulgorem suum, propter quem in scripturis vocatur *Deus absconditus*. Non igitur contendo vobis magnum hoc Mysterium aperire, cujus aspectus nobis reservatur in Cælo; potius illum imitarer, qui, cum capere non posset æstus marini caussam, se in Mare conjecit, & periit; videlicet feliciter potius memetipsum immergerem in Perfectionibus Dei, per mei cordis affectus, quam illum *vobis intelligendum proponere per infirmas mentis meæ Ideas*. Non sufficit ergo scire in hoc adorabili Mysterio tria esse, quæ ignorare non licet, sub tribus hisce verbis comprehensa; *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, videlicet Essentiæ divinæ Unitatem, Personarum Trinitatem, & infinitas præstantissimæ hujus Naturæ profectiones. Hoc verbum *Sanctus*, numero singulari, significat unitatem Dei; ter vero repetitur propter tres Personas, & Sanctitas divina, quod hoc Nomen significat, omnes Trinitatis Perfectiones involuit.

Quo altior nobis est idea de Deo, eo magis cognoscimus illum ideis omnibus esse superiorem.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Psal. 36. Cum Regio Propheta fatemur Deum esse incomprehensibilem, ita ut, quantumvis sublimis, ac nobilis Idea sit, quam de illo concipimus, fateamur nos quam maxime ab illius altitudine distare. *Accedet homo ad cor altum.* Quoad placuerit, cogitationes vestras attollite; concipite quidquid excelsum vobis visum fuerit; fingite quidquid esse potest, colligite omnes perfectiones Entium omnium in unum; separate quidquid imperfectum est: Deus est hæc omnia, & toto Cælo super omnia: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Dico, hanc Dei incomprehensibilitatem, quæ omnes superat ideas, & cognitiones nostras, efficere, ut illum melius agnoscamus.

Naturali lumine cognoscimus unum duntaxat esse Deum.

Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Deuteron. 32. Difficile non est comprehendere Unum tantummodo esse Deum, & primum Ens omnium

omnium Principium habere debere Unitatem: *Videte*; quasi innuere vellet Deus, & oculos duntaxat aperiendos esse ad cognitionem hanc acquirendam; has etiam Creaturas, quæ in varietate sua exhibent nobis infinitam Creatoris sui virtutem, prædicare nobis illius Unitatem per admirabilem hunc ordinem, & naturalem propensionem, quam habent ad se conjungendum. Hoc docet ratio; intelligimus enim sub Dei Nomine Ens infinite perfectum, & ita absolutum, ut nihil melius, perfectius, & absolutius fingi possit. Si essent plures Dii, duo simul sumpti pluris valerent, quam unus; ideoque quilibet Deus seorsim sumptus non esset Deus, quoniam aliquid inveniretur melius Deo. Præterea si plures essent Dii, varii esse possent in judicio, voluntate, ac potentia; & per consequens velle possent diversa, atque alii aliis adversari; quod palam tollit independentiam, absolutam potestatem, felicitatem, & immutabilem Dei requiem. Opus igitur est verum Deum dicere posse, *Ego Dominus; & extra me non est Deus, videte, quod ego sum solus &c.* Isaiæ 45.

Imperat Apostolis Deus, ut baptizent omnes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. Præcepit Salvator Apostolis suis, ut irent ad docendas gentes omnes, easque in Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti baptizandas: ut innueret prædestinationis felicitatem æque a tribus Personis procedere; quapropter dicunt Theologi formam Sacramenti Baptismatis consistere in reali trium horum Nominum pronunciatione: Patris, Filii, & Spiritus Sancti; & Baptismum, qui confertur in Nomine Trinitatis, quin singilatim exprimantur trium Personarum nomina, nullum, & irritum fore. Ab harum trium Personarum distinctarum nomine, Redemptionem nostram incipere, per illas perfici; & Christianum ipso sui baptismatis die semetipsum respicere debere tamquam Creaturam signatam Signo Trinitatis, ad quam essentialem habet relationem; ad Patrem Æternum tamquam Filius, ad Verbum tamquam frater, & ad Spiritum Sanctum tamquam Templum ejus, & Signum hoc adeo alte imprimi in Anima, ut nequeat deleri. Hic est *character*, quem gestant reprobus æque, ac prædestinatus; idque in omnem Æternitatem; & S. Athanasius dixit ad illos dignoscendos rationem habendam esse tantum Baptismatis: *discimus in Baptismo Mysterium Trinitatis.*

Auferte Deos alienos de medio vestri. Josue 24. Verum est hodierna die, in Ecclesia saltem, credi unum Deum in tribus Personis; verum quis est, qui debitum cultum illi exhibeat? quis illum adorat in Spiritu, & veritate? Nonne plerisque fidelium id exprobrari jure potest, quod olim Josue Israelitis, quod alienos Deos in veri Dei locum subrogarent? *auferte Deus alienos de medio vestri.* Qui enim sunt hi Dii alieni, quos adorant, & quos auferre debent de cordibus suis? nisi terrena hæc cupiditatum suarum objecta? *Ah! infelix* muliercula, quæ occupat mentem tuam, ita ut de nulla re alia sollicitus sis, nonne facta est idolum tuum, & Deus tuus, locum tenens illius, a quo totum cor tuum esset possidendum? & helluo ille natus abdomini, quem alienum colit Deum? nonne abdomen suum, suamque voluptatem, S. Paulus ait: *quorum Deus venter est?* Avarus pecuniæ, auri, argentique sui cultor nonne hæc sibi facit Deos suos, quandoquidem illis eadem præstat obsequia, & officia, quæ Uni Deo essent præstanda? *Auferte Deos alienos de medio vestri.* Ad Phil. 3.

Hic obscure videmus hoc Mysterium quod in Cælo palam videbimus.

Videbimus Deum, sicuti est, 1. *Joann.* 3. Quidquid proficere possumus in cognitione Mysterii Sanctissimæ Trinitatis, certum est nos hic non visuros, nisi in ænigmate, & tamquam in obscuro speculo Deum. Sanctus Paulus ajebat, Nunc imperfecte cognosco; cum vero statum perfectum attigero: *tunc cognoscam, sicut cognitus sum.* Tunc evanescent omnes obscuritates, nullæ erunt amplius tenebræ, nullæ imperfectæ de Deo cognitiones, nullum amplius opus obscuri luminis fidei, & obscuræ scripturarum revelationis. Nihil tunc erit absconditum. Palam videbimus omnia; videbimus Deum facie ad faciem: *videbimus eum, sicuti est.* Erimus prope fontem Veritatis, ingressi erimus in Dei Sanctuarium, pervenerimus ad sanctum Montem, in quo longe aliter ac *Moyses* secretum, ac familiare cum illo commercium inibimus; non enim aderit amplius spissa, & obscura nubes, quæ illum nobis abscondit; videbimus lucem increatam per ipsam, & in ipsa; *denique videbimus eum sicuti est.* Videbimus illum in Tribus distinctis Personis subsistentem, quin hæc distinctio obsit Unitati Essentiæ suæ. Non licebit nobis hanc ipsam divinam Essentiam videre, quin simul videamus, vel potius in eadem luce Æternitatis videamus Tres Divinitatis Personas, sicuti illas videre non possumus, quin divinam earum videamus Essentiam, neque unam Personam, quin videamus & alias. Essentia enim & Personæ sunt unum Ens Æternum, & immutabile, sed simplicissimum, & indivisibile, quod seq. 1. ad Cor. c. 13.

parari non potest; ita ut pars una videatur, aliæ non item.

Deus nos vocans ad obscuram hujus Mysterii cognitionem, eduxit nos de tenebris, & in alias tenebras transtulit.

Vocavit Moysem de medio caliginis. Exod. 24. Dici potest, Deum ratione habita singulorum Fidelium id feciisse, quod olim cum Moyse, quem, ut habemus in Scripturis, *vocavit Deus de medio caliginis*; Vocavit enim nos de una obscuritate in aliam obscuritatem, de tenebris ignorantiæ, in qua eramus ante hujus Mysterii revelationem, in alias lucentes tenebras, quæ sua habent fulgura, quæ oculi Paganorum sustinere non potuerunt, vel, ut inquit Princeps Apostolorum: *Vocavit nos in admirabile lumen suum*, quale est lumen Fidei in hoc Mysterio, quod profecto est admirabile; cum simul sit lucidum, & obscurum, ita ut Sanctus Clemens Allexandrinus illud *Æterni luminis temperaturam* appellet; est enim temperamentum magnæ hujus lucis, æternique splendoris, qui ipsos etiam Angelorum oculos perstringeret. 1. Petr. 2.

Tanta est Mysterii hujus obscuritas, ut teneamur fateri nostram ignorantiam.

Lucem habitat inaccessibilem, 1. *ad Tim.* 6. *& caligo sub pedibus ejus.* 2. *Reg.* 23. fatemur quidem, quidquid revelavit nobis Deus de hoc Mysterio, rationi nostræ non adversari, sed illam infinite superare. Quamobrem confitemur scire, & cognoscere posse, quidquid Deus nobis revelavit; non posse tamen id assequi, atque intelligere. Hæc veritas est, quam docere nos vult Isaias Propheta, cum nobis aperiens admirabilem visionem, quam ostendit illi Deus, proponens oculis ejus Deum Majestatis sedentem in Throno circumsepto Seraphim illius Sanctitatem celebrantibus, ait: *Et Domus ejus repleta est fumo.* Quodnam Mysterium hoc est? Quid? Deus, qui lumen est, qui Sol est omnium intellectuum, Deus est tenebrarum? ignis illius, qui adeo purus, atque coruscans est, misceri potest fumo? Isaias innuit id, quod Deo lumen est, densam hominibus esse obscuritatem, propter oculorum suorum infirmitatem. In hanc impenetrabilem obscuritatem, vel ut melius dicam, in hanc nimis lucidam nubem, ingrediantur tremebundi præ reverentia omnes Sancti Patres, omnesque Doctores, dum confitentur sibi meditantibus Trinitatis Mysterium, credendum esse, & non argumentandum. In his mysticis Templi Dei tenebris, Sanctus Hilarius Patrum omnium, in hoc argumento, doctissimus, qui tanta vi illud contra Arrianos pertractavit, humiliter suam confitetur cæcitatem: *ego nescio, non requiro, consolabor me tamen.* Credo Mysterium hoc, nec intelligo, neque intelligere laboro; tamen in ignorantia mea me consolor, quia Angeli ipsi quamtumlibet naturali intelligentia præditi, non intelligunt illud; & omnia simul sæcula majoribus luminibus donata, ne minimum quidem aliquid assequi potuerunt; Prophetæ nonnisi confusum illius conceptum habuere; Apostoli illius explicationem non exquisivere, & ipse Dei Filius hoc solum proposuit Mysterium, quod tamen non explicuit, neque explanavit; ideoque immerito de hac nostra ignorantia conquerimur. Isaiæ 6.

Per baptismum collatum in nomine trini Personarum Trinitatis, societatem facimus cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Societas nostra cum Patre, & cum Filio ejus, 1. *Joann.* 1. Maxima Christianorum gloria, quam Angeli admirantur, & quæ tantam illis ingerit venerationem, ut honori sibi vertant, iis famulari, hæc est; quod simulac ingrediuntur in societatem Fidelium per Baptismum, & gestant signum J.C. socii fiunt, ut S. Joannes ait, Sanctissimæ Trinitatis: *Societas nostra*, inquit, *est cum Patre, & cum Filio ejus*; & cum Patrem, & Filium nominat, proculdubio complectitur etiam Spiritum Sanctum, qui nos Patri, Filioque conjungit, & qui nodus est Sanctæ hujus Societatis. Ingredimur, inquam, in societatem cum Tribus divinis Personis, quæ per amantissimas, & insuetas communicationes respiciunt nos, tamquam personas ad se pertinentes; ita ut Pater respiciat nos tamquam filios, Filius tamquam fratres, Spiritus Sanctus, tamquam amicos, & in triplici consideratione hac omnia eorum bona sint nobis communia; & quemadmodum Mundo, & nobismet abrenunciantes, ut nosmet Deo tradamus, evadimus in possessionem Trium Divinarum Personarum: ita tres Divinæ Personæ modo prorsus miraculoso, & incomprehensibili, evadunt in nostram Possessionem, & hæreditatem; Nos earum sumus; illæ sunt nostri; quid ulterius dici potest? & quid hanc efficit societatem? Trinitas ipsa, quæ adest nobis, cum baptizamur, & hoc miraculum operatur in Anima nostra.

Deus Peculiariter ideo magnus est, quia incomprehensibilis est.

Dominus magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu. Jerem. c. 3. Jeremias Propheta, qui de Deo sublimia sensit, & habuit adeo augustas ejusdem ideas, nihil æquius ac dignius se dixit, quam cum antonomastice vocavit illum *Magnum*, & super omnes hominum cogitationes, excelsum. Sed cur, Propheta, Altissimo tribuis nomen *Magni*? num quia creavit Cælum, & Terram? quia produxit opera eximia? quæ sunt naturæ totius ornamenta? num quia Deus est bellorum, & quia vidisti terribiles ultionum ejus effectus? num quia facit, ut maxime intrepidi Terrarum domitores coram se contremiscant? Verum est, me dicere posse cum Propheta; hæc omnia illustria est magnitudinis

ejus

ejus argumenta : ſed non ideo Deus vere Magnus mihi videtur. Quamvis enim ſub auguſtis hiſce titulis fulgeat, nihil tamen video, quod non aſſequar niſu mentis, & ſpiritus mei ; & Deus mihi vere Magnus videtur, cum illum comprehendere nequeo, & cum omnem rationis meæ captum excedit : *Magnus Dominus, & incomprehenſibilis cogitatu.*

Quomodo & in quo honorare debeamus Sanctam Trinitatem, cujus imaginem gerimus.

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt. Exod. 25. Videtur Eccleſia quotannis exhibere nobis Trinitatis Myſterium, ut illius Ideam, & quamdam veluti Imaginem exprimamus in moribus noſtris perfectiones illius imitando. Ne miremini hodierna luce a me proponi vobis imitandum Trinitatis Myſterium, quandoquidem ad ſimilitudinem illius creati ſumus, ejuſque Imaginem deferimus in tribus Animæ noſtræ facultatibus. Sed hæc Imago inchoata eſt tantum, perficienda, & abſolvenda eſt juxta eumdem Prototypum imitando relativa ſingularum Trinitatis Perſonarum Attributa. Ut imitetur actionem Patris immanentem, Chriſtianus elicere debet actus Fidei, quæ eſt participatio luminis Verbi, & recipere oracula, quæ declarat nobis extra ſe. Cum Verbum producat Spiritum Sanctum una cum Patre ſuo per eamdem Voluntatis ipſorum actionem, Chriſtianus conjungere debet ſuam cum JESU voluntatem, & elicere actus caritatis, & amoris Dei. Ad imitandum Spiritum Sanctum, amare debet proximum ſuum, tamquam Imaginem Dei. Hæc ratio eſt efformandi Sanctam Trinitatem in noſtris Animabus.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

VEre aliquid de Deo cognoſcimus, cum ipſum comprehendere non poſſumus. Sanctus Auguſtinus de verb. Apoſtol.

Inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis Deus. Idem ibidem.

Eſt aliquid in Trinitate *ineffabile, quod verbis exponi non poteſt ; ut, & numerus ſit, & numerus non ſit.* Idem tract. 3. in Joannem.

Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus ; quem non licet, ut eſt, cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare. Idem in Pſalm. 74.

Tunc vere tantum Deum cognoſcimus, cum illum cognoſci non poſſe ſentimus. Idem.

Trinitas divinarum Perſonarum eſt ſummum Bonum, quod purgatiſſimis mentibus cernitur. Idem lib. 2. de Trinit. cap. 2.

Trinitatis Veſtigia in Anima ſunt. Idem lib. 11. de Civit. Dei.

Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius. Idem Epiſt. 174.

Pater non eſt Unus, ſed unum cum Filio. Idem de Fide Symb.

Filii Dei Nativitas in divinis comparationem nullam admittit. Idem ſerm. de Verbis Domini.

Non periculoſius alicubi erratur, non laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur, quam Unitas Trinitatis, & Trinitas Unitatis. Idem lib. 1. de Trinit.

Trinitatis recta confeſſio, eſt ignoratio ſcientiæ. Sanctus Hieronymus.

Petendum eſt, ut reveletur (hoc Myſterium), *aut expectandum, ut videatur.* S. Athanaſius.

Diſcimus in Baptiſmo Myſterium Trinitatis. Idem.

Perfecta Dei ignoratio, vera cognitio eſt ; quia ipſe ſupra omnem mentem, & ſubſtantiam noſcitur S. Dionyſius Epiſt. 2.

In Anima eſt Trinitas, quæ ad Imaginem ſummæ Trinitatis condita eſt. S. Ambroſius de dignit. condit. hom. cap. 2.

Quiſque venerandam in ſeipſo Sanctæ Trinitatis Imaginem agnoſcat, honoremque ſimilitudinis divinæ, ad quam creatus eſt, nobilitate morum habere contendat. Idem ibidem.

Credere mihi juſſum eſt, (Myſterium Trinitatis) *non diſcutere permiſſum eſt.* Idem de Fide ad Gratianum Auguſtum.

Eſt plenitudo Divinitatis in Patre, eſt plenitudo Divinitatis in Filio ; ſed una Divinitas, ubi nec ſubſtantia, nec voluntatis ulla eſt differentia. Idem, ibidem.

Quid curioſe quæris inveſtigare, quod tibi non expedit ſcire, nec cognoſcere datur. Idem lib. 1. de interpell. cap. 9.

Non licet tibi curioſius inveſtigare, quæ in Terris geruntur, & curioſius requiris quid ſupra Cælum agatur. Idem ibidem.

Diſce hymnum Seraphim ter dicendo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, manifeſtat unam, & æqualem gloriam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. S. Chryſoſtom. ſerm. de Trinit. tom. 5.

Contendere ſcire quid ſubſtantia Deus ſit, poſtremæ eſſe inſaniæ judico. Idem Homil. de incomprehenſibili Dei Natura.

Trinitas exactiſſime unica eſt. Idem ſuper Epiſt. ad Rom.

Unus eſt Deus ; neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola teneat omnem poteſtatem. Idem in ſermon. quod idola non ſunt Dei.

Loqui Dei, eſt Verbum genuiſſe. S. Gregorius in moralibus.

Aperte tunc (in Cælo) *videbimus quomodo & Unum diviſibiliter tria ſunt, & indiviſibiliter tria Unum.* Idem ibidem.

Inquirere de Trinitate, perverſa curioſitas eſt ; credere, & tenere, ſicut Sancta tenet Eccleſia, fides, & ſecuritas ; videre autem, ſicuti eſt, perfecta, & ſumma felicitas eſt. Sanctus Bernardus in ſeparatis ſermonibus.

Trinitatis, ſeu Divinitatis arcanum, nec ab Angelis, nec ab hominibus, niſi Spiritu Sancto revelante, cognoſcitur. Idem ſerm. in Cant.

Imago Verbum, Anima vero ad Imaginem. Idem ibidem.

Patre, & Filio cognitis, cognoſcitur utriuſque Bonitas, quæ eſt Spiritus Sanctus. Idem ſerm. 8. in Cant.

O beata Trinitas ad te mea miſera Trinitas ſuſpirat. Idem, ſerm. 12. in Cant.

Quid prodeſt tibi alta de Bonitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati ? Lib. de imit. Chriſti cap. 1.

Deum, vis magnitudinis, & notum hominibus objecit, & ignotum. Tertull. Apolog. cap. 17.

Nobis ſufficiat ſcire de Trinitate, quod Dominus ipſe exponere dignatus eſt, Auguſt. ſerm. 1. de Trinitate.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex locis Theologicis hauriri poſſit in hoc argumento.

Cultus divinitatis eſt character, qui diſtinguit Chriſtianæ Religionem a Judæis, & Gentilibus.

SAnctiſſimæ Trinitatis cultus eſt Chriſtianiſmi character, quo ab Ethnicis, & Judæis ſecernimur : ab Ethnicis quidem, quia illi Deos plures venerantur ; a Judæis vero, quia adorant Unum Deum, quin Trinitatem agnoſcant ; ſed Chriſtianus profitetur ſe unum adorare Deum in tribus Perſonis, per gratiam particularem, quæ novæ legis eſt propria. Lex enim Vetus, quæ lex ſervorum erat, inveniens ſpiritus nimium craſſos, & nimium in Idololatriam proclives, admitebatur peculiariter in illis Dei unius fidem imprimere, quin diſtinctim Perſonarum Trinitatem illos doceret ; ſed poſt Verbi Incarnationem a lex nova, quæ lex eſt amoris, propria filiorum Dei, non amplius hoc celat Myſterium. *Hoc primum eſt documentum, quod tradit recipientibus ſe, illos erudiens, ut ſe Crucis ſigno notent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ; ut innoteſcat, notionem, quam tradit illis de Trinitate adorabili, fructum eſſe meritorum, & paſſionum* JESU CHRISTI, quæ notio illis eſſe debet jucunda, & glorioſa, quia hæc facit eos Sanctos in terra, & in Cælo beatos.

Myſterium Sanctæ Trinitatis eſt meræ fidei Myſterium a J. C. revelatum.

Joann. 1.

Adorabilis hujus Myſterii *Veritas, Veritas* eſt ſolum de Fide, & ad ſolam Chriſtianam pertinet Religionem, quæ Sinagogæ explicite revelata non fuit ; & in plenitudine temporum Unigenitus prodiens de Sinu Patris Æterni venit, ut edoceret nos de eo, quod ſit in intimis divinitatis penetralibus : *Unigenitus Filius, qui eſt in Sinu Patris, nobis enarravit.* Hic eſt Homo, & Deus, qui viſibiliter poſt Reſurrectionem apparens, antequam in Cælum aſcenderet, & mitteret Apoſtolos ſuos ad prædicandum, imperavit illis, ut baptizarent Populos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Credamus ergo, quia JESUS CHRISTUS Prima, & immutabilis Veritas hoc dixit. Recipiamus hanc fidem probatam certiſſimis argumentis, quibus utitur Deus confirmaturus verbum ſuum, credentes illam conjunctam eſſe cum hac perpetuitate, quam illi tradit conſenſus omnium Populorum, qui ultra ſexdecim ſæcula habiti fuerunt Orthodoxi, & qui ſervaverunt illam tot Martyriis victricem in tot præliis ſuſceptis contra hæreticos, qui illam auſi ſunt impugnare.

Quid intelligimus per Sanctæ Trinitatis Myſterium.

Quamvis nil tantum ſit, nec tam inacceſſibile, quam Trinitas ; duobus tamen verbis explicatur ; Deus eſt Unus in tribus Perſonis, ſcilicet una tantum Divinitas, & in hac unica Divinitate Perſonæ tres, quæ nequaquam efficiunt tres diverſos Deos, ſed unum, & eumdem Deum ; unum Sapientem, unum Potentem, & ita de ceteris ; nam extra Perſonarum diſtinctionem, omnia in Deo unum ſunt. Quidquid docuerunt Apoſtoli, quidquid Apoſtoli ſtatuerunt, quidquid Patres hoc de argumento dixerunt, ad id unum redigitur ; Unum eſſe Deum in tribus Perſonis.

Sed paucis his verbis plurima continentur; continentur enim tria perfectionum genera, quæ Theologia deprehendit in Deo, quarum priores tribus omnibus Personis generatim conveniunt; cujusmodi sunt; Sapientia, Fortitudo, Bonitas, Justitia, & perfectiones omnes, quæ nobis perspectæ sunt, quia sunt attributa essentialia supremæ Dei Majestatis. Secundæ propriæ sunt singularum Personarum: Proprietas enim est Patris esse Principium Filii, & Spiritus Sancti, quorum alter ab illo nascitur, & alter procedit; ipso nullum habente Principium. Quamobrem illum Patres appellant cujuslibet Entis Originem, Principium totius Sanctitatis, & Divinitatis ipsius. Pariter Filii proprietas est esse Verbum, videlicet, cogitationem, & Verbum Patris sui; cumque duæ hæ divinæ Personæ amore infinito, & ab Æterno se diligant, proprietas Spiritus Sancti est, esse Amorem essentialem, ac terminum interiorum Divinitatis operationum. Tertiæ perfectiones Personis tribuuntur propter rationes, quas habent ad proprietates, quibus distinguuntur; sed non ideo esse cessant essentiales Divinitati; sunt enim illi communes. Ita Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui Sancto tribuuntur; & Ecclesia in Officio; non secus ac Patres in scriptis suis attribuerunt singulis Personis peculiares perfectiones, & operationes, quæ si ad trutinam revocentur, tribus omnibus conveniunt.

De Unitate Dei in tribus Personis.

Primus Fidei nostræ articulus docet unum esse Deum; Deum unum esse in Essentia, & plures Deos haberi non posse; hinc sequitur unum esse Creatorem, unum Dominum, unum primum Principium, unum novissimum finem rerum omnium, & fundamentali huic Veritati innituntur præcipua legis præcepta. Primum enim non ambigimus, quominus Deus sit Bonum Supremum, & Infinitum, continens quidquid boni est, & possidens excogitabiles omnes perfectiones, quin ne una quidem in illo desideretur; si vel una tantum deesset illi, hic imperfectus esset Deus, ita ut per consequens deberet ab altero mutuari, quod per se non haberet. Necesse *igitur est*, Unum esse Deum; si enim plures essent, *aliquis eorum non esset perfectus*, quia perfectiones *alterius non essent in altero*; atque ita Divinitatem *inter se partirentur*: Hinc *oritur præceptum illud*, quo amare *jubemur Deum super omnia ex toto corde*, & omnibus *viribus nostris*; quia cum sit Bonum supremum, Bonum unicum, & universale, summopere, & unice amandus est; debet ille possidere totum cor nostrum, & amor, quo illum diligimus esse debet norma, & caussa totius amoris nostri. *Ego Dominus; & extra me non est Deus*. Si enim plures essent Dii, haberent sensus, voluntates, ac potestates diversas: alter præciperet, quod prohiberet alter; & quamprimum lites, & bella orirentur, & hoc pacto Mundus pacem fovere non posset, & mutuam consensionem, quæ omnes simul partes conjungit, *quia regnum in seipso divisum desolabitur*. Certum est igitur, admirabilem nexum, qui invenitur inter Cælos, elementa, & animantia, ostendere, unum esse Deum rerum omnium Rectorem: quamobrem præcipit ut illum Unum adoremus, Unum timeamus, & Uni ex anima tota serviamus. *Nemo* enim, Salvator inquit, *potest duobus Dominis servire*; cum enim voluntates eorum sint diversæ, & sæpe etiam contrariæ; si alteri obsequi cupis, necessario alteri non obedies, & utrique nunquam satisfiet; quapropter *in eo omnis* cura nostra collocanda est, ut Uni huic, & Supremo Domino fideliter deserviamus.

S. Thomas 1. p. q. 11. art. 3.

Deuter. 6.

Isaiæ 45.

Luc. 16.

Quomodo Trinitatis Mysterium impleatur in Deo.

Docet Fides, Patrem seipsum intuendo, & cognoscendo infinito modo, & sine ulla comparatione magis perspicue, quam homo in speculo faciem suam intuetur, per cognitionem hanc producere sui ipsius imaginem, *splendorem, & gloriam Patris figuram substantiæ suæ, & invisibilem sui ipsius imaginem*. Sanctus Joannes illam vocat Verbum, vel Verbum Dei; quia Deus producens ab æterno in semet divinum hoc Verbum, exprimit per ipsum quidquid scit, ideoque vocatur *Sapientia*; sed cum producit Verbum suum, fieri nequit, ut videns illud infinite perfectum, non amet illud ardore infinito. Verbum amat pariter Patrem propter summam perfectionem, quam in illo videt, & ab illo recipit; uterque tandem, per amorem reciprocum conjunctim producunt Spiritum Sanctum, eique suam communicant Divinitatem; ita ut sit cum illis unus, idemque Deus, & id semper fuit tali modo; tres enim Personæ sunt æternæ, & æqualiter antiquæ. Pater nunquam fuit sine Filio, neque Filius sine Spiritu Sancto: generatio enim Verbi omnino differt a generatione hominum a Patribus suis vitam mortalem recipientium.

Ad Hebr. 1.

Omnia sunt communia in tribus Personis Trinitatis, præter personales proprietates.

Credimus præterea tres adorabilis Trinitatis Personas eamdem habere immensitatem, & ubicumque Pater est, ibi etiam esse Filium, & Spiritum Sanctum; & in rebus omnibus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æquales esse; quia Patris Divinitas non differt a Divinitate Filii, & Divinitas Spiritus Sancti eadem est, ac Filii, & Patris. Tres Personæ fruuntur quoque communi felicitate per cognitionem, quam habent suimetipsarum, & Divinitatis suæ; atque felicitas hæc est infinita, immutabilis, Æterna, quin unquam indigeant ope alicujus rei creatæ. Ita quamvis Deus solus fuisset in Æternitate sua ante Mundi primordia, non ideo erat iners, nec minus felix, quam modo sit; præcipuæ enim operationes suæ sunt interiores, in quibus ineffabilem invenit voluptatem: & inde procedunt omnia opera exteriora, quæ sunt tribus Personis communia; quia unus est tantum Creator, unus Sanctificator, & unus Remunerator, qui omnia naturæ, gratiæ, & gloriæ dona distribuit. Quamobrem nobis persuasum esse debet, tres omnes illas recipere preces nostras, non damnare vota, & nos beneficiis suis cumulare.

Quid in hoc argumento nos credere cogat Fides.

Ut in compendium cogam ea, quæ sunt nobis credenda, ubi agitur de adorabili Trinitate; est, unam eamdemque Divinitatem inveniri in tribus distinctis Personis, quin tamen tres sint Dii; Filium non esse Patrem, quamvis cum Patre sit unum, & idem; Spiritum Sanctum, neque Patrem esse, neque Filium, quamvis tres simul omnes sint unus & idem Spiritus Sanctus simplicissimus, atque indivisibilis: Filium æque esse potentem, ac Patrem; & Spiritum Sanctum æque potentem, æque Sapientem, ac Filium; sed tres simul non majorem habere Potentiam, neque Sapientiam, quam Unus; unam Personam per suam immensitatem tantumdem spatii occupare, quantum Trinitas tota. Primam Personam producere Secundam, quin ulla super hanc polleat prærogativa, vel Ordinis, vel antiquitatis; Tertiam ab aliis duabus produci, ac eamdem cum illis ætatem habere; Spiritum Sanctum in hac Trinitate recipere totum, & nihil dare, quin ideo sit minus beatus, minusque liberalis; Patrem, nihil dare, & nihil recipere: cum unus tantum sit Intellectus in Deo, & Voluntas una, sine ulla compositione, aut distinctione, hunc eumdem Intellectum in Patre fœcundum esse, & in aliis duabus Personis sterilem; Voluntatem in Patre, & Filio esse efficacem, & nihil producere in Spiritu Sancto: Verbum esse Filium Patris, & Spiritum Sanctum non esse Filium duarum Personarum illum producentium. Quæ ænigmata! hæc tamen credenda sunt, dicit Sanctus Athanasius, qui in Symbolo explicat ea, quæ nos credere cogit Ecclesia. Theologi multa disserunt de his articulis Fidei, quibus nosmet subjicere debemus, si volumus a Deo illa ostendi nobis in Cælo.

Cur ceteræ divinæ perfectionis in creaturis videantur, sed in illis nullum Trinitatis apareat vestigium.

Quæri posset, undenam ceteræ divinæ perfectiones in creatis rebus tamquam totidem speculis appareant, & ibi ne unum quidem videatur Trinitatis vestigium, quamvis tres Personæ participes fuerint creationis entium omnium. Ratio, quam adfert Sanctus Thomas, est, Personas divinas non agere ab extra per perfectiones, quibus inter se distinguuntur, sed per eas tantum, quæ illis communes sunt. Mundus quidem est Opus Patris, Filii, & Spiritus Sancti; sed non est effectus Paternitatis in Patre, neque Filiationis in Verbo, neque Spirationis activæ, ut Scholæ loquuntur, in Spiritu Sancto: effectus est Sapientiæ, Potentiæ, Pulcritudinis, Bonitatis, quæ attributa sunt ex æquo tribus omnibus convenientia. Ex omnibus caussæ alicujus qualitatibus per effectus illarum cognoscere non possumus, nisi eas, quæ aliquid conferunt ad eorumdem effectuum productionem: possumus quidem cognoscere ubi videmus statuam marmoream, utrum, qui illam sculpsit, calleat artem suam, utrum polleat ingenio, & imaginatione; sed non profecto ex opere illius judicium feres, utrum sculptor nobilis sit, an plebejus, utrum ignavus, an strenuus; quia neque genus, neque sculptoris nobilitas aliquid contulere ad effingendum hoc simulacrum. Ad hoc Scientia sua tantum, ac manu usus est. Similiter creata docere quidem possunt nos Dominum Sapientem esse, & omnipotentem, sed nos docere quid inter Personas divinas intersit, non possunt.

Lumine naturali cognoscimus, Deum Unum esse, non autem Tres in Deo Personas. Ad Rom. 2.

Possumus, Sanctus Paulus ait, lumine rationis cognoscere ad evidentiam Deum esse Unum, esse primum Creaturarum Principium; summumque Auctorem, & conservatorem Mundi: *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sed hæc naturalia lumina minime sufficiunt ad intelligendam admirabilem Essentiæ Unitatem subsistentis cum Personarum multiplicitate; unicam simplicitatem consentientem cum multitudine, propter quam, cum Sancto Joanne dicere debemus contra omnes Arithmeticæ regulas, tria unum esse: *& hi tres Unum sunt*. Personam unam non esse aliam, quamvis non sit res alia absolute; Verbo, non in naturæ, sed Gratiæ Schola discimus, Deum esse Tres in Personis, & Unum in essentia, cujus rei hanc rationem affert Theologia. Quod naturaliter cognoscimus, id duplici modo cognoscimus, vel per caussas, vel per effecta, sed

1. Joann. 7.

Trini-

Trinitatem Personarum per Causas cognoscere non possumus, quoniam nullas habent Causas; neque per effecta, quoniam ea, quæ Deus operatur ab extra, producit tamquam Deus Omnipotens, & Sapientissimus, non autem, quatenus Pater est, vel quatenus Filius.

Necessitas credendi hoc Mysterium impenetrabile.

Inter veritates, quas docet christiana Religio, & quarum fideles firmam, perfectamque fidem habere debent; nullæ sunt, quas inevitabilius credere teneamur præ illis, quas ipse Deus tradidit nobis tamquam fundamentum totius veritatis de Unitate essentiæ, distinctione Personarum, & proprietatibus, quæ illis tribuuntur; quod si vobis mirum videtur, nobis credendam esse Veritatem incomprehensibilem, & contradictionem, quæ invenitur inter naturæ unitatem, & multiplicitatem Personarum; inde est, quod non intelligimus Mysterium; sed nonne veritati consonum est Deo inesse modum essendi prorsus diversum ab eo, quem habent Creata, & infinite excedentem omnes conceptus nostros? ita voluit Deus Mysterium hoc esse unum omnium maxime necessarium, & fidem ejus requiri ad salutem; hinc incipimus esse Christiani; hinc pertinemus ad Deum; ille imprimit nobis characterem in Baptismo, qui deleri non potest; hic articulus est fundamentalis, & essentialis fidei totius in Christianis, & quemadmodum *fides est sperandarum substantia rerum*, ut inquit Apostolus, Mysterium Trinitatis est etiam fundamentum fidei ipsius, cui innituntur veritates ceteræ nostræ Religionis, Incarnatio, Nativitas, & Mors Filii Dei, & mox justificatio hominum, quæ fit per Spiritum Sanctum, & reliqua Mysteria: *hæc est fides catholica, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur*. Symbolum ait Divi Athanasii, quasi tota Christiana Religio in hoc articulo contineretur.

Termini quibus Scriptura, & Theologia nituntur ad exprimendas divinas processiones non sunt vacui sensu, licet illum non concipiamus.

Quamvis non ita perspicue intelligamus illud discrimen, quod distinguit singulas S. Trinitatis Personas, nec quid sit in Filio *generari*, in Spiritu Sancto *procedere*, in Patre *genitum non esse*, & non procedere ab ulla alia persona; non debemus hinc tamen inferre, hæc esse verba sensu vacua; sed solum exprimere sensum, qui nostrum superat Intellectum. Et sane discrimen Personarum, quod designant, non minus reale est, quia nobis est incomprehensibile. Scimus quidem adesse relationes, ac subsistentias *personis proprias*; sed post omnes *Theologiæ*, *fideique* conatus possumus confiteri, quidquid de hoc Mysterio cognoscere possumus, esse, nos illud comprehendere non posse, & rationes omnes cum S. Hieronymo eo spectant, quod vera Trinitatis confessio, vera est confessio nostræ ignorantiæ; Hoc etiam proprium est Entis hujus infiniti, non posse ab ullo creato intellectu comprehendi, & nostræ Religionis prærogativam esse, habere Mysteria toto Cælo rationem nostram superantia.

Non possumus sublimiorem concipere ideam, quam credere illum esse incomprehensibilem.

Non possumus nobis ideam Deo dignam proponere, quæ illum nobis non repræsentet incomprehensibilem; & si ulla esset Religio, quæ venditaret se reddere posse supremum hoc Ens comprehensibile, hæc semper esset falsa Religio; & hic Deus, qui se comprehensibilem redderet, Deus esset commentitius; quia incomprehensibilitas non minus in vero Deo essentialis est, quam Potentia, quam Bonitas, quam Sapientia, ob eam caussam, quia si Deus est, essentialiter est infinitus, & si infinitus essentialiter, fieri non potest, ut Spiritibus coarctatis, & finitis, quales nostri sunt, comprehendatur. At enim fatendum est, dicet aliquis, esse Deum, quia ratio hoc ostendit, & quia omnia Creata illum annuntiant; sed Trinitas tantum abest, quod intelligatur, ut rationem ipsam avertat, quæ in ea manifestam animadvertit contradictionem. Heu! proterve, qui ita ratiocinaris, & jactitas mentis acumen! saltem loquere consequenter, vel dic, nullum esse Deum, vel ne doleas modum subsistendi in illo esse incomprehensibilem; si enim illum comprehendere posses, jam Deus non esset.

Qualitas incomprehensibilitatis est id quod proprie cognoscimus de Deo.

S. Augustinus jure animadvertit proprie loquendo, unum illud, quod de Deo cognoscere possumus, & quod illi possumus attribuere, hanc esse incomprehensibilis qualitatem: *tunc vere de Deo aliquid cognoscimus, cum ipsum comprehendere non possumus*. In ceteris mentes nostræ evagantur, in ceteris sæpe fallimur, in ceteris periculum est, ne in errorem incidamus. Cum dicimus: Potens est Deus, Deus est Justus, Sanctus, Misericors, juxta vim vocabulorum, omnes hæ propositiones non satis sibi constarent, nisi adderemus, vel nisi supponeremus incomprehensibilitatem Dei, ad illas modificandas. Ut veræ sint, dicendum est, vel saltem subintelligendum est, Deum esse potentem, sed ea Potentia, quam non comprehendo; Deum justum esse, sed Justitia prorsus alia ab ea quam intelligo; Deum Sanctum esse, sed ea Sanctitate, quæ omnes meæ mentis cogitationes superat. Semper igitur confugiendum est ad suam incomprehensibilitatem, & ad Sententiam S. Augustini, ubi Deus nobis incomprehensibilis videtur, ibi melius a nobis cognosci; Deus autem in aliquo Religionis Christianæ Mysterio difficilius comprehendi potest, quam in Mysterio Tri-

nitatis? quid enim de hoc Mysterio concipimus; nisi quod ibi nihil concipimus? quapropter Prophetæ qui primas obtinuerunt revelationes, illi semper tribuunt hunc characterem exhibentes illum, tamquam abyssum interminabilem, ut nobis significent, Trinitatem divinarum Personarum esse magnum Mysterium incomprehensibilitatis Dei.

Fides Trinitatis divinarum personarum est beatitudinis nostræ principium.

Trium divinarum Personarum fides est totius nostræ spei fundamentum, fons omnium meritorum nostrorum, principium totius Sanctitatis, atque, ut utar Tridentinæ Synodi verbis, *initium, & radix totius justificationis nostræ*. Sine fide salvari non possumus; id constat; sed quænam est fides essentialis, & ad id necessaria? Fides Trinitatis, cetera Mysteria catholicæ fidei, excepta Verbi Incarnatione, eamdem non habent prærogativam. Possem omnino ignorare illa, & salvus fieri; sed si nescio, comprehendi Deum in tribus Personis, nihil mihi a Deo expectandum est; si hoc credo, omnia sunt mihi speranda.

Hæc Verba, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sunt venerabilia & efficacia.

Fidei formula, quam proferimus confitentes Trinitatem, & quæ his terminis concepta est: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* in Religione nostra Sancta est, & Venerabilis, ideoque ex institutione J. C. ingreditur in omnia fere Sacramenta legis Gratiæ; si enim in Baptismo regeneramur, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. regeneramur; si Confirmationis gratia roboramur; si per Pœnitentiam peccata nobis dimittuntur; si per characterem Ordinis consecramur, si recipimus benedictionem Sacerdotum, Pastorum, & Præsulum; hæc fiunt omnia in Nomine Patris, & Filiis, & Spiritus S. ut discamus, S. Augustinus ait, in Christianismo, nullam esse gratiam, nullam salutem, nullam justificationem, nisi per fidem Trinitatis. Hinc etiam oritur, quod secundum Sanctam, & religiosam consuetudinem, omnibus actionibus nostris, hanc fidei professionem præmittimus, nihil aggredientes, nisi prius in nobis expresserimus signum Crucis, cum verbis istis: *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, fatentes actionis nostræ meritum pendere ab uno, & sine hac fide, quidquid facturi sumus, futurum inutile. Quæ praxis ad nos ab Apostolis *profecta est, cujus* traditio constans est, semperque a *fidelibus fuit* observata.

Mysterium Trinitatis est omnium veritatis Christianarum principium.

Veritatum omnium Christianarum principium est: *Unum esse Deum in Tribus Personis*; si in hac re erras, incides in infinitos errores fidei contrarios. Quomodo enim credes, Deum humanam Carnem induisse, si negas cum Arrianis, Deum Patrem habere Filium æqualem sibi, & Deum, qualis est ipse? Vel si credis cum Sabellianis Patrem, & Filium non esse nisi unam Personam variis expressam nominibus? Quomodo adoras Spiritum Sanctum, si cum Eunomio, & Macedonio illum Deum esse negas? Pater Carnem non absumpsit; si igitur Filius non est Deus, quid erit de omnibus Redemptionis nostræ Mysteriis? Sequetur, Deum nunquam *factum fuisse hominem*; non esse natum pro nobis, *ideoque nos non esse redemptos*. *Aliquid ne in Religionis materia periculosius est, quam credere Deum, qui talis non est?* tunc enim omnes adorationes, quæ præstantur commentitiæ Divinitati, vanæ sunt, & cultus, quo honoratur, superstitiosus.

Cum Sanctitas sit proprius Trinitatis character, Sanctos nos esse oportet, ut illam adoremus uti opus est.

Recordemur nos adorare Trinitatem, cujus proprius, & essentialis character est Sanctitas, & nullam esse Sanctitatem, quamtumlibet eminentem, ad quam adspirare nequeamus, ut evadamus digni adoratores Augustæ hujus Trinitatis? *Ut adoremus illam in Spiritu, & Veritate, data ratione, Sancti esse debemus, sicut ipsa est; nam hi sunt adoratores illi, quos quærit Pater: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*. Ab *his* vult adorari, ab aliis autem se vere honorari non existimabit. Sanctus est Deus, & a Sanctis vult coli. Hoc debemus ipsi animadvertere in hoc Mysterio, in quo voluit seipsum nobis, tamquam prototypum exhibere; ideoque præcepit: *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum. Pater Bourdalove in tomo 1. Mysteriorum*.

Joann. 4.

2. Petri 1.

Contritio, & Sanctæ Trinitatis invocatio in articulo mortis erit confidentia nostra.

Cum morti proximi erimus, & in novissimis vitæ nostræ momentis aderit Animæ nostræ jamjam coram Deo profecturæ, & Votis pro illa nuncupandis opem laturus Sacerdos, *quibus* utetur Nominibus, ut Vota sua sint *magis* efficacia? Utetur Nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti. *Proficiscere Anima Christiana*, inquiet Sacer Minister: Proficiscere in Nomine Patris, qui te creavit, in Nomine Filii, qui te redemit, in Nomine Spiritus Sancti, qui te sanctificavit, nomina Omnipotentia ad fugiendas Inferni legiones, ad inutiles efficiendos omnes earum conatus, & ad detrahendas in periculoso illo transitu super nos gratias, & Cælestia subsidia. Nec satis; nam, cum mox idem Minister ad Deum conversus morientis Animam commendabit, quanam utetur ratione ad eum flectendum, ut misereatur? illam audite: *licet enim peccaverit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavit, sed credidit*. Ah! Domine, exclamabit Dei viventis Sacerdos: Verum est me pro peccatore implorare clementiam tuam; non fuit

ille immunis ab humanis infirmitatibus, & suæ fragilitatis pondus fuit caussa lapsus sui: ceterum vero nosti illum, quamvis peccaverit, confessum esse tamen Augustam Trinitatem tuam, confessum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, semperque trium harum divinarum Personarum gloriam quæsivisse.

Trinitatis Mysterium efficit, ut exerceamus fidem, spem, & caritatem.

Pietas Christiana non habet præstantius exercitium illo trium Virtutum Fidei, Spei, & Caritatis, quæ hac de Caussa Theologales vocantur, quia nos intime cum Deo conjungunt: Sed Mysterium Trinitatis præ *aliis* exercet tres hasce Virtutes, & hic fructus est præcipuus, quem a nobis inde referri voluit Deus. Primum hoc Mysterium, cum sit omnium maxime incomprehensibile, cumque humana ratio non posset sibi ullam effingere illius Ideam ante revelationem; Sacrificium fidei nostræ est magis meritorium, & dignius Deo, quod Deus ipse a nobis recipere possit. Nam confessio, quam tunc facimus hac in re, confessio omnium luminum nostrorum, ac totius nostri intellectus, nihil est in comparatione ineffabilis Magnitudinis ejus, & hoc pacto nobismet effingimus de illo sublimiorem ideam, quam de illo habere possimus infinite super captum nostrarum conceptionum attollentes illum. 2. Trinitatis Mysterium exercet spem nostram; speramus enim Salutem nostram ex virtute gratiæ; in nomine enim Sanctæ *Trinitatis* recipimus, & gratiam in Baptismo, & ipsum gratiæ principium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui eduxerunt nos de potestate inferni, & nobis *jus* dederunt ad merita Filii Dei; fundamentum essentiale earum rerum omnium, quas speramus. Denique Spes hæc separari non potest a divina Caritate, cujus potentissima ratio est Trinitatis Mysterium; quia quid est, quod facilius ad Dei amorem me potest inducere, quam scire summum illius bonum esse contemplari se, & seipsum amore summo complecti? Tandem enim, si verum est Deum non posse, nisi in semetipso, invenire Objectum dignum amore suo, potero ne ipse invenire Objectum *dignius se*, & quod me beatiorem facere valeat? sed *divina Caritas* non *solum* pro objecto Deum habet, sed etiam *omnes homines*, quia in illis invenimus Deum, qui nos formavit ad *Imaginem* suam; tunc cum & Christiani per singularem *characterem facti* fuerint Filii Dei, ubi consecrati fuerunt Sanctæ Trinitati per Baptismum, in illis etiam reperimus objectum, & caussam peculiaris Caritatis. *Liber, cui titulus Verus Spiritus, & Sanctus usus festivitatum anni.*

Trinitas divinarum personarum probata Scripturis.

Omnes veteris Testamenti loci, ubi Divinitas Filii Dei, & Spiritus Sancti probatur, docent quoque Veritatem Mysterii Sanctissimæ Trinitatis. In Isaia Dei Filius, nonne uti post Incarnationem, vocatur *Deus Fortis, & Potens, Pater futuri sæculi?* In psalmis; *Dominus dixit ad me: Ego hodie genui te . . . . Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis?* Quibus verbis Salvator ipse utitur ad Judæos confundendos, & ex quibus elicit suæ *Divinitatis* argumentum. Quod pertinet ad Spiritum Sanctum, *ejus Divinitas* nonne probatur pluribus veteris Testamenti locis, quibus vocatur Spiritus Domini, Spiritus Dei, & quæ ostendunt illum modo tamquam auctorem fœcunditatis Naturæ totius, dicendo, quod in ipsis Mundi primordiis: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, modo tamquam auctorem omnis pulcritudinis, quæ videtur in Cælo. *Deus*, inquit S. Job, ornavit Cælos per Spiritum suum, & modo tamquam humanæ Sanctificationis Auctorem, & Principium Gratiæ, & Salutis hominum. Nihilo tamen secius confiteri debemus revelationem Mysterii Sanctissimæ Trinitatis in veteri Testamento, nonnisi obscure factam fuisse, ubi comparetur cum ea, quæ nobis detecta fuit in Novo, ubi tres divinæ Personæ ita distincte connotatæ sunt, & ita perspicue Fidei nostræ propositæ, ut sit præcipuum objectum Fidei, æque ac adorationum nostrarum. 1. Quid magis clarum est, quam manifestatio nobis facta in Salvatoris Baptismo, in quo Cæli aperti sunt, ut nobis ostenderent simul Tres divinas Personas: Patrem, in illa voce: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; Filium in homine Deo, quem vox illa indigitabat; Spiritum S. in Columba, sub cujus forma visibili ratione super Salvatorem descendit. 2. Cæli nonne aperti sunt, ut nobis perhiberent testimonia, & ut cum S. Jo: testarentur, *quia: Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* Pater nonne Cælos aperuit nobis, ut exaudiremus vocem suam, & in monte Thabor, & in Jordane? *Paterna vox audita est?* Filius nonne Cælos aperuit, ut in Martyrio Sancti Stephani se videndum præberet; & princeps hic Martyrum, nonne tormenta sustinens gavisus est beata visione illius ad dexteram Dei sedentis? S. Sanctus nonne & ipse aperuit Cælos, ut manifestaret se hominibus, tunc cum visibiliter, & tanta in luce coruscans, sub ignearum linguarum forma descendit in Apostolos, & mox in ipsos Gentiles; idque pluribus vicibus, communicans illis donum loquendi omnibus linguis, & operandi multa miracula? Ut autem nobis persuasum sit, tres hosce testes Cælestes unum esse tantummodo: *& hi tres Unum sunt*: legere satis est in Novo Testamento insignes probationes Divinitatis Filii, & S. sancti, quas passim, & perspicue diffusas invenimus, & tria hæc Filii Dei verba in Evangelio universam hanc doctrinam complectentia: *Ego, & Pater Unum sumus.*

Psalm. 2. Psalm. 119.

Job 26.

Matth. 17.

1 Joann. 5.

Joann. 10.

Hic ordo est divinarum Processionum: Pater æternus cognoscens Filium suum qualis est, amat illum amore, qui decet infinitam amabilitatis suæ extensionem; Filius cognoscens amorem, quo a Patre diligitur, illi respondet amore pari, & S. sanctus infinite amatus a Patre, & a Filio, est Amor personalis, & Patris, & Filii. In Sancta, & adorabili hac necessitudine inveniuntur affectus, & benevolentiæ ineffabiles, quas excipit gaudium, quod Deus Unus valet comprehendere.

Processiones divinæ perspicue explicitæ.

Naturalia principia, quæ faciliores efficiunt alios Fidei nostræ articulos, evertere videntur illum Trinitatis, qui nihilominus illius est præcipuum, primumque Objectum. Non ambigimus credere vastum hunc Orbem terrarum procedere ab ente aliquo, quod supra Naturam positum est, & quod esse debet entium reliquorum Caussa Universalis, atque independens. Certi sumus Universi hujus Creationem esse debere actionem omnibus Tribus Personis communem; sed agnoscere non possumus, quomodo Pater distinguatur a Filio; quomodo Filius, & S. sanctus ab eodem principio procedentes, notiones habeant diversas. Hoc est Sacrificium Fidei, mentem hominis humiliantis; opus est divinis revelationibus, & luminibus supernaturalibus, quæ id nobis testentur; opus est Apostolis, qui id prædicent, miraculis, quæ id confirment, minis, ut id credere cogamur, & adhuc post hæc omnia Mysterium est, cui captivanda est mens nostra, & Sacrificium efficiendum Deo perfectissimorum, ac purissimorum luminum, quæ natura, labore, studio, comparare potuimus, & hac de caussa tot hæretici a multis Conciliis damnati rebelles fuerunt Ecclesiæ, & impugnarunt hoc Mysterium, quod experientiæ, & rationi contrarium esse crediderunt.

Mysterii hujus cognitio non habenda nisi per fidem, cui ratio subjicienda est.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex asceticis, nuperisque concionatoribus loci hujus argumenti.

Omnia Religionis nostræ Mysteria indigent submissione mentis nostræ, potissimum vero Trinitatis Mysterium.

NON extrema ex prærogativis Christianæ Religionis est humanam Mentem subjicere Mysteriis Fidei, & luminum nostrorum infirmitatem divinæ Auctoritati. Infinitum illud spatium, quod deprehenditur inter Dei magnitudinem, & nostram humilitatem nobis ostendit Essentiam, & Operationes Dei debere excedere intellectus nostri captum, & vim; & revera si non sumus pares intelligendo nosmetipsos, neque unionem Animæ nostræ cum nostro Corpore; si melius non intelligimus ea, quæ vulgatissima sunt, & quæ cadunt sub sensibus nostris, velut Æstum Maris, vel productionem Aristæ; mirum ne erit, non posse nos comprehendere immensum illud Ens adeo semotum ab eo, quod sumus, & ab eo, quod non excedit captum nostrum; talis est Dei natura, ut Deus non esset, si concipere possemus, & id, quod agit, & id, quod est in seipso. Post hanc animadversionem, cui exactissima quævis Philosophia non subscribere nequit, dubitabimus credere Trinitatis Mysterium, iis positis, quæ dignatus est Deus revelare nobis de Essentia sua; videlicet, se esse Unam dumtaxat Naturam, quæ tamen in tribus Personis subsistit; quamvis hæc Veritas superet omnem rationem, & omnem intellectum, non dicam solum mentium nostrarum, verum etiam omnium Spirituum Cælestium? qua propter Salvator Mundi nobis asseruit: *nemo cognoscit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius, & ille, cui voluerit Filius revelare.* Liber, cui tit. Verus Spiritus, & usus Sollemnitatum per annum.

Nulla habebatur hujus Mysterii cognitio, antequam nobis revelaretur.

Antequam Dei Filius Mysterium hoc nobis revelaret, nulla ejusdem erat nobis cognitio: aliquam dederat quidem nobis figuram in veteri Testamento, sed tanta in caligine, ut Patriarchæ, & Prophetæ Sanctissimi distinctam soli ejus cognitionem haberent; quippe quibus singulariter favebat Deus: ceteris vero Israelitis operæ non erat pretium distinctum revelare hoc propter ipsorum crassitiem; cum enim maximam haberent proclivitatem in idololatriam, facile adorassent tres Deos in locum trium Personarum Dei unius. Si quidam Ethnici hujus Mysterii ideam conceperunt, dicendi sunt hausisse illam ex bibliis, quæ variis in occasionibus in Ægypto, & Perside descripta fuerunt, quod vero de Sybillis narratur, fieri potuit, ut Cælesti afflante lumine id cecinerint: ceterum e re erat, J.C. nobis distincte Mysterium hoc revelare; cum enim sit Salvator noster, ab illo docendi eramus præcipuas Veritates Salutis;

lutis; prætèrquamquod, cum ille a nobis cognoscendus esset, & tamquam homo, & simul Deus, qualis re ipsa est; sciendum nobis erat, ipsum esse Deum, & Dei Filium, scilicet, secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam. Ita nonne nobis ille singulas tres Personas divinas tradit cognoscendas subsistentes in eadem Natura, cum jubet Apostolos suos baptizare gentes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia in tribus hisce Personis designat Nomen unum: *in Nomine*, hoc est unam Essentiam, & unam Virtutem? *Idem*.

Hujus Mysterii incomprehensibilitas ratio est subjiciendi illi lumina mentis nostræ, & nostri cordis affectus.

Trinitatis Mysterium est incomprehensibile; hoc illud est, inquiunt nonnulli, quod prohibet, ne mens nostra obstupescat, & cor nostrum commoveatur: sed hic prætextus, quam parum dignus est Anima Christiana, quam minime latet suæ Religionis præstantia! quo magis ineffabile Mysterium hoc supra vos positum est, magis illud admirari debetis, & singulæ facultates Animæ vestræ invenire debent quomodo Trinitati obsequium ipsa dignum præstent; mens vestra hic confundere debet propria lumina, & afferre sacrificium huic Fonti ineffabilium claritatum, quarum fulgorem infirmitas oculorum vestrorum sustinere non posset; cor vestrum invenit objectum hoc admirabile magis extensum, quam vota sua; sed nonne hæc validissima est ratio ad illa excitanda? Objectum, cui non essent perfectiones incomprehensibiles, & infinitæ, minus mereretur affectus nostros: ideoque perfectiones Trinitatis cum sint immensæ, anima nostra, quæ desideriis desideria coacervat ad illam sese debet attollere. Ad te igitur, o Sancta, & ineffabilis Trinitas, omnes intendere volo nisus, & facultates cordis mei, ut illas in te unam conjungam, ut in te possideam quidquid potest occupare Spiritum meum, permovere meum cor, & constituere meam felicitatem. *Idem*.

Temeritas est & superbia non ferenda velle penetrare hoc Mysterium.

Quis hominum eo fuit ingenio, & intellectu præditus, ut sese attollere posset usque ad ineffabiles cogitationes Altissimi? Modici, & finiti spiritus sunt, in quibus ambitio infinita, ac non ferenda efficit, ut se credant pares judicio de rebus omnibus faciendo, & penetrando Mysterium, quod Deus reddere voluit incomprehensibile. Homines, quibus spiritus est vere solidus, & supra omnem præsumptionem, vident undique propria lumina deficere, ubi *scrutantur Mysterium Dei in tribus Personis; & sentiunt se evanescere, ubi oculos attollunt*, versus ineffabiles splendores Divinitatis. *Idem*.

Nobis credendum est hoc Mysterium: quamvis non intelligamus illud, & temeritas eorum, qui illi audent adversari.

Magni hujus Mysterii caligo infirmarene debet nostram fidem? possumus ne dubitare de iis, quæ docemur a Deo, eo quia non possumus illa intelligere? hæc profecto non est sententia Sanctorum Patrum, & Doctorum, qui e contra tenent, nullam in hoc haberi posse fidem sine tenebris. Quæ virtus esset Fides, S. Leo inquit; & quod illius meritum, si Fides in eo esset posita, ut crederemus ea, quæ sensibus, ac Spiritui patent? Essetne hoc magnum Deo Sacrificium sequi judicium *ipsius*, ubi consentiret cum nostro, & *fateri veritates, quæ sine stultitia negari non* possent? sed nonne esset afficere Dominum *summa, & indignissima* contumelia, exquirere ab eo rationem earum rerum omnium, quas dicit? credere nolle Verbo illius? non fidere testimonio ejus, & apertas exigere probationes earum rerum, quas nobis revelare dignatur? Quæ temeritas! quæ audacia! Velle submittere judicio rationis suæ, & opponere velle infirmum hunc luminis radium, quem communicavit nobis cum infinita claritatis abysso, qua illustrat *omnia*, & quam nullus sustinere potest intuitus? *Æterna*, & immutabilis Veritas, *Ecclesiæ tuæ revelasti Mysterium* adorabile Trinitatis, & *Fidelibus* omnibus præcepisti, ut credant quidquid ipsa revelasti; & modicum ingenium, cujus lumina adeo brevia, & finita sunt, ut vulgatissima quæque ignoret, ut sese confundat, & negotium illi minima quæque faciessant; quod fallitur quotidie in discussione negotiorum, quæ facillima sunt; quod eget duce, & rectore, a quo in singulas horas corrigatur; modicum hoc, inquam, ingenium audebit ad examen revocare quidquid illi nunciatur nomine Creatoris sui, & deliberabit, utrum Fidem habere debeat divinis Oraculis, eo quod non cognoscit illa? O Deus! fateor me nihil de tanto hoc Mysterio cognoscere; hæc omnia superare, turbare, confundere intellectum meum; verumtamen firmiter credo quidquid dixisti, quamvis sensus mei fidei meæ adversentur. Quamvis infirma ratio mea repugnare videatur; quamvis non alia habeam ad id credendum argumenta, nisi Verbum tuum, credo, & adeo certus sum veritatis hujus Mysterii, ut minime dubitem in hac fide statuere spem omnem æternæ meæ felicitatis. Hoc Mysterium incomprehensibile est, & adorandum est; quidquid in oppositum asserat ratio. *P. de la Colombier, serm. de Mysterio Trinitatis*.

Qui non potest credere hoc Mysterium, quia est incomprehensibile, ob

Si tua mens rebellat, ex quo proponitur illi tamquam objectum fidei divinæ, Mysterium imperscrutabile, quam primum redigeris ad nihil credendum de omnibus catholicis veritatibus: quandoquidem ne una quidem est, quam Spiritus humanus valeat concipere. Quidquamne in Deo est, quod minime excedat captum mentis tuæ? potestne comprehendere quomodo repleat locos omnes, quantumvis dividi non possit? quomodo ex nihilo omnia fecerit, quomodo motum tribuat rebus omnibus, cum ille non moveatur? quomodo in seipso infinitam Justitiam cum infinita Misericordia conciliet? quomodo sexcenta in Mundo patiatur mala, cum ipse illa prohibere possit, & nihilominus illum sapientius non possit moderari? Mirumne est, si Dei Essentia complectatur res incomprehensibiles, & quæ mutuo semet videntur evertere; quoniam judicia ipsa illius adeo profunda sunt, ut mens nostra ibi putet invenire apertissimas contradictiones, cum illas revocet ad examen? Ulluſne adeo subtilis, ac perspicax doctor fuit, qui non aberraverit in consideratione harum rerum omnium, si adeo fuerit audax, ut illas perscrutari voluerit? nonne cogimur oculos claudere ad aspectum Providentiæ tot Mysteriis affluentis; abrenunciare omnibus luminibus nostris; ignorantiam nostram fateri, & cum S. Paulo exclamare: O altitudo Sapientiæ; & Scientiæ Dei, quam invia sunt Judicia ejus, & viæ ejus incomprehensibiles! sed volumus ipsi comprehendere Deum, ipsi inquam, qui nondum comprehendimus minimum opus illius: qui nosmetipsos non comprehendimus? Quis dicet mihi, quibus organis Anima agat in corpus, quod animat, & quomodo corpus communicet Animæ, quæ tota Spiritualis est, affectus, quibus turbatur? quomodo efficitur cogitatio, cujus imaginem *servas in memoria tua, in qua* objecta omnia, quæ ingressa sunt per sensus tuos, semet pinxerunt in imaginatione tua? Oculos aperio, & ecce Imagines eorum omnium, qui in templo hoc sunt, in ictu oculi ibi delineantur, quin confundantur, vel aliæ ab aliis deleantur, quamvis spatium, in quo congregantur, sit indivisibile. Naturam omnem scrutare, nihil invenies, quod non pariat admirationem; nihil, quod te non humiliet, nihil quod tibi non aperiat imperitiam tuam. Sed quid? omnia Dei opera sunt incomprehensibilia, omnia producta sunt, *omnia subsistunt*, omnia multiplicantur per *vias perspicacissimo* cuique ignotas, & *vellemus in Creatore omnia* aptari obscuris *spiritus nostri luminibus? Exerce* tuum acumen *in detegendis* cautis *tot miraculorum, quæ in Natura* contingunt; antequam applices te contemplationi Auctoris earum. Saltem experire in arborum foliis, vel in aliquo insecto, neque tibi videbitur mirum aliquid inveniri incomprehensibile in Deo, cum minime intellexeris ea, quæ in creatis sunt mirabilia. *Idem*.

eamdem causam, nullum potest credere opus Dei, vel Mysterium.

Quod scimus de hoc Mysterio per revelationem Dei, nobiliorem nobis tribuit ideam Dei, quâ quidquid summi virtutis rationis lumine percepe-

Cognitio, quam nobis præbet Fides licet confusam, & crassam hujus Mysterii, adstruit nobis ampliorem, & nobilioremque ideam Supremæ hujus Majestatis, præ illa, quam habere possumus in hac vita per omnia argumenta, omnesque nisus *humanæ mentis*. Nam quamvis intelligere nequeamus, *quomodo divina Natura in tribus Personis subsistat, & ibi inveniamus oppositiones, quas ratio nostra explanare nescit; audeo tamen dicere* hanc ipsam incomprehensibilitatem id esse, per quod eamdem facilius intelligamus; quemadmodum unus ex primis Christianis auctoribus dicere consueverat de antiquis Philosophis, qui nunquam melius Dei cognoverant magnitudinem, quam cum abjecerunt spem omnem eam cognoscendi: *Majestatem Dei intelligendi desperatione senserunt*. Sed hoc nullibi melius adimpleri potest, quam in hoc Mysterio incomprehensibili: profecto si illud penetrare possemus, & si Deus, quamvis infinitus, contineri posset captu spiritus nostri, hoc non esset magnum aliquid, quia captus hic magnus non est; sed scire omnia entia creata, omnes beatos Spiritus simul conjunctos, omnes sublimiores intellectus illuc attingere non posse; hoc mihi tribuit cognitionem nobiliorem, atque præstantiorem. Dicitur mihi unus esse Deus, Natura una, una Essentia divina, sed in tribus Personis subsistens, quorum una non est alia; quantumvis earum Essentia simplicissima sit, indivisibilis, & incapax multiplicitati recipiendæ: non equidem illum agnosco, sed per hoc ipsum agnosco Dei magnitudinem majorem esse omnibus cogitationibus, & conceptibus meis; quamobrem, cum Apostolo exclamo: *Oh altitudo*, o abyssus, o profunditas Divinitatis. Addunt in hac Augusta Trinitate, Patrem esse non antiquiorem Filio; Filium non pendentem a Patre, eique non inferiorem; Spiritum Sanctum ab utroque procedentem, quin posterior sit alterutri: hoc intelligere non possum, & mens mea evanescit in his mirabilibus; sed simulac animum adverto ad cogitationem meam, & dico: igitur Deum hunc magnum esse, quoniam qui propius accedit ad sublimem hanc Majestatem, pondere gloriæ ejusdem opprimitur: *Oh altitudo!* pergunt enucleare mihi hoc Mysterium, divinas hasce Personas continere aliam in alia per admirabilem *circumincessionem*, ut loquitur Theologia; unde fit, ut illæ se possideant, se contineant, & vicissim comprehendant, relationes divinas concipi non posse sine Essentia, quæ una, eadem-

Minutius Felix in Octavio.

demque res est cum illa; quamvis per ineffabile secretum hæc eadem divina Essentia concipi valeat sine relationibus, quibus terminatur; istane comprehendis? Ego vero certus non sum, quia hæ veritates rationem superant, & omnis hominum subtilitas eas comprehendere non potest. *Oh Altitudo!* sed confessio ista efficit, ut habeas sublimiorem de ipso Deo conceptum. *Auctor sermonum in omnia Ethica moralis argumenta tomo* 1. *Mysteriorum.*

Quid nobis faciliorem efficere possit hujus Mysterii fidē.

Si in hoc Mysterio procedimus per lumina rationis nostræ juxta revelationem factam nobis a Deo, & per similitudines, quas a creatis rebus mutuamur, licet hæc lumina sint obscura, & imparia comparationibus, quibus utimur, tamen adstruunt nobiliorem nobis ideam præ illis, quas sibi finxerunt sublimiora Mundi hujus ingenia, & non video nisi illa, quæ ex nobismetipsis accipimus, quoniam facti sumus ad imaginem, & similitudinem Dei. Deus igitur, o fideles, producit in seipso per vim, & infinitam Intellectus sui fœcunditatem, Verbum, quod est forma cognitionis suæ, quemadmodum videtis nos effingere nobis Imaginem rerum, quas concipimus, quæ Verbum est interius, quo exprimuntur, & repræsentantur. Quod accidit in nobis, fit in Deo; sed modo longe nobiliori, & cui major vis ineſt exprimendi, & qui expeditior est ab imperfectionibus, quæ in hominibus occurrunt. Profecto si tu concipiens temetipsum, vitam dare posses huic Imagini, quam formas in te, si in locum accidentis minuti, & fragilis aliud efficeres solidissimum, atque subsistens, si in locum phantasmatis alium faceres temetipsum; si in locum hujus multitudinis, atque æstus cogitationum sibimet invicem succedentium, & inconstantium, non secus ac spiritus noster evolat, & mutatur, tu unam efficeres, quæ cum temetipso, & simul omnia repræsentaret, & in simplicitate sua esset rerum infinitarum Imago; accideret, ut in una tantum cogitatione diceres omnia, & in solo conceptu, mens tua semet exhauriret, quin posset aliquid novi producere; ut hæc imago *esset alter* quidam ac tu, æque perfectus, & completus *ac tu*, habens quidquid habes ipse, cum hac tamen exceptione, quod illa id abs te recepisset, & tu esses *principium illius*. *Quod si alioquin* necesse fuisset *tibi illam producere*, *quin posses prohibere*, illa neque tibi gratiam esset habitura, neque in re aliqua tibi esset inferior, cum esset æque vetus, & nobilis, ac tumetipse; quod fieri non potest in creatis rebus, sed sit in Deo ab æterno, qui per infinitam Intellectus sui cognitionem, producit Imaginem prorsus similem sibimetipsi, & quæ est Verbum illius, & Filius ejus, cui eadem est natura, eademque substantia, ac illi: *non inanis*, inquit Sanctus quidam Pater, *quia Sapientia est*, *non mortua*, *quia Vita*, *non vana*, *quia Veritas*, *non muta*, *quia Verbum*. Imagines aliæ mutæ sunt; hoc vero est ipsum Verbum, aliæ *sunt imaginationis* nostræ phantasmata, sed hæc Veritas *est originaria*, Æterna, & subsistens; aliæ mortuæ sunt, sed hoc est ipsa vita. Quod diximus de Verbo, & secunda Trinitatis Persona, hoc ipsum dicendum est de tertia, scilicet, Patrem, & Filium videntes se adeo Magnos, adeo Perfectos, sese invicem diligere toto pondere propensionis suæ, ideoque Amore infinito, & quantum merentur; nam sicuti Deus cognoscit seipsum toto captu Intellectus sui, amat etiam se toto studio Voluntatis suæ; quantum Intellectus *infinitus* suus detegit illi se amabilem esse, tantum magnum Cor ejus suas intendit vires ad sese amandum, & calor unius minor non est, quam fulgentia lumina alterius; ita ut sicuti Pater Æternus cognoscens seipsum producit Filium suum, qui est Verbum suum; ita Pater, & Filius amantes se amore, qui par est objecto suo, in unitate Principii producunt Spiritum Sanctum, qui est amor substantialis, Deus non secus, ac duæ ceteræ Personæ, utique in omnibus æquales. En igitur quousque ratio nostra propter revelationem procedere valeat, nam reliquæ similitudines, Symbola, vel exempla nihil præterea docere nos possunt. *Auctor recens.*

Nobiles sensus de divinitate, quos nobis inspirat cognitio hujus Mysterii per comparationem cum idea quam de eadem Philosophi Ethnici habuerunt.

Judicare possumus, quot & quam sublimes sensus afferat nobis hujus Mysterii revelatio, si comparentur cum sensibus illorum, qui non noverunt illud: enimvero, quot prodierunt, quæso, errores, & quot insanæ opiniones de Divinitate? non loquor solum de Idolatris, qui illam everterunt, dividentes unitatem Essentiæ suæ per monstruosam hanc multiplicitatem; ita ut in sola urbe Romæ, teste S. Augustino, fuerint quadraginta mille Divinitates, & ultra; sed etiam de magnis ingeniis, quæ lumine rationis suæ cognoverunt, unum tantummodo esse Deum, & quæ sibi non finxerunt nisi indignas divinæ hujus Majestatis ideas; credentes alii hanc esse intelligentiam quamdam inhærentem primo mobili, quin aliud curaret, quam movere primum Cælum, ideoque illam finxerunt omnis Justitiæ, & Providentiæ expertem. Alii dederunt illi Corpus, animi affectus, & vitia, non secus ac hominibus. Alii cum libertate privarunt, ita ut sineret Mundum cæco fato circumagi, quod omnibus sceleribus aditum aperit. Alii denique, ut Apostolus inquit, mutarunt naturam Dei in similitudinem abjectissimorum brutorum, quibus thura adoleverunt, quod efficere debet, ut ploremus miram hominis cæcitatem rationi suæ traditi. Sed post hujus Mysterii revelationem, tunc incœperunt homines sublimem concipere ideam, & fovere sensus dignos Deo, quem incomprehensibilem confessi sunt. *Auctor sermonum in omnia argumenta, &c. Tomo* 1. *Mysteriorum.*

Gloriosum est Deo cognosci ab hominibus per confessionē ignorantiæ suæ.

Gloria Dei est cognosci a Creaturis suis per ignorantiæ suæ confessionem, eodem modo præter propter, quo cernimus maris latitudinem, quæ oculis nostris videtur major fieri, prout ad illud simus propiores; percellimur enim secreto quodam timore, qui cum stupore nostro commiscetur, & nunquam illam majorem concipimus, quam cum oculus in tanta extensione laborat, & deficit, quin terminos illius detegere valeat. Similiter quo magis mens in Divinitatis abyssо laborat, & evanescit, censet illam esse profundiorem, & adstruit sibi æquiorem conceptum magnitudinis Dei. Oceanus modicus esset, si oculi nostri possent ab uno ad extremum aliud pertingere; & Deus finitus esset, si posset capi mentibus nostris; quapropter profunda meditatio Entis hujus infiniti sanctam nobis inspirat formidinem, quæ inde proficiscitur, quod quo magis ad illum accedimus, eo magis cognoscimus, nos fulgorem illius subsistere non posse, & quidquid conamur, ut ita dicam, ad delibandam Divinitatem, & non assequenda ejusdem extrema, fatemur nihilominus, Deum, ut dicit Apostolus, habitare lumen inaccessibile. *Idem.*

Incomprehensibilitas Dei, non debet amovere nos a studio illius cognoscendi.

Tantum abest, quod incomprehensibilitas Dei deterrere nos debeat a quærenda illius cognitione, ut immo hæc mentis nostræ potissima esse debeat occupatio, quemadmodum est etiam dignissima; hoc enim est in hac etiam vita inchoare, quod nobis æternum faciendum erit in altera, quemadmodum Salvator ipse testatur? *Hæc est Vita æterna, ut cognoscant Te solum Deum, & quem misisti JESUM CHRISTUM.* Creata omnia loquuntur nobis de perfectionibus ejus, nobisque suadent, ut illum confiteamur, & adoremus per proprias perfectiones suas, quæ totidem sunt emanationes, & totidem veluti leves adumbrationes earum, quæ in hoc supremo Ente renident. *Idem.* Joann. 17.

Quia homines erraverunt sequi volētes lumina rationis suæ, prædicavit veritates, quæ superant rationem illorum.

Cum homines ducem sequuti sunt solam rationem suam, aberrarunt *penetrare volentes* divina Mysteria, solis luminibus intellectus sui. Ratiocinati sunt de Mundi fabrica, de Cælis, de elementis, aliisque operibus, quæ Potentiam, atque Sapientiam eximii hujus Opificis repræsentant, quod si eo pervenerunt, ut Auctorem tantorum operum cognoscerent, neque illum glorificaverunt, evanuerunt, inquit Apostolus, in luminibus suis, & Deus in tenebris ipsorum illos reliquit. Quid autem fecit Deus, ne iterum aberrarent? annunciari voluit Veritates quæ rationem superant, & eas præsertim, quæ ad Trinitatis adorabilis Mysterium pertinent; ut qui sese Verbo ejus submitterent, salvari possent, reprobatis superbis, qui vellent, secundum rationem suam de omnibus ferre judicium, quamobrem dixit S. Paulus: *quia in Dei Sapientia*, *non cognovit Mundus per Sapientiam Deum*: *placuit Deo*, *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Quia noluerunt obsequium præstare Deo, non potuerunt illum cognoscere per Sapientiam suam, & ipse dignatus est eos regere per fidem proponens illis Veritates, quæ rationem superant. *Idem.* 1. ad Cor. 1.

Trinitas adorabilis non esses Deus meus, nisi excederes rationem meam, & Cor meum non posset amare, & adorare Te tamquam Deum meum, si spiritus meus Te posset comprehendere; neque enim infinita esses, nisi esses incomprehensibilis, & Deus non esses, nisi esses infinita. Quo minus te intelligo, eo magis te credere debeo, & magis Te debeo adorare. Quo magis superas cognitiones meas, eo magis mereris obsequium, & amorem meum; modo es objectum fidei meæ, mearumque adorationum, & aliquando eris objectum Beatitudinis meæ, & unicus Amor meus. Modo es subjectum meriti mei, & eris aliquando remuneratio, & Beatitudo mea; nunc abscondis Te mihi, ut augeantur merita mea, tunc deteges Te mihi, ut illa corones. Nunc melius nequeo honorare Te, nisi per reverentiam, obsequia, silentium meum, & nolo silentium hoc abrumpere, nisi ut conjungar cum Seraphim, dicens cum illis Tibi, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Deus exercituum*. Quandonam, Trinitas adorabilis! beati erimus eadem beatitudine, qua Tu, quandonam eadem erit occupatio nobis, quæ Tibi; videlicet, possidere Te, amare Te, & in omnem æternitatem Te glorificare? *P. Nepveu Tomo* 2. *Christianorum Considerationum.*

Vita nostra esse debet conformis fidei Mysterii hujus.

Satis non est ore confiteri, a nobis credi, Deum unum in Personis tribus; ad hoc vitam ducere debemus hac fide dignam, Evangelio, & revelationi hujus Mysterii conformem. Cum Salvator dixit Apostolis suis: *Euntes docete gentes*, *baptizantes in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, statim subjicit, *docentes eos servare quæcumque mandavi vobis*. Vult a nobis Matth. 28.

nobis obedientiam cum Fide conjungi, morum Sanctitatem cum fidei integritate, Præceptorum ſuorum obſervantiam cum Spirituum noſtrorum ſubmiſſione iis veritatibus, quas nobis revelat. Quid autem æquius, ac rationabilius hac unione? quid magis appoſitum ad ſuadendam nobis vitæ Sanctitatem, quam fides magni hujus Myſterii? Quid validius ad corda noſtra ad Deum pertrahenda, Deique amorem in nobis ciendum, quam videre Patrem donantem nobis quidquid habet cariſſimum, mittentem nobis Unigenitum ſuum, qui pro nobis vitam ſuam eſt effuſurus? Videre Patrem, & Filium mittere ad nos Spiritum Sanctum, qui vult habitare, & operari in nobis, & animas, atque corpora noſtra ſibi in Templa, atque domicilia convertere? Videre nos a Patre in Filios adoptari, videre nos a Filio ſibi coaptari tamquam membra, & a Spiritu Sancto, tamquam Templa ſanctificari, & conſecrari? Nos a Patre ad gloriam, per Miſericordiam ſuam evocari, nos per Juſtitiam Filii id promereri, & per Spiritus Sancti gratiam illuc adduci? Operam igitur demus, ut amorem noſtrum, cum fide noſtra jungamus, & adnitamur, ut amor per praxim quorumcumque bonorum operum in nobis operetur. *P. Chauſſemer ſerm. de hoc Myſterio.*

Ad credendam Dei exiſtentiã, ratio nullã vim paſſa eſt; ſed ad credendam Unitatem Perſonarum neceſſe fuit, ut ſeipſum captivaret. 1. ad Cor. c. 10.

Nullum eſt humiliationis genus, quod magis hominem ſubmittat, quam quod eum cogit rationem mentemque ſuam ſubjicere: Spiritus enim hominis primum illud eſt, *cujus poſſeſſionem* adit ſuperbia, non ſecus ac noviſſimum opus eſt, ut ſubjiciat mentem ſuam, & agnoſcat ſuam infirmitatem ad aſpectum adorabilis Trinitatis, quam Fides nobis proponit: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium CHRISTI.* Donec hominis ratio non aliud objectum habuit, niſi Deum, noluit ſeſe captivare, ut cæce crederet in illum, quin propriis luminibus uteretur; e contra vero oblectata eſt cogitare primum hoc Ens, exiſtentiam ejus demonſtrare, & cognoſcendas tradere divinas perfectiones ejus. Illius immenſitas, Potentia, Juſtitia, Bonitas, Providentia erant latus ager, in quo exercebat liberalitatem ſuam; ſed opus fuit, ut ſuperba Philoſophia hic ſiſteret volatum ſuum: donec non agitur, niſi de eſſentia, & exiſtentia Dei, potuit illa quidem exerere conatus ſuos, ſed ubi agitur de unitate Eſſentiæ, & de Perſonarum Trinitate, fateatur oportet ſuam infirmitatem, *atque ignorantiam. Ex ſpecimine ſerm. pro diebus Dominicis pro die SS. Trinitatis.*

In reliquis Myſteriis ratio tãtam vim paſſa non eſt, quãtum in Myſterio Trinitatis.

Ceteris in Myſteriis, quæ in Religione noſtra veneramur, ratio aliquam invenit veritati reſiſtentiam, verum non ita humiliatur; quantumvis ſint admirabilia, propius tamen accedunt ad hominem: Deum videre in Incarnatione hominem factum. Hoc pauliſper avertit rationem meam, ſed hic Deus eſt Deus Puer, hoc figit, atque circumſcribit fines ſpiritus mei, tandem enim mihimet perſuadere poſſum hoc non eſſe omnino impoſſibile; de hoc enim Philoſophi veteres nonnulli ita cogitarunt. Si conſidero mortem Dei aliquid mihi *ſtatim horridum videtur, ſed hic Deus moriens eſt Homo Deus, & imaginatio aliquid invenit*, quod illam remoretur. Dei Reſurrectio me ſtatim perſtringit; ſed Spiritus meus in glorioſa hac Humanitate aliquid nanciſcitur, quod eidem conveniat; denique in reliquis Myſteriis Humanitas ſemper eſt cum Divinitate conjuncta, homo ſemper habet hominem pro objecto, & mens ejus aliquos detegit locos, quos comprehendit, & penetrat; ſed in adorabili Trinitate, quocumque ſe vertat mens humana, impenetrabiles invenit abyſſos; omnia ſunt *ibi* tenebræ, quo magis quærit lumina, eo magis *in* obſcuritatem cadit, quo magis ſeſe attollere quærit, eo majorem invenit ſemet humiliandi cauſſam, & ſuam confitendi infirmitatem.

Antequam Deus revelaret nobis hoc Myſterium fieri non poterat, ut homines aliquid de illo ſuſpicarentur.

Antequam Deus Trinitatis Myſterium revelaſſet, non poterant naturaliter cognoſcere homines tres eſſe in Deo Perſonas, immo neque aliquid de hoc diviſnando conjicere. Creata, quæ ſunt Dei vox, ut intelligantur unitas naturæ ſuæ, aliæque ſuæ perfectiones, nihil dicunt de Perſonarum Trinitate; Cur iſtud? quærit D. Thomas: quia Mundus nobis oſtendit dumtaxat Deum tamquam Creatorem, quemadmodum opus oſtendit manum Artificis, a quo factum eſt. Deus autem Mundum non fecit, niſi per Potentiam, & Sapientiam ſuam, quæ ſunt perfectiones Trinitati communes, & quæ gerunt characteres Unitatis ſuæ; ita in tota hac tabula, ne unum quidem eſt lineamentum, quod nobis oſtendat Deum eſſe in tribus Perſonis; ceterum poſtquam etiam Deus revelavit hoc Myſterium nobis, nulla eſt nobis ratio, quæ illud nobis probare valeat, & hæ Veritates videntur potius offendere lumina noſtra; quis enim putare poſſet, unum eſſe poſſe tria? Perſonarum diviſione non dividi unitatem Perſonarum, aliæque id genus difficultates, quæ palam oſtendunt in his adeſſe obſcuritatem, ac tenebras, quæ nos cum Apoſtolo exclamare cogunt: *O Altitudo!* Biroat in Tomo Myſteriorum ſermone 1. de Trinitate.

Equidem ſcio mentes noſtras poſſe aliquo modo ingredi in hujus Myſterii cognitionem, cum Fide, atque Theologia. Hæ duæ ſunt faces, quarum ope in has Abyſſos deſcendere poſſunt earum obſcuritatem penetraturæ. Hæ ſunt alæ duæ, quarum auxilio ſeſe poſſunt attollere ad altitudinem throni ſui: ſcimus in Deo tres eſſe Perſonas: Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & tres Perſonas licet diſtinctas realiter, non eſſe tamen niſi unum Deum, quia in illis una tantum eſſentia eſt: ſcimus multiplicitatem harum Perſonarum fieri inde, quia Pater cognoſcens ſeipſum, gignit Filium ſuum, qui eſt Verbum ſuum, Imago ſubſtantiæ ſuæ; Patrem, & Filium ſeſe mutuo proſequentes amore, producere Spiritum Sanctum, qui amor eſt Perſonalis, Filium eſſe æqualem Patri, & Spiritum Sanctum Patri, Filioque. Scimus adeſſe relationes proprias Perſonarum; ſed poſt hos omnes conatus Theologiæ, quæ incumbit Fidei, & revelationi, confitendum eſt quidquid nos de hoc Myſterio cognoſcere poſſumus, hoc eſſe, a nobis comprehendi non poſſe, & omnes rationes noſtras eo tendere, ut cum Propheta dicamus: *Domine neſcio loqui.* Idem.

Quid mens noſtra cum Fide, & Theologia detegere valeat in hoc Myſterio impenetrabili.

Jerem. 1.

Conſideratio Myſterii adorabilis Trinitatis infinite Myſterium Incarnationis commendat. Experimur ſuavitatem, & peculiarem cordis noſtri affectionem, ubi meminimus, Deum tantum eo uſque dilexiſſe Mundum, ut illi Unigenitum daret ſuum; & potior nobis adeſt cauſſa amandi, & colendi hunc Filium, cum Fides nobis aperit Verbum hoc annihilatum in carne, Filium hunc morientem in Cruce, eſſe æqualem Patri, ſedere in eodem throno cum illo, & illi Angelos omnes præbere obſequia ſua. Cum vero mox conſideramus hunc Spiritum Sanctum, qui vinculum eſt Patris, & Filii, illum eſſe, qui ſeſe effundit in corda noſtra facturus nos divinæ Naturæ conſortes; non ſolum perſtringimur incomprehenſibilibus Productionis ejuſdem mirabilibus, verum etiam divinis ejuſdem flammis incaleſcimus. Jure igitur Eccleſia in diei hujus Sollemnitate nos revocat ad fontem, cujus rivulos in aliorum Myſteriorum celebritate repræſentavit. Manifeſtat nobis magnum Oceanum, unde emanant omnes benedictiones, quæ *in nos effunduntur*; vult per hoc in nobis majorem erga tres has divinas Perſonas *amorem accendere, quarum ſingulæ* erga nos *volunt peculiarem habere relationem*. Quod vero roborare in nobis debet hunc reverentiæ, & amoris ſenſum, quem fovere debemus erga tres Sanctæ Trinitatis Perſonas, illud eſt; Myſterium ſecretiſſimarum, atque intimarum harum communicationum Patris, Filii, & Spiritus Sancti, has ineffabiles proceſſiones, has amantiſſimas, & fœcundiſſimas delicias, hanc unionem, hunc fulgentem, ardentemque reflexum adimpleri in corde noſtro, & intra noſmetipſos, quoniam Trinitas ubique invenitur, ubi Divinitas adeſt. Hæc cogitatio nonne ſemper continere nos debet in reverentiali timore diſplicendi Majeſtati Dei, *qui eſt* nobis adeo præſens, atque *intimus? P. Texier in ſerm. de Myſteriis Domini, ſerm. de Trinit.*

Salvatoris mãs fuit ſtatuere in Eccleſia ſua imaginem Unitatis Dei. Joann. 17.

Certum eſt maximum Filii Dei in terris conſilium *fuiſſe effingere Imaginem* unitatis Dei in Eccleſia, *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*. Fecit nos omnes filios adoptivos Patris ſui, familiares domus ſuæ, omnes ejuſdem felicitatis candidatos, denique effudit Spiritum ſuum in corda noſtra, ut ille, qui ſacrum eſt Patris, & Filii vinculum omnia ſimul corda noſtra conjungat, per nodum indiſſolubilis caritatis: unde ſequitur præcipuam *Chriſtianiſmi profeſſionis*: unde ſequitur præcipuam Chriſtianiſmi profeſſionis nem eſſe, non ſine ope gratiæ *ipſius* hanc caritatis unionem ſervare. Quis mihi tribuit hoc in argumento S. Gregorii Nyſſeni zelum, & lacrymas! *O rem calamitoſam, cogit enim me mali magnitudo ingemiſcere, ſolutum eſt vinculum caritatis, abrepta eſt Pax ex theſauris noſtris.* O extremam infelicitatem! mali magnitudo me flere cogit, diſruptum eſt inter nos caritatis vinculum; Pax adeo cara, & pretioſa JESU CHRISTI, ſublata fuit de theſauris Eccleſiæ. Inter nos non videntur amplius, niſi odia irreconciliabilia, diſfidia, ſchiſmata, ſeceſſiones, invidiæ, zelotypiæ ſectiones, vel publicæ ultiones. Heu! hodierna die nocretæ, vel publicæ ultiones. Heu! hodierna die noſtra præſtemus obſequia unitati Dei, relinquamus funeſtas haſce diſſentiones, & præcipue ſervemus unitatem hujus Spiritus caritatis, quo ſimul jungendi ſumus. *Idem.*

Communicare debemus cum proximo bona, quæ habemus, quemadmodum in Trinitate Pater communicat Filio quod habet, & Pater, ac Filius, Spiritui ſancto.

Dicimus, vel potius addimus ad perfectionem imaginis Trinitatis, quam gerimus, quemadmodum unio inter Perſonas divinas fœcunda eſt, opus eſſe etiam, ut hic Spiritus, qui corda noſtra in Chriſtianiſmo conjungit, hunc amorem, quo cum Deo, & cum fratribus noſtris vincimur, eſſe in bonis operibus fœcundum, & ſicuti Deus ſemper occupatur in proceſſionibus ſuis ineffabilibus, ita amor noſter eodem totus occupetur. Sed hic amor, S. Gregorius inquit, ſemper debet operari: *magna operatur amor ſi eſt; ſi renuit operari, amor non eſt*: Sicut in Deo hæc naturæ unitas, & Perſonarum multiplicitas ſubſiſtit per vim divinarum communicationum, Pater effundens in ſinum Filii ſui omnes theſauros Eſſentiæ ſuæ; & Pater, ac Filius largiens Spiritui Sancto omnes divitias ſuæ

Divi-

Divinitatis; ita inter nos hæc Christiana caritas communicare debet bona sua, ea liberaliter largientes, qui eodem Spiritu animati sunt, quo ipsi animamur. Quicumque destrueret in Deo liberalem hanc communicationem, Trinitatis Mysterium destrueret, & Deus non esset amplius ille, quem adoramus, Ita certum est nos renuere non posse, quin caritate utamur erga fratres, & simus benefici omnibus, qui nostro egent subsidio, quin amittamus gloriosam hanc relationem, quam habemus cum Deo, Deus semper occupatus est, communicationibus essentiæ suæ ab intra, semper beneficus est ab extra; Pater, S. Paulus ait, caritas est, Filius est gratia, Spiritus Sanctus communicatio; igitur opus est, ut quatenus imago liberalium bonitatum harum divinarum Personarum, liberales simus bonorum, quæ possidemus; ad hæc quemadmodum gloria, & gaudium divinarum Personarum inveniuntur in communicationibus ab intra, & ab extra; ita gloria Christiani consistere debet in exercitatione hujus amoris benefici. *Idem.*

Qui causa est dissensionis spiritus, vel cordis inter fratres, deler quantum in ipso est imaginem Unitatis Dei.

Cum objectum votorum, & precum Salvatoris nostri fuerit in fidelibus imprimere imaginem unitatis Dei, quem in Mysterio Sanctæ, atque adorabilis Trinitatis cognoscimus; inde sequitur, illum qui destruit hanc unionem, quam ipse tantopere concupivit, & quam tanta cura procuravit, & qui serit aliquam dissensionem: vel opiniones per novas sectas, sensusque oppositos fidei Ecclesiæ, vel cordis per odia, & simultates, reum esse, quod destruere valuerit imaginem perfectissimam, atque absolutissimam Trinitatis, & sicuti qui Dei unitatem destrueret, simul etiam destrueret essentiam illius, & divinissimum hoc Mysterium in monstrum converteret; ita Christianus omnis, qui serit schisma mentis, vel cordis, nocens est coram Deo, non secus ac ille, qui, quantum in seipso est, destruit, ac tollit perfectionem omnem operis Ecclesiæ suæ. *Idem.*

Ad quam dignitatem per baptismum adsumimur, & quomodo huic per morum sanctitatem respondere debeamus.

Cur putas a JESU CHRISTO institutum fuisse, ut a baptizantibus proferretur nomen trium Personarum? id non solum institutum est, ut doceremur tres in Deo esse Personas, & crederemus; sed, ut sciremus tres hasce Personas per Baptismum modo ineffabili operari. Patrem ibi agere tamquam Patrem, Filium tamquam Filium, Spiritum Sanctum tamquam bonorum omnium auctorem, secundum personales singulorum proprietates. Pater consecrat Memoriam, Filius Intellectum, Spiritus Sanctus Voluntatem eorum, qui baptizantur: Pater illos sibi adoptat in filios, Filius eos recipit in fratres, Spiritus Sanctus illos tamquam sua templa sanctificat; denique Christianus baptizatur, ut adoret, veneretur Sanctissimam Trinitatem, eique potissimum serviat, eamque imitetur; cultus enim perfectior est, ejus qui honoratur imitatio: *Summo Religionis imitari, quem colis.* Cognosce igitur hodie fidelis ad quem honorem per baptismum attolleris. Es Patris Cælestis Fillus, es frater JESU CHRISTI, es vivens Templum Spiritus Sancti. Quamvis esses Filius Regum, & Principum, genus tuum non esset spectabilius, neque tibi tanta jura conferret. Verum vivis ne, ut decet genus tuum? Actus tui ostendunt ne te cognoscere magnitudinem tuam? si vis esse filius Patris cælestis, quo illum honore venearis? *Si ego Pater, ubi est honor meus?* Nomen ejus non honoras, sed blasphemas, & nullam habes cum illo similitudinem. Ipse misericors est, tu sine misericordia; ille facile omnes dimittit injurias sibi ab hominibus illatas; tu vero minime vocalæ ultionem reposcis. Non imitaris melius Filium, quam Patrem. Filius in divina Persona sua relationem habet ad Patrem, qua ab illo distinguitur; sed refert ad eum, quidquid habet, & quidquid est; quia id omne ab illo tenet. Ille factus homo similis nobis profitetur se non quærere gloriam suam, sed gloriam illius, a quo missus est. *Non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* E contra cum indignus esses, qui fieres per baptismum frater illius, neque ipsum te, neque actiones tuas refers ad JESUM CHRISTUM; quæris gloriam tuam, & hominum æstimationem aucuparis; eorum approbationem mereri vis, & ab illis laudibus celebrari. Si similitudo Fraternitatis nota est, quomodo nam, cum sis dissimilis adeo a Filio Dei, te fratrem illius dicere potes? cumque frater ejus non sis, potes ne jure illius quærere hæreditatem? Sed fortasse imitaris Spiritum Sanctum. Diximus hunc per viam Voluntatis procedere, hunc esse amorem substantialem Patris, & Filii, & in illo divinas processiones compleri: quæ est voluntas tua? Vacat ne illa amando Deum, an versatur solum in amore sui ipsius, vel creatarum rerum, divitiarum, honorum, voluptatum? huc tendunt omnes curæ tuæ, omnes cogitationes, omnes actiones. Templum es, non quidem Spiritus Sancti, sed Idolorum, templum repletum fumo, propter ambitionem tuam, per quam adoles thus Principibus Mundi, qui fortunis tuis possunt velificari. In hoc templo non auditur Dei nomen, nisi blasphematum; non concinuntur ibi laudes Dei, peccatores tantum laudantur; nemo coram Deo ibi prosternitur, immo sese prosternit, sed coram hominibus tantum, a quibus aliquid expectatur; non ibi Deo funduntur preces, neque ulla in eo habetur confidentia; sed duntaxat, ut inquit Scriptura, in divitiarum suarum multitudine, in sua, & amicorum auctoritate. Ah! Es igitur infidelis, qui dedecoras Trinitatem; Infidelitas tua te verecundia suffundat, pudeat te ingratitudinis, & cæcitatis tuæ, & contende, ut melius dignitati generis tui respondeas. *Godeau in Homil. pro Dominica SS. Trinitatis.*

Malac. v.

Joann. 8.

Trinitatis Mysterium nonnisi per fidem cognosci potest.

Ad Deum rite cognoscendum, satis non erat, ut homo attolleretur supra sensus suos, & uteretur omnibus luminibus mentis suæ; hoc non erat, S. Augustino teste, nisi dimidiatum iter absolvere, quemadmodum magis abest humanus Spiritus a Deo, quam sensus hominis a suo spiritu, opus erat, ad hoc ut perveniret ad Deum, non solum sese supra sensus attollere, sed etiam supra rationem ipsam, & spiritum; quod adduxit illum in beatam necessitatem cognoscendi Mysteria Dei, per lumen fidei; lumen, quod nunquam errat cum nos unice Deo applicet, tamquam primæ Veritati, & nos immobilitati Verbi ejusdem inhæreamus; cum illi, qui temere ausi sunt de divinis ferre judicium per sola rationis lumina, misere lapsi fuerint in infinitam errorum abyssum. Hoc præsertim accidit in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quod efficit præcipuum objectum fidei Christianorum. Etenim in quot errores lapsi sunt mortales, eo quod metiri ausi sunt infirmis cæcæ rationis luminibus hujus Mysterii immensitatem? Modo confundere voluerunt divinas Personas, & unam tantum agnoscere cum Sabellianis, modo ita dividere, ut essent diversæ naturæ cum Arianis, modo confitentes Filii dignitatem, impugnarunt illam Spiritus Sancti cum Macedonianis, modo confitentes tertiæ Personæ divinitatem, asseruere illam a Patre tantum, non vero a Filio procedere cum Græcis; sed universa catholica Ecclesia inviolabiliter adhærens Fidei, quin ausa sit scrutari nimis profundam impenetrabilis Mysterii hujus abyssum, adorat, & credit ea cum simplicitate, quam fides postulat, quidquid Dei Filius revelare nobis dignatus est. *Pater Chaussemer in sermone de hoc Mysterio.*

Deus per hujus Mysterii revelationem reliquere fidelibus voluit imaginem unitatis essentiæ suæ in unione voluntatis eorum.

Una ex potissimis causis propter quam hominibus revelavit Deus magnum hoc Mysterium, est, ut præberet illis in hac indivisibili Unitate, quæ efficit, ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sint Unus tantum Deus, validum argumentum, perfectumque prototypum pacis, concordiæ, unionis, & unitatis, quæ esse debet inter illos, ut illis persuasum sit audiendum esse Dei Filium, qui fecit ex hac unione, vel potius unitate fidelium, argumentum ferventissimæ Orationis suæ in suæ Passionis pervigilio: Oro te, Pater mi, ut sint unum, quemadmodum, & nos Unum sumus, ut consummentur in unitate, & Mundus cognoscat, quoniam misisti me. Quam præclarum effectum obtinuere hæc Salvatoris vota in fidelibus initio Ecclesiæ suæ, & quam bene imitati sunt illi Unitatem fide, spe, & caritate sua, quibus simul nectebantur, Unitatem admirabilem ejusdem essentiæ in tribus divinis Personis! Nostis, quam magnus esset numerus credentium in J. C. tamen Scriptura testatur, omnium unam fuisse Animam, & unum Cor. Ah quam jucundum erat spectaculum hæc unio, quam bene probabat missionem Filii, descensum Spiritus Sancti, unionem, vel potius unitatem duarum harum divinarum Personarum cum Patre in una eademque Substantia. Fideles tunc proculdubio ratiocinabantur, & locum præbebant aliis ratiocinandi hoc pacto; si caritas, quæ inter nos est, satis est potens, ut efficiat Animam unam ex tot Animabus, unum Cor ex tot Cordibus, caritas hæc, quæ jungit Patrem cum Filio, quæ longe perfectior est, & cujus excellentia superat omnem intellectum, facere debet ut hæ duæ divinæ Personæ una cum Spiritu Sancto, Unum, & eumdem constituant Deum, & sint in omni sensu, videlicet, non per affectionem tantum, sed per Naturam. Heu! fratres mei invenire possemusne modo in fidelium unione similem probationem Mysterii Trinitatis? cum pervenerimus jam ad misera hæc tempora, quæ Salvator portendit, quibus iniquitas crevit, & caritas plurimorum intepuit, probatio illa non subsistit amplius, tamen Filius Dei dicit nobis in Evangelio, se ostendisse nobis Patrem suum, ut idem amor, quo Sanctus Pater amavit illum, sit in nobis, *ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Hic est præcipuus finis revelationis hujus Mysterii; hæc est doctrina, quam fideles inde addiscere valeant, habendi inter se unionem, & caritatem; sed quem ex hac doctrina referunt fructum? ubi nam gentium hæc unio caritatis inter fideles invenitur? Si amici sunt, nonne, ut plurimum propter utilitatem, vel criminis societatem nectunt amicitias? Si unanimi dilectione consentiunt, nonne hoc fit, ut alicui pareant cupiditati? ipsæ etiam hominum amicitiæ, quid sunt, nisi necessitudines quædam, quarum causa est caro, & sanguis, avaritia, & alea, cupiditas, atque voluptas. Nequaquam diligunt se eo amore, qui a Deo proficiscitur, atque tendit in Deum; in ami-

Joann. 17.

in amicitiis nequaquam nos agit divina caritas, quæ esse debet amoris noſtri fons, & principium, ut formetur ad exemplum illius, quæ eſt inter adorabiles Trinitatis Perſonas. *Idem.*

Trinitatis Myſterium humiliat Sapientes, & Chriſtianum ſolâ fidem habentem efficit magis illuminatum, quam doctiſſimum quemlibet ſine fide.

Qui dicunt Trinitatis Myſterium non intelligi niſi a doctis, & ab ingeniis, quæ ultra communem uſum attolluntur; ideoque pertractandum non eſſe argumentum hoc adeo ſublime apud ſimplices, & illitteratos, illi, inquam, perperam loquuntur, vel ut melius dicam, non cogitant, quod dicunt. Verum eſt hoc argumentum primum eſſe, maxime incomprehenſibile, & ineffabile præ reliquis Myſteriis, ſed ſimul illud eſt, quod attollit mentem ſimplicium, & magis magiſque humiliat, atque confundit mentem Sapientum; de hoc loqui horum non eſt, quia quidquid illi concipere poſſunt luminibus rationis, vel ſcientiæ, nihil eſt, ſi comparetur cum eo, quod fides docet fideles maxime rudes, & ignariſſimos. Divina hæc lumina, quæ de Cælo deſcendunt ad illuſtrandam mentem illius, qui inter Chriſtianos minus aſceticus eſt, confundunt omnem vim ſublimiſſimorum terræ hujus ingeniorum. Taceant igitur opus eſt in hujuſmodi occaſione ſapientes a rudibus percepturi divina hæc oracula, quæ abſcondit Deus ſapientibus, atque prudentibus, & quæ non revelavit niſi parvulis, hoc eſt humilibus. Re enim vera congregatis omnibus Mundi ſapientibus inter præſtantiores, ſubtiliores, atque acutiores mentes eligite, ſed quæ nunquam aliquid de Fide audierint unquam. Supponite modo in hoc celeberrimo Sapientum cœtu inveniri Chriſtianum non aliud ſcientem, niſi quod illum docet Fides, ſed qui nihilominus ratiocinari poſſit ſecundum fidei principia, & ſpiritum habeat humilitatis, qualem habebat Salvator inter doctores, duodecimum agens vitæ ſuæ annum. Quæſo a vobis, omnes iſti conſummatæ ſcientiæ, & profundæ penetrationis Viri, poteruntne audire vel ullam ex veritatibus, quam hic humilis fidelis eis propoſuerit? Poteruntne audire ab illo Oracula ſibi incomprehenſibilia? poteruntne, cum humanis ratiociniis ſuis reſiſtere divinæ revelationi, cui innituntur veritates, quæ ab illo annunciantur? Nonne fateri cogentur Chriſtianum hunc cognitiones habere de Divinitate ſublimiores, quam quidquid ſtudio, labore, ſcientia, beatoque ingenio ſuo detegere potuerunt? *Pater de Argentano ex Cappuccinorum familia in libro, cui titulus Magnalia Dei, collatione 6.*

Quod ſcirì poteſt de hoc Myſterio per rationem, cum revelatio præceſſerit.

Vos appello magna ingenia, ſciti doctores, & in humanis ſcientiis eruditi; ſed qui luminibus fidei minime illuſtrati, non aſſequimini Myſterium, quod vobis negotium faceſſit. Audite me ſolum, & docebo vos, quod Cælum me docuit, & quod fide profecta ex magno illo æternorum luminum fonte didici. Deus Ens eſt abſolutum, æternum, a nullo pendens: eſt igitur Ens per ſeipſum, ſed Deus eſt fœcundus, qui producit ex propria ſua ſubſtantia ſimilem ſibi, quoniam qui producit, Pater eſt, & qui producitur ex propria ejus ſubſtantia Filius eſt. Pater, & Filius ſunt Perſonæ duæ realiter diſtinctæ, cum fieri nequeat, ut, qui producit, & qui producitur ſint una tantum Perſona: ſed quamvis ſint Perſonæ duæ, tamen eſſe non poſſunt, niſi unus, & idem Deus; fieri enim non poteſt, ut ſint duo Dii. Verum eſt igitur, Deum, quatenus Pater eſt, eſſe Ens per ſeipſum, quandoquidem non recepit eſſentiam ſuam ab alio; & eumdem, quatenus eſt Filius, Ens eſſe per alium, quia recepit ſuum eſſe a Patre. Denique uterque Pater, & Filius, Perſonæ duæ, quæ non ſunt niſi Deus unus, producunt tertiam ſibi æqualem, & ſimiliter Deum cum illis; nam videntes ſe altera alteram, infinite perfectas, & amabiles infinite, impoſſibile eſt illas ſeſe mutuo infinite non amare. Producunt igitur amorem infinitum, in omnibus parem bonitati, quam amant; oportet igitur, ut hic amor ſit Deus, quia eſt infinite perfectus; ſed hic non poteſt alius eſſe Deus, quam Pater, & Filius, a quibus producitur; fieri enim non poteſt, ut ſint plures Dii: tamen hic procedit ab utroque tamquam unum principium, quia uterque unam, eamdemque habent voluntatem, quæ amat, & unam eamdemque bonitatem, quam amant. *Idem.*

Cum hoc Myſterium ſit humanæ menti incomprehenſibile, a Deo petere debemus, non ut comprehendamus, ſed ut credamus illud.

O Deus majeſtatis, quam admirabilis es in tanto Myſterio! infirmitas humanæ mentis, quam procul abeſt, ut comprehendat omnia hæc mirabilia; ſed ſentio cor meum gaudio cumulatum, quia tantus es Deus, & contines in Te infinitas perfectiones, quas nemo, præter Te, valet comprehendere. Heu! Si non eſſes niſi quod infirmitas mentis meæ concipere poſſet, non eſſes Deus, quia infinitus non eſſes: non quæro intelligere Te, neque perſpicue comprehendere Oracula divina, ſed quæro, ut Te firmiter quæram. Oculos claudo, ut Te credam, quin videam; & quin aliquid ex ineffabilibus magnalibus tuis concipiam: ſed dies aderit, cum mihi illos aperies in Cælo, ut Te clare videam, ut Te cernam facie ad faciem, & ut æternum omnia hæc miracula admirer. *Idem.*

Ubi ingreſſi erimus pleniſſimam æternitatis lucem intellectus noſtri, oculus aperietur ita, ut ſine nubibus, & integumentis videat Deum in tribus Perſonis ſubſiſtentem, & admirabilem modum, quo ille ſubſiſtit. Hoc replebit gaudio ineffabili cor noſtrum, ac illud detinebit in jugi hujus Myſterii admiratione. Profecto in hac perſpicua viſione Sanctiſſimæ Trinitatis eſſentialiter, æterna Sanctorum beatitudo conſiſtit. Illi feliciter in magni hujus objecti deliciis immerguntur, illo nutriuntur, illud guſtant, S. Auguſtinus ait, de illo vivunt æternum, & per illud; cumque in terris confiteantur ſub verborum integumento id, quod per fidem didicerant, æqualitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & adorabilem Trinitatis hujus unitatem, vident meridiana luce clarius, quomodo tres divinæ Perſonæ non ſunt, niſi unus Deus, & vident ſe in raptu & ardore contemplationis nube carentis. Vixerunt hactenus in terris per fidem magni hujus Myſterii credentes, quod nondum videbant, & per meritum hujus fidei ad beatum terminum pervenerunt, ubi vident, & poſſident, quod crediderunt. Credidiſſe in terris, Sanctus Bernardus ait, pietas illos docuit, videre autem in Cælo hoc æternam eorum felicitatem conſtituit, atque conſtituet. *Idem.*

Clara viſio magni hujus Myſterii erit in Cælo ſumma noſtra felicitas.

Actus fidei erga hoc adorabile Myſterium.

Quod intelligere nequeo, Domine, quod nequeo detegere, id credere poſſum; id credere debeo; id reapſe credo, & gratias ago tibi Sanctiſſima Trinitas. Credo, Patrem nullum habere extra ſe principium, vel potius eſſe ſine principio: Filium a Patre produci, & illius eſſe Imaginem ſubſtantialem: Spiritum Sanctum procedere a Patre, & Filio, & eſſe terminum amoris eorum: credo Patrem, quamvis principium Filii, non eſſe tamen priorem Filio: credo Patrem, & Filium, quamvis principia Spiritus Sancti, non eſſe priores Spiritu Sancto. Adoro Patrem, tamquam Deum, Filium, tamquam Deum, Spiritum Sanctum, tamquam Deum, & nihilominus in tribus hiſce divinis Perſonis unum credo, & adoro Deum. Præterea quo magis, Domine, laboro, ut redigam rationem meam ad ſanctam hanc captivitatem, eo major tibi gloria cedit, & majus meritum mihi. Ita eſt, Domine, id ego in baptiſmate confeſſus ſum, & in nomine tuo recepi characterem Chriſtiani, hoc eſt, inquam, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, characterem glorioſum, titulum honoris, qui attollit me ſine meritis meis ſupra tot infideles nationes. Quid erat in me, Deus meus, dignum hac prælatione a me omnibus beneficiis anteferenda? quid in me reperiſti, quod Te impelleret ad me præveniendum tot aliis gratiis? Sed hæc omnia non impellunt me, ut obſequium præſtem Tibi ſpiritus mei per fidem, ut præſtem tibi cordis mei obſequium per amorem: Magnus hic Mundus, quem video; quidquid me circum adſpicio, annunciat mihi tua, & magualia, & beneficia. Quid dico? Tu meipſum creaſti, Tu creaſti me ad Imaginem tuam. *Quidquid habeo, non habeo niſi a te, & quidquid ſum per Te ſum: Tu mihi ſpiritalem dediſti Animam, & Animæ hæc per tres ſibi proprias facultates, peculiarem habet ſimilitudinem cum hac auguſta Trinitate Perſonarum,* quam confiteor, & adoro in hoc Myſterio. Cui nam præter te, Domine, conſecrare debeo tres has facultates, quandoquidem a Te illas accepi? quid debeo cogitare, niſi Te; quid cognoſcendum quærere, niſi Te; quid amare, niſi Te? Sed nimis parum dico, cuinam præter Te Anima mea ſe totam devovere debet, quoniam tota egreſſa eſt de ſinu tuo; ideoque tibi totam ſuam debet eſſentiam; quantumvis parum illa ſeſe aufert tibi, nonne tibi aufert bonum, quod tuum eſt? *P. Le Valois in Aſceticis in alloquio de Myſterio Trinitatis.*

Senſus divi-ſi quos habebimus in morte, prout noſmet geſſerimus erga divinum hoc Myſterium.

Trinitas ſummopere liberalis, atque benefica, quibus ſceleribus me onuſtum invenies in hora mortis meæ, & quomodo prodire potero coram te, cum ad fulciendam in illo tranſitu Animam meam dicet illi Sacerdos: Proficiſcere Anima Chriſtiana, proficiſcere in nomine Patris, qui creavit te, in nomine Filii, qui te redemit, in nomine Spiritus Sancti, qui te ſanctificavit? Ah! Deus meus! quinam erunt ſenſus mei, quo terrore corripiar, ſi meminero me dereliquiſſe Patrem hunc, cui, tamquam, Creatori meo, devovere debebam me; me abrenunciaſſe huic Filio, cui, tamquam Salvatori, inhærere debebam; me contriſtaſſe, & reliquiſſe divinum hunc Spiritum, quem ſequi debebam, tamquam Sanctificatorem meum? Sed e contra, quanam fiducia replebit me recordatio præteritorum operum meorum, ſi cefferunt in gloriam Patris, per humilem ſubmiſſionem voluntatibus ejus, in gloriam Filii, per ſanctam exemplis ſuis conformitatem, in gloriam Spiritus Sancti, per conſtantem fidelitatem in ſequendis divinis afflatibus ejus. *Idem.*

Incomprehenſibilitas hujus Myſterii longe alia videtur ab aliorum Myſteriorum incomprehenſibilitate.

Quod Deus aliter oſtendat ſe beatis, ac hominibus ſuper terram; quod in Cælo ſedeat in fulgido Solio; quod non aliud ſit niſi gloria, lux, & ſplendor, minime obſtupeſco; in Sancta illa Jeruſalem homo nullum amplius habet cum carne commercium; ſed cum de no-

de nobis sermo est, non loquendum est, nisi de obscuritate, de tenebris, & integumentorum densitate: *posuit tenebras latibulum suum*. Incomparabile Augustæ Trinitatis Mysterium! Tu nos adducis in hanc status beatitudinem, & sanctam hanc dispositionem. Facile est alia percurrere Mysteria. Incomprehensibilitas Dei, quem adoro, non eadem in luce versatur; nam videone Deum carnem assumere? Animam efflare in Cruce? De Sepulcro emergere? Sub speciebus panis, & vini delitescere? Altera quidem ex parte turbor, & evanesco; nisi fides me sustineat, & ex spinosis his semitis educat; Spiritus per seipsum nimis infirmus est, ut evolvat secreta transubstantiationis, & unionis hypostaticæ; hæc miracula sunt, quæ alia requirunt lumina, quam naturalia. Sed simul ex altera parte intelligo ibi non agi tantum de Deo, ut nonnihil simul de homine accedat. JESU CHRISTI Humanitas non est a Divinitate sejuncta; utraque simul se mihi offert; habeo igitur objectum, quod mihi ex parte congruum est, in quo quædam invenio, quæ capio, & penetro; sed in Trinitatis Mysterio, quocumque me vertam, nequeo cogitare, nisi incomprehensibilitatem Dei mei; nulla mixtio est, omnia sunt tenebræ, ubique abyssi impenetrabiles. *Sermo manuscriptus Patris Stephani Chamillard in hoc Mysterium.*

Deus nobis declarans hoc Mysterium favorabilius nobiscum egit, quam cum Judæis, quibus alia revelavit.

Judæorum Populus erat profecto magis dilectus Deo, quam ceteræ nationes: quid enim in gratiam illius non fecit Deus? Tradidit illi cognoscendum nomen suum, quod tunc fere ignotum erat in Mundo. Singulare privilegium! inæstimabilis gratia! quamvis hoc non esset se Israelitis cognoscendum tradere, nisi imperfectissime; omnia enim rediguntur ad id, ut docuerit quisnam esset: *Ego sum, qui sum*. Heu! Creatura rationabilis, potestne illum ignorare? illa quæ nascens fert secum ideam Dei, quam invenit deinceps indelebilem, quidquid conetur; quæ oculos in Cælum sustollat, satis est, eosque conjiciat in omnia objecta, quæ illam circumstant, & quæ illa interroget, audit incessanter sibi dicentia; se a Deo creata fuisse, & ope Omnipotentis dexteræ illius ex nihilo prodisse. Distinctio hæc tamen gloriosa erat filiis Israel, quandoquidem nullus Populus gloriari potuit, se cum tanto familiaritatis excessu habitum fuisse; sed Deus circumscripsit excessum Amoris sui; ita ut hic Populus toto sæculorum spatio invenerit se in crassa, & omnimoda ignorantia eorum, quæ sunt admirabilia in Deo, cujusmodi est Trinitas Personarum cum naturæ unitate conjuncta. Nil tale christianis accidit: vix Sanctus noster Legislator animum appulit ad jacienda Religionis nostræ fundamina, cum adorabile Trinitatis Mysterium fuit hominibus declaratum. Profecto meministis ne illius diei, qua Salvator, antequam aggrederetur labores apostolicæ vitæ, se contulit secus oras Jordanis, nonne centies auditis non solum Sanctum Joannem Baptistam perhibuisse gloriosum testimonium Divinitatis illius, quem baptizaverat; sed Patrem æternum appellasse illum dilectum Filium suum; & Spiritum Sanctum visibiliter descendisse in illum, hoc est, tunc visum fuisse Deum nostrum purum illud Ens simplex, & suapte natura indivisibile, esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nihil de sua unitate, suæque Essentiæ simplicitate amittentem. Addidit igitur cognitioni, quæ habebatur nominis ejusdem, cognitionem hanc Essentiæ suæ, quippe inturus erat cum nobis fœdus novum priori longe præstantius, ac diutius mansurum, quia rejecturus erat Judæos, & habiturus populum alium electum, & juxta cor suum, cui communicaret arcanum hoc, quod tamdiu celaverat. *Idem*.

Per Trinitatis Mysterium, & homines sumus & Christiani.

Mysterium hoc procul dubio primum obtinere debet locum inter nostra Mysteria, quia nos, & homines facit, & Christianos, & tantum abest, ut elogium hoc illi negetur, ut liceat illud attollere tantum supra cetera, quantum possumus ad id aptas expressiones invenire. Facit nos homines: creati enim fuimus ad Trinitatis Imaginem: *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram*, & satis est intueri in Genesi discrimen inter hominis creationem, & illum Entium ceterorum, quoniam intelligendum est plures ad id cucurrisse Personas: *Faciamus*. Non dicitur amplius volo, jubeo, præcipio: fiat lux, germinet terra. In hominis creatione Deus aliter loquitur; deliberat, confert simul, plures Personæ loquuntur, & nihilominus facile animadvertitur unitas essentiæ Personarum consulentium per unitatem hujus Imaginis, quæ illis communis est. Hinc argumentor secundum Scripturæ verba hominem nonnisi imperfecte cognoscere Auctorem naturæ suæ, nisi hanc tribuat augustissimæ Trinitati, quæ objectum est cultus nostri, nostrarumque adorationum. Trinitas est etiam Mysterium, quod nos efficit Christianos, quoniam in nomine harum trium Personarum baptizati fuimus. Intuemini formam baptismi vestri; quis communicavit aquæ divinam, ac supernaturalem virtutem; quis illam ad sanctificationem vestram fœcundam reddidit? hæc tantum verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Per consequens nos singulari modo in Christiana nativitate nostra ineffabili huic Mysterio consecrati sumus, & S. Chrysostomus sententiam hanc sequutus vult etiam, ut Sacramentum hoc sit signum, & nota quam Trinitas imprimit in animabus nostris, quæ illas suo subjicit imperio, ita ut Christianus vi sanctæ hujus cæremoniæ devoveatur tribus Personis divinis titulis peculiaribus: *obsignati sumus Trinitati, nam baptisma Trinitatis signaculum*: Igitur dubitare non possumus quominus hoc sit principium ejus, quod sumus in ordine gratiæ. *Idem*.

Genes. 1.

Mysterium Trinitatis principium est ceterorum Mysteriorum nostræ Religionis.

Mysterium adorabilis Trinitatis nonne est, absit invidia verbo, principium, & fons omnium Mysteriorum nostræ Religionis? Recensete, quæso, hanc multitudinem Mysteriorum, quæ explananda hominibus fuerunt, ut illis justa præberetur idea ordinis, & œconomiæ, quæ servata est in opere Redemptionis nostræ, & eorum mediorum, quæ adhibita fuerunt ad illos sanctificandos, efficiendosque gloriæ immortalis participes. Eorum nexus, & series eo magis naturalis, & facilis videtur ad intelligendum, quo magis omnia tendant in Deum, cujus natura licet simplex, communis est tribus Personis: hic enim ostendi posset, quomodo Deus læsus invenerit Deum, qui placavit illum, eique copiosam, & superabundantem obtulit satisfactionem: quomodo Deus coactus fuerit, quamvis peccatum Adæ aliter suaderet, homines vocare filios, & amicos suos per fœdus, quod illi contraxerunt cum Filio suo; quomodo Deus passus est, & mortuus in Cruce per cæcam obedientiam imperiis Dei; quomodo Deus factus est Intercessor noster apud Deum; quomodo ille ad nos mittit Deum consolatorem, Deum pacis, & veritatis: videlicet quomodo hæc omnia Mysteria supponunt Patrem, qui Deus sit, Filium, qui Deus sit, Spiritum Sanctum, qui Deus sit; ideoque statim ac Fides nos docuit unum esse in tribus Personis Deum, & habemus aliquam, licet levem, Christianismi cognitionem, necnon veritatum, quæ in eo continentur; arguere teneamur Mysterium adorabilis Trinitatis præ ceteris nobis esse credendum. *Idem*.

Cetera Mysteria credi nequeunt nisi initium fiat a credendo hoc.

Huic Mysterio hoc inest proprium, quod non solum alia Mysteria credi non possunt, nisi initium fiat ab illius cognitione, quia vere principium est; verum etiam, quia credi non possent, nisi beata necessitate teneamur credendi Mysterium qualecumque; nam ubi semel intellectus noster huc usque fuerit captivatus, inexcusabilis esset deinceps, si alias non crederet Veritates. Cur semel hoc credidisti? adorasti Deum, qualem hoc nobis proponit Mysterium? nosti silentium indicendum esse rationi, cum loqueretur Creator? Iniistine consilium per omnes fidei vias ambulandi? liquet te non posse amplius honeste vel minimam prætexere difficultatem in alio quovis articulo; quem tuæ incredulitati fucum allinis? Profers naturalem repugnantiam ad ea credenda, quæ obscura sunt, atque inintelligibilia, jugum imperiosum, quod in nostra imponitur Religione, cæcam obedientiam, quam postulat? Hæ causæ, vel potius prætextus vulgares sunt, & quantum conjicere valeo, ægre alias invenies. Vides in Trinitatis Mysterio interdictum hoc esse magis rigorosum, quia tenebræ ibi crassiores sunt, & incomprehensibilitas vera magis, atque realis. *Idem*.

Adspiratio, votum, & spes videndi hoc admirabile Mysterium, postquam mentem subjecerimus ad illud credendum.

Adorabilis Trinitas! Tu eris aliquando nostræ felicitatis objectum! beati non erimus, nisi videbimus te Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. *Trinitatem credere, pietas; nosse, vita æterna est*. Igitur præparare volumus deinceps animos nostros ad cognitionem æternæ hujus felicitatis adorantes Te hic in terris per sensus eosdem Fidei, Religionis, amoris, submissionis, & reverentiæ, concinentes noctu, & interdiu eadem laudum, & benedictionum Cantica, quæ cælestes Spiritus canunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Tibi eadem vota, easdemque adorationes offerendo. Præterea, quod beati facere nequeunt; credam hoc Mysterium cum tota spiritus mei submissione, quantumvis vere nihil assequar de iis, quæ ibi continentur mirabilia: illa tamen credo, illa adoro, & ita certus sum veritatis eorum, ut minime verear in fide hac statuere spem æternæ meæ felicitatis. Nullum sensuum meorum, meæque rationis testimonium recipiendum esse mihi videtur, contra admirabiles has veritates. Tu Domine loquutus es; & ne una quidem mihi est Sanguinis gutta, quam non effunderem libentissime, ut illis subscriberem. *Idem*.

Quamvis omnia creata nos doceant unum esse Deum nobis testatur, quid ille sit in se, & quod faciat intra se.

Quidquid dicere possumus de Deo, nihil est de ejus Essentia, & quotquot imagines ejusdem nobis fingere possumus, omnes sunt infra divinum hunc prototypum. Verum est, quidquid ab eo creatum fuit, nos docere illum existere, & omnia opera ejus illum nobis prædicare. Nam quemadmodum esse potuerunt, & non esse, quoddam est momentum, in quo erant, & aliud in quo esse incœperunt, & nihil ultra requiritur ut ascendamus ad existentiam, atque unitatem Entis necessarii, independentis, absoluti, atque æterni, a quo hauserunt originem suam, & hoc illud est,

quod

nonne effectus est majoris subjiciens J. C. verum justitiæ Solem, ut se præsentem constituat in Altari immolandum, tamquam Victimam destinatam, & usui Sacerdotum, & necessitatibus Populi? J. C. quantumvis Deus verbo Sacerdotis obtemperat. Transubstantiat Panem, & Vinum in pretiosum Corpus, & Sanguinem suum. Stat in Altari, tamquam supplex, orat Cælestem Patrem, & mox quodammodo destruitur per manducationem, quia Victima est, & Voci hominis obedire dignatur: *Obediente Deo voci hominis.* Ad aspectum hujus Prodigii S. Ambrosius exclamat. *O veneranda Sacerdotum dignitas!* quandoquidem Ore sacro illum producunt, quem miraculose Spiritus Sanctus in Alvo Mariæ Virginis produxit: cuinam Angelorum similis fuit collata potestas? Fac igitur, Domine, nos tales, ut digni simus mediatores inter te, & homines, & digne offeramus quotidie adorabile hoc Sacrificium, ut oculi nostri assueti videndo immolatum hunc Agnum, ora nostra illum consecrantia, & corda nostra eumdem recipientia, sint radiis Solis puriora.

Tempore Missæ potissimum omnia obtinentur a Deo.

Quoties hujus Sacrificii hostia offertur, opus nostræ Redemptionis exercetur. In Missa Defunctorum. Offerimus Deo Victimam, quæ expiare potest peccata omnium, cum J. C. in Altari sacrificatur. Pretium Sacrificii Crucis infinitum fuit, hæc est fides Ecclesiæ, quæ sollemniter in officio suo profitetur: *quam immolando, totius Mundi tribuisti relaxari debita.* Pretium Sacrificii Missæ igitur infinitum est, quoniam hæc est eadem hostia, idem Sacerdos, idem Deus & Homo, qui se offert, & offertur. Quodnam igitur tempus est magis acceptabile, ut agatur, & transigatur salutis nostræ negotium, nisi tempus Missæ? hoc Sacrificium nonne est illud, & Sacerdotis, qui debet primum orare pro peccatis suis, & populi? Nonne ita illud appellat in officio suo Ecclesia? *ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem.* Igitur hoc est *tempus acceptabile*, tempus salutis nostræ, quia tunc, S. Joannes Chrysostomus ait, J. C. fungens advocati munere apud Patrem suum, *exauditur pro sua reverentia.* Tunc effundit super Altare Sanguinem suum in locum Sanguinis, quem nos deberemus effundere; & pro nobis obtinet in Altari gratias easdem, quas pro nobis *in Cruce meritus est*; ibi applicat *nobis merita sua*, & *passionum suarum*, & *laboriosæ Vitæ*, quam duxit in terris. Quis ergo ille est, qui, extrema illum urgente necessitate, non proficiat felicibus momentis, impetraturus a Principe gratias, quas hic dignatur concedere? talis est felix status noster; talis dispositio Patris æterni, & J. C. Filii sui, cum quo debemus nosmetipsos offerre in spiritu Victimæ, tamquam certissimum medium ad illius Misericordiam flectendam, effectusque ejus experiendos.

Sacrificium Missæ est Sacrificium gloriæ, & verum Holocaustum.

Sanctificabitur Altare in gloria mea. Exod. 29. Altare sanctificabitur per gloriam meam, & per Sacrificium Agni, qui tibi quotidie offeretur. Profecto dicit Algerius *in lib. 2. de Euchar.* Adorabile hoc Sacrificium nonne vim habet, & dignitatem, quæ cetera delet Sacrificia? est holocaustum, & hostia pacifica, est Sacrificium laudis, propitiationis, & impetrationis: *hoc unum ceterarum hostiarum vim magnitudine sua, & præstabili dignitate obruit: hic holocaustum, hic Victima pacifica, hic propitiatorium Sacrificium continetur.* Serm. de Euchar. Ullum ne Sacrificium est, inquit Sanctus Laurentius Justiniani, quod præstet Deo plus honoris, & laudis, quam hostia sine macula, quæ offertur in Altari? & quam J. C. in Ecclesia constituit, ut redderet Patri suo perfectum, & completum honorem? *nullo alio Sacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per Altaris immaculatam hostiam, quam præcipue ob divinæ laudis exhibitionem complendam Ecclesiæ suæ CHRISTUS offerendam instituit.* Tributum est ab omnibus Creaturis debitum æterno Patri, & J. C. in hostia divina fit illis supplementum. Tributum est debitum divinæ immensitati a Creaturis, quarum Vita angustissimis terminis circumscribitur, & J. C. qui æternus est, persolvit Patri suo hoc æternum tributum. Tributum est debitum supremæ Dei pulcritudini a Creaturis infirmis, quarum pulcritudo non est, nisi umbra, quæ evanescit, vapor, qui momento dissipatur; & JESUS in divino suo Sacrificio, cum sit gloriosus, & resuscitatus, coronatus honore, & infinita pulcritudine, replet hoc munus in eorum locum, quos acquisivit sibi per effusionem Sanguinis sui. Conjungant ergo cum J. C. sese omnes Creaturæ, nihilque reservent sibi, quod non impendant, *linguam, sensum, Vitam, atque substantiam, quam perceperunt, Omnipotenti Deo immolent. immo magis holocaustum fiant*, inquit Sanctus Gregorius. Hom. 20. in Ezech.

Gratiarum actiones a nobis reddendæ JESU CHRISTO per hoc Sacrificium, & in hoc Sacrificio. L. 4. adversus hæres. c. 32.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam. Contra adversar. leg. cap. 18. Quod Sacrificium laudis sanctius actione gratiarum? & qua de re magis debemus gratias agere Deo, quam de beneficio, quod contulit nobis, S. Augustinus inquit, per Sacrificium J. C. in Ara immolati? Nonne docuit hanc Oblationem Discipulos suos, eorumque successores, ne essent ingrati, dicit S. Irenæus? *Novi testamenti, novam Corporis, & Sanguinis sui Discipulos oblationem docuit, ne essent infructuosi, & ingrati, quam Ecclesia ab Apostolis recipiens in universo Mundo offert Deo*, tamquam Victimam pacificam, sine qua nos semper essemus ingrati, non valentes perfungi muneribus nostris, nisi per illam: ita cum Sacerdos nos invitat ad gratias Deo agendas, palam fatemur justum esse reddere illi per Oblationem divini hujus Sacrificii: *gratias agamus Domino Deo nostro: dignum, & justum est.* Æquum est, S. Pater, & nobis saluberrimum quovis tempore, omnibusque in locis agere tibi gratias; summa enim excellentia tua hoc meretur, neque alia est magis efficax ratio, quam offerre tibi Sacratum Calicem plenum Sanguine Filii tui. *Calicem salutaris accipiam, & Nomen Domini invocabo.* Æquum est referre tibi gratiarum actiones, etenim abs te habemus omnia, sed non possum, Domine, laudare te, neque tibi satis digne gratias agere sine te. *Domine, non valeo tibi gratias agere sine te.* Quis ego sum, qui tibi loquar? Num tenebræ possunt laudare te? Num mors tibi benedicere potest? Tu lumen es, ego tenebræ; Tu vita, ego mors. *Quid enim sum, Domine, per me? nunquid tenebræ laudabunt lucem, & mors vitam? Tu lux, ego tenebræ; Tu Vita, ego Mors.* Tanta in inopia, Salvator mi, opem tulisti mihi. Calicem salutaris accipiam, ubi Sanguis tuus fumat quotidie, & offeram illum tibi, offerens me tecum, & pro te; ut unum, & idem fiat Sacrificium. Excipe publicum hoc Amoris mei, meæque gratiarum actionis testimonium, in odorem suavitatis, & quandoquidem nos omnes socios vocasti dignitatis Sacerdotalis, ut divinam hanc tibi offeramus hostiam, ego illam tibi offero, quemadmodum verbis Tuis nobis præcipit Apostolus tuus, pro Principibus, pro Regibus, & pro iis omnibus, qui in dignitate constituti sunt, & quemadmodum Ecclesia tua quodam in Concilio docet adesse Purgatorium, in quo Animæ fidelium suffragiis juvantur, *potissimum vero acceptabili Altaris Sacrificio*; illud igitur offero tibi pro illis Animabus, quæ expiantur. Adorabilis Sanguis tuus sit *illis vox luminis*, & aqua nutriens, *quemadmodum prædixisti per maximum Prophetarum tuorum*, ut sit illis fons immortalitatis; & omnes Christiani in penitiori cordis penetrali audiant vocem harum Animarum, de profundo illo gurgite, ubi eas detinet Justitia tua clamantium: Hoc unum a vobis posco, ut offeratis Sanguinem J. C. ad ignem, quo urimur, extinguendum: Sanguinem J. C. sedandis hisce flammis peto. Liturgia. Psalm. 115. S. August. soliloq. c. 10. 2. ad Tim. c. 1.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumento applicabiles.

NOvum est Altare Sacrificii CHRISTI, quoniam immolatio nova, & admirabilis, ipse enim hostia erat, & Sacerdos: Hostia quidem, secundum Carnem, Sacerdos vero secundum Spiritum; idem ipse, qui offerebat, & quod offertur simul, ergo hostia, & Sacerdos in Altari perfectus est. Augustin. tom. 10. serm. 130. de tempore.

Verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens, Mediator effectus est Dei, & hominum, Homo J. C. cum in forma Dei Sacrificium suum cum Patre sumat, cum quo Unus est Deus; tamen in forma servi Sacrificium maluit esse, quam sumere; ne vel hac occasione quispiam existimaret cuilibet sacrificandum esse Creaturæ; per hoc, & Sacerdos est ipse offerens, & ipsa oblatio, cujus rei Sacramentum esse voluit quotidianum Ecclesiæ Sacrificium. Idem lib. 10. de Civit. cap. 20.

Cum Ecclesia ipsius capitis Corpus sit, se ipsum per ipsum discit offerre; hujus veri Sacrificii multiplicia, variaque signa erant Sacrificia prisca Sanctorum; cum hoc per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commodaretur, huic summo, veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falso cesserunt. Idem ibidem.

Edent Pauperes Sacrificium, quod CHRISTUS *obtulit, & saturabuntur; qui autem divites sunt non saturantur, quia divites sunt.* Idem Psalm. 1. serm. 2.

Sacrificium Corporis, & Sanguinis CHRISTI Altaris successit omnibus Sacrificiis Veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra hujus futuri. Idem lib. 17. de Civit. cap. 20.

Dominus noster J. C. est Sacerdos noster in æternum, secundum Ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris; & ejus Sacrificii similitudinem celebrandam, in sua passionis memoriam commendavit; ut illud quod Melchisedech obtulit Deo jam per totum orbem terrarum in CHRISTI Ecclesia videamus offerri. Idem lib. 83. de Civitate Dei cap. 16.

Oportebat enim, ut evacuaturus Sacrificia, quæ secundum Ordinem Aaron in Levitico Sacerdotio fiebant, non esset

esset de Tribu Levi, ne ad ipsam Tribum, & ad ipsum Sacerdotium, quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum; quam Dominus oblatione Holocausti sui, quod in veteri Sacerdotio figurabatur, implevit, & holocausti ejus imaginem ad memoriam Passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, ut esset Sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Idem ibidem.

Melchisedech futurum Mysterium Incarnationis, & Passionis ostendit, dum Abrahæ primum, quasi Patri fidelium tradidit Eucharistiam Corporis, & Sanguinis Domini, ut præfiguraretur in Patre, quæ in Filiis futura erat veritas. Idem litt. Veteris Testamenti.

De Melchisedech in Epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam vero negant, multa, & magna scripta sunt, ibi quippe primum apparuit Sacrificium, quod nunc a Christianis Deo offertur toto orbe terrarum: impleturque illud, quod longe post factum ejus per Prophetam dicitur ad CHRISTUM, qui fuerat venturus in Carne: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech, non scilicet secundum ordinem Aaron, qui Ordo fuerat auferendus, illucentibus rebus, quæ illic umbris prænotabantur. Lib. 16. de Civit. cap. 22.

Erat, ut nostis, Sacrificium Judæorum, secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, & hoc in Mysterio; nondum enim erat Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Evangelium legerunt: quod Sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo Sacrificia, illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech; scriptum est enim; juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. De quo dicitur: Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech? de Domino nostro JESU CHRISTO, de illo, cujus nostis Sacrificium; sublatum est enim Sacrificium Aaron, & cœpit esse Sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Idem Psalmum 30.

Mediator effectus Dei, & hominum, Homo CHRISTUS JESUS cum in forma Dei Sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi, Sacrificium maluit esse, quam sumere . . . . . Per hoc & ipse Sacerdos, offerens, & oblatio. Lib. 10. de Civit. cap. 20.

Verum Sacrificium, quod uni debetur Deo, solus CHRISTUS implevit, in Victimis pecorum; imitata dæmonia sibi arrogant, & exposcunt; Hebræi autem in Victimis pecorum, quas offerebant Deo multis, & variis modis, sicut res tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ Victimæ, quam CHRISTUS obtulit, unde jam Christiani peracti ejusdem Sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis CHRISTI. Lib. 20. contra Faustum cap. 18.

Frequentissime sacrificamus Deo in memoriis Martyrum, illo duntaxat ritu, quæ sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit, quod pertinet ad illum cultum, quæ latria dicitur, uni Deo debetur &c. Hujus Sacrificii Caro, & Sanguis ante adventum CHRISTI per Victimarum similitudinem promittebantur; in Passione CHRISTI per ipsam Veritatem reddebatur, post Ascensum CHRISTI per Sacramentum memoria celebratur. Idem ibidem cap. 21.

Sacrificium Corporis, & Sanguinis CHRISTI successit omnibus Sacrificiis veteris Sacramenti, quæ immolabantur in umbra hujus futuri. Augustin. lib. 17. de Civit. cap. 20.

Cum videris Sacerdotem offerentem, non ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed manum Dei invisibiliter extensam. Chrysostom. homil. 60. ad Populum.

Qui est Sacerdos, nisi qui fuit Victima est Sacerdos? nisi ille, qui cum in Mundo non inveniret Mundum quod offerret, seipsum obtulit. Augustin. idem in Psalm. 132.

Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro Sacrificium immolamus. Idem de Civit. cap. 19.

Ad quod Sacrificium, sicut homines Dei, qui Munimiantur; non tamen a Sacerdote, qui sacrificat invocantur; Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei Sacerdos est, non illorum; ipsum vero Sacrificium Corpus est CHRISTI, quod non offerunt ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Idem, ibidem.

Novi Testamenti, novam Corporis, & Sanguinis sui discipulos suos oblationem docuit, ne essent infructuosi, & ingrati, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo Mundo offert Deo. S. Irenæus adversi. her. cap. 32.

Sacerdos, quasi communis quidem Pater est; dignum igitur est, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, sicut & Deus, cujus fungitur vice. Chrysost. in cap. 6. Isaiæ.

Sacrificium Deo plenum, Sacrosanctum, Deoque dignum Sacrificium. Euseb. libro 10. de Domin. 6. & 10.

Incruentum Sacrificium. Conc. Nicæn. cap. 2.

Immaculatum Agnum quotidie in Altari Crucis Sacrificio, cujus Carnes postquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus Sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat. In act. Sanctus Andreæ.

Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri nihil sit aliud; quam nobis CHRISTUM ad manducandum dari, Anathema sit. Conc. Trid. sess. 22. Can. 1.

Ipse enim Dominus hostia omnium Sacerdotum est, semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, Victima Sacerdotii sui, & Sacerdos sua Victima, quique nunc Domino omnis nova Creatura Sacrificium ipsi, quæ sunt hostiæ Sacerdotes. Sanctus Paulinus Epist. 5.

Sacra oblatio qualis, cujusve meriti, illum Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse CHRISTUS Discipulis suis; nihil habet ista, quam illa, minus; quia non hanc sanctificant homines, sed ipse CHRISTUS, qui illam ante sacraverat. Sanctus Chrysostomus in 1. Epist. ad Tim.

Tunc ipse CHRISTUS offerre manifestatur in nobis, quando sermo ejus sanctificat Sacrificium, quod offerimus. Ambros. in Psalm. 39.

Elevatur in manibus Sacerdotis in Crucem, & frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur, & facit nos secum liberos a corruptione. S. Joann. Damascen. de Corpore CHRISTI cap. 8.

Facit Corpus CHRISTI, quod ipsum feciſſe CHRISTUM in Cruce legimus, dum uni eorum, qui erant in patibulo confitenti, Paradisi præstitit Regnum. Paschas. Epist. ad Fudegardum.

Pro delinquentibus in se, sicut prius in Cruce fecerat, etiam se Patri offerendo, idoneus exorator intervenit. Idem ibidem.

Quod Judæi per invidiam immolaverunt, hoc CHRISTUS Corpus amore immolavit. S. Martial. Epist. ad Burdigal. cap. 3.

CHRISTUS, qui in se resurgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per sacram hostiam in suo Mysterio pro nobis patitur; nam quoties ei hostiam sua Passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Sanctus Gregorius hom. 37. in Evang.

Una eademque est hostia, idemque nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola ratione offerendi diversa. Tridentin. sess. 22. cap. 22.

Summe pia, & vere suavis memoria annuntiare mortem Domini, donec veniat; mors CHRISTI opus sine exemplo, humilitas sine modo, donum sine pretio, & gratia sine merito. Bernard. serm. de Cœna Domini.

Memoria nominis Domini est Sacrificium Altaris, scilicet Corpus CHRISTI, quod fieri jussit in commemorationem ejus. Sanctus Thomas opuscul. 58. cap. 13.

Nos de Cruce Domini pascimur, quia Corpus CHRISTI manducamus. Augustin. in Psalm. 100.

Pensa jugiter, repone fideliter, amplectere suaviter, quod vides, quod agis, quod tenes: amplectere, inquam, recordationis affectu pia, & imitationis effectu, sciens quoniam talia oportet te præparare. Altare, cui assistis, repræsentat Crucem, & Calix sepulcrum, in quo Corpus quievit, & patena lapidem superpositum, corporale sudarium, hostia, quam vides, jam non est Panis, sed Caro mea, quæ pependit in Cruce pro Mundi vita. Sanctus Bernardus attribut. de dignit. Sacerdot. 2.

Necesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in contritione cordis mactemus; quia qui Passionis Dominicæ Mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus; tunc ergo hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 55.

Quia licet multis locis, & innumeris diebus consecretur Corpus CHRISTI, non sunt multa Corpora CHRISTI; ita non sunt multi Calices; sed unum Corpus CHRISTI, & unus Sanguis cum illo, quod sumpsit in utero Virginis, & quod dedit Apostolis. Sanctus Gregorius homil. Paschali.

Ecce ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum Corpus meum, & Sanguinem in cibum, ut totus tuus essem, & totus meus permaneres; Si autem in te ipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio. Lib. 4. de imitatione CHRISTI cap. 8.

Carnalem nobis occupationem abstulit extirpata multitudine sacrificiorum veterum, se offerendo in manibus Patris, ut mentem spiritualibus expediret. Alger. l. de Sacram. c. 3.

Multi-

Multiplicitatem Sacrificiorum veterum singularitate sui Sacrificii abbrevians, occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit. Idem, ibidem.

Omnes differentias hostiarum, una Corporis, & Sanguinis implet oblatio, ut sicut est pro nobis Victima, Sacrificium, ita nunc de omni gente sit Pugnum. S. Leo serm. 8. de pass. Domini.

Sacrificium, quod ipse est, in Ecclesia voluit pro illis omnibus celebrari; quia illis omnibus pronuntiabatur. Augustin. libro 1. contra adverss. legis, & Proph.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu depromi possit in hoc argumento.

Definitio Sacrificii in genere & in propria significatione.

SAcrificium, quod actus est virtutis Religionis, est oblatio exterior rei sensibilis Deo facta cum cæremonia, per ministrum legitimum, secundum divinam institutionem, cum mutatione, vel destructione rei oblatæ ad profitendam supremam Dei in nos potestatem, & ad præstandum infinite ejusdem Majestati honorem illi debitum ab omnibus rationabilibus Creaturis. Hanc definitionem præbent Theologi, secundum quam, Sacrificium in propria significatione sua distinguitur ab alia qualibet actione virtutis ad Dei gloriam relatæ: Sacrificium, inquam, peculiariter, quatuor flagitat conditiones. 1. Quandoquidem est exterior collatio sensibilis rei alicujus; opus est, ut Sacrificium sit publicus cultus, per quem, quicunque sunt ejusdem religionis, colunt Deum; ideoque sit subjectum oculis per oblationem rei alicujus sensibilis; 2. Opus est, ut res oblata aliquam recipiat mutationem; alioquin non profitebimur dominium supremum, quod habet Deus super creata, tamquam primus, & supremus entium omnium Dominus: hæc autem mutatio fit per destructionem, vel consummationem Victimæ, aut rei oblatæ. 3. Opus est, ut hæc oblatio fiat Deo uni, non autem Angelis, neque hominibus; quia hic est latriæ cultus illi duntaxat debitus, qui summus est Creatorum omnium Dominus. 4. Opus est, ut hæc oblatio fiat per ministrum legitimum, qualis est Sacerdos ad hoc deputatus; nam licet quilibet efferre possit interiora Sacrificia, atque etiam exteriora bonorum operum suorum, & in hoc sensu quilibet appellari possit Sacerdos, nihilominus verum Sacrificium eo in sensu, in quo istic accipitur, nec fieri, neque offerri potest, nisi per publicum ministrum huic muneri destinatum a probata auctoritate. Hæc omnia supponenda sunt ad pertractandum Altaris Sacrificium, cui Missæ nomen traditur.

Definitio Missæ vel Sacrificii Eucharistici.

Missa est actio Sacerdotis in qua per divinam J. C. institutionem, ad recolendam Passionis suæ memoriam, Panis mutatur in Corpus, & Vinum in Sanguinem ejus, & sub utriusque speciebus, Corpus, & Sanguis offeruntur Deo in Sacrificium pro vivis, atque Defunctis.

Qua in re sita sit obligatio offerendi Domino sacrificia.

Sciendum est, cum homo factus fuerit tantum ad glorificandum Deum, cumque illi vivendum sit pro uno illo; officium ejus generale ab initio redigitur ad duo, 1. Ad obsequium præstandum illi, tamquam Enti Summo, & quia ille non est solum Summum Ens, sed etiam Æternum, & Infinitum, tenebatur homo, quantum in se erat, præstare obsequium hoc æternum, & hanc adorationem infinitam. 2. Debebat illi grati animi sensus, tamquam Creatori suo, omniumque bonorum suorum auctori, & quia tuetur, atque illi in singula conservat momenta, illud esse, quod illi contulit, cum primum creavit, cumque cumulat quotidie recentibus beneficiis, vita ejus, proculdubio, esse debet erga Deum perennis actio gratiarum. Hæc duo officia esse deberent tota, & unica occupatio nostra, & jugis nostra exercitatio, si primus Parens noster servasset innocentiam, & originalem Justitiam, quam in prima Creatione receperat; nam si hoc fuisset, dicit Sanctus Augustinus, homines qui omni peccati labe caruissent, obtulissent se Deo, tamquam sanctas hostias, & immaculatas. Sed quoniam per hujus Protoparentis nostri rebellionem, & inobedientiam de gratia decidimus, & defecimus ab officio gratitudinis nostræ, nosmet indignos præbuimus muneribus, & largitatibus Dei, duabus prioribus obligationibus nostris, alia duo accreverunt officia, vel, ut dicam melius, aliæ duæ obligationes, & duæ aliæ necessitates ex parte nostra, altera quidem mulcendi justam illius iracundiam, irritatam ab ingratitudine, & superbia nostra; altera vero profitendi submissionem, ut bonum illud operemur, quod nobis faciendum est, & incessanter invocemus subsidium gratiæ suæ; ita ut hinc quatuor existant obligationum genera, quæ in eo, in quo sumus statu, occupare debent totum vitæ nostræ spatium: videlicet, colere Deum propter id, quod est; illi gratias agere ob accepta beneficia; Justitiæ illius satisfacere, opem ejus implorare, secundum eas, quibus

l. 20. de Civit. c. 26.

urgemur, necessitates. Sed quomodo nam homines melius possunt his defungi muneribus, quam per sacrificia, quæ offerunt Deo? Nonne in Altaris Sacrificio medium habent sufficiens illis satisfaciendi?

Sacrificia nunquam oblata fuerunt, nisi illis, vel qui Dii fuerunt, vel qui pro Diis habiti fuerunt.

Sacrificium semper habitum fuit, tamquam præcipuum Religionis officium, & Signum maxime essentiale supremi Cultus, qui uni tantum debetur Deo; si homines se teneri crediderunt honorare Divinitatem tantum, quantum ejusdem aliquam habuerunt ideam, semper honorem hunc constituendum censuerunt in sacrificiorum oblatione. In omnibus statibus Religionis veræ oblata fuerunt sacrificia, oblata quoque fuerunt in omnibus religionibus *falsis*, quemadmodum animadvertit Sanctus Augustinus *lib.* 10. *de civit. Dei*, *cap.* 4. ne loquar de ceteris officiis, quæ in Dei cedunt honorem. Nemo saltem dicere auderet, honorem Sacrificii alteri cuipiam deberi, præterquam Deo; & hic honor ad unum illum pertinet, & essentialiter pertinet. Quamobrem S. Thomas jure tenet, Sacrificium esse de jure naturæ; si enim Deus est, est etiam Religio; si est Religio, est Cultus, & Sacrificium, & si Sacrificium est, proculdubio sunt Sacrificuli, Victimæ, & Altaria. Deum esse ita patet, ut nullo opus sit argumento, & ita rationi conforme est, ut non debeat universe recipi alia sententia ab omnibus Creaturis, quæ sunt rationis participes. Per consequens unam adesse Religionem illatio ita necessaria est, ut in controversiam minime sit revocanda. Cum enim sit Deus, & nos simus Opus *illius*, & quotidie a liberali ejusdem manu tot beneficiis cumulemur, cum tandem *ille* sit Creator, Salvator, & Pater noster, tenemur *illum* in honore habere, diligere, confiteri, & hic honor, hic amor, hæc confessio, illud est, quod Religionem, & Pietatem vocamus; ita ut si adest Religio, necesse sit adesse aliquod Sacrificium. Veritatem hanc, laudatus Doctor ait, ab omnibus mortalibus probari, & cognosci solo rationis lumine, quod docet ad innuendam gratitudinem nostram, & submissionem erga hoc Ens Supremum, opus esse, ut illi offeramus aliquid de bonis, quæ ab eodem recipimus, & hanc oblationem eam esse, *quam* dicimus Sacrificium. Ceterum sententiæ, & *opiniones*, de quibus constat generatim *apud homines*, naturales esse videntur, *sed omnes nationes in re hac consentiunt*: *Sacrificia videlicet esse offerenda Deo*, & nullus est Populus adeo barbarus, adeoque divinarum rerum ignarus, qui non posuerit aras Divinitati, & qui testatus non sit aliqua Oblationis vel Victimarum specie obsequium, quod Supremæ huic debetur Potentiæ.

Thom. 2. 2. q. 85.

De Sacrificiis legis antiquæ.

In lege veteri Deus, ut declararet Populo suo necessitatem, quæ erat illi gratias agendi liberatori suo, & submissionem, quam illi rebus in omnibus præstare debebat, per organum Moysis fidelis Servi sui præcepit, ut sibi quatuor Sacrificiorum genera offerrentur. Primum erat Holocaustum, de quo *nihil* superesse debebat, ut intelligerent *obsequium*, *quod Deo* præstandum erat, *esse*, *sese consumere*, & coram Deo *exinanire per ignem ardentissimi amoris*. Alterum erat *Victima*, *quam* immolabant pro peccato, & quæ hoc nomine appellabatur, ut intelligerent, hostiam propitiatoriam, quam ab illis expetebat Deus; esse Cor contritum, & humiliatum. Duæ reliquæ oblationes, hostiæ pacificæ vocabantur, quarum altera quidem offerebatur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, altera vero ad recentes gratias impetrandas. Hæc erant Sacrificia, *quæ ab hominibus* in lege antiqua, Dei *jussu*, *offerebantur*; *sed Sacrificia*, quæ a S. Paulo vocantur *sterilia*, & *infirma elementa*, quia per se carebant virtute qualibet, & vi, nisi fides accederet offerentium; neque accepta erant Deo, nisi habita ratione magni hujus Sacrificii, per quod J. C. obtulit seipsum modo cruento super Crucem, & quod continuandum erat quotidie per mysticam immolationem incruentam, usque in Sæculorum omnium consummationem.

Eucharistia non solum est Sacramentum, sed Sacrificium, & in eo invenitur quid in eo ad id requiritur.

Ecclesiæ Catholicæ fides est, J. C. proferentem ea verba, quæ a Sancto Paulo narrantur: *Accipite*, & *manducate*, *hoc est Corpus meum*, *quod pro vobis tradetur*, dedisse semet in Sacramentum, & Sacrificium; quatenus dat seipsum in cibum, Sacramentum est, & quatenus pro nobis se dat, & offert Patri suo, est Sacrificium. Quatenus Sacramentum, respicit bonum, & utilitatem hominis; quatenus vero Sacrificium, respicit gloriam Dei. Verum, cum istic consideremus Eucharistiam solummodo quatenus Sacrificium, Sanctus Paulus *in Epist. ad Hebr.* nos docet; In Lege nova habere nos quidquid opus est, ut perfectum Sacrificium efficiamus: ibi enim invenimus 1. Sacerdotium, quod in mutatione legis antiquæ, antiquatum non est, neque ablatum; sed tantum translatum, translato Sacrificio. Sicut enim per excellentiam subsistit in lege nova, & secundum Dei promissionem, æternum subsistet: *tu es Sacerdos in æternum*, *secundum ordinem Melchisedech*. 2. Ibi invenimus, dicit Apostolus idem, Altare onustum victima, de qua, qui deserviunt Tabernaculo, hoc est, qui Judaizant, manducare

Ad Hebr. 7.

Psalm. 109.

Ad Hebr. 13. ducare non possunt: *habemus Altare, de quo edere non habent, qui Tabernaculo deserviunt.* 3. Quemadmodum Essentia Sacrificii postulat, ut res oblata, & sacrificata mutetur, fit mutatio, & species quædam mysticæ mortis J. C. quæ in eo consistit, ut quemadmodum Sanguis illius separatus fuit a Corpore in Calvario, mystice etiam separetur in Missa; nam Corpus per verba consecrationis ponitur sub speciebus Panis, & Sanguis sub Vini speciebus: præterquamquod Corpus J. C. non offertur duntaxat, verum etiam consummatur in hoc Sacrificio, atque ita cessat habere illud esse reale, & Sacramentale, quod antea habebat.

Essentia, & natura Sacrificii Eucharistici. Habemus igitur in Eucharistia verum, & reale Sacrificium, & hoc Sacrificium simul est commemorativum Sacrificii Crucis, quia illud supponit, & continet. Sacrificium hoc est reale, & verum, quoniam ibi fit Oblatio vera Deo Victimæ realiter præsentis sacrificatæ per mysticam destructionem Vitæ Salvatoris. Sacrificium hoc est commemorativum Sacrificii Crucis, quoniam non offertur, nisi per relationem ad immolationem Victimæ, & effusionem Sanguinis, quæ facta fuit in Cruce, & quam Oblatio Missæ supponit, & necessario complectitur, quemadmodum indigitat explicite Ecclesia in precibus, quas constituit in ore Sacerdotis ad oblationem significandam.

Finis propter quem instituta fuit Altaris Sacrificium. Sacrificii finis est tribuere Deo quatuor insignia nostræ Religionis officia, scilicet adorationem, gratiarum actionem, satisfactionem pro peccatis, & orationem. Hæc primitiva, & essentialia nostræ Religionis officia, repræsentabantur variis veterum Sacrificiorum Speciebus, quæ erant holocaustum, vel meræ adorationis, actionis gratiarum, expiationis pro peccato, impetrationis, & orationis. Sacrificium Altaris omnes has continet species perfecte in unitate sua, & J. C. ibi offert se Patri suo, tamquam adoratio, gratiarum actio, satisfactio, & oratio Ecclesiæ suæ.

Effectus Sacrificii Eucharistici. Primus effectus Sacrificii JESU CHRISTI in Altaribus nostris est expiare peccata nostra, mulcere Justitiam Dei per dignam satisfactionem, esse pretium, quo Animæ nostræ redemptæ sunt de potestate Dæmonis & inferni: nam per Eucharistiam, quatenus est Sacrificium, fit applicatio Sacrificii Crucis oblati Deo, *pro Redemptione Animarum nostrarum*, quemadmodum dicit Missæ Canon. Secundus effectus est promereri nobis gratiam, Sanctitatem, fidem, spem, & Caritatem, ut efficiamur filii Dei, & mox hæredes, & cohæredes JESU CHRISTI. Hoc jus acquisitum nobis fuit per merita Sacrificii Crucis, & applicitum per Eucharistiæ Sacrificium. Tertius effectus est, supplere imporentiæ, in qua sumus digne adorandi Deum, offerendi illi actiones gratiarum, respondentium incomprehensibili magnitudini misericordiarum, & beneficiorum, quibus nos cumulavit, eique alia præstandi religionis obsequia.

Differimen inter Eucharistiã quatenus Sacramentum, & quatenus Sacrificium. Notandum est, magnum interesse discrimen, inter Eucharistiam consideratam quatenus est Sacramentum, & quatenus Sacrificium. Est enim Sacramentum per Virtutem solius consecrationis, sed non est Sacrificium, nisi quatenus offertur. Ita cum clausa est in Tabernaculis nostris, vel cum fertur ad ægros, tunc consideratur solum tamquam Sacramentum, non tamquam Sacrificium. Præterea, tamquam Sacramentum, nobis est Causa meritorum, cum recipimus illam, & illa nobis incomparabilia bona procurat, sed tamquam Sacrificium, non solum efficit, ut mereamur, verum etiam per illam satisfacimus Deo pro peccatis nostris.

Sacrificium Altaris uni Deo offertur. Tridentinum Concilium accurare animadvertit, Deo Uni Missæ Sacrificium offerri; nam quamvis fiat Sanctorum mentio, non ideo Sanctis offertur Sacrificium; ad quod probandum juxta S. Augustini mentem, cujus Concilium verba mutuatum est, ad refellendam hæreticorum calumniam, nos insimulantium, quasi Creaturis sacrificemus, Sacerdos in Missa non dicit: Petre, offero tibi, vel offero tibi, o Paule! sed offero tibi, Domine, hoc Sacrificium: & cum in Altari fit mentio Beatorum, fit, vel ut Deo gratias agamus de gloria, qua illos coronavit in Cælo; vel ut obtineamus illos in Cælo honorari secundum merita illorum; & id agimus, ut dum ipsi ostendimus interesse nostra gloriam ipsorum, ipsi quoque sua putent interesse, causam nostram apud Deum perorare. Mihi videtur addi posse, tantum abesse, quod offeramus Sacrificia Sanctis, ut immo ipsos Sanctos offeramus Deo in Sacrificium; namque mysticum Salvatoris Corpus, cujus Beati membra sunt illustriora, est Victima invisibilis, quam summus Pontifex JESUS CHRISTUS offert Patri suo.

Christiani habent verum Sacrificium, & proprium Christianismi. En Veritatis hujus argumenta 1. nulla fuit unquam Religio, seu vera, seu falsa, sine Sacrificio, cui omnes intererant, qui hanc Religionem profitebantur, colendi causa Deum, tamquam Supremum Rerum dominatorem, per exteriorem cultum; Christiana autem Religio est Vera Religio, & etiam sola Vera, ex quo vetus lex non viget amplius. Verum igitur habet Sacrificium; mirum enim esset, quod reliquæ, quæ fallaces sunt, haberent hanc prærogativam præ Religione Vera, quæ illa est Christianorum. 2. Religio, ac Sacerdotium ita sunt inter se conjuncta, ut separari minime possint, itaque alterutrum, sine altero nequit subsistere; si alterutrum institutum est per legitimam auctoritatem, Sacerdotes per necessariam illationem & ipsi instituti sunt, & Religione deficiente, opus est, ut Sacerdotes deficiant. Quapropter, dixit Apostolus, cum Sacerdotium mutatum, atque translatum sit, necesse esse, ut Lex, & Religio, ipsa quoque mutetur, & transferatur. Sed Lex Christianorum nova lex est distincta ab Ecclesia Judæorum, & Sacerdotes Evangelici distincti sunt a posteris Aaron; igitur novum est Sacrificium, quia novus est Sacerdos, & novum Altare, quemadmodum nova lex est. Non est Ecclesia, quæ Sacerdotes non habeat, Sanctus Hieronymus inquit; sed si sunt Sacerdotes, sunt etiam Altaria, & Sacrificia; præcipuum enim Sacerdotum Ministerium est sacrificare. 3. Nulla fuit unquam Religio, quæ melius cognoverit magnalia Dei, quam Christiana Religio; quæ illius præclaram, & amplissimam, & habet, & tribuit ejusdem ideam. Ipsa ergo præ ceteris tenetur hoc publice profiteri; sed hæc professio non potest ullo modo fieri melius quam per Sacrificium, cujus proprius finis est protestatio excellentiæ & supremi imperii divinæ Majestatis. S. Hieron. 9. Dialog. contra Lucifer.

Sacrificium proprium Christianæ Religionis est Missa. Veritas præcipua in hoc argumento statuenda, & Sacrificium proprium Christianorum esse Missam, vel Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, sub speciebus Panis, & Vini, quod etiam incruentum dicitur Sacrificium, ut distinguatur a Crucis Sacrificio, quod cruentum fuit; cum Cruor reipsa separatus fuerit a Salvatoris Corpore, quod vere mortuum est. Sed cum in Sacrificio Missæ separatio non sit omnino realis, sed duntaxat in repræsentatione, & duæ species realiter separatæ sint; non moritur realiter, sed in repræsentatione tantum, & hanc ob causam incruentum vocatur. Sed probatur Missam esse verum Christianæ Religionis Sacrificium, quia in hoc Sacrificio inveniuntur conditiones omnes veri Sacrificii, quas jam memoravimus; videlicet, oblatio visibilis, Panis, & Vinum, quæ sub sensibus cadunt per accidentia sua, mutatio horum donorum; nam vi verborum Sacrorum Panis mutatur in Corpus, & Vinum in Sanguinem JESU CHRISTI. Sacrificium hoc fit Uni Deo, neque enim ulli Creaturæ sacrificatur. Ibi inveniuntur Minister legitimus, Sacerdotes legitime ordinati, divina Institutio ibi perspicua est, in illis Verbis, quæ Dei Filius in Cœna novissima dixit Apostolis suis *Hoc facite in meam Commemorationem*. Quæ ab Ecclesia universali semper explicata fuerunt de institutione Sacrificii Missæ, & finis hujus Sacrificii, qui est protestatio magnalium Entis hujus supremi, &c.

Sacrificium Christianæ Religionis proprium non potest esse Crucis Sacrificium. Equidem scio hæreticos asserere, non aliam in Christianismo esse Victimam, nisi adorabile Corpus Salvatoris; sed addunt non aliud esse quam Sacrificium Crucis, in qua Victima hæc semel oblata fuit, & ubi Animam expiravit pro omnibus Mundi peccatis: Et hoc magnum est illud Sacrificium, quod obliteravit cetera legis antiquæ. Sed cum Ecclesia teneo: Sacrificium Crucis, quamtumvis sit verum, & infiniti pretii, non posse tamen esse verum Religionis nostræ Sacrificium, idque plures ob causas, quas affert Cardinalis Bellarminus in erudito tractatu, quem edidit de hoc Mysterio, & quarum præcipuæ sunt. 1. Sacrificium esse debere publicam cæremoniam, quæ vulgo exerceri possit, ut reddamus officia nostra Deo, per cultum hunc supremum, & ut impetremus ejus auxilium in communibus nostris necessitatibus; ideo oportebat, ut sæpe instauraretur; immo etiam quotidie, quia incessanter indigemus illius ope, & illum honorare tenemur, non semel, sed sæpissime, per maximum actum Religionis. Alterum igitur requirebatur Sacrificium, ab illo Crucis, quod, nec potuit, nec debuit, nisi semel offerri. 2. Crucis Sacrificium oblatum quidem fuit pro fidelibus, non tamen a fidelibus, qui non sunt cruenti hujus Sacrificii Sacerdotes, quoniam non fuit oblatum per eorum ministerium; & quamvis Passio, & Mors Salvatoris cesserit in infinitum Patris Æterni honorem, tamen non est actus Religionis, neque cæremonia, quæ valeat instaurari. Qui illam exercuerunt hoc modo crudeli, atque cruento, fuere Carnifices, sed hodie offertur a Sacerdotibus, hoc tunc horribile fuit Sacrilegium, & Deicidium; modo vero esse debet Cultus religiosus: Opus est ergo, ut hoc aliud sit Sacrificium, vel si hoc idem est, quemadmodum revera est, longe tamen alia ratione offeratur.

Quinam sit Minister Sacrificii Missæ. Minister hujus Sacrificii est Sacerdos, & ex sententia S. Pauli, Sacerdos est homo electus ex aliis hominibus ad offerenda Deo, nomine ipsorum, dona, & Sacrificia. Ita Sacerdos est persona publica agens non suo tantum nomine, sed nomine populi totius, quem repræsentat, quapropter non pertinet ad totum

Mun-

Mundum offerre Sacrificia ; sed ad eos tantum, qui receperunt characterem, & auctoritatem necessariam, pro munere hoc adeo sancto, & sublimi, quale est esse *Domini* Ministros in hoc adorabili Sacrificio.

Sacrificium uni debetur Deo, ideoque victima destruenda est.

In Sacrificiis quæ offeruntur divinæ Majestati Victima debet tenere locum nocentis, debetque repræsentare personam immolandam; quapropter effundere debet sanguinem suum, & amittere vitam, quia est vivens Imago Rei, qui dignus est mortis propter scelera, & satisfacere debet pro illa divinæ Justitiæ. Ceterum, cum hæc eadem Victima sit testimonium submissionis illius, quam Deo debemus, atque submissio hæc talis sit, ut, neque vivere, neque subsistere possemus, sine illius ope, rationabile est illam destrui, & quodammodo annihilari, quantum per nos fieri potest. Cum autem hoc obsequium Uni tantum Deo debeatur, hinc sequitur Sacrificium Uni illi deberi.

Victima Sacrificii Altaris esse debuit homo Deus, ut divinæ Justitiæ satisfaceret.

Ut rationabiliter divinæ Justitiæ satisfaciamus, opus est, ut Victima sit ex ordine nocentium, & ut valide satisfaciat, esse debet meriti infiniti. Si enim Victima non est ex ordine nocentium, crudelitas est, si qui debitum non contraxit, pro aliis persolvat, & qui peccatum non fecit, alieni peccati det pœnas; si autem non est meriti *infiniti*, quomodo satisfacere potest Majestati infinitæ, quæ læsa fuit? Opus ergo est, ut hæc Victima constet ex homine ejusdem naturæ, cujus sunt Rei, & pro illis satisfacere valeat, & Naturæ sit infinitæ, videlicet sit ipse Deus, ut satisfacere possit rigorose Deo infinito; hæc igitur Victima non potest esse nisi Deus, & homo simul, Homo-Deus, qui est JESUS CHRISTUS, acceptabilis illa Victima, divinum illud Sacrificium compositum ex Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI quod ipse obtulit semel pro hominum Redemptione, sed quod ille jussit a nobis offerri quotidie pro criminum nostrorum propitiatione, & pro instauratione memoriæ Passionis suæ, suarumque Misericordiarum.

Conciliorum & Patrum auctoritate probatur Eucharistiam non solum esse Sacramentum, sed etiam Sacrificium, Greg. Nazianzenus orat. 2. in Julianum. Cyprian. Ep. 63. ad Cæcil. Dialog. contra Luciferianos.

Ecclesiarum nostrarum antiquitas, in quibus, ut docebat S. Cyrillus in Concilio Ephesino, operamur Sanctum, vivificans, & incruentum Sacrificium; veneratio perpetua, qua Aræ nostræ non fumant sanguine profano; sed, quæ nomen sumpserunt *suum*, *suamque* mutuatæ sunt *Sanctitatem ex puro*, & incruento *Sacrificio*, *ut loquitur* S. Gregorius Nazianzenus; successio immemorabilis nostrorum Episcoporum, & Sacerdotum, qui semper perfuncti sunt, S. Cyprianus inquit, munere Sacrificulorum, cum JESUM CHRISTUM imitati obtulerunt in Ecclesia Deo verum, & plenum Sacrificium: hæc omnia fortiter constituunt hanc orthodoxam Veritatem, quam hæreses recentiores impugnarunt: adorabile hoc Mysterium non esse tantum Sacramentum, verum etiam Sacrificium. Ubi nulli sunt Sacerdotes, S. Hieronymus ait, nulla est Ecclesia, & hæc est Sacrorum Conciliorum, præsertim vero Florentini Concilii in decreto de unione, & Tridentini *in sess. 22. definitio, cum Sacerdotes Missam celebrant*, J. C. illam in persona eorum celebrare, ipsumque in Altari, æque ac in Cruce esse, & Victimam Sacrificii, quod offertur, & Sacerdotem offerentem: *una, eademque Hostia; idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit.*

Tria genera mortis, per quæ Salvator in Altaribus immolatur.

Cum in Sacrificio, quod offertur Deo, Victima vitam amittere debeat, ut per hoc præstet obsequium debitum Creatori, & rerum omnium Auctori, cum Theologis animadvertere possumus, tria esse Mortis genera, per quæ Salvator immolat, & sacrificat se gloriæ Patris sui super Altaribus nostris. Alia est Mors mystica, quæ respicit præteritum; alia Mors moralis, quæ respicit præsens; tertia vero Sacramentalis, quæ respicit futurum. Mors mystica, quæ est quædam commemoratio, & repræsentatio Mortis realis, quam patitur J. C. in Calvario, fit, cum in Consecratione Sacerdos, per virtutem Verborum, ponit sub Panis speciebus Corpus tantummodo; quia hæc Verba non producunt, nisi quod significant, & non ponit sub Vini speciebus, nisi Sanguinem, quamvis per concomitantiam, & consequens necessarium, Corpus sit semper cum Sanguine, & Sanguis cum Corpore; sed hæc mystica separatio, quæ fit vi verborum, repræsentat realem separationem, quæ in Cruce facta fuit. Mors moralis in eo consistit, quod J. C. positus est sub speciebus Panis, & Vini in statu mortis, bifariam. 1. Quatenus tectus est speciebus Panis, & Vini sine motu, sine actione, sine sensu. 2. Quatenus positus est sub speciebus invisibili modo, cum omnes sui Corporis partes redigantur ad punctum, & penetrative in aliis aliæ, ideoque propter hujus status causam in sensuum omnium interdictione, vel inertia; J. C. igitur est in hoc Mysterio tamquam mortuus Nobis, quia nullum nobis tribuit Vitæ signum. Deinde J. C. patitur tertium Mortis genus, quod dicimus Sacramentale, quia, cum per consecrationis Verba receperit hoc esse Sacramentale in Altaribus nostris, amittit hoc idem esse in stomacho Sacerdotum, qui, per Communionem perficiunt, atque consummant Sacrificium.

Theologicæ Probationes Sacrificii Missæ. Sess. 22. de Sacrificio Missæ Can. 1. Cap. 1.

Articulus est de fide a Tridentina Synodo definitus, quæ jaculata est Anathema contra eos, qui asserent Missæ Sacrificium, Sacrificium non esse: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, Anathema sit.* Hoc revera illud est, quod Propheta Malachias loquens ad Judæos, nobis prædixit per hæc verba. Dicit Dominus Exercituum; non recipiam ultra munera de manibus vestris, Nomen meum erit terribile inter gentes a Solis ortu, usque ad occasum, & offerentur oblationes, & munda Sacrificia gloriæ nominis mei in omnibus terræ locis: *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* S. Augustinus hæc explicans Prophetæ Verba *in lib. de Civit. Dei undevigesimo*, ait: Victimas, quas offerebant Judæi, & quæ non erant, nisi umbra, & figura, cessaturas esse, & omnes gentes ab ortu usque ad occasum, idem Sacrificium esse oblaturas. *Cessaturas Victimas, quas in umbra futurorum offerebant Judæi, & unum Sacrificium a Solis ortu usque ad occasum, sicut jam fieri cernimus, oblaturas.* Nonne Sanctus Paulus hanc Veritatem confirmant, cum ait: *CHRISTUS factus est Pontifex in Æternum, secundum Ordinem Melchisedech?* Videlicet, quomodo Melchisedech obtulerat Panem, & Vinum in Sacrificium; ita J. C. obtuliße Deo Patri suo in Cœna noviſſima Corpus, & Sanguinem suum in Sacrificium, sub speciebus Panis, & Vini. Ita SS. Patres explicant hunc locum Apostoli; quemadmodum videri potest, apud S. Cyprianum *Lib. 2. Epist. ad Cæcilium*, apud S. Ambros. *lib. 2. de Sacram.* apud S. Augustinum *lib. 1. contra adverſ. legis, & Proph.* apud S. Hieronym. *in Ep. ad Marcellam*, quibus si addatur S. Irenæus, videbitur vis traditionis de Missæ Sacrificio. Hic enim Pater de Sacrificio Verba faciens, perspicue docet: Dominum nostrum accepisse Panem, quæ una est ex Creaturis, & gratias egisse Patri suo, dicentem: *Hoc est Corpus meum*; accepisse pariter, & Calicem plenum Vino, quæ & ipsa altera est Creatura, & testatum fuisse, hunc Sanguinem suum esse, & novam Oblationem *novi Testamenti. Hæc profecto Oblatio est quam Ecclesia divinis præceptis monita, & Apostolica institutione formata*, offert Deo in universo Mundo secundum Malachiæ prophetiam. S. Ambrosius ita loquitur. *Ego, Domine, memor reverenda Passionis tuæ, accedo ad Altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi Sacrificium, quod Tu instituisti, & offerri præcepisti in tui commemorationem pro Salute nostra.*

Hebr. cap. 9.

In pr. cat. ante Missam.

Explicatio verborum Pauli ex Epist. ad Hebr. J. C. perfecisse illos quos unica oblatione sanctificavit.

Cum Apostolus ait J. C. unica oblatione, videlicet, semel offerendo semet in Sacrificium perfectos in Æternum effeciße eos, quos sanctificavit; liquet, D. Thomas ait, ex Apostoli verbis, nil aliud inferri posse, nisi J. C. qui est Deus, & homo, & qui Oblatus fuit, tamquam *Hostia pro peccatis nostris*, Æternam *habere Virtutem*, & infinitam ad nos *Sanctificandos*, & *nobis* offerendum esse Sacrificium, ut obediamus J. C. qui hoc præcepit nobis in Evangelio; cum ait; *Hoc facite in meam commemorationem*, & ut sua merita applicentur. Hoc explicat Concilium Tridentinum, cum ait: Deum *Visibile hoc Sacrificium Ecclesiæ suæ, sicut hominum natura exigit, reliquisse, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris Virtus, in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.*

Sess. 22.

Sacrificium Altaris idem ac Crucis.

Quæritur utrum Missæ Sacrificium idem sit, ac Sacrificium Crucis, & idem esse respondetur, quatenus continet illud; nam J. C. in Cruce immolatus præsens est in Altari, post Consecrationem, atque ibi offertur, tamquam jam immolatus pro nobis in Cruce; tamen hæc Hostia non est amplius in similitudine Carnis peccati, ut loquitur Sanctus Paulus, sed in gloria & in immortalitate, & si quæritis utrum ibi fiat effusio Sanguinis, ut in Cruce, respondeo, fieri quidem quoad substantiam, sed alio modo, quatenus instauratur per Resurrectionem; hæc enim effusio Sanguinis, non fit palam, & extra venas JESU CHRISTI qualis in Cruce facta fuit, sed in corporibus, & cordibus communicantium, quæ quidem effusio est mystica, Sacramentalis, atque Sanctificans.

Sacrificium Missæ repræsentat naturaliter Sacrificium Crucis, & simul ipsum est vetus Sacrificium.

Nihil poterat magis naturaliter repræsentare mortem, quæ accidit in Crucis Sacrificio, nisi illa quæ in Sacrificio Altaris repræsentatur; quoniam ibi invenitur Mors mystica, quæ sufficit ad verum efficiendum Sacrificium, simulque repræsentatio Sacrificii Crucis, qua non alia fingi potest ad illud exprimendum aptior, ponendo, hinc quidem Corpus, inde vero Sanguinem, quasi essent separata; quippe per vim verborum Consecrationis in hostia Corpus tantum, & in Calice Sanguis duntaxat invenitur, quamtumvis utrumque simul inveniantur per naturalem concomitantiam, præter quam quod hoc Dei Corpus est quodammodo mortuum, quoniam est sine motu, sine actio-

actione, sine usu sensuum, & sine aliquo Vitæ signo, & eo modo, quo Sanguis illius invenitur, est quodammodo separatus, & effusus, cum sit omnino frigidus, sine calore, qui percipi possit; & hoc modo augustum Missæ Sacrificium repræsentat per actionem Pietatis, & Religionis, quod factum fuit per maximum scelus, & per sævissimam crudelitatem omnium barbariem; unde inferre debemus, hoc Sacrificio ita repræsentari Crucis Sacrificium, ut idem sit sub diversis circumstantiis; nam eo modo, quo homo vetus alium potest repræsentare; similiter verum Sacrificium esse potest imago alterius Sacrificii, & sicuti Sacrificia antiqua, quæ non aliud erant, nisi figuræ Sacrificii Crucis, non desinunt tamen esse vera Sacrificia; similiter licet Eucharistia sit repræsentatio Cruenti Sacrificii, quod in Calvario peractum fuit; per se tamen vere est Sacrificium.

Missa simul est commemoratio cruentæ Mortis & gloriosæ Resurrectionis Salvatoris.

Sicuti Filius Dei Vitam amisit per sui Sanguinis effusionem, & Sanguis hic rediit in Venas illius, cum resurrexit; non desunt nobis in Sacrificio Missæ cæremoniæ, quæ innuunt cum separationem, tum iteratam conjunctionem Sanguinis hujus adorabilis. Sacramentalia verba mutantia substantiam Vini in illius Sanguinem, quin fiat Corporis mentio, indigitant nobis alterius ab altero separationem; sed iterata utriusque Conjunctio nobis designatur per hostiæ Consecratæ particulam, quam Sacerdos mox inserit in Calicem. Hoc pacto Sacrificium Altarium nostrorum est sensibilis commemoratio cruentæ Mortis & gloriosæ Resurrectionis Filii Dei.

Sicut in Ecclesia unum est Sacerdotium, ita unum est Sacrificium.

Veritas est, de qua dissentiendum non est, unum tantum esse Sacrificium, unum Sacerdotium, atque Sacerdotem unum in Christiana Religione: itaque, semper unum, & idem est JESU CHRISTI Sacrificium, quod omnibus Sæculis, omnibusque in Ecclesiæ locis oblatum est; ita idem, & unicum est Sacerdotium, quod est in Sacerdotibus omnibus, qui post illum fuerunt, & qui futuri sunt usque ad temporum consummationem. Quemadmodum omnes Christiani, nonnisi unum efficiunt Corpus mysticum cum J. C. cujus membra sunt, ita omnes Sacerdotes unum efficiunt Sacerdotium cum eodem J. C. qui illos in sacietatem vocat Sacerdotii sui, & qui per illos super terram perennat Sacrificium, quod incœpit, & quod in Cælo Patri suo offerre non cessat.

Cum Filius Dei sit proprie loquendo solus Sacerdos hujus Sacrificii, dubitari nequit quominus sit efficax ad misericordiam obtinendam.

Constat etiam solum, & unicum hujus Sacrificii Sacerdotem esse J. C. Ministris, qui illius Corpus, & Sanguinem consecrant, non offerentibus Sacrificium per se, sed duntaxat, tamquam locum ejusdem tenentibus; Hoc innotescit ex ipsis verbis consecrationis; Sacerdos enim non inquit: hoc est Corpus J. C. sed: *hoc est Corpus meum*. Ideoque nonnisi, quatenus locum tenet J. C. Sacerdos mutat vi horum verborum substantiam Corporis, & Sanguinis J. C. Quæ cum ita sint, certa veritas est a Tridentina synodo constituta, *Sacrificium Missæ non esse tantum merum Sacrificium laudis, & actionis gratiarum, sed efficax Sacrificium*, quod nos reconciliat cum Deo, *nobisque illum reddit* acceptabilem. Ita dubitandum non est, quominus, si obtulerimus, & immolaverimus sanctam hanc Hostiam, cum corde puro, ardenti fide, & acerrimo peccatorum nostrorum dolore, Deus nostri misereatur.

Hoc est Sacrificium propitiatorium pro expiatione peccatorum nostrorum.

Hoc Sacrificium peculiariter institutum est, ut illud *Ecclesia jugiter* offerre possit pro criminum nostrorum expiatione, & per quod illa Patrem Æterum, qui sæpissime nostris læditur criminibus, moveat ad leniendos æquissimos suæ iracundiæ, & ultionis rigores, atque ad exercendos erga nos effectus suæ Clementiæ, & Misericordiæ. Quapropter Dei Filius non poterat nobis insignius præbere monumentum summæ Caritatis suæ erga nos, quam relinquendo nobis hoc *visibile* Sacrificium, quo instauratur cruentum Sacrificium, quod paratus erat ad offerendum in Cruce Patri suo, ut Ecclesia in omnes terras effusa instauraret, & honoraret quotidie majori cum fructu memoriam, usque ad finem sæculorum, & potissimum satisfaceret quantum *divinæ* Justitiæ rigor flagitare posset; quia, cum hæc Victima *illius* habeat virtutem, quæ in Cruce oblata fuit, par est obtinendæ veniæ omnium scelerum nostrorum. Hoc nos docet Ecclesia in Missa, quam pro defunctis instituit, & loquens de hac Victima propitiationis, hæc habet verba: *quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta*, & alibi addit: *Quoties hujus Sacrificii Hostia immolatur, opus nostræ Redemptionis exercetur*. Scio equidem non deesse alia media satisfaciendi Justitiæ Dei, cujusmodi sunt, oratio, quæ de manu illius arma aufert, jejunium, aliæque spontaneæ mortificationes; verum hoc adest discrimen, quod cum Sacrificium istud contineat meritum, & virtutem Crucis, ex natura sua propitiatorium est; inquiunt Theologi; videlicet a Deo peculiariter ad effectum hunc institutum. Itaque offerentibus Sacrificium hoc, quod eamdem virtutem habet, quam illud Crucis, quodcunque crimen patraverimus, non deest nobis unde mulcere valeamus Deum hunc irritatum; & hæc esse debet vulgatissima omnium fidelium praxis, ubi divino huic adstant Sacrificio, consociare omnia opera, merita, & quidquid boni faciunt cum Sanguine Victimæ istius, ut favorabiliter excipiantur a Deo, & flectant ejus Justitiam: quoniam hæc opera nullam habent vim, & efficientiam; nisi quatenus illam a Salvatoris meritis mutuantur.

Sacrificium hoc est Eucharisticum ad gratias agendas pro beneficiis a Deo nobis collatis.

Sacrificium Missæ dicitur Eucharisticum propter unum ex iis finibus, propter quos institutum fuit, ut videlicet gratias agamus Deo de collatis beneficiis, & quæ nobis quotidie a Dei bonitate conferuntur. Hæc istic recensere, necesse non est; opus enim esset omnia numerare vitæ nostræ momenta, omnia naturæ, & gratiæ bona, & in hoc numero nosmetipsos, quidquid sumus, quidquid habemus & quidquid a divina bonitate speramus, & expectamus. Sed homo nihil invenit in seipso, neque in omnibus Creaturis dignum, quod offerat Deo in remunerationem tot beneficiorum, ideoque divinum hoc Sacrificium institutum est, ut Deo gratiæ habeantur, quantum bonitas ejus meretur & infinita ejus liberalitas exigere potest. Nam secundum S. Chrysostomi sententiam, ob id præcipue fiunt Sacrificia: *propter nihil aliud, Sacrificium fieri permisit Deus, quam ut ad gratitudinem omnes adduceret*. Ratio est, quia infinita requireretur gratitudo, propter infinita beneficia; quia aliqua esse debet proportio inter hæc duo; & quamvis nobis supersint semper debita erga Deum, a quo omnia consecuti sumus, & cui nihil reddere possumus, nisi propria ipsius bona; tamen certum est, illum semper exegisse ab hominibus gratitudinis monumenta, & gratiarum actiones pro bonis, quibus semper populum suum cumulavit: sed, cum ejus beneficia tunc fines suos haberent, satis erat illi gratiarum actio finita per oblationem animalium, & fructuum terræ pro terræ bonis, quæ illi perceperant. Sed in lege nova multo majora debemus illi, quia dedit nobis Filium suum, & hic Filius passus est mortem, ut nos liberaret a servitute peccati, & a morte æterna. Misit deinceps ad nos Spiritum Sanctum, ut nos sanctificaret, nobis Cælum aperuit: verbo; tot nobis contulit bona, quæ superant cogitationes nostras, immo etiam desideria; non secus ac omnes nostras gratiarum actiones. Quomodo igitur pares illi gratias referre possumus, nisi per Sacrificium dignum ipso, & quo nos tantum reddimus illi, quantum ab eodem accepimus? A S. Thoma discimus veritatis hujus rationem, quia dicit: per eamdem viam, per quam Dei gratiæ veniunt ad nos, eadem redire debere ad Deum, per gratiarum actionem: sed nonne per J. C. gratiæ, & dona Cælestia a Deo veniunt ad nos? ideo per ipsum J. C. illi debemus nostras gratiarum actiones referre.

S. Thomas in Epist. ad Rom. lect. 5.

Sacrificium Missæ est impetratorium, & quid hoc nomine intelligatur.

Finis Sacrificii Missæ est etiam offerre illud ad obtinenda a Deo omnia, quæ ab illo cupimus, & quibus indigemus; unde factum est nomen Sacrificii impetratorii; per hoc enim impetrare possumus tum omnia bona Animæ, & Corpori necessaria pro nobis, cum pro aliis, quod innititur verbis Domini; *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quis autem melius petit in Nomine Salvatoris, quam qui impetraturus, quod flagitat, præsentat non solum merita, sed etiam personam Filii Dei latentis sub accidentibus Panis, & Vini? Adde Sacrificium hoc habere virtutem non solum proficiendi offerenti, sed etiam impetrandi pro se, & pro aliis, quidquid petit. Unde oritur, tantum celebrantem, quantum, qui adstant celebranti, offerre posse divinum hoc Sacrificium pro fidelibus omnibus generatim, vel singillatim pro aliquo, pro Ecclesia universa, pro publicis necessitatibus, pro vivis, atque defunctis, qui, cum obierint diem suum in gratia Dei, non sunt tamen prorsus a peccatorum suorum maculis emundati: nam secundum constantem Apostolorum traditionem, non minus licet hoc Sacrificium offerre pro Animabus, quæ in Purgatorio detinentur, quam pro satisfactione peccatorum viventium, & pœnarum quas meriti sunt. Dici etiam potest ex mediis omnibus, quæ apta sunt ad levandos, abbreviandosque cruciatus harum sanctarum Animarum, promptissimum, atque certissimum esse Missæ Sacrificium, de qua re unanimis Sanctorum Patrum, qui omnibus sæculis floruerunt, consensus, & Sacrosancti Tridentini Concilii auctoritas, nullum dubitandi locum relinquunt.

Joann. 15.

Sacrificium Altaris est Sacrificium honorarium latriæ, & perfectum holocaustum in honorem divinæ majestatis.

Theologi omnes consentiunt, primum finem, pro quo hoc Sacrificium fuit institutum, extitisse, ut honor haberetur Deo, & divinæ Majestati illius summum præstaretur obsequium. Hac de re præstat illi, quod in lege veteri, Sacrificium honoris vocabatur: *Sacrificium in honorem*, vel holocaustum videlicet illud, ex quo Deus majorem percipit gloriam; propterea quod hostia tota redigebatur in cineres, quin aliqua ex ea remaneret particula. Verum in Altaris Sacrificio, Dei Filius offert se Patri in honorem, & in perpetuum holocaustum; Cor ejus est Altare, amor ejus ignis est, jugiter consummans illud, quin tamen omnino illud absumat; ibi ponitur, tamquam immolata Victima, & in hoc statu permanere vult

ante

ante Oculos Patris sui; & quia, neque in Cælo, neque in terra ulla invenitur Creatura satis digna, ut fungatur officio Sacerdotis erga se, illæ ipse simul est Sacerdos, & Victima, *incessanter* propriis manibus semetipsum sacrificat, & hoc perpetuo holocausto affert honorem Deo, meritis ejusdem parem; ita ut dicere possimus, divinam Majestatem per hoc Sacrificium recipere maximam, quam habere poterat, gloriam: nam, si verum est, obsequium Regi debitum eo honorificentius esse, quo ille, qui obsequium præstat abjectius humiliatur, & exinanitur; Ah! quæ major fingi potest exinanitio, & humiliatio, quam videre Deum immortalem, ac semper viventem, semper esse in statu Mortis? Hoc illud est Sacrificium laudis, & pura oblatio illa, quam sibi promiserat Deus ante tot sæcula, quam adeo commendavit per Prophetas suos, & quam dixit, unicam parem esse reddendo honori, qui infinitæ illius majestati debebatur.

Necesse erat, ut Dei Filius instituret hoc Sacrificium Altaris.

J. C. postquam perfecit Opus Redemptionis humanæ, antequam de hoc Mundo transiret ad Patrem, credidit ad salutem nostram sibi perennandum esse usque ad sæculorum consummationem Sacrificium suum; ideoque Missæ Sacrificium instituit, quod suæ reliquit Ecclesiæ. Profecto, omnino illud erat necessarium; cum enim se obtulisset in Cruce, pro peccatorum nostrorum expiatione, nostraque salute, nobis in partem necessario veniendum erat Oblationis suæ quæ alioquin fuisset inutilis; & sicuti, ut quis in partem accederet antiquorum Sacrificiorum, comedere debebat de Victima Sacrificata, ita, ut fiamus participes JESU CHRISTI, quatenus hostiæ in Cruce immolatæ, vere manducare debemus Carnem illius, & Sanguinem bibere, secundum illud Salvatoris Ipsius verbum. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis Vitam in vobis.* Hoc autem fit a nobis, cum digne adsistentes Missæ Sacrificio, communicamus.

Joann. 16.

Major requiritur dispositio in Celebrante, quam in communicante.

Dispositiones, quæ ad digne communicandum requiruntur, non sufficiunt ad Missam recte celebrandam: plus sanctitatis requiritur ad consecrandum, quam ad recipiendum JESUM CHRISTUM, tandem enim in communione in JESU CHRISTI partem accedimus tanquam membra; in Sacrificio autem nos illum consecramus in persona, *tanquam locum ejus tenentes; immo ipse CHRISTUS JESUS consecrat pro nobis, nos illi* commodamus duntaxat linguam nostram, manus, & spiritus pro actione ista tanta, & tam divina. Patet etiam Missæ celebrationem esse ipsa communione majorem, atque sanctiorem, quia communio est utilis tantum Creaturæ, quæ ibi suam invenit Sanctificationem, uniens se cum Deo in Victima; cum e contra consecratio, & Oblatio hujus Sacrificii essentia, & per illam Sacerdos Sacerdotali munere decoretur: Nam Sacrificium esse non potest sine consecratione, & sine oblatione, & fieri non potest, quin Creatura communicet Victimæ, quemadmodum in holocausto accidebat. *Deo Sacrificia offerre necessitatis est, & inevitabilis officii; sed permittere, ut* Creaturæ fiant participes Victimæ, & ad mensam Eucharisticam admittantur, ubi proprium JESU CHRISTI Corpus comedant, & Sanguinem bibant, gratia est, & mere gratuita misericordia Dei erga mortales.

Hujus Sacrificii virtus non pendet a meritis & dispositione Sacerdotis offerentis.

Operæ tamen pretium est animadvertere, Virtutem Sacrificii non pendere a dispositione, vel merito illud offerentium; sed illud certissime obtinere effectum suum, dummodo a Sacerdote offeratur. Verum etiam si Sacrificii effectus minime pendeat, vel a Missam Celebrante, vel ab eamdem audiente, certum est, alios longe majorem præ aliis fructum percipere pro qualitate præparationis, quam afferunt, quod illi incumbit principio, gratias videlicet Sacrificii hujus, omniumque Sacramentorum nobis bifariam conferri, & tamquam a duobus fontibus oriri, videlicet vel ex virtute propria operis operati, quin ulla habeatur ratio operantis, vel ex dispositione operantis, & inde fructum percipientis; ita ut verum sit, Eucharistiam semper considerari, vel quatenus Sacrificium, vel quatenus Sacramentum, quo majorem invenit in Anima dispositionem, eo majorem ibi gratiam conferre, ideoque eximiam esse rationem brevi ingentem sibi thesaurum comparandi, egregias afferre dispositiones, sive ad celebrandam, sive ad audiendam Missam, quamtumlibet, generatim loquendo, hujus Sacrificii Virtus omnibus proficiat fidelibus, quandoquidem pro omnibus offertur.

Effectus Sacrificii Eucharistici.

Ad ciendam devotionem erga divinum hoc Sacrificium, atque fideles hortandos, ut illi maxima, qua fieri potest, reverentia, & cura adsistant, ante cetera prodest ejusdem effectus cognoscere. Primus est, expiare peccata, lenire Justitiam Dei, illi satisfaciendo, esse Redemptionem nostram, & pretium quo Animæ nostræ eruuntur ex potestate Dæmonis, & inferorum; quia per Altaris Sacrificium sit applicatio Sacrificii Crucis, quod oblatum est Deo, pro Animarum Redemptione. Secundus effectus est mereri nobis gratiam, Sanctitatem, & Spiritum Dei, fidem, spem, & caritatem, ut efficiamur filii Dei, & mox hæredes, cohæredes autem J. C. Hoc jus nobis acquisitum est, per merita Sacrificii Crucis, & applicitum nobis per Eucharistiæ Sacrificium. Tertius effectus est, supplere impotentiæ, in qua sumus, Deum digne adorandi, præstandi illi gratiarum actiones pares incomprehensibili Magnitudini misericordiarum, & beneficiorum, quibus nos cumulavit, atque offerendi eidem cetera Religionis officia. Primus effectus Sacrificii JESU CHRISTI repræsentabatur in lege veteri, per Sacrificium, quod vocabatur *Sacrificium pro peccato*, Secundus per hostias pacificas; tertius vero per holocaustum; ideoque adorabile hoc Sacrificium imperfecta unitate sua, replet veritatem omnium specierum, omniumque figurarum legis antiquæ.

Unius Sacrificii quod semel oblatus fuit in Cruce, & quotidie offertur in altaribus nostris.

S. Chrysostomus, ubi explicuit omnia S. Pauli Apostoli argumenta, quibus probatur Unitas Sacrificii JESU CHRISTI in Cruce immolati, proponit sibi hanc Eucharistiæ objectionem, & quærit, utrum quotidie offeratur necne Sacrificium in Ecclesia. Verum est, inquit, Nos JESUM CHRISTUM offerre quotidie, sed hoc fit in commemorationem Mortis ejus; sed hoc est unum tantum Sacrificium, non plura; sed quomodo nam, addit ille, hoc unum est Sacrificium, non plura? quia semel tantum oblatum fuit, quemadmodum summi Sacerdotis Sacrificium, semel tantum quotannis offerebatur in Sanctuario, hoc Sacrificium erat figura Sacrificii JESU CHRISTI. Non offerimus *hodie Victimam* unam, & cras alteram, quod in lege fieri consueverat, sed offerimus quotidie Victimam eamdem; unde oritur hoc unum semper esse Sacrificium: Si enim inferendum esset, plura esse Sacrificia, quia offeruntur quotidie, ob eamdem rationem, dicendum esset plures esse JESUS CHRISTOS, quia JESUS CHRISTUS in pluribus locis offertur, quod falsum est, quia Unum duntaxat est Corpus, non plura JESU CHRISTI Corpora; & quamvis offeratur pluribus in locis, *tamen idem*, & unicum est Sacrificium, & *in præsentiarum offerimus* hoc idem Sacrificium, *quod ille tunc obtulit*, quoniam non *absumitur*. *Hoc fit in memoriam illius, quod tunc factum est, quippe dicitur: Hoc facite in meam commemorationem.* Non facimus ipsi Sacrificium alterum, quemadmodum magnus Legis antiquæ Sacerdos faciebat, sed semper illud ipsum instauramus, vel potius Sacrificii illius memoriam facimus. Nihil afferri potest apertius. S. hic Doctor fatetur quotidie illud offerri Sacrificium, quod semel obtulit J. C. & quemadmodum JESUS pluribus in locis oblatus, est idem ubique, & unum duntaxat Corpus habet; ita unum, & unicum quotidie offerri Sacrificium.

Quilibet fidelium particeps est omnium Missarum, quæ *universo* mundo celebrantur.

In lege veteri in nomine tantum Judæorum immolabantur Animalia in Templo Jerusalem; & in Ecclesiæ catholicæ nomine offertur *hodierna die, in universa terra hostia pura, & Sancta, quam* offerendam prædixit *Malachias Propheta; qua* in re animadvertendum est, *quemadmodum* illi omnes, pro quibus offertur Sacrificium, aliquem inde fructum percipiunt, nisi ipsi obicem statuant; cum omnes Missæ celebrentur nomine totius Ecclesiæ, videlicet Fidelium omnium; ne unam quidem in toto Orbe terrarum Missam celebrari, cujus quilibet Christianus, qui Ecclesiæ membrum est, non possit *aliquam sibi partem* vindicare.

Cum Corpore *constemus*, & *spiritu*, & *utriusque* auctor sit Deus, opus est, ut utrumque particeps fiat illius adorationis, quam debemus illi: Ecclesia huic innixa fundamento regit cultum nostrum, efficitque, ut hic non sit ita internus, ut extrinsecus non prodeat; etenim, sicuti oportet, ut spiritus nostri Religionem comitetur Religiosus corporum nostrorum status, opus est etiam, ut obsequia, & adorationes corporis nostri animentur obsequiis interioribus, secretissque mentis nostræ adorationibus; itaque quodcunque officium, aut Ministerium exerceant Christiani erga Missam, sive offerant, sive audiant, debent hoc perfungi munere, cum modestia, timore, attentione, observantia, & Pietatis sensu, quæ etiam prodire debent extrinsecus.

Ratio propter quam Missa non debet celebrari in lingua vernacula, sed communi Ecclesiæ universæ.

Dicet fortasse *quispiam*, quod solatium haberi potest in Celebratione Sacrorum Mysteriorum eo in sermone, qui ignoratur; & quomodo, cum rudes simus, & ignari, respondere possumus *Amen* tuæ gratiarum actioni, secundum S. Pauli verba? Sed quid? quæritur ne hodierna die, ut olim in Ecclesia primitiva, donum linguarum, quo nonnulli abutebantur, & quod corrigere conatur Apostolus? nonne vivæ vocis Oraculo explicantur vobis cæremoniæ nostræ, & nostra Mysteria? earum versiones nonne populi manibus teruntur? nunquid fucus fieri vult vobis, aut sanctarum rerum auferri cognitio? Cognoscite tandem intentiones Ecclesiæ: noluit Deus Scripturas, quæ sunt immutabiles, mutari sicut linguas, quæ corrumpuntur, & innovantur. Patres nostri, accuratissime retinuerunt veteres Oblationum nostrarum formulas, ut usus nostri

INSTITUTO DE CIENCIAS

stri essent uniformes ; & universalis Ecclesia linguam haberet universalem , & quemadmodum unam duntaxat habebat fidem, ita commune haberet idioma, quo plures nationes simul possent communicare; voluerunt veterem servari sermonem ad innuendam fidei antiquitatem , ut fideles certo scirent se credere id , quod semper creditum fuit, quia loquimur eo modo , quo fere semper, in JESU CHRISTI Regno, homines locuti sunt. Credidit Ecclesia retinendam esse linguam hanc ab omnibus probatam , ut servaretur dignitas , & Majestas rerum sacrarum , ut hæc unionis nota in tota J. C. familia retineretur , & ut evitarentur profanæ novitates Verborum, aut Vocabulorum, quas diligentissime evitare jubet Sanctus Paulus. Tandem, ut Religio præservaretur a vicissitudine dominationum, & variationum sermonis , atque ut Cultus, ac divinum servitium ea relinqueretur in lingua, quam Apostoli, apostolicique Viri consecrarunt , ne crebra reformatione corrumperetur.

Adsistere Sacrificio Missæ in statu peccati mortalis non est recens mortale peccatum.

Perniciosus error est credere, quod Sacrificio Missæ in peccati mortalis statu assistere, sit recens committere peccatum; hoc enim est ansam præbere illis, qui lethalis culpæ sibi sunt conscii, non observandi Ecclesiæ præceptum, quæ sub peccato jubet statutis diebus Christianos omnes Sacris interesse, nulla habita gratiæ, vel peccati ratione. Fateor equidem , secundum veterem Canonem, publicos peccatores ab ingressu Ecclesiæ prohibitos fuisse, utpote indignos, qui augusto huic adsisterent Ministerio, quod interdictum illis irrogabatur in pœnam, & ut in illis oboriretur voluntas admittendi Sacris præ verecundia , qua suffundebantur ex hoc interdicto . Sed Ecclesia consideravit Missam esse Sacrificium propitiatorium pro peccatoribus proprie institutum ; aspectum Sanguinis Domini pro illis effusi, illos permovere posse; peccatores insignes, magnis indigere intercessionibus; lacrimas fidelium, qui vere fideles sunt, cum Sanguine J. C. conjunctas, vim nonnunquam inferre ipsi Deo, ut ita dicam, ejusque flectere iracundiam . Ecclesia , inquam præcipit, ut intersint Sacrificio , ne tradantur irreligioni, & ut illis certum aperiat medium ad criminum suorum veniam impetrandam.

Cæremoniæ Missæ contra Hæreticos probantur.

Quod attinet ad Missæ cæremonias , quas hæretici damnare, atque in jocum traducere conati sunt, tamquam superstitiosas novitates, sunt illæ admodum antiquæ , & prorsus Sanctissimæ . Antiquæ sunt, nam plerarumque mentio occurrit in Scriptis Patrum , & in Conciliis primorum sæculorum Ecclesiæ, Sanctissimæ sunt, quia , ut Tridentina Synodus animadvertit, & probat experientia, plurimum prosunt; movent enim oculos fidelium, ut attollant mentem in Cælum, ut attentius illas considerent , & quemdam acquirant intellectum earum rerum, quæ secretissime, ac mystice in Sacrificio peraguntur. Pro Missæ cæremoniis intelligo concomitationes partium essentialium , & sub hoc titulo complector Aram, vestimenta ad hujus Mysterii celebrationem instituta, & seriem omnem actionum, precum, variarum circumstantiarum componentium id , quod ipsi appellamus *Sacrificium Missæ* . Quod autem spectat ad originem hujus nominis Missæ inde ortum est, quod absoluto Sacrificio, fidelium cœtus dimittebatur per hæc Verba , quæ Diaconus elata voce proferebat: *Ita Missa est*.

Cur non audet S. Paulus de Jesu Christo totam similitudinem Sacerdotii, & Sacrificii Melchisedech cum Sacerdotio, & Sacrificio J. C. in Eucharistia.

Ad Hebr. 5.

Alibi ne præterquam in Missa invenietur hoc Sacerdotium , & Sacrificium JESU CHRISTI secundum Ordinem Melchisedech ? in novissima Cœna , quam fecit cum Apostolis suis , hoc ille Sacrificium instituit, & Sacerdotes ordinavit, qui ejusdem essent Ministri. Cum S. Paulus pervenit ad hoc Religionis, & Mysterii punctum, sese continet, & postquam Hebræis recens conversis ait JESUM CHRISTUM, Dei ipsius auctoritate , declaratum fuisse Pontificem secundum Ordinem Melchisedech : *appellatus a Deo Pontifex secundum Ordinem Melchisedech* silet , eique dicere satis est; *de quo nobis grandis sermo , & interpretabilis ad dicendum*. De hoc Pontifice mihi plura, & magna dicenda essent, verum , hæc superant captum mentium vestrarum adhuc carnalium, & fidei vestræ adhuc infirmæ, atque nascentis, *grandis sermo*, non audet ulterius verba facere de Crucis Sacrificio, & ostendere JESUM CHRISTUM vere obtulisse semetipsum pro peccatis nostris, & redemisse nos, non quidem taurorum Sanguine, sed proprio Suo; & effusum hunc Sanguinem esse pretii infiniti, & nequaquam opus fuisse, ut JESUS CHRISTUS offerret iterum se ad Ostium Sanctuarii, post novam Sanguinis effusionem, cum per illud unum Sacrificium Redemptionem mortalium omnium consummasset. Verum, cum agitur de explicando Mystico Altarium nostrorum Sacrificio, & similitudinibus Sacrificii J. C. cum illo Melchisedech, non audet ille verba facere de figura Panis , & Vini, ne reneatur illis revelare secreta, quibus audiendis pares non erant. *Grandis sermo* : non audet hoc illis committere arcanum.

Quo in sensu Sacrificia Corporis J. C. & illud Ecclesiæ

Quod vero admirabile est , idem J. C. qui semel semetipsum sacrificavit in Cruce ; semet adhuc quotidie in Altaribus nostris sacrificat, & præcepit Populo suo, ut illum offerrent, & Sacrificium suum perennarent , ita ut J. C. & Ecclesiæ Sacrificium , non sit nisi unum, & idem Sacrificium, & Ecclesia offerente Corpus J. C. per manus Sacerdotum suorum Æterno Deo, ipsa quoque offeratur, quia est Corpus Mysticum JESU CHRISTI, & JESUS CHRISTUS offerens proprium Corpus suum in persona Ministrorum suorum, offerat quoque Ecclesiam suam , & nos omnes Patri, quia Ecclesia est Corpus illius, & nos omnes sumus membra illud componentia. Hæc ipsissima sunt D. Thomæ verba, ex quibus facile est cognoscere, cur S. Petrus Apostolus vocet cœtum fidelium , ordinem sanctorum Sacerdotum, qui debent offerre Deo Victimas spirituales, illi acceptabiles; & cur Sacerdotes reges appellet: *Regale Sacerdotium*. Sicuti enim duo sunt Sacrificiorum genera, duo quoque sunt genera Sacerdotum, alterum exterius, & visibile; alterum interius, & invisibile ; primum proprium est illorum, qui ordinati sunt, ut consecrent , & offerant in Altari Corpus J. C. quatenus Sacerdotes ; sed alterum commune est omnibus viventibus Ecclesiæ membris, inter quorum utrumque nexus est arctus adeo , ut S. Augustinus ausus fuerit dicere: se non credere Sacrificium offerri posse, nisi illi, cujus nos ipsi esse debemus Sacrificium invisibile in cordium nostrorum Sanctuario. Hac de caussa summus iste Vir de utroque loquitur , tamquam invicem inseparabilibus , & hoc significat , nos quatenus Christianos , participes esse Sacerdotii J. C. & per hoc generale Sacerdotium adsistentes Sacrificio Missæ , nos simul omnes consecrare Corpus Salvatoris adhærentes ipsi J. C. tamquam summo Pontifici, & Ecclesiæ Ministro, qui illam repræsentat, & palam operatur Sacrum hoc Mysterium, juxta ea , quæ nos docent Sacrati Canonis verba.

non est nisi unum, & idem Sacrificium.

S. Thom. 3. p. q. 80. art. 4.

1. Petri 2.

S. August. l. 10. de Civ. c. 19.

Sapientia , & amor Filii Dei in hoc Mysterio , in quo exigit a nobis, ut eidem adstantes adjiciamus interius nostrum metipsorum Sacrificium, cum exteriori, & visibili Sacrificio, quod ille offert Sacerdotum Ministerio ; nam verum est , cum polluta habeamus Corpora, & Animas per peccati corruptionem , nos redactos fuisse ad impotentiam offerendi nosmetipsos Deo , per Sacrificium ipso dignum ; Nos adhuc in ignorantiæ tenebris fuisse, & ignorasse quid nobis esset faciendum, ut digne hoc munere perfungeremur ; sed modo per Salvatoris gratiam ablatas fuisse has omnes difficultates; nam per Sacrificium suum taliter expiavit Animas nostras, ut ejusdem spiritu percitæ , & merito Sanguinis ejusdem adjutæ , quod nobis applicatur in Missa, nulla re careant, ut efficiant acceptam Deo oblationem nostrum metipsorum , & dignam, quæ concomitetur Oblationem Corporis , & Sanguinis hujus Hominis Dei , & eo in statu, ad quem sese redegit inter manus Ministrorum suorum , per Consecrationem ; ostendit nobis quid faciendum sit, ut simus, tamquam ille , hostiæ puræ , & acceptabiles in oculis Altissimi . Nostrum igitur est nosmet perfecte consecrare Deo adsistentes Sacrificio , quod fit Corporis Filii sui , habentes ad id ob oculos nostros semper præsentem Prototypum nostrum , scilicet JESUM CHRISTUM immolatum sub speciebus Sacramentalibus , & meritum oblationis ejusdem , quæ supplet defectibus nostræ ; cum in nobis necessarium sit dumtaxat, ut adhibeamus intentionem, & attentionem augustissimo hoc dignam Ministerio.

Deus in Altaris Sacrificio dedit nobis medium concomitandi Sacrificium nostrum metipsorum quod illi fit acceptabile.

Nonne verum est Sacrificium requiri in Christiana Religione, non autem simplicem Commemorationem , & imaginem Sacrificii ? nulla enim unquam Religio caruit Sacrificio . Nonne quoque patet Sacrificium Christianæ Religionis aliis quibuscumque præcellere Sacrificiis, quia Christiana Religio ceterorum est præstantissima ? & arctissimas habet Deo suo obligationes, & majoribus indiget subsidiis ? Igitur oportebat, ut novæ legis Sacrificium infinitam haberet, & dignitatem, & pretium; quoniam omnia in hac lege infinita sunt; auctor, doctrina, prodigia, placita, præmia. Primus Sacrificator fuit J. C. neque alii quærebantur; verum, cum ad finem usque sæculorum producere deberet munus, & Sacrificuli exercitium; hoc Sacrificium esse debebat Vitæ suæ ipsius , non autem Animalium, quæ Deus aperte non amplius offerri posse declarat; non hominis, vel alterius cujuslibet Creaturæ, quia homo immolari non potest eo pacto, quod deceat immensitatem, ac summam Dei Dominationem, omnesque perfectiones ejus, quæ finibus carent. Igitur illi sacrificanda erat Vita omnium præstantissima , qualis erat Vita Hominis Dei , non illa quidem in idea, & imagine, neque tantum in memoria, quod non esset Sacrificium, quemadmodum tabula non est auctographum rei, quam repræsentat ; sed reipsa , & realiter veluti Sacrificium Crucis. Hoc autem Sacrificium non esse debebat cruentum, & crudele; quia J. C. ita resurrexit, ut nequeat ulterius mori; igitur per Sapientiam prorsus divinam J. C. instituit Altaris Sacrificium sub symbolis Panis , & Vini , in quibus est, tamquam in statu mortis , quin moriatur ; ubi mandu-

Compendium probationum Sacrificii Eucharistici.

manducatur, quin lanietur; requirebatur Mors cruenta, & realis, ut mereretur, & satisfaceret; requirebatur Mors Sacramentalis, & innocens, quæ esset Sacrificium commune, applicatio, & instauratio primi; Hoc ipsum quasdam habet prærogativas præ altero; Mors enim cruenta fuit actio naturalis, & humana; hæc autem supernaturalis, & divina, illa Crudelitatis Opus, hæc actus Pietatis, & Religionis; illa semel tantum, & uno tantum in loco facta, qui Calvarius est; hæc autem secundum Malachiæ prædictionem, omnibus Mundi locis, & quotidie.

Non poterat Deus majorem gloriam recipere, vel cultum illo, quem recipit a Filio suo immolato sub Sacramentalibus speciebus duplici ex caussa, quarum prima est, ipsum videre Deum sibi parem humiliatum, atque exinanitum, ac sese ad ipsius gloriam Sacrificantem; altera vero est, quod hic Homo-Deus sese offert illi per Sacrificium Voluntarium, atque in æternum. Humiliatio Dei sibi æqualis est infinitus honor; Sacrificii perennitas ostendit æternitatem essentiæ suæ infinite adorabilis. Quod ad primam attinet caussam, communis est utrique Sacrificio, tam Crucis, quam Altaris; quandoquidem utrobique eadem est hostia, quæ immolatur, videlicet J. C. Deus, & homo; sed Sacrificii perennitas, quæ caussa est altera, singulariter pertinet ad Eucharistiam, eique tribuit nescio quid majoris suavitatis, atque amabilitatis, quam habeat Crucis Sacrificium.

Per hoc Sacrificium Filius Dei inter nos est tamquam hostia propitiationis pro peccatis nostris.

Conc. Trident. sess. 22. c. 2.

Consentiunt omnes Catholici, Sacrificium Missæ esse memoriam Sacrificii Crucis, quia Filius Dei ibi est, ut ob oculos Patris sui repræsentet dolores Passionis suæ, & applicet peccatoribus meritum Mortis suæ. Hoc Ecclesia in Sacra Tridentina synodo constituit tamquam veritatem de fide innixam traditioni Apostolorum, & doctrinæ sanctorum Patrum; sed quod omnes ignorant, & quod Angelos ipsos in admirationem rapere potest, est ars, & adinventio, qua usus est Salvator adducturus seipsum in statum repræsentandi ob oculos Patris sui juge objectum propitiationis pro peccatis nostris; sciens enim nil magis extinguere posse Dei iracundiam, nisi pœnitentiam, posuit se in hoc Sacrificio in statu pœnitentis sub speciebus Sacramentalibus; & prævidens donec Mundus erit, peccatores non defuturos, vult se eodem *modo* Sacrificare, ac juge Sacrificium *præbere, ut excutiat de manu Dei Patris sui fulmina, objiciens semetipsum ante nos*, quasi accepturus in se tela divinæ ultionis.

Quam intentionem habere valeant Celebrantes hoc Sacrificium, vel illi adsistentes, & pro quo illud possint offerre.

Sacrificium hoc institutum est ad obtinendam veniam peccatoribus, & ad mulcendas pœnas justorum in altera Vita. Hæc ea sunt merita, quæ Sacerdotes reddere possunt Deo, sibimet, & hominibus viventibus, atque defunctis: sed hæc bona non prosunt Solis Ministris divini hujus Sacrificii; simul enim communia sunt omnibus fidelibus eidem adstantibus, quia possunt sese cum illis offerre, & per manus suas, atque multo efficientius offerentes pro iisdem intentionibus, pro quibus Sacerdotes offerunt illud divinæ Majestati. 1. Ut glorificent Deum, cum nulla actio possit illi majorem procurare gloriam. 2. Pro semetipsis, ut obtineant gratias sibi ad salutem necessarias, simulque temporalium negotiorum prosperitatem. 3. Denique pro Viventibus; constat enim se tali medio obtinere posse peccatorum conversionem, & perfectissimam exercere erga Proximum Caritatem.

Quemadmodum Filius Dei per hoc Sacrificium reddidit cultum dignum Deo; ita nos dum idem peragitur Sacrificium, debemus pontificium adorare Deum.

Cultus non potest esse satis dignus illo, qui eum recipit, nisi Adorator par sit illi, quem adorat, & nisi Victima æque Sancta est, ac Deus, cui offertur; Hac de caussa Verbum divinum Carnem induit, cumque minime posset seipsum humiliare, & exinanire in natura sua, naturam induit, quæ compos esse potest humiliationis, & exinanitionis, ut offerret Deo Sacrificium, quod perfecte responderet suæ Divinitati. Reddidit illi profundam hanc adorationem, & magnum hoc Sacrificium, solus in Cruce consummavit; sed postquam Ecclesia instituta fuit, Spiritus, & Cor omnium fidelium accedunt in partem Sacrificii magnæ hujus Victimæ super Altaribus nostris immolatæ, & reddunt Æterno Patri adorationem, quam meretur per illam, quam recipit a Filio suo, cui illi sese conjungunt. Hoc fit præsertim, dum Missæ peragitur Sacrificium, tunc enim fideles incumbere debent ad actus perfectæ adorationis eliciendos: adoratio enim, non est aliud, nisi interior exinanitio coram Dei Majestate; sed tempus Sacrificii aptissimum est, ut assequamur hunc Christianæ adorationis spiritum, quia Sacramentalis destructio JESU CHRISTI, per separationem specierum, quibus tegitur, nobis instaurat memoriam realis ejusdem destructionis, veræque Mortis ejusdem in Cruce.

Quomodo divinum hoc Sacrificium operetur remissionem peccatorum.

Tridentinæ Synodi dogma est Salvatorem ipsum tradidisse, hoc Sacrificium institutum fuisse *in remissionem peccatorum*; sed, cum Divo Thoma animadvertendum est, Sacrificio hoc nequaquam remitti peccata eodem modo, quo remittuntur Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ. Hæc enim Sacramenta justificant per infusionem gratiæ Sanctificantis, cum Sacrificium nos præparet tantum ad Justificationem, excitans per actuales, & prævenientes gratias, Animam ad cordis contritionem, & detestationem peccatorum suorum. Ita peccator, addit Doctus Suarresius, post hoc tenetur ad confessionem confugere, sine qua, si lethalis culpæ conscius esset sibi, non posset communicare.

Sacrificium suimet ipsius adendum Sacrificio J. C.

Nullum est Sacrificium, quod Deo placere possit, si a JESU CHRISTI Sacrificio separatum sit; & cum offerimus Deo Sacrificium Filii sui, tenemur simul offerre Sacrificium nostrumetipsorum. In duplici hoc Sacrificio, tota consistit Legis gratiæ substantia. Religio nostra duo postulat. Primum, ut offeratur Deo in Sacrificium CHRISTUS JESUS; alterum, ut Sacrificium sui ipsius concomitetur JESU CHRITI Sacrificium. Opus est, ut Christianus simul sit Sacerdos, & Victima: *idem Victima, & Sacerdos*; quæ res S. Thomam impulit, ut diceret, Sacrificium exterius non esse, nisi Signum Visibile interioris Sacrificii: *Sacrificium externum est Sacrificii invisibilis Visibile Signum*, & Sanctus Gregorius Magnus ait, JESUM CHRISTUM pro nobis se Æterno Patri non offerre, nisi cum ipsi per nos eidem nosmet offerimus; sed tunc vere hostiam esse pro Nobis, cum Nos, quatenus Victimas, offerimus Deo: *Tunc vere pro Nobis hostia erit Deo, cum Nosmetipsos hostias offeremus*.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Quid sit Missæ Sacrificium, a quo, & quando fuerit institutum.

MIssa est Sacrificium, hoc est Cultus supremus, realis immolatio, publica protestatio Supremi Dominii Dei, & sincera professio per visibilem cæremoniam intimæ, & necessariæ submissionis essentiæ nostræ Enti Superiori, quod nonnisi Deus esse potest, qui reservavit hoc sibi, tamquam præcipuum *jus* sibi debitæ adorationis. Sacrificium hoc *institutum fuit a* JESU CHRISTO, qui, S. Cyrillus ait, Æternum habens Sacerdotium, *æterna unctione Sacratus ante omnia sæcula, novam Legem irrogans*, instituit hoc *Sacrificium Corporis*, & Sanguinis sui, pretiosum monumentum *infinitæ* suæ Caritatis erga homines. Fatali ea Nocte, qua tradendus erat, offerebat se Patri suo, sub speciebus Panis, & Vini, cum simul esset, inquit Sanctus Paulinus, & Sacerdos Victimæ suæ, & Victima Sacerdotii sui, mox præcipiens Apostolis, & Sacerdotibus, qui ipsum erant repræsentaturi, ut hoc ipsum facerent usque ad Sæculorum consummationem. *Flechier in sermonibus Ethicis serm. de Missa.*

Excellentia hujus Sacrificii, & ejus elogia.

Est igitur in Ecclesia divinum Sacrificium, quod Tridentina Synodus antonomastice vocat *Opus Dei*; divinum in principio suo: Deus *enim Unus per potentiam* suam par erat *mutando Panem, & Vinum in* Corpus, & Sanguinem J. C.; *divinum in medio*; Deus *quippe Unus Homo factus est*, ut esset Victima idonea *ad mulcendam* Supremam Majestatem laceſſitam; divinum in fine; Deus enim Unus esse potest objectum obsequiorum infinitorum, & divinæ hujus Oblationis; divinum in duratione, quemadmodum Daniel prædixerat, non compositum, ut olim ex plurimis Victimis, sed ex una tantum, quæ sese perennat in Altaribus nostris, quæ sine ulla divisione *se multiplicat, quæ sacrificatur*, absque eo quod *moriatur*, & *quæ manducatur*, absque eo quod *consummetur*, quia *est* immortale, & impassibile Corpus J. C. & hæc est magnifica, universalis, & pura Oblatio, quæ ab Ortu in Occasum defert Dei gloriam. Ita Deus ipse loquitur per Malachiam Prophetam. Audite illum cum docilitate, ac reverentia, *a Solis Ortu, usque ad Occasum, magnum est nomen meum in gentibus*. Undique video Aras onustas Sacrificiis in honorem meum: *in omni loco Sacrificatur*. Ubique quotidie offertur mihi Oblatio, Victima munda, & sine macula: *& offertur Nomini meo oblatio munda*. Quænam igitur hæc Victima est, de qua gloriatur Dominus, quæ illi acceptabilis est, & in qua complacet sibi? sunt ne Vituli, & Tauri, cujus crassus, & impurus cruor illi carus esse non potest? Suntne Opera *nostra*, in quibus fere semper regnat nequitia, *in quibus* Caro, & Sanguis tantum possunt? in quibus cupiditas fere per secretas vanitates, & impenetrabilem avaritiam, sese commiscet? sunt ne preces, quas mentis evagatio, tædium, impatientia, amor proprius crebro concomitantur? Non proculdubio. Magnum hoc Sacrificium illud est Missæ, quod ubique terrarum offertur pro peccatorum nostrorum propitiatione, & satisfactione; pura, & per seipsam Sancta Oblatio, cujus Sanctitati neque indignitas Offerentis, neque Adstantium irreverentia quidquam possunt officere. *Idem.*

Malach. 1.

Ibidem.

Decebat Dei Filium instituere hoc Sacrificium.

JESUS CHRISTUS mortali indutus Carne, ut Patrem suum glorificaret, & redimeret homines Sanguine suo, extendere volens super terram Regnum suum, moriens ibi relinquere debebat Sacrificium dignum se, quod

quod esset quoddam velut centrum Religionis, in quo tota Dei gloria, & tota fidelium sese colligeret fides; ubi fierent effusiones Misericordiæ, & gratiarum actiones; ubi Redemptionis fructus in universum distribuerentur Ecclesiam; & ubi homines invenire possent, & remissionem peccatorum suorum, & donum pœnitentiæ, & pignus Salutis æternæ. Quis enim credere posset Christianos, cum quibus adeo arctum fœdus percussit, quos sexcentis cumulavit beneficiis, & a quibus summam exigit Sanctitatem, carituros esse Sacrificio, quo Deum colerent, eique dignas actiones gratiarum referrent; cum interim barbaræ gentes, nescio quo naturæ studio, fabulosis obtulere Numinibus Sacrificia crudelia, & irridenda, quæ, quia monumenta erant eorum ignorantiæ, atque brutalitatis, non relinquebant aliqua Religionis suæ testimonia? Absit, quod JESUS CHRISTUS negaverit nobis ea media, quibus veneraremur supremam Patris sui auctoritatem, suamque confiteremur Redemptionem. Seipsum posuit in statu Victimæ, in quo tota illius dignitas invenitur, & in quo perfecta adoratio usque ad sæculorum consummationem exercetur, quod non fecit solum propter hujus Mysterii gloriam, verum etiam propter nostram utilitatem. *Idem*.

Eucharistia, non solum est Sacramentum, in quo JESUS CHRISTUS effundit in nos innumera bona, & gratias numero carentes; sed Eucharistia eadem Sacrificium est, quo digne colimus Deum, offerentes illi proprium Verbum, & illi adhibentes omnem honorem, quem ipse sibi potest adhibere.

Profecto JESUS CHRISTUS se nobis tradit, & ponit se in manibus nostris in Missæ Sacrificio, ut ipse ille sit pretium suorum beneficiorum. In eo sit æqualitas doni, & gratitudinis; Deum accepimus per Incarnationem, & Deum reddimus per Eucharistiam, mensam ubi nobis proposuit Corpus suum in Animarum nostrarum alimoniam, sibi in Altare convertit, ubi exponit hoc ipsum Corpus in Sacrificium; Sacramentum quidem pro meritis nostris, pro honore autem suo, Sacrificium: Sacramentum, quod nobis Spiritualem largitur vitam; Sacrificium, quod Deo tribuit honorem infinitum, & laudem æternam. En igitur Sacramentum hoc compositum ex Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI, quod ipse semel obtulit Patri suo, pro hominum Redemptione; sed quod a nobis offerri jubet quotidie pro peccatorum nostrorum propitiatione, & pro commemoratione Passionis suæ, suarumque misericordiarum. *Idem*.

Sacrificium Altaris, & Crucis unum, & idem Sacrificium est; qua in re differant.

Dici fortasse potest, ut dicunt hæretici, Crucis Sacrificium satis esse, & Ecclesiam non indigere altero; nam, ad quid hostiæ sunt multiplicandæ? Cur iterandus hic actus Mortis, quo Redemptio nostra consummata fuit? fatemur, & S. Concilium hoc nos docet; hæc est una eademque Oblatio, illa Crucis, & illa Altaris; Victima est eadem, licet offerendi modo tantummodo differat; Crux idem est, ac Altare, utrumque eamdem substinent Victimam, utrumque eidem inserviunt Sacrificio. In Cruce adimpletum est, & in Altari perennatur. Sacrificium non poterat amplius esse Cruentum, Salvator gloriosus erat, & immortalis, Mors naturalis illius nonnisi aliquot horas erat duratura; sed illam consecutura erat Mors mystica quotidie instaurata per specierum destructionem. Sanguis hic effusus erat sufficiens, & superabundans pretium Redemptionis, sed oportebat, ut ejus fieret applicatio: Passio, ut ita dicam, coacervavit thesaurum, & Missa illum distribuit; JESUS CHRISTUS in Cruce moritur generatim pro omnibus hominibus; in Ara est in statu Mortis pro te peculiariter, perinde ac moreretur adhuc pro te solum. Sanguinem hunc attollimus, cujus Vox melius exauditur, quam vox sanguinis Abel. Attollimus Agnum immolatum, ut præsentemus illum Domino eo modo quo S. Joannes nobis describit stantem, ac veluti supplicem coram Throno divinæ Majestatis. En duplici verbo quid sit Missa: offerre Deo Æterno Patri Corpus, & Sanguinem Filii sui sub symbolis separatis, ac destinatis ad Mortem illius annuntiandam; cetera vero preces, benedictiones, Cæremoniæ, non sunt aliud, nisi apparatus, vel venerabilis Sacrificii comitatus. *Idem*.

Missa est Sacrificium secundum Ordinem Melchisedech.

Missa est novæ Religionis Sacrificium factum secundum Ordinem Melchisedech. Insignes hujus Pontificis qualitates, quas Apostolus ostentare gaudet, & quæ sunt fidelis JESU CHRISTI figura; Panis, & Vinum, quæ sunt Oblationis ejus materia, id liquido probant. Hoc est verum Sacrificium, actus publicæ Religionis, institutus a JESU CHRISTO, observatus ab Ecclesia, ad honorandum Deum, per Victimam, qua nulla fuit unquam augustior ad profitendam submissionem nostram supremæ Dominationi in profunda humilitate. Mutatio Victimæ facta per Consecrationem Panis, & Vini, quæ fiunt Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI, species etiam destructionis, per mysticam separationem Corporis, & Sanguinis, & per mysticam repræsentationem Cruenti Sacrificii in Calvario peracti; Oblatio sancta in omnibus, cum ex parte Victimæ, quæ est JESUS CHRISTUS, tum ex parte Ministerii, & actionis Sacerdotii sui, ipse hoc exercet in seipsum. Ubinam alibi, præterquam in Missa invenietur hoc Sacerdotium, hoc JESU CHRISTI Sacrificium secundum Ordinem Melchisedech? nolite quærere illud, neque in Nativitate sua, ubi secretro se obtulit Patri, neque in Cruce, ubi facta est Sanguinis effusio; sed in Cœna, in qua sibi quodammodo reservavit hujus Sacrificii institutionem. *Idem*.

Præceptum audiendi Missam festis diebus.

Beatis illis temporibus, quibus Christianismi puritas vivebat, & fervor, non fuit necesse, ut Ecclesia filiis suis Missæ auditionem imperaret; Apostoli sanctum hunc, & religiosum morem invexerant; Ecclesiæ omnes in Ortu illum secutæ fuerant; Fideles omnes confluebant in locum, ubi Panis fractio peragebatur; quo nomine Sacra vocabantur Mysteria, ut profani celarentur ea, quæ cognoscere non merebantur. Nulla quidem lege hoc facere jubebantur, sed mera lex Caritatis, quam Spiritus sanctus nuper in Cordibus eorum insculpserat, & cujus impressiones adhuc erant recentes, majorem vim apud illos obtinebant, quam omnia præcepta, quæ illis potuissent irrogari. Utinam libera pietas, & voluntaria obedientia prævertisset omnes hasce regulas, atque præcepta, quæ necessitas instituit justit illum extingueret. Paulatim disciplina remissa fuit, pax libertatem invexit, spiritus otii, & mollitiæ in Christianam Religionem adrepit, zelus divini cultus, & publicarum precum intepuit, homines facti sunt minus religiosi, minusque assidui in Religionis exercitiis; corruptio, cum tempore, inolevit, opus fuit, ut ab Ecclesia lex ferretur, atque uteretur auctoritate sibi a Deo tradita in filios suos, ut irrogaret illis præceptum audiendi Missam diebus Dominicis, & festis. *Idem*.

Quacum reverentia, & pietate adsistere debeamus Sacrificio Missæ.

In Ecclesiam convenimus præbituri publica Fidei, ac Pietatis nostræ monumenta; cumque visibile Sacrificium, quod ibi offertur, signum sit Sacrificii invisibilis, ut docet S. Augustinus; externa Corporis verecundia, & modestia signum esse debet nostræ devotionis, ac reverentiæ interioris. Eo tendimus, ut conspiteamur coram hominibus JESUM CHRISTUM, ut ille nos coram Cælesti Patre suo confiteatur; ubi enim potissimum ostendere debemus nos illius esse famulos, nisi in ea actione, quæ in illius honorem fuit instituta? quando nam testari debemus reverentialem hunc timorem, in quo esse debemus coram Dei Majestate, nisi dum peragitur Sacrificium, quod illi offertur? Cum enim omnis occupatio nostra, tunc temporis esse debeat, adorare Deum, & nobis præstandum sit præcipuum Religionis officium, quod illi debemus, tenemur ædificare Corpus fidelium. Verum si omni tempore, omnibusque in locis debemus Proximo exempla reverentiæ, & Caritatis, hoc potissimum debemus in Ecclesia, dum Sancta celebrantur Mysteria. Tamen quot profanationes, & irreverentiæ ibi quotidie committuntur, dum Sanctum hoc Sacrificium offertur? Illuc accedimus sine cura, quamvis imperet Deus, ut totis artubus contremiscamus, cum pedem in augustas Templorum januas inferimus, ubi Religio, ejusque Mysteria continentur. Adsistimus huic Sacrificio, capite inutilibus negotiis, insanis affectibus, ineptisque nugis oppleto. Quæritur Missa, quæ celerius invenitur, & quæ celerrima creditur. Quasi nos pigeret impendere JESU CHRISTO unicum horæ quadrantem in singulas hebdomadas, reservamus nos ad Missas audiendas, quæ serius celebrantur, ut simul adesse possimus cum iis, quibus eadem est irreligio, & eadem inertia, & quin aliquem foveamus devotionis sensum, illum etiam auferimus, si qui pie adstant, per eas distractiones, quas illis afferimus. *Idem*.

Ejusdem argumenti continuatio.

Cum Altaris Sacrificium sit continuatio Sacrificii Crucis, cujus spiritus, meritum, fructus, se in fideles animas effundunt, digne assistentes illi; Christianus Missæ interesse debet eo modo, quo Dominicæ Passioni interfuisset, cum attentione, & admiratione Mysterii, omniumque ejus circumstantiarum. Tales fuerunt sanctæ illæ Animæ, quæ ad Crucis pedes aderant, cum sensibus amoris, doloris, & gratitudinis, propter adeo triste quidem, sed religiosum spectaculum; quæ compatiebantur doloribus Salvatoris; quæ cum illo sese sacrificabant; quæ extremum spiritum, ejusque verba colligebant, & cum reverentia fluere videbant Sanguinem ejus pretium Salutis suæ, & Redemptionis Mundi totius. Hujusmodi sunt adhuc erga Missam Animæ, quæ ardenti flagrant desiderio, se conjungendi cum J. C. vel per fidei suæ zelum, vel per Sacrificii ipsius Communionem accedentes, ut sint & ipsæ hostiæ viventes J. C. & ad Aram deleant imperfectiones, & labes, quæ JESU CHRISTO displicere possunt, & sacrificent illi quasque affectuum suorum reliquias, & minima

etiam

etiam amoris proprii ſtudia; adorantes illum in Spiritu, & Veritate, & leviſſimas etiam Sacrificii ſui circumſtantias meditantes. Attamen vulgo plerique accedunt ad perfunctoriam quodammodo actionem, cui adſiſtunt ex habitu quodam, vel fortuito, ſine Religione, & ſine Oratione penitus deſtituti ſpiritu pietatis, atque intellectus; ideoque etiam omni conſolatione. *Idem.*

Diſcrimen inter Crucis, & Altaris Sacrificium ratione habita eorum, qui utrumque obtulerunt.

Crucis Sacrificium oblatum quidem fuit per J. C. non tamen ab hominibus, quorum habita ratione, illud terribile fuit Deicidium. Debebant homines præſtare Deo infinitum obſequium, neque ullo pacto id fieri poterat per inauditam crudelitatem, effundendo Sanguinem innocuum. Sed quid inde? Deus poſuit ſe in Altaribus noſtris, ubi ſe immolat quotidie, quin tamen ne ſemel quidem ibi Vitam amittat. Immolatus fuit a Judæis, hæc fuit Occiſio; offertur a fidelibus, hoc eſt Sacrificium: Judæi nequiſſimum ſcelerum omnium patraverunt; nos vero Sanctiſſimum actuum omnium facere poſſumus. Homo nihil enormius facere poterat, quam Deum Crucifigere; homo nihil facere poteſt divinæ Majeſtati gratius, quam Deum Offerre. Communio non eſt quidem inſtauratio, ſed Incarnationis extentio: Miſſa non eſt renovatio, ſed extenſio Crucis: non eſt Sacrificium redintegratum, ſed juge Sacrificium, vel ſi comparaverimus Altare cum Calvario, inveniemus alterum quidem plenum eſſe crudelitate, & ignominia, alterum vero omni horrore, & confuſione deſtitutum; deſtitutum quidem horrore ex parte hominis, confuſione vero ex parte Dei. Nos non ſumus amplius Deicidæ, Sacrificuli ſumus, Deus non eſt amplius in loco patibuli humiliatus; ſed Deus, qui plenus gloriæ in Altaribus noſtris ſemetipſum immolat, quin patiatur, atque eſt in ſtatu mortis, quin moriatur; itaque neceſſarium non eſt, quod in Calvario factum eſt, inſtauretur in Altari ſecundum ſingulas circumſtantias; Sol non laborat amplius Ecclypſi, ſydus hoc quocunque geſtat lumen ſuum; ibi Agnus hic ſine macula offertur: mortui non reſurgunt amplius de monumentis, JESUS CHRISTUS æque pro mortuis, ac pro vivis offertur, Sanguis ſalutis non effunditur amplius, ſed bibitur: Corpus hoc non exuitur amplius veſtibus, ſed induitur ſpeciebus; in Sacramento, non ſumit figuram viri dolorum, ſed illam panis, & alimoniæ. Angeli pacis non effundunt amplius lacrymas amaras, laudum *cantica concinunt; ſummus Sacerdos non ſcindit amplius veſtes ſuas*, Sacerdotes gerunt veſtes dignas charactere ſuo; Judæus non inſultat amplius JESU NAZARENO, Chriſtianus illum adorat. Denique occiſio facta eſt Oblatio; teterrimo ſacrilegio honorabilis actio ſucceſſit, atque nequiſſimum Sacrilegiorum omnium factum eſt omnium Sacrificiorum Sanctiſſimum. *Abbas Boileau tom. 2. ſerm. de Sacrificio Miſſæ.*

Myrabilia, quæ in hoc Myſterio inveniuntur.

Quinam myſticus prodigiorum acervus! in hoc Sacrificio, quod fit in Altaribus noſtris, JESUS CHRISTUS gloriæ ſuæ ſtatum, cum ſtatu ſuæ Mortis conjungit; ſtatum gloriæ ſuæ ad reparandas Calvarii ignominias; ſtatum mortis ſuæ ad *illius merita* applicanda; quamvis ſit *in hoc ſtatu gloriæ, latet tamen*, quamvis ſit in hoc ſtatu Mortis, ibi eſt impaſſibilis. Gloria ejus nos perſtringeret, Mors ejus nobis terrorem incuteret; utrumque requirit temperamentum: in Altaribus noſtris eſt eo modo, quo in Cælo, & quo erat in Cruce; ibi eſt tamquam in Cælo, ſed ſine fulgore; ibi eſt, tamquam in Cruce, ſed ſine dolore: in Cælo eſt tamquam Sacerdos, in Cruce tamquam Victima, & in Altari modo utroque. *Idem.*

Non reverentia tantum, ſed etiam attentio ad hoc Sacrificium afferenda.

Si concepiſtis ſublimem ideam ejus rei, quæ ſit in Sacrificio Miſſæ, hæc idea, & cognitio vobis inſpirare debet non ſolum majorem venerationem, ſed etiam aſſiduitatem, collectionem, attentionem ad ea, quæ ibi fiunt; attamen adſiſtimus ne cum his diſpoſitionibus? An e contra? quamtumvis brevis ſit Miſſa, nonne tædio ejuſdem efficimur? quamvis illa mereatur piam attentionem, & magnam ſpiritus præſentiam, nonne ultro mente evagamur? De negotiis noſtris curam gerere, faſtidire, oculis, & cordi multo magis errandi facultatem permittere, in varia, quæ ſeſe offerunt objecta; fere ſemper ſtare per immodeſtiam, nonnunquam genua flectere per urbanitatem; preces aliquas blatterare, quin ulla habeatur Sacris Myſteriis attentio; Hoccine eſt Miſſam audire? *Idem.*

Nihil acceptius fieri poteſt Deo quam Sacrificio Miſſæ intereſſe.

Optandum eſſet, ut quicunque ſe Dei eſſe profitentur, hanc haberent in animo cogitationem, ſe quid quid agant, nihil acturos, quod ſibi utilius, & Deo jucundius eſſe poſſit, quam pie, ac devote auguſto huic intereſſe Sacrificio. Et potiſſimum optandum eſſe, ut tantam habeant attentionem, & ſpiritus præſentiam inſigni huic actioni, quantam pro ſexcentis aliis rebus habent, immo optandum eſſet etiam, ut terribilibus adſiſtentes Myſteriis, arbitrarentur ſaltem a ſe aliquid ſerium agi. O bone Deus! Ubi ſumus, cum ad id redacti ſimus, ut talia vota nuncupemus! Vos Chriſtiani immodeſti, & ſcandalis pleni, qui per ſummam indignitatem tractatis quidquid nobis eſt Sanctiſſimum, auguſtiſſimum, & maxime formidandum,

nos impellitis, ut iſta deſideremus. Si nihil majorem Deo tribuit honorem, quam Eccleſiæ Sacrificium; dicere poſſumus propter impietates, quæ illic patrantur, nihil eſſe, quod majori cum ſcandalo illud dedecore afficiat: ſi nihil eſt, quo melius probetur Veritas Religionis noſtræ, quam Miſſæ Sacrificio; nihil eſt propter modicam pietatem, quæ ibi adhibetur, quod melius oſtendat, nullum obſequium adhiberi. Qui videt, dum hoc adorabile Sacrificium peragitur, alios ſtantes, alios ſedentes, alios in ſeſe viciſſim oculos conjicientes, alios obloquentes; diceretne illum cœtum eſſe fidelium confluentium, ut Deum ſuum venerentur? *Idem.*

Quænam eſſe debeat Sanctitas Sacerdotum divinum hoc Sacrificium offerentium.

Quemadmodum divinum hoc Sacrificium vocatur Opus Dei, Miniſtri Domini debent proculdubio operam navare, ut ſuo perfungantur miniſterio cum omni pietate, devotione, ac ſenſibus, qui talem decent actionem, non ſolum pro ædificatione Proximi, & exemplo, quod Populis præbere tenentur; verum etiam, quia obtinent locum Filii Dei, a quo receperunt facultatem illud ipſum faciendi, quod ipſe; videlicet ponendi Corpus, & Sanguinem ejus ſub ſpeciebus Panis, & Vini. Ah! contremiſcite JESU CHRISTI Sacerdotes, Miniſtri voluntatum ejus, Succeſſores Sacerdotii illius, Sacrificatores Corporis, & Sanguinis ſui; contremiſcite, ſi quemadmodum illum repræſentatis in Miniſterii ſui auctoritate, nequaquam imitamini ejus Sanctitatem actionibus, verbis, moribus veſtris, præſertim vero pietate, cum qua vobis celebrandum *eſt divinum hoc miniſterium*; quandoquidem Dominus ſeipſum conſtituit in moribus veſtris, & vos ſtatuit ſequeſtres Miſericordiarum ſuarum, & Sacerdotii ſui diſpenſatores: *Deſumptum ex parte ex ſerm. de Miſſ. Domini Flechier.*

Quam grave noxæ ſint irreverentiæ, & alia peccataque committuntur dum hoc peragitur Sacrificium.

Quod ſpectat ad alios fideles, qui tamquam Miniſtri huic aſſiſtunt Sacrificio, non habebitur tamquam dictum hyperbolice, ſi dixero tot crimina, quæ in illo committuntur, habenda eſſe, tamquam totidem profanationes; colloquium, quod propter durationem ejus nullo in diſcrimine habetur, continere *duo gravia peccata*, alterum quidem *peculiare*, & *omiſſionis*, per ſanctos, feſtoſque *dies, quibus auditio Miſſæ imperata eſt; alterum commune*, & irreverentiæ, vel *commiſſionis*, quocunque die celebretur. Illum nequaquam Eccleſiaſtico ſatisfacere præcepto, qui ſibimet non invigilans, neque ſeſe colligere laborans in hac præcipua Chriſtianiſmi Operatione, ſinit animum ſuum evagari. Hinc ſecurus non errandi has illationes elicio; ſequor enim probatiores, doctioreſque theologos. Quis crederet, Chriſtiani; per vos mihi liceat, ut aliis neglectis potiſſimum perſequar malum, quod Ezechiel Propheta plorabat, & cujus ille hipotypoſim proponit conformem iis, quæ quotidie ferme apud nos ſolent accidere: Quis crederet, niſi tot experimentis edocti fuiſſemus? fidelem a Deo electum, ut offerat Sacrificium *prorſus divinum, & adorabile*, intueri *Sacrificium tamquam occaſionem ſuæ impudicitiæ favorabilem, & in Templum aſcendere, ut illic ſuæ cupiditatis* inveniat objectum, ut videat, & videatur, ut illi deſerviat, & noxiis illecebris ſuum profiteatur amorem, & ut ſe tradat obſcœnis voluptatibus cordis corrupti? non ſine dolore loquor, & palam facio ſæculi noſtri dedecus, & impietatem. Non hodie tantum SS. Patres hæc dixere; S. Hieronymus, & Sanctus Chryſoſtomus *nequaquam mitius* loquebantur, cum aſſerebant, *innocentiam*, ac pudicitiam majora ſubiiſſe in *ſanctis locis pericula*, quam in publicis plateis, & aliquando mundanæ Mulieri æque periculoſum fuiſſe in Templis ſancto intereſſe Sacrificio, quam in Mundi cœtibus, atque conventibus impudice verſari. *Pater Bourdalove tomo 2. ſermon. Quadrageſimæ ſermon. de Miſſa Sacrificio.*

Cum divino adſiſtimus Sacrificio, eſſe debemus in ſtatu noſmet JESU CHRISTO immolandi. Audite Sanctum Auguſtinum hoc probantem. Cum JESUS CHRISTUS, & Eccleſia, inquit ille, unum duntaxat Corpus efficiant, fieri nequit, ut alter ſine altero immoletur, quandoquidem hic Homo-Deus eſt caput omnium fidelium, & *fideles* omnes cum illo conjuncti ſint, tamquam membra. Opus eſt, ut ſimulac pro illis ſacrificatur, ipſi pariter cum illo ſacrificentur, & admirabili viciſſitudine Mundi Salvator offerat Deo Eccleſiam univerſam in perſona ſua vi ejus actionis, ubi ille ipſe offertur Deo pro Eccleſia univerſa: *cum autem ſit CHRISTUS Eccleſiæ caput, & Eccleſia CHRISTI Corpus; tam ipſa per ipſum, quam ipſe per ipſam debet offerri.* Divina Theologia, ex qua ſequitur, nobis igitur accedendum eſſe ad Dei noſtri Sacrificium, cum generoſo ſenſu S. Thomæ Apoſtoli, videlicet, ut ſpiritualiter, cum JESU CHRISTO moriamur: *eamus & nos, & moriamur cum illo.* At Chriſtianus ita ne animo videtur affectus? *Idem.* Joann. 2.

Quomodo Filius immolatus fuerit, & in quo ſenſu.

Salvator idem, qui ſemet offert in Cruce, offert etiam ſe in ſingula fere momenta in aliquo Mundi

hujus loco. Pater illius ubique sibi complacet in hac Victima, & quemadmodum ibi nil effunditur Sanguinis, ibi non alia admitterentur crimina, quæ possent imminuere gaudium, quo inde afficitur, & gloriam, quæ illi cedit; ita dicere possumus, JESUM CHRISTUM semper fuisse immolatum, vel in figura, vel in persona, & si Sacrificia Abel suavissimum afflabant odorem coram Deo, hoc fuisse, quod Deus videbat, & in Sacrificante, & in Victima Imaginem dilecti Filii sui. *Pater Vaubert in libr. cui titul. Devotio erga Dominum nostrum in Eucharistia.*

Quanam cum reverentia Judæi observabāt cæremonias suas, & suis adstabant Sacrificiis.

Videte, qua cum reverentia volebat Deus, ut Judæi ingrederentur in sanctuarium suum, illic oblaturi Sacrificia sua, & Sanguinem animalium, quæ immolabant. Videte qua cura ipse eos disponebat; quot præcepta, quot cæremonias, quot praxes, quot expiationes illis præscribebat? Vix integri Scripturarum libri sufficerunt, ut illis regulas proponeret, & hac in re iisdem sua jussa significaret; sed simul admiramini constantiam, & intemerabilem hujus Populi fidelitatem, qui alioquin erat adeo indocilis, & rudis in munere hoc obeundo: ut in urgentissimis necessitatibus, in ipsis bellorum impedimentis, in ipsa ejusdem Jerosolymæ obsidione, nihil unquam obfuerit cultui exteriori, neque festorum dierum suorum solemnitati, neque illi defecerint unquam in Sacrificiis, quæ illis erant imperata; eo usque dicebat vetus quidam auctor Apostolis suppar, Romani exercitus Imperator obstupuerit, & licet Ethnicus, & inimicus, non renuerit elogiis celebrare eorum zelum, atque Religionem. *Stupebat Pompejus acres Virorum animos, a quibus in medio furore belli Sacrorum reverentia nihil defuit.* Talis erat nationis hujus character, Mundi Salvator cetera illis exprobrat vitia, sed nunquam illos redarguit impietatis in Sacrificiis, quibus litabant Deo. Tamen in Sollemnissimis eorum Sacrificiis, quid aliud habebant, nisi umbras tantum, & novæ legis figuras? Hoc satis erat, ut illis sanctum horrorem incuteret, quotiescunque immolationi earum Victimarum aderant, quæ, licet abjectæ & humiles, repræsentabant illis Victimam hanc puram, & pretiosam, divinam hanc hostiam, quæ pro illis, & pro nobis erat immolanda. Quid autem fecissent, si in Sacrificiis illis Veritatem, quam nos habemus, habuissent? quid porro nobis esset faciendum? *Idem.*

Hegesyppus.

Quænam attentio a Sacerdote in hoc Sacrificio adhibenda.

Si verum est, Sacerdotem, qui Sacrificat, unum esse cum J. C. Sacerdotem, & non exercere Sacerdotium suum in Sacrificio Missæ, nisi in ipsius JESU CHRISTI persona; nonne liquet, illum offerre debere in Spiritu JESU CHRISTI, & secundum dispositiones illius? debet offerre, ut ille, in Spiritu Sacrificii, in Crucis amore, & in dispositione semetipsum sacrificandi, & moriendi pro Deo; quandoquidem in his dispositionibus, & hoc Spiritu JESUS instituit hoc Corporis, & Sanguinis sui Sacrificium, *Illa Patri suo obtulit*, eaque dedit Apostolis suis, cum prope erat, ut sese traderet tortoribus, & jam jam moriturus esset in Cruce. *Dispositio hæc non est* Opus quadrantis horæ unius, neque, si vultis, unius horæ, quæ impendi possit ad præparationem celebrandi Missæ Sacrificii. Hic nonnisi gratiæ, & laboris plurimorum annorum esse potest, qui insumpti fuerint in mortificandis affectibus, sensibusque suis, in cohibendis omnibus motibus cupiditatum, & crucifigenda Carne cum suis concupiscentiis, ut esse possimus conformes JESU CHRISTO, tamquam Victimæ, antequam illi, tamquam Sacerdotes consociemur. Sicuti enim J. C. ingressus non est in omnia jura, & munera æterni Sacerdotii sui, in Cælestе Sanctuarium, nisi postquam in Cruce fuit Victima; simili ratione, qui destinati sunt participes futuri, potentiæ, & magnitudinis sui Sacerdotii, atque oblaturi terribile Sacrificium Corporis sui, debent laborasse, & adhuc laborare quotidie, ut crucifigant, & in semetipsis interimant Veterem hominem: verbo, ut sint Sacerdotes cum J. C. debent esse Victima cum illo. *Pater Condren. in lib. qui inscribitur Idea Sacrificii.*

Quanto honore afficiatur Deus hoc Sacrificio, & quanto dedecore per irreverentias quæ committuntur ab iis, qui Sacrificio interfunt.

Deus in una Missa, majori afficitur honore, quam affici posset per omnes Angelorum, hominumque actiones, quantumlibet ferventes illæ sint, & heroicæ. Sed quis ad Missam accedit animo tantum hunc honorem deferendi? Quis libenter cogitat de gloria, quam recipit Deus ex hoc Sacrificio? quis gratias agit J. C. eo quod cetera abrogans Sacrificia, nobis reliquerit hostiam, in qua Deus sibimet non complacere non possit? hostiam parem beneficiis, quæ ab eodem accepimus, & illis, quæ petituri sumus; hostiam parem delendis omnibus omnium hominum peccatis? Utique, Deus meus! cum oro, cum jejuno, cum eleemosynam facio, fortasse mecum tacitus reputo; fortasse majus infero dedecus Deo pravis intentionibus, & circumstantiis actionis meæ, quam honorem illi tribuam actione mea; sed, cum Missam celebro, vel audio, cum, quatenus Minister, vel Ecclesiæ membrum, offero adorabile Sacrificium, tunc, Deus meus, spe, ac fiducia plenus, Cælum universum provocare possum, utrum efficere valeat aliquid, quod tibi placeat magis. Sed heu! quanti facimus divinum hoc Sacrificium? qua mente ad illud accedimus? quid facimus, cum eidem assistimus? huc accediis per consuetudinem, per humanam rationem, & utinam accessus hujus vestri causa, non sit deterior, &c. *Pater de la Colombiere, in Christianis considerationibus.*

Missum est, præcipiendū fuisse, ut Missa audiretur.

Explicito opus fuit imperio, ut fideles adesse cogerentur Sacrificio Missæ, quasi fructus, quos inde percipimus, non haberent satis illecebrarum ad nos permovendos: sed fructus isti inæstimabiles ignorantur, & hæc ignorantia in Christianismo, est maxime deplorabilis. Quæ calamitas! nobis esse immensum, atque inexhaustum thesaurum, &, quia non cognoscimus illum, nos in summa egestate versari; in nostra potestate positum esse præsentissimum contra morbos omnes remedium, arborem Vitæ, quæ non solum bonam valetudinem, sed eamdem conferre potest immortalitatem, & nos nihilominus infirmitatibus obrui, & languescere? Missa pharmacum est universale, est arbor vitæ, est locuples thesaurus; attinet ad nostrum singulos, nostrum duntaxat est modo facillimo locupletari: Tamen dolore conficior videns neminem inde proficere velle. Ingens Missarum numerus, qui in omnibus celebratur Ecclesiis, causa videtur esse, propter quam Mysterium hoc eo non habetur in pretio, in quo esset habendum, & ita Dei nostri liberalitas, quin augeat gratitudinem nostram, prorsus oppositum agat, & nos ingratos efficiat. *Idem.*

Missæ Sacrificii applicat nobis satisfactionem, quam Dei Filius dedit pro nobis in Cruce.

Cum Salvator in Cruce mortuus est pro sceleribus nostris, satisfecit, sed hæc satisfactio tunc non omnem pro nobis obtinuit effectum; quoniam nondum eramus in Mundo. Hæc diebus singulis applicatur nobis per instaurationem Mortis ejusdem, quæ fit in Altari; cum adsistitis incruento huic Sacrificio, pro vobis fit id, quod in Calvario tunc factum est pro illis, qui ibi aderant; dummodo uti velitis hoc beneficio. Si adfuissetis, cum hic Homo-Deus pro nobis immolabatur in Cruce, nunquid negata vobis fuisset criminum vestrorum venia? hic quoad effectum res est eadem; sed habetur ne hæc intentio? accedimus ne tamquam nocentes, in statu pœnitentiæ, quemadmodum illic repertus est JESUS CHRISTUS? Si hoc spiritu, hac mente accederemus; id nobis esset utilius omnibus pœnitentiis. Modico sumptu expiaremus peccata nostra, & credere possum nullum pro nobis futurum fuisse Purgatorium. Sed heu! quam vereor e contra, ne ea ratio, qua nosmet gerimus, diutioris, ac severioris Purgatorii occasio sit futura. *Idem.*

Fructus, quos ab hoc adorabili Sacrificio percipimus.

Fructus, quos ex Missæ Sacrificio recipimus ita sunt admirabiles, & numero carentes, ut arduum sit dictis assequi eorum præstantiam, eosque accurate recensere. Cælum, terra, Deus, & Angeli, Christiani, & infideles, Sancti, qui æterna gaudent beatitudine, & Animæ, quæ extremam expiationis suæ perfectionem quærere conantur; omnis Orbis terrarum, ut verbo dicam, hujus beneficii particeps est: ideoque, secundum Patris cujusdam sententiam: *Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat Sanctissimam Trinitatem laude, & gloria; Angelos lætitia, peccatores venia, Justos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Spirituali CHRISTI beneficio, & seipsum medicinæ remedio.* Pater Vaubert in lib. cui titul. Devotio ad Dominum JESUM CHRISTUM in Eucharistia cap. 7.

Venet. Beda.

Quinam sint sensus & motus cordis nostri, dū magna peraguntur Mysteria.

Considerate quid accidat in augusta hac actione, & quid agatis in illa. Dei Filius offert hoc Sacrificium, ut mulceat Patris iracundiam; Sanguis hujus Victimæ defluit ad Sanctificationem universorum. Cælum panditur, & terra locupletatur, admirantur Angeli; ignis divini Amoris erumpit ex Altari, ut migret in Cor vestrum; & Victima, quæ pro vobis flamma Caritatis absumitur, exigit, ut obsequamini virtuti zeli sui per fervorem suæ devotionis; Sacerdos, qui offert Sacrificium Ecclesiæ nomine preces fundit pro salute vestra, & omnia vobis pietatem inspirant. Pretiosis hisce momentis, quæ mysticis cæremoniis consecrantur, quinam sunt motus spiritus vestri, affectus vestri cordis, & Corporis vestri positura? *Auctor recens.*

Amor Salvatoris erga nos, cogit illum innovare in Altari Sacrificium semel tantum oblatum in Calvario.

Dei Filius semel tantum in Cruce sacrificatus fuit, pro humanorum peccatorum expiatione, & hoc Sacrificium non instauratur; cum enim divinæ Justitiæ omnino Mors ejus satisfecerit, non fuit necesse, ut moreretur ulterius; sed in Altari Amor suus cogit illum, ut instauret quotidie oblationem suam, & reddat Deo Patri suo illud, quod eumdem decet, obsequium: cumque obsequium hoc semper illi debeatur, & jugis sit ejusdem obligatio, necesse est, ut se quotidie Sacrificet perennaturus honorem divinæ debitum Majestati. Igitur possumus perfecte honorare Deum, offerendo illi proprii filii sui Sacrificium. *Ex specimine sermonum.*

Crucis

In Christianismo, non aliam habemus Victimam, nisi quam offerimus in Altari.

Crucis Sacrificium pro nobis factum est, non autem per nos. Nos non fuimus Ministri, vel Sacerdotes, vel Spectatores illius; in Religione vera nos vere debemus adorare Deum; debemus immolare Victimam veram, & in illa veri Sacerdotii officiis defungi. Per actionem nostram debet adorari Deus, & recipere infinitum honorem, qui ad illum pertinet. Date igitur mihi aliam Victimam præter J. C. aliam hostiam, quæ sit digna Deo, quæ illi æqualis sit natura, & præstantia, & quæ per qualitatem suam, possit infinite honorare illum, & persolvere humani Generis debita erga ejus Misericordiam, atque Justitiam. Neminem proculdubio, præter unum illum invenietis; & quoniam ipse est unica Victima, date mihi modum, illam quotidie immolandi, & eam Vivam in omnem æternitatem relinquendi, quamvis vere Sacrificetur ferme in singulas horas; videlicet date mihi modum efficiendi, ut per actionem nostram mutet statum, quantum oportet, ut effective, & perfecte immoletur, & nihilominus donec ineffabilem hanc mutationem operamur, integra, & viva esse perseveret, quin moriatur, & quin aliquid patiatur, & post hæc omnia inveniamus illam in manibus nostris æque viventem, & beatam, qualis erat antequam a nobis sacrificaretur: Hoc illud est, quod fecit JESUS CHRISTUS in Sanctæ Eucharistiæ institutione, per miraculum, quod Angeli admirantur, & omnes obstupescunt. *Ex lib. cui titul. Theologus in Conversationibus cum viris eruditis.*

Per hoc Sacrificium tantùm Deo reddimus, quàntum ab illo accepimus. Joann. 3.

Possumus ne jure dicere, nobis Victimam hanc offerentibus, magnum esse gloriandi argumentum, & ostentandi nos erga Deum tam gratos esse, quam ille erga nos liberalis est, & misericors? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Bone Deus! me eo usque dilexisti, ut dares mihi Filium tuum; ego vero te eo usque diligo, ut dem tibi hunc Filium eumdem: & sicuti satis non fuit tibi pro me Cælum terramque creare, similiter, mihi satis non est offerre tibi Cælum, & terram, & Mundum Universum. In infinitum usque procedo, & eumdem amoris actum, quem erga me exercuisti in Calvario, dans mihi Unigenitum tuum, hunc exerceo erga te offerens tibi Filium eumdem. Tu mihi dedisti illum, tamquam pretium Redemptionis meæ, ego illum tibi reddo amictum gloria, tamquam objectum, *in quo* complaces tibi. *Idem.*

Dei Filius in hoc Sacrificio offert Patri quod accepit a nobis; & quam accepta sit illi hæc oblatio.

Quid offerre poterat homo in peccato conceptus, cujus corrupta erat natura, & mores incompositi, ut sua expiaret delicta? quid habebat ille dignum gratia, quod reddere deberet acceptum Deo Sacrificium suum? seipsum offerre? timendum erat, ne hæc Oblatio repelleretur. Quanam Oblatione obtinere poterat hanc puritatem? Nunquid taurorum, & hircorum Sanguine? hæ Victimæ mortales, atque serviles satis aptæ non erant ad flectendam Dei Justitiam, & merendam hominis Vitam, & libertatem ejus procurandam. Sacerdos hic adeo sanctus, nihil igitur invenit in hominibus, quod offerre possent pro salute sua, quæ res impulit illum *ipsum*, ut offerret se, tamquam Victimam purissimam, & hostiam immaculatam. Felix Victima! Victima Vera, quæ per immolationem suam Cælum aperuit, nobisque æternam promeruit beatitatem! Victima adorabilis, quam Spiritus Sanctus in Virginis utero finxit, & cujus Sacrificium incœpit, & desiit cum Vita sua, & adhuc in Altaribus nostris perseverat: *Felix Victima, Vera Victima, Hostia immaculata*, Sanctus Augustinus ait; Amabilis JESU, obtulisti id, quod tibi dederamus, offers etiam, quod a nobis acceperas per optionem Voluntatis tuæ, qua obtulisti Carnem tuam, quam accepisti de Mariæ sinu, & per plenitudinem Spiritus tui sanctificasti: Victima purissima, quæ immolata in Altaribus nostris allicis Oculos Patris tui, qui ad aspectum hujus Sacrificii misertus est mortalium.

Augustin. in Psal. 149.

Continuatio ejusdem argumenti.

Synodus Ephesina non longe abest ab hac Sententia. JESUS CHRISTUS, ait, fungitur munere Sacerdotii sui modo prorsus peculiari: Sacerdotes alii utuntur subjecto alieno, ut suum offerant Sacrificium; illud semper differt ab eorum persona; sed JESUS CHRISTUS est ipse Agnus Dei, hostia divini amoris igne succensa, & spirituale holocaustum, quod offert in gloriam Patris sui: *sed ipse est Agnus, sed ipse est flagrantissima Hostia, & spirituale Holocaustum.* Atque ut esset Victima Sacrificii sui, fœdus iniit illius, quod erat, idest, personæ, & divinæ naturæ suæ, cum eo, quod accepit a nobis; consociavit Dei potentiam cum hominis infirmitate, & Carnem nostram, quæ peccati speciem gerebat, cum sanctitate sua, ut tribueret actionibus Vitæ suæ, & Mortis suæ Sacrificio, meritum infinitum quod applicat hominibus singulis in Altaris sui Sacrificio. *Pater de Massior Benedictinus in tractat. de J. C. Sacerdotio, & Sacrificio.*

Homines ostentant ea, quæ sibi cedunt in honorem; JESUS

Si Dei Filius suis præcepisset Apostolis, ut semper memoria recolerent insignia facta, quibus stuporem attulerat universo Mundo, oculorum aciem cæcis, bonam valetudinem illis, qui desperatæ erant salutis, reddendo, & in Vitam mortuos revocando; si imperavisset illis, ut nunquam oblivisserentur glorioſæ Resurrectionis, ac triumphalis in Cælum Ascensionis suæ, si imitatus fuisset sensus, & vivendi rationem mortalium, esto, sed discipulos suos cogere, ut oblivioni tradant eximia vitæ suæ facta, ut recordentur duntaxat opprobriorum Mortis suæ; hoc est agere, ut decet JESUM CHRISTUM. Spiritus hominis suadet, ut sui quærant oblivionem, ex quo laudem sibi comparare non possunt, nec minus curat abscondere id, quod ipsos in contemptum potest adducere, quam adniti, ut eluceſcat id, quod aliquam illis potest existimationis speciem acquirere. Hi autem non sunt sensus Salvatoris; præcipit Discipulis, ut incessanter recolant opprobrium, quo in Cruce affectus est; vult, ut ejusdem publicum aliquod supersit monumentum, ut Mortis suæ humiliationes acquirant immortalitatem, & hac de causa instituit augustum Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum, tamquam repræsentationem, vel potius æternam instaurationem magni Sacrificii, quod consummavit in Cruce: *quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem biberis, Mortem Domini annunciabitis.* Omnes igitur fideles respicere debent Altare, tamquam alterum Calvarium, ubi secundo JESUS CHRISTUS se offert pro salute nostra; sed nobismet caveamus; si enim ille pro nobis seipsum sacrificat, vult etiam, ut nosmet pro illo, & cum illo sacrificemus, quod *ipse* Mortem suam vocat annuntiare. Ita J. C. in Altari, nostra est Victima, & *nos* in Altari Victimæ sumus J. C. *Ex specimine Jerm. tom. 3.*

autem suas humiliationes.

1. Cor. c. 11.

Deus unus esse potest Victima Deo digna, quæ respondeat magnitudini majestatis, & justitiæ suæ.

Constat Deum unum esse posse Victimam Deo dignam; nam unus Deus offerre potest Sacrificium, quod respondeat Magnitudini, ac Majestati Dei, & infinitis juribus Justitiæ ejusdem. Quapropter divinum Verbum videns necessitatem, in qua homines erant offerendi Deo Sacrificia ipso digna, factus est Homo, ut semetipsum posset sacrificare, & offerre tamquam Hostiam pro illorum Salute. Hoc ille præstitit in Calvario; sed quemadmodum *Cruentum* hoc Sacrificium, nonnisi semel *potuit adimpleri*, producendum fuit, *ita ut in æternum vigeret*, ne JESU *CHRISTI Religio careret unquam Sacrificiis*, secundum *Oraculum*, *quod asserit Redemptionis Sacrificium futurum Æternum: Tu es Sacerdos in Æternum.* Opus fuit, inquam, ut Cruentum hoc Sacrificium instauraretur per jugem commemorationem, & repræsentationem illius, quod in Cruce peractum est, & hoc illud est, quod præstitit JESUS CHRISTUS, per Sacrificium Incruentum, quod in suæ Mortis instituit pervigilio. Ibi perennat primum Corporis, & Sanguinis sui Sacrificium, quæ in Calvario immolata fuerunt, quamobrem SS. PP. adorabilem Eucharistiam *exemplar Passionis CHRISTI* appellarunt. *Ibidem.*

Psalm. 109.

S. Gaud. tract. 2. in Exod.

Sacrificantes JESUM, vel Sacrificio adstantes nosmet Sacrificare debemus.

Vosmet sponte offerre debetis *quotidie in Missæ Sacrificio*, tamquam *puram*, & *sanctam* Oblationem in *penetralibus Cordis vestri*, *omnibus viribus vestris*, & *omni meliori* modo, quo per vos fieri potest; quemadmodum ultro memet obtuli Deo Patri meo, pro criminibus vestris, brachiis in Cruce extentis, prorsus nudum ita ut nihil mihi ulterius esset reliquum ad iracundiam illius flectendam. Nihil mutare potest eam sententiam, quam protuli: *qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Si vis ergo meus esse discipulus, fac mihi Sacrificium tui metipsius, rerumque omnium, *quibus* adhæres. Quandoquidem qui se tibi sacrificat, Domine, hac fruitur prærogativa, ut inter Discipulos tuos recenseatur; ego offero me tibi in simplicitate Cordis mei; recipe Oblationem, quam tibi facio, mei ipsius, cum illa Sacrati Corporis tui, quod, hodierna die, offero tibi, pro salute mea, & pro salute Populi coram Angelis, qui invisibili modo divino huic adstant Mysterio. Nulla hac dignior oblatio, nulla hac aptior, ut satisfaciat pro peccatis, eaque deleat, quam offerre meipsum cum Sacro tuo Corpore; Intelligo enim præcipue in hujus adorabilis Sacrificii circumstantiis, te, per temetipsum jurare, nolle te Mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, quia Sanguis Agni illa prorsus deleverit. *Auctor Imitationis JESU CHRISTI.*

Luc. 4.

Cur Christiani solum polluant sua Templa, & suum Sacrificium, quod Ethnici non faciunt.

Nonne *mirum* est, Christiani, quemadmodum Picus Mirandulanus Vir eruditissimus animadvertit, ex tot Religionibus, quæ late sese effuderunt in Orbem terrarum, & quæ satis diu dominatæ sunt, unam esse Religionem J.C. cujus Templa, Altaria, & Sacrificia a propriis subditis polluta fuerunt? Romani quidem visi sunt Jerosolymæ Templum violare, visi sunt Christifideles, Ethnicæ superstitionis Idola confringere, sed visi ne unquam sunt Gentiles Deos suos conterere, & contaminare Sacrificia, quæ ab ipsis offerebantur? Cur hoc discrimen? en quænam sit discriminis Causa: quia Salutis nostræ inimici non tentant paganos, neque illos Sacrificiis suis intentos perturbant. Hæc enim sunt fallacia Sacrificia, & dæmoni ipsi cedit thus, quod in iis adoletur;

e contra vero omnes vires, ac nervos contendit, ut avertat nos ab Altarium nostrorum Sacrificio, ut auferat fructum a nobis, quia hoc verum est Sacrificium, Sacrificium magnum, Sacrificium æque glorioſum Deo, & nobis ſalutare. *P. Bourdalove in ſermonibus pro Quadrageſima tom. 2. de Miſſæ Sacrificio.*

Quid ſit adſiſtere Sacrificio Miſſæ, & quibus ſenſibus illi adſiſtere debeamus.

Cum accedo ad Sacrificium, quod ab Eccleſia celebratur, accedo ad Dominicæ Mortis Sacrificium; illud ipſum, quod in Calvario oblatum fuit, illud quod JESUS CHRISTUS conſummavit in Cruce, illud, in quo, ut Apoſtoli verbis utar, voluit hic Homo-Deus deſtrui, & annihilari. Hæc non eſt Hypotheſis quædam, eſt articulus fidei; interſum Sacrificio, in quo realiter, & ſine figura Victima eſt Deus idem, cui ſervio, & quem colo: ideoque inferendum mihi eſt, ſi per reverentias, & adorationes meas, non atcollo, quantum per me fieri poteſt, humiliationes Salvatoris mei, ſi adjicio humiliationibus Crucis, quæ iſtic innovantur, illas etiam, quæ ab irreverentia, ſcandaliſque meis proficiſcuntur; ſi illum in Altari conſiderans, cor meum non conteritur, quemadmodum lapides ſciſſi ſunt eo momento, quo efflavit Animam; ſi hæc moriens Victima non ciet in Anima mea æque acrem, & religioſam Contritionem, ſimilem dolori Centurionis, & Judæorum, qui, eo morienre, converſi ſunt; ſi graviſſimis contumeliis adhuc illi Animam agenti inſulto, non ſecus ac milites, & carnifices, qui crucifixerunt illum; nonne dignus ſum, qui ſeveriſſimis ejuſdem ultionibus afficiar? *Idem.*

Quinam ſenſus noſtri eſſe debeant, dum hoc offertur Sacrificium.

En Verba graviſſima, & urgentiſſima, quibus utitur S. Joannes Jeroſolymitanus; excitaturus nos ad ea conſideranda, quæ in hoc adorabili accidunt Sacrificio, donec adſiſtimus illi. *Pro te, Menſa Myſteriis extructa eſt: Pro te Agnus immolatur: pro te angitur Sacerdos.* Hinc conjice quinam ſenſus occupare te debeant in hoc piaculari Sacrificio: ſunt ne ſenſus peccatoris contriti, & peccatoris confitentis? peccatoris contriti, nam per hanc cordis contritionem adimplere debemus ea, quæ deſunt Sacrificio JESU CHRISTI, ſecundum S. Pauli verba; peccatoris confitentis, ubi reminiſcitur, & intuetur infinitas Miſericordias Dei, qui, quamvis læſus eſt, & quamvis judex eſt, ſeipſum facit Redemptionem noſtram, & pignus Salutis noſtræ. *Idem.*

Contra eos, qui ſuis immodeſtiis, & criminibus hoc dedecorant Sacrificium.

Cum dicimus, Sacrificium Miſſæ eſſe inſtaurationem Mortis Filii Dei, & quodammodo conſummationem Operis Salutis noſtræ, unum mihi reliquum eſt argumentum, quod proponam illis, qui per impietatem ſuam, loco Sacrificii propitiatorii, in ſe juſtam Domini ultionem convertunt: vel creditis ea, quæ nos docet fides, de Religionis noſtræ Sacrificio, vel minime creditis; quamcunque partem amplectamini, inexcuſabiles eſtis. Si enim creditis, hoc Sacrificium offerri Vero Deo, & ubi Deus Verus ipſe offertur; arguo, vos igitur quodammodo nequiores eſſe Judæis ipſis, *nocentiores tot hæreticis*, quos propter ſacrilegas eorum profanationes execramini. Verum eſt; Judæi, ut loquitur S. Paulus, *Dominum gloriæ* Crucifixerunt; ſed illum non noverant, & ſi illum cognoviſſent, profecto parricidas manus in illum minime intuliſſent. Verum eſt, hæretici ignem ferrumque intulerunt in Templa, ut everterent illa; Aras illius polluerunt, confregerunt tabernacula, illum ipſum pedibus conculcaverunt, ſed in hoc ipſo agebant illi, *ſecundum errorem ſuum*; cum, per contradictionem *minime ferendam*, vos fideles ſimul, & infideles, *polluitis*, quod adoratis. Sin autem vobis deeſt fides, ſi creditis JESUM CHRISTUM non adeſſe in eo, quod ſuum Sacrificium appellamus, cur ergo adeſtis? cur vobiſmet eam legem irrogatis, quæ, ſecundum conceptus veſtros, pro vobis non eſt ultra lex? *Idem.*

In ea neceſſitate quam habebant homines Sacrificii, Filius Dei voluit eſſe illius Victima. Ep. contra Paulum Samoſatenum.

Adverſus Judæos Hæbr. 10.

Verbum divinum videns neceſſitatem, in qua erant omnes habendi Sacrificium, cui nulla Victima ſupplere poſſet, factus eſt homo. Quatenus Deus non poterat eſſe, nec Sacerdos, nec Victima; egreſſus eſt ergo de Sinu Patris ſui, ut duplex hoc repleret munus, & noſtra indutus humanitate, accepit ornamenta ſui Sacerdotii: *in ipſa Rex gloriæ factus eſt Pontifex*, inquit S. Dionyſius Alexandrinus, & Tertullianus addit, illum ab ipſo Incarnationis ſuæ momento, uſque ad extremum Vitæ ſuæ diem, factum fuiſſe Victimam noſtrorum peccatorum: *uſque ad Paſſionem effectus eſt hoſtia*. Ita S. Paulus illum nobis repræſentat ingredientem in Mundum, tamquam in Templum, offerentem ſe Majeſtati, & Juſtitiæ Patris ſui, cum iis Verbis, quæ dixerat in nomine ejus Propheta: *ideo ingrediens in Mundum, dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti, Corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio*. Formaſti mihi Corpus aptum, ut eſſem hoſtia; ecce me, ut hoc munere perfungar. JESUS CHRISTUS nonne fecit hanc immolationem in tribus Altaribus, ubi repetit eadem verba; primum quidem in Matris ſuæ ſinu; *ingrediens in Mundum*: ſecundo in Manibus ſuis; tertio in Calvario. Altare igitur myſticum eſt Calvarium, in quo JESUS producit Vitam ſuam Sacrificatam, & exigit a nobis idem Sacrificium. Hæc eſt Evangelii noſtri diſciplina. Vivit, & moritur pro nobis tempore Sacrificii Miſſæ, vivamus nos etiam, atque moriamur hoc ipſo temporis ſpatio. *Qui manducat me, vivet propter me*. Biroat in ſerm. 3. Octavæ SS. Sacramenti.

Auctoritates probantes Sacrificium Euchariſtiæ quod eſt Sacrificium præſens & juge. Orat. 1. de Reſur.

JESUS CHRISTUS immolat ſe, dum convivii cæremonia peragitur, præveniens, ut eloquenter ait S. Gregorius Nyſſenus, per amorem ſuum Judæorum crudelitatem: *præoccupans impetum Judæorum, ſe ipſum Victimam offerens, idem ſimul, & Sacerdos, & Agnus.* Sed, quandonam, S. Doctor ait, præoccupavit cruentum Crucis Sacrificium? tunc cum in noviſſima Cœna præbuit ſe manducandum. *Quando hoc accidit? cum ſuum Corpus ad comedendum familiaribus præbuit.* Per hoc, Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait, in unum collegit multitudinem antiquorum Sacrificiorum: *quæ omnia nova ſuperveniens gratia uno complectitur Sacrificio, unam ſtaruens, veramque hoſtiam.* Et S. Cyprianus nonne aſſerit JESUM CHRISTUM in ultima Cœna perfecte repleſſe veritatem omnium harum umbrarum? *Veritatem præfiguratæ Imaginis implevit.* Ibi, S. Leo inquit, figuræ cedunt Veritati, ibi Imagines coram ipſa re diſſipantur: *ut umbra cederent Corpori, & ceſſarent Imagines ſub præſentia Veritatis, antiqua obſervantia novo rollitur Sacramento; hoſtia in hoſtiam tranſiit.* Inde Sanctus Auguſtinus argumentatur, Euchariſtiam unicum eſſe Sacrificium Chriſtianorum, cui cetera ceſſerunt, & ea Judæorum, & ea Idololatrarum. *Summum, verumque Sacrificium, cui cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt.* Ita S. Vincentius Ferrerius animadvertit, divinæ Providentiæ peculiari Conſilio factum eſſe, ut nullum ſit modo Sacrificium, neque apud Judæos, neque apud Turcas, neque apud infideles ad probandum, Euchariſtiam verum eſſe Sacrificium, & Chriſtianam Religionem ſolam eſſe Religionem veram; namque ex omnibus Religionibus, quæ hoc ſibi vindicant nomen, nulla, præter Chriſtianam, oſtendere poteſt ſe habere Sacrificia; dicere poſſumus, Crucis Sacrificium non eſſe Sacrificium Chriſtianæ Religionis; pro illa quidem oblatum fuit, non per illam; neque pro Chriſtianis eſt actus Religionis, per quem Deum poſſint honorare; poſſunt quidem illam mente concipere, tamquam præteritam, ſed non jam modo ſenſibili, qualia eſſe debent Sacrificia. Una Euchariſtia perfecte replet has omnes circumſtantias, quia eſt Sacrificium viſibile, & ſenſibile ab ipſis uſque Eccleſiæ primordiis. *Idem.*

Ibidem.

In Pſalm. 65.

Epiſt. 63.

Serm. 7. de Paſſione.

L. 10. de Civ. Dei c. 20.

J. C. Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos æternus probat veritatem Sacrificii Miſſæ, Pſalm. 109. Malach. 1.

Cum Prophetæ locuti ſunt de JESU CHRISTO tamquam Sacerdote, tres præcipuæ qualitates in illius Sacerdotio animadverterunt. 1. Ordinem. 2. Durationem. 3. Extenſionem; dixerunt illum futurum Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech, illum duraturum in æternum; *tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech*. Dixerunt etiam, Sacrificium hoc omnibus in locis eſſe offerendum; *in omni loco ſacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio Munda*. Hinc ſequitur neceſſario ad hoc ut hæ replerentur prophetiæ, ab illo inſtituendum fuiſſe Sacrificium, quod reſponderet tribus hiſce qualitatibus, videlicet, Ordini, Æternitati, & Immenſitati Sacerdotii ſui. Eſt Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech; oportet igitur ipſum offerre Sacrificium, illi ſimile, quod hic obtulit Princeps; cum obvius occurrit Abrahæ redeunti ex Victoria, ubi obtulit Panem, & Vinum, quod unicum fuit Sacerdotii ipſius Miniſterium. Sacerdos eſt æternus, oportet igitur, ut tribuat hunc Æternitatis characterem ſuo Sacerdotio, & opus eſt, ut hoc munere perfungatur, uſque ad omnium Sæculorum conſummationem, & Mundus totus repleatur, non ſolum Virtute hujus Sacrificii, ſed etiam ejus præſentia: ſed in hac actione reperiuntur ne adimpletæ omnes hæ admirabiles circumſtantiæ? Nonne in Cœnæ Sacrificio ſequitur in Altaribus noſtris? Nonne in unica iſta actione, ſe declaravit, Sacerdotem, ſecundum Ordinem Melchiſedech, quoniam obtulit Panem, & Vinum? Quis Sacerdos magis ſummi Dei, quam Dominus noſter J. C. qui Sacrificium Deo Patri obtulit, hoc ipſum, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt, Panem, & Vinum, hoc eſt Corpus, & Sanguinem ſuum, dicit S. Cyprianus; Æternitas ibi invenitur, quoniam Sacerdotes, tamquam Miniſtri J. C. offerunt illud quotidie, & offeretur uſque ad Sæculorum conſummationem, ſecundum Danielis Prophetiam: *juge Sacrificium*, quod non delebitur, niſi per noviſſimas Antichriſti perſecutiones, qui auferet Miſſæ Sacrificium, & ceſſatio Sacrificii hujus, ſignum erit manifeſtum Univerſum terrarum Orbem eſſe deſiturum. Denique hoc Sacrificium offertur ubique; Apoſtoli in omnes Mundi plagas diſperſi, ubique immolaverunt Agnum ſine macula, quemadmodum S. Andreas, ſe illum in Achaja immolaſſe profitetur, & docuerunt Succeſſores ſuos Sacrificium hoc perennare. Ita Eccleſia in omnem Mundum effuſa, modo videt magis, quam antea Veritatem Euchariſtici Sacrificii.

In omni

in omni loco ſacrificatur, & offertur Sacrificium mundum gloriæ, ait Tertullianus. *Idem.*

Comparatio Sacrificii Crucis cum Sacrificio Euchariſtico; modus illi adſiſtendi.

Nulla eſt, fratres mei, Religio ſine Sacrificio, neque Sacrificium perfectum, niſi offeratur Deo Victima eodem digna. Hoc Sacrificium ſemel oblatum eſt in Cruce, J. C. repræſentavit illum in Cœna, & continuat illud per Miniſtros ſuos, & uſque in Sæculorum finem dicet: *Hoc eſt Corpus meum*. Hæc eſt eadem Victima oblata per eumdem Sacerdotem, propter eumdem finem, ſemperque erit Victima propitiationis pro peccatis totius Mundi. Hoc Sacrificium incœpit in Cruce ipſa, & continuatur in noſtris Altaribus, cum hoc tamen diſcrimine, quod primum illud Cruentum fuit, & uno tantum in loco oblatum, & per teterrimum ſcelus; Dum ſuper Altaribus noſtris Sacrificium Incruentum eſt, & in omnibus terris offertur per exceſſum amoris, atque Sapientiæ; Igitur hoc eſt eſſe ſuimet inimicum, privare ſe fructu adorabilis hujus Sacrificii, vel ob inutiles cauſſas abeſſe, vel non immolare ſeſe cum J. C. qui ſe immolat Patri; ſed crebro interpellare Miniſtrum, per irreverentias ſcandalis plenas. J. C. ibi eſt ſeſe exinaniens pro vobis coram Patre ſuo, offerens illi recens Sanguinem ſuum, iterum aperiens vulnera ſua, ut adhibeat illa, totidem tamquam Ora, ad implorandam Miſericordiam ſuam. Angeli, qui inviſibiliter adſtant huic terribili Sacrificio, jugiter contremiſcunt, & vos, fratres mei, huc accedere videmini, ut inſultetis divinæ Majeſtati; pudeat vos memores ſervi illius Alexandri, qui ne profanum, & abominabile Sacrificium interpellaret, paſſus eſt, manum ſuam comburi ea face, quam tenebat. Timete ne hujuſmodi cultores Idolorum contra vos prodeant in judicium? verſentur ſemper vobis ante oculos illa Sancti Joannis Chryſoſtomi verba, ut eam ſervetis reverentiam divinæ debitam Majeſtati, & Aulæ cæleſti quæ huic intereſt Sacrificio. Cum videtis Sacerdotem celebrantem, ne videatis in illo hominem Sacra operantem Myſteria, ſed reſpicite manum Dei inviſibiliter illa offerentem: *tu vero, cum Sacerdotem videris offerentem, ne Sacerdotem conſidera hoc facientem, ſed Manum Dei inviſibiliter extenſam*. S. Ambroſius ait. *Auctor conſiderationum Chriſtianarum in ſingulos anni dies tom. 3.*

Rationes propter quas curandum eſt, ut divinum hoc Myſterium digne celebretur.

Jure terribile Altarium noſtrorum Sacrificium eximium vocatur *Opus Dei*, quia reapſe actio eſt prorſus divina, in principio, in fine, & in medio magni hujus Myſterii. Principium eſt Deus, qui ſolus per Omnipotentiam mutat ſubſtantiam Panis, & Vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis ſui: medium autem Deus eſt, qui ſolus hominem ſe faciens ſuppeditare poterat Victimam perfecte dignam divina Majeſtate, cui immolat ſe, expiaturus injurias, quibus a Creaturis ſuis afficitur: Finis quoque Deus eſt, qui Unus ille eſt, cui hoſtiæ poſſint Sacrificari, potiſſimum vero hoſtia Altarium noſtrorum. Ad Miſſam igitur, tamquam ad Centrum omnis Religionis, mediate, vel immediate referuntur omnes Eccleſiæ cæremoniæ, & ad Miſſam eamdem Sacerdos referre debet omnes curas ſuas, tamquam ad centrum Miniſterii ſui, juxta Canones Tridentini Concilii: *omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quam maxima fieri poteſt interioris Cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur*. Pater Segneri in praxi parochorum.

Seſſ. 22.

Omnia Legis antiquæ Sacrificia erant figura Sacrificii Euchariſtici.

Omnia Teſtamenti veteris Sacrificia, erant diſtincta. Habebant quælibet Sacrificia ſua, & particulares cæremonias, ſed omnes ſimul non erant, niſi figura Sacrificii Miſſæ, quæ ſola omnia complectitur Sacrificia. Nil aptius ad ſupremam Dei Majeſtatem adorandam, quam profunda humiliatio Filii Dei in hoc Myſterio. Nihil acceptius hac hoſtia ad oſtendendam nocte Sanguinis Agni hujus ſine macula ad penetrandos Cælos, & gratias, atque benedictiones inde detrahendas: nihil præſtantius ad flectendam Dei iracundiam, & abluendas Animas noſtras a maculis Sanguine innocentis hujus hoſtiæ: Verbo, oblatio Corporis, & Sanguinis J. C. inquit Sanctus Leo, complementum eſt eorum omnium, quæ præfiguraverant Victimæ variæ, quæ oblatæ unquam fuerunt; & Animalia, quæ jugulabantur, quantumvis munda eſſent, & delecta, non erant adhuc, niſi craſſæ, & rudes figuræ adorabilis hujus Sacrificii, & Victimæ innocentis, quæ quotidie in Altaribus immolatur. *Pater Vaubert in lib. qui inſcribitur devotio ad J. C. in Euchariſtia.*

S. Leo ſerm. 7. de Paſſione.

Amori JESU CHRISTI non ſufficit vivere pro nobis in Euchariſtia, per admirabile Sapientiæ ſuæ inventum, nactus eſt rationem ibi moriendi propter homines, & adjiciendi alteram quodammodo vitam huic ſecundæ Morti. Hanc autem prærogativam percipit ex ipſo Sacrificii ſtatu, in quo poſitus eſt, & in quo Sacerdotis, & Victimæ ſimul munere fungitur. *Idem Sacerdos, & hoſtia*, Sanctus Ambroſius ait; Quatenus enim Sacerdos, vivens eſt; quia immolat ſe gloriæ Patris ſui, ſed quatenus victima, in ſtatu mortis eſt, quia immolatur gloriæ ſui Patris. Vita excellens, quæ in vitam noſtram agere debet; Mors excellens, quæ mori nos docet; hic enim Salvator non continuat vitam, mortemque ſuam in hoc Myſterio, niſi, ut nos doceat, quod docuit Sanctus Paulus, videlicet JESUM CHRISTUM non eſſe mortuum, niſi ut compararet ſibi jus vitæ in noſmet. Conjungamus igitur Sacrificium cordium noſtrorum, cum JESU CHRISTI Sacrificio, ut hoſtia integra Capitis, & membrorum, offeratur, & accipiatur ab æterno Patre in odorem ſuavitatis; illi enim uni ſeſe offert JESUS CHRISTUS. Profecto quis unquam arbitratus eſt, Sacrificia aliis offerri poſſe, niſi Deo tantum, S. Auguſtinus ait; ſed verum quoque eſt Deum unum eſſe poſſe Victimam Dei; Oportet, ut idem ille, qui ſedet in Throno, ſemet in Altari conſtituat: Oportet, ut ſit in Throno Sacrificium recepturus, & in Altari illud oblaturus.

L. 10. de Civ.

Definitio Sacrificii Miſſæ probat illud verum eſſe Sacrificium.

Altarium noſtrorum Sacrificium, omnes habet veri Sacrificii characteres; quoniam per actionem hanc adeo ſanctam, profitemur Deo ea omnia, quæ ipſi habemus, ab ipſo proficiſci, æquum eſſe, ut omnia, & noſmetipſos illi conſecremus, uſque ad deſtructionem, & exinanitionem. Hoc tributum uni debetur Deo, & ſicuti immane ſcelus haberetur negare Regibus venerationem, quæ illis ſub præſcripta verborum forma debetur, & quæ abiit in conſuetudinem, & legem; magnum ſcelus haberetur negare Deo Sacrificium, quod illi per divinam offertur Euchariſtiam. Igitur *illi Sacrificium offerimus, ſpiritaliter* eam deſtruentes, ut colamus ſupremam illius Dominationem ſuper omnia creata, comproſitentes illius excellentiam ſuper omnia. JESUS CHRISTUS, in hoc divino Sacrificio, ſit, ut alibi, noſtrum ſupplementum: etenim noſmet totos, ſimulque univerſum deberemus annihilare coram Majeſtate Dei, coram quo, S. Joannes dicit in Apocalypſi, terram propter reverentiam aufugere, tamquam indignam, quæ ab eo videatur. JESUS CHRISTUS igitur ſeipſum conſtituit in locum noſtrum in Altaris Sacrificio, non dedignatur eſſe Agnum immolatum a Mundi principio, & pro Mundo univerſo; *ſemet pro nobis ſubſtituit*, quia Oblatio *noſtra eſſet inſufficiens, quales erant Oblationes antiquæ, quas Deus rejiciebat*. Eſſe meum, Vita mea, bona mea, & quidquid poſſideo, dicebat David, nihil ſunt coram te, Domine, *ſubſtantia mea, tamquam nihilum ante te*: ut ſuppleas egeſtati meæ, id facis, quod in lege veteri præcipiebatur. Iſrael redimebat ſe offerendo Turturem, aut Agnum: hic vero non ſubrogatur in locum meum abjectum aliquod animal, ſed verus Agnus; JESUS CHRISTUS ipſe me redimit. Immolans ſe pro me in Altari, ſupplet indigentiæ meæ. Vacuum eſſet Sacrificium meum, ſi me ſolum offerrem; ſed cum offeram mecum JESUM CHRISTUM, *Sacrificium plenum eſt*. Hoc *rejiceretur, tamquam indignum ſuprema Majeſtate; ſed in illo ſibi complacet Deus, quia offero illi Dilectum Filium ſuum. Sacrificium Deo plenum, ſacroſanctum, Deoque dignißimum*, inquit Euſebius. Propheta ne quæras ulterius quid offeras Deo, neque dicas ultra *quid dignum offeram Domino? nunquid offeram ei holocaustomata?* Tu, Domine providiſti, dediſti nobis dignum Æterno Sacrificium, æque magnum ac ille, Offero illud tibi in Ara quotidie, quæ imago eſt Calvarii, dicebat S. Andreas, prout legimus *in actis illius*; Sanguis ejus fluit quotidie ſuper Altare, *non ſecus* ac ſuper Crucem. Populus *fit particeps hujus Sacrificii*, tamquam Sacrificator, manducat Carnem, & bibit Sanguinem ejus, & nihilominus Agnus immolatus, per ſummum prodigium integer perſeverat. Eſt, tamquam mortuus, S. Joannes, qui vidit illum, tetatur, & nihilominus vivit: *immaculatum Agnum, quotidie in Altaris Crucis Sacrificio, cujus Carnes, poſquam Populus credentium manducaverit, integer perſeverat Agnus, qui ſacrificatus eſt*. In hoc Sacrificio, Salvator mi, admiratur ille potentiam, ſapientiam, & amorem tuum, atque, ut pro illis gratias agam, ego ipſe offero tibi hoc adorabile Euchariſticum Sacrificium, quod unum dignum eſt te, & unum debita mea poteſt perſolvere: *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. P. Novet *tom.* 4. *de vita J. C. in Euchariſtia.*

L. 1. de Dom. c. cap.

Mich. 6.

Pſalm. 115.

Sacrificium Euchariſticum eſt memoria mirabilium JESU CHRISTI.

Jure optimo, Propheta ait, & canit Eccleſia, loquens de Sacrificio Miſſæ, Dominum *memoriam feciſſe mirabilium ſuorum, eſcam dediſſe timentibus ſe*. Profecto JESUS CHRISTUS ibi ſimul eſt Sacerdos, & Victima, & Altare, inquit in Apocalypſi S. Joannes; offert enim ſe per ſeipſum, & ſuper ſuæ humanitatis Altare; Sacerdos eſt, ſecundum Spiritum, Victima, ſecundum Corpus. Sacerdos eſt Hoſtia rum omnium, quæ conſecratæ fuerunt, & conſecrabuntur, uſque ad finem ſæculorum, & eſt Hoſtia omnium Sacerdotum; nam omnes eamdem offerunt hoſtiam, neque aliam unquam offerent: *ipſe enim Dominus*, Sanctus Paulinus ait, *hoſtia omnium Sacerdotum eſt, ſemetipſum pro omnium reconciliatione Patri ſuo*

Pſalm. 110.

Epiſt. 5.

Via quam invenit Deus per Sapientiam ſuæ moriendi propter homines, & addendi vitæ alteram, morti ſecundæ.

L. 3. de Fide c. 5.

tri suo libans, Victima Sacerdotii tui, & Sacerdos sua Victima, cuique nunc, ut Domino omnis nova Creatura Sacrificium, ipsique sunt hostiæ Sacerdotes. Meritum divini hujus Sacrificii non pendet a peculiaribus meritis Sacerdotum; infinitum J. C. meritum illud consecrat, illud commendat, & Sacerdotes non aliud sunt, quam instrumenta in manibus JESU CHRISTI solius consecrantis. Illi huic commodant solum ora, & linguas, proferunt verba illius non propria: *Sacra oblatio, qualis, cujusve meriti idem Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse CHRISTUS Discipulis suis, nihil habet ista, quam illa minus, quia non hanc sanctificant homines, sed ipse CHRISTUS, qui illam ante sacraverat*, S. Joannes Chrysostomus inquit. Accedamus ergo ad divinum hoc Sacrificium eadem cum reverentia, qua si JESUS CHRISTUS visibiliter appareret in persona Consecraturus. Si oculi carnis illum non vident, suppleant Oculi fidei; qui loquitur, & dicit: hoc est Corpus meum, est JESUS CHRISTUS. Hoc illud est verbum divinum, S. Ambrosius ait, quod Sacrificium consecrat, atque sanctificat: *tunc ipse CHRISTUS offerre manifestatur in nobis, quando sermo ejus sanctificat Sacrificium, quod offerimus.* Ita Cæli aperiuntur, S. Gregorius ait, Angeli Sacrificii tempore obstupescunt, Sancti laudes concinunt Domino, gemit Infernus, Ecclesia sancta gaudio cumulatur, Cælum cum terra conjungitur, invisibilia cum visibilibus, & ipsa terra coram J. C. fit Cælum. *Idem.*

Homil. 2. in 1. ad Timoth.

in Psalm. 39.

L. 4. dial. c. 36.

J. C. exinanitus in divino Sacrificio, & tamquam in statu mortis.

Non in Altari Crucis solum JESUS CHRISTUS exinanitus, sed etiam in Altaribus nostris Sacrificium, & exinanitio Crucis palam repræsentatur. JESUS CHRISTUS in Eucharistia modo se destruit admirabili; nam Majestas illius taliter est in hoc novo Calvario, ut ibi deformetur non secus ac in primo. Latet sub symbolis Panis, & Vini, quæ locum tenere videntur Corporis J. C. Nihil ibi esse videtur, Ita ut Sapientia, amor, potentia sua, ita simul adstrictæ sint, ut ille citra miraculum, nihil agere possit. Ut ostendat ibi se mortuum non esse, & præbeat nobis *Vitæ signa*, prodigiis opus est. Symbola Panis, & Vini sunt, vel tamquam Crux, vel tamquam sepulcrum, quæ tenent, & Crucifixum, & absconditum JESUM CHRISTUM *Victimam*. *Locus in quo est*, ita est angustus, ut citra miraculum ibi vivere nequeat. Nihil humanum illi est, nihil, quod sub sensus cadat; ita JESUS in Eucharistia magis exinanitus est, quam in Crucis Sacrificio; nulla ibi deprehenditur Corporis dimensio, non magnitudo, non situs, non motus, non aliquod signum, ex quo cognoscere possitis ibi esse hominem, multoque minus hominem-Deum. Accedit etiam, JESUM nequaquam servare vitam hanc absconditam in hoc Sacrificio, nisi, quoad species non corrumpuntur; ita ut, si non aliam haberet existentiam, cessaret esse. Igitur Sacerdotes habent in JESUM CHRISTUM jus aliquod vitæ, & mortis, & similiter fideles omnes, qui recipiunt illum, quoniam JESUS CHRISTUS, per hostiæ consummationem, fit absens, eaque una est ex legibus, quibus ipse in Sacrificio suo se subjecit. *Date, ergo, Anima devota, magnificentiam Deo nostro, Dei perfectæ sunt Opera; perfectum plane fuit Opus donationis hujus, quando nihil privatim sibi retinuit, quod non nobis donavit*, dicit Asceticus quidam, in lib. quem de Eucharistia elucubratus est. *Idem.*

Tutrecremata de Euchar.

JESU CHRISTI mors perfecte repræsentatur in Altaribus nostris; ut enim initium ducamus ab eo, quod essentiale est, consecrationis verba consummant hoc Sacrificium, & instaurant Redemptionis nostræ Mysterium, quemadmodum novissimum sacratæ Victimæ in Cruce suspirium consummavit Opus J. C. cum dixit: *Consummatum est*; nonne ita in Altari, ut in Calvario, accidit, ubi JESUS CHRISTUS per Sacerdotum manus in Crucem attollitur? ibi etiam per hostiæ divisionem frangitur, sepelitur in visceribus eorum, a quibus recipitur, & quemadmodum in sepulcro, nequaquam expertus est corruptionem, nos facit ab eadem immunes per virtutem prorsus divinam: *nihil defuit in hoc Sacramento ad commemorationem Passionis, quod tunc exstitit in Cruce, in consummationem nostræ Redemptionis*, ait Paschasius in tract. de Corpore, & Sanguine Domini; *elevatur in manibus Sacerdotis in Crucem, & frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur, & facit nos secum a corruptione liberos.* Ibi, S. Martialis ait, id pro salute nostra in Altari sanctificato facimus, quod fecerunt Judæi per odium, & invidiam in Calvario; scimus nos habere non posse vitam, nisi per salubre hujus Sacrificii remedium. JESUS CHRISTUS nobis imperavit, ut celebremus illud in memoriam Mysterii nostræ Redemptionis; & in Eucharistico Sacrificio, non secus ac in illo Crucis, JESUS CHRISTUS aliorum quidem interitus est, & salus aliorum, ubi est mors impiorum, & vita pœnitentium, ubi infinitam caritatem ejus revelamus, quæ æque in Altari, & in Cruce renidet, quandoquidem ipse immolat se pro nobis, CHRISTUS, *qui in se resurgens a mortuis jam non moritur; adhuc per Sacram hostiam in suo Mysterio pro nobis patitur; nam quoties hostiam suæ Passionis et offerimus, tunc nobis ad absolutionem nostram Passionem illius reparamus. Idem.*

Sacrificium Missæ est viva repræsentatio Sacrificii Crucis: per enumerationem probatur.

S. Gregor. hom. 37. in Evang.

Eucharisticum Sacrificium non est vacua repræsentatio Sacrificii Crucis; sed Imago plena complectens eamdem Victimam realiter repræsentatam, vel potius quemadmodum explicant Patres, & ipsi etiam grammatici hoc verbum; JESUS CHRISTUS ibi factus est præsens, qualiter fuit in Calvario: *una eademque hostia*, Tridentinum Concilium ait, *idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola ratione ferendi diversa.* Hæc eadem est hostia, quæ oblata fuit in Calvario; idem Salvator, qui se obtulit in Cruce, & modo offert se per manus Sacerdotum, nihilque differt, nisi offerendi modus. Non subit ille crudelem, cruentamque mortem in Altaribus nostris, sed repræsentat illam morte mystica; non acquirit recentes gratias, sed applicat nobis eas, quas nobis meritus fuerat; sed Victima semper est eadem, idem Sacrificulus, idem Sacrificium. Utique Corpus idem affixum Cruci in Calvario, modo reipsa in Altari invenitur per species, quæ, tamquam Clavi, eum tenent in Cruce. Foveamus igitur erga divinum hoc Sacrificium eamdem reverentiam, quam si JESUS immolaretur sensim ob oculos nostros, & quasi nos fuissemus spectatores cruentæ mortis illius. Idem JESUS nonne jubet nos hæc facere in meam commemorationem. Sed *memoria Nominis Domini*, teste Div. Thoma, *est Sacrificium Altaris, videlicet Corpus CHRISTI, quod fieri jussit in commemorationem ejus.* Oportet igitur, ut corda nostra conterantur, cum adsumus divino huic Sacrificio, quemadmodum lapides confracti sunt, cum JESUS fuit in Cruce immolatus. *Necesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in contritione cordis mactemus*, quia imitari debemus, quod facimus, & sicuti JESUS immolatur, nos secum immolare debemus. Tunc, pergit Sanctus Gregorius, offeremus Deo veram hostiam, cum facti fuerimus Victima; quoniam nos alimoniam nostram ex Cruce percipimus, opus est, S. Augustinus ait, ut victus nostri qualitatem sumamus, & mortui simus, uti mortuus est JESUS CHRISTUS; *nos de Cruce Domini pascimur, quia Corpus ejus manducamus.*

Sacrificium Missæ non est figura Sacrificii Crucis.

Sess. 22. c. 2.

Luc 22. Opusc. 58. c. 13.

S. Gregor. l. 4. dial. c. 55.

Ibidem.

in Psalm. 100.

Arbitremur igitur, fratres mei, nos in Altari cum J. C. & sicuti JESUM CHRISTUM morituros: mementote sublimium verborum Spiritus Sancti, quæ a Salomone recitantur: manducas ad mensam divitis, attende iis, quæ tibi apponuntur, & præpara te, ut reddas tantumdem. Apponitur tibi Caro JESU CHRISTI immolati in Altare, bibis Sanguinem ejus; tantumdem quærit abs te; vult, ut sibi reddas vitam pro vita, sanguinem pro Sanguine; dedit in Altari, tamquam in rogo vitam suam, suum effudit Sanguinem; parata igitur sit voluntas tua, ut par referas pari; nemo dignus est, qui hoc Agno vescatur, inquit S. Augustinus, nisi qui paratus est, ut pro illo moriatur: *non scrutantur Agno, nisi qui imitantur*; meditare igitur jugiter, fideliter retine, quod comedisti, & memento, tibi eundum esse de Mensa ad patibulum, ut J. C. fidem confitearis, & effundat Sanguinem tuum pro confessione Sancti Nominis ejus. Martyres, S. Chrysostomus ait, de Mensa egrediebantur facti dæmonibus, carnificibus, & persequutoribus ipsis terribiles. *Auctor recens.*

Sacrificium Missæ nos cogit ut nosmet cum J. C. Sacrificemus.

Dilectus Discipulus tuus, Domine, nos docet, cum tu incœperis nos amare, nos ad te in finem usque dilectos fuisse; eo usque, ut teipsum exinanires; eo usque, ut te omnibus modis sacrificares, quos Sapientia, & Caritas tua suggerere tibi potuerunt. Odium inimicorum tuorum, tibi nimis tardo gradu videtur incedere; illud tuus amor prævertit, & tu temetipsum sacrificas in medio Apostolorum tuorum, propriisque manibus tuis eo modo, in quo nihil cruentum est, exspectans, ut ingrati sacrificent te per crudelissimum omnium suppliciorum. Neque enim contentus hoc Sacrificio tam reali, quam mystico, illud in Ecclesia tua constituisti, ut offerretur usque in finem sæculorum. Instituisti Sacerdotium æternum, ac prorsus divinum, & Ordinem Sacerdotum, in quibus Potentiam tuam collocasti, & quos ornasti eo jure, quod habes in Corpus, & Sanguinem tuum; ut illos præsentes faceres Aræ tuæ, & offerres Deo, in Nomine, & persona tua, eosque tuis artubus saginares. O Salvator hominum, quas opes, quæ dona, quas misericordias effundis hodierna die in Ecclesiam tuam! Sacerdotium, quod complectitur Potentiam tuam; Sacrificium, quod continet pretium salutis nostræ, & est germen æternæ vitæ. *Auctor recens.*

Amor Salvatoris illum immolat propriis manibus in Cœna novissima sequam immoletur manibus inimicorum suorum.

Sacrificia Legis antiquæ redacta sunt ad unitatem. Jugum illud, quod Patres nostri portare non potuerunt, quia obruebat illos pondere, & numero, eminenter, in JESU CHRISTO super Altari immolato invenitur. Ipse holocaustum est, expiatio, publica Oratio, gratiarum actio; ipse omnia est, quia redegit omnia

Legis antiquæ Sacrificia in Missæ Sacrificio colliguntur, omnia fidelium corda de eodem Sacrificio manducant, &

membra debent esse conjuncta cum capite suo.

omnia in centrum, ipse in hoc Sacrificio centrum est. Miraculum hoc longius procedit; nam Sacrificia ubique terrarum oblata, post illud cœnæ, in qua Victima hæc adorabilis prima vice oblata fuit, sunt infinita. Sancta hæc, & sacrata Cœna instaurata fuit in infinitum, & post Epocham hanc numerarine possent Sacrificia ad hanc usque diem oblata? Israel offerre non poterat, nisi Jerosolymæ, qui celebrabant Sacrificia in Monte Garizin, vel in alio quolibet loco, non erant, nisi Schismatici; sed o Israel vere, quam magna facta est Domus tua! O *Israel, quam magna est Domus Domini!* ubique sacrificatur, mundus universus factus est Templum. Unus tantum erat summus Sacerdos, hodie Sacerdotum numerus in infinitum multiplicatus est; omnes offerunt Deo Sacrificia: id prædixisti, Domine, per os Prophetarum tuorum, & divina Oracula tua adimpleta fuerunt; obtulerunt Sacrificia Domino, non dicis unum Sacrificium, neque dicis unum fore

Ad Hebr. c. 10. Sacerdotem, sed plures ex hominibus assumptos: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumitur*: & nihilominus omnes isti Sacerdotes, & hæc omnia Sacrificia ad unitatem rediguntur. Unus tantum Sacerdos est, & unum tantum Sacrificium. Hæc multitudo continetur in unitate, & unitas extensa sit in multiplicitate. Nam loqueris de pluribus Sacrificiis, & mox de uno tantum, ut intelligamus istud Mysterium: *erunt Domino offerentes Sacrificia, & placebit Domino Sacrificium.* Quisnam crederet, Domine, Corpus unum esse posse simul in pluribus locis, nisi dixisses? & *placebit Domino Sacrificium.* Caritas tua, quæ sine unitatis detrimento ita se multiplicat; nullis ergo finibus coarctatur, hoc miraculum nobis locum tribuit de alio cogitandi; & est per hoc Sacrificium fidelium corda cum fratribus suis conjungi, & membra omnia unum tantum constituere cum capite. Nos qui eidem accumbimus Mensæ, qui Panis ejusdem participes sumus, unum dumtaxat constituere, atque ut ita dicam, unum temperamentum spiritale cum JESU CHRISTO immolato, & cum membris omnibus simul immolatis cum Capite; ita ut corda, & corpora nostra sint corpus, & cor vicissim aliorum; *con-*

Ad Ephes. 5. *corporales*, inquit S. Paulus; hæc una, eademque Caro est, unus idemque Spiritus, sensus iidem; sed quomodonam corda nostra ita conjuncta sunt? quia omnes comedimus de eadem Carne divina pro nobis immolata, cum qua nos omnes immolamur, & omnes idem componimus Sacrificium. *Idem.*

JESUS CHRISTUS adeo sæpe immolans se in Altari, videtur plura facere in hoc Sacrificio, quam in illo Crucis, & in Incarnatione.

Quo magis scrutamur adorabiles circumstantias Eucharistici hujus divini Sacrificii, eo magis crescit amor, admiratio, fides, gratiarum actio, & omnes Animæ sensus. Admiramur quomodo JESUS immolatus in manibus Ministri super Altari, non secus ac in Cruce, instaurat Sacrificium suum, & quomodo auget illud, quod taliter semel adimpletum fuit, ut ultra iterari minime possit, cum Altaris Sacrificium in infinitum innovetur. Intelligo modo divina ea verba, in Sacrificio Cœnæ prolata: *cum dilexisset suos,* Joann. 13. *usque in finem dilexit eos.* Estne cor ita sensibus expers, ut magnitudine immensæ hujus Caritatis non moveatur? quoniam tu temet obtulisti in Cruce pro me, ego me tecum offero, Domine, super cruento hoc Altari, ut ibi moriar tecum; sed cum pro me offeras temetipsum in Altari quotidie, & pretiosus, & adorabilis Sanguis tuus effunditur ibi pro me, & innumeris vicibus effusus est per Sacrificium, quod semper est infinitum, offero me tibi, ut toties moriar, quoties immolaris pro me. Offero tibi vitam omnium Creaturarum, ut suppleam indigentiæ meæ, & cupio, ut illæ sese tibi sacrificent, pro te in gratiarum actionem, eo quod in omnibus locis, omnibus diebus, & pluribus etiam vicibus in singulos dies immolas temetipsum in Altari amoris tui eodem tempore, quo super Altari visibili sacrificaris. *Idem.*

Omnia Sacrificia, quæ offerimus Deo, illi acceptа non sunt, nisi accedat cordis nostri Sacrificium.

Sanctus Augustinus asserit, omnia visibilia Sacrificia nihil esse, nisi simul sint Sacrificia invisibilia spiritus, & cordis, quæ homo debet Deo suo. Si Sacerdos est primorum, debet esse victima secundorum, & contemnit Deus quidquid ab ipso offertur, nisi ille se totum offerat in Sacrificium. Ita licet Dei Filius obtulerit Sacrificium in Cruce pretii infiniti, & quod satis esse potest ad eluenda omnia Mundi crimina; certum nihilominus est, ipsum nequaquam eximere nos ab Oblatione Sacrificii nostrummet ipsorum pro criminibus nostris: e contra efficientia, & virtus ineffabilis hujus holocausti, sive sit mortis Dei, sive Eucharistici Sacrificii, nobis *nequaquam* communicatur, nisi hac proposita *conditione*, ut nosmet conformemus *statui*, *in quo positus* est in Cruce, & *in Eucharistia*, ut gloriæ *tuæ* possimus fieri participes. *Idem.*

MYSTERIUM EUCHARISTIÆ

QUATENUS EST SACRAMENTUM.

MONITUM.



UM de Eucharistia, quatenus Sacrificio in superiori titulo a nobis actum fuerit, & in Tomo Bibliothecæ nostræ locuti simus de communione, ubi amplam suppeditavimus rerum copiam Concionatoribus de hoc argumento pertractaturis; reliquum est, ut verba faciamus de Eucharistia, quatenus est Sacramentum. Ubi majorem habuimus rationem de beneficii magnitudine, & amore, quem Dei Filius nobis testatus est, quam modi, quo recipiendus est, & usus, qui ejusdem faciendus est: quod minime prohibebit, quominus hæc duo simul conjungamus, tum quia simul habent vinculum quoddam commune, & necessarium, tum ne Sermonem prorsus theoreticum instituamus. Hæc autem fient, quin semel dicta alibi, rursus redeant in paginas; sed potius, ut addamus, quod nimis magna hujus argumenti latitudo peperit, ut aliquid omittere cogeremur.

Id unum animadvertendum est, Concionatori, cui plures de hoc argumento elaborandi sunt Sermones, abstinendum esse ab rerum earumdem repetitione; atque, ut sermones fiant solidiores, multa ex Theologiæ penu depromenda esse, & plures enucleandæ difficultates, quæ in hoc Mysterio continentur. Hinc operæ pretium nos facturos esse censuimus, si potius theoreticæ, quam ethicæ locum præberemus; alteram enim facile erit eruere ex principiis, quæ fuerint constituta. Sed cum hoc argumentum latissime pateat, & infiniti prope Ascetici, & Concionatores, Theologi, Controversistæ, & alii integra, & spissa ediderint volumina de institutione, realitate, & excellentia admirabilis hujus Mysterii, deque rebus omnibus ad illud pertinentibus, quærendum non est, ut huc omnia dici, & omnia colligi possint, quod ingentis esset laboris; & spero, fore ut sufficiant ea, quæ dicturus sum cum iis, quæ jam dixi, ad Octavam hujus argumenti perficiendam.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

I. DE Amore, quem Dei Filius hominibus testatus est in hoc Sacramento : *cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joann.* 13. Metuendum non est, secundum explicationem his verbis vulgo traditam, afferere, Salvatorem sub exitum Vitæ suæ mortalis, dilexisse homines, usque ad excessum, & amorem ipsius perveniisse ad extremum usque terminum, quo pervenire poterat, & id per tres effectus vel potius conatus admirabiles, qui totidem sunt signa ejus rationis, qua homines agere consueverunt. 1. Cum nihil sit, quod intentatum relinquamus, ut id assequamur quod cupimus. 2. Cum nihil sit, quod minime tribuamus ad id obtinendum. 3. Denique, cum nihil sit, quod non perferamus ad servandam rei possessionem : Ita ut, plura facere, plura dare, plura pati, quæ generatim tria sunt certissima signa amoris violenti, sint illa etiam, ex quibus cognoscere possumus excessum divini Amoris, in hoc adorabili Mysterio; quæ erit Sermonis hujus partitio.

Pars prima. Primum indicium quod Filius Dei tribuit nobis eximii amoris sui in divino hoc Sacramento, est multa facere; quoniam ex actionibus, & effectibus judicium ferendum est, secundum illa verba Sancti Gregorii toties repetita : *amor, si verus est, magna operatur, si vero operari renuit, amor non est.* Profecto proprium amoris est vim tribuere maxime infirmis, & si id contigerit in eo, cui insit suapte natura summa potestas, & amor hic magnus sit, & ardens, inde exspectanda esse omnia; sed cum utrumque amor scilicet, & potestas sint infinita; effectus hujus amoris, & hujus potentiæ excedere omnes naturæ vires, & inde incipere, ubi extremi conatus omnium Creaturarum desinere consueverunt. Hoc ipsi videmus in hoc Mysterio, ubi nihil est, quod non agat Deus, ut affectionis suæ nobis ostendat excessum. 1. Ad id omnes naturæ leges subvertit, & vim facit omnibus entibus, & numerari possunt supra viginti miracula, quæ omnia superant vires, & potentiam Creaturarum; & sola transubstantiatio plura complectitur, quorum institui potest enumeratio, quin tamen in illis diutius immoreris. Ah Christiani! Deus tot exerit conatus, tot operatur miracula, ut se conjungat nobiscum, ut ostendat cupiditatem, qua flagrat permanendi cum nobis? nonne hoc est nobis testatum facere amorem suum validissimis potentiæ suæ conatibus? *Domine, quid est homo, quod memor es ejus &c.* 2. Hoc parum est Deo quærenti omnem exercere in entia creata potestatem, nisi illam exerceat etiam in semetipsum, ut quodammodo semet exinaniat, accipiens esse sacramentale: nam si Apostolus asserit, ipsum hominem factum, semet exinaniisse, & si Evangelium testatur, ipsum usum fuisse sua Omnipotentia, ut inter angustissimos terminos pueri sese coarctaret, quid nobis cogitandum est de eodem Deo in hoc Mysterio, quod vulgo dicitur Incarnationis extensio (cui tamen addere possem ejusdem esse coarctationem, *quia hic idem Deus*, qui se in infantilibus membris *concluſit*, *iſtic* etiam ponit se sub puncto;) Nonne opus fuit, ut adhiberet omnem potentiam brachii sui, ut se in hunc statum redigeret? deinde ostendendum est, quomodo immensitas ista intra arctos adeo fines coarctata, nobis perspicue ostendat omnes amoris sui dimensiones. *Ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, & longitudo, & profundum &c.* 3. Præterea cum factus est homo, magnitudinem habebat parem formæ, quam acceperat, & sese accommodaverat tempori, & ætatibus propriis hominis: sed in hoc Sacramento, licet partes omnes Corporis sui confusæ minime sint, confusæ tamen sunt ratione loci; quod efficit, ut nec visibile sit, nec palpabile, & careat iis rebus omnibus, quæ sunt Corporis propria, ita ut in hoc statu dicere possit: *substantia mea, tamquam nihilum ante te.* Se redactum esse, quodammodo in nihilum, & si infinita requiritur potestas ad hoc, ut Creatura educatur ex nihilo, non minori opus esse facultate, ut in nihilum redigatur: ideoque non solum est Deus absconditus, humiliatus, & exinanitus in hoc Mysterio, sine aliquo gloriæ Signo, sed nonne dicere debemus cum S. Bernardo, illum hoc in statu consideranti, quo magis ille sese humiliavit, coarctavit, & concluſit propter amorem nostrum, eo majorem latitudinem a nobis tribuendam esse affectionibus nostris, & amorem nostrum debere se magis attollere, ad illum amandum super cetera? Hæc est concluſio a nobis elicienda; amor enim nonnisi amore rependendus est, & hunc amorem, nonnisi per effectus, & actus testari possumus. Hinc Salvator judicium fert de amore, quo illum prosequimur; si tanta ille pro nobis operatus est, quid ipsi propter illum facimus? ipse ingentes in rebus omnibus, & in seipsum edidit conatus, nos autem nihil conabimur in affectus nostros, in pravos habitus, in naturæ nostræ studia, ut amori ipsius respondeamus? &c. *diligamus non verbo, sed opere, & veritate.* Adnitamur saltem pro illo facere particulam earum rerum, quas ipse fecit pro nobis.

Gregor. homil. 30 Evangel.

Ad Ephes. 3.

Psalm. 38.

1. Joann. 3.

Pars altera. Non solum nihil est, quod Dei Filius non faciat, ut suum nobis testetur amorem; verum etiam nihil est, quod nobis non tribuat, quod est alterum indicium magni, & vehementis amoris ipsius. Ostendendum est, quomodo Amor suapte natura liberalis est, & prodigus; cum dederit cor suum primum donorum suorum, cetera nullo habet in discrimine. Sine ulla exceptione donat, neque gaudet magis, quam cum se rebus omnibus exuit in gratiam illius, quem diligit. Ex altero hoc indicio voluit Salvator Mundi a nobis cognosci amoris sui magnitudinem in hoc Mysterio, exhauriens omnes opes suas per liberalem amorem, ut Synodus loquitur Tridentina: *divini sui erga nos amoris divitias velut effudit.* 1. De magnitudine muneris, quod contulit nobis, judicium ferre possumus ex eo principio, ex quo proficiscitur, videlicet corde, quod urgebatur, & quodammodo coarctabatur, vi desiderii, quo flagrabat, se nobis tradendi : *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* 2. Si consideramus donum ipsum, quod tribuit, quid poterat ille majus dare, ut suum nobis significaret amorem, quam seipsum dare nobis? quoniam uno simpliciter munere largitur nobis suum Corpus, Sanguinem, Divinitatem, thesauros omnes, & quidquid in Cælo Sanctorum constituit beatitudinem. 3. Si denique cogitamus eam rationem, qua se nobis tribuit, & circumstantias, in quibus hoc nobis largitur donum; dat se realiter, & effective, in quo donum hoc a reliquis distinguitur, quæ sunt extra ipsum. *Se nobis absolutissime* tribuit, videlicet tamquam Escam, dat se jure Testamenti, qui est novissimus actus, quem ille propter amorem nostrum fecerit. Sed ubi nam est ille grati animi sensus, quo hunc bonitatis excessum rependimus &c.

Luc. 22.

Tertia pars. Quod tertio loco nobis ostendit eximium Dei amorem in hoc Mysterio, est intueri quanti illi steterit, & quanta pati debuerit, se nobis daturus. 1. Enim, si consideramus hoc Mysterium in prima institutione, mirum est, ipsum præstituisse desiderium sese nobis tradendi, cum omnes nequissimo, & acerrimo succensi erant odio, contra ipsum : *in qua nocte tradebatur, accepit Panem. Scient JESUS, quia venit hora ejus.* 2. Quid te visurum putares? ipse ab incœpto non destitit, licet prævideret hominum ingratitudinem, & quamvis omnia pro hominibus faceret, nihil illi exspectandum esse, nisi repulsas, contumelias & corda adstricta glacie erga amorem ignitum. 3. Voluit etiam, ut hæ contumeliæ, & humiliationes essent aliquo modo inseparabiles ab ea ratione, qua vult inter homines commorari, quoniam aliquando, Sacerdotis ministerio non sine teterrimo Sacrificio producitur in Ara, & mox crebro recipitur ab indignis peccatoribus; & ipsi nostis quam horribile scelus tunc committatur. Se autem tradere, O Christiani, his malis omnibus, his omnibus se subjicere, omnia pati, nonne hoc est extremam habere cupiditatem cum hominibus permanendi, ideoque illos usque ad excessum amandi?

1. ad Cor. 11. Joann. 13.

II. Alia propositio de Amore, quem Dei Filius hominibus testatus est, in hoc Mysterio, secundum textum eumdem. *Cum dilexisset suos &c. Joann.* 13.

Paucis verbis dilectus Discipulus agit de institutione divini hujus Sacramenti. Alii Evangelistæ latius descripserunt ejusdem circumstantias, & cæremonias: ipse autem satis esse putavit asserere hunc extremum fuisse conatum caritatis Domini, erga mortales. *Cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Jure sequi possumus illius testimonium, erat enim familiaris Magistro suo, ita ut præ ceteris nos erudire potuerit de consiliis, quæ conceperat, ut tantum ministerium exequeretur. Igitur non aliud quæro pro hoc sermone argumentum. Hoc satis ædificat, & mea quidem sententia aptissimum est, ad excitandum in cordibus nostris sensum teneræ Pietatis, & veræ devotionis.

Ut ordinatim procedamus, si vobis lubet, considerandæ sunt nobis in amore tres qualitates, quæ illi sunt essentiales; ita ut eodem nomine appellentur. Prima est, inclinatio, propensio, studium affectionis; quod a Sancto Dionysio *Extasis* dicitur, & a S. Augustino *pondus Cordis* vocatur, quoniam rapit quodammodo extra se personam, quæ amat, eamque transfert in objec-

in objectum amatum. *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror.* Altera est unio, quæ vim habet conglutinandi, ut loquitur Scriptura, duas simul
1. Reg. 18. personas: *Anima Jonathæ conglutinata est Animæ David.* Tertia proprietas ex duabus reliquis consequitur, & sita est *in* effundendis, & prodigendis bonis, quæ possidentur, in sinu personæ, quæ amatur; nam, ubi semel cor datum est, potestne aliquid reservari? Cor nonne primum est, & donorum omnium principium?

III. Alia argumenta in idem subjectum, eumdemque textum.

1. Quemadmodum hic Deus amoris se totum nobis in hoc tribuit Mysterio, nos quoque totos illi tribuere debemus.

2. Caritas sua impulit eum, ut nos ex mera bonitate ad excessum usque diligeret; hæc bonitas illum nobis amabilem præbet per æquissimam retributionem, & nos debet impellere, ut pro ipso id agamus, quod ipse pro nobis.

3. Ipse se nobis in hoc Mysterio conjungit per tenerrimam dilectionem, nos illi conjungi debemus per omnem affectuum nostrorum extensionem.

IV. Alia propositio de Caritate, quam Dei Filius in hoc Sacramento testatus est.

1. Hæc fuit Caritas prorsus gratuita, cum nos odio
1. Ad Cor. 11. dumtaxat dignos, suo amore prævenerit. *In qua nocte tradebatur, accipiens Panem &c.*

2. Hæc fuit Caritas generosa, quæ superavit omnes obices, qui adversabantur voluntati sese nobis tradendi.

3. Hæc fuit Caritas liberalis, & magnifica, cum omnia dederit, Corpus, Sanguinem, Divinitatem, & omnes divitias suas in uno tantum munere.

V. 1. Habemus in Eucharistia quidquid ab eo exspectandum est nobis, scilicet, certum pignus amoris, pignus æternæ beatitudinis, quam nobis pollicitus est, & in quo spem nostram possumus constituere, ipsam bonorum omnium possessionem; quandoquidem, auctorem eorum omnium possidemus.

2. Per divinum hoc Mysterium Deo dare possumus quidquid a nobis petere potest, mentem nostram, per fidem perfecte subjectam, cor nostrum per Caritatem ferventem, possessionem integram, & irrevocabilem omnium nostrarum facultatem per integram *cum ipsius* voluntate conformitatem.

VI. 1. *Realis* JESU CHRISTI præsentia abscondita in Eucharistia, invisibilis est, luminibus rationis, sed videndam se præbet oculis fidei.

2. Insensibilis est omnibus sensibus, sed reddit se omnibus cordibus sensibilem.

Duæ considerationes efficere poterunt partitionem sermonis de hoc argumento.

VII. 1. Sacramentum Eucharisticum replere debet fidelem interiori gaudio, & consolatione; neque enim a Deo fuit institutum, nisi ut testaretur homini amorem suum erga illum. Consideratio prima.

2. Quia Deus non instituit illud, nisi, ut homo vicissim *testaretur Deo suo amorem, quo illum prosequitur.* Altera consideratio. Quid jucundius cordi vere Christiano, quam certum habere pignus amoris Dei sui? quid suavius cordi vere Christiano, quam tribuere posse Deo suo pignus certum suæ dilectionis. *Sermo Manuscriptus P. Stephani Chamillard.*

VIII. Ut æquam tribuam ideam felicitatis, quam possidemus in adorabili Eucharistia, illam duabus veritatibus complector.

Veritas prima. In hoc Mysterio habemus fontem bonorum omnium, quæ fidelis in hoc Mundo potest exquirere. Sed ipsi illis frui non possumus, quin viva fide credamus, Deum nostrum vere recipi a nobis.

Secunda Veritas. In hoc eodem Mysterio habemus pignus æternæ felicitatis, quam post hanc vitam exspectamus: quo sensu amoris, & gratitudinis non debemus illud recipere? Argumentum hoc funditus pertractatum est in octava SS. Sacramenti, per Auctorem Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta.

IX. Considerare possumus quid pro nobis faciat Deus in hoc Sacramento. Ibi nobis abscondit per amoris excessum omnes perfectiones suas, omnesque nobis suas gratias communicat.

2. Quid nobis faciendum sit, ut tanto amori respondeamus; videlicet adorare cum fide, & amore Deum hunc absconditum, & recipere gratias, & beneficia ejus æque cum amore, & gratitudine. *Abbas de Monmorel in Evangelium Dominicæ secundæ post Pentecostes.*

X. Nimis ambitiosa non est hominibus, vel nimis insolens peccatoribus cogitatio, contendere, & sibi persuadere se in antecessum Cæli gloriam in Eucharistico Sacramento recipere; quandoquidem JESUS CHRISTUS sese nobis conjungens, delet naturæ nostræ turpitudinem, & peccati indignitatem, atque in hoc Sacramento tria nobis largitur, quæ efficiunt, ut per antecessum possideamus bonum, quod nondum est in manibus nostris. 1. Dat nobis gloriæ suæ pignora, 2. Jura ad gloriam suam, 3. Prægustationes, & quasi gloriæ præludia. Habere autem certa pignora, jura certa, prægustationes, & præludia boni, est, illud in antecessum possidere. *Biroat in serm. 5. Octavæ sua.*

XI. Divinum hoc Sacramentum Eucharisticum considerari potest, tamquam donum, quod Salvator largitur hominibus earum rerum, quæ in terris sunt pretiosissimæ, & secundum hanc qualitatem, tria in dono considerari possunt. Principium, a quo donatur, natura doni, & ratio donandi; ex quibus fieri potest partitio Sermonis de Eucharistia.

1. Si quærimus inæstimabilis hujus doni principium, liquebit esse Cor JESU CHRISTI, videlicet, amorem, quo cogitur ita se hominibus dare; sed amorem prorsus purum, ut ita dicam; hoc merum fuit amoris sui adinventum, quin ad id aliqua utilitatis illum impelleret causa, vel aliquod Patris imperium, neque necessitas perficiendi Opus Redemptionis nostræ: quandoquidem per Mortem suam exsolverat pretium illius. Hoc Mysterium facere omnino illi erat integrum, & Cor ejus ardens Caritate pro nobis fuit verum, & unicum hujus liberalitatis principium.

2. Si oculos conjicimus in hujus doni naturam, quæ fuit materia liberalitatis Dei, videbimus ipsum, quin aliena nobis conferret bona, voluisse prorsus tradere seipsum; licet enim in institutione, & prima hujus muneris distinctione meminerit solum Corporis Sanguinisque sui; nam hæ duo tantum partes sui ipsius ponuntur directe, & per vim verborum sub accidentibus Panis, & Vini; tamen per consequens, & naturalem concomitantiam, dat etiam, Animam, Divinitatem, cum bonis omnibus, quæ possidet, tum quatenus Deus, cum quatenus homo; quæ omnia complectitur sub hostiæ exilitate, quidquid in terris, & in Cælis maximum est, & pretiosissimum, qua in re latius licet excurrere, per comparationem, cum ceteris donis, quæ contulit nobis, & potissimum, cum Incarnatione.

3. Modus autem, quo Dei Filius se nobis tradit in hoc Sacramento, efficit donum *ipsum spectabilius*, & amorem ejus spectabiliorem. *Nam*, quin utatur aliis formulis *donationum*, quæ apud homines *vigent, excogitavit præclarum* inventum dandi sese, *quatenus cibum*, ut integrius, absolutius, & perfectius sit noster, ut nos arctius sibi conjungat. Quinam sint cibi effectus, quinam usus, & reliqua, quæ ad hoc argumentum possunt applicari jam omnibus constat. *Ex 4. Sermone Octav. Biroat.*

XII. Hæc S. Augustini verba desumi possunt pro argumento, & partitione sermonis: *O Sacramentum Pietatis! O signum novitatis! O vinculum Caritatis!* Tract. 26. in Joann.

1. Est Sacramentum Pietatis, videlicet effectus, & signum divini amoris erga homines. 2. Est signum Unitatis hominum cum Deo; quapropter S. Doctor animadvertit, Deum elegisse pro *Sacramenti hujus* materia ea, quæ *ad unitatem rediguntur*, videlicet, Panem, qui ex *pluribus granis fit*, & Vinum, ex *pluribus racemis, ad Spiritualem* Unitatem repræsentandam. 3. Vinculum Caritatis, quia medium est, quo homines simul cum Deo conjunguntur. *Ex eodem.*

XIII. Sermonis hujus ratio est probare titulum, quem gerit diei hujus festivitas consecrati in memoriam adorabilis Corporis JESU CHRISTI in augusto Eucharistiæ Sacramento, videlicet hoc antonomastice, & ob peculiarem prærogativam *esse festum Corporis JESU CHRISTI*. Propono igitur *me vobis ostensurum* JESU CHRISTI Corpus, non potuisse melius honorari, quam, per Mysterium Eucharistiæ, propterea dupliciter JESU CHRISTI Corpus considero; vel potius invenio JESUM CHRISTUM habere simul Corpus naturale, & mysticum. Corpus naturale est propria illius Caro, Caro hæc, qua pro nobis induitus fuit; Corpus autem mysticum est Ecclesia, quam sibi ille conjunxit, & incorporavit, secundum S. Pauli doctrinam. Dico itaque, hodiernum diem festum esse Corporis utriusque, quia simul est triumphus Carnis JESU CHRISTI & triumphus Ecclesiæ JESU CHRISTI: 1. Mundi Salvator non poterat melius Carnem suam honorare, quam instituendo, ut fecit, ex ea Sacramentum, & augustissimum Religionis nostræ Sacramentum, quod est Eucharistia. 2. Addo, hunc eumdem Salvatorem, non potuisse majorem Ecclesiæ suæ honorem conferre, quam relinquendo illi Carnem suam hoc pacto Sacramentum factam. Ita Ecclesia, & Caro JESU CHRISTI altera per alteram reciproce honoratur. Gloria Corporis JESU CHRISTI est, datum fuisse Ecclesiæ in Eucharisticum Sacramentum. Hoc videbitis in parte priori, & Ecclesiæ gloria est, recepisse Corpus JESU CHRISTI in hoc Sacramento, quod in posteriori parte videbitis.

Pro parte priori: gloriam Corporis JESU CHRISTI esse datum fuisse Ecclesiæ in Sacramentum Eucharisticum. Æquum erat, ut JESUS CHRISTUS Carnem suam honoraret, & duplici id exigebat causa. 1. Honor, quem huic Carni tribuerat contrahendi

cum

cum illa fœdus ita arctum in Incarnatione sua. 2. Extremæ humiliationes, ad quas illam redegerat in Passione sua, ut authentice repararet opprobria, quæ ille passus est in viis Jerosolymæ, cum de Tribunali ad Tribunal raperetur; & ut compensaret tot injurias, quibus adhuc efficitur quotidie a pravis Christianis, & hac de caussa colitur, honoratur, adoratur, ducitur in triumphum &c.

Pro parte altera Ecclesiæ gloria est recepisse, & possidere Corpus JESU CHRISTI in hoc Sacramento, namque ita 1. Honoratur reali præsentia Dei. 2. Honoratur alloquiis ejus, & intima illius familiaritate. 3. Honoratur etiam perfectissima unione cum illo, quandoquidem hic homo-Deus per hoc Sacrameptum sese conjungit cum fidelibus, qui sunt Ecclesiæ membra, & in quibus vult permanere. *In me manet, & ego in illo.* Joann. 6.

XIV. Cum Deus sit essentialiter perfectus in seipso, dat omnibus effectibus suis perfectionem, quam requirit natura operum suorum, & gloria Auctoris eorum: *Dei perfecta sunt opera.* Deuter. 32. Potissimum opus bonitatis, Potentiæ, & Sapientiæ Dei est JESUS CHRISTUS, Homo, & Deus; sed dicere possumus magnum JESU CHRISTI opus, esse Sacramentum Eucharistiæ, & hoc potissimum esse Opus, 1. Bonitatis ejus; hæc enim una suasit illi, ut se nobis daret in hoc divino Mysterio, non meritis nostris, neque alia qualibet ratione *illectus*. 2. Potentiæ suæ, quia in nullo alio operum suorum tot, & tam assidua ostendit prodigia, & cum Propheta dicere possumus, ipsum feciisse memoriam omnium mirabilium suorum. 3. Esse Opus, & admirabile inventum Sapientiæ, inveniisse modum non permanendi solum cum nobis, sed etiam in nobismetipsis, atque semet in statum adduxisse admirabile consilium in istud exequendi.

XV. De devotione erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Sive devotionis nomen in propria significatione accipiatur pro Religionis actu, seu in sensu magis populari, pro cultu, quem Sanctis rebus adhibemus, illam excitare consueverunt duo: primum quorum est magnitudo *Mysterii*, quod veneramur, & quod illius objectum est; alterum vero *illecebra*, & propensio, quam experimur potius erga alterutrum. Namque ubi agitur de devotione, non secus ac in rebus ceteris singuli habent peculiarem gustum, & Deus, qui non deducit omnes homines per viam eamdem, non omnes ad sui obsequium modo eodem traducit. Hinc vulgo duplex devotionis genus distinguitur, quarum altera consistit in cultu, qui debetur Deo, & quæ solida est devotio; altera autem in gustu, & suavitate, quæ in ejusdem famulatu percipitur: ostendendum autem in duplici Sermonis parte, utramque inveniri in devotione erga Eucharisticum Sacramentum.

1. Magnitudinem Mysterii, quod veneramur, & quod objectum ejus constituit, reddere devotionem, qua nulla in Christianismo solidior est.

2. Suavitatem, & consolationem, quam ibi Animæ piæ nanciscuntur constituere debere vulgatissimam excitationem Pietatis fidelium; videlicet, duplici verbo, cultum, & venerationem, quæ habenda est erga hoc adorabile Mysterium, esse simul devotionem omnium solidissimam, atque suavissimam. *Hæc partitio est argumentum novissimi Sermonis in octava Auctoris Sermonum in omnia argumenta Ethica Christiana.*

XVI. In hæc verba, *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Joann. 6.* ut unico Sermone complectamur, quod præcipue considerandum est in hoc admirabili Mysterio, mihi videtur redigi omnia posse ad tria puncta.

1. Ejus erit excellentia, quia Corpus, & Sanguis adorabilis JESU CHRISTI Dei, & hominis datur nobis in cibum animarum nostrarum. 2. Utilitas, quæ inde nobis cedit, quoniam hæc divina Caro eumdem habet effectum in animabus nostris, quem in corporibus esca. 3. Quomodo comedenda sit, & quas conditiones ex nobis requirat Dei Filius, ut illum digne manducemus.

XVII. Insignis Concionator, qui pro argumento octavæ totius de sancta Eucharistia sibi proposuit JESU CHRISTI consilia in Institutione Eucharistici Sacramenti, pro quinti sermonis argumento accepit tertium consilium Salvatoris in Eucharistia, quod est honorandi Corpus suum, de quo integrum habet Sermonem, & pro argumento sexti, consilium honorandi, & sanctificandi corpora nostra, de quo alium sermonem est elucubratus, sed mihi videtur fieri posse æquam unius tantum sermonis partitionem, duo illa argumenta in unum colligendo, atque ostendendo. P. Andreas Castillon.

1. Filii Dei in hoc Mysterio consilium, fuisse honorare Corpus suum.

2. Consequenter honorare, & sanctificare corpora nostra per arctam unionem, quam contrahit cum iis.

XVIII. De honore, & reverentia Eucharistico debita Sacramento.

1. Dei præsentia debet ubique ciere in nobis venerationem, & modestiam, quia per Sanctitatem suam, omnes consecrat locos, & Mundum in Templum convertit: Sed nullus est locus, ubi in nobis producere possit majores reverentiæ sensus, quam sub sacratis Eucharistiæ speciebus. Hic est Thronus gloriæ suæ super terram, in quo sancta sedet humanitas sua ad recipienda obsequia nostra, & Crucis ignominiam reparandam. Honor, quem illi tribuimus respondere debet, si fieri potest, opprobriis, quæ peccata nostra illi pepererunt; & si quid fidei in nobis est reliquum, non minus movere nos debet Mysterium hoc formidabile, quam si videremus Salvatorem ipsum animam efflare in Calvario. Altare, ubi quiescit, sanctissimus est Mundi locus, quoniam est, tamquam fons totius Sanctitatis. Ut huc veniat, infinita operatur miracula; ad hoc, ut præsentia sua augustior fiat, atque venerabilior. Opera gratiarum, quæ illic producit sunt ineffabilia, Mysteria, quæ instaurat, incomprehensibilia; omnes perfectiones, sive divinæ sint, sive humanæ, magna ibi in luce coruscant, & nitore suo commendant gloriam suæ humanitatis, cujus in hoc Mysterio ardenti flagrat zelotypia. Hæc tamen omnia possunt ne obsequia nostra, & nostram promereri reverentiam?

2. Reverentia, quam huic debemus Sacramento, ad supremum usque gradum adorationis debet pertingere. Deus illud constituit nostri cultus objectum, non secus ac fidei nostræ; per hoc distinguitur Caro Cælestis a vulgaribus carnibus; etenim Ecclesiæ Patres, ut illas secernerent, non tribuunt nobis celsius inditium cultu supremo, & reverentia, sive intrinseca, sive extrinseca, quam debemus illi. Hoc nos docet S. Augustinus: *Eucharistia discernitur a ceteris cibis veneratione singulariter ei debita.* Cultus, quem latriam vocamus, redditus fuit illi semper; hæc fuit omnium temporum consuetudo ab ipsa institutione, & universalis Ecclesiæ praxis, quæ debitam illi reverentiam, ad supremum usque adorationis gradum perduxit, quæ evidens est probatio Fidei, quam semper fovit de reali Corporis Dominici præsentia in hoc Sacramento. S. Augustin. Epist. 118. ad Joann. cap. 3.

3. Reverentia, & adoratio, quam reddimus Filio Dei, in hoc Sacramento, procedere debet usque ad annihilationem nostrummetipsorum coram ipso, quia adoratio non aliud est, quam voluntaria protestatio, quam facimus per nostram submissionem supremæ excellentiæ, & infinitæ Majestati Personæ illius, quam recognoscimus, & honoramus per confessionem nihili nostri coram ipso. *Ex P. Novet in meditatione pro die Corporis Domini, Tom. 3. vita mystica JESU CHRISTI.*

PROPOSITIONES

Pro Octava efficienda.

I. *Quemadmodum onus aggressus sum proponendi rerum copiam hoc in argumento, opera me pretium facturum duxi, si in medium afferrem propositiones in integra octava pertractandas, quæ prodesse poterunt aliis excogitandis ab illis, quibus negotium facessit electio argumenti, quod octo diversos, ac eadem de re sermones complectatur. Nonnulla huc afferam, iis prætermissis, quæ auctores in lucem edidere.*

Facile fieri possunt sermones octo de Eucharistico Sacramento, ubi cogitemus Dei filium, secundum relationes, quas habet cum nobis in hoc Mysterio; Regis, Salvatoris, Amici, Judicis, Pastoris, Capitis, Magistri, Patris. Singuli hi tituli, quorum officia replet erga nos perfectissime in hoc adorabili Sacramento, possunt singulis sermonibus copiam suppeditare.

SErmo primus. In primo sermone considerari potest qualitas Regis, atque ostendi, jure offerenda esse illi obsequia nostra, quia cum aliunde sit universorum Dominus, in qualitate hominis Dei in humiliatione, in quam descendit, tamen efficit, ut fulgeat Potentia, Sapientia, & Bonitas sua, quæ tres sunt qualitates maxime propriæ Regis, qui nonnisi per amorem suum, vult in nobis regnare. Debemus igitur in hoc humiliationis statu divinam illius Majestatem nostra adoratione, ac reverentia confiteri: debemus nosmet subjicere per obedientiam, quam exigit, suæ Potestati; admirari Sapientiam in adinventione sua, se nobis tribuendi in hoc Sacramento, & respondendi benefice illius Bonitati per amorem reciprocum. Deinde ostendi potest æquum esse, ut regnet in corde nostro, & deleat ibi affectus inconditos, qui tamquam tyranni illius sibi vendicarunt imperium.

Sermo alter. Multa occurrunt dicenda de titulo, & qualitate Salvatoris, quidquid enim hic homo-Deus fecit, & passus est in hac vita, in hunc unicum finem tendit; sed in hoc Sacramento 1°. Illis applicat fructum, & meritum actionum suarum, atque passionum. 2. Seipsum constituit medium salutis eorum procurandæ. 3. Præbet illis pignora voluntatis, quam habet, illos salvandi, &c. & plures invenire possunt divisiones, & plura argumenta ad replendum Sermonem hujus argumenti.

Sermo

Sermo tertius. Sæpe sibi vindicavit qualitatem amici nostri; & amicos vocavit Discipulos suos, & etiam postquam liberavit homines de servitute peccati, & Dæmonis, illos sua dignatus est amicitia. Sed in hoc Mysterio potissimum replet officia omnia amici veri, officiosi, fidelis, & constantis. Nos invitat, & recipit in Sacra Mensa; patitur nos secum agere per quam familiariter. Nobis fert opem in necessitatibus; nos visitat, & consolatur, ac tribuit auxilium, quod ab ipso possumus exspectare. Deinde late differere possumus de iis, quæ a nobis facienda sunt, ne præbeamus nosmet indignos sua amicitia; sed eam excolamus, & respondeamus illi peculiari confidentia, quæ in illo a nobis est constituenda.

Sermo quartus. Hoc in Mysterio considerare possumus Dei Filium, tamquam Judicem nostrum, qui sæculorum finem non exspectat, ut hoc munere perfungatur; quandoquidem jam in hoc Sacramento secernit bonos a malis, alios quidem remunerans, & alios puniens; ita ut Apostolus asserat, eos, a quibus indigne recipitur, jam sibi Judicium, & damnationem manducare. Sed Judex est, quem levi negotio mulcere possumus, qui se nostrum facit advocatum, qui pro nobis intercedit, qui se in eum statum adduxit, in quo facilem in singula momenta habere possumus aditum ad ipsum, & a quo exspectare possumus sententiam favorabilem.

Sermo quintus. In Evangelio sumit sibi Pastoris qualitatem: *sed ubi* nam libentius, & accuratius hoc fungitur munere, quam in hoc Sacramento, in quo alit *oves suas*, videlicet justos, proprio Corpore, & Sanguine? Nonne tuetur illos ab inimicis, qui insidiantes illos eripere conantur per tentationes; illas adducit per vias tutas, & ubi deerraverint, revocat in ovile, & deinde ad vitam æternam adducit, &c.

Sermo sextus. Qualitas Capitis, quam illi tribuit Apostolus, nobis illum considerandum proponit, tamquam caput Ecclesiæ, quia, quamvis sit invisibilis; eam tamen regit, substinet, cum illa permanet, illi communicat Spiritum suum, & effundit gratias suas super illam &c. & secundo a nobis considerandus est, tamquam caput, cujus ipsi membra sumus. Intime sumus illi conjuncti, in hoc Sacramento, quatenus mysticum Corpus illius, per ejusdem Panis participationem, quemadmodum *idem docet Apostolus*.

Sermo septimus. Pro Magistri qualitate, quam exercuit toto vitæ suæ spatio, erudiens populos per doctrinam suam, atque exempla, nunquam melius se gessit, quam in hoc Mysterio. 1. Per veritates, quas nos docet, & quas ab ipso uno didicimus. 2. Per exempla virtutum, quæ nobis tradit.

Sermo octavus. Concludi potest per Patris qualitatem, qui postquam nobis in aliis Sacramentis supernaturalem, ac divinam vitam largitus est, fovet, & perficit illam in hoc.

II. Pro argumento octavæ de hoc adorabili Sacramento, assumi potest Psalmus 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.* nam deprehendere possumus in totidem versiculis præcipuos effectus divini hujus Mysterii, qui totidem suppeditare possunt argumenta sermonum æque moralium, & propriorum sollemnitatis, quam celebrat Ecclesia.

Primus sermo. Acceptis pro textu primis verbis illis, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: Ostendere possumus, cum eo in loco simus, ubi Pascua ubertate suo læta sunt, per hoc Sacramentum, nihil nobis deesse posse ad veram, solidamque beatitudinem in hac vita; nos nihil in pretio habere debere, nisi, quod pertinet ad æternam felicitatem, quam speramus in altera, quia in hoc Mysterio invenimus, 1. Remedium omnium malorum. 2. Cumulum omnium bonorum, cum possidemus Deum, qui nobis locum tenet rerum omnium.

Sermo alter desumitur ex verbis ejusdem Psalmi: *Super aquam refectionis educavit me, & animam meam convertit*. Ostendendo Filium Dei, cum nos in Ecclesia constituerit per aquas Baptismi, hoc feciisse, ut vitam mutaremus, & veram, atque sinceram conversionem faceremus. 1. Cujus habemus exemplar in mutatione, quæ fit de Pane, & Vino in Corpus, & Sanguinem Salvatoris, mutatione interiori, & ipsa substantia, non autem solum exteriori: mutatione totali, & integra, quin aliquid de priori substantia supersit: mutatione tamen solum interiori, quæ extrinsecus non apparet. Ita Animæ conversio esse debet interior, & in imo corde: esse debet integra, quin aliqua supersit adhæsio peccato; fieri potest, quin status, vel conditio mutetur, mutata solum ratione vivendi. In altero puncto ostendendum est, Dei Filium in SS. Sacramento operari conversionem peccatoris, & quomodo ipse sit causa illius, quæ vocatur efficiens. 1. Quia exigit hanc mutationem, & conversionem, tamquam necessariam dispositionem ad ipsum digne recipiendum. 2. Quia aufert peccati reliquias. 3. Quia auget gratiam, & nonnunquam confert illam, &c.

Sermo tertius erit in hæc verba: *deduxit me super semitas Justitiæ propter nomen suum*. Ubi ostendere possumus per Eucharistiæ Sacramentum, nos adduci in viam perfectionis, & Justitiæ, & in virtutibus crescere, atque proficere. 1. Quia proprius hujus Sacramenti effectus est, producere in nostris animabus fervorem Caritatis, qui efficit, ut illæ crescant in Sanctitate, quemadmodum calor naturalis est principium augmenti corporum nostrorum. 2. Quia cum Sacramentum sit cibus animarum nostrarum, in illis id præstat, quod esca in corporibus nostris; vitam alit supernaturalem, roborat illas, efficitque, ut virtutes magis heroicas exerceant.

Sermo quartus. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Umbra mortis Sanctorum Patrum, interpretumque sententia, est occasio peccati, quæ in Mundo communis est; frequentia ibi sunt pericula cedendi tentationibus, sive extrinsecus, sive intrinsecus accidant. Sed in Eucharistia validum invenimus subsidium ad resistendum omnibus inimicis cum domesticis, tum alienis, sive illis palam sit repugnandum, quod sæpe accidit; hoc Sacramentum adorabile nobis est refugium, & virtus, ut loquitur Propheta, refugium est nostrum, quia protegit nos ad illud confugientes, & virtus est nostra, quia fert opem repugnantibus, ita ut dicere possim cum S. Augustino, *refugium est, ut fugientes excipiat, virtus est pro pugnantibus*. Refugium est, in quo tuti sumus, ubi confugimus illuc, virtus est, quæ nos pugnantes victores facit, ita ut, cum Deus est nobiscum, *nihil nobis* timendum sit adeo valido subsidio protectis: *non timebo mala, quoniam tu mecum es*.

Sermo quintus: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Ubi ostendere possumus nos in Filio Dei, qui in hoc adest Sacramento, invenire in gravissimis hujus vitæ ærumnis consolationem. Tria, quæ solatium afferre solent afflicto, sunt, 1. Fidelis, & potens amicus. 2. Magnæ virtutis, & constantiæ exemplum, quod versatur ob oculos nostros: 3. Pignus amplissimæ remunerationis, quæ tria satis abunde invenimus in *Salvatore huic Mysterio præsente*.

Sermo sextus in hæc verba: impinguasti in oleo caput meum, & Calix meus inebrians, quam præclarus est. Ostendi possunt deliciæ, & suavitates, quas Animæ Sanctæ in hoc gustant Sacramento; sed ad illas probandas requiritur gustus probatus. Renunciandum est terræ deliciis, quemadmodum Israelitæ non receperunt cæleste Manna, nisi postquam dereliquerunt Epulas, quibus in Ægypto vescebantur.

Sermo septimus: *E. Miser cordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Ostendendum est, quomodo frequens divini hujus Sacramenti usus faciet nos in bono perseverare per peculiare divinæ Misericordiæ Patrocinium, & ejus ope, finalem obtinere perseverantiam; & dicere possumus, *Filium Dei*, per Sacramentalem præsentiam, *id efficere*, quod fecit per corporalem præsentiam erga Apostolum suum: *Pater quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam*. Ad hanc veritatem probandam, considerare possumus in sancto Sacramento hunc Deum-hominem in duplici statu, vel in statu usus, & perfunctoriæ visitationis in nobis, vel in statu perpetuæ mansionis in Altaribus nostris; quatenus receptus in pectoribus nostris, est quasi custos corporis nostri, qui nos protegit, atque tuetur contra omnes nostrorum inimicorum incursus, omni nisu contendentium nos ab illius tamulatu divellere, tamquam ignavos perfugas; & quatenus manet in Altaribus nostris, orat, atque intercedit pro nobis, & pro fidelibus facit, quod fecit in gratiam S. Petri paullo antequam pateretur. *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*.

Joann. 18.

Luca 22.

Sermo octavus, & ultimus: *ut inhabitem in Domo Domini in longitudinem dierum*. Ostendi potest, quomodo Sanctum Sacramentum Viatici loco receptum, nobis admirabilem fert opem ad bene moriendum. In morte duo sunt valde terribilia, videlicet separatio ab iis omnibus, quæ nobis sunt antiquiora, & transitus ad beatam, vel miseram æternitatem, quæ ad huc incerta est. Sed Sanctum Sacramentum hæc duo nobis efficit optabilia, quæ suapte natura magis essent reformidanda. 1. Quia sublato errore bonorum fallacium hujus Mundi, & illustrati lumine cælesti, sine dolore, relinquimus ea, quæ, cum periculo vitæ nostræ possidemus. 2. Quia Filius Dei, tamquam perfectus amicus venit, ut visitet nos, nobisque suum promittat auxilium in eo, in quo versamur, periculo, faciens se simul Viaticum, & Ducem nostrum, ut nos deducat usque ad beatissimum terminum, quo tendimus. Nobis est igitur sperandi locus, ipsum recepturum esse nos in sinum suum, postquam receperimus illum in nostrum, in Sacramento; ipsumque mensurum esse illam acceptionem, qua nos in Cælum recipiet, ostendendo semet facie ad faciem, prout illum in terra acceperimus, dum sub Sacramentalibus latebat integumentis.

Sanctus

III. Sanctus Ambroſius in libro de Sacramentis verba faciens de effectibus Euchariſtiæ per enumerationem oſtendit Dei Filium in hoc Myſterio ſatisfacere omnibus neceſſitatibus noſtris in hac vita, ſimulque nobis octo ſuppeditat argumenta totidem Sermonum pro Octava. Ita loquitur: *Si tenebras fugis, lux eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi vulnus curare deſideras, medicus eſt; ſi gravaris iniquitate, Victima eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi Cælum deſideras, via eſt.* Argumenta igitur Sermonum hæc ſunt.

1. *Si tenebras fugis, lux eſt.* In hoc Mundo ſumus, tamquam in regione tenebrarum. Modicum lumen, quod ratio ſine fide nobis ſuppeditat, plerumque nos in errorem inducit. Denſis tenebris involuti in ſingulos ferme gradus ceſpitamus; non diſtinguimus objecta, quemadmodum accidit noctu, malum pro bono accipimus, & bonum pro malo. Ignoramus viam, quam ſequi debemus eo, quo tendimus, perventuri, & ſecuti fallacia placitorum ſæculi lumina, deducimur in præceps. Sed divinum hoc Sacramentum, merito a quibuſdam Sanctis Patribus appellatur Myſteſterium luminum, quorum ope detegimus veritates, quæ noſtram ſuperant rationem. Hæreticis error offertur; fideles illuminati tuto ambulant, quin errore viarum decipi reformident: inſignes peccatores redeunt de erroribus ſuis, & illi, qui cæcutiunt propter fallacia præjudicia, oculos aperiunt veritati. Auguſtum hoc Sacramentum, Fidei Myſterium vocatur, non ſolum quia unum eſt ex præcipuis objectis, quæ credenda ſunt; verum etiam quia nos erudit de ceteris, quæ ſupponit, vel complectitur, vel detegit. Non erit difficile, ex omnibus his ſententiis, argumentum Sermonis efformare.

2. *Si febribus æſtuas, fons eſt.* Ex ipſius Sancti Ambroſii ſententia, concupiſcentia, quæ nos trahit in malum, eſt maligna, ac violenta febris, quod ipſum dicendum eſt de ambitione, de avaritia, atque aliis cupiditatibus, quæ totidem ſunt febres ardentiſſimæ: *febris noſtra libido eſt.* Hoc poſito, facile oſtendere poſſumus Euchariſtiam, ſecundum S. Chryſoſtomi ſententiam, qui argumentum hoc pluribus in locis pertractavit, Euchariſtiam moderari vim affectionum noſtrarum, earum impetum cohibere, aquæ ſimilem eſſe ignem, & ardorem extinguenti, tam in illis, quæ ſuum habent principium in corpore, quam in illis, quæ originem habent in ſpiritu, cujuſmodi ſuperbia eſt. In ultimo paragrapho non deerit copia ad argumentum hoc pertractandum.

3. *Si vulnus curare deſideras, Medicus eſt.* Vita hæc, dicit Scriptura, jugis eſt pugna contra viſibiles, & inviſibiles hoſtes, cum quibus inceſſanter fere manus conſerimus; moraliter igitur fieri non poteſt, ut vulnus aliquod non recipiamus; tunc vero potiſſimum cum infirmitas, atque fragilitas ſit pars naturæ noſtræ contra primi parentis peccatum; Anima noſtra iis *eſt morbis obnoxia, qui* non minus periculoſi ſunt, quam ægritudines corporis. Quapropter Medico, & pharmaco indigemus, quorum utrumque in Euchariſtia reperimus. JESUS CHRISTUS, qui mortalis ſuæ vitæ tempore *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes*, Actor. 10. præbuit ſe medicum Animarum noſtrarum, & curavit illas non ſine omni genere miraculorum. Explicandum eſt, quænam ſint hæc vulnera, & infirmitates, quibus laboramus, & quanam fiducia nobis confugiendum ſit ad hunc Medicum Salvatorem, & utendum iis remediis, quæ in divino hoc Sacramento reperimus.

4. *Si gravaris iniquitate, Victima eſt.* Si obruimur pondere iniquitatum noſtrarum, quarum veniam conſequi optamus, oſtendendum eſt, quomodo Euchariſtia eſt verum Sacrificium, quod, quamvis diverſum, quoad modum, ab eo, quod Filius Dei obtulit in Cruce pro Mundi totius peccatis, omnia tamen complectitur illius merita, omnemque virtutem, quam in hoc applicat nobis; ſed Sacrificium hoc, cujus Salvator eſt Victima, debet eſſe conjunctum cum Sacrificio noſtrorummetipſorum, quemadmodum in ſuperiori titulo explicuimus, atque per divini hujus Sacrificii virtutem obtinebimus Miſericordiam, quantacumque ſit criminum noſtrorum multitudo.

5. *Si cibum quæris, alimentum eſt.* Cum alimenta omnino ſint neceſſaria ad ſervandam corporum vitam, nos quoque cibo indigemus ad ſervandam vitam Animæ, quam per ſanctificantem gratiam accepimus; quapropter in hoc Sermone oſtendere poſſumus, Cæleſtem Cibum, quem recipimus in Euchariſtia, ſervare vitam ſupernaturalem communicatam nobis in Baptiſmo, vel in Pœnitentiæ Sacramento; per hanc eſcam Anima noſtra reparat vires ſuas, creſcit in virtute, & ſanctitate, atque indipiſcitur Chriſtianam perfectionem, quam ab illa exigit Deus.

6. *Si auxilio indiges, virtus eſt.* Procul dubio valido indigemus auxilio, ad ſubſtinenda prælia, quæ inferunt nobis ſalutis noſtræ inimici, ut reſiſtamus violentis, atque importunis tentationibus, quibus ſæpe laceſſimur. Oſtendere igitur poſſumus, quamvis nunquam deſint nobis ſufficientes gratiæ, ut omnibus hiſce incurſibus reſiſtamus, nihilominus, per uſum hujus Sacramenti recipere has validas, & efficaces gratias, quibus victores evadimus.

7. *Si mortem times, vita eſt.* Si timemus mortem, ſive temporalem corporis, ſive æternam Animæ: hoc æternæ Vitæ Sacramentum, quo nomine in Scripturis vocatur, nos contra utramque confirmat: Sedat terrores Mortis, & nobis certum tribuit pignus glorioſæ Reſurrectionis, atque inſtar Viatici, nos ad beatam æternitatem, debet adducere.

8. *Si Cælum deſideras, via eſt.* Denique Sanctus Ambroſius concludit: Si in Cælum pervenire cupimus, & ad beatam anhelamus Sedem, quæ noſter eſt terminus, Sacramentum hoc via eſt, quæ adducit illuc, per fidem, ſpem, & caritatem, quarum objectum eſt, & ratio in adorabili Euchariſtiæ Sacramento; & ſi fides eſt adhibenda Sanctus Chryſoſtomus ait, Sacramentum hoc efficit, ut hæc terra fiat Cælum pro nobis; quia ibi poſſidemus idem objectum, quod Beati poſſident, licet alio modo. Illi quidem, per claram viſionem divinæ eſſentiæ ſuæ. Nos autem per fidem, & ſub ſymbolis atque integumentis. Habemus in illo pignus beatitudinis, quam nobis pollicitus eſt Deus, & quam exſpectamus, & præſertim nobis oſtendit viam per eas virtutes, quarum in hoc Myſterio nobis præbuit exemplum.

IV. Quemadmodum Deus tegit, detegitque ſimul omnes divinas perfectiones ſuas in hoc adorabili Myſterio, ita octavæ totius arripere poſſumus argumentum aſſumentes pro textu ſingulorum Sermonum, illa Iſaiæ verba: *Vere tu es Deus abſconditus.* Iſaiæ 45.

1. Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI realiter adſunt in hoc auguſto Myſterio, ſed ſub accidentibus Panis, & Vini latent; nunquam melius probavit præſentiam ſuam, neque validiora præbuit argumenta hujus veritatis de Fide, ut id credere cogeremur.

2. Abſcondit ibi Omnipotentiam ſuam ſub infirmitate horum accidentium; ſed nunquam magis ſuam nobis oſtendit Poteſtatem.

3. Sapientia ſua deſeruiſſe videtur illum objiciens eum omnibus indignitatibus, quibus prævidebat illum affectum iri ab impiis, & peccatoribus; ſed nunquam melius eam in luce protulit, quam nactus hoc eximium medium, ſeſe hominibus dandi.

5. Dei Immenſitas redacta eſt ad punctum in hoc Myſterio, & per admirabile prodigium tribuit quamdam immenſitatis ſpeciem Corpori, quod eſſe poſſit ſimul in omnibus locis per Conſecrationem totidem hoſtiarum, quæ ad illos replendos requirerentur.

6. Sanctitas Dei, quæ ex Sancto Dionyſio ſita eſt in puritate infinita, & infinite ſepoſita ab omnibus ſordibus peccati, continetur in Humanitate Salvatoris, quæ Sancta eſt ſanctitate Verbi ejuſdem, cum qua erat arcte conjuncta, ſed in hoc Myſterio æque inviſibilis eſt, ac Divinitas, & Humanitas hominis-Dei; nihilominus perfecte ſeſe prodit per effectus, eo uſque, ut huic Sacramento tribuat nomen Sancti, quia ſanctificat Animas noſtras, eaſque ad altiſſimam perfectionem attollit.

7. Gloria ejus ibi prorſus latet, neque enim, vel minimus ejuſdem emicat radius; ſed in hoc ſtatu ſibi procurat maximam extrinſecam gloriam, quam exſpectare poſſet ab adoratione Angelorum, & hominum, & a ſubmiſſione, & obſequio, quod illi omnes præſtant Creaturæ.

8. Denique Bonitas, & Juſtitia Dei, quæ ſunt quodammodo abſconditæ pleriſque Hominibus, ſeu quod illi ad hoc non ſatis attendunt, ſeu quod illi magnitudinem earum non cognoſcant, hæc inquam Bonitas, & hæc Juſtitia, nunquam melius apparent, quam in hoc Sacramento adorabili, in quo priorem quidem oſtendit in maximo omnium beneficiorum ſuorum, quale eſt, ſeipſum dare; poſteriorem vero per ſupplicia, quibus ſæpe viſibili modo percuſſit eos, qui ſua bonitate abutuntur.

V. Quemadmodum Salvator Mundi in hac adeo ſollemni feſtivitate pretioſi Corporis ſui defertur in triumphum cum pompa, qua Sponſa ejus Eccleſia, & fidelium pietas illum honorare conſueverunt; mihi quidem videtur, conſiderari poſſe in hac publica cæremonia, tamquam victor, cui jure triumphi gloria defertur propter victorias, quas hic homo-Deus, per Euchariſtiam reportavit, & quæ ad Octonarium numerum redigi poſſunt, ut ſingularum Elogium conficiatur, oſtendendo fructum, qui inde percipi poteſt.

Prima eſt victoria de humanis mentibus relata per fidem Myſterii, quod fallit omnes ſenſus noſtros, quod rationem ſuperat, atque triumphum egit de incredulitate hominum pertinaciſſimorum, cogendo eos, ut ſe ſubjiciant veritati, quam ſola Dei auctoritas potuit perſuadere.

Altera victoria, quæ nihilo minus difficilis fuit, & quæ non minori labore ſtetit, quam prior, relata fuit de hominis corde, quia ad triumphum de illius ſenſus carentia, triumphum referendum, ipſumque

divino

divino Amore inflammandum, *nil magis proficit*, quam videre amorem ejus, in hoc Mysterio.

Tertia generatim de peccatoribus relata fuit, per gratias, quas offert illis, & quas de Cælo detrahit ad illos convertendos, dando illis in hoc divino Mysterio prototypum *perfectæ* conversionis, & veræ mutationis vitæ.

Quarta relata fuit peculiariter de hæreticis per invicta realis præsentiæ suæ Argumenta; ita ut intollerabilis tantum pertinacia prohibeat, ne victas dent manus huic veritati.

Quinta relata est de impiis, qui Eucharistiam dedecorant irreverentia, & profanationibus suis, ubi ostendi potest, honorem, qui illi præstatur, & obsequium, quod in hac celebritate adhibetur illi esse reparationem injuriarum, quibus sacrilegi illam afficerunt, & afficiunt quotidie.

Sextus victoria est de tepidis, & languentibus in cultu Dei, quæ fit excitando eorum fervorem, novasque vires illis inspirando.

Septima refertur de inconstantibus, qui sæpe in eadem recidunt crimina, cum nihil aptius inveniatur ad figendam eorum voluntatem in bono, & in praxi virtutum, quam sæpe ad hanc sacram Mensam accedere.

Octava de illis, qui impediti sunt molestis negotiis, & conditionibus ad salutem periculosis. Cum divinum hoc Sacramentum validissima sit ratio illius substituendi, in occasionibus pereundi, & roborandi illos in sua imbecillitate.

VI. Eucharisticum Sacramentum magnum est, & admirabile Mysterium, quod alia plura complectitur. Ea præcipua, quæ totidem Sermonibus materiam suppeditare possunt in singulos Octavæ dies, qui morales effici possunt, ideoque utiles.

Primum est Mysterium Fidei, variis modis præfiguratum in lege veteri, ut nos disponeret ad eximium opus Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei. In lege nova vocatur Mysterium fidei. 1. Quia illum non cognoscimus per explicitam revelationem Auctoris sui, qui cum aliquandiu antea illud promisisset nobis, tandem instituit in pervigilio Mortis suæ, ut esset æternum Passionis suæ monumentum. 2. Quia unum est ex præcipuis fidei nostræ articulis, & infinite positus supra rationem nostram. 3. Quia ad illud digne recipiendum, viva fides est asserenda, &c.

Secundum Mysterium est *Amoris, quod aperit nobis dimensiones Caritatis divinæ* erga nos; & in quo discere possumus, quomodo tanto huic amori respondeamus.

Tertium est Mysterium Sacerdotii JESU CHRISTI, secundum Ordinem Melchisedech, in cujus Societatem vocavit Sacerdotes, quibus dedit potestatem illud perennandi, usque in finem sæculorum; immo etiam Christianos omnes, quamvis alio in sensu, aliomodo illos S. Petrus Apostolus vocat.

1. Petri 2. que modo. *Gens sancta, regale Sacerdotium*, quo-

Quartum est Mysterium Sacrificii, quod illud Crucis repræsentat, ejusque fructum, & meritum applicat nobis.

Quintum est Mysterium Humilitatis, in quo discimus, quo usque Dei Filius propter amorem nostrum sese humiliaverit, & quomodo virtutem hanc debeamus exercere.

Sextum est Mysterium Patientiæ; patitur enim sexcenta indigna ab infidelibus, hæreticis, pravisque Christianis. Hic est prototypus, quem sequi debemus, cum injuriis afficimur.

Septimum est Mysterium Sanctitatis, institutum ad sanctificandos homines, præbendo illis exemplum alienationis ab omnibus Mundi rebus.

Octavum est Mysterium Gloriæ. 1. Pro JESU CHRISTO, qui ab Angelis, & hominibus adoratur. 2. Pro Patre Æterno, cui illam procurat. 3. Pro hominibus, quibus illam pollicetur, & quibus vult hoc Mysterium esse pignus, ita ut ille videatur in antecessum eam nobis conferre, dans nobis seipsum.

VII. Non desunt Concionatores, qui ut Sermones suos Didascalicos efficerent, atque Ethicos, elegerunt pro argumento Octavæ totius præcipuas virtutes, quarum Salvator nobis præbet exemplum in hoc admirabili Sacramento, diebus singulis, singulas proponentes.

Pro die prima per occasionem humiliationum Filii Dei in hoc Mysterio ostendit, nobis imitandam esse illius humilitatem.

Die secunda agunt de ardenti, & benefica illius Caritate erga homines, & regulas tradunt Caritatis a nobis cum fratribus servandas.

Tertia die tractant de Obedientia, quam præbet Ministris suis semper præsens in hoc Mysterio, simul ac illi proferunt verba Consecrationis; admituntur enim hoc exemplo faciliorem nobis præbere Obedientiam, quam debemus iis, qui sunt nobis positi.

Quarta die hortantur ad lenitatem, atque patientiam, differentes de contumeliis, quas eo in statu patitur Salvator.

Quinta die loquuntur de mortificatione corporis ad exemplum Salvatoris in hoc statu carentis usu omnium sensuum suorum.

Sexta die ostendunt JESU Misericordiam facientis se Victimam pro remissione peccatorum nostrorum, nobisque applicantis fructum, & meritum Sacrificii Crucis, ut discamus dimittere inimicis nostris, & jugulare in nobis sensum injuriarum, quas accipimus.

Septima die agunt de Zelo ardenti salutis hominum, qui impulit Salvatorem ad permanendum nobiscum in hoc Sacramento, & excitant nos ad laborandum pro fratrum salute, quacumque possumus ratione.

Die vero octava, & ultima ostendunt constantem, fidelemque amicitiam, quam JESUS testatus est hominibus, cum ante mortem, tum post illam, constantem inquam amicitiam, quam mors frangere non potuit, quoniam vult per hoc idem hoc Sacramentum permanere cum illis, usque ad consummationem sæculorum, & cujus certissima illis præbuit monumenta, dans seipsum illis tamquam Cibum, donec vivunt, & Viaticum, cum moriuntur, ut illos in Cælum perducat, quæ nobis validissima esse debet caussa, ut fideles simus illi, & usque ad obitum in illius servitute perseveremus. VIII.

Nonnulli sese coarctant ad solum amorem, quem Dei Filius nobis testatus est in hoc Mysterio adorabili, deligentes, pro textu, verba illa: *cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*. Et mox pro argumento Sermonum singulorum acceperunt aliquam proprietatem, vel qualitatem amoris hujus, ut mutuum in nobis amorem excitarent.

1. Ibi deprehendi potest amor ardens sese nobis tradendi, quemadmodum ipse in Evangelio asserit; *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*.

2. Amor liberalis, & prodigus, qui dat omnia, qui vult esse nobis omnia, ac totum sese in usus nostros impendit: *totus in usus meos expensus*, Bernardus ait.

3. Amor agens, fortis, & generosus, qui efficit, ut nihil prætermittat ad obtinendum, quod cupit; *Amor, si verus est, magna operatur; si vero operari renuit, Amor non est*. S. Gregorius ait.

4. Amor uniens, per *quem cum nobis* contrahit unionem, *qua nulla esse potest major* in natura.

5. *Amor integer, qui primus nos quærit*, quin indigeat nostri.

6. Amor amicitiæ, quo nobiscum agit, tamquam cum amicis, nos excipit Convivio, & patitur, ut, quovis tempore ad illum accedamus, & perquam familiariter agamus secum.

7. Amor indulgens eo usque; ut non fastidiat frigus, ac teporem nostrum.

8. Amor fidelis, & constans, qui primus nunquam nos deserit, & in ipsa Morte præbet se nobis in Viaticum; ut nos perducat in Regnum Caritatis, ut inquit Scriptura, ipsum in omnem æternitatem amaturos.

Argumentum *hoc desumptum est a veteri nescio quo* IX. *Sermonum Scriptore, quod facile* redigi posset *ad eam, quæ hodie viget*, prædicandi consuetudinem, & totidem fieri possent Sermones pro hujus Mysterii Octava, eligendo videlicet octo figuras maxime naturales ex lege antiqua, quæ divinum hoc nobis Sacramentum repræsentant, & per effectum proprium, & peculiarem, nobis indigitant singulorum Sermonum materiam.

Prima, eaque vetustissima *hujus Sacramenti figura*, fuit Arbor Vitæ, *cujus virtus erat præservare a morte*. Naturalis est *applicatio*, & locum præbet exponendo *effectus hujus* Sacramenti, quod servat vitam Animæ, cum præservat a peccato, quod ei mortem affert, extrudit affectus inordinatos, eamque æterna Vita dignam facit.

Secunda est Manna, de quo recurret Sermo deinceps, & cujus non est necesse comparationem instituere, ut suppetat justo sermoni materiam.

Tertia est Arca fœderis, quæ non minores habet cum hoc Mysterio rationes. Judæi illam singulari veneratione colebant, quoniam habebant illam, tamquam instrumentum *miraculorum* Domini, tamquam oraculum, ad quod *confugiebant*, & tamquam eam rem, qua nulla *sanctior*, & pretiosior esset in Mundo propter ea, quæ continebat; & desumi potest occasio ex reverentia, qua Arca ista excipiebatur, & cujus palam meminit Scriptura, desumi, inquam, potest occasio loquendi de cultu, & veneratione, quam fovere debemus erga Eucharistiam.

Quarta Sacerdotium, & Sacrificium Melchisedech suapte natura viam aperit ad agendum de incruento Corpore, & Sanguine Filii Dei in Eucharistia.

Quinta Panes Propositionis, & Mensa, quam Moyses Dei jussu extruxerat, e Patrum sententia, figura est Eucharistiæ, ubi Cælestis Panis fidelibus distribuitur. Notari possunt necessariæ dispositiones, cum quibus accedere debemus ad Mensam hanc, futuri Sancti hujus Mysterii participes.

Sexta

Sexta est Panis subcinericius ab Angelo allatus ad Eliam Prophetam, cui iter suum prosecuturo vires deficiebant; sicut enim Panis hic præbuit vim Prophetæ ad ambulandum, Panis Eucharisticus considerari potest, tamquam Panis Cælestis, vi cujus substinemus labores vitæ, & pervenimus eo, quo contendimus in Cælum.

Septima in Assueri convivio, quod, procul dubio, fuit figura Eucharistiæ, latius sermo haberi potest de magnificentia, quam ostendit Deus ea in Mensa, quam præparavit omnibus fidelibus, de duratione hujus Convivii, de gustu, & deliciis, quæ ibi inveniuntur, pretiosisque Dapibus, quæ ministrantur.

Octava est celebre illud Convivium, de quo Sanctus Lucas admirabilem habet parabolam. *Homo quidam fecit Cœnam magnam*, quæ vulgo applicatur ad frequentem Communionem, & futiles excusationes, quas afferunt homines, ne huic intersint Convivio. Lucæ 14.

X. In 4. Tomo Meditationum P. Novet, cui titulus *Mystica JESU CHRISTI Vita in SS. Sacramento*, plures sunt de hoc Mysterio Sermones, qui cum meditatione, quæ singulos Sermones subsequitur, & quæ fructus est inde hauriendus, præbere possunt materiam integræ Octavæ.

Primus est in verba illa: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 2.* Ostendit Eucharistiam esse Panem omnium filiorum Dei, & JESUM CHRISTUM illos ad Mensam invitare; in meditatione vero docet, qua reverentia Cælestem hunc Panem recipere, & ad hanc Mensam debeamus accedere.

Secundus. Filium Dei invitare pœnitentes omnes ad Mensam hanc, atque illi proponit in hoc Sacramento, verum conversionis exemplar.

Tertius. Dei Filium invitare omnes, qui tentantur, & in periculo versantur cedendi, & mox ostendit illos, qui crebro accedunt ad Sacramenta, & frequenter communicant, habere debere magnum imperium in suas cupiditates, magnumque animum ad propulsandos hostes salutis suæ.

Quartus SS. Sacramentum esse Thronum Misericordiæ Dei, ad quem miseros & mœrore confectos accessit, ut consoletur, & opem ferat ærumnis eorum.

Quintus est de spirituali gaudio, quod effundit Dominus in corda nostra in hoc Sacramento, cum illud devote, ac ferventer accipimus.

Sextus. A JESU CHRISTO ad Mensam hanc invitari, qui mortem timent, & vitam suam communicari illis, qui fiunt hujus Eucharistiei Mysterii participes.

Septimus. Filium Dei in hoc Sacramento esse peccatorum perfugium, sese offerre divinæ Justitiæ pro illis, iisque gratias exhibere, ut cum Deo revertantur in gratiam, ejusque flectant iracundiam.

Octavus. Dei Filium offerre se positis in agone, ut eos consoletur, eisque in mortis extremo spiritu subveniat.

Videri possunt omnia hæc argumenta fusius pertractata a P. Novet loco cit.

Cum nimis magna concionatorum copia sit, qui ediderint Octavas hujus argumenti, & singuli varia elegerint argumenta, & varie Sermones suos instituerint, allatis decem, duo tantum subjiciam.

XI. Biroat pro argumento Octavæ delegit vitam JESU CHRISTI in Divino Sacramento.

Sermo primus. Vitam absconditam Salvatoris.
Sermo secundus. Vitam humiliatam.
Sermo tertius. Vitam Sacrificatam.
Sermo quartus. Vitam Amoris, & Caritatis.
Sermo quintus. Vitam gloriæ.
Sermo sextus. Vitam gratiæ.
Sermo septimus. Vitam operationis.
Sermo octavus. Vitam, quam vocat, consummationis. Videri apud auctorem potest, quomodo solide, & methodice singulos Sermones pertractaverit.

XII. P. Castillon in posthuma Octava, alia instituit via, non minus recta, ostendens consilia JESU CHRISTI in Eucharistiæ institutione.

Primus Sermo est veluti prolegomenon, & ostendit JESU CHRISTI humiliationem in Sacramento.

2. Habet primum JESU CHRISTI consilium, hoc est honorare Deum excellentissimo omnium Sacrificiorum,

3. Consilium relinquendi Ecclesiæ Mortis suæ memoriam, & repræsentationem.

4. Est de frequenti Communione, per occasionem Evangelii ejus diei.

5. Complectitur consilium tertium, videlicet honorandi Corpus suum in hoc Mysterio.

6. Continet consilium quartum honorandi, & sanctificandi corpora nostra.

7. Consilium quintum testandi nobis amorem singularem.

8. Et ultimus sextum consilium dandi nobis panem, & Viaticum, quo roboremur in vita, & in morte.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, & auctores de hoc argumento pertractantes.

SAnctus Augustinus passim loquitur de Eucharistia, tamquam Sacramento, præsertim *tractat. 20. 26. & 27. in Joann.* Sancti Patres.

Idem in *Serm. de divers. 3. 8. 46. 57. 83. & 33. de verbis Domini secundum Lucam.*
Idem *de verb. Apost. serm. 8.*
Idem *in Psalm. 392.*
Idem *de Civ. lib. 10. c. 6. lib. 22. c. 8.*
Idem *Serm. 6. de verb. Dom. & Serm. 2. de verb. Apost.*
Idem *lib. 5. Confessionum.*
Idem *lib. 10. & 20. contra Faustum.*
Idem *Conc. 2. in Psalm. 33.*

S. Ambrosius in lib. de Sacramentis, & præsertim in 4.
Idem *in Lucam lib. 6.*
Idem *lib. 3. de Spiritu Sancto.*
Idem *Serm. 18. in Psalm. 118.*
Idem *tract. de initiandis c. 9.*
Idem *de officiis lib. 1. c. 48.*
Idem *in Epistola 58.*
Idem in oratione *de obitu Theodosii, & excessu Satyri fratris sui.*

S. Cyprianus *Epist. 66. ad pleb. Furnil.* quæ est integer tractatus de Eucharistia, ut Sacram.
Idem *de Orat. Domin. & in Epist. ad Martyr.*
Idem Sermone *de Cœna*, & in Epistola ad Cæcilium.
Idem *Epist. 45. ad Cornelium Papam.*

S. Gregorius *homil. 20. in Evang. & homil. 83.*
Idem *lib. 4. dial. c. 17.*
Idem *in 1. Regum lib. 2. c. 1.*
Idem *Epist. 64.*
Idem *in Dom. 2. post Pent.*

Origenes *homil. 13. in Levit.* notat, Panes propositionis repræsentasse effectum Sacramenti Eucharistici, qui reddit Deum nobis propitium, & inde occasionem nactus docet quanam puritate sit recipiendum.

S. Hieronymus *in cap. 9. Zachar.* fuse explicat mirabilia hujus Sacramenti in ea verba: *Quid enim bonum ejus, & quid pulcrum ejus, nisi frumentum electorum?* &c.

Idem, vel alius in operibus ejus homil. *de Corpore & Sanguine CHRISTI.*

S. Chrysostomus *homil. 45. in Joann.* refert hujus Sacramenti mirabilia, & effectus in animas &c.

S. Cyrillus Jerosolym. *Catech. Mystag. 4. de Corpore & Sanguine CHRISTI.*

Beda habet serm. *15. de Cœna Domini*, ubi plurima sunt in rem nostram.

S. Bernardus amplum habet *de Cœna Domini* sermonem; si tamen illius est auctor.

S. Bonaventura, plures habet de hoc Mysterio sermones. 1. In verba: *cum dilexisset suos* &c. 4. in illa: *hoc facite in meam commemorationem.* 5. & 6. In illa: *Panem de Cælo præstitisti eis.*

S. Thomas *in opusc. 58.* de hoc tantum Mysterio verba facit.

S. Laurentius Justiniani prolixum habet Sermonem de *CHRISTI Corpore.*

Petrus Lombardus *in 4. sentent. a distinct. 8. usque ad distinct. 14.* Theologi:

Alexander Alensis *in summa Theologiæ.*
Suarez *in 3. parte D. Thomæ Tom. 3.*
Cajetanus *in opusc. Tom. 2. opusc. 2.*
Gregorius a Valentia *Coment. Theol. Tom. 4.*
Gerson *parte 3. & 4.* præter Sermonem in ea verba: *memoriam fecit mirabilium suorum.*
Raynerius de Pisis *in Pantalog.*
Joannes de Turrecremata.
Petrus Canisius in Opere Catechistico.
Cathechismus Tridentini Concilii, præclarum habet de Sacramento Eucharist. tractatum.
Prætermitto Theologos Scholasticos.
Ex Asceticis hi fere sunt utiliores. Ascetici.
Dionysius Carthusianus *in Opusculo de hoc Mysterio.*
Guillelmus Parisiensis *in tractatu de Eucharistia.*
Imitatio JESU CHRISTI lib. 4.
Novarini *Agnus Eucharisticus.*
Granatensis *in tractat. de Orat. & consider.* agit *de instit. Eucharistiæ*, & rationes affert.
Idem. *In memoriali lib. 3. cap. 4.* agit de habenda huic Mysterio reverentia, & devotione.
Pater a Ponte *parte 4. medit.* de Myster. fidei, *meditatione 12.*
Lucas Pinelli in meditationibus de hoc Mysterio.
P. Bourgoin in meditionibus de veritatibus, & excellentiis Verbi Incarnati.
Pater Novet tomum habet colloquiorum in festum diem hujus Sacramenti.
Joannes de Avila *tract. 27.*
P. Haineuve in meditationibus pro Octava.

Collo-

Colloquia P. Suffren.

Moralis Chriſtiana *in Pater* in verba illa : *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Liber, cui titulus: Inſtructiones Chriſtianæ in Euchariſtia. Auctore Monchi, &c.

P. Vaubert in devotione ad Dominum JESUM CHIRSTUM in Euchariſtia.

Liber, cui titulus: Verus Spiritus, & Sanctus uſus ſollemnium feſtorum per annum.

P. Maſſiot Benedictinus *in tract. de Sacerdotio*, plura habet hujus argumenti.

Cardin. de Richelieu *lib. de perfect. Chriſtiana c. 9.* agit generatim de Euchariſtia.

P. le Valois *tom. 4. colloq.* habet ſermonem de hoc Sacramento.

P. Nepveu librum edidit de feſto die, & Myſterio SS. Sacramenti.

Idem in Chriſtian. Conſid. in ſingulos anni dies, *Tom. 2. & 4.*

Idem *in lib. de præparat. ad Mortem*, agit de hoc Sacramento, tamquam Viatico.

Coeffeteau in Euchariſtiæ Mirabilibus.

P. Senault in libro cui titulus : *homo Chriſtianus*, tract. 6. ubi de Cibo, & Sacrificio Chriſtiani in Sacramento.

Abbas Trappenſis *Collat. pro die Corporis Domini.*

P. Delingendes.

Concionatores, qui ediderunt Octavas hujus argumenti.

Biroat in Vita JESU CHRISTI in Altaris Sacramento.

P. Andreas Caſtillon, qui pro Octavæ argumento ſumpſit conſilia JESU CHRISTI in inſtitut. Sacramenti.

P. Simon a Virgine Carmelita Tom. 7. actionum Chriſtianarum.

Ogier in actionibus publicis Tom. 2. habet Octavam in hoc Myſterium.

Inter Octavas Auctoris Sermonum in omnia argumenta, una eſt hujus argumenti, de qua ſermo fuit in bibliotheca noſtra tit. *Communio.*

Alii Concionatores, qui aliquem ediderit ſermonem hujus argumenti.

Reina Sermonem edidit hujus Myſterii in feriam ſecundam hebdomadæ Majoris, ubi oſtendit, Salvatorem in Sacramento ſervaſſe omnes leges amicitiæ.

Granatenſis in Sermonibus latinis ſerm. 5. agit de effectibus Euchariſtiæ pro feſto hoc.

Texier in Tom. *Myſteriorum ſerm. 22.* oſtendit Sacramentum hoc eſſe fidei, & amoris Myſterium.

P. Bourdalove Tom. 1. Myſter. ubi oſtendit gloriam Corporis JESU CHRISTI eſſe, datum fuiſſe Eccleſiæ in hoc Sacramento, & Eccleſiæ gloriam eſſe, poſſidere Corpus JESU CHRISTI in hoc Sacramento.

P. Cauchemer in Sermone de Myſteriis Religionis, unum habet de inſtitutione Euchariſtiæ, in qua oſtendit eluxiſſe potentiam, & Caritatem JESU CHRISTI.

Abbas de Monmorel in Sermone Dom. 2. poſt Pent. oſtendit quid pro nobis egerit in hoc Sacramento Deus, & quid agendum ſit nobis, ut conſiliis ejus reſpondeamus.

Auctor Sermonum in omnia Ethiopæ Chriſtianæ argumenta, præter octavam, peculiarem habet Sermonem pro feria quinta Majoris hebdomadæ, ubi ſermo tantum eſt de amore, quem nobis Dei Filius teſtatus eſt in hoc admirabili Myſterio.

In ſpecimine Sermonum pro Dominicis in Dominica 4. Quadrageſimæ ; ubi ſumit occaſionem ex Panis multiplicatione, & pro Dominica infra Octavam Sacram.

Pater Duneau, in Tom. de Myſteriis Domini, Sermone de hoc Sacram. oſtendit excellentiam Cibi, quem nobis dedit Salvator, & utilitatum, quas inde percipimus.

Granatenſis in locis communibus *tit. Euchariſtia.*

Qui collectanea ediderunt.

Carragena in homiliis de Euchariſtia.

Lhonner, & Labatha *tit. de Euchariſtia.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Biblicæ ad hoc argumentum.

Loci proprii hujus argumenti allati ſunt in bibliotheca noſtra, quos vide in tit. de Communione. Nunc aſſeremus eos tantum, qui pertinent ad Euchariſtiam, tamquam Sacramentum.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſalm. 10.

Ambulavit Elias in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 3. Regum capite 19.

Angelorum eſca nutriviſti Populum tuum, & paratum Panem de Cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Sap. 16.

Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in ſæculum ſæculi. Pſalm. 21.

Delicia mea eſſe cum Filiis hominum. Prov. 8.

Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulcrum ejus, niſi frumentum Electorum, & vinum germinans Virgines ? Zach. 9.

Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Matth. 28.

Ego ſum Panis Vitæ. Joann. 6.

Hic eſt Panis de Cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Joann. 6.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet Vitam æternam, & Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Ibidem.

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joann. 13.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis CHRISTI eſt ? & Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt ? 2. Ad Corinthios 10.

Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Joann. 6.

Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Salvator. Iſaiæ 45.

Nulla natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. Deuteronomii 4.

Humiliatus ſum uſquequaque. Pſalm. 118.

Subſtantia mea, tamquam nihilum ante te. Pſalmo 128.

Da Altiſſimo ſecundum datum ejus. Eccli. 35.

Unus Panis, & unum Corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus omnes. 1. Ad Corinthios 10.

Pinguis eſt Panis ejus, & præbebit delicias Regibus. Geneſ. 49.

Exempla, & Figuræ veteris, novique Teſtamenti.

Arctæ neceſſitudo inter David, & Jonathan figura imperfecta illius, quam nobis contraxit Salvator in Sacramento, 1. Reg. 18.

SCriptura nobis in arcta neceſſitudine, quæ inter Jonathan, & David intercedebat, proponit figuram inſignem illius amicitiæ, quam Dei Filius in divino hoc Sacramento, cum hominibus voluit contrahere. *In lib. 1. Reg. cap. 18.* legimus duos hoſce familiares arcto amicitiæ vinculo fuiſſe conjunctos, eorumque amorem tantum extitiſſe, ut alterius Anima conglutinata videretur cum Anima alterius ; adeo mutuus erat amor, quo duo hæc corda ſibi cohærebant : *Anima Jonathæ conglutinata eſt Anima David.* Arctæ adeo neceſſitudinis cauſſam Sacer textus tribuit ; ſcilicet magnum amorem, quo Jonathas proſequebatur Davidem, tamquam dimidium Animæ ſuæ : *dilexit eum Jonathas, quaſi Animam ſuam.* Neque licet ambigere, utrum David ſimili caritate Jonathan complecteretur, ita ut ſincera hæc amicitia, & adhæſio reciproca aliquid effecerit ſimile iis, quæ in fabulis leguntur de duobus amicis, *qui irrito labore conati* ſunt fundere corda ſua, & ita ea commiſcere, ut ex *duobus unum dumtaxat exiſteret.* Sed quod veritas de Jonatha, & David teſtatur, & quod fabula nobis de duobus amicis ſuis commenta eſt, levis eſt imago unionis, quam divinus Amor operatur in nobis in hoc Sacramento ; namque per illud vivimus ex vitæ ipſius ; JESUS efficit ſimul cum nobis unum, & nonnulli Sancti Patres eo uſque procedunt, ut aſſerant adeſſe unionem naturalem cum corporibus noſtris, & ab illo fieri partem noſtræ *ſubſtantiæ. Difficile* eſſet explicare mentem eorum, circa hanc unionem ſubſtantiæ ; certum tamen eſt, cum amor tendat ad unionem, nullam arctiorem inveniri, neque in natura, neque in moribus, illa, quam habet Dei Filius cum nobis in hoc Sacramento, quia nunquam fuit major amor in ipſo. Quod ſi eodem afficimur, noſmet debemus cum illo conjungere per amorem mutuum, idque per conformitatem votorum, voluntatis, affectuum, ut hoc pacto ſimus unum, & idem cum illo ; & dicere poſſimus : nos unum eſſe cum ipſo, & ſimul unum habere cor, & Animam unam. *Qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt cum eo.* 1. Ad Cor. 18.

Panis ſubcinericius, quem Angelus obtulit Eliæ, figura Panis Euchariſtici.

Panis hujus Cæleſtis figura fuit ille, quem Angelus obtulit Eliæ Prophetæ ſubcinericium, qui vim, ac robur ei præbuit, ubi ex eo comedit ; ut deinceps dies quadraginta, & quadraginta noctes ambulaverit uſque ad Montem Horeb. Poſſumus enim affirmare, nos manducantes hunc *Panem Angelorum*, qui contemptibilis in oculis noſtris videtur (neque enim vident, niſi viles, abjectaſque ſpecies) nos ita valide roborari iri, ut nos ſubſtineat in diebus peregrinationis noſtræ, donec pervenerimus ad ſedem quietis, atque æternæ felicitatis.

S. Thomas comparat Salvatorem in hoc Sacramento Moyſi, qui illius figura fuit. Cum Propheta de Monte deſcenderet, & a colloquio Dei reverteretur, obnubebat faciem ſuam velamento, quia Populus ſuſtinere non poterat lucem ex facie ejus emanantem, & Populi oculos perſtringentem ; quo pacto Iſraelitæ lumen ferre facilius poterant. Quotieſcumque divinum hoc celebratur Myſterium, Salvator de Cælo deſcen-

descendit, ut quam familiarissime cum hominibus agat; sed consilium suum adimplere non posset, si ab hominibus videretur in tota luce gloriæ suæ. Hominum oculi nimiam lucis vim sustinere non possent. Quid ergo? abscondit se, velum apponit faciei suæ, & umbrarum favore venit ad nos, familiariter nobiscum agit, & in ipsa ingreditur corda.

Legimus in Scripturis, Regem Assuerum, *ut ostenderet divitias; & gloriam Regni sui*, fecisse sollemne convivium, quod centum, & octoginta dies mansit. JESUS CHRISTUS Rex Regum ostendere voluit in convivio magnitudine sua digno opulentiam thesaurorum suorum, & gloriæ suæ Majestatem; ideoque dedit seipsum nobis manducandum, quod miraculum est nihilo minus ipsa Incarnatione. Manna, quod depluit in deserto, & quod non erat aliud, quam divini hujus Mannæ umbra, olim universos filios Israel admiratione replevit. *Quid est hoc?* dicebant illi, & nonne similem præsetulerunt stuporem, cum dixerunt: *Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum*. Joann. 6. Attamen hoc convivium non est, ut illud Assueri, coarctatum ad centum, & octoginta dies, jam excesserunt sexdecim sæcula cum dimidio, & usque ad sæculorum finem permanebit. Salomon cum ædificasset Templum, nonne stuporem testatus est suum, eo quod vellet Deus ibi figere habitationem suam? Num fieri potest, ajebat, quod Deus in terris cum hominibus versetur? Si Cælorum magnitudo illum capere non potest, quomodo Domus, quam illi ædificavi, eum capiet? Sed quo potiori jure idipsum nos dicere possumus, quandoquidem non umbra, neque figura Dei, sed Deus ipse permanet cum nobis? quæ prærogativa velle Deum nobiscum permanere ad lenienda nostræ hujus peregrinationis fastidia!

Manna Eucharistiæ Figura.

Manna, secundum Patrum omnium sententiam, semper habitum fuit, tamquam Eucharistici Panis figura, qui de illo ita loquuntur. Origenes *in hom. 7. in lib. Num.* alebantur Manna in ænigmate, modo vero Caro Verbi Dei sine ænigmate est, ideoque verum Animarum nostrarum alimentum, & S. Ambrosius clarius, considera, inquit, utrum sit præstantius Angelorum ne Panis (hoc enim nomine in Scripturis Manna vocatur) an Caro JESU CHRISTI, quæ est Corpus vitæ? Manna descendebat de Cælo, & Corpus hoc est Cælo superius: Manna erat Cælestis alimonia, Caro JESU CHRISTI est Caro Domini Cælorum omnium; sed ista Caro est immunis a corruptione, a qua immunes efficit eadem digne vescentes. Alibi etiam addit; quod faciebant Judæi, erat in figura, sed quod ipsi facitis est in veritate, & Sanctus Chrysostomus, sicuti vos manducatis Corpus Domini, Judæi manducabant Manna; & sicuti bibitis ejus Sanguinem, illi bibebant aquam de petra; sed S. Augustino satis non est invenire in Manna figuram nostri adorabilis Mysterii, immo ibi animadvertit quamdam *Sacramenti speciem in ea ratione, qua Populus iste vescebatur Manna; Pane videlicet Angelorum manu elaborato; & ita loquitur: Moyses, Aaron, Phinees manducaverunt Manna, & mortui sunt.* Quorsum autem? quia non crediderunt, quod videbant, nec potuerunt capere Mysteria, quæ non videbant; qui vero ex cæteris Patribus nostris intellexerunt Mysterium in Manna absconditum; videlicet, JESUM CHRISTUM ibi præfigurari, & hoc Manna esse Sacramentum in figura, hi mortui non sunt, inquit laudatus Doctor, cujus afferam verba: *Moyses, Aaron, Phinees manducaverunt Manna, & mortui non sunt, quare? quia visibilem Cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur.*

S. Ambr. tract. de Initiandis, cap. 9.

Idem lib. de Sacram. c. 5.

Chrysostom. homil. 23. in 1. ad Cor.

S. Augustin. tractat. 20. in Joann.

Discamus hinc objecta secernere. Moyses enim, Aaron, & Phinees, duo respexerunt in Manna. Primum speciem illius, alterum illius virtutem, & significationem; & quia plerique Israelitæ in Manna speciem dumtaxat extimam considerarunt, mortui sunt: *manducaverunt Manna, & mortui sunt.* Sed quia Moyses, Aaron, & Phinees sub cortice Mannæ viderunt Corpus JESU CHRISTI datum nobis in Eucharistia, non mortui sunt. *Non sunt mortui, quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt.* Nos igitur morimur æque, ac increduli Patres nostri si divinum hoc Sacramentum recipimus, ejusdem symbolis tantum inhærentes, *quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur*; Quia non habent fidem, quæ mystica hæc integumenta penetrat, & ostendit illis JESUM CHRISTUM præsentem substantialiter, non recipiunt illum, tamquam Deum, & Salvatorem suum.

Ibidem.

Panes Propositionis Figura Eucharistiæ.

Moyses Dei jussu ædificaverat Mensam ex lignis incorruptibilibus eamque aureis laminis circumduxerat. In hac Mensa duodecim erant panes propositionis ex simila cum oleo subacti, ex quibus vesci licebat solis Sacerdotibus cum Sacerdotali familia, quibus, cum essent mundi, integrum erat comedere. Nulla figura melius repræsentat Eucharisticum Sacramentum, & docemur, Corpus Sacrum JESU CHRISTI cum nobis præbetur, sub speciebus Panis, non requiescere, nisi super illos, qui certum, & constans inierunt consilium id faciendi, quod significat hæc Mensa ex incorruptibili cedro elaborata, & auro circumdata. Verum, cum satis non sit a vitiis abstinere; ad tantum Hospitem recipiendum, opus est, ut Mensa, & cordis nostri domus sit parata, & pulcherrimus, quem postulat ornatum, est Caritas, qua nos indutos desiderat. Hi Panes propositionis fiebant ex mero polline, & sine fermento: quæ omnia significant extremam munditiem, & sanctitatem hujus Dei, qui se nobis tradit sub his sacratis Speciebus, & magnam puritatem, quam exigit idcirco ab illis, qui huic Mensæ accumbunt. Omne absit peccati fermentum; nulla adsit amoris proprii corruptio; cor totum esse debet Dei, hic Unctus est panis, qui complectitur fontem gratiarum, & Datorem earum digne accipientibus.

Eliseus, qui se coarctavit, ut puerum a morte suscitaret, est figura status, in quo Salvator se ponit in Eucaristia.

Figura status, ad quem JESUS CHRISTUS se redigit in Eucharistia, fuit Eliseus, qui ut mortuum puerum resuscitaret, se ita coarctavit, ut non magis pateret, quam exiguum cadaver, quod in vitam revocare cupiebat. Prophetæ applicatio ad hunc puerum ita par fuit, ut ejus oculi oculis illius, manus manibus, os ori, pedes pedibus agglutinati viderentur. Sed figuræ præstat veritas; nam Dei Filius in hoc Mysterio aufert Corpori suo naturalem magnitudinem, & ponit se totum sub minima Hostiæ particula, &, seu prænoscat impios hoc in ludibrium traducturos, seu prævideat hæreticos responsuros, ipsum non esse micam Panis, mavult has irrisiones pati, quam cessare, quominus fiat cibus noster, ut intime se nobis conjungat.

Caritas accenditur in cordibus nostris per Eucharistiam.

Veniet tempus, dicebat Discipulis suis Salvator, quo plurimorum Caritas refrigescet. Miserum hoc tempus aderit. Divinus Amor in Corde nostro parum differt ab igne, qui in lutum conversus fuit, cum Machabæi imperitabant in Israel; sed simul ac lutum illud in Altare positum fuit, sese convertit in ignem, & exarsit. Fac, Domine, eamdem mutationem in cordibus eorum, quos pro te uno formasti. Hanc gratiam pluribus Sanctis viris fecisti, & te eamdem nobis speramus esse facturum.

Pœnæ eorum, qui Arcam non reveriti fuerūt, designant illas, quas exercebit Deus in eos, qui dedecorant Eucharistiā, cujus Arca erat tantum figura.

Pœna Heli, & filiorum ejus, non secus ac Philistiim, Judæorum, & Bethsamitarum, qui Arcam Domini receperunt sine ea, quæ par erat, reverentia; nobis esse debet documentum, sed terribile documentum obsequii, quod debemus Sacramento Altarium nostrorum, cujus mera figura erat Arca eadem. Magnus ille Sacerdos, ejusque filii vacabant Ministerio Tabernaculi, ubi residebat Arca; sed impii filii, sacrilegiis suis dedecorabant illius Sanctitatem, eisque connivere videbatur Pater, non satis valide pro meritis illos corripiens. Deus eorum, atque totius Israel sceleribus fatigatus insignem repoposcit ex illis pœnam. Philistiim arma capessunt contra Israelitas, qui, quin agerent pœnitentiam, adducunt Arcam Domini in castra, rati hoc sufficere, ut victoriam reportarent. Sed quid accidit? duo filii Sacerdotis summi, qui Deum ad iracundiam provocaverant, prope Arcam cæsi fuerunt, Populus fugatus, Arca capta, & Heli audiens hoc nuncium cecidit in terram, & in arena occubuit. Præclara documenta, quibus monemur, quomodo ulturus sit Deus gloriam suam, tot indignis sceleribus lacessitam, quæ coram augustissimo Sacramento patrantur, & modicum reverentiæ, quod illi adhibetur. Paullo post, cum Philistiim Arcam dimisissent, Bethsamitæ gaudio exultantes, eam receperunt; sed nimia eorum curiositas pœnas dedit morte septuaginta Virorum, qui maxime florebant inter ceteros, & quinquaginta millium e populo, quod gaudium eorum in tristitiam convertit. Qui vero incolebant Carathiarim, profecerunt exemplo Bethsamitarum, & Sapientiores effecti finitimorum supplicio, occurrerunt ad Arcam excipiendam magna cum reverentia; illi sedem præparaverunt, & Sacerdotem consecrarunt, qui illius gereret curam: Tunc visus est effectus præsentiæ Domini in ea victoria, quam insignem de hostibus retulerunt, & in sexcentis benedictionibus, quas de Cælo in eos depluit Dominus. Quis in hac figura non intelliget, hinc quidem Dei iracundiam propter irreverentiam, quæ committitur contra adorabile Altaris Sacramentum; cujus figura erat Arca; inde vero retributiones, & benedictiones, quas largitur Deus digne, & singulari cum devotione ad se recipiendum accedentibus.

Comparatio Mannæ cum Eucharistia.

Omnes Sancti Patres respexerunt Manna, tamquam perfectissimam Eucharistiæ Imaginem, & sane plures habet ad illam rationes, quarum præcipuas afferam. 1. Manna fuit Panis, quem per Angelorum manus Cælum Israelitis præparabat; & Eucharistia Panis est de Cælo veniens. 2. Manna depluebat, quin Israelitæ illud labi viderent; JESUS CHRISTUS est in Eucharistia, quin fideles id sentiant. 3. Manna noctu fiebat, noctu quoque instituta fuit Eucharistia. 4. Manna pluebat inter duplicem rorem, quarum altera illud excipiebat, altera vero tegebat; & Eucharistia recipi vult inter duplicem gratiam, quarum prior præcedere, altera vero subsequi debet. 5. Qui colligebant Manna, sive multum, sive

sive parum colligerent, cum metiebantur illud, parem se copiam collegisse videbantur; quod est miraculum Eucharistiæ, *ubi* Hostia major nil magis continet, quam *minima*. 6. Manna soli objecta liquescebat, sed coquebatur igni; ita Eucharistia, amorem quidem requirit, non evidentiam, & est fidei Mysterium. 7. Manna, licet post diem contabesceret, in Arca tamen, ubi servabatur, permanebat incorruptibilis, quod indicium est, licet Eucharistia, singulis diebus absumatur, illam tamen in Ecclesia in æternum duraturam. 8. Manna habebat in ore fidelium quemlibet saporem. Ita nunc & Eucharistia. 9. Manna Israelitis data fuit, ut esset illis viæ subsidium; hoc ipsum Eucharistia fidelibus est ad eos reficiendos, & consolandos inter vitæ hujus ærumnas, quæ mera est peregrinatio.

Elias, qui ascendens in Cælum relinquit pallium suum, ex S. Chrysostomo est figura J. C. qui antequam in Cælum ascenderet reliquit suam humanitatem in Eucharistia.

Elias igneo curru sublatus in Cælum reliquit Eliseo Discipulo pallium suum, quod recepit tamquam pretiosas exuvias Magistri sui, & quas prætulit omnibus Mundi divitiis. Sanctus Chrysostomus applicat hoc munus Mysterio Eucharistiæ, cujus figuram esse probat. Discipulum hunc beatum arbitramini, Sanctus hic Doctor inquit, & parem vobis sortem concupiscitis; sed si vobis ostendero, vos, qui Sacris initiati estis Mysteriis, ea frui beatitudine, quæ toto Cælo superat Elisei felicitatem, quanti vobis erit facienda vestra Christianorum conditio? Elias in Cælum ascendens relinquit pallium discipulo; sed JESUS CHRISTUS, antequam in Cælum ascenderet, nonne vobis divinam in Eucharistia Carnem reliquit? *Filius autem Dei ascendens suam nobis Carnem dimisit*; cum hoc tamen discrimine, quod *Elias quidem exutus est, CHRISTUS autem, & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit*. Ita si comparaverimus cum nostra Elisei felicitatem, & si secundum fidem, judicium tulerimus, nosmet toto Cælo Eliseo feliciores censere debebimus; nam, qui tradidit pro nobis Corpus suum, & suum effudit Sanguinem futurum nobis Redemptionis pretium, nonne dedit nobis iterum in Eucharistico Sacramento Corpus, & Sanguinem suum futurum cibum nostrum, & potum? post hunc amoris sui excessum, quid facturus non est pro salute nostra?

Manducatio Agni Paschalis figura manducationis Corporis J. C. in Eucharistia.

Dei Filius, postquam Paschalem Judæorum Agnum comedit, dedit comedendum Agnum *Paschalem Christianorum, qui est proprium Corpus illius*, & hoc pacto, Sanctus Chrysostomus ait, *figura veritatem adjunxit*. Profecto inveniri nequit major relatio, quam quæ inter figuram, & veritatem invenitur; si præcipuas utriusque Mysterii circumstantias ad examen vocamus. Salvator, ut sese aptaret Judæorum cæremoniæ sub finem diei instituit Sacramentum Corporis sui, ut indigitaret temporum plenitudinem, ac figurarum finem; & innueret jam prope esse veritatem. Gratias egit Patri suo, ut doceret grati animi sensum essentialem esse dispositionem ad digne recipiendum hoc Sacramentum. Hoc autem vocavit Testamentum novum, quia spectabat ad legem novam, & illud *Testamentum appellavit, quia quam primum* erat moriturus; & quemadmodum vetus Testamentum consecratum fuerat aspersione Sanguinis animalium, Testamentum novum consecratum fuit per Mysterium, in quo modo incruento Sanguis effunditur. Addit: hoc facite in meam commemorationem, nam sicuti imperatum fuerat, ut Agnus Paschalis comederetur in memoriam prodigiorum omnium, quæ Dominus fuit operatus in gratiam Israelitarum, ita præcipitur, ut celebretur veri Agni Paschalis esus in memoriam omnium prodigiorum, quæ JESUS CHRISTUS pro nobis in lege nova operatus est.

Figura, & exemplum, quod Filius Dei dedit in novo Testamento, ut disponeret populum ad Eucharistiæ Mysterium.

Arduum non esset ostendere totam fere vitam, & omnes actiones Salvatoris, quæ præcesserunt promissiones, & donum, quod fecit nobis Corporis sui, fuisse, tamquam præparationes ad hanc novissimam actionem, quæ ceterarum futura erat consummatio. Dici posset locum, in quo natus est, appellatum fuisse Bethleem, videlicet, Domum Panis, & asserere possumus omnia miracula ab ipso patrata præparasse mentes ad credendum magnum illud miraculum, quod fit in mutatione Panis in Corpus ejus: Primum illud, quo mutavit aquam in vinum, incœpisse dare nobis transubstantiationis exemplum; sed ne immoremur in perquirendis relationibus, quæ licet remotæ, veræ sunt tamen, ea deligere possumus, quæ majorem, atque apertiorem habent similitudinem. Hoc modo respici potest prodigiosa illa multiplicatio, qua JESUS CHRISTUS faturavit quinque hominum millia panibus quinque paullo ante Pascha. Die crastina loquutus est de esca, quæ datura erat vitam æternam Populo, qui illum sequutus fuerat, & qui tanto miraculo captus, illum Regem facere voluit. En igitur, & figura, & res. Quinque panes præcedunt tamquam figura, & JESUS CHRISTUS eorum facit applicationem, gradum faciens a Pane materiali, quamvis miraculoso, ad Panem spiritualem, & prorsus divinum, qualem erat ipse pollicitus, se daturum Corpus suum ad vescendum, & Sanguinem ad bibendum. Hæc Panis multiplicatio semper a SS. Patribus habita fuit tamquam figura, in qua Salvator nobis dabat imaginem multiplicationis in Eucharistia perficiendæ.

Exemplum, & figura Patriarchæ Joseph in honore habiti a Pharaone, quia panem Ægypto universæ providerat.

Docet Scriptura eo, quod Joseph universam Ægyptum proviserat pane in summa agrorum sterilitate, & fame; Regem Pharaonem effeciisse, ut ille regio invectus curru, per omnes Regni provincias deduceretur, & jussisse, illum ab omnibus adorari de genu: ita quia Dei Filius dedit nobis panem Cælestem, suum videlicet Corpus, Ecclesia *illum* nobis proponit in solio, & sub umbella; & *in hoc* statu deducit illum in omnes Mundi Christiani locos, præcipiens fidelibus omnibus, ut flectant genua coram illo, eique certatim cultum, & obsequium adhibeant.

Arbor vitæ, quæ erat in terrestri Paradiso figura erat Eucharistiæ.

Inter plurimas eximiæ pulcritudinis arbores, quæ in terrestri Paradiso nitebant, una erat, cujus virtus ceteris præstabat, Erat autem Arbor vitæ, cujus ope vires adeo reparabantur, ut homo immortalitatem adipisceretur. Necesse non est multis argumentationibus, neque meditatione, ut liqueat in Ecclesiæ Paradiso, in qua Deus, per Misericordiam suam posuit Eucharistiam, hanc vere esse Arborem vitæ, quæ nostras reparat vires, & in qua vitam prorsus divinam, quæ nobis data est, nanciscimur: Non ut vivamus inter terræ delicias, quemadmodum fecissent primi Parentes, si Deo fideles permansissent, sed ut deliciis Angelorum, & Beatorum in Cælo perfruamur. Fructus, qui continet hanc potestatem, & virturem, est Corpus JESU CHRISTI; Fructus suavissimus, qui se dat nobis, ut sit Cibus noster sub speciebus Eucharisticis; Fructus Sacer ex Crucis arbore avulsus reparat tanta cum utilitate malum, quod primi hominis peccatum pepererat, ut non solum efficiat, ut vivamus vitam Angelorum, & Beatorum; sed Dei ipsius; nosque adducit in statum perveniendi ad gloriam toto Cælo majorem illa, ad quam adspirare potuissemus, si Patres nostri primam servassent innocentiam. Neque enim in æternum obtinuissemus hanc prærogativam, quæ superat quidquid dici potest cum nutriamur proprio Corpore *hominis-Dei*, *eique* intime in Eucharistiæ Sacramento *conjungamur*.

Benedictio, quam Isaac dedit Jacob est figura Sacramenti Eucharistici.

Cum sciret *Jacob*, *Isaac Patrem* suum cumulatu*rum esse benedictione sua Primogenitum* fratrem Esau, cumque ab eo redemisset jus Primogeniti, genitricis consilio illum prævertit. Accepit vestes Esau, & pelles mortuas, ut caro Jacob exprimeret villosam fratris sui carnem. Obtulit mox Patri alimenta, quæ Mater caute præparaverat, qualia noverat vetulo placitura, non secus ac merum ad bibendum. Agnovit Isaac vocem pueri esse vocem Jacob, sed oculi ejus, propter nimiam senectutem caligaverant, neque illum facile secernere poterat; cumque palpando filium sentiret manus similes esse manibus villosis Esau, dedit illi benedictionem, tamquam Primogenito suo, & optavit illi adipem terræ, præcipue *vero copiam* frugum, & vini. *Hæc historia, quam satis revereri non possumus propter magna Mysteria*, quæ in ea continentur, *descriptio est* facti præteriti, & Prophetia rerum, quæ postmodum acciderunt; sed quin loquar de aliis Mysteriis, quæ respiciunt JESU CHRISTI personam, satis puto animadvertere illum, dum viveret in terris gestasse externam Esau speciem, sed vocem habuisse, & suavitatem Jacob, cujus personam gerens, apparuit coram Patre suo, tamquam Primogenitus offerens se illi *sub speciebus Panis*, & Vini, ut, per hanc *Oblationem in se*, & in posteritatem suam, *quæ est* Ecclesia *multiplicata*, & effusa in extremas usque terrarum plagas, detraheret uberem, & copiosam benedictionem, multiplicando Panem hunc Cælestem, qui illi futurus erat alimento.

JESUS CHRISTUS sæpe *in variis parabolis*, quas Populo suo proponebat, semetipsum pingebat, quod potissimum fecit in parabola ejus Convivii, de quo loquitur apud S. Lucam, ad quod omnes erant invitati; illam ipse Salvator applicuit sibi, eamque ex ore ipsius excepimus, cum nobis dixit: Patremfamilias fecisse cœnam magnam, & cum prandii hora immineret, misisse servos suos, qui dicerent invitatis: omnia esse parata. *Vos* non fugit, quas illi caussas adduxerint, & quomodo inurbane interesse noluerint. Non est hic locus refellendi pravas caussas; dico solum, Ecclesiam applicare parabolam hanc Eucharistico Sacramento.

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

Quomodo, & in quo sensu Filius Dei amat Discipulos suos usque in finem.

CUM *dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Joann.* 13. Quid sibi vult dilectus Discipulus asserens JESUM CHRISTUM, cum Apostolos suos semper dilexisset, illos usque in finem dilexisse? Tria innuit. 1. *In finem* illos dilexit, usque in finem vitæ suæ, quin mortis timor, aut vis supplitiorum, quæ verabantur ob oculos ejus, & quæ in antecessum patiebatur, potuerint aliquid imminuere de amore illius, vel prohibere, ne ejusdem præberet monu-

monumenta. 2. *In finem* amavit illos etiam præter terminos vitæ suæ per amorem mortis ipsius victorem; videns enim prope esse, ut sibi eriperetur vita naturalis, quam receperat propter nostram salutem, & se nunquam recepturum eamdem, nisi ut in Cælum attolleret; amor suus in hoc Sacramento excogitavit hanc inventionem dandi illi secundam vitam in Altari, atque intra nosmetipsos. 3. *In finem* amavit eos amore quodammodo infinito, & sine termino; nihil prætermittens, quod faciendum est amanti pro amicis: *nihil omisit, quod vehementer amantem deceret*, ut ait S. Chrysostomus.

Dei Filius dedit nobis omnia, dans nobis corpus suum in hoc Sacramento.

Quomodo cum illo nobis non omnia donavit? Ad Rom. 8. Apostolus utitur his verbis probaturus, cum Deus nobis dederit Filium suum, ac eum pro nobis morti tradiderit, nihil esse, quod nobis exspectandum non sit ab ejus liberalitate. Sed possumus etiam hæc eadem applicare verba augusto Altaris Sacramento. Deus in hoc Mysterio nobis dat Corpus, & Sanguinem suum, qui est pretiosissimus Mundi thesaurus, & qui continet quidquid maximum est in Cælo, & in terra. Post donum adeo magnificum, quid nobis negare potest? Nonne hoc pignus est, se omnia reliqua nobis esse daturum? vel potius non est hoc pignus, quo certos nos facit consecuturos esse quidquid in gratia, & in gloria voluerimus, quia in illo omnia eminenter continentur? Hac de caussa Corpus Salvatoris, quod in hoc Mysterio datum est nobis, vocatur *pignus futuræ gloriæ*, quæ nobis promissa fuit in vitam alteram, & quam pro nobis est meritus JESUS per Sanguinem, quem effudit in Cruce, & quem dat nobis in hoc Sacramento; quoniam bona quæcumque continentur in ea gloria, quam nobis pollicitus est. Hoc jam est eamdem quodammodo gloriam donare, cum det nobis pignus adeo certum, & quod tanti valet, quanti gloria promissa. *Quomodo cum illo nobis non omnia donavit?*

Ad Rom. 8.

Non cognoscimus pretiosum thesaurum, quæ in hoc exemplo possidemus.

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Joann. 8. Hoc dicebat S. Joannes Baptista Judæis, qui non noverant Filium Dei, licet medius inter illos versaretur. Ille, quem per tot sæcula exspectatis, quem Patres vestri, & antiqui Patriarchæ tantopere concupierunt, & cujus adventum properare ausi sunt votis, precibusque urgentes Deum, ut illum in terras mitteret; hic idem, inquam, tandem de Cælo descendit, medius est inter vos, illum præsentem habetis; sed thesaurus est, quo non gaudetis, quia illum ignoratis. Hæc felicitas est, quam non gustatis, quia ad illam non advertitis animum. Bonum est infinitum, quod vos beatos efficere potest, sed quod est vobis inutile, quia pretium illius non cognoscitis. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Nonne hoc ipsum plerisque fidelibus dicere possumus, qui hunc eumdem habent Deum, eumdem Salvatorem, &, ut uno verbo complectar, fontem bonorum omnium. Qui illum, inquam, habent ob oculos, &, qui tantum abest, ut ex hac felici occasione proficiant, ut ne cogitent quidem? *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, qua utilitas in utroque?* Quid proderit vobis thesaurus iste, si a vobis possideri ignoratis? Ah! hoc bonum sublimius cogitationibus vestris, majus desideriis vestris beatos non facit, quia eodem uti nescitis. Potestis ex illo eosdem fructus percipere, quos qui visibili ejus præsentia gaudebant; cum enim æque liberalis sit in utroque statu, si vobis non est felicitas videndi illum, hoc vos consolari debet in tenebris, in quibus voluit relinquere vos ad fidem vestram exercendam, in caussa est, quia vobis utilius est credere illum, quam oculis vestris videre.

Eccli. 4.

Quomodo merebantur homines, ut Deus se illis traderet in hoc Sacramento.

Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psalm. 8. Hoc ipsi dicere possumus, ea cogitantes bona, quæ in hoc Mysterio recipimus; quid est homo, ut tu tantopere indulgeas illi? quid in ipso est, quod mereatur, ut amorem illius tibi concilies? quid est, quod te illicere possit, ut prætergrediaris omnes naturæ Leges, illas etiam contemnas decori, & eas tuæ sapientiæ confundas? Nihil in nobis est, quod illum cogere possit. Unus amor suus illum urget, & in uno hoc amore nobis quærenda est caussa eorum, quæ fecit, & asserendum pro summa ratione id, quod inquit Apostolus; *propter nimiam Caritatem suam*. Ille non dimensus est ex votis, ac desideriis nostris conatus amoris sui, sed ex Caritate sua, quæ est immensa, extrema, & infinita. *Propter nimiam Caritatem, qua dilexit nos.* Nulla mens poterat pertingere ad hunc usque excessum, nullum cor poterat eo usque assurgere; sed quo neutrum assequi poterat, utroque ingeniosior, atque potentior Caritas superavit: *propter nimiam, &c.*

Ad Ephes. 2.

Irgens desiderium, quo Salvator cupiebat se dare hominibus in hoc Sacramento, argumentum est magni amoris ejusdem erga nos.

Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Luc. 22. Si consideramus principium, unde proficiscitur munus, quod in hoc Mysterio largitur nobis, facile est videre, nunquam nobis ostendisse majorem Caritatem, neque nobis certiora unquam dedisse illius monumenta; principium enim est proprium cor illius, quod erat quodammodo coarctatum vi desiderii, quod jam pridem conceperat, secundum locutionem, qua ipse usus est, ubi voluit augustum hoc Mysterium instituere: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* O discipuli carissimi! jam pridem felix hoc momentum desideravi, quo vobis daturus sum extrema amoris mei monumenta! Non ajo solum se cupere, sed cupiisse; ut ostendat votum hoc nequaquam esse desiderium a corde suo conceptum, & in illo eodem temporis momento nuncupatum; Sed, quod jampridem illum urget, & angit, atque efficit, ut jampridem exspectaverit sancta cum impatientia diem hunc, ac desiderium suum in singula crevisse momenta, quæ effectum remorabantur; hoc non simplex fuit desiderium, sed desiderium ardens, & urgens: *desiderio desideravi*: quod in Biblico sermone, significat excessum, & ardorem desiderii non communis, quod illius cor arctat, usque dum impleatur. Unde nam quæso oriebatur hic motus cordis in Salvatore? quænam erat caussa desiderii adeo vigentis, adeo ardentis, & sæpe adeo instaurati? nisi amor, quo homines diligebat; cetera enim argumenta cessavissent; namque sine hoc, opus salutis nostræ nihilominus consummatum fuisset; Redemptionis nostræ pretium persolutum fuisset, inimici nostri fuissent prorsus victi, clausus infernus, apertus Paradisus, neque ulla fuisset ultra necessitas, ut permaneret inter nos, postquam ad Patrem suum rediisset. Cur igitur excogitavit modum tradendi se nobis, & in terra permanendi, usque ad sæculorum consummationem? Ah! scrutemur cor hujus Salvatoris; inveniemus nondum satisfactum fuisse illius dilectioni; donec illi supereat aliquid, quod tribuat; donec Corpus suum, quod tradidit pro omnibus hominibus, nondum est in potestate omnium hominum, & Sanguis, quem effudit pro illis, non effusus est in illis, nondum adimpletum est illius desiderium, neque cor ejus sui ipsius compos est: *desiderio desideravi.*

Luæ 22.

Testatur suum amorem erga homines, cum homines testabantur odium suum erga illum.

Sciens JESUS, quia venit hora ejus. Joann. 13. *In qua nocte tradebatur, accipiens Panem, &c. 1. ad Corinthios* 10. Mirum est intueri Filium Dei cupientem sese tradere hominibus, & cum illis permanentem tunc etiam, cum homines injustissimo, ac violentissimo odio illum persequerentur. *Sciens JESUS, quia venit hora ejus*, dicit Evangelium, & S. Paulus hoc animadvertit verbis magis explicitis: *in qua nocte tradebatur*, cum venundabatur inimicis, cum prævidebat eorum rabiem, atque conjurationem in se: eo ipso temporis articulo, quo viam excogitabant, effundendi Sanguinem illius recentibus suppliciis, & inaudita crudelitate. Ille recenti amoris sui inventione, se totum tradit illis, ut sit pretium, ac medium salutis eorum. Cum in eo sunt intenti, ut Sacratum Corpus vulneribus confodiant, tunc illud relinquit in manibus eorum; ut magis de illis benemereretur, quanto illi magis de illo mererentur male: & quamvis suppliciorum vehementia, & tumultus Mortis, quæ versabatur ob oculos ejus, & cujus dolores sentiebat propter hypotiposim, quam illi sua exhibebat imaginatio, aliter suaderent: non cessavit tamen, quominus cum illis vellet permanere, &c.

Dei Filius in hoc Sacramento superavit omnem amoris accessum, qui est mori pro illis, qui amantur.

Quotiescumque manducabitis Panem hunc, mortem Domini annunciabitis. 1. Ad Corinth. 11. Liquet in Eucharistia, Salvatorem esse in statu Mortis, & quemadmodum recepit vitam novam, similiter passus est novum Mortis genus; sed non semper attenditur, ipsum per hanc circumstantiam præbere nobis maximum amoris sui documentum; quoniam non solum Panem hunc comedentes annunciamus Mortem, quam pro nobis passus est, sed illam etiam, quam patitur in nobis; & ratio est, quia mors postremus est terminus, quem ipse Dei Filius dedit vehementissimo amori hominum, & ad quam rediguntur violentissimi conatus illius; post quem nequit ulterius procedere. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tunc extremus est, tunc in omnibus parit admirationem. Si igitur inveniret aliquis modum pluries moriendi, atque etiam moriendi in singula momenta; hic proculdubio invenisset artem superandi Mortis excessum, si ita loqui fas est, faciens, ut quidquid maximum est in ejus vehementia, esset etiam diuturnissimum. Sed quod magis manifestum argumentum amoris Filii Dei erga homines, quam permanere cum hominibus, hac posita conditione, incessanter moriendi, & sæpe per eam mortem, quæ illi truculentior est ea, quam primum sustinuit; eas intelligo mortes, quas JESU CHRISTO inferunt peccatores, cum in peccati statu recipientes.

Joann. 15.

Sacramentum Eucharisticum vere est Mysterium fidei.

Mysterium fidei. Hæc verba proferuntur a Sacerdote in Calicis consecratione. Hoc est Fidei Mysterium, non consulimus, in hoc adorabili Mysterio, rationem, neque sensum: Fides Sancti Petri commendata fuit ab ipso JESU CHRISTO, eo quod cognovisset divinitatem suam, quam non videbat sub umbris naturæ humanæ, quam videbat: *Beatus es Simon Barjona, quia Caro, & Sanguis non revelavit tibi.* Hic fidelium fides majus habet meritum; non enim creditur

Matth. 16.

creditur ſolum Divinitas JESU CHRISTI, quæ non videtur, ſed non creduntur accidentia Panis, & Vini, quæ videntur. Hoc *Myſterium* ad concipiendum eſt difficile; eſto, *ideo* Filius Dei proponit nobis illud tamquam *Myſterium*, ut fidem noſtram exerceat, ut noſtram exploret obedientiam, & rationis noſtræ cohibeat temeritatem. Oportet igitur in hoc aliquid latere, ut ſit fidei Myſterium; fides enim, S. Auguſtinus ait, in eo ſita eſt, ut credamus, quæ videre non poſſumus, neque imaginari. Inſtauremus ergo hodie fidem noſtram erga Sanctum iſtud Myſterium, & coram Sanctuario profiteamur, quod olim profeſſus eſt S. Baſilius injuria in ſuſpicionem erroris vocatus, coram corporibus nonnullorum Martyrum: *Credo, quod iſti crediderunt*; non aliam habeo fidem, quam illam tot Martyrum, atque Sanctorum, qui effuderunt Sanguinem ſuum pro defenſione hujus Myſterii, & paratus ſum ſignare Sanguine meo fidem, quam habeo in verbis JESU CHRISTI.

Filius Dei humiliatus eſt omnibus modis in hoc Sacramento.

Humiliatus ſum uſquequaque. Pſalm. 118. Profecto quamvis Dei Filius in hoc Sacramento non aliud faceret, quam repræſentare oculis noſtris imaginem humiliationum paſſionis ſuæ, mihi videor applicare illi poſſe in eo ſtatu, ad quem in Euchariſtico Sacramento redactus eſt, verba illa Prophetæ: *humiliatus ſum uſquequaque*; quoniam reperi inventionem ſuſtinendi humiliationes, quæ non ſunt amplius, & recolo memoriam præteritarum injuriarum, ut modo me humiliem. Cum aliquam injuriam accipimus, illius veſtigia delere quærimus; ſaltem adnitimur obliterare illam ex hominum memoria; ſed JESUS CHRISTUS alios fovet ſenſus de ignominiis, quas patitur; ſatis illi non eſt eas ſemel ſubſtinuiſſe, inſtituere vult Sacramentum, ut earum memoriam, ac dedecus tradat immortalitati; neque ſatis putans eorum imaginem inſculpere in alienis tabulis, imprimit illas in proprio Corpore, atque utitur proprio Sanguine, ut exhibeat ignominias ſuas. Imagini Paſſionis ſuæ addit etiam præſentes humiliationes, quæ quodammodo exinaniunt omnia ſuæ gloriæ principia.

Sequitur idem argumentum.

Non deſunt injuriæ factæ Deo huic humiliato, Sacramenti hujus propriæ. Ibi producitur Sacerdotis verbo; hæc jam magna eſt humiliatio; *ſed crebro impii Sacerdotis verbo producitur, cujus Sacrificium, ſacrilegium eſt. Hæc* duplex eſt humiliatio, obedire voci, quæ lædit, & mortem infert, ſimul ac vitam. Mox manet in Altari, ut ſeſe uſibus noſtris offerat, & hæc quoque inſignis eſt humiliatio; ſed manet expoſitus pravorum Chriſtianorum ludibriis, hæreticorum infidelitatibus, ſacrilegorum abominationibus quæ duplicatæ ſunt humiliationes. Denique ad cumulum humiliationum ingreditur in os, & in ſtomachum Communicantium. Magna humiliatio eſt, vivere, & permanere in locis adeo indignis præſentia ſua; ſed quoties ingreditur in corda nefaria, quæ illum reciliosa, propter quam de ſuo amore conqueritur, eo quod poſitus fuerit, tamquam ſcopus, in quem omnia peccatorum tela contra ipſum contorta colliment? Heu! ſi vellem omnes congerere injurias, quas patitur in hoc Sacramento, crederem, me iterum perſequi Paſſionem Salvatoris, & oſtendere ipſum in Altari pati aliquid ſimile iis, quæ paſſus eſt in Cruce. Invenirem Judas illum oſculis tradentes, Carnifices illum crucifigentes, perſecutores illum felle, & aceto inebriantes, eo tempore, quo paſcit illos Carne ſua, ſuoque inebriat Sanguine; cum hoc tamen diſcrimine, quod in Altari magis contumelioſas invenit circumſtantias, quam olim in Cruce.

Fœdus, quod contrahimus cũ Salvatore in hoc Sacramento cogit nos illum diligere tamquam partẽ noſtrum metipſorum.

Caro noſtra eſt. Geneſ. 37. Nobis amandus eſt Salvator, qui cum nobis eadem eſt Caro, eademque res; & reſpondere debemus objectis omnibus cupiditatum noſtrarum, quæ ad illum offendendum nos impellere vellent, id, quod Judas dicebat fratribus ſuadentibus illi, ut excidio fratris ſui Joſeph aſſentiretur. *Caro noſtra eſt*; ille, quem velles a me lædi, & in memet crucifigi, caro eſt mea, & ſubſtantia mea. Profecto, ut odio haberemus JESUM CHRISTUM, donec noſmetipſos amamus, ſeparandæ eſſent hæ duæ ſubſtantiæ, quæ adeo arcte ſimul conjunctæ ſunt; Corpus ejus a corpore noſtro dividendum eſſet, Sanguis ejus a noſtro ſanguine ſejungendus, & auferendum quidquid Vitæ ſuæ in noſtra invenitur, quod fieri nequaquam poteſt: tenemur igitur amare Salvatorem noſtrum, tamquam partem noſtrum metipſorum.

Stupiditas hominum, qui non reſpondent amori, quem illi teſtatur J.C. in hoc Sacramento.

Qui non amat Dominum JESUM ſit anathema. 1. Ad Corinth. cap. 16. Potiſſimum propter divinum hoc Myſterium, cum S. Paulo contorquere poſſumus anathema non amanti JESUM CHRISTUM, quia ibi maximam nobis oſtendit dilectionem, quæ valeat excogitari. Væ igitur cordibus ſenſu carentibus, & quæ gelu adſtricta ſunt, tunc cum Deus pro illis aſſumitur flammis ſuæ Caritatis. Opus ne eſt, ut corda, quæ ideo facta ſunt tantum, ut diligant Deum, nullo habeant in diſcrimine illum, a quo adeo diliguntur? quid! Chriſtiani ſæpe recipient Filium Dei, qui totus eſt amor, & ignis erga illos; ipſi vero illum non diligant? Nonne hoc eſt mereri anathema a Sancto Paulo intentatum? Ah! gemens dico, tantopere Mundus diligitur, exclamabat inſignis Sanctitate Vir dolens, & nullus eſt amor pro te, Amor ſumme! homines pleni ſunt amore ſuimetipſorum, propriæ utilitati intenti, terrenis rebus addicti, ſed proh nefas! frigidi, ſenſu carentes, languidi in amore Dei, qui amat illos eo uſque, ut illis ſe præbeat, pro illis ſeſe ſacrificet, eumque in ſtatum adducat, ubi videtur non eſſe, niſi pro illis, & pro uſibus eorum: *Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & porta ejus deſolamini*. Admiramini tantam hanc cæcitatem, & dolor, quo inde affecti eſtis, cieat in vobis miſerationem tantæ calamitatis. Sed fierine potuit, Salvator mi, ut hactenus caruerim amore tui, & non meruerim mihi anathema, quod in me jaculatus es per os Apoſtoli tui? Ah! tempus jam eſt emergendi tandem de hoc ſtatu languoris, atque tepiditatis. Jam cor meum ad id paratum eſſe videtur; non audeo tamen aſſerere te amari a me, ſed ardenter cupio te amare. Ita eſt, Deus, devovere tibi volo omnium affectionum mearum latitudinem: ſentio equidem cor meum nimis anguſtum eſſe, & levibus dumtaxat ſtudiis excitari; & ſi opem invoco nobiliſſimarum Creaturarum, intelligo illas etiam nimis coarctatas eſſe, & minime pares meis deſideriis. Per divinum amorem tuum te amare deſiderio. Illum offers mihi in hoc Sacramento, quoniam mihi das temetipſum. O ignis divine, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! accende me flammis *tuis*; penetrent *illæ* Animam meam, ut illa te in tempore diligat, & in æternitate. Hierem. c. 2.

Dei Filius poſt Reſurrectionẽ ſemper latuit. Cur latere voluit in hoc Sacramento?

Tu es Deus abſconditus. Iſaiæ 45. Diſcite a S. Auguſtino JESUM CHRISTUM in hoc Sacramento delitescere, ut veſtram ſibi acquirat confidentiam; Et ſane ſi oculis noſtris videretur, quomodonam ad ipſum auderemus accedere? divina ejus Majeſtas a nobis videri non poteſt, niſi cum ſummo vitæ periculo: *non videbit me homo, & vivet*; & poſtquam reſurrexit oſtendit ſe tantum Apoſtolis ſuis, piiſque Mulieribus, quæ illum ſubſecutæ *fuerant in vita ejus* mortali, niſi ſub aliena forma. *Magdalenæ* apparuit *ſub imagine Olitoris, ne illam terreret* luce gloriosa *Corporis ſui*, quemadmodum radius gloriæ ſuæ in *Thabor* Apoſtolos in terram proſtravit. Hac de cauſſa Filius Dei abſcondit gloriam ſuam ſub ſpecie hujus Sacramenti, ne incutiat nobis formidinem intuentibus Carnem ejus glorioſam. Sed quo magis ſeſe ille tegit oculis, eo magis aperit ſe cordibus noſtris. Nonne abſcondens ſe Diſcipulis ſecus viam Emmaus, prodebat ſe illis ſub imagine viatoris, & ſenſim, ac ſine ſenſu in corda eorum ſemet per ardores divinæ Caritatis inſinuabat? *nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis?* Non oſtendit ſe palam, quia illi nutabant in fide, ſed apertiſſime *cognoverunt illum in fractione Panis*. Ut *intelligeremus hunc Deum* abſconditum ſeſe per *communionem facilius* præbere *nobis cognoſcendum*, quam *per* ſenſuum experientiam, *& per* omnem mentis noſtræ argumentationem. Petebat olim David a Deo teſtimonium præſentiæ, & abſentiæ ſuæ; modo rogabat illum, ne averteret faciem ſuam ab illo, & modo, ut deflecteret oculos, ne videret ejus infirmitatem. Hoc in Euchariſtico Sacramento obtinemus, Deum præſentem, ut nos conſoletur, Deum abſentem, ne per præſentiam ſuam nos terreat. *Abſentia præſens, & præſentia abſens*, inquit S. Bernardus. Lucæ 4. Ibi m.

Dei Filius meretur amorem noſtrum, quia ſe fecit cibum noſtrum, ut daret nobis vitam gratiæ.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joann. 10. Si conſideramus, Filium Dei ſcientem ab hominibus naturalem vitam ſervari eſca, quam recipit corpus eorum, voluiſſe ſemet celare ſub ſpeciebus corporalis alimenti, ut hujus velamenti favore facilius illis gratiæ vitam impertiat; fieri nequit, ut non rapiamur amore tantæ bonitatis. In Mundum veni, ait Salvator amabilis, ut homines vitam habeant, & abundantius habeant. Prima ſpiritualis vita, quam Dei Filius nobis largitur, communicatur nobis, per Baptiſmum, & Pœnitentiam; & vitæ plenitudo nobis per alia Sacramenta confertur; præcipue vero per illud Euchariſtiæ, quæ eſt ipſa vita. Sed præbere ſe homini in cibum, ut nequeat vitam recipere, quin recipiat caritatem, quandoquidem Filius Dei utraque eſt, hic profecto eſt exceſſus amoris, qui ſuperat captum noſtri intellectus: profecto tunc dicendum eſt cum Apoſtolo, nihil ſeparare nos poſſe a caritate poſſidentes illum, qui eſt caritas ipſa, & qui arcte adeo ſe nobis conjungit factus cibus noſter.

Hominum ingratitudo pro tot gratiis quas in hoc Sacramento recipiũt.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Pſalm. 115. Quas agemus gratias Filio Dei pro illis, quas in hoc divino Myſterio contulit nobis. Ah! opus eſſet, ut quidquid in nobis eſt, converteretur in tantumdem grati animi ſenſum, ſi nobis largitur gratiam univerſalem; nonne illi debemus omnem cordis noſtri latitudinem? ſi nobis largitur gratiam perennem, ut diximus, nonne ſemper dona illius cogitare debemus? Si nobis largitur gratiam uberem, copioſam, & inexauſtam, nonne grati eidem eſſe debemus,

sine exceptione nosmetipsos donantes? Tamen per inauditum ingrati animi vitium, pauciſſimi rependunt Salvatoris liberalitatem; multi ad id ne animum quidem advertunt, & plerique prorſus obliviſcuntur; ingratiores hac in re ipſis Iſraelitis, *qui obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus*. Psalm. 77. Quamvis Iſraelitæ non recepiſſent, niſi figuras bonorum, quorum ipſam poſſidemus veritatem, & omnes iſtæ gratiæ nos minime afficiant. Væ nobis, ſi majoribus cumulati beneficiis, quam Populus ille, hunc ſuperamus ingratitudine erga noſtrum Benefactorem! Tandem enim cognoſcimuſne pretium harum gratiarum, quas in hoc Myſterio recipimus? S. Auguſtinus nos docet, olim aſſumi conſueviſſe ſanguinem unius Victimæ, eumque poni conſueviſſe in alterutram libræ lancem; in altera vero aurum, lapideſque pretioſos. Ah poteſtiſne appendere Sanguinem Dei? quamvis in ſtatera ponere omnes totius Mundi theſauros, minima hujus Sanguinis gutta pretii eſſet infiniti; & vos illam contemnitis? qui enim major contemptus eſt, quam præferre illi ſordidum lucrum, impuram voluptatem, &c.

Tu es Deus abſconditus. Iſaiæ 45. Dei Majeſtas nimium eluceret ob oculos humanæ infirmitatis, niſi ille tegeret nubibus ſplendores ſuos, & ſi Cæleſtes Angeli tenentur faciem velare ſuam coram Throno Dei, mortales oculi ſubſtinere poſſent ſplendores gloriæ ipſius, niſi aliqua ratione ille ſua lumina temperaret? hac de cauſſa Dei Filius Patriarchis nonniſi in nube apparebat: *apparuit illis in nube*. Exod. 16. Ita etiam Verbum Incarnatum, quod ſplendor eſt æternarum Patris ſui qualitatum, poſuit in tenebris Thronum ſuum, factuſque eſt Deus ſub noſtrorum Myſteriorum nubibus abſconditus. Si de Cælo deſcendit, ut in utero Virginis fiat Caro, Prophetæ antiqui rogabant Dominum, ut ſub nubis ſpecie Juſtum in terras demitteret: *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant Juſtum. Iſaiæ* 45. Si gloriæ ſuæ radium emittit in Thabor, diſcipuli ejus nube obumbrantur. *Ecce nubes lucida obumbravit eos*: Matth. 17. Si in Aſcenſione ſua in ſinum Patris revertitur, item nubis beneficio, oculos diſcipulorum ſuorum fallit: *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*. Actor. 1. Denique ſi permanere vult inter homines in Euchariſtiæ Sacramento, uſque in ſæculorum conſummationem, ſub nube ſpecierum Sacramentalium ejus magnitudinem, & magnificentiam tegentium latet. Sed quemadmodum Deus iſte abſconditus in nube ſuæ Incarnationis, adoratus fuit a Magis, quemadmodum Deus iſte abſconditus in velamento Incarnationis ſuæ ab Angelis fuit adoratus, quemadmodum hic Deus abſconditus ſub humanæ naturæ integumentis receptus fuit triumphans in Jeruſalem; quemadmodum hic Deus abſconditus ſub ſpeciebus Sacramentalibus ab Angelis ſuper Altari adoratur, colitur a Regibus, qui eidem ſua præſtant obſequia, & in honore habetur a *Populis*, qui oſtentant pietatem ſuam in pompa ſupplicationum, earum dierum, quæ adorabili huic Myſterio conſecratæ ſunt; quid faciendum eſt nobis, nobis inquam, qui profitemur eſſe fideles Chriſtianos, confiteri, adorare, & obſequia noſtra illi adhibere ſub his velaminibus in Templis, ubi jugiter patet cultui fidelium?

Sicut dilexit me Pater, ego dilexi vos. Joannis 17. Ideæ, quas habere poſſumus rerum terrenarum, nimis infirmæ ſunt, ut nobis repræſentent Caritatem, quam *Dei Filius nobis in hoc Sacramento* teſtatur. Attollamus cogitationes noſtras, uſque ad ipſam Divinitatem, ut æquiorem nobis adſtruamus ideam; crederetiſne? Salvator Mundi aſſerit nobis, ipſum nos diligere, quemadmodum a Patre ſuo dilectus fuit; *ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. Sed nullus eſt amor major, ſpectabilior, ardentior, quam amor Patris Æterni erga Filium ſuum. Amat illum tantum, quantum amari poteſt; & cum ille ſit infinite amabilis, infinite amat illum, in illo complacet ſibi, ab eo ſeparari non poteſt, nec poteſt illum non amare, ſine interpellatione, & ſine exceptione. Ita nos amat JESUS CHRISTUS in Euchariſtico Sacramento; caritas ejus eſt in ſemet infinita, amat nos, quatenus productiones gratiæ ſuæ; & quantum amabiles ſumus. Complacet ſe in amore fidelium animarum, quæ ſibi complacent in illius ſocietate, & adhæret Chriſtianis, qui ſeſe nunquam ſeparant ab illo. Quæ felicitas eſt Animæ Chriſtianæ, habere Deum amicum, qui ſe tradit illi, & qui illam perfecto amore proſequitur? Illa frui poteſt, ubi vult, præſentia ipſius; illa poteſt ad eum in ſuis neceſſitatibus confugere; illa poteſt in ſingula momenta Deum viſitare, in ſinu illius omnes curas deponere, & experiri effectus ardentis amoris, quo illam complectitur.

Nos incomparabili hoc beneficio tantum gaudemus, quantum ſi ſoli illud reciperemus.

Qui dedit ſeipſum pro me. Ad Galat. 1. Quod autem donum hoc nobis carius, ac pretioſius debet efficere, hoc eſt; quod quamvis commune ſit, cum generatim pro omnibus hominibus tribuatur, nobis quoque eſt peculiare, æque ac ſi ſoli eſſemus, quibus eodem perfrui liceret; ita ut ſi in gratiis, & beneficiis, quæ recipimus, diſtinctio, quæ pro nobis habetur, ſæpius nos magis afficiat, quam bonum, quo cumulamur? quem amoris, gratique animi ſenſum non debet in nobis excitare beneficium, quod tantum pro nobis eſt, quantum ſi pro nobis tantum eſſet; & de quo dicere poſſumus quod ait Sanctus Paulus de hoc eodem Salvatore: *qui dedit ſemetipſum pro me*. Mihi ille ſe tribuit hoc pacto, pro me ille ſe poſuit in hoc ſtatu; in meipſum peculiariter ingreditur, & permanet; meipſum ille voluit cumulare donis & favoribus ſuis, dans ſe mihi totum. Sed quid ego viciſſim tibi reddere poſſum? nemo unus, præter te, Salvator, & Deus meus, cognoſcit magnitudinem muneris, quod tribuis mihi, & quantum ipſe tibi debeam. Noluiſti me æternum ingratum eſſe tibi, quoniam hoc ipſum Sacramentum eſſe voluiſti medium illud, quo referrem tibi gratias ob munus collatum, & hoc ipſum vocari voluiſti nomine Euchariſtiæ, hoc eſt actionis gratiarum, quaſi hoc eſſet, pares referre muneri gratias, illud recipere.

Animi grati, ſenſus erga Salvatorem pro inæſtimabili hoc beneficio.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi; Pſalm. 115. Quomodo nam reſpondebo tot monumentis divini amoris erga me? quid facere poſſum, ut referam pares gratias, quibus me cumulavit? ecce: *Calicem ſalutaris accipiam*. Sanguis ejus oblatus medium erit gratias referendi propter Sanguinem pro me effuſum, & cujus meritum applico mihi in hoc Sacramento. Sacratum Corpus illius continens fontem bonorum omnium, fundus erit, ex quo mutuabor, unde illi retribuam. Heu! quid potui facere, Salvator adorabilis, ut cogerem te, ut una cum Corpore tuo omnes præberes mihi tuæ divinitatis theſauros? nimis noſti paupertatem meam, ut aliquod a me bonum exſpectes? Sed poſſumne tibi modicum illud amoris negare, quo valeo, gratias acturus magnitudini amoris tui? hoc ſenſu accipiam ſalutis Calicem, quem mihi offers in Ara. *Calicem ſalutaris accipiam*.

Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. Apocal. 21. Videntur mihi verba, quæ audiit S. Joannes olim de Cæleſti Jeruſalem, æque convenire noſtris Eccleſiis, atque tabernaculis; ubi adorabile Salvatoris Corpus quieſcit. Elegit Deus tabernacula, ut, cum hominibus permaneret; hic ille poſuit Thronum ſuum, hic ab Angelis, & hominibus adoratur; hic ſeipſum oſtendit, luminibus fidei; hic ſe guſtandum præbet animabus caritate flagrantibus; hic Dei Filius effundit in fideles gratias ſuas; hic Chriſtiani confitentur illum Deum ſuum per ea vota, quæ nuncupant illi: *habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit ipſorum Deus*. Apocal. 21.

Deus quærit amicitiam noſtram in hoc Myſterio, & nos reſpicit tamquã amicos.

Jam non dicam vos ſervos, vos autem dixi amicos. Joann. 15. Amicus verus theſaurus eſt, inquit Scriptura, ſed illa de te loqui vult, Domine, & Deus meus; cum nunquam ullus extiterit amicus verior te, ita in uno te poſſum invenire theſaurum, qui meis omnibus opem ferat neceſſitatibus; ſed in divino hoc Sacramento, te nobis talem exhibes; ſi enim mœſtus ſum, tu me conſolaris; ſi pauper, me locupletas; ſi laceſſor, me tueris; ſi infirmus ſum, me confortas; ſi exanimis, mihi animum addis; denique invenio in te malis omnibus remedium, & bonorum tuorum affluentiam. Cur ergo hactenus tot ſollicitudinibus quæſivi, & ſæpe etiam fruſtra amicos inter homines? Præterquam quod poteſtas illorum ſane angusta eſt, eorum voluntas eſt anguſtior. Pauca poſſunt, & fere minus volunt, quam poſſint. Tu unus es Deus, cujus poteſtas ſit infinita, & poteſtati par liberalitas. Ah! hactenus ignoravi beatitudinem meam; ſed quoniam me dignaris tua amicitia, & illius argumenta præbes in divino hoc Sacramento; & me accumbere vis menſæ tuæ, & tua perfrui neceſſitudine, aperio cor meum in ſinu tuo, & tu nihil a me petis, niſi me, niſi, ut te diligam, niſi amorem reddam amori, quem mihi teſtaris; Deinceps tibi præbere volo meæ fidelitatis, meæque devotionis monumenta. Amicitiam hanc excolam crebris viſitationibus meis, & nihil intentatum relinquam, ut me totum tuum eſſe ſignificem.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Carnem ſuam (CHRISTUS) ad manducandum cordi, & ori tribuit. S. Auguſtinus ad Orat.

Dicere audeo, quod Deus, cum ſit Omnipotens, plus dare non potuit, cum ſit Sapientiſſimus, plus dare neſcivit, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit. Idem tract. 26. in Joann.

O Sacramentum pietatis! O ſignum unitatis! O vinculum Caritatis! Idem ibidem.

Hoc eſt manducare illam Carnem, & bibere illum potum, in CHRISTO manere, & CHRISTUM in ſe manentem habere. Idem tract. 27. in Joann.

CHRISTUS dicens, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo;

in illo; *ostendit quid sit non Sacramento tenus, sed revera Corpus CHRISTI manducare, & ejus Sanguinem bibere; hoc est enim in CHRISTO manere, ut in illo maneat CHRISTUS.* Idem lib. 19. de Civit. c. 21.

Nisi esset humilis, non manducaretur, nec biberetur. Idem in Psalm. 33.

Nemo Carnem illam manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quomodo adoraretur tale Scabellum, & non solum, non peccetur adorando, sed peccaretur non adorando. Idem in Psalm. 89. Super illa verba: *& adorate Scabellum pedum ejus.*

Qui digne comedit hunc panem, qui est Corpus CHRISTI, necesse est, ut moriatur præteritis, & vivat futuris. Idem serm. 201. de tempore.

Sinit (impium) accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norunt, pretium nostrum. Idem Epistola 162.

Punici Christiani, Sacramentum non aliud vocant, quam vitam. Idem de merit. & remiss.

Corpore & Sanguine, quo quotidie in Ecclesia pascimur & potamur, participes unius summæ Caritatis efficimur. Idem ibid. c. 14.

Manduca Vitam, bibe Vitam. Idem Homil. de Verb. Domini.

Sacramento Corporis Domini subjugatus est Mundus. Idem Epist. ad Januarium.

Et nos ille possideat, & nos illum possideamus. Idem tract. 2. in Joann.

CHRISTUS, qui semel immolatus est in seipso, in Sacramento quotidie Populis immolatur. Idem Epistola 23. ad Bonifacium.

Verbum illud, quo pascuntur Angeli, quod est æquale Patri, manducavit homo. Idem Conc. 2. in Psalmo 33.

Incarnatur Panis, & trajicitur per mamillam, ut veniat ad Infantem. Incarnatur Verbum, & trajicitur per Eucharistiam, ut veniat ad hominem. Idem ibidem.

Mensa potentis, unde sumitur Corpus CHRISTI. Idem tract. 84. in Joann.

Poculum pretii nostri. Idem lib. 7. Confession.

Panis Supersubstantialis. Idem serm. 18. de Verbis Domini.

Mutet vitam, qui vult accipere Vitam; nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet Vitam, & magis ex ipsa corrumpetur, quam sanatur, magis occiditur, quam vivificatur. Idem serm. 1. de tempore.

Non quod videtur, sed quod creditur, pascit. Idem contra Faustum.

Dominus Angelorum factus est homo, ut panem Angelorum manducaret homo. Idem sermone 13. de Tempore.

Corpus CHRISTI accipere majus est, quam orare. Hieronym. ad Celantiam.

Eucaristia Caritatis est Symbolum. Idem ad Theoph.

Ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur. Idem Epist. 150. ad Hedibiam.

Caro, Corpore, & Sanguine CHRISTI vescitur, ut anima de Deo saginetur. Tertull. lib. de Resurr. Carnis.

Pharmacum immortalitatis est antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in CHRISTO JESU. S. Ignatius Martyr Epist. ad Ephes.

Gloria Dei (ita Eucharistiam vocat) Idem Epistola ad Ephes.

Vita Æterna (hoc Sacramentum sic appellat) Idem in Epist. ad Rom.

Quid est Altare, nisi sedes Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI? Optatus Milevit. contra Parmen.

Per cibum istum Sacratissimum in suam nos CHRISTUS traducit effigiem; Deiformesque nos reddit. S. Dionysius de Cœlesti Hierarch.

Æterna Vitæ ciboria. S. Chrysologus serm. 159.

Panis immortalitatis. S. Iræneus lib. 4.

Symbolum resurrectionis. Concilium Nicænum.

Esca Sanctorum. S. Ambrosius lib. de benedictione Patriarchar.

Cibus Vitæ Æternæ. Basilius lib. de Baptismo.

CHRISTI Corporis, & Sanguinis participatio, necessaria est ad Vitam Æternam. Basil. in summ. mor.

Qui se nobis ad manducandum dedit, quid suum denegare poterit in futurum. Sanctus Chrysostomus sermone 95.

Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia Corpore CHRISTI, & Sanguine non armatur ad prælium. S. Cyprianus ad Cornel. Papam.

Hoc uno contenei ferculo omnes Mundi delicias aspernantur fideles. Idem de Cœna.

Panis iste non effigie, sed natura mutatus, Omnipotentiæ Dei factus est Caro. Idem ibidem.

Quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, nudosque relinquimus, sed protectione Corporis, & Sanguinis CHRISTI munimus. Idem Epistola 45. ad Cornel.

Alimonia immortalitatis. Idem sermone de Eucharistia.

Portio Vitæ Æternæ. Idem ibidem.

Panis ad totius hominis Salutem proficiens; Idem ibidem.

Panis omne delectamentum habens. Idem sermone de Cœna.

Panem Angelorum sub Sacramento manducamus in terris, eumdem sine Sacramento manifestius edemus in Cælo. Idem ibidem.

Non humani, sed divini muneris Sacramentum. Sanctus Ambrosius lib. de Imitat.

Medicina peccatorum. Idem lib. 4. de Sacram.

Quomodo morietur is, cui cibus Vita est. Idem sermone 18. in Psalm. 118.

Ille Panis Vitæ Æternæ, qui animam nostram fulcit. Idem ibidem.

Sacramenta pro requie Mortui. Idem de Obitu Valent.

Quanta reverentia, & tremore, quanta Corporis, & Animæ puritate hoc divinum, & Cæleste Sacrificium est celebrandum, ubi Caro CHRISTI in veritate sumitur. Idem in precibus ante Miss.

Unus sit nobis dolor, si hac Esca privamur. Chrysost. Homil. 83.

Hic Sanguis nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc armatur, hoc incenditur, hoc igne, & Sole clariorem animam nostram reddit. Idem Homil. 45. in Joann.

Dum in terra sumus, ut terra nobis Cælum sit, facit hoc Mysterium. Idem Homilia 24. in Epistola 1. ad Corinth.

Corpus CHRISTI aliter pius, aliter incredulus sapit. Idem Homilia 7. in 1. Epist. ad Corinth.

Nihil omisit, quod vehementer amantem deceret. Idem in Joann. cap. 13.

Bonam spem de futuris vobis præbens, quippe qui vobis hic meipsum tradidi; multo magis id in futuro faciam. Idem Homil. 60. ad Popul. Antiochen.

Considera, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Ibidem.

Hic Sanguis animæ nobilitatem non sinit languescere; hic Sanguis facit, ut imago in nobis Regni floreat. Idem Homil. 45. in Joann.

Huic, dum unimur, efficimur unum CHRISTI Corpus, & una Caro. Idem Homil. 83. in Matth.

Cum benedictionem dico, Eucharistiam dico, & dicendo Eucharistiam, omnem bonitatis Dei thesaurum aperio. Idem super illa Sancti Pauli Verba; *Calix benedictionis, nonne communicatio Sanguinis CHRISTI est?*

Quis Pastor Oves proprio pascit cruore? ipse autem proprio nos pascit Sanguine; ut nos sibi per omnia coagmentet. Idem Homilia 83. in Matth.

Fiducia fundamentum. Idem Homilia 24. in 1. ad Corinthios.

Præsens subsidium defunctorum. Idem in Epistola ad Philipp.

Victima dormientibus solatium ferens. Idem Hom. 41. in 1. ad Corinth.

Beneficiorum Dei recordatio. Idem Homil. 26. in 1. ad Corinth.

Mysterium pacis. Idem Homil. 50. in Matth.

Hoc Corpus nobis comedendum præbuit, quod fuit summa dilectionis. Idem Homilia 24. in 1. ad Corinthios.

Vivificat Corpus CHRISTI, & ad incorruptionem sua participatione perducit. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Joann. c. 37.

CHRISTUS in hoc Sacramento sævientem membrorum legem sedat, collisos redintegrat, perturbationes extinguit. Idem lib. 4. in Joann. c. 17.

Præclarum Viaticum hostiæ immaculatæ. Idem lib. 17. de adorat.

Concorporeus, & consanguineus CHRISTI. Cyrillus Hierosolym. Cath. 4. myst.

Esculentum se nobis proposuit, ut accipientes illum in nobis, illud efficiamur, quod ipse est. Gregorius Nyssen. in Eccles. 13.

Extendit Deus super spes nostras munera sua, & quod maximum, & rarissimum est, dona illius, etiam tua vota vicerunt. Salvian. lib. 2. ad Eccl. Cath.

Corpus nostrum consequitur immortalitatem, Corporis CHRISTI immortalitati conjunctum. Gregor. Nyssenus Orat. Catechist. c. 37.

Non aliud agit participatio Corporis, & Sanguinis CHRISTI, quam ut ad id, quod sumimus, transeamus. S. Leo de Passione Domini.

Tot, & tanta Miracula in præparatione istius benedicti Panis inclusit, ut in ipso videantur, omnium, quæ ab initio Mundi fecit, mirabilium memoriam renovasse. S. Thom. opusc. 59.

Cum datur in Cibum, datur ad omnimodam unionem. Idem opusc. de Sacram. Altaris.

Spiritualis dulcedo, tamquam in proprio fonte gustatur. Idem opusc. 57.

Donum inenarrabile. Guillelmus Parisiensis in tract. de Euchar.

Sicut in Paradiso Vitæ lignum fuit, quo jugi subsisteret status hominis, ita provisum est in Ecclesia hoc Mysterium salutis. Paschas. de Corp. & Sang. Dom.

Quid melius seipso dare poterat vel ipse. S. Bernardus.

Novissimum futuræ felicitatis indicium, & divinæ miserationis præsagium certum. Laurent. Justinian. serm. de Eucharist.

Divitias divini sui erga homines amoris, velut effudit. Concil. Trident. sess. 13. c. 2.

Antidotum, quo a peccatis mortalibus præservamur. Ibidem.

Disce a CHRISTO quomodo diligas CHRISTUM. Bernardus.

Mihi omni infelicitate miserius est, quod ad CHRISTI Corpus immundus accedo, elatus ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem, & tamen patitur humilis elatum &c. Idem serm. 1. de Cœna Domini.

Quomodo non exultet anima, quæ se sentit dignam præsentiæ Dei. Laurentius Justin. lib. de Casto Connubio.

Tota in humilitate Majestas, tota in Majestate humilitas. S. Leo de Passione CHRISTI.

Maximum miraculorum CHRISTI. Divus Thomas Opusculo 54.

Miraculum amoris. Cyrill. in glaph.

Ultimum, & necessarium Viaticum. Concil. Nicæn. Can. 13.

Mysterium Crucis eripuit nos a potestate peccati; Mysterium Eucharistiæ eripit nos a voluntate peccandi. Innocentius III. de Myst. lib. 4.

Hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, ut vescamur Carne ejus, nempe CHRISTI, *Cruoreque potemur*. S. Hieronym. in cap. 3. Eccl.

Qui Sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, & rursus ipsum Sanguinem nobis communicavit. Quid pro salute nostra facere recusavit? Chrysostomus Homil. 2. ad Popul. Antioch.

Sacramentorum Sacramentum, in qua nobis dantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. S. Thomas Opusculo 58.

Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam externi cibi. Augustinus Epistola 118. ad Joann.

CHRISTUS, ut majori nos Caritate astringeret, & ut suum in nos desiderium ostenderet; non se tantum videre promittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & desiderio sui omnes impleri. Chrysost. Homil. 45. in Joann.

O honorem Christiani, o amorem Dei! digni effecti divinis Mysteriis, incorporei, & consanguinei CHRISTI facti estis. S. Cyrill. Cathec. 5.

Consule in Bibliotheca nostra titulum de Communione, paragrapho quarto, ubi alios Patrum locos hujus argumenti reperies.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia penu deprompsi possit hoc in argumento.

Definitio Eucharistiæ, quatenus Sacramentum.

INter omnia Sacramenta, quæ Dei Filius instituit, ut essent rivuli, per quos hominibus suam communicat gratiam, nullum comparari potest cum Eucharistiæ Sacramento; ideoque nostra maxime interest illius naturam æque, ac præsentiam cognoscere. Eucharistia igitur vulgo Sacramentum Altaris nuncupata, est Sacramentum Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, sub speciebus Panis, & Vini, per mutationem, quam Transubstantiationis verbo significamus, quæ fit per divinam potentiam, ac virtutem, quam ipse contulit verbis Sacerdotis legitime consecrati.

Varia nomina, quæ S. Patres, atque Theologi tribuerunt augusto huic Sacramento.

Sancti Patres, auctoresque Ecclesiastici videntes fieri non posse, ut unico verbo explicarent augusti hujus Sacramenti præstantiam, atque Majestatem, illam adniti sunt plurimis diversis nominibus exprimere: Ita illam nonnunquam vocant Eucharistiam, videlicet gratiam excellentem vel actionem gratiarum, quæ duæ sunt qualitates, quæ illi perfecte conveniunt. Namque vere est excellens gratia, quandoquidem pignus est Vitæ æternæ, & continet JESUM CHRISTUM fontem gratiæ totius, & omnis doni perfecti. Est etiam actio gratiarum; quotiescumque enim immolamus hanc purissimam Hostiam, infinitas Deo gratias agimus pro bonis omnibus, quæ de illius largitate recipimus. Sæpe auctores Sacramentum hoc, Sacrificii nomine designant; quemadmodum ipsi vidimus in titulo superiori, & sæpius etiam nomine communionis; nam, ut docet Joannes Damascenus, hoc Sacramentum non solum nos conjungit cum JESU CHRISTO, & efficit nos Carnis, & Divinitatis ejus participes, sed nos invicem cum illo incorporat, ut ita dicam, ad hoc, ut cum illo unum tantum Corpus efficiamur; ita illud etiam appellant Sacramentum pacis, & Caritatis. Iidem auctores vulgo illud Viaticum appellant, tum quod est nobis cibus Spiritualis, quo fulcimur in vitæ hujus peregrinatione, tum quia certam nobis facit viam gloriæ, atque æternæ felicitatis. Non desunt tandem vetustissimi Ecclesiæ Patres, qui apostolicæ innixi auctoritati, Eucharistiam nomine Cœnæ vocant, quia instituta fuit in ultima Cœna, quam Salvator fecit cum discipulis suis. S. Cyprianus de Cœna Domini.

Institutio SS. Eucharistiæ.

S. Paulus aperit Corinthiis, quod illos docuerat de hoc Mysterio, & quod a Domino didicerat. Filium Dei, cum sciret horam accessisse, qua migraturus erat de hoc Mundo ad Patrem, velletque illis relinquere pignus prorsus divinum amoris sui, invenisse per effectum prorsus peculiarem Sapientiæ suæ, modum, quo nunquam ab illis sejungeretur. Ita postquam in ultima Cœna manducavit cum discipulis suis agnum paschalem, ut veritas figuræ, & Corpus umbræ succederet, accepit panem, cumque Deo gratias egisset, benedixit illum, fregit, deditque Apostolis suis, dicens: *accipite, & comedite, hoc est Corpus meum, quod tradetur pro vobis, hoc facite in meam commemorationem*. Accepit similiter & Calicem, postquam cœnavit dicens: *Hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur: quotiescumque bibetis illum, facite in meam commemorationem*. Quæ verba ex iisdem Evangelistis desumpta, & ex Apostolo S. Paulo, ita perspicue ostendunt institutionem divini hujus Mysterii, ut nulla indigeant explicatione, vel commentario. Matth. 26. Marc. 14. 1. Ad Cor. 11.

Constat Eucharistiam verum esse Sacramentum.

Ambigi nequit, quominus Eucharistia unum sit ex septem Sacramentis, quæ Ecclesia semper pro talibus recognovit, & venerata est; quod facile probari potest hac ratione, quam nemo potest inficiari, videlicet: In Eucharistia inveniri quidquid est de essentia, & natura Sacramenti. Ibi enim inveniuntur signa exteriora, & sensibilia. Gratia ibi producitur, & significatur, atque Evangelistæ, & Apostoli nullum dubitandi locum relinquunt, an JESUS CHRISTUS sit auctor illius; Sed animadvertendum est, plura esse in hoc Sacramento, quibus Sancti Patres dedere nomen Sacramenti; nam aliquando Consecratio, & Communio, & sæpe etiam Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI, quæ in Eucharistia continentur, Sacramenta vocantur. Itaque Sanctus Augustinus ait: Sacramentum consistere in rebus duabus, in speciebus visibilibus elementorum, & in Carne, & Sanguine Salvatoris, quæ non videntur; & in hoc sensu dicimus, adorandum esse Eucharistiæ Sacramentum, Sacramenti nomine intelligentes Corpus, & Sanguinem Domini nostri; sed pro rei veritate species Panis, & Vini, ea proprie sunt, quibus hoc nomen vere convenit.

In quo Eucharistiæ Sacramentum differt ab aliis Sacramentis.

Eucharistiæ Sacramentum ab aliis differt Sacramentis, cetera enim non subsistunt, nisi in usu materiæ, & cum hæc applicatur a conferentibus illa. Ita Baptismus non est vere Sacramentum, nisi cum actu funditur aqua super recipientem; sed in Eucharistia sufficit materiam jam esse consecratam, quia species Panis & Vini non cessant esse Sacramentum, tunc etiam cum in Sacra Pyxide asservantur. Ad hæc in aliis Sacramentis nulla fit substantiæ mutatio in aliam substantiam; Aqua Baptismi, & Confirmationis Chrisma non amittunt primam aquæ & Olei naturam, cum Sacramenta illa conferuntur; econtra vero in Eucharistia id quod erat Panis, & Vinum ante Consecrationem, ea peracta simul fiunt vera Corporis, Sanguinisque JESU CHRISTI substantia.

Quamvis Eucharistiæ Sacramentum duplici conflet materia, non sunt tamen duo, sed unum Sacramentum.

Eucharistiæ Sacramentum vere ex duplici constat materia; scilicet Pane, & Vino, non tamen sunt duo Sacramenta, sed unum, & idem, secundum Ecclesiæ dogma; nam præterquam quod septenarius Sacramentorum numerus, quem semper recognovit traditio, & quem Concilia Lateranense, Florentinum, ac Tridentinum confirmarunt, non subsisteret amplius, si aliter esset; Opus est etiam, ut, quemadmodum nonnisi fit unum mysticum Corpus per gratiam hujus Sacramenti, sit etiam unum in seipso, ut habet aliquam relationem cum re, quam operatur, atque significat. Itaque unum est, non eo quod compositum sit ex una tantum materia, sed quia unam tantum significat rem; simili ratione esus, & potus, qui duo sunt diversa, unum tantum habent finem, videlicet reparandi vires Corporis; ita duæ diversæ hujus Sacramenti species, unam, eamdemque habent significationem. Significat enim Vitam Spiritualem, quæ sustinet Vitam Animæ; quapropter Dei Filius testatus est: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus*.

Eucharistia signum est trium rerum. 1. Ad Cor. c. 11.

Hoc Sacramentum tria potissimum innuit, quorum primum est res præterita, videlicet Passio Filii Dei, & hoc nobis innuunt S. Pauli verba: *quotiescumque manducabitis hunc panem, & biberitis hunc Calicem, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. Alterum est res præsens, scilicet gratia, quæ nobis communicatur ad alendam, servandamque Spiritalem Vitam Animæ nostræ. Tertium est res futura, cujus pignus est, scilicet æterna Gloria, qua perfruemur in Cælo, secundum Dei promissiones. Hæc autem tria, quæ distinguuntur triplici temporum varietate, præteriti, præsentis, & futuri, ita significantur per hoc Sacramentum, ut quamvis sit ex diversis speciebus compositum, illas tamen singillatim ostendit, quasi hoc unum esset, & idem.

Non

Mysterio Eucharistiæ sensus nostri contradicunt, & credendum est oppositū ejus, quod videtur. 1. Joann. 1.

Non desunt in Religione Mysteria satis accommodata sensibus nostris, qualia sunt, Incarnatio, & Resurrectio Salvatoris. Incarnatio, incomprehensibile illud paradoxum, quemadmodum a Patribus appellatur, Mysterium illud absconditum a Sæculo, a S. Joanne fit objectum omnium sensuum hominis: *Viderunt oculi nostri, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo Vitæ.* Alia sunt Mysteria supra sensus posita, quale est Sancta Trinitas, & gloria Sanctorum: *quas nec oculus vidit, nec auris audivit*, S. Paulus ait; Alia denique sunt, quæ sensus omnes avertunt, cujusmodi est Mysterium Eucharistiæ, quod jubet nos credere contrarium eorum, quæ videmus. Credo Deum absconditum sub integumentis hujus Sacramenti, & illum non video; certior tamen esse debeo præsentiæ JESU CHRISTI in Eucharistia, innixus iis, quæ dixit nobis, quam si ipse visibilem se nobis præberet, quin id dixisset; sensus enim hominis falli possunt, sed JESUS, qui eadem est Veritas, mentiri non potest.

1. ad Cor. 2.

De materia Sacramenti Eucharistici.

Liquet Panem solum, & Vinum modicissima mixtum aqua adhiberi posse pro materia hujus Sacramenti, quin fusius explicetur qualitas hujus Panis, qua de re concionatorem enucleatius verba facere non oportet; sed operæ pretium est, Panem, & Vinum admirabiles habere relationes, cum rebus, quas credimus, & confitemur esse symbola, & signa hujus Sacramenti, & esse aptissima ad efficiendum, ut ea concipiamus: Namque 1. cum Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI in Eucharistia sint vera animarum Esca, nihil aptius esse poterat ad indigitandum effectum hujus Sacramenti, ipso Pane, & Vino, quibus utimur ad alendam Corporis Vitam, & quæ communis est alimonia. 2. Nihil etiam magis conferre poterat ad facilius adstruendam fidem Veritatis Corporis, & Sanguinis Domini in hoc Sacramento, quam videre quotidie Panem, & Vinum mutari solis naturæ viribus in nostram Carnem, & Sanguinem. 3. Hæc mutatio Panis, & Vini in substantiam nostram prodesse potest etiam ad efficiendum, ut concipiamus id, quod in Anima Sacramentum operatur; videlicet incrementum in vita gratiæ, quemadmodum, per Panem, quem manducamus, corpora nostra crescunt sensim, & sine sensu, donec ad suam perfectionem pervenerint. 4. Denique Ecclesia unum tantummodo *Corpus efficiente*, compositum ex *pluribus membris*, nihil melius *repræsentare* potest unionem hanc, nisi Panis factus ex pluribus aristis, & Vinum ex pluribus racemis.

Quamvis vi verborū in Sacramento non sit nisi Corpus & Sanguis, Persona, & divinitas Salvatoris ibi est per concomitantiam.

Quamvis Eucharistia vulgo dicatur Sacramentum Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI quia hæ duæ sensibiles partes humanitatis ejusdem positæ sunt accidentibus Panis, & Vini directe, *& vi Verborum*, addendum est tamen simul etiam inveniri divinitatem per concomitantiam, ut ajunt Theologi, hoc est, per quamdam speciem necessitatis, quæ requirit, ut hæ partes Salvatoris inveniantur in hoc Sacramento, cum iisdem nexibus, quos habent in statu suo naturali; & quoniam Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI *hypostatice conjuncta sunt cum persona Verbi* in primo statu suo naturali, Opus est etiam, ut veniant in hoc Sacramentum cum eadem prærogativa.

Diserimen inter Consecrationē a Salvatore in novissimaCœna factam, & illas, quæ fiunt quotidie a Sacerdotibus.

Ad integram hujus argumenti cognitionem e re est animadvertere discrimen, quod interest inter primam Consecrationem a Salvatore in novissima Cœna peractam, & eas, quæ quotidie fiunt Sacerdotum Ministerio. In prima illa consecratione, quæ jure vocari potest Missa prima, quæ celebrata fuit, Salvatoris Corpus positum fuit sub velamentis hujus Sacramenti; sed cum illud, tunc temporis mortale esset, atque passibile, naturalis concomitantia, de qua locuti sumus, flagitabat, ut produceretur in eodem statu, quem habebat in seipso; quia vero modo est gloriosum in Cælo, per leges hujus nexus, opus est, ut super aras nostras veniat cum omnibus gloriæ, & beatitudinis suæ prærogativis.

Cur JESUS se abscondat sub accidentibus Panis in hoc Sacramento.

Si JESUS CHRISTUS visibiliter præsens esset in hoc Sacramento, cum accipimus, & manducamus Corpus hoc adorabile, posset aliquo modo maximus Religionis nostræ actus crudelitatis, & homicidii redargui: Crudelitatis quidem, quia humanum Corpus manducamus; Homicidii vero, quia Corpus Vivens manducamus. Nunquid ignoramus, quamvis hæc omnia præcaverit Salvator in hujus Sacramenti usu, Ethnicos tamen non desisse, quominus ideo primos Christianos improperarent, eosque criminarentur, quia comederent in Sanctissimis cæremoniis suis crudam pueri Carnem, quemadmodum in apologetico Tertullianus animadvertit: *dicimur Sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo Crudæ.* Ad prævertendam igitur, & auferendam de mentibus hanc opinionem, JESUS CHRISTUS abscondit se in hoc Sacramento, & ponit seipsum in eo statu, in quo nemo deterreri potest, & esum illius perhorrescere.

Fides sola detegit, quomodo Filius Dei sit in hoc Sacramento, & quo modo ibi vivat.

Non possumus uti sensibus nostris, ut videamus, quo pacto Dei Filius sit in divino hoc Sacramento, & quam Vitæ speciem ibi agat. Quoniam hæc non cadit sub eorum experientia, & omnes eorum usus offendit, neque possumus adhibere lumina rationis mere humanæ, quoniam hoc Mysterium non solum rationem superat, verum etiam oppugnare videtur. Reliquum est igitur, ut utamur oculis fidei, qui a Sancto Chrysostomo appellantur *Oculi cordis; credamus, & Oculo cordis id perspiciamus.* Quænam hæc loquendi ratio? quia oculi fidei sunt in Corde; quia ibi hæc Virtus incipit sese formare per piam hanc credulitatem, ut loquuntur Theologi, quæ flectit rationem nostram, efficitque, ut cum submissione revelatas Veritates credamus.

Chrys. hom. 83. in Matth.

Violentia quā fides facit nostræ rationi, & sensibus nostris, ut hoc Mysterium credamus.

Si fides unquam quamdam imposuit speciem captivitatis humanæ menti, id accidit in hujus Sacramenti fide. Etenim, cum Anima nostra adhæreat Corpori, & nihil cognoscat, nisi per sensuum lumina, naturalem habet propensionem; immo etiam aliquam juris speciem sese componendi ad sensuum experientiam, quasi regulam, quæ ipsi magis certa videtur, & quam melius, & majori cum certitudine cognoscit. Hinc sequitur rationem nostram duo habere privilegia; alterum credendi, quod videmus, vel quod per aliquem sensum cognoscimus; alterum vero non credendi, quod palam adversatur sensuum nostrorum cognitionibus. Tamen videte vim, quam fides nostra infert rationi, & sensibus, omnes has propensiones impugnat, omnibus his privilegiis abrenuntiat: primum enim nobis vetitum est credere, quod oculis *nostris ipsi videmus*; jubemur abrenuntiare omnibus sensuum nostrorum *experimentis*, ut Mysterii hujus fides constituatur. Omnes fere *sensus nostri* unanimi consensu dicunt, hoc esse Panem, & Vinum; Oculi vident Panis colorem, manus illius quantitatem attrectant, nares odorem sentiunt, gustus saporem. Sola Fides vetat credere substantiam Panis, & Vini inveniri sub accidentibus, quæ alibi ubicunque ostendunt objecta, quibus naturaliter inhærent; sed quoniam agitur de auctoritate Dei, unum duntaxat verbum Otis illius efficit, ut omnia experimenta nostra abdicemus. Non satis est fidem vetare nobis, ne *credamus quod videmus*, præcipit etiam, ut *credamus, quod minime videmus*, & quod *offendit omnes sensus* nostros dicendo, *hoc esse Corpus, & Sanguinem J. C.* quod sub *his accidentibus* continetur. Quam vim sibi debet inferre nostra ratio?

Dei Filius communicans gratiam immediate per se, eam abundantius communicat, quam per alia Sacramenta.

Quandonam gratia agere debet in nobis cum tota activitate sua, nisi cum recipimus JESUM CHRISTUM in Eucharistia auctorem gratiæ Sanctificantis? Alia Sacramenta non conferunt nobis gratiam, nisi quatenus Causæ meritoriæ; sed Eucharisticum Sacramentum applicat nobis hanc gratiam, non solum per creata instrumenta, sed immediate per propriam substantiam: & quemadmodum agentia naturalia validius agunt, cum semetipsa applicant, quam per medium qualitatum suarum; ignis Exempli gratia *fovet magis* Corpus, quod ad *illum accedit, quam caloris reflexio*, ita Dei *Filius agens immediate* per se in hoc *Sacramento, mirabiliores* in animabus nostris operatur effectus; ibi principium est, forma, & finis Operum, quæ Christianos sanctificant: Principium, quod nos inclinat ad bonum; forma, quæ dat pretium bonis operibus nostris; & finis, qui illa jucunda efficit divinæ Majestati.

Dei Filius videtur magis humiliatus in hoc Sacramento quam in Incarnatione.

Dei Filius in hoc Mysterio, cum destitutus sit præcipuis prærogativis, quæ *ab illius persona separari* non possunt, magis *humiliatus videtur, quam in ipsa* Incarnatione. *Profecto videtur* se ad extremum usque humiliasse, factus homo, & divinitatem suam Mundo universo latiorem, in pueri humanitate comprehendens; sed 1. sese coarctat, & exinanit multo magis in Eucharistia, ubi totus JESUS CHRISTUS, Verbum, Corpus, & Anima, non solum inveniuntur in minima hostia, sed sub minima partium hostiæ. 2. In Incarnatione sese conjungit cum postrema naturarum intelligentium, qualis est homo; in Eucharistia vero invenitur in postrema Specie entium omnium, quandoquidem sese jungit accidentibus, quæ sunt infra substantias. 3. In Incarnatione efficit se hominem mortalem, sed nihilominus *viventem*, & quamvis in Eucharistia JESUS CHRISTUS sit in seipso immortalis, est tamen *in statu* Mortis, tum quia Corpus, & Sanguis ejus ibi non sunt, nisi per vim Consecrationis, & sub speciebus separatis utriusque, cum quo licet conjunctæ sint sibi per concomitantiam, propter inseparabilem unionem, quæ inter illas est, ibi nihilominus ipse nullam Vitæ functionem exercet; ita ut in hoc statu dicere possit cum Propheta: *Humiliatus Jam usquequaque.*

Effectus quos producit Eucharistia.

Certum est, Eucharistiam remittere peccata venialia, & imminuere non solum pœnam, quam merentur, sed illam etiam, quæ debita erat peccatis mortalibus. Gignit autem hos effectus admirabiles, quatenus Sacramentum, & Sacrificium simul. Delet culpam, quatenus Sacramentum; nam augens gratiam, auget fervorem Caritatis, quæ iterum nos Deo reconciliat, a quo veniale peccatum nos arcet, quamquam non ita ab eo nos separet. Imminuit etiam in

hac

hac qualitate peccati pœnam, quod augmentum gratiæ, & fervor Caritatis producit in homine dolorem scelerum, quem Deus recipit, tamquam debitorum solutionem. Sancta hæc Medicina non liberat nos a malis, ubi illa contraximus, sed ab illis præservat, & vetat, ne in ea relabamur; quæ Filii Dei sententia est, apud Joannem dicentis: *Hic est Panis, qui de Cælo descendit, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Cum enim hæc Verba intelligi nequeant de morte Corporis, a qua Eucharistia nos minime liberat, intelligenda sunt de morte spirituali animæ nostræ, quæ est peccatum, a quo Eucharistia nos præservat. Hunc autem effectum producit ita augens ardorem nostræ devotionis, ut prævalidæ tentationes invenientes nos vera præmunitos Caritate, nullum contra nos consequantur effectum.

Joann. 6.

Fides, spes, & Caritas grave recipiunt incrementum ex crebro usu Eucharistiæ.

Nullum est Mysterium, quod fidei nostræ suppeditet tantam exercitationis, & meriti segetem per eam difficultatem, quæ invenitur in credendis iis, quæ sunt oppositа sensibus, & rationi nostræ; tantam enim hæc fides habet in hoc Mysterio exercitationem, ut non solum nihil videat, quod confirmet ea, quæ credenda sunt; sed e contra id, quod videt, videatur evertere quidquid credere jubetur; quandoquidem nihil oculis nostris apparet, nisi Panis, & Vini accidentia, quæ tegebant primam Substantiam, quam non esse amplius *fides nos docet. Spes* nostra hoc medio etiam magnopere roboratur; cum certum sit, si nos credimus, quod pro certo asserit, solam Sancti Petri umbram curasse morbos, & resuscitasse mortuos, & tactum Eliæi Prophetæ eumdem hunc effectum obtinuisse; nihil est, quod sperare non possimus a Corpore J. C. si Sanctam cum illo unionem procuraverimus. Quod pertinet ad Caritatem, si verum est, amorem amore gigni; constat nos non posse recipere amorem Dei erga homines, (ita Eucharistiam voco) quin Sanctus Amor alium producat amorem nostri erga Deum, quo illius magis efficimur, quam nostri; & cum homo est in hoc statu, dicere potest audacter cum S. Paulo, Caritas JESU CHRISTI urget me; quoniam hoc Mysterium non solum est testimonium amoris CHRISTI, & amor ipsius, qui in nobis esse non potest, quin cogat nos amare Deum, quemadmodum illius bonitates requirunt.

Hoc Sacramentum quod gratiam supponit, producit illam aliquando per accidens, & quomodo.

Quamvis hoc Sacramentum supponat gratiam in recipiente, accidere nonnunquam potest, ut per accidens illam producat. Theologi pro exemplo id asserunt; si quis oblitus fuisset confiteri mortale peccatum, cujus recordaretur solum, cum Altari proximus esset communicaturus, atque inde non posset citra scandalum recedere, quamquam non posset ille alium concipere dolorem, nisi attritionis, quæ peccatum non delet; hoc in casu Virtutem Sacramenti hujus mutaturam attritionem in contritionem, & deleturam etiam peccatum ipsum, secundum propositum, quamprimum confitendi, quod omnino facere tenetur.

Eucharistia novum nobis præbet jus ad resurrectionem corporum nostrorum, & ad immortalitatem, & quomodo.

Sanctum hoc Mysterium cumulat nos non solum privilegiis, quorum fructum, & utilitatem in hoc ipso Mundo percipimus; sed caro nostra conjuncta cum Carne Filii Dei, quæ suapte natura immortalis est, propter Verbi immortalitatem, recipit ex S. Joannis Sententia robur novum, ut emergat de putredine terræ, & pro Cælo resurgat. Secundum hanc considerationem augustum hoc Sacramentum vocatur Germen immortalitatis, eo æquiori titulo, quod Salvator ipse conceptis verbis testatur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Sed si una tantum actio hujus viæ auget jus, quod Incarnatio Filii Dei nobis primum adepta est ad immortalitatem, quis dubitare poterit, utrum participatio toties repetita Sacræ hujus Carnis, vias nobis sternat faciliores perveniendi aliquando ad hanc beatitatem? Quis dubitabit utrum statim ac exierimus de hoc Mundo, alterius felicitate perfruamur per arctam, intimamque unionem cum Redemptore nostro, non solum per Spiritum, & gratiam, sed per Substantiam, & realitatem? Mundi Salvator potuit semper, per meram Voluntatem suam mortuos suscitare, tamen voluit semper operari hoc miraculum per tactum Corporis sui, ut liqueret pretioso huic Corpori peculiarem inesse vim, homines suscitandi; & quoniam verum est, quemadmodum nos docet Evangelium, sola Filii Dei vestimenta curasse Ægrotantes, dubitandi locus non est, quominus Corpus illius revocet in vitam, & si hæc operabatur Miracula, donec passibile erat, & cum hominibus versabatur; multo magis id modo efficiet, cum sit impassibile, & immortale, & quatenus tale nobis in Eucharistia communicatur, ut adducat se in statum, in quo ab homine recipi valeat.

Joann. 6.

Per singulare beneficium, quod Deus homini contulit se cum illo conjungendi per hoc Sacramentum, efficit

Angeli hominibus antecellunt, quod ab ipso primo suæ Creationis momento perfruuntur Creatore suo, quia illum palam vident, cumque perfecta diligunt Caritate; cum homines nequaquam futuri sint incomprehensibilis hujus felicitatis consortes, nisi post vitam præsentem. Sed bonitas Dei, cui omnia sunt præsentia, ut penset Angelorum prærogativam, & remuneretur hominum expectationem, voluit his medium suppeditare, quo possidere possent per Eucharistiæ Sacramentum Corpus suum, cujus rei Angeli nunquam erunt participes. Ita quamvis angelica Natura sit humana præstantior, tamen hæc prærogativa, de qua loquor, & unio hypostatica Verbi, qua decoratur in JESU CHRISTO, dant ipsi locum præferendi eorum humilitatem dignitati Angelorum.

illius sortem æqualem, vel etiam superiorem Angelis.

In Eucharistia præsertim Deus coli vult, & adorari.

Quamvis JESUS CHRISTUS in Eucharistico Sacramento exutus sit omni fulgore, qui Majestatem ejus circumdat, est nihilominus Mysterium tanto adorabilius, ut quemadmodum in Sacramento hoc Salvator præbet Patri suo cultum perfectissimum; ita in exinanitione Divinitatis, & Humanitatis suæ, exigit a nobis majores reverentias, & adorationes magis profundas, atque sinceras: inter plures rationes, quæ a Doctoribus asseruntur, duabus potissimum immoror. 1. Ob delendum Dæmonis cultum, qui omnes sibi terrarum adorationes conciliaverat: 2. ad ulciscenda quodammodo opprobria, quæ ipsi morienti objecerant inimici. In ipso Mundi primordio, Deus adigere volens homines, ut se adorarent, reliquerat in creaturis omnibus suæ magnitudinis signa, & dæmon illis abusus est, ut semetipsum adorandum proponeret. Deus ergo, ut dæmonis imperium everteret, sese redegit usque ad novissimam humiliationem, ut sibi creaturæ conciliaret obsequium, a qua in ipsa magnitudine sua fuerat dedecore affectus; ut homo, qui non erubuerat ligna, & lapides colere, scandalum non pateretur a Deo absconditо sub accidentibus Panis, & Vini, reparans per Sanctam fidei suæ impudentiam, ut loquitur Tertullianus, insolentiam suæ idololatriæ. 2. Dei Filius in hoc statu ulciscitur quodammodo injurias idololatrarum, qui sibi proposuerant Deos, quos minime videbant, & qui adoraverant Idola, quæ oculos habebant & non videbant, aures & non audiebant, pedes & non ambulabant. Homines vero nunc venerantur Deum Verum, qui erit in statu Mortis in hoc Mysterio, sine ullo sensuum usu.

Dei liberalitas, & profusio gratiarum ejus in hoc Mysterio.

Cum Deus per essentiam sit Bonum, & omne Bonum suapte natura sui communicativum, gaudet ille efficere profusiones plenitudinis, & abundantiæ suæ. Si Vir aliquis perfecte liberalis, semper locuples esset, semper bona sua large, effuseque donaret; sed quia opes illius circumscriptæ sunt, per excessum liberalitatis, exhaurit seipsum, & sæpe adducit se in impotentiam ampliora dona tribuendi quia nimis dando, eo quod prodigus fuit, non potest amplius esse liberalis. Hoc tamen non accidit Deo; nam, cum divitiæ gratiarum suarum sint infinitæ, quo plura recipere potest, eo plura potest donare. Hic fons est inexhaustus, qui quærit solum sese effundere in cordibus nostris. Tamen possumus affirmare, Dei Filium factum fuisse prodigum bonorum suorum, in Sancto Altaris Sacramento; & cum dederit se totum nobis in hoc Mysterio exhausisse, ut ita dicam, gratias suas, & non posse dare nobis plura iis, quæ dedit. Hæc nobilis est S. Augustini Sententia *in tract.* 48. *in S. Joann.* Dicere audeo, quod *Deus, cum sit Omnipotens, plus dare non potuit; cum sit Sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit.* Profecto Deus, qui dat semetipsum hominibus in hoc augustissimo Sacramento, noluit coarctare latitudinem suarum liberalitatum, neque in natura muneris, quod fecit, quamquam nobis tribuat suum Corpus, suam Animam, suam Divinitatem, sua merita, suasque satisfactiones, & gratias; neque in tempore, quoniam limites non præscripsit, qua potius die adorabile Corpus suum sit accipiendum, præ alia, cum voluerit seipsum dare hominibus per omnem temporum decursum, usque ad sæculorum consummationem; neque in numero, & qualitate personarum; summi, æque participes sunt, ac imi; & quod stuporem affert Angelis, & hominibus illud est, quod Mundus Universus, cum hoc laute excipiatur Convivio, hæc Hostia suas multiplicat gratias, prout recipitur, ita ut hic fons sit gratiæ inexhaustus.

In Eucharistia Filius Dei se perfectius hominibus dedit, quam in Incarnatione.

Rite animadvertendum est, per Incarnationis Mysterium proprie Humanitati Salvatoris factam fuisse donationem Verbi, & quoad homines ceteros, qui hujus muneris participes facti sunt, & in Incarnatione Verbi, & in Morte Salvatoris, hanc fuisse donationem moralem, & generalem; moralem, quia illis applicat solum Virtutem meritorum suorum; generalem, quia Salvator universe obtulit se pro hominibus omnibus, & per hanc donationem communem pertinet ad singulos particulariter; sed Salvator in Eucharistiæ Mysterio longe aliis conditionibus se fidelibus tradit. Tradit se cuilibet fideli, uti videmus, & etiam immediate; quoniam satis esse non putans communicare nobis effectus Sanguinis, & Corporis sui, tradit se non tantum morali modo, sed reipsa; quoniam reipsa est sub speciebus Sacramenti, & sese ponit in manibus nostris, & in nosmetipsos ingreditur.

Hæc

Hæc est admirabilis liberalitas amoris Filii Dei, quæ efficit, ut potiori jure, quam Propheta, dicere possimus; Deus est hæreditas nostra, & totum bonum nostrum.

Arcta, & intima unio, quam habet Dei Filius cum hominibus in hoc Mysterio.

Homo ex duplici parte constat: Anima scilicet, & Corpore. Quælibet suas habet potentias, & facultates; sed dicere licet, divinam hanc escam sese integerrime communicare duabus istis partibus diversis. JESUS CHRISTUS conjungit se cum Anima per gratiam justificantem, eamque reddit participem Vitæ, & Spiritus sui; conjungit se ejusdem facultatibus per gratias actuales, quas illis impertit; sed conjungit se corporibus nostris modo inexplicabili, qui aliquid habet amplius, quam præsentiam localem Corporis sui, & aliquid minus unione physica, & naturali, quæ efficit, ut Sanctus Cyrillus asserat, nos factos esse *concorporeos, & consanguineos CHRISTI*. Hinc fit, ut reipsa agat in hanc partem nostrummet ipsorum, cohibens nostras cupiditates, & concupiscentias. Verum ne arbitremini divinam hanc alimoniam esse terrenis similem cibis, qui servant, & augent Vitam corporum nostrorum, & se cum illis immutant, atque identificant. Nequaquam; Sacrata hæc Caro non fit una eademque natura, neque una, eademque substantia ac nostra caro; alioquin conjuncti essemus personaliter cum Verbo, quod falsum est, & cogitatio hæc olim fefellit personas pias nonnullas, quam Scholæ respuerunt, tamquam habentem illationes, quæ animos nostros offendunt; & quamvis Patres nonnulli uti videantur verbis, quæ huic opinioni velificantur, tamen semper supponendum est, cum sacrum hoc Corpus sit in Sacramento, modo Spirituum, non posse fieri Cibum corporum nostrorum, sed Animarum dumtaxat, & quin muretur in substantiam nostram, quemadmodum alia mutantur alimenta, Dei Filius mutat nos in se per conformitatem desideriorum, sensuum, studiorum, & vitæ, secundum celebre illud effatum Sancti Augustini: *non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*. Quod non prohibet, ne Corpus Salvatoris sese modo peculiari conjungat corporibus nostris in hoc Sacramento; non solum cum jam illud habemus in nobis, & beatis illis momentis, quibus possidemus illud, sed etiam post, per qualitates, quas ibi relinquit, & impressiones, quas efficit, quod locum *præbuit magnificis illis Sanctorum Patrum expressionibus*, & *comparationibus, quibus utuntur*.

Propter unionem quam habemus cum J. C. in hoc Sacramento nobis inspirat amorem erga Sanctam suam humanitatem.

Ecce Sententiam magni Theologi credentis, Sacramentum hoc institutum fuisse, ut homines adigerentur ad amandum JESUM CHRISTUM non solum quatenus Deum, verum etiam quatenus hominem, & modo singulari. Æquo animo feretis me illius verba recitantem: *Valde pium, & probabile est, datum esse hoc Sacramentum, ut nos excitet ad amorem CHRISTI, non solum secundum Divinitatem, sed specialiter secundum humanitatem; hoc enim speciali modo unitas cum JESU CHRISTO est proprius, & Sacramentalis effectus hujus Sacramenti*. Secundum eruditi hujus Theologi Sententiam, uniones ceteræ, *quas habemus cum Deo* nostro, proprie respiciebant Divinitatem illius, quæ, cum sit supra sensus nostros, infirmitati nostræ sese accommodare non poterat. Istæ nonnisi per concomitantiam ad humanitatem referebantur; sed in Eucharistia oppositum accidit, humanitati proprie conjungimur, hæc proprie diligitur, & Divinitas consequenter, atque per concomitantiam.

Suarez.

Tenemur amare Dei Filium in hoc Sacramento, tamquã benefactorem, & beneficium.

Hic sensus est, quem ratio inspirat hominibus, & natura ipsa in animantibus imprimit; eos, qui de nobis benemeriti sunt, a nobis esse diligendos; quia beneficia sunt monumenta Amoris eadem conferentis; vel quia per se merentur de recipiente eadem, hanc speciem animi grati. Verum animadvertendum est duplex esse genus beneficiorum, quorum alia sunt extra nos, veluti cum, vel opellam impendimus nostram, vel nostra bona: alia vero per quæ nosmetipsos tradimus. Ex hoc beneficiorum discrimine procedunt duo fontes obligationis amandi eos, a quibus illa recipimus. Cum adest distinctio inter benefactorem, & benefactum, tenemur solum amare benefactorem gratitudinis caussa; Sed ubi contigit duas hasce qualitates benefactoris, & benefacti, inveniri collectas in una tantum persona, veluti cum homo ultro seipsum nobis tradit, in hisce occasionibus duplici titulo hominem amare tenemur, tamquam benefactorem per gratitudinem, & tamquam benefactum per aliam sensus speciem, quæ nomine caret in morum disciplina, sed quæ posita est in quadam benevolentia, quam habemus pro rebus omnibus ad nos attinentibus. JESUS CHRISTUS cum duplici hac qualitate offert se nobis in Eucharistico Sacramento, ubi seipsum tradit nobis ad sollicitandas duas has cordium nostrorum inclinationes, & nos cogat amare se, vel tamquam benefactorem per gratitudinem, vel tamquam benefactum ad nos pertinens, per animi studium, & benevolentiam.

Quanti Salvator fecerit munus Corporis, Sanguinisque

Metuendum erat, ne homines, qui sequi solent sensuum suorum experientiam, videntes Panem solum in dono, quod a Salvatore accipiebant, inducrent sensus his speciebus conformes, rati, se communem duntaxat escam invenire in Cibo, quem species illæ pollicebantur. Ad hanc igitur ideam prævertendam comendat hoc munus ex origine, ex dignitate naturæ, & præstantia effectuum illius. 1. Dicit hunc Panem esse de Cælo dilapsum, non solum ad innuendum Corpus, & Sanguinem illum componentia formata fuisse Opera Spiritus Sancti; Sed Cælum præsidere adhuc quotidie alteri huic Nativitati, quam accipit quotidie in Altaribus nostris: *hic est Panis, qui de Cælo descendit*. 2. Addit, hunc Panem esse *vivum* contra naturam aliorum ciborum, & esse quodammodo Spiritualem, quemadmodum sunt Angeli, & incorruptibilem, cujusmodi sunt Cæli: *ego sum Panis Vivus*. 3. Denique concludit, effectum Panis hujus Supernaturalis futurum, dare iis qui ex eo manducaverint Vitæ Æternitatem. *Qui manducat hunc Panem, vivit in Æternum*: Et quia loquebatur ad Judæos, qui contemnere poterant suavissimas has Dapes collatas cum Manna, quod Patres sui manducaverant in Deserto, & quod visibili pacto de Cælo descenderat, postquam per Angelorum manum fuerat elaboratum; palam prætulit Panem, quem promittit Cælesti huic Cibo, qui nequaquam servavit Patres eorum a Morte; cum Sacramentum hoc contineat semina immortalitatis, & certissima Vitæ, & gloriæ principia.

fui, quod hominibus tradidit in cibum.

Joann. 6.

Ibidem.

In hoc Sacramento duo deprehendi possunt miraculorum genera, quæ Dei Filius ibi operatur; alia quidem in natura, alia autem in gratia; sed hoc adest discrimen, quod *ea, quæ fecit* in natura, eam sterilem reddunt, *quia destruunt cum* Panis Substantia Virtutem, ac Potentiam suam, atque etiam suspendunt accidentia &c. Sed e contra in gratia miracula, quæ Salvator operatur in hoc ordine Supernaturali, communicant fœcunditatem recipientibus illud: Ita efficiendo duo operationum genera, alterum quidem in nobis, per gratiæ productionem, alterum vero per nos, faciendo, ut bona opera agamus.

Discrimen miraculorum naturæ, & gratiæ in hoc Sacramento.

Modus, quo Filius Dei tradit se nobis in hoc Sacramento, reddit donum, quod *tribuit nobis*, pretiosius, & amorem suum *spectabiliorem*. Etenim, quin alias *usurpet donationum formulas*, quæ in hominum *usu positæ sunt*, *nactus est* præclaram inventionem *tradendi* seipsum in Cibum: *Caro mea vere est Cibus*, Nostis nihil magis nostrum esse, quam Cibum, quem sumimus, sive illius possessionem spectemus, sive usum inspiciamus. Quæ manducamus, ea omnino possidemus; hæc fiunt unum, & idem cum nobis, constituunt partem Substantiæ nostræ, ingrediuntur in Corpora nostra cum iisdem conditionibus, quibus ceteræ partes, ex quibus constamus. Ita eodem jure, quo Domini efficimur nostrummetipsorum, acquirimus absolutum dominium in has Substantias alienas, cum sunt intra nos: *ex iis constamus, ex quibus alimur*: Et quod pertinet ad usum naturalis *hujus dominii*, scimus, nos reipsa uti *cibo, quem sumpsimus*, pro omnibus *vitæ nostræ necessitatibus*. Hic sese, per totum *Corpus distribuit*, ut deserviat omnium membrorum officiis: se insinuat in Cor, ut ibi calorem foveat, & motum; ascendit in Oculos, ut obtutibus nostris opituletur, transit in Organum Vocis, ut aliquid conferat Verbo. Non sine his utilibus conditionibus JESUS CHRISTUS tradit se hominibus in Altaris Sacramento, &, ut omnino fiat eorum, & quoad possessionem, & quoad usum; fit Cibus illorum.

Dei Filius, ut perfectius esset noster, factus est Cibus noster.

Joann. 6.

Cum Theologis asserere possumus, *unum* ex maxime propriis *effectibus* Eucharistiæ esse effundere in corda recipientium cum necessariis dispositionibus hoc Sacramentum; dulcedinem quamdam, ac interiorem lætitiam, quæ aliquam habet cum Cælesti beatitudine similitudinem, & quæ nobis tribuit aliquam Paradisi præguſtationem; quemadmodum videmus, unum ex effectibus cibi, quo vescimur, sensibilem esse voluptatem, quam inde recipimus: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; Regius exclamat Propheta. O immortalis fons deliciarum, præparasti Sanctis tuis in Cælo torrentem voluptatum; sed efficis, ut aliquot guttæ in hoc Sacramento fluant servis tuis; sive dicamus, Spirituales has consolationes procedere ex applicatione JESU CHRISTI Cordibus nostris; sicut comedendi voluptas *fixa* est in applicatione Dapum palato, & linguæ *illas* gustantibus; sive consideratio, quam facimus, per usum fidei nostræ de JESU CHRISTI præsentia nobis tribuat hos sensus, secundum S. Laurentii Justiniani Sententiam; *quomodo non exultet Anima, quæ se sentit dignam effectam Dei præsentia*. Eo usque, Sancti Patres, atque Theologi inquiunt, ut operatio hæc sese effundat in Corpus, & illi communicet sensibiles consolationes, quæ commovent Cor, & nonnunquam inde lacrymas eliciunt.

Eucharistia effundit in nos gaudium, & intrinsecam voluptatem. S. Thomas 3. p. q. 79.

Psalm. 67.

Considerare possumus, JESU CHRISTI præsentiam in hoc Sacramento conferre ad productionem gratiarum, & effectuum omnium, qui proprii sunt hujus Mysterii, alio prorsus modo ab eo, quo fit in aliis Sacramentis. Primum enim ipse adesse *vult* advectens suam Potestatem præsentiæ suæ, cum *in aliis* Sacramentis operetur tamquam absens, atque remotus.

J. C. aliter producit gratiam per quam sese dat in hoc Sacramento, & in ceteris.

Non

Non venit ipse per se in aquas Baptismi, vel in manus Ministri illius applicantis, sed invenitur ibi solum per operationem Potentiæ suæ. 2. Non applicat solum elementa sensibilia, quæ sunt, ut ita dicam, instrumenta in aliis Sacramentis, sicut aqua in Baptismo, & Oleum in Confirmatione; facit ex proprio Corpore Sacramentum, quod nos sanctificat; & Sanguis ejus medium est, quod applicat nobis eundem Sanguinem. Hæ duæ sunt simul applicationes: una est realis applicatio, quia recipimus Sanguinem suum in corporibus nostris; & altera applicatio moralis ejusdem Sanguinis, quoniam nobis sua communicat merita. 3. Verum est, omnia Sacramenta esse causas gratiæ, quam producunt modo mortuo, & inanimato: sed quia Salvator est præsens Sacramento Eucharistico, ipse active applicat semetipsum, & quemadmodum, cum operabatur Miracula sensibilia per tactum manuum suarum, vel alia quapiam actione, applicabat Potentiam Patris sui mirabilibus hujusmodi effectibus, similiter, data paritate, dicere possumus, illum eodem tempore, quo unit Carnem suam Cordibus nostris, applicare nobis hanc eamdem potestatem ad gratiam producendam. 4. Quæritur inter Theologos, utrum Sacramenta moraliter, an physice producant gratiam, cujus sunt Causæ & Signa; sed quidquid sit de aliis Sacramentis, cum nonnullis doctoribus affero, Humanitatem Salvatoris, utpote conjunctam cum hominis corde, supernaturaliter ad gratiam producendam elevari.

Eucharistia efficit, ut in bono perseveremus, & in gratia.

Dicendum non est, ut aliqui opinati sunt, postquam hoc divinum Sacramentum accepimus, certis vicibus nos in gratia confirmari, sed illud perseverantiam nostram operatur, quemadmodum fructus vitæ conferre poterat immortalitatem. Si per intervalla manducatus fuisset, & per iteratum illius usum profuisset ad hominum Vitam conservandam; ita per sanctum usum, & sæpe iteratum hujus Sacramenti; & per considerationes, quas efficere possumus de caussis Sanctitatis in hoc Mysterio inclusis; paulatim, ac sensim perducet usque ad finem hoc Opus Salutis nostræ. *Quapropter Ecclesia* illud tribuit jamjam morituris in *Viatici formam; Innuens*, hoc esse illud, quod dat *consummationem Vitæ nostræ Spirituali*, & apponit cumulum finali nostræ perseverantiæ.

Liberalitas Filii Dei in hoc Mysterio refulget.

Animadvertendum est, posse aliquem liberalem, atque magnificum esse modis duobus, cum vel, quod datur pretiosum est, atque exquisitum, vel cum, quod datur, in se quidem exigui est pretii, si consideretur in Natura sua; vel spectabile est propter multitudinem, & quantitatem; veluti si in publica necessitate princeps aliquis magna in copia populo universo fruges distribueret. Sed Filius Dei conjungit, & colligit hæc duo in Altaris Sacramento, quantitatem videlicet, *& pretium*; etenim dat rem rerum omnium pretiosissimam, *quoniam dat* Corpus, Sanguinem, Divinitatem, omnesque *thesauros suos*, & propterea hoc dat affluenter, quia multiplicat se eodem tempore in locis infinitis. Cum enim pretiosum hoc Corpus nequeat esse ubique per immensitatem, quæ divinitatis duntaxat est propria, Sapientia sua modum excogitavit supplendi per hoc prodigium replicationis ejusdem Corporis in pluribus locis, quæ omnes Philosophiæ leges evertit; quemadmodum si liberalitas, *& magnificentia sua*, non potuisset se continere inter *fines arctiores finibus Universi*. Ita ut, si eodem simul tempore per Mundum universum consecraretur, inveniretur eodem tempore in omnibus locis simul, & si omnes homines eodem in instanti reciperent illum, sese omnibus daret simul, nemine excepto, & quin unquam sese exhauriret; quamvis semper seipsum largiatur.

Judicium nobis ferendum est de magnitudine amoris Filii Dei erga nos ex unione quam contrahere voluit cum nobis in hoc Sacramento.

Salvator divinum hoc instituit Sacramentum, ut intime, & arctissime se cum nobis conjungeret; nam, quam unionem nobismet fingimus majorem illa nostrorum alimentorum, quæ mox fiunt pars nostrummetipsorum, & cum illis unum prorsus, & idem? Sed quinam est terminus, & amoris perfectio? Nonne unio, ut morum docet *disciplina*? Si hæc quædam est humorum relatio, & convenientia quædam, ac sympathia, quæ efficit, ut duæ voluntates invicem sibi ultro citroque consentiant; statim ubi hæc innotuit similitudo, jam impatienter sese conjungere volunt, ac semet efficere inseparabiles. *Amor quilibet est Virtus unitiva*, inquit Sanctus Dionysius, & hic Amor quo magis acer est, & violentus, eo unio hæc fit arctior, & intima. Si ergo judicium ferre volumus de excessu amoris hujus Hominis-Dei in Eucharistia, satis est considerare, quomodo hæc unio, quam contrahit nobiscum, & cujus naturam jam explicuimus, superare ceteras uniones, quas habebat hactenus.

Quomodo Dei Filius est in Eucharistia eximius factus nobis in cibum.

Constat omnem manducationem suapte natura tendere ad destructionem, & annihilationem cibi, qui comeditur, & qui amittere debet suam essentiam, eamque mutare in vescentis substantiam. Dei Filius non igitur datur nobis pro Pane, & Cibo, neque illum manducamus, nisi ut eum annihilemus. Verum est, Philosophos nolle id quod mutatur, annihilari; sed verum est reipsa illud cessare: ita ut, si Dominus noster non aliam haberet Vitam, nisi Sacramentalem sub speciebus Panis, & Vini, hæc annihilasset JESUM CHRISTUM; nam illud esse, quod habet in Sacramento, pendet a Speciebus continentibus illud; igitur mutatio Specierum destructio est ejus essentiæ. Non pauci docent Theologi, Eucharistici Panis Consecrationem esse veram productionem JESU CHRISTI, quæ faceret, ut ille esset, si non esset; digestio igitur, & consummatio Specierum efficiens JESUM CHRISTUM cessare, ne sit, est vera destructio JESU CHRISTI, vi cujus, si non esset alibi, prorsus esse cessaret; ita ut manducatio JESU CHRISTI per se tendit ad genus aliquod destructionis, & annihilationis.

Cum Deus dederit nobis vitã supernaturalem, debuit nobis supernaturale suppeditare alimentum, & decebat ut hoc esset Corpus, & Sanguis illius.

Quemadmodum Deus quatenus auctor Naturæ prospexit conservationi vitæ naturalis in homine; debuit etiam, quatenus auctor gratiæ prospicere vitæ suæ supernaturalis conservationi. Sed vita naturalis non conservatur, nisi per communem alimoniam, reparantem quidquid quotidie deperit de Corporis Substantia; ergo opus erat communi alimonia ad reparandum quidquid quotidie deperit de Vi, Virtute, Spiritu, & Vita, quam nobis inspirat gratia. Omne alimentum esse debet conforme, & appositum vitæ, quam conservat; sicut ergo per vitam naturalem, atque corpoream nobis provisum fuit alimentum corporeum, & naturale, opus quoque erat, ut vitæ Spirituali, Spirituale, & Supernaturale alimentum provideretur. Hæc est argumentatio Divi Thomæ, quæ sane persuadet, & hæc propositio tenenda est pro certa, & constanter vera, quoad subsantiam; etenim illius, qui tribuit esse, est suppeditare ea, quæ sunt necessaria ad essentiæ conservationem; interest autem Creatori gratiæ ea suppeditare, quæ sunt necessaria ad gratiæ conservationem. Cum Tridentina Synodus conceptis verbis statuerit, hominem nequaquam posse viribus suis conservare divinam hanc gratiam, & subsistere in via Dei, neque perseverare in Justitia usque ad finem, sine peculiari ope, & auxilio Dei, qui convenientibus mediis relevare potest, qui cecidit, & confirmare, *qui stat*; hoc nullam patitur difficultatem. Sed cum hoc animæ subsidium, hoc vitæ Spiritualis, & supernaturalis alimentum esse debeat idem JESUS CHRISTUS in Eucharistiæ Sacramento, dicere satis est, illum ipsum hoc affirmasse, cum loquens de Carne, & Sanguine suis dixit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis Vitam in vobis*. Ego sum Panis Vivus, qui dat Vitam: voluit ille reddere vitam nostram Spiritualem pendentem a Cruce, & a Sanguine suo. Profecto æquum erat illius Bonitati, ut aleret sua Carne, & Sanguine Vitam, quam ipse produxerat per hanc Carnem morientem, & per Sanguinem suum de Cruce effusum, ut cum per Corporis sui mortificationem, & Sanguinis effusionem, nobis promeritus fuisset gratiam, illam servaret per communicationem sui Corporis, Sanguinisque; præterquam quod æquum videbatur etiam, ut aliquid amplius faceret pro nobis eo, quod minime fecerat pro justis legis antiquæ, quibus non dederat, nisi figuras hujus Mysterii.

S. Thomas contra gentes l. 4. c. 59.

Concil. Trid. can. 22. & c. 13.

Joann. 6.

Hoc Sacramentum est pignus gloriæ quam expectamus, & simul res est nobis promissa.

Patrum omnium, atque Theologorum, unanimis est sententia, divinum hoc Sacramentum hominibus datum fuisse, tamquam *pignus futuræ gloriæ*, quemadmodum canit Ecclesia; sed quod eruditus quidam Theologus animadvertit, peculiarem meretur consideronem; quia hoc non invenitur in pignoribus communibus; scilicet, unum, & idem donum simul esse & pignus ejus rei, quam pollicetur, & rem ipsam, quæ promissa est; sed quemadmodum Dei Filius novit invenire medium faciendi ex hoc Sacramento signum continens rem significatam ad fidei nostræ exercitationem, similiter ad excitandam spem nostram, dat pro pignore boni promissi, idem Bonum promissum; neque enim in beata æternitate aliud quidpiam possidebimus, sed solum possidebimus illud ipsum alio modo. Objectum, quod possidemus in terra, & in Cælo, unum, & idem est; sed diverso modo oblatum; hic quidem sub integumentis, & speciebus Panis, ibi vero palam, & tale, quale est in semetipso.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis libris, nuperisque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Præcipuum Filii Dei consilium in Eucharistico Sacramento.

FIlii Dei in adorabili hoc Mysterio consilium fuit antequam moreretur, tribuere liberum volatum infinitis motibus amoris sui erga homines, communicando nobis maximum illud bonum, quod ab eo recipere valeamus; quandoquidem, secundum aliquorum Sanctorum Patrum Sermonem, Eucharistia est continuatio, extensio, & fructus Mysterii Incarnationis

suæ;

suæ; Pretium vitæ suæ, suæque Mortis, & earum rerum omnium, quæ fecit pro nobis, generatim inclusum est in Sacramentis, quæ ille instituit, & ex quibus fecit totidem rivulos gratiæ suæ, per quos illam effunderet in Animas nostras; sed Eucharistiæ Sacramentum non continet solum gratiam, continet etiam Auctorem, & fontem ejusdem. Alia Sacramenta sunt media, quæ adducunt ad Deum; hoc vero, ut ita dicam, finis est; quoniam complectitur Deum hominem; & alia non sunt, nisi ad producendam sanctitatem, quæ est duntaxat dispositio quædam ad Eucharistiam. *Liber, cui titulus; Verus Spiritus, & sanctus usus sollemnium festivitatum per annum.*

Ardens desiderium, quod præse tulit Dei Filius permanendi cum hominibus.

Nescio quam illecebram Mundi Salvator invenit in hominibus; sed nunquam testatus est ardentius desiderium præ illo, permanendi cum ipsis. Contumeliæ, quibus affecerunt illum, quin ardorem hunc imminuerent, magis magisque amorem hunc inflammarunt; quandoquidem instituit adorabile Sacramentum Eucharisticum, pridie quam pateretur, cujus crudelis cogitatio illum in antecessum torquebat, & tunc cum imaginatio sua repræsentabat illi cruentam, atque acerbissimam hypotiposim apparatus totius supplicium suorum; tamen quasi hæc omnia illum ne tetigissent quidem, & quasi nullam ipse partem habuisset in tormentis adeo horribilibus, cogitat solum, quomodo satisfaciat affectui, quo prosequitur homines; & eo tempore, quo amicitiæ magis arctæ relaxantur, & ardentissimi intepescunt affectus, & natura mortis metu exanimata sese totam colligit; amor Salvatoris morte fortior ipsa quærit nova cum nobis statuere fœdera, & exequi mirabilia suæ Bonitatis consilia, per apertissima, ac nitidissima monumenta, quæ proferre posset, qualia sunt dare nobis suum Corpus, & Sanguinem in Sacramento, quod fieret Cibus animarum nostrarum, atque ita permaneret in nobis, usque ad sæculorum consummationem. *Auctor sermonum in omnia argumenta Ethica Christiana Serm. pro feria quinta in Cœna Domini.*

Conatus, & prodigia, quibus Deus ostendit magnitudinem amoris sui in hoc Mysterio.

Si nobis judicium ferendum est de proclivitate, quam omnia habent entia, per vim, atque conatus, quos exerunt, ut tendant in centrum suum, locumque sibi naturalem, quo feruntur toto pondere activitatis suæ; veluti ignis, ut *se sursum attollat*, cum *sibi transitum facit per densitatem* murorum, ac montium, quos evertit, vel quatit, cum intus concluſus est, quid nobis cogitandum non est de desiderio, atque propensione, quam habet Dei Filius permanendi nobiscum, quandoquidem omnes naturæ leges subvertit, & Entibus omnibus vim facit? Recenseri possent viginti miracula, & ultra, quæ omnia superant vim, & potentiam Creaturarum, quorum sola transubstantiatio plura complectitur. Ibi video existentiam accidentium extra subjecta sua, a quibus naturaliter pendent: humanum Corpus sine dimensione, sine pondere, sine massa; membra, & partes aliæ ab aliis penetratæ sine confusione, & perturbatione, & Ens, quod se *multiplicat, quin suam amittat unitatem*; quod de Cælo in terram descendit, quin per medium transeat; quod ibi esse cessat, quin moveatur, & quod servat totam magnitudinem suam, sub minima unius hostiæ particula. Ibi admiror Carnem, quæ supernaturales habet qualitates; quæ colorata est, & videri non potest; quæ palpabilis est, nec tangi potest; quæ materialis est, & non dividitur; quæ comeditur, quin mutetur, & corrumpatur; quæ plena est vita, & permanet in statu mortis, idque ut sibi viam aperiat usque ad Cor nostrum, referens de obicibus, quos natura statuere poterat, triumphum. Ah! fideles, Deum tot conatus exerere, & tot operari miracula, hoc est toties infringere omnes naturæ leges, ut veniat ad nos, ut in Corde nostro quiescat, ut nobis indigitet suam cupiditatem permanendi cum nobis! Nonne hoc est testari amorem suum maximis conatibus Potentiæ suæ? *Domine quid est homo, quod memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? Idem.*

Deus non potest se ulterius humiliare quam redigendo suam immensitatem ad cancellos adeo angustos in hoc Sacramento.

Parum est Deo amanti adhibere Omnipotentiam suam in Entia Creata, nisi exerceat illam etiam contra seipsum, ut quodammodo annihilet seipsum assumens in hoc Mysterio esse Sacramentale. Profecto si Deus posset aliquid amittere, mihi videtur non posse magis seipsum exuere, quam coarctando suam immensitatem; quia hoc esset annihilare illam ubique, ubi non esset, cumque spatium, in quo esse posset, infinite majus esset illo, quem repleret; hoc esset, ut ita dicam, infinite annihilare se, & ideo omnes perfectiones suæ cessarent esse. Etenim, quam haberet ille potestatem ibi, ubi non esset? quam gloriam, quam sapientiam, quam majestatem? quandoquidem hæc omnia supponunt existentiam pro fundamento, ita pro hac ratione Apostolus dicit, illum semet exinaniisse, faciendo se hominem; & asserit Evangelium, opus fuisse, ut tota uteretur potentia sua coarctaturus se intra fines adeo angustos. Quid igitur nobis cogitandum est de eodem Deo in hoc Mysterio? hæc vulgo dicitur extensio Incarnationis, cum S. Chrysostomo; sed liceret *mihi* addere hanc potius coarctationem esse, quam extensionem; quandoquidem Deus, qui se concluſit in infantilibus membris; hic etiam semet in puncto concludit. Nonne igitur opus est, adhibuisse Virtutem omnem brachii sui, ut sese in hunc statum redigeret? Sed heu quantum immensitas ista intra fines adeo angustos concluſa, nobis ostendit palam omnes suæ Caritatis dimensiones! *ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, & sublimitas, & profundum.* Magne Apostole, qui Crucem tibi figis, ut nobis has mensuras ostendas; Ecce medium. Judicium ferendum est de hujus Caritatis extensione, & magnitudine, ex modica hostiæ unius circumferentia, quia hoc in statu est, ut esse possit in singulis nostrum, simulque Mundum universum complecti. Dimetienda est *illius* altitudo ex horum accidentium humiliate; hæc enim optima est ratio, quam invenit attollendi nos usque ad se; semet hoc pacto demittens usque ad nos. Concipio illius profunditatem cum video ipsum ponentem se sub Speciebus Sacramentalibus, sese in Cor meum insinuare. O immensitas essentiæ Dei in hoc Mysterio coarctatæ! Quomodo mihi ostendis immensam illius Caritatem. Attollite mentem vestram usque in Empyreum, fideles, in Marium extensione, quærite imaginem Magnitudinis Dei, penetrate, si vultis, hæc spatia, quæ comminisci possumus, ultra Cælorum Orbes, & postquam evanueritis in plagis illis *ignotis*, alium exerite conatum, ut perveniatis usque ad minimam hostiæ particulam, fallentem oculos nostros, nostrosque sensus fugientem, & mox dicite: Deum tantum, atque tam immensum, sese ad hoc usque punctum coarctasse, ut inferatis inde potentiam illius inauditum exeruisse conatum, ut amori suo satisfaceret. *Idem.* Ad Eph. 3.

Dei Filius se magis humiliavit in hoc Mysterio, quam in Incarnatione.

Cum Dei Filius factus sit homo, quamquam a S. Bernardo appelletur *Verbum abbreviatum*, habebat tamen magnitudinem proportionalem statui, quem sumpserat; non semper mansit in infantis exilitate, se tempori accommodavit, atque ætatibus homini propriis: sed in hoc Sacramento, *quamvis omnes* Corporis sui partes non sint *inter se confusæ*, tamen confusæ sunt, *quoad locum; quod efficit*, ut illud, neque *visibile sit, neque palpabile*, & careat iis omnibus, quæ decent Corpus, ita ut hoc in statu dicere valeat: *Substantia mea, tamquam nihilum ante te*; Se redactum esse quodammodo in nihilum, & si infinita requiritur potestas, ut creatura educatur ex nihilo, non minor requiritur, ut in nihilum redigatur. Ita utrumque Dei unius proprium est, qui primum quidem voluit illucescere in Mundi Creatione, alterum vero in hoc adorabili Mysterio, per vim, quam in seipsum exercuit. Præterquam quod ille factus homo, quamquam infinite se humiliaverit, tamen fœdus iniit cum nobili Creatura, quæ ipsum cognoscere, & amare poterat, & pro qua non *dedignatus fuerat creare* Cælum, & terram; *sed in hoc Sacramento, ad quam humiliationem non redegit se*, uniens se cum infirmis *accidentibus*, quæ magis contemptibilia sunt omnium entium, quæ sunt tantum pro substantiis, quibus naturaliter subjecta sunt, & quas Tertullianus *mendicitates Creaturæ* vocat? Ipsam egestatem, & paupertatem, qua Creaturæ indutæ sunt? Quanta hæc fuit divini hominis humiliatio, Auditores lectissimi? *Idem.* Pfalm. 38

Magis humiliatus est in hoc statu, quam in ceteris vitæ suæ. Isaiæ 47.

Proculdubio in hoc statu, *ad quem redegit se*, de ipso dici potest, illum *vere esse Deum absconditum*: *vere tu es Deus absconditus*; Deus erat humiliatus in stabulo Betlehemitico; erat Deus exinanitus sub infirmitatibus hominis, dum viveret; Deus erat annihilatus inter Crucis ignominias; denique in tumulo, Deus erat mortuus, atque sepultus; sed in omnibus hisce statibus, Pater suus illum semper glorificavit. Adoratus fuit a Regibus in Præsepi; infinita miracula illustrarunt gloriosam vitam ipsius; in Morte ejus, Sol Eclypsi laboravit, & terra contremuit; de Sepulcro triumphans emersit; sed in adorabili Eucharistia Deus est absconditus, humiliatus, exinanitus, sine ullo gloriæ fulgore; humiliatus intrinsecus, quoniam ibi omnes divinæ *perfectiones* latent; humiliatus, & quodammodo exinanitus extrinsecus, quoniam Corpus hoc adorabile est in statu, quo nullus fingi potest humilior. Quinam conatus potentiæ suæ; sed simul quinam sui amoris excessus! accedere adeo prope ad nihilum, ut ad nos propius accedat! Sed quo magis ille humiliatur, eo magis amor noster debet assurgere, ut illum super cetera diligat. *Idem.*

Varius modus quo segessit Deus in Mysterio Eucharistiæ & Incarnationis.

Videmus Dei Filium prorsus alio uti modo, ut seipsum tradat hominibus in hoc Sacramento, quam fecerit in Incarnationis Mysterio. In eo fecit, ut Mundus integris sæculis eum concupisceret, & præstolaretur; hic testatur desideria sua, quibus cupit, & festinat se dare: ibi vix audit Vota, & preces Patriarcharum, & Prophetarum legis antiquæ; *utinam disrumperes Cælos, & ipse venires*; hic palam ostendit vota sua, & desideria; *Desiderio desideravi*: ibi non videt, nisi preces ad Cælum flectendum; *hic ipse homines* Isaiæ 64. Luc. 22.

mines urget, ut ab iis recipiatur: ibi vocatur desideratus gentium, & expectatio Israel; hic vero ipse expectat, ipse cupit, ipse hic præsto semper est, ut seipsum largiatur. Quam ob caussam, quæso, ita diverso modo operatur, vel potius, cur ita varie affectum est Cor illius? Cur urgeri volebat ab illis, & cur ille ipse hos urgebat? Cur in primo casu expectari jubebat; & festinare cupiebat in altero? nisi quod amor impatiens est moræ, & reliqui motus animæ cum sint tranquilliores, amor ille substinere non potuit dilectionem, aut moram. Igitur desiderium, festinatio, & impatientia exprimunt ardorem amoris, quo flagrat Cor Salvatoris, cupiens seipsum tradere nobis. *Idem.*

Dei Filius testatur amorem suum erga homines dans se illis, & eo modo, quo se illis dat.

Si munera sunt sermo Cordis, ut vetus quidam ajebat, & si nihil vere, & melius indicat amorem, quo prosequimur aliquem; Salvator poterat ne melius persuadere nobis amorem, quo nos complectitur, quam hoc donum nobis largiendo? Dat quidem se alio modo Beatis, sed illis nihil aliud largitur, & cum Sancto Augustino asserere possumus, quamvis ejus potentia sit infinita, ipsum tamen non posse dare nobis quidquam majus, aut copiosius. Quod si cogitamus modum, quo seipsum tribuit, & circumstantias, in quibus nobis hoc donum tribuit; quod haberi potest *probatius, aut certius* amoris sui monumentum? Namque *se nobis* dat realiter, & effective, ut sit nostrum *bonum* proprium, & ut in nobismetipsis permaneat, qua *in re donum hoc a ceteris differt*, & seipsum dat modo, quo fieri potest *absolutissimo*; videlicet, tamquam *in Cibum*. *Dat se jure testamenti*, qui est postremus *actus suæ voluntatis*, & maximus, quem ipse ille fecerit propter amorem nostrum. Dixi, illum ipsum, nam, quamvis ultro se obtulerit morti, non ille eam sibi conscivit; sed sic nobis conferre voluit munus, quod totum esset suum, & cujus nemo alius particeps esset. Temporalia bona illi quidem debebantur, sed contempserat ea; bona Spiritualia erant, proculdubio, opes magnæ, sed illæ erant communes ipsi, cum aliis duabus Personis adorabilis Trinitatis. Non habebat igitur, nisi Corpus, & Sanguinem suum, quæ nobis legare posset *jure testamenti*; & hæc ea sunt, quæ nobis largitur. Utique largitus est nobis Corpus idem, quod novem menses mansit in sinu Virginis, quod gemuit sub pondere dolorum suorum, & quod in Cruce expiravit. Idem Corpus, quod semper adhæsit Divinitati; Corpus, iterum dico, quod tot, & tam profundis plagis, propter amorem nostrum sauciatum fuit. O testamentum signatum Sanguine Dei, & signo Crucis notatum! O testamentum Misericordiæ & gratiæ, in quo testator est portio hæredum suorum, Pater patrimonium filiorum, & Deus hæreditas Creaturarum! Testamentum, ubi vita dat seipsam in statu Mortis, & in quo Filius *viventis Dei prævertit* Mortem suam, ut abundantius *nobis vitam suam communicet!* *Idem.*

Hominum ingratitudo post tantum bonitatis excessum.

Me in stuporem rapit, & *incomprehensibilis* mihi videtur esse hominum ingratitudo; etenim, cum *Deus* tradat se nobis totum, & sine ulla exceptione, proculdubio, minus illud, quod nobis faciendum est, ut respondeamus tali amoris excessui, debemus vicissim, atque ex integro nosmet illi tradere: *qui totum dedit, totum petit*, inquit Sanctus Chrysostomus; Profecto cum Deus se totum dederit nobis, & totum integrum, & *sine exceptione*, & vult totus esse noster in *hoc Mysterio*; saltem debemus dare nos totos illi reciproce, & *illi totos* nos tradere. *Qui totum dedit, totum petit.* Et profecto nimiumne videtur, Deum, qui totum dat, exigere, ut totum sibi detur? petere Corpus pro Corpore, Animam pro Anima, Cor pro Corde? Quonam jure Creatura negabit Deo, quod ipse Deus non negavit illi? Num dubitabimus dare parum illud, quod sumus, & quod habemus, postquam tantum recepimus? Ah! etiam si omnia illi devoveremus, nonne semper infinitum intercederet discrimen, inter id, quod illi damus, & id, quod ille dedit nobis? tamen nos fere semper cum Deo aliquid excipimus, ac nobis reservamus, imitantes Regem Saul, qui libenter quidem sacrificabat quidquid vilissimum erat, ac minimi pretii inter manubias inimicorum suorum, reservabat autem sibi ea, quæ plurimi faciebat. Ah! Christiani, nimis multi hodierna die sunt, qui eamdem habent mentis, & cordis affectionem erga Deum, quam calamitosus hic Princeps. Deo quidem deservire volunt, sed nonnisi ex minima sui parte; non deest illis objectum, a quo nolunt recedere; iracundiam, quam nolunt sacrificare; dominantem affectum, quem abolere nolunt. Æquo abdicant animo cetera, sed adhærent adhuc Mundo ex hac parte, quin cogitent Deum petere totum, quia ille dat totum. Non ita, Christiani; ne arbitremini vos servire Deo, donec simul Mundo hærere volueritis; neque satis esse tribuere uni partem rei ejus, quam petit, aliamque partem reservare alteri. Saltem in omnibus Deus præferendus est; ita ut serviamus illi per professionem, & per affectum: Mundo autem commodato, & quantum Deus nos jubet aptare statui, & conditioni, in qua nos sua Providentia constituit: ita, ut nosmet tribuamus Deo cum aliqua proportione, cum ille se nobis dat; imitari debemus munus, quod nobis tribuit, dans nobis Corpus suum, deinceps per necessariam concomitantiam, dat etiam animam suam, personam, divinitatem. Similiter nosmet dantes illi, opus est, ut illi demus quidquid pendet a nobis, omnia desideria nostra, omnes nostras actiones, Corpus cum sensibus omnibus, animam cum omnibus suis facultatibus, Cor cum affectibus omnibus, &c. *Idem.*

Filius Dei instituit Eucharistiæ ut honoraret Corpus suum, & repararet injurias, quas pertulit.

Nulla est gloria, cultusque nullus, qui non debeatur Carni JESU CHRISTI in virtute unionis, quam habet cum persona Verbi; & JESUS CHRISTUS efficiens, ut honor deferretur illi in celebritate festivitatis ad hanc rem institutæ, nihil nimis facere potuit, ut per illum repararet ignominias, & contumelias, quibus in Passione sua fuit affectus; tunc enim hæc venerabilis Caro profanata fuit manibus Carnificum, opprobriis cumulata, flagellis cæsa, atque ut omnia verbo complectar, si dicere fas est, persolvit sumptus omnes Redemptionis, neque enim Anima JESU CHRISTI fuit nostræ salutis Victima, sed Corpus, & hæc virginalis Caro, quam ipse in Ara Crucis immolavit, Sancta erat, & ipse ex ea fecit anathema, & subjectum maledictionis; erat digna omnibus hominum obsequiis, & permisit, ut objiceretur omnibus eorum opprobriis, & irrisionibus; ideoque opus erat, ut tantum extolleret illam, quantum humiliaverat. Hoc autem illud est vere, quod JESUS CHRISTUS præstitit in Eucharistia; & hic ille finis est, quem sibi proposuit in hujus Mysterii institutione; & hanc ob caussam celebramus Corporis Dominici festivitatem. *P. Bourdalove in Mysteriis, tom. 1. Serm. de S. Eucharist. Sacramento.*

Eucharistia unica majorem attulit honorem Deo, quam cetera Mysteria.

Una Eucharistia majorem affert honorem Carni JESU CHRISTI, quam omnia simul gloriosa Mysteria divini hujus hominis; & cum egressus est de Monumento, gloria, quam communicavit Corpori suo, comparari non potuit illi, quam dederat, & quam hodie quoque dat eidem in Altaris Sacramento. Fateor quidem JESUM CHRISTUM egressum de Sepulcro, dedisse Carni suæ admirabiles qualitates, impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, lumen, atque splendorem; sed in his qualitatibus nihil adest, quod Creaturæ ordinem excedat, cum in adorabili Eucharistia Caro Salvatoris ad Ordinem prorsus divinum extollatur. Inde assumit essentiam, inde acquirit proprietates, ibique facit ea, quæ Deus unus facere potest. In eo vero immoror, quod potissimum est, & quod vos debet vehementius afficere. Non dico vobis, beatam hanc Carnem possidere quamdam immensitatis speciem in augusto hoc Sacramento; quoniam vi hujus Mysterii potest esse ubique simul in omnibus Mundi locis, quæ est qualitas propria Dei: non dico, illam fieri omnino Spiritualem, sed modo longe alio ab eo, quo sit in Resurrectione; quandoquidem JESU CHRISTI Caro est in hostia Spirituum modo, tota in toto, & tota in qualibet parte: prætereo, illam esse veluti æternam, & incorruptibilem in hoc Sacramento, quia ibi erit usque ad consummationem sæculorum, vel potius, illam quotidie ibi mori, sed ea morte, quæ longe mirabilior est ipsa immortalitate, qua gaudet in Cælo; quandoquidem ibi est, ut jugiter renascatur, per verba Consecrationis, quæ omnia sunt divinæ Omnipotentiæ effecta, ad honorandum Corpus Salvatoris; sed maximum miraculum, quod cetera complectitur, & quod JESUS CHRISTUS magis explicite in Evangelio memoravit, illud est, quod Salvatoris Caro in Eucharistia est alimentum animarum nostrarum; quamvis non sit nisi terrestris, & materialis Substantia, illam habere virtutem vivificandi spiritus nostros; & cum naturaliter spiritus debeat carnem vivificare, hic Caro per admirabile prodigium, vivificat spiritum, illum fovet, illum animat, eique est alimento ad eum conservandum. *Idem.*

Idem sequitur argumentum.

Quinam Carnis est honor, per illam nos Spirituales effici, illam nobis gratiam communicare, illam efficere, ut vivamus vitam Dei ipsius! Ita est, fideles, iterum dico; Hoc unum miraculum attollit Carnem Salvatoris Mundi ad ordinem supernaturalem, atque divinum. Una enim Dei Caro operari potest id genus Miracula; & Deus Carnem assumens non poterat magis illam honorare, quam tribuens illi vim, ac virtutem, hæc miracula operandi. Hæc omnia conveniunt Carni JESU CHRISTI in Eucharistia; & hæc est inæstimabilis prærogativa Corporis JESU CHRISTI. In ordine Naturæ, Anima debet servare Corpus; sed in ordine gratiæ Corpus JESU CHRISTI servat Animam nostram; & hic ordo, qui pro nobis est ordo gratiæ, pro Corpore JESU CHRISTI est ordo gloriæ, sed gloriæ sublimis, & eminentioris; quæ cum ita sint, mirumne est, si eo consilio, quod sapientissimum est, atque providentiæ plenissimum, proposuit nobis Corpus hoc in templis nostris adorandum? Cui æquius adhibendus est cultus

adora-

adorationis, quam Carni, quæ est principium vitæ nostræ, nostræque immortalitatis? & ubinam potiori jure adorabimus illam, quam in ipsius Sacramento, quandoquidem ibi Deus illam omnipotentem effecit, ut nos animaret vita gratiæ, & secundum Spiritum vivificaret? *Idem.*

Felicitas Christianorum habentium J. C. præsentem in Altare.

Profecto jure suo gloriari possunt Christiani, nullam fuisse nationem, quamtumvis illustrem, quæ habuerit unquam Deum adeo sibi indulgentem, qui propius accederet ad se; & ita familiariter secum conversaretur. Etenim, ut missos faciamus infideles, qui nonnisi idola vana colunt, a quibus secedere utilius est, quam accedere; Israelitæ, qui verum Deum cognoverunt, nequaquam hoc honore digni habiti sunt, quemadmodum eodem affecti fuerunt Christiani. Cum Deus in veteri testamento loquebatur ad Populum suum, quod perquam raro accidebat; hoc, ut plurimum, non fiebat, nisi per Angelum, eumque favorem Patriarchis dumtaxat, atque Prophetis largiebatur; sed JESUS CHRISTUS verus Deus, & verus homo, vult quovis tempore, qualibet hora vult familiariter cum fidelibus omnibus conversari. Amabilis iste Salvator non contentus sese videndum præbuisse in terris aliquot annos, & aluisse animas nostras Corpore suo, non dedignatur permanere dies, noctesque inter nos, semper paratus ad colloquendum cum nobis, ad audiendos nos, nobisque respondendum. Nequaquam: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis observationibus nostris.* Nostrum est respondere amori, quem Dominus noster testatur nobis, & ex illius præsentia proficere; neque enim residet in Altaribus nostris, nisi nos gratiis suis comulaturus. *P. Veubert in lib. qui inscribitur: Devotio ad Dominum nostrum JESUM CHRISTUM in Eucharistia.*

Deuter. 4.

Licet nobis in singula momenta confugere ad Salvatorem & loqui cum eo de necessitatibus nostris.

In singulas horas, atque momenta præsto es, Domine, ut mihi feras opem, & me aliquo recenti cumules beneficio: tantum abest me tibi crebris postulationibus negotium facessere; quo sæpius petam, eo facilius assequar. Tibi gratificor, cum tibi occasionem præbeo, largitates tuas effundendi: dicere audeo; videris tu nos feciſſe tot calamitatibus obnoxios, ut inde nos educere oblectaris; *videris nobis distribuisse paulatim beneficia tua, ut diutius perfruaris voluptate de nobis bene merendi*; re enim vera, tibi magis dare placet, quam mihi petere, atque recipere; Igitur, quin metuam tibi vota nuncupans, ea mihi fidenter nuncupanda sunt, quia tumetipse me invitas, & urges. *Idem.*

Mirum est Corpus nostrum non affici iis miraculis, quæ Deus in hoc Sacramento operatur pro nobis.

Potestas tua admirabilis est, Domine, & admirabiles sunt Sapientiæ, tuique Amoris inventiones; sed nonne mirum quoque est, adeo infirmam Creaturam, qualis ego sum, resistere posse toti huic Potentiæ tuæ, & Cor meum nequaquam cedere admirabilibus tuæ Sapientiæ, tuique Amoris inventis? Nonne est satis admirabile prodigium æque, *ac cetera miracula, quæ in hoc Mysterio operaris, videre Cor hominis adeo infirmi repugnare potestati Dei?* Cor hominis, quod per semet adeo tenerum est, & flexile fieri ita durum, & omni sensu vacuum, ut non sinat se flecti tot miraculis, quæ nonnisi in illius gratiam operaris? Ah, Domine! post tot miracula Potentiæ, Sapientiæque tuæ, tuæ interest gloriæ efficere bonitatis miraculum, quale est superare, me invito, omnes obices, quos oppono effectibus Misericordiæ tuæ; sed non amplius hoc me fiet invito, namque ex sensu cordis mei jam intelligo te incipere hoc miraculum operari. *Parer Nepveu.*

Fideles primi in hujus Sacramenti usu virtutem suam constituebant.

Certissimum est, primis fidelibus semper fuisse persuasum potissimam vim suam sistam esse in hujus Sacramenti frequentia; non metuebant ignem Martyrii, cum habebant in semetipsis vivum hunc fontem aquarum gratiæ; non timebant famem cum hoc Cibo, neque supplicia, & Cruces verebantur, cum præmuniti erant fortitudine augusti hujus Sacramenti, cujus frequens usus non efficiebat solum, ut concupiscerent tormenta, sed illis robur præbebat ad ea sustinenda. Denique, cum sævirent persecutiones, semetipsos Sancta muniebant hostia, ac secum deferebant illam, ne, si res posceret, tanto privarentur Subsidio. *Cardinalis de Richelieu, in lib. de Christiana perfectione, cap. 21.*

Si non omnino destituti sumus fide, & amore, non possumus considerare Mundi Salvatorem in hoc statu, quin procidamus ad pedes illius. Profecto incredibile est, illum, qui se nobis tribuit, esse Filium Dei ejusdem, Regem gloriæ, & Dominum hominum, & Angelorum, ac stare sine ulla reverentia coram illo; dummodo, quantumvis parum, diligamus Deum, qui in hoc divino Sacramento tantam nobis dilectionem testatur. *Idem.*

De intima unione quam Salvator contrahit cum hominibus in hoc Sacramento.

Divine Salvator! quam potens est amor tuus, & quam admirabiles inventiones tuæ, cum feceris Corpus, & Sanguinem tuum, cibum hominum, ut valeres arctius, atque magis intime cum illis conjungi. Profecto non satis fuit Caritati illius unitive exterius attingere aliquam hominis partem, veluti cum curabat morbos suarum manuum applicatione. Ingreditur in ora nostra, in stomachum, penetrat in imam substantiam nostram. Patres nobis explicant hoc Mysterium, per verba commixtionis, & unionis; immo satis non est illis dicere; JESUM CHRISTUM se nobiscum admiscere. Quædam sunt substantiæ, quæ miscentur, & simul non miscentur, *illi* addunt mixtioni unionem; neque sufficit dicere, JESUM se nobis conjungere; quædam sunt, quæ conjuncta sunt, nec tamen ideo simul admixta. Addunt *mixtionem* unioni: *Naturam suæ Carnis nobis admiscuit*, S. Hilarius ait: *seipsum nobis commiscet, inquit* S. Chrysostomus. Commiscet se nobis, & ne quis putet simplicem dumtaxat esse localem præsentiam, addit, nos factos fuisse unum, & idem Corpus cum illo; sed ad prævertendam cogitationem, quam infidelitas suggerere posset, hanc commixtionem, & unionem fieri posse solum per fidem, vel Caritatem affectionis, & cogitationis, explicite ostendit; reipsa, & effective nos esse in ejusdem Corporis unitate; *non fide tantum, sed reipsa nos suum Corpus efficit.* Deinde utuntur comparationibus, quæ explicant, simulque probant hanc unionem, & commixtionem: modo comparant Salvatorem igni, qui penetrat, & se incorporat ita cum ferro, ut videantur efficere non amplius duas diversas substantias, sed tertium aliquod Corpus, quod est simul ferrum, & ignis; quod ardet sicut ignis, & grave est sicut ferrum: modo utuntur similitudine duplicis massæ cereæ, quæ seorsim liquatæ, & in corpus idem effusæ, in hac confusione sua componerent unum commune corpus e cera, ut adimpleatur, quod dixerat JESUS CHRISTUS de hoc Sacramento; *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, manet in me, & ego in eo.* Ceterum quemadmodum cibus sese per totum corpus effundit, unio JESU CHRISTI cum Christiano pariter est universalis. *Biroat in sermone 4. Octavæ suæ.*

S. Hilarius l. 8. de Trinit. Chrys. hom. 8. in Matth.

Joann. 6.

Perfectiones invisibiles Dei in seipsis, fiebant quodammodo sensibiles in vita JESU CHRISTI. Ille ostendebat potentiam suam *in miraculis* manuum suarum; *Sapientiam in verbis Oris sui*; *Bonitatem in omnibus actionibus Corporis sui*, quæ erant, tamquam fons bonorum in miserorum solatium. Sed longe aliis conditionibus, Deus mi, resides in hoc Mysterio, nihil prodire finis ex hac divinitate, quæ elucet in omnibus Mundi partibus, & quæ adeo refulsit in Sancta humanitate tua. Hic vero, ne unum quidem producis effectum, qui nobis te adesse istic, valeat ostendere. Scio equidem Salvatorem maxima operari miracula in Eucharistico Sacramento, & illa effectus esse potentiæ inauditæ, veluti cum destruit substantias panis, & vini, & in earum locum substituit substantiam Corporis, & Sanguinis sui, cum *servat accidentia* sine fulcro subjecti eorum *communis, & naturalis*; sed *deprehendetis magnum discrimen inter miracula, quæ JESUS CHRISTUS* in hoc Sacramento operatur, & illa, quæ facit in ceteris vitæ suæ statibus, quia alia manuum suarum miracula exciterunt visibilia, magnifica, fulgida; hic autem sunt abscondita, secreta, invisibilia. Unde nam tantum hoc discriminis? a diversis finibus, quos sibi proposuit in his miraculosis operibus. Prima quidem miracula fecit ille, vel, ut statueret, vel, ut *Christianorum fidem* confirmaret; sed operatus *est in hoc Sacramento* prodigia, ut exerceret *fidem jam institutam*, roboratamque. Quamobrem operatur *illa* cum fulgore, & coram universo Mundo; producit cum pompa curationem infirmorum, resurrectionem mortuorum, ut hominum rationi persuadeat, eosque credere cogat suam divinitatem; sed in hoc Sacramento abscondit miracula; quia illa nobis proponit, tamquam *objecta fidei* nostræ: hæc non sunt argumenta, ut nobis credere persuadeat, sed veritates, quas ipsi jam credimus. *Biroat in 1. octavæ serm.*

Discrimen inter miracula, quæ Filius Dei operabatur invita, & quæ operatur in Sacramento.

Primus motus vitæ Angelorum rebellium, & hominum impiorum fuit ascendere; sed primus impetus vitæ Dei, ubi egressus est extra seipsum, fuit descendere. Angelus vix essentiam a manibus divinis receperat, cum voluit sese ad *illius* thronum attollere: *Ascendam, & similis ero Altissimo.* Homo vero vix e limo terræ, ex quo effictus fuerat, exiit, cum concepit similes sensus superbiæ; & oblitus nihili sui, gloriam Domini sui sibi comparare adnisus est: *Eritis sicut Dii*; sed, ut insanam hanc confringeret superbiam Dei Verbum, descendit ad induendam cum humana natura formam servi, & semet humiliavit paulo minus ab Angelis. Eadem ex caussa, & juxta idem consilium, cum novam accepisset vitam in Sanctissimo Sacramento, voluit illi eumdem appingere characterem; non ascendit ad Altare, nisi ut descendat; non vivit, nisi ut se humiliet; hæ non sunt duæ diversæ functiones; dicere possumus, humiliationem ejus esse propriæ vitam ejus. *Idem in 2. serm.*

Dei Filius se humiliat in hoc Mysterio.

Isaiæ 14.

Genes. 3.

Inauditum non est, quod Deus in statu *magnalium* suorum petat, & sibi conciliet hominum obsequia; sed videre JESUM CHRISTUM diversa ratio-

Deus in hoc Mysterio per humiliationes, hominum sibi conciliat obsequia.

ratione semet humiliare, ut honorem promereatur; & convertere humiliationes suas in objecta adorationum nostrarum, & Causas obsequiorum nostrorum, hæc est admirabilis Sapientiæ suæ adinventio. Sed hoc eximie illius ostendit potentiam, quandoquidem suam constituit potestatem, ac dominationem per ea, quæ plane illi videbantur obfutura. Hinc Tertullianus eum regem novum appellat, & qui novos invenit gloriæ fontes, ac nova suæ elevationis adminicula. Quorsum istud? quia adeptus est imperium suum per Crucis ignominiam. Sed quod adeo glorioſe cœpit in Cruce, hoc perficit quotidie in Altari, in hac abscondita vita, quam ibi ducit. Adhibet humiliationes suas, ut nostra exigat obsequia, &, ut loquitur S. Augustinus, ut commendet nobis in hoc statu suum Corpus, & Sanguinem; *unde commendavit Corpus, & Sanguinem suum? de humilitate sua; nisi enim esset humilis, non manducaretur, nec biberetur.* Mirum! donec JESU CHRISTI Corpus in terris visibile apparuit, seipsum commendavit vi sermonum suorum, & luce miraculorum; hodie vero in Cælo commendabilis est in oculis beatorum, tum per gloriam, quam habet, cum per illam, quam tribuit; sed sub integumentis Sacramenti, in quo omnes abscondit prærogativas suas, commendat Corpus, & Sanguinem suum fidei Christianorum, præcipue per humilitatem, quam ibi exercet, & quæ ibi sola ferme enitescit. *Idem.*

Augustin. in Ps. 33.

Divina Majestas talem in hoc Mysterio patitur Eclypsim, ut omnia sint tenebræ ex parte rationis, ut subjiciat mentem obedientiæ cæcæ fidei, ut loquitur Sanctus Paulus: *in Captivitatem redigentes omnem Intellectum in obsequium fidei.* Fateor equidem hanc cæcam captivitatem offendere humanam superbiam, subjicientem Sapientes æque, ac simplices; Doctos æque, ac indoctos; nobiles & plebejos; Sed fides confundit conditiones, quibus homines distinguuntur, ut omnes illos suo subjiciat imperio: fides non quærit, vel Sapientes, vel nobiles, vel prophetas, vel doctores, sed vult animos dociles, & illis aufert libertatem ratiocinandi, ut eos credere cogat. Sed si humana ratio captivanda est sub jugo fidei, ne erremus in Mysteriis nostris; hoc potissimum in Eucharistia præstandum est, quia hoc fidei Mysterium adeo elatum est, ut mens humana eo non valeat pervenire. Accidit Spiritui nostro in hoc Mysterio, quod olim Joseph, qui eductus de terra patria, & in Ægyptum adductus, *linguam, quam non noverat, audivit.* Similiter hujus Mysterii fides captivat rationem; hæc illam extrudit de finibus sensuum naturalium, ut in supernaturalia Religionis lumina ingrediatur. Ibi Christianus audit linguam, quam non noverat. Audire consuevérat mutationem substantiæ initium sumere ab accidentibus, quæ essentiam subsequuntur; sed hoc in loco *dicit, post Verba* consecrationis, substantiam Panis, quæ *fulcrum est accidentium*, destrui; simulque Corpus JESUS CHRISTUS *in ejus loco produci*; interim accidentibus permanentibus seorsim a subjecto, cui inhærebant. Ratio docet Corpori esse debere omnes dimensiones suas; hic nulla videtur proportio inter extensiones Corporis glorioſi Filii Dei, & hostiam exiguam; Corporis perfecti, cujus omnes diversæ partes redactæ sunt ad punctum, in quo sunt sine ulla confusione. Spiritus noster nequit concipere, Corpus esse posse simul pluribus in locis; hic sermo antea nobis erat ignotus, sed docet fides, Corpus Salvatoris nequaquam coarctatum esse in circumferentia Aræ unius, sed illud reipsa inveniri in omnibus Altaribus, ubi est a Sacerdotibus consecratum: tamen nubem, qua tegitur, ita esse densam, ut rationis lumina illam nequeant penetrare; & cum hoc doceat fides, sermonem hunc non audit hæreticus, sed post revelationem a fideli intelligitur. *Linguam, quam non noverat, audivit.* Pater Garnier ex Sancti Augustini familia.

Divinum hoc Sacramentum est fidei Mysterium, ubi ratio debet se captivare, quin illud audeat penetrare. 2. ad Corinth. 10.

1 Psalm. 80.

Moyses ostendere volens Populo Israel qua felicitate frueretur electus in Populum Dei, dicebat illis, nullam esse gentem, quamtumvis illustrem, quæ Deos habuerit, qui sese illi ita familiariter communicaverint, sicuti Deus noster sese nobis communicat. Quid autem dicemus Populo Christiano habenti Deum plenum bonitate, cui, cum satis non sit permanere nobiscum in templis, & nos invisere in domibus nostris, voluit etiam inhabitare in nobismetipsis, & in corde nostro, tamquam in templo suo, ubi familiariter cum ipso de omnibus negotiis nostris transigere possumus? Hæc fuit olim incomparabilis Deiparæ felicitas, gessisse Deum in sinu suo. Christianus nonne æque felix est, cum eumdem gerat in sinu suo? Sancta Elisabeth se beatam existimabat, eo quod Mater Domini sui domum suam accessisset; & ipse Dominus dignatur ingredi in animæ nostræ penetralia: licuit Magdalenæ pedes illius osculari; quodnam cor non flagraret amore Dei adeo familiariter sese hominibus communicantis? hæc ratio nonne urget nos, ut omnia vota, omnesque affectus nostros illi offeramus? post tot monumenta amoris Dei erga homines in hoc adorabili Sacramento, nonne ille jure coarguere potest frigus nostrum, nostramque ingratitudinem? *Idem.*

Felicitas quam habemus recipiendi in nobis Filium Dei.

Mirum fuit videre parvulum Prophetam Eliam cum adhuc esset in incunabulis lactari igne, & flammis, & miramur, inquit quidam Ecclesiæ Pater, si divina hac nutritus alimonia, sermonem habuit ardentem, & igneum zelum? sed, quod me in admirationem cum Sancto Chrysostomo rapit, est videre Christianos Sacro Eucharistiæ igni nutritos, permanere in frigore, & in glacie mortali. O duri filii Adam! exclamat Sanctus Bernardus, quos non emollit tam vehemens amor CHRISTI, tanta flamma Caritatis! Quid? nunquid Caritate carebimus, habentes Deum Caritatis in Corde? Quomodo arbor succensa magnam sylvam inflammat, S. inquit Augustinus, ita Christiani divino hoc igne succensi debent, Apostolorum exemplo, terram universam urere, eamque replere flammis amoris sui. Heu! Mundus universus agnoscit temstimonia amoris JESU in hoc Sacramento; sed pauci commoventur, atque parum tot inter flammas accenduntur: *homo tot congestis carbonibus friget ad Deum.* Eruditus exclamat Parisiensis Episcopus. *Idem.*

Prodigium est videre homines sine Caritate, sine zelo, cum sæpe receperint Deum Caritatis qui illos inflammare debebat igni divino.

Eucharistia est fons omnium bonorum, & præsens malis omnibus remedium.

Sacramentum Altaris est fons gratiarum omnium, quæ affluenter sese nobis communicant; hac defluit Sanguis Agni sine macula, qui tollit peccata Mundi, qui obliterare potest omnes imperfectiones nostras, & eluere reliquias impuritatum Animæ nostræ; illic invenire possumus divinas vires ad impugnandas nostras cupiditates, & inimicos salutis nostræ, a quibus circum undique oppugnamur; illic invenimus inæstimabiles consolationes inter ærumnas amarissimas; illic nanciscimur lumina contra illusiones dæmonis, & contra Mundi errores; Viaticum salutare in morte, & fontem immortalitatis; Illic tandem reperimus universale remedium omnibus infirmitatibus animarum nostrarum, & antidotum huic fonti Mortis fructus vetiti, qui se effundit in torrentes iniquitatis, nisi cohibeatur gratia Salutari fructus vitæ; ita ut de JESU CHRISTO in hoc Sacramento dici possit, quemadmodum de eodem dictum fuit in ejus vita mortali, quod de Sacro illius Corpore secreta Virtus effluebat, qua morbi omnes curabantur. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Quam igitur desiendi sumus cum ipsi flemus infirmitates nostras, & spirituales languores nostros, cum accedere possimus ad fontem adeo salutarem? Cur querimur de infirmitatibus naturæ inter tot gratiæ vires? cur querimur de tyrannide cupiditatum, quibus proripimur, quin confugiamus ad gratiam Dei, qui ad malaciam vocat omnes maris procellas, qui cohibere potest omnes nostræ ambitionis motus, & ardores nostrarum concupiscentiarum, & verbo, qui mederi potest malis omnibus, quibus obruimur? *Ex manuscripto Sermon. Pater Garnier.*

Luc. 6.

Divinum hoc Sacramentum fons est perennis gratiarum, & salutis.

In divino hoc Sacramento perennem habemus gratiæ fontem; in plerisque aliis Sacramentis, gratia quam conferunt, redire nequit, quia iterari non possunt. Semel tantum recipitur Baptismus, Confirmatio, & Ordo; sed licet vobis quotidie recipere Altaris Sacramentum pro vestra sanctificatione. Hæc gratia est, quæ jugiter se nobis præsentat; quapropter S. Chrysostomus dixit, Salvatorem non una tantum vice sedisse prope fontem, ubi Samaritanam mulierem præstolabatur, daturus illi aquas gratiæ suæ: Sed quotidie sedet in Altaribus nostris, ubi est in statu permanenti exspectaturus non unam solum peccatricem mulierem, sed Ecclesiam universam, & repleturus fideles omnes suis gratiis: *non unam tantum Samaritanam, sed universam Ecclesiam expectat.* Olim David sitiens in ardore certaminis ardenter cupiit aquæ calicem de cisterna Bethleem, ut sitim exturderet; hæc proprie erat figura aquarum gratiæ JESU CHRISTI, quæ a nobis quærendæ sunt, ob refrigerium inter ardores nostrarum cupiditatum. Rex iste illud obtinere non potuit, nisi cum periculo vitæ trium Ducum exercitus sui. Ah! quam beatior est sors Christianorum! possunt in singula momenta, sine multo labore haurire cum gaudio aquas gratiæ de fontibus Salvatoris: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Gratia non est procul quærenda, neque emenda magnis sumptibus, quemadmodum plerumque fiunt pretiosi subtilissimi succi expressi ad Corporis valetudinem. Accedere tantum oportet ad Aras nostras cum sanctis dispositionibus. Si maria essent traducenda, & postremæ maris plagæ adeundæ, ut fieremus participes gratiæ pretiosi Sanguinis Domini; hæc itinera vobis essent aggredienda. Filius Dei in singula momenta vobis hanc gratiam præsentat, vos autem ne pedem quidem proferre vultis ad illam recipiendam? Hæc gratia quærit vos, vos autem fugitis illam. S. Augustinus animadvertit, cum Deus de venis silicis miraculosam elicuisset aquam, hanc aquam, secundi miraculi vi, secutam fuisse populum, prout in desertum progrediebatur. Quænam autem erat hæc petra, nisi JESUS CHRISTUS? *Petra autem erat* 1. ad Cor. 10.

CHRI-

CHRISTUS. Ex hac petra effluit fons aquæ vivæ, quæ subsequitur Christianos in Mundi hujus deserto, *ut bibant, & non sitiant; ut redimantur, & non pereant; aqua sequitur Christianos. Idem.*

Filius-Dei se dat integrum, & sine exceptione in Eucharistia.

Dei Filius veniens in Mundum dedit se hominibus, & generatim Ecclesiæ universæ; sed in hoc Mysterio dat se totum omnibus singillatim Ecclesiæ filiis. *Totum se dedit universis, & totum singulis*, ait insignis Galliarum Episcopus, ex quo sequitur, quemlibet Christianum tantum debere Salvatori, quantum tota simul Ecclesia. Verum est, Domine! teipsum dedisse mihi integrum in Incarnatione; sed non descendisti in sinum meum. Unicus Deiparæ tuæ sinus gestavit te; temet mihi dedisti totum in Calvario, non tamen fuisti inter ulnas meas, sed inter Crucis brachia. Ah! in adorabili duntaxat Eucharistia te plene possideo. O Supremum animæ meæ bonum! & si in Cælo beati possident te modo deliciis affluentiori, tamquam suæ felicitatis Objectum; Ego possideo te in terris modo admirabiliori, tamquam pignus meæ immortalitatis. *Idem.*

Divinum hoc Sacramentum est remedium contra languorem in servitute Dei, & medium potens ad excitandum fervorem in bonis operibus.

Fatali experientia edocti scimus, post depravationem naturæ per Originale peccatum, sensus hominis ab ipsa nativitate in malum esse proclives. Nos naturaliter tædio affici pietatis, rerumque Cælestium, & nos ultro ferri in hæc terrena. Si impressiones fidei, quas in Baptismo recepimus, aliquem nobis sensum tribuunt de Deo, commercium, quod nobis cum Mundo est, statim imminuit, nisi omnem aufert affectum serviendi Deo, & Zelum procurandi gloriam ipsius; ita ut, si anima nequaquam excitetur actuali subsidio gratiæ potentis, langueat in tepore, & inertia, neque conetur unquam placere Deo per bona opera satis ad summum existimans, nisi eum enormibus peccatis lacessat; ita frigida, & pertæsa officiorum præcipuorum religionis, ut non vacet praxi bonorum operum, ni serius, quam potest, & illa abjiciat citius, quam potest, interim permittens, ut cupiditates suæ agant in illam, dummodo eam in nequissimos quoslibet excessus impellant. Omnino in oratione sopita sanctas lecturas fastidiens, minima jejunia perhorrescens, austeritatibus, atque exercitiis professionis suæ fatigata, si quas virtutes exercet, tunc ipsius ingenium illam trahit, & nullam invenit in Natura repugnantiam. Semper facilis cedendo minimis difficultatibus, quæ occurrunt, si præsefert aliquem pietatis zelum, hoc fit ex animi *libidine, semper parens amoris proprii studiis, qui*, quamprimum efficit, *ut de fervore* decidat in relaxationem. Quod vero magis admirabile est; anima in hac languenti vita non credit se Deo displicere, quia non tradit se nequissimis flagitiis; cum tamen ex Scriptura discamus, Deum non posse pati teporem hunc in servis suis; hunc nauseam illi creare, quemadmodum aqua tepida vomitum procurat; & tandem, cum anima fastidit Deum, Deum vicissim fastidire animam hanc languentem. Ad illam autem inflammandam, & excitandam per opera bona, quænam via melior est, quam ad Altaris Sacramentum accedere? ibi JESUS CHRISTUS venit in Corda nostra, ut illa sua excitet gratia, ut illis tribuat propensionem *in bonum, & vim* ad virtutem sequendam. Etenim, non extremus effectus gratiæ hujus Sacramenti est dare animæ nostræ pondus quoddam, & motum erga Deum, qui excitat in nobis pietatis fervorem, & imminuit difficultates, quæ in exercitio nostrorum officiorum occurrunt. *Idem. P. Garnier.*

Devotio erga SS. Sacramentū efficit, ut perfungamur officiis status & religionis nostræ.

Date mihi animam vere devotam Eucharistici Sacramenti; hæc vere fideliter perfungetur omnibus muneribus status sui; submissa erit superioribus suis, erga æquales humana, erga inferiores caritate plena, & nunquam negliget quidpiam, quo valeat sanctificari. Animatam J. C. gratia, difficultates, quæ occurrent illi in exercitatione virtutum, non terrent; hic omnes pœnitentiæ austeritates diligit. Mortificandæ sunt animi cupiditates? Ejicienda inertia, somnus, & voluptates repellendæ, atque tenerrimæ amicitiæ abdicandæ? perferenda est injuria, abdicanda vanitas; tacendum, cedendum, obediendum est? hujusmodi victoriæ referuntur vi, ac virtute, quam divinum hoc inspirat Mysterium. Parendum est voluntati Dei in iis, quæ accidunt, seu ille tegat nos Clypeo bonæ voluntatis suæ, sive nos objiciat contradictioni? anima, quæ sæpe meditatur divinum hunc hominem immolatum, ut adimpleret voluntatem Patris sui, omnia sustinet; nullus unquam labor nimium gravis illi videtur; quia in hoc Sacramento nanciscitur unctiones, quæ leniunt severitatem; repleta gaudio, & consolatione inter ærumnas, præfefert alacritatem, & fervorem in praxi officiorum suorum. Considerate Ecclesiastici hujus Sacramenti gratia vivificatum; nunquam est iners, sed semper agens. Erudiendi sunt Populi? quinam zelus elucet in sermonibus ejus! Sacramenta administranda sunt? quænam assiduitas in Sanctuario! Ægrotantes invisendi sunt? quænam in illis consolandis benevolentia! adsistendum morientibus? quænam in illis confirmandis sollicitudo! in populo si quæris hominem augusto huic Sacramento devotum, invenies illum, vel sibi vacantem domi suæ, vel orantem in templo, vel ad Altare prostratum. Hi sunt effectus devotionis erga Sanctum hoc Sacramentum, quæ inspirat sanctum ardorem animabus, ut illi mores prorsus sanctos inspiret? *Idem.*

Excessus amoris Filii Dei in hoc Sacramento.

Subsistantiarum mutatio nobis stuporem immittere non debet in hoc adorabili Sacramento; facile intelligimus, Deum posse omnia, sed difficile comprehendere possumus, quomodo nos velit tanta Caritate complecti. Scio Misericordiam ejus substinere posse nostras infirmitates; sed nullam invenio legem in sua Bonitate, ut diligat nos cum vitiis nostris, & præsertim, ut tradat se ardori illius amoris, quem ostendit hominibus in Altaris Sacramento. Benevolentia Regis erga aulicos suos, modum servat; amor, quo nos prosequitur JESUS CHRISTUS in hoc Sacramento, qui se eo usque prodigit, ut obliviscatur sui, de nobis tantum sollicitus, inde est, quia *amor excessibus vivit*, ut eruditus Doctor ait; procedit usque ad impetum, & nullam servat mensuram. Ibi JESUS CHRISTUS consummat prodigia Caritatis, quæ hominibus indigitaverat reliquis in Mysteriis, & postquam dilexit suos in vita, & in morte, voluit relinquere illis pignus æternum, & permanens hujus amoris, consecrans se usibus nostris, per consummatam Caritatem. Sed cum Deus amoris omnino se nobis tradat in Eucharistia, debemus nosmet omnino dare *illi*; sed heu! quam longe absumus, ut amemus illum eo modo, quo nos ille in divino hoc Mysterio dilexit! *Ille dilexit nos usque in finem; dilexit nos sine exceptione; dedit nobis se totum*, nulli pepercit rei, ut ostenderet amorem suum; & *nihilominus hic* ille idem est Deus, *quem adeo frigide*, & cum tanta exceptione diligimus. *Illi* cordis nostri minimam, quam possumus partem impendimus, & plerumque nihil omnino. Quod, nisi esset magnum scelus, esset tamen semper magnum ingrati animi vitium, & levitas magna. *Idem.*

Richardus de Sancto Victore.

Dei Filius paternum habet amorem erga nos in hoc Sacramento.

Salvator in hoc Sacramento Christianis ostendit amorem vere paternum; paterni quippe amoris effectus, non consistit in sola essentiæ, & vitæ communicatione; verum etiam in institutione, aliisque bonis, quæ vitam consequuntur; sed Filius Dei *nequaquam satis* esse putans dedisse nobis *recentem essentiam* per regenerationem *Baptismi*, & *spiritualem* vitam gratiæ, *quam terreni Patres nequeunt filiis suis* communicare; dat nobis propriam substantiam in cibum, salvaturus in nobis vitam spiritus, & Caritatis, quam ab illo recepimus: Modo longe alio ab illis Matribus parum Christianis, dicit S. Chrysostomus, quæ filios suos tradunt alienis nutricibus alendos, a quibus pignora sua sæpe pessima hauriunt alimenta. Divinus animarum nostrarum Salvator esse vult nutritius noster, atque ut in nobis efficiat generosum temperamentum, quod reddat nos amore suo dignos; nos proprio Sanguine pascit. *Vos generosos esse volo; vos alo meo Sanguine.* Magis ingeniosus, quam princeps ille, qui filiis suis indubitabile amoris sui *relinquere volens monumentum*, jussit ex *venis suis Sanguinem* promi, & misceri *cum coloribus*, ut imago sua pingeretur. Dei *Filius*, non solum dat nobis figuram sui, sed largitur etiam substantiam Corporis, & Sanguinis sui, nos sibi quodammodo incorporaturus &c. *Idem.*

S. Chrysost.

Amor est separationis, & absentiæ inimicus; ideoque Dei Filius nobiscum permanere vult in hoc Sacramento.

Amicus, in amici sui societate, complacet sibi, illum cum alacritate videt, nonnisi invitus ab illo recedit, & quicunque vere amat objectum, nequit vivere absens ab objecto quod diligit, & ubi fruitur ejus aspectu, rerum suarum obliviscitur, *illi omnia sacrificat*, ac semetipsum *pro illius amore consumit*. Talis est amor JESU CHRISTI erga Christianos in Altaris Sacramento. Innutritus in sinu gloriæ, quia ab hominibus divisus est, conquirit nos in nostra miseria, ut suæ nos faciat felicitatis consortes; quasi nonnihil deesset ipsius felicitati, ubi a nobis abest, putat suas esse delicias, versari cum filiis hominum. *Delicia meæ esse cum filiis hominum.* Ideoque se in infinitum multiplicat, se in Altaribus in infinitum producit, ut illum inveniamus ubique, & ubique ille nobis tribuat suæ benevolentiæ argumenta. Quos amoris impetus! quot amoris, erga nos, sui testimonia? Nonne, exclamare debemus cum quodam S. Abbate; *O Deum, si fas est dicere, prodigum sui pro desiderio hominis*! hominis, inquam, qui adeo frigidus est, & languens in amore suo; hominis ingrati, tantoque beneficio indigni! *Idem.*

Prov. 8.

Guerricus Abbas.

Quam liberalis sit Filius Dei in hoc Mysterio.

Primus amoris effectus est, dare. Nihil dare est, non amare; dare parum, est parum amare, dare multum, est amare multum, dare totum, est usque ad excessum amare. Leges amicitiæ perfecte in hoc amoris Mysterio adimpletæ sunt, ubi Deus dat quidquid dare potest, & ibi homo recipit quidquid potest recipere; sed eo modo, quo nos perfectius possidere possumus, quia dat se nobis in Cibum, qui efficit, ut nobis fiat proprium, quod nobis est alimento. Ita ut in natura nequeat inveniri unio magis insolubilis, ideoque possessio magis legitima, & absoluta: *cum datur in Cibum, datur in omnem unionem*, Sanctus Thomas ait, unionem validiorem unione membrorum,

S. Thomas Opusc. 15.

quorum multa separari possunt a capite, quin compositum pereat; magis intimam, quam ramorum cum stipite, qui possunt inde amputari; sed ubi alimentum conversum est in propriam substantiam, ab illa non potest amplius separari. Latius alibi immorati sumus in hac sententia, neque de eadem plura dicemus. *Idem paulo mutatus.*

Humiliationes Filii Dei in hoc adorabili Sacramento. Ad Philipp. 2.

S. Paulus Apostolus arbitratus est, se non posse melius significare humiliationes Filii Dei, in suæ Incarnationis Mysterio, quam usus verbo exinaniendi: *Exinanivit semetipsum*. Tamen ambigi nequit quo minus multo magis seipsum exinaniverit in Eucharistia; & profecto, si in Incarnatione cessare potuit Deus videri, in Eucharistia cessat homo videri; si in priori Mysterio *induit formam servi*, in altero induit figuram Panis; si in illo se hominibus æqualem præbet, in hoc sese infra homines demittit, factus cibus eorum; in Incarnatione, quamvis divinitas ejus lateat, & ab ipsa humanitate absorbeatur, non tamen cessat, quin cognoscatur ex prodigiis; ita ut in Passione, cum venit hora inimicorum suorum, & potestas tenebrarum; videlicet in ipso momento, quo JESUS CHRISTUS visus est traditus rabiei Judæorum, Centurio, & qui custodiebant illum, verum Dei Filium esse cognoverunt. Sed in Eucharistia divinitas æque ac humanitas latent; & in statu mortis, ut docet Theologia, non solum quia species Panis, & Vini separatæ sunt, ad innuendam separationem Corporis a Sanguine; verum etiam quia nullum tribuit vitæ signum. *Verbo: Donec vixit in Mundo, nonnisi Patris sui voluntati paruit, & in Eucharistia producitur per actum obedientiæ, quam præstat Sacerdotis imperio: Obediente Domino voci hominis.* Hic ergo exclamare possumus majori cum admiratione, quam Salomon, ubi perfecit superbum illud, atque magnificum Templi Jerosolymitani ædificium: *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram?* tamen divinum illius verbum, & Ecclesia, quæ illius est fidelis interpres, nos docet, ipsum vere absconditum esse sub speciebus Panis, & Vini. *Abbas de Monmorel serm. in Evang. Dom. 2. post Pentecosten.*

Ibidem.

Luc. 22.

Matth. 26.

Josue 10.

3. Paral. 6.

Præcipui effectus Domini in divino hoc Sacramento venientis in nos. Joann. 6.

In Eucharistico Sacramento Dominus venit in nos *tamquam ignis devorans*, qui emundat quidquid immundum est, & absumit in nobis quidquid carnem sapit: *manet in nobis, & nos in illo*, & conjungens se cum hominis infirmitate, illi Dei virtutem communicat. Hoc Sacramentum, Sanctus Bernardus ait, operatur in nobis duos effectus: minuit sensum tentationum levissimarum, & prohibet, ne vehementissimis cor nostrum superetur. Concupiscentiam infirmat, & retundit vim nostrarum cupiditatum; antidotum est contra mortale peccatum, & remedium contra venjale. Virtuti hujus Sacramenti Patres acceptam retulere imperterritam firmitatem: quam Martyres inter cruciatus præseferebant. Nobismet facimus, Sanctus Cyprianus ait, ex Corpore JESU CHRISTI propugnaculum, & victricia conflamus arma pro illis, quos tueri cupimus adversus nisus inimicorum suorum. Ita Sanctus Chrysostomus asserit, nos discedere debere de Mensa Domini factos terribiles dæmoniis ignem, flammasque evomentes, tamquam leones; quem enim effectum non deberet producere in nobis JESUS CHRISTUS animabus nostris conjunctus? unde sequitur, si adeo infirmi fuerimus, ut primæ tentationi cedamus, hoc proculdubio proficisci, vel quia negligimus ad divinum hoc Sacramentum accedere, vel quia indigne ad illud accedimus. *Idem.*

Epist. 143.

Si vivam haberemus fidem Dei Filium latere in hoc Sacramento, qua illum reverentia reciperemus? Apoc. 4. Matth. 8.

Cum fidei lumen aperuerit nobis Deum in Altaris Sacramento latentem, quæ erit reverentia nostra, cum sancto terrore correpti procumbemus, tamquam seniores Apocalypsis, ad thronum Agni, & cum illis clamabimus: *dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & potestatem*: vel repleti eadem fide, & humilitate, qua Centurio, dicemus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic verbo, & sanabitur anima mea*. Hæc est fides, & reverentia, quam habere debemus pro Deo abscondito, humiliato, exinanito; sed cum præsto sumus ut recipiamus illum, tunc non possumus satis testari amorem nostrum, & gratitudinem, *quanto pro me vilior*, Sanctus Bernardus ait, *tanto mihi carior*. Ille dedit se totum mihi in hoc Mysterio, se totum consecravit usibus meis, ego debeo consecrare illi memoriæ meæ recordationem, cogitationes intellectus mei, animæ meæ facultates, affectus voluntatis meæ, motus cordis mei, humiliationes, & prostrationes corporis mei: etenim, ut idem Pater ait, quantumvis creatura sit infinite Deo suo inferior, & minime possit dignas referre gratias, quas meretur, tamen ex quo offert illi amorem, & gratitudinem, quam potest, nihil deest, cum datur quidquid dari potest. *Idem.*

S. Bern. serm. de Epih.

Dei Filius exigit reverentiam nostram amorem, cultum in hoc Mysterio.

Cum Salvator venit in Mundum, venit, ut ibi sustineret opprobria, & humiliationes, & Judæi illum crucifigentes adimpleverunt divinæ suæ Voluntatis consilia: sed in Eucharistia vult recipere obsequia nostra, & nostras adorationes. Passionum suarum tempus excessit; & jubet, nos, per vivam fidem, sincerumque amorem reparare crimen Judæorum, qui illum non cognoverunt, & oderunt, cum inter ipsos vivebat. Ita excipere illum in hoc eodem Sacramento, cum eodem contemptu, quo exceperunt illum vitæ mortalis suæ tempore, hoc est esse Judæis ipsis nocentiores. Ita, quamquam debeamus illi amorem, reverentiam & cultum nostrum ob alias sexcentas causas, expectat ille a nobis hæc officia ad reparandas contumelias, injurias, & humiliationes omnes, quas propter amorem nostrum passus est; hoc enim medio illi grarum animum nostrum testabimur.

Virtutes quas petit Deus ab hominibus in hoc Sacramento, & exemplum, quod nobis tribuit.

Deus, quem in hoc divino Mysterio adoramus, mediocrem virtutem non rejicit, non confringit calamum quassatum, sed dirigit; lippos oculos non excæcat, sed illustrat; non extinguit lignum fumigans, sed accendit; humiliter standum est coram hoc Deo abscondito, & aperienda sunt illi corda nostra ferventibus desideriis ad recipienda ejus lumina, & gratias. Ratio, & sensus nequeunt hæc nobis suppeditare subsidia; gratiam hanc a Deo petere debemus, tamquam eleemosynam; exemplum ejus ciebit in nobis amorem virtutum, quas in hoc Mysterio exercet. Zelus quo flagrat pro gloria Patris sui, nostram excitabit pietatem erga Deum, & nos impellet ad eliciendos actus amoris, & contritionis ad pedes Altarium, ubi JESUS CHRISTUS obediens Sacerdotis verbo, manet sub Speciebus, donec subsistunt; ut doceat Christianum filialem obedientiam legibus Dei, & perfectam submissionem præceptis suis eo in statu, in quo Deus illum constituit. Caritas, qua complectitur homines in Eucharistia, tradens se fidelibus in Cibum, efficere debet nos misericordes in pauperes, ut propria substantia nostra auxiliemur illis; humilitas, quam exercet in hoc statu exinanitionis inspirat nobis cognitionem nihili nostri coram Deo, & est exprobratio gravis vanitatum, atque pomparum Mundi; mansuetudo, & patientia ejus in hoc Sacramento, ubi substinet non solum blasphemiam Judæorum, & hæreticorum, verum etiam Christianorum nequam sacrilegia, est secreta damnatio mollitiei nostræ, quæ levissimos contemptus, minimasque injurias pati non potest. Denique, cum in hoc statu absconditio a rebus omnibus sit avulsus, & nulli inhæreat rei, sensim, & sine sensu inspirare debet cordibus nostris abalienationem hanc generalem a Mundo, ut adhæreamus Deo, qui vertex est Evangelicæ perfectionis. Heu! cuinam corda nostra adhærere possent, nisi illi, qui, ut ita dicam, adhæret Altaribus nostris, ut nobis ostendat amorem suum erga nos? Hæ sunt sensibiles impressiones, quas divina præsentia absconditа facit in cordibus nostris; sed animæ solum vere Christianæ se dignas præbent his gratiis per assiduitatem, qua Dei Filio in hoc Sacramento deserviunt. *Sermo Manuscriptus Patris Garnerii.*

Deliciæ, quas fideles animæ gustant in participatione Sacramenti Eucharistici, & quænam gustet illas.

Torrens æternarum voluptatum inebriantium in Cælo beatos, replet Cor justorum super terram in divino hoc Sacramento, suavitate, & ineffabili consolatione: tamen si Dei Filius reddit se cordibus nostris sensibilem per interiorem Spiritus, gratiæque suæ unctionem, hæc tamen unctio non cognoscitur ab omnibus, sed sentiendam se præbet tantum animabus, quæ magnam habent hujus Mysterii fidem, & ardentem amorem erga eum, qui ibi latet. Hic gustandus est, per fidem, & caritatem, ut illius sentiantur deliciæ: *da amantem*, S. Augustinus ait, *da desiderantem, da sitientem, & sentit quod dico*; talis enim anima amans JESUM CHRISTUM, illum esuriens, & sitiens, atque desiderans frui dilecto suo, sentit suavitatem interioris ejusdem præsentiæ; sed si loquor cum animabus frigidis, languentibus, immersis in corporis sensibus, hæ quidem non gustant hoc Manna spirituale, nihil intelligunt de his ineffabilibus deliciis, quæ inveniendæ sunt in divini hujus Sacramenti communione. Ceterum, ne putes personas illas, quæ valde luminibus pollent, magis harum sensibilium unctionum gratia, sed plerumque illæ afficiuntur, quæ magis simplices, & rudes sunt, si fideles fuerint, & omnino a Mundo divulsæ. *Ex manuscripto Serm. ejusdem P. Garnerii.*

Mirum est, quod tam parum simus assidui in visitando, adorando Salvatore, qui dies, noctesque, manet in ara.

Pro nobis Dei Filius descendit in Aras nostras, & nos eumdem visere negligimus; præsentiam illius, tamquam nocens Adam fugimus, & perhorrescimus, vel si prodimus coram illo, hoc sine ullo Religionis sensu facimus. Ah! hæ personæ otiosæ, & propriæ otiositatis pertæsæ, hi mundani, qui trium horarum spatia transigunt in spectaculis, & vitæ suæ dimidium in alea, & ludo, & qui perquam raro, & semmo affecti fastidio ad Altarium pedes accedunt, tiuntne bonum nostrum, qui habemus Deum nobis in hoc Mysterio præsentem? qui vident hunc tegorem, & hoc frigus erga Eucharistiam, judicarene possunt nos credere ea, quæ credere profitemur de hoc adorabili Sacramento, quod nunquam fere adoramus? Profecto crediturne præsentia Dei in divino hoc Myste-

Myſterio latentis ? Nunquid Sanctus terror nos ciet, tangit, commovet ? ubi devotio eſt, & mentis collectio, teſtes deſiderii noſtri ? *ubi feſtinatio*, quam de præſentiæ ipſius perfruitione teſtamur ? Nunquid pari ardore properamus *illuc*, *ubi* Deus eſt præſens, & quo præſentia, & *felicitas* cum eo colloquendi, omnes homines deberent attrahere, quo pergimus in cœtus profanos, *quos* aſſidue obire gaudemus ? nequaquam. Cohibere me nequeo, quin conquerar de tepore fidelium, *per ſanctos hos dies devotos* cultui, & venerationi *adorabilis* hujus Myſterii ! *Via Sion lugent, eo quod non ſit qui veniat ad ſollemnitatem.* Altaria noſtra deſerta ſunt, derelicta ſunt, donec theatra, & ſolatiis dedita loca populi turba replentur &c.

Thren. 1.

De vi divini amoris in Euchariſtia.

Magnitudo amoris JESU CHRISTI innotuit in iis miraculis, quæ operatus eſt, ut ſe nobis traderet in Euchariſtia. Unus ille, qui operatus eſt ea, poteſt illa intelligere. David appellat divinum hoc alimentum, compendium miraculorum Domini; S. Thomas, Miraculorum omnium maximum; & Sanctus Auguſtinus, terminum Omnipotentiæ Dei. Evangeliſta antequam verba facere inciperet de hujus Sacramenti inſtitutione, meminit ſupremæ potentiæ, quam Filio ſuo dedit Pater, innuens illum hac indiguiſſe, ut hoc inſtitueret Sacramentum. Profecto Dei Omnipotentia potuitne magis eluceſcere, quam efficiendo, ut Corpus idem eſſet ſimul in tot locis, quot ibi erant Hoſtiæ conſecratæ, & partes ſingulæ cujuslibet Hoſtiæ; Corpus eſſet ſine extenſione; materia eſſet in loco, per modum ſpiritus; ſubſtantia ad nihilum redigeretur; accidentia ſine ſubjecto ſubſiſterent, eoſdem producerent effectus, quos ſubſtantiæ ? opus eſt tota Dei Omnipotentia ad hæc miracula operanda. Sed, cum illa creduntur, Pharaone duriores ſumus, niſi moveamur. *P. Nepveu tom. 2. Chriſt. conſider.*

Euchariſtia eſt admirabilis inventio Sapientiæ Dei.

Dei Sapientia in hoc Sacramento, poteſt ne magis eluceſcere, quam ſimul concilians ea, quæ magis videntur oppoſita ? auferens, ut videtur, Deo immenſitatem, ut illum compellat in ſpatium fere indiviſibile; dans quamdam immenſitatem Corpori, illud efficiens præſens in tot locis adeo longinquis; tegens Majeſtatem illius ſpecierum vilitate, ut reddat objectum dignum fide noſtra; & ſimul ſuam bonitatem patefaciens, ut fiat Caritati noſtræ *validum argumentum*; induens *Carnem ſuam ſpeciebus Panis*, ne ſenſus noſtros avertat, & ut ſeſe accommodet noſtræ infirmitati, ſupergrediens omnes naturæ leges ad ſuperandos obices, quibus prohibebatur, ne ſeſe nobis daret, & ita ſubjiciens ſuam poteſtatem poteſtati hominis, qui momento uno, unoque verbo poteſt tot operari miracula. *Idem.*

'Amor Salvatoris in hoc Myſterio liberalis erga homines, quibus ſe totum tribuit.

JESUS CHRISTUS ſe nobis tradit in Euchariſtia, ſed integre, quia nobis dat ſuum Corpus, Animam, Sanguinem, Divinitatem; & hæc omnia modo omnium perfectiſſimo; quoniam per hoc Sacramentum vere, & realiter poſſidemus JESUM CHRISTUM, & locupletamur, quemadmodum S. Auguſt. ait, cum Deus fiat hominis poſſeſſio: *de ſoro Deo dives eſt.* Verum eſt fidelem poſſidere JESUM CHRISTUM per fidem, ſecundum S. Pauli doctrinam; ſed hæc eſt mera cognitionis poſſeſſio: verum quoque eſt, illum a juſto poſſideri per Caritatem; ſed hæc poſſeſſio fit per conformitatem voluntatum, non autem per unionem ſubſtantiarum; ſed in hoc divino Sacramento poſſidemus JESUM CHRISTUM per poſſeſſionem intimam, veriſſimam, & poſſidemus illum dominatione adeo abſoluta, ut nobis liceat de illo ad arbitrium diſponere; ita ut JESUS CHRISTUS in Euchariſtia ſit nobis omnia, quemadmodum dicit S. Ambroſius: *Omnia nobis CHRISTUS eſt.* Sed ſi JESUS CHRISTUS totum ſe nobis dedit in Euchariſtia, poſſumus ne facere, quominus noſmet totos illi tradamus ? Exhauſerat ille omnes theſauros ſuos, ut ſibi cupidum Cor noſtrum deliniret, ſed videns hoc inutile futurum, voluit tandem ſeſe nobis tradere in Euchariſtia, ut vi quadam amorem ſibi noſtrum raperet. Poſtquam reſiſtimus dura cervice tot illius benefactis, licebitne nobis illi ipſi repugnare ? ſi quid ſupereſſet illi, quod nobis daret, daret utique; quamvis ille Deus ſit, non poteſt tamen dare nobis aliquid melius ſeipſo: *Quid retribuam pro teipſo ?* dicebat S. Bernardus, ſi poſſem pares referre gratias omnibus beneficiis tuis, quomodonam tibi pares referre poſſem dono, quo teipſum mihi largiris ? quamvis omnia mihi eſſent imperia, omnia Mundi corda, quæ offerrem tibi, poſt hæc, poſſem ne aliquid dare tibi, quod valeat Deum ? *Idem.*

De gratia quam recipere debemus in hoc Sacramento, quæ efficere debet, ut quotidie in virtute creſcamus.

Ex præclaris gratiæ qualitatibus, non eſt poſtrema, ſemper operari in Anima, & ibi nunquam otiari. S. Gregorius illam comparat ſemini inceſſanter germinanti, & producenti fructum centuplum in corde optime affecto. Sed gratia quam recipimus in Euchariſtia, peculiarem habet fœcunditatem; hic ille fons eſt Aquæ vivæ, de qua loquebatur Salvator cum muliere Samaritana, ſalientis uſque in vitam æternam. Supponimus Animam, quæ recipit Deum ſuum eſſe in gratiæ ſtatu, ideoque poſitam in Carita-

te, quæ non eſt otioſa, & quæ nos quotidie ad novam impellit perfectionem, & nova virtutum, & meritorum incrementa; ſi hoc eſt, quam non facitis JESU CHRISTO injuriam, cum in vobis relinquitis ſterilem hujus Sacramenti gratiam ? cum dicitis: ſatis eſt, me juſtificari; ego vero ad tantum ſanctitatis apicem non contendo; hoc optimum quidem eſt, & inſignes ſanctitate viros decet; perinde ac ſecundum conſilia Filii Dei, minime teneremur, noſtram ſanctificationem nervis omnibus nobis comparare. Homini vere juſto non ſatis eſt communis virtus, & nunquam arbitratur ſe attigiſſe illum perfectionis verticem, ad quem vocatur a Deo; e contra vero ſemper eſurit, ac ſitit juſtitiam, & ſi aliter viveret, conaretur ſemper ſeſe magis, magiſque juſtificare. Hic ille eſt fructus, quem ex hujus Myſterii frequentatione percipere debemus, & effectus gratiæ, quam in nobis producit divinum hoc Sacramentum. *P. Garnier.*

Per hoc Sacramentum Deus ſit bonum noſtrum, & hæreditas noſtra.

Deus, qui omnes ſcrutatur inventiones, amorem noſtrum ſibi conciliandi, adjicere voluit ceteris qualitatibus ſuis, quæ ipſum præbent amabilem, eas etiam, per quas ſit bonum, & hæreditas noſtra. Hæc nomina ille millies ſibi vindicat in veteri teſtamento, ad aſſuefaciendos homines ſuis benevolentiæ ſenſibus erga ipſum; ſed Salvator mi, in Altaris Sacramento mereris hos omnes titulos modo præſtantiori, & nos hæc bona recipimus; quandoquidem vi donationis, qua nobis teipſum largiris, poſſeſſionis actualis, & realis, quam ibi recipimus Corporis tui, Sanguinis, Humanitatis, tuæque Divinitatis, totus noſter es. Nos vocare poſſumus te Deum, & Dominum noſtrum, ſed etiam intueri te poſſumus tamquam bonum, & hæreditatem noſtram: *illi, ipſo poſſidente, fiunt hæreditas ipſius, & ille viciſſim ſit hæreditas ipſorum*; Reciprocum intercedit commercium homines inter & Deum, præſertim vero in hoc Myſterio, nos ſumus hæreditas Dei, ipſe viciſſim hæreditas noſtra; nos poſſidet, & poſſidetur a nobis, tamquam aliquid noſtrum. Divinum Chriſtianorum privilegium ! poſſumus loqui Deo, quemadmodum Deus loquitur nobis: dico Domino meo, *meus es tu*; & Dei gloria eſt, dicere poſſe homini: *meus es tu*; & hæc eſt gloria hominis, dicere poſſe Deo; meus es tu, & poſſeſſio mea. Quid honorem hunc conſequi debet ? nobis amandum eſſe JESUM CHRISTUM quia noſter eſt, quemadmodum ille nos amat, quia ſumus ſui. *Biroat in Octava ſerm. 4.*

Auguſt. tract. 2. in Joannem.

S. Cyprianus de Aſcenſione.

Duplex amoris genus, quod Dei Filio debemus intuita hujus Myſterii.

Duo ſunt amoris genera, quorum capaces ſumus, & quæ debemus Deo; amorem benevolentiæ, & amorem æſtimationis; Salvator autem in hoc Sacramento nobis exhibet argumenta validiſſima ad utrunque excitandum. Illum amare tenemur amore æſtimationis, & prælationis, præ omnibus Mundi hujus objectis, per conſiderationem ſui meriti, & amoris; illum amare debemus amore benevolentiæ, *quia eſt intra nos*, & arcte adeo, ac *familiariter ſecum nobis conjungit.* Sed heu ! ſi *reſpicimus Chriſtianorum vitam, inveniemus illos omni ſenſu* carere, & injuſtos eſſe contra hoc Sacramentum: ſenſu carere; quia Dei ſui amore adeo parum ſe affici permittunt, cum interim maxime afficiantur objectis cupiditatum ſuarum; injuſtos vero, quoniam præferunt terrena omnia JESU CHRISTO, qui primum obtinere debet locum in ipſorum æſtimatione, & cui locum præbent iterandi querelas ſuas contra populum Iſrael *per Iſaiam; filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Enutrivi filios proprio Sanguine, & factus ſum Cibus eorum, & nihilominus offendunt me uſque in cordibus ſuis, & contemnunt me perinde ac, neque Pater, neque Deus eſſem illorum; & gloriam meam habent rebus omnibus deteriorem. O Salvator ! ſi ita eſt, debes ne tanto cum fervore nos diligere, ut tam injuſte a nobis excipiaris ? debes ne tradere Corpus tuum, Sanguinem, & vitam nobis, ut videas hæc omnia Caritatis tuæ adminicula ſceleribus noſtris antiquata ? hoc non eſt ſatis, oportebat illa fieri objecta, & circumſtantias injuriarum, quibus a nobis afficeris ? Non ſatis hoc agnoſcimus, & nihilominus verum eſt, nos nulla committere peccata, ex quo accepimus Salvatorem in Euchariſtia, quorum importunitas non ſit huic Sacramento contumelioſa. *Idem.*

Iſaiæ 1.

Sacramentum Euchariſticum pignus eſt gloriæ, & felicitatis æternæ quam ſperamus, & quam nobis Dei Filius promiſit.

Jure Sacramentum hoc dicitur *pignus futuræ gloriæ*, & firmiſſima hæc eſſe debet ratio confidentiæ noſtræ; namque, ut S. Chryſoſtomus ait, Deus dedit ſuum Corpus, & Sanguinem nobis, veluti Arrham, & pignus gloriæ ſuæ; ſi noluiſſet ſincere præſtare fidem, quam nobis obligabat hoc medio, quandoquidem, quæ probabilitatis eſt ſpecies, S. hic Doctor ait, illum nobis in manu poſiturum eſſe pignus, ut illud amitteret ? nequaquam; & ille hac in re, nobis tribuit ſinceritatis ſuæ monumenta, & certiſſimas rationes fidelitatis promiſſionum ſuarum; & ſi poſſet Deus aliquod percipere ſuæ fidelitatis incrementum, iterum ſemetipſum obligaſſet per pignus, quod dedit nobis in hoc Sacramento, ſe præſtiturum promiſſiones ſuas, quibus nobis gloriam ſuam *polliceretur*. Profecto certi

ſumus boni, quod nobis promittitur, cum nobis præbentur Arrhæ, quæ ejuſdem, vel majoris ſunt pretii, ac id, quod nobis promittitur; quia tenetur præſtare fidem ille, qui Arrham tribuit. Ita Paradiſi pulcritudo, vel ſplendor coronarum, quas nobis Dei Filius promittit, ne perſtringant oculos noſtros, neque reddant incredibiles Dei promiſſiones, propter earum magnitudinem, & utilitatem, in cujus expectationem nos erigunt. Arrhæ, quas nobis dat in Sacramento Altaris æquæ, aut pluris ſunt eo, quod nobis exhibetur, vel quod expectamus. Dicere poſſumus eſſe utrobique pretii æqualitatem, quoniam in Sacramento poſſidemus objectum idem, quod beatorum felicitatem, & gloriam conſtituit. *Biroat, ſerm. 5. de Octava.*

Hæc eſt ſententia Patrum, atque Theologorum, qui innituntur promiſſioni Salvatoris; unam ex potiſſimis cauſſis Reſurrectionis Corporum Chriſtianorum, futuram hujus Sacramenti uſum pro duabus præcipuis rationibus, quarum altera deſumitur ex intima unione, quam contrahunt corpora noſtra cum JESU CHRISTO, qui efficit, ut ſimus unum, & idem Corpus cum illo; hinc fit, ut quemadmodum Caro ejus Vivificans eſt per ſeipſam, & habet virtutem etiam producendi in Corporibus immortalitatem, non ſecus ac gratiam in Animabus; debere propter hoc fœdus, effundere ſuam operationem in Corpora, quæ facta ſunt ejus membra. Ratio altera Juris hujus deſumitur ex impreſſionibus gloriæ, & Sanctitatis, quas Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI relinquunt in corporibus Chriſtianorum, in quibus permanſerunt per uſum hujus Myſterii; ſi enim Crux, ubi mortuus eſt, & monumentum, in quo ſepultus fuit, ſervant ad hanc uſque diem, veſtigia neſcio quæ præſentiæ ſuæ, quæ reddunt illa non venerabilia ſolum in oculis hominum, ſed etiam ſpectabilia in Dei providentia; cur dicendum non erit, corpora noſtra, in hoc Sacramento, quamdam contrahere conſecrationem, & moralem dignitatem, cujus veſtigia retinebunt etiam in ſepulcro, & impreſſiones vitæ quæ permanebunt in eorum cineribus; illos ſpectabiles reddent coram Juſtitia Dei; ita ut Reſurrectionem, & gloriam ſuam mereantur. *Idem.*

Corpus, & Sanguis Filii Dei in hoc Sacramento ſunt certa probatio, Deum velle ſalutem noſtram.

Cur tot *dubitationes*, & *difficultates* proponendæ ſunt de Myſterio noſtræ prædeſtinationis, & cur nobis figenda Crux, utrum Deus ſincere, & efficaciter etiam ex parte ſua, velit æternam Salutem noſtram? Unum ſufficit Euchariſtiæ Sacramentum ad hoc, ut omnia hæc dubia, & difficultates evaneſcant; atque, ut intelligamus, quanam cum ſinceritate, immo etiam ardore, Deus concupiſcat ſalutem hominum, propter quam invenit hoc medium adeo excellens, & efficax; etenim quid majorem habere poteſt vim, & poteſtatem ad hunc effectum, Sanguine ſuo, quem nobis dat in hoc Myſterio, cujus meritum infinitum *eſt, cujus* unica gutta ſexcentos Orbes ſalvare poſſet, *& qui nihilominus totus* applicatur cordi Chriſtiani? *Si Deus nos perdere voluiſſet, nequaquam* præſtitiſſet nobis adeo eximiam Salutis noſtræ *medicinam*, adeo pretioſam, adeo efficacem? Ille ne obtuliſſet ſemet in Sacrificium ſuper Altaria? daret ne nobis ita validum remedium, quale eſt virtus Sanguinis ſui, ut nos tueretur a peccato, ut figeret voluntatem noſtram in bono, ut prohiberet, ne periremus, & in reprobationis abyſſum prolaberemur? *Idem.*

Affinitas, quam in hoc Myſterio cum J. C. contrahimus, nos impellere debet ad magna ſicienda.

Excitemus noſmetipſos ad magna efficienda, quan*doquidem* JESUS CHRISTUS dignatus eſt nos in *hujus Myſterii* partem vocare. Etenim ſi utilitas, quæ procedit ex affinitatibus, poteſt eſſe magnorum operum incitamentum, num neſcimus, nos in hoc Sacramento arctiſſima contrahere fœdera, quæ jungere poſſint Chriſtianum cum JESU CHRISTO? Ibi nos fieri illius fratres, & filios; ibi Corpora noſtra fieri membra ipſius, & Animas noſtras ejuſdem Sponſas; Hoc eſt nobis tot obligationes imponere, & tot rationes afferre, ut bona opera producere teneamur; in hac rationabili conſideratione, quam Chriſtiani ſinguli facere poſſunt. Ego ſum Dei Filius, igitur nihil mihi faciendum eſt indignum tanti Parentis nobilitate. Ad hunc honorem evectus ſum, ut ad illum tamquam frater attineam; ſubſtineamus actionibus noſtris hujus affinitatis gloriam; ſumus membra illius, actiones noſtræ reſpondeant Sanctitati Capitis, a quo animamur. *Idem.*

Negligentia viſitandi Filium Dei in hoc Sacramento ſignum eſt modicæ fidei.

Neſcio utrum quidquam apertius indigitet imminutionem fidei in Anima, quam negligentia inviſendi JESUM CHRISTUM in templis, ubi quieſcit. Tandem enim, ſi nobis perſuaſum eſſet, ipſum reſidere in tabernaculis, & Altaribus noſtris, futurus nobis Conſolator in ærumnis, medicus in morbis, patronus contra inimicos; profecto nos, qui in ſingulas ferme horas conquerimur de recenti aliqua adverſitate, & qui alioquin adeo ſolliciti ſumus in ſolatiis perquirendis, negligeremus ne medium adeo tutum liberandi nos a malis, quibus obruimur, & avertendi illa, quæ nobis impendent? Heu! Aggredimini nonnunquam prolixa itinera, ut Sanctorum reliquias veneremini. Peregre proficiſcimini quæſituri ea corpora, quæ ſingulari privilegio Deus a corruptione præſervavit; cum voluptate illa aditis loca, ubi pretioſum aliquod veræ Crucis fruſtum, aliqua coronæ Domini noſtri Spina, vel aliud aliquod Paſſionis ejuſdem inſtrumentum aſſervatur. Abſit, me damnare velle hujuſmodi devotiones: Reliquiæ, Corpora ſanctorum, illuſtria hæc organa, quibus Spiritus Sanctus uſus eſt, ad tot miracula operanda, digna quidem ſunt noſtra veneratione. Clavi, Spinæ JESU CHRISTI, & generatim, quidquid attigit Sacratum illius Corpus, & vel minimam habet cum adorabili ejus perſona rationem, peculiarem cultum meretur. Sed dicito mihi, quomodo conciliari poteſt hæc ſollicitudo, pro ceteris reliquiis, cum hoc Sanctæ Euchariſtiæ contemptu, cum illam nullo habeatis in diſcrimine? Hic habetis, non Sanctorum oſſa, ſed vivens, & animatum Corpus Sancti Sanctorum: hic habetis non Crucem, & Spinas, quæ deſervierunt Paſſioni JESU CHRISTI, ſed ipſum JESUM CHISTUM ſeſe pro vobis in ſingula momenta Sanctificantem. *P. Vaubert in Aſceticis exercitiis pro cultu JESU CHRISTI in Sancto Sacramento.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Ubi nam Chriſtianus eſt, qui, modo non omni careat Religione, non gauderet in Palæſtinam contendere, ſi poſſet, viſurus ea loca conſecrata præſentia JESU CHRISTI in vita ejus mortali; deoſculari Sanctam illam tellurem, ubi ille ſua impreſſit veſtigia, viſitare locos omnes, quos tot miraculorum fulgore inſignivit? Quo interni gaudii impetu ingrederemini in ſtabulum, ubi in lucem prodiit; in Cœnaculum, ubi, cum Apoſtolis ſuis, noviſſimum Paſcha celebravit, in Synagogas, ubi cæleſtem morum tradidit diſciplinam? Inde in Patriam reverteremini non contemplati Calvarium, ubi, pro peccatorum noſtrorum expiatione, obtulit vitæ ſuæ Sacrificium? Voſmet continere poſſetis, quominus lacrymis veſtris irrigaretis locum olim ſuffuſum Sanguine, quem Salvator non effudit, niſi ut vobis Cælum mereretur? Hæc omnia, Chriſtiani, habetis in Eccleſiis veſtris; JESUS CHRISTUS nonniſi pertranſivit ea loca omnia; ibi non eſt amplius, ſed elegit templa noſtra, ut ibi inſtauraret omnia mirabilia, quæ operatus eſt in vita ſua, & ut ibi vere uſque ad ſæculorum conſummationem permaneret. *Videte* hæc omnia Altaria in Dei viventis gloriam extructa; *ibi* quotidie pluries naſcitur JESUS CHRISTUS; ibi in gratiam veſtram, infinita operatur prodigia; ibi multiplicat Corpus ſuum, non ad explendam famem quadringentorum, vel quingentorum millium, ſed infinitatem animarum Chriſtianarum. Hic tandem dat etiam millies, ac millies Sanguinem ſuum, applicaturus vobis fructum Cruenti Sacrificii, quod in Calvario adimplevit. Cur ergo adeo infrequenter hæc templa inviſitis, & deſeritis locos jugi JESU CHRISTI præſentia ſanctificatos? theatrum innumerarum mirabilium actionum, & theſaurum pretioſiſſimarum cæleſtium benedictionum? Si hæc inquirenda eſſent procul, non deeſſent vobis, ſin minus veræ cauſſæ, ſaltem ſpecioſi prætextus; ſed noluit Salvator hoc vobis ſtare ſumptibus, aut laboribus, ut accedatis ad ipſum quidem adorandum, vos autem ipſos locupletandos, Habetis præ foribus ad duorum, vel trium paſſuum intervallum, templa ſemper aperta, tempus audientiæ non eſt conſtitutum; quacunque hora invenietis JESUM CHRISTUM paratum vobis audiendis, & recipiendis obſequiis veſtris, & ad ea, quæ petitis concedenda. O Salvator adorabilis, neſcirem ſatis admirari immodicam indulgentiam tuam; illud vero dolore me conficit, quod Chriſtiani, quin tanto bono utantur, potius abutantur, & facilitatem, quam illis tribuis, ut ex flagitiorum ſuorum cæno emergant, & ab illis abſtineant, illos reddere minus excuſabiles. *Idem.*

Temporis circumſtantia, quo Deus hoc inſtituit Sacramentum, indigitat majorem amorem in illo, & efficit minus pretioſus.

Dei Filius non inſtituit Euchariſticum Sacramentum, niſi ut hominibus oſtenderet magnitudinem amoris, quo illos proſequebatur. Ut hac de re noſmet perſuadeamus, conſiderandum eſt duntaxat tempus, quod ad illius inſtitutionem elegit, quod accidit ipſa nocte, qua tradendus erat, aliquot horas antequam incideret in manus eorum, a quibus erat crucifigendus; tunc enim cogitavit de pretioſo hoc depoſito hominibus relinquendo. Noſtis æque ac ego, quanti momenti ſint ea amoris monumenta, quæ ab amicis ultro citroque traduntur, cum mortis articulus prope eſt, & quo in honore illa haberi conſueverint. Hæc enim ſunt noviſſima, & cariora; atque validiora videntur. Cor, quamtumvis ab omni grati animi ſenſu remotum, non obliviſcitur illa, & quamvis alia amoris teſtimonia non majorem nacta fuerint gratitudinem; hoc reliquis præſtat, neque illius inſtauratur memoria, niſi cum fletibus, atque ſuſpiriis. Utrum ipſa natura loquatur, an ratio hanc nobis irroget legem, non intereſt; conſtat animam, quæ jamjam a ſuo Corpore ſeparanda eſt, quæ reſpicit quidquid eo in momento horridum, ac triſtiſſimum eſt, tunc excitare omnem Cordis affectionem, & efficere, ut acerrimi illius ſenſus erumpant: quod ſi

quis

quis in hoc ſtatu dat amico peculiare aliquid ſuæ bonitatis argumentum, vel aliquod donum in amoris ſui pignus; ab amico ſervandum in benevolentiæ monumentum; nonne verum eſt, noviſſimum hoc amoris teſtimonium morientis amici, majorem efficere debere impreſſionem in mentem, & cor, illud recipientis, a quo munus illud, tamquam pretioſiſſimum pignus habendum eſt? Talis ſenſus fuit Cordis dominici ad mortis intuitum, quæ illi verſabatur ob oculos, ſi dilecto diſcipulo fides eſt habenda: *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Dederat jam hominibus ſigna amoris ſui, lacrymas effuderat, effuderat Sanguinem, plurimos labores ſuſceperat, quavis die, quavis hora, quovis momento aliquod dilectionis teſtimonium illis præbuerat; ſed expectabat toties triſtes mortis acceſſus, ut plene ſuo ſatisfaceret amori, relinquens illis Corpus, & Sanguinem ſuum. Ut igitur nobis adſtrueret ſublimem conceptum muneris, quod confert nobis in hoc adorabili Sacramento Salvator, hoc a nobis conſiderandum eſt, tamquam certum, ac manifeſtum teſtimonium, quod nobis Mundi Salvator reliquit, ut illius recordaremur, idque eo ipſo tempore, quo ad mortem proficiſcebatur. *Ex MS. Sermone Patris Stephani Chamillard paulo immutato.*

Joann. 13.

Dei Filius nullibi majorem teſtatus eſt amorem hominibus, quam in hoc Myſterio, neque majorem ab illis ingratitudinem accepit.

Neſcio, Salvator amabilis, quomodo pares tibi gratiæ referri poſſint, ob amorem, quem nobis teſtatus es in Myſterio Euchariſtiæ, & quomodo ferendus ſit exceſſus ingratitudinis noſtræ. Fierine poteſt, ut tu, coram quo Seraphim, Majeſtatis tuæ luce perſtricti, ſeſe alis ſuis tegunt; coram quo beati Spiritus præ reverentia contremiſcunt, volueris eſſe delicias tuas, cum hominibus permanere, quamvis prænoveris, te indigniſſime ab illis acceptum iri? nunquam dediſti ſigna magis aperta amoris tui, niſi in hoc Sacramento. Sed majoribuſne uſquam contumeliis affectus fuiſti? Amor tuus in hoc Myſterio ad prodigium uſque procedit; ſed uſquequo noſtra procedit ingratitudo? per te, mihi liceat dicere, Domine, admiror bonitatem tuam, ſed portentoſa ingratitudo noſtra mihi videtur adhuc admirabilior, & ſi amor tuus eſt miraculum, & miraculorum omnium maximum; ego nihil ingratitudine noſtra monſtruoſius invenio. Ubi mecum reputo modos omnes, *quibus in* Sancta Euchariſtia dedecoratus *fuiſti; heu*, quam horrendum *ſpectaculum menti* meæ obverſatur! quot infideles te non norunt? quot hæretici blaſphemias evomunt contra te? quot procaces homines, & in omnem licentiam effuſi, Myſterium hoc ſibi vertunt in ludibrium? Quot impii profanaverunt Sacrum Corpus tuum, illud pedibus calcantes? Quamvis hæc ſint enormia; hi tamen inimici aperti ſunt, qui hiſce te afficiunt contumeliis. Saltem Chriſtiani, qui ſe fideles tibi eſſe gloriantur, eam tibi adhiberent reverentiam quam mereris; ſed heu! in hoc Myſterio factus es ſcopus omnium contradictionum hominum. *Vaubert in lib. qui inſcribitur: Aſcetica exercitia in honorem JESU CHRISTI in Euchariſtia.*

Deus in hoc Myſterio ſe dat ſingulis noſtrū peculiariter, ſed in Incarnatione ſe dedit omnibus generatim.

In auguſtiſſimis templis noſtris, quæ invenitur, Domine, ſolitudo majori diei parte! quotnam illuc non ingrederentur unquam, niſi cogerentur adſtituri Sacris, quæ ibi offers Patri tuo in gratiam eorum! ſed tandem cum in templum accedimus, hoc fitne, ut te veneremur? hoc maximo dolore cor meum tranſfigit. Cæli! quot irreverentiæ, & immodeſtiæ! illi ruſtice ingrediuntur, & præcipiti feſtinatione egrediuntur; hi oculos circumundique vertunt, excepto Altari, ubi quieſcis; quænam eſt plurimorum hominum poſitura? nonne videntur potius inſultare tibi, quem debent revereri? mulieres vero in templi modum ornatæ, nonne videntur accedere, ut thus, uni tibi debitum, auferant ſibi, potius, quam tibi adoleant? Heu! quot ſermones, & colloquia, ſaltem inutilia? quot obtutus, & noxia deſideria? quot . . . . reliqua dicere non audeo; me pudet hæc cogitantem. Cur mihi non licet mentem meam ab hujuſmodi abominationibus avertere? Cur illa præteriens, nequeo oculis etiam tuis eadem auferre? ſed heu! hæc vides Salvator amabilis, & hæc videns crudeli afficeris vulnere. *Idem.*

Dei Filius in Templis noſtris derelictus eſt, & qui illuc accedunt, non veniunt, ut illum adorent.

Nobis conſiderandum eſt, Salvatorem in Incarnatione ſua ſemel tantum factum fuiſſe hominem pro Mundo univerſo, cum interim in Euchariſtia de Cælo deſcendat in terram pro ſingulis noſtrum, quotieſcumque illum recipimus. Ille pro nobis eſt in Altari, & nos expectans orat, offert ſeſe Patri ſuo pro nobis; Cor ejus pro nobis flagrat amore, & nihil cupit magis, quam videre Cor noſtrum eodem igne ſuccenſum; ut ſe perfecte cum illo conjungat. O Salvator mi! quis ego ſum, ut de me cogites, & pro me tanta opereris miracula! Quid, cum Sacerdos profert Verba Sacramentalia, habes me præſentem ob oculos, & deſiderium ſanctificandi me efficit, ut de Empyreo deſcendas, & omnes naturæ leges evertas? Hei mihi! quid facere poſſum, ut tantum hoc beneficium rependam? Illud vero mœrore me conficit, quod deſcendens in Altaria noſtra, non melius plerumque exciperis, quam in prima tua Nativitate. *Idem.*

Amor Salvatoris erga homines efficit, ut maneat cum illis in hoc Sacramento.

Quantumvis indigne habitus fueris præteritis temporibus, & adſit periculum, ut paribus excipiaris, vis, o Salvator, inter homines in hoc divino Sacramento verſari. Quæ ratio te cogit, ut ita opereris? nequicquam illam quæro extra te; illa quærenda eſt in Corde tuo; nos amas, & amor inimicus eſt ſeparationis, atque abſentiæ: O quam admirabilis eſt amor tuus! per te mihi liceat hoc dicere. Opus eſt, o Salvator, ut oculis tuis vittam alligaveris, ne videas tot, tantaque moleſta, quæ æternum in te parere deberent Mundi hujus odium. Quam potens eſt, & quam induſtrius hic amor! Cum inter homines amicus ab amico recedit, non poteſt ad reparandum abſentiæ ſuæ damnum, niſi ad ſummum relinquere amico imaginem vultus ſui; ſed tu, Salvator mi, nactus es medium dandi te ipſum, & ubique præſentem generatim te exhibendi. O incomprehenſibilem amoris exceſſum! Sed hei mihi! quam differt mea agendi ratio a tua. Delicias tuas putas mecum permanere; & me tædet permanere tecum, mihique ſupplicii inſtar eſt aliquando per horam tecum verſari. Tu jugiter me exſpectas in templis; ego vero quin accedam ad te, tempus effluere patior in otio! Illud tero in vacuis viſitationibus; nihil tu faſtidis, non locum, nec tempus; ego vero omnia; cauſſor locum parumper incommodum, tempus parumper importunum me arcet a te. O hominis frigus! quot ſuppliciis dignus es. *Idem.*

Deo abſcondito præſtare debemus obſequium fidei noſtræ.

Quo magis latet Deus in hoc Sacramento, eo magis illum cognoſcere debemus; neque enim latet, niſi ad fidem noſtram exercendam, nobiſque merendi occaſionem tribuendam: igitur ad Altarium pedes nobis præſtandum eſt Deo noſtro obſequium rationis noſtræ, & omnia mentis noſtræ lumina, auctoritati Verbi ipſius ſubjicienda. Videlicet, quamvis ille inviſibilis ſit, opus eſt, ut, tamquam Moyſes, credamus illum ita firmiter, quaſi propriis oculis noſtris illum intueremur: *Inviſibilem, tamquam videns ſubſtinuit*; eique dicamus tanta fide, quanta olim Martha: *utique Domine, ego credidi, quia tu es CHRISTUS filius Dei vivi, qui in hunc Mundum veniſti.* Cum autem fidei lumen detegat nobis Deum in Altaris Sacramento abſconditum, quænam eſſe debet noſtra reverentia? Sancta correpti formidine, procumbere debemus, non ſecus ac ſeniores Apocalypſis ante thronum Agni, & cum illis clamare: *dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, honorem, & poteſtatem.* Ideoque eo magis, quod cum divinus Salvator in Mundum venit, ut opprobria, & humiliationes ſubſtineret. *Nonne oportuit hæc pati CHRISTUM?* inquit Sanctus Lucas Evangeliſta; ſed in Euchariſtia ille recipere vult obſequia noſtra, & adorationes. Tempus paſſionum præteriit, & vult a nobis firma fide, ſinceroque amore reparari *ſcelus Judæorum*, qui contempſerunt illum, *& oderunt, & perſecuti ſunt. Abbas de Monmorel ſerm. in Evang. 2. Dominic. poſt Pent.*

Ad Hebr. 11.

Apocal. 4.

Luc. 24.

J. C. nobiſcum tamquam amicis ſuis ſe gerit in hoc admirabili Sacramento.

Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos, hæc tua, Domine, verba ſunt, verba infinita tua bonitate digniſſima! Verba æque tibi glorioſa, ac nobis jucunda! Verba, quibus non uteris, ubi cum Angelis loqueris. Hos nuntios, hos legatos appellas, hique a Prophetis, atque Apoſtolis tuis, nonniſi Miniſtri, famulique tui appellantur; non vero *finis accedere quatenus tales ad Altare tuum, & colloqui tecum familiariter. Quis ego ſum, Domine? Ego amicus tuus?* quæ proportio inter te, & me? & tamen aliqua debet eſſe inter amicos proportio: quæ gratitudo mea? & tamen inter amicos eſſe debet gratitudo. Heu! tot noxæ in me, Domine, tot, ex parte mea, contumeliæ. Hæccine ſunt argumenta, quæ tibi amoris mei præbui, vel quæ a me tibi erant præbenda? Ah! intelligo te, Deus meus! ita mecum agis, non quod diligam te, ſed quod me, licet indigniſſimum, diligis; me habes tamquam amicum, non quod revera ſim, ſed quia vis me talem eſſe; vis dare te mihi, & in amabili Sacramento tuo, tamquam perfectus amicus, mihi vis eſſe omnia. Vis, tamquam paſtor, me paſcere; tamquam Dux, me ducere; tamquam medicus, me curare; tamquam patronus, mihi patrocinari; tamquam magiſter, me erudire; & audire me, tamquam familiaris meus; utque intimam efficias unionem inter te, & me, vis manere in me, ut ego maneam in te. Jucundius indicium tui amoris erga dilectum Diſcipulum tuum, fuit permittere, ut requieſceret ſuper pectus tuum; tu vero vis in Corde meo requieſcere. *P. le Valois, tom. 4. operum ſpiritualium, pro die feſto SS. Sacramenti.*

Quid perferendum fuit J. C. in hoc Myſterio ab impiis, & ab Hæreticis.

Quid perferendum non eſt Filio Dei, ut nobis amorem ſuum teſtetur in hoc divino Sacramento? Quid non patitur ab impietate tot ſceleſtiſſimorum, qui abutuntur Euchariſtia in tetterrimis profanationibus a tot hæreticis, qui auguſtiſſimum hoc Sacramentum ſibi convertunt in objectum blaſphemiarum; & ſcandali, maxi-

maximum divini amoris testimonium? Quid illi perferendum non est ab irreligione, vel potius insolentia tot pravorum Christianorum, qui terribilibus hisce Mysteriis ideo videntur adsistere, ut insultent humilitati Dei pro illis exinaniti? Quid non ferendum ab ignavia aliorum, vel qui per devotionis carentiam abstinent, vel qui cum magno tepore accedunt, vel qui in Altaribus nostris illum in tristi solitudine deserunt? Sed maxime queritur de contumeliis, quibus lacessitur a tot calamitosissimis, qui Judæ perfidiam instaurant, convertentes Passionis suæ commemorationem in redintegrationem omnium opprobriorum, quæ substinuit. Prævidebat ille omnia hæc mala, quibus semet objecisset, hoc adorabile Sacramentum instituens; sed festinatio veniendi ad nos, & corda nostra sibi conciliandi, causa fuit, ut omnes hos obices contemneret, & credidit humani cordis acquisitionem tot pœnis esse redimendam. *P. Nepveu tom. 2. Christianarum considerationum.*

Modica reverentia quam exhibent Christiani huic adorabili Sacramento.

Verum quomodo nam Christiani se gerunt erga adorabile hoc Sacramentum? ego quidem nil dicam; sed ut validius dicam, ad loquendum inducam D. Chrysostomum, qui temporum suorum impietatem condemnans, nostri hujus hypotiposim proponit, Miserum est, inquit ille, videre modicam reverentiam, quam Christiani nostris adhibent Mysteriis, & irreverentias, quas audent ad Altarium pedes committere. Ibi loquuntur, tamquam domi; ibi negotia sua agunt, & transigunt, tamquam in foro, & in plateis; ibi verborum blanditiis demulcent, tamquam in choreis; ibi rident, tamquam in theatris; ex quibus rebus arguit, Christianos adeo exiguam habere Altaribus reverentiam, quasi essent in circo, aut quasi Mysteria nostra pro fabulis haberent: quid autem dicere possunt hæretici, ubi templa nostra ingressi intuentur fidelium impietatem? nonne jure suo dubitant, utrum reipsa nobis sit persuasum de veritate, quam profitemur? Si Catholici vere crederent JESUM CHRISTUM adesse in Sacramento; ita ne illum exciperent? O Deus! Christiani, ubi nam est fides nostra, & nostra Religio! nunquam ne in vitæ nostræ ratione, præ nobis feremus *sensus religiosos*, quos primi Christiani fovebant erga hoc formidabile Mysterium? *Biroat in 2. serm. Octava sua.*

Zelus, quo Christianus honorare debet Salvatorem in Altaris Sacramento.

Anima, donec cultui Sancti hujus Eucharistici Mysterii attenta est, assequi debet Ecclesiæ sensum, & cum illa venerari Sacratum Corpus Salvatoris. Ecce, cuinam rei vacare debet, sed quid hoc sibi vult honorare Corpus Salvatoris? nempe adhibere illi cultum omnem, quem a nobis recipere potest in Altaris Sacramento; imitari Magdalenam, cujus peculiaris erat zelus honorare Salvatorem, cujus pedes lacrymis rigabat, eosque crinibus tergebat, effundens super illum unguenta, cujus factum, S. Thomas inquit, a Dei Filio commendatum fuit; quamvis ille vitæ hujus *delicias perhorresceret*. Similiter nosmet sæpe debemus coram *sacrato hoc Corpore* prosternere, eique ibi mille laudum *Sacrificia offerre*, & *mille interiores* adorationes, obsequia mille, & totidem actiones gratiarum identidem illi dicere; sed cum fide viva, & summo devotionis ardore. Corpus divinum, Corpus pretiosum, tu fuisti salutis meæ pretium; quid mihi faciendum est, quid facere possum, ut digne te colam? Ah! quandoquidem temet posuisti in Sacramento, ut ibi reciperes debitum gloriæ tributum, ego saltem *thure te colam*, mecunque trahere vellem quidquid *hominum est super terram*. Tales sunt sensus a nobis suscipiendi. *Pater Bourdalove tom. 1. de Myster. serm. de SS. Sacramento.*

Sensus animæ effundentis cor suum ad altarium pedes, ut Salvatorem in hoc Mysterio veneretur.

Bonus auctor narrat, Sanctam Animam divino amore succensam, cum quæreret recreare ignium suorum ardorem, magnitudine votorum suorum; inter hos impetus exclamare solitam fuisse: cur mihi non sunt, o Deus meus, linguæ mille, ut melius celebrare valeam divinas perfectiones tuas? cur non licet mihi omnia possidere corda, vel in meo colligere flammas, quibus alia omnia flagrant, ut perfectius, quam facio, te diligam? Cur non sunt in potestate mea universa imperia, coronæ, & sceptra totius orbis terrarum, ut omnia sacrificem, & immolem ad pedes Altarium tuorum? cur sola non habeo tot virtutes, merita, & perfectiones, quot habent *justi* omnes, qui in terris præliantur, & beati omnes, qui in Cælis triumphant; ut ego sola tantum gloriæ tibi procurare valeam, quantum a singulis peculiariter recipis! *Pater Segneri in 2. serm. Christiani edocti &c.*

Dei Filius in Divino hoc Sacramento usque ad excessum dilexit.

Si boni alicujus excellentia excitare debet desiderium illius; videretur fore ut omnes repleti essemus ardore erga Eucharisticum Sacramentum; quoniam continet auctorem, & fontem bonorum omnium; & JESUS CHRISTUS ibi maximas superat spes nostras, magnificentia, & affluentia gratiarum, quas ibi profundit. *Dona illius, etiam tua vota vicerunt.* Sanctus Bernardus ait ita, cum Sanctus Joannes narrat quid acciderit inter JESUM CHRISTUM, & Apostolos ea die, qua admirabile hoc instituit Sacramentum, initium facit per illa verba: *cum JESUS dilexisset suos, in finem dilexit eos*; quæ non significant solum, illum ad finem usque vitæ suæ perseveraſſe in amore, quo illos semper fuerat prosecutus; verum etiam illum produxisse amorem suum usque ad extremum, videlicet, quemadmodum S. Chrysostomus interpretatur, *nihil omisisse, quod vehementer amantem deceret*. Dimensus est gratias, quas nobis afferre cupiebat, juxta mensuram bonitatis suæ, quæ nullam habet mensuram. *Ex lib. qui inscrib. Ascetici Sermones, serm. pro feria 2. infra Octavam SS. Sacramenti.*

Joann. 13.

Excellentia Mysterii hujus Sacramenti, & justitia cultus eidem præstandi.

Quidquid fit in Ecclesia, ad Sanctam refertur Eucharistiam; hoc Sacramentum est Sacramentorum, Mysterium Mysteriorum, & miraculorum omnium maximum. Hic Pater æternus novum acquirit jus immensitatis; Verbum Incarnatum, novum gloriæ thronum, Spiritus Sanctus novum gratiæ principium; Angeli novum adorationis objectum; homines novum pignus immortalitatis, & universus orbis novum beatitudinis subjectum. Hoc est Mysterium, non quidem superstitionum, quales in Ethnicis sunt, non cæremoniarum inanium, quales sunt in Judæis; sed Mysterium, quod solum totam continet religionem, totumque cultum necessarium. Ne igitur intueamur, tamquam simplicem cæremoniam, cultum, quem Ecclesia tribuit per hosce dies Corpori JESU CHRISTI. Æquum est, ut per publicas plateas triumphali ritu deducatur in actionem gratiarum, quibus cumulavit Mundum universum, cum mortali in hac vita circuibat oppida, & pagos, deferens curationem, & sanctitatem quocunque. *P. Simeon a Virgine, Carmelita in serm. octava hujus argumenti.*

Nisi judicium ferimus ex eo quod fides nos docet, nihil persuadere nos potest Filium Dei in hac hostia contineri.

Cum oculos conjicio in Hostiam consecratam, fides me docet JESUM CHRISTUM Deum, & hominem in angusto hoc spatio contineri; sed si sensus, rationemque meam consulo, quodnam mihi testimonium perhibebunt? Ubi est divinum hoc Verbum, quod ex nihilo Cælum, terramque composuit? Ubi hic homo-Deus, qui super aquas incedebat, imperabat elementis, procellas mulcebat? quomodo probat suam præsentiam in Altari? Ubi hic vir miraculorum, qui curabat infirmos, cæcis oculorum aciem, mortuis vitam reddebat? quæro hunc Deum-hominem; scio hic esse; non video Potestatem, neque Majestatem, neque Magnitudinem ejus. Panem duntaxat video, & Panem non esse, fides testatur; oculos meos falli, & infidelis esse ferre de hoc judicium, secundum oculorum fidem. *Idem.*

Nihil commendat humiliationes Filii Dei in hoc Mysterio, sicut in aliis actionibus vitæ suæ.

Humiliationes Filii Dei semper libratæ fuerunt aliquibus glorioſis circumstantiis; in Altaris Sacramento, nihil est, quod eas commendet. In Præsepi Puer est, sed Angeli, & sydera illius incunabula Pastoribus, & Regibus detegunt; Circumcisionis gladius imprimit illi peccatoris characterem; sed infamis hæc nota feliciter magnitudine nominis obliteratur. Ad Jordanem venit ad baptismum, inter peccatores, recipiendum; sed Joannes Baptista, cujus testimonium Mundus universus venerabatur, fatetur, illum esse *Agnum Dei*, qui solus poterat tollere Mundi peccata. In deserto illum tentat Sathanas, sed Angeli ministrant illi; damnatur morte; sed Judex suus illum innocuum esse profitetur: admirabilis hæc mixtio, usque ad Aræ Sacramentum procedit, ubi nulla re extolluntur humiliationes ejus, sed econtra recentiores adhuc accedunt. *Idem.*

De Unione quã Dei Filius contrahit cum nobis in hoc Mysterio.

Quantum hoc est Mysterium! Dei Filius nobis tribuit Corpus suum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum, ut reipsa cum eo conjungamur; sanctam efficit Carnis suæ cum nostra mixtionem: sed augustum hoc Mysterium ab aliis Sacramentis distinguitur, quod in aliis sese nobis conjungit per gratiam, hic autem per seipsum. Hanc unionem comparabo ne cum illa communium alimentorum, quæ fiunt una eademque substantia cum corpore, quod vescitur illis? hæc est sententia S. Chrysostomi, & nonnullorum aliorum Patrum; sed indiget explicatione; non enim omnia sunt vera. Comparabo ne unionem hanc cum fermento, quod in farinæ massa incorporatum illam sua penetrat virtute? hæc sententia est S. Gregorii Nysseni; denique comparabone illam cum ea, quæ invenitur inter divinam humanamque naturam, in Verbi Incarnatione? hæc est S. Ambrosii animadversio. Verum est unionem Verbi cum nobis in hoc Mysterio personalem non esse, neque nos Deos facere; sed in hoc differt, quod in Incarnatione, Divinitas non est nisi homini uni conjuncta, & in Eucharistia Deus cum illis omnibus conjungitur, a quibus recipitur. *Idem.*

Dei Filius in Templis nostris desertus est.

Videtur Deus Aulam Cælestem relinquere cum nobis conversaturus; nos vero dies, noctesque illum sine comitatu, & sine colloquio relinquimus. Ad ægrone comitatu, & sine colloquio relinquimus. Ad ægrotos fertur, & nemo illum comitatur; clausus est in tabernaculis nostris, & nemo visitat illum ..... Vultis persuadere nobis, illum esse in tabernaculis vestris, dicere possent, qui oppositam profitentur Religionem; a vobis hæretici vocamur, quod id minime credimus; a vobis credere cogimur, a quibus nobis ansa præbetur credendi, dicendique id, ne a vobis

quidem

quidem verum putari. Si hic esset articulus de fide; nunquid pateremini integros elabi dies, quin ad ipsum adorandum accederetis? anteferetis inutile colloquium visitationi adeo perutili? hora una ad illius pedes ductâ, videreturne vobis sæculum? Templa vestra essent ne deserta adeo, & derelicta? *Idem.*

Dei Filius invitat omnes ad Eucharisticum Convivium quod præparat nobis.

Hoc est divinum Convivium, ad quod nos Dei Filius festinanter invitat. Nihil illi gratius est, quam plenam videre Mensam suam; immo illis etiam succenset, qui accedere abnuunt; tantaque est ejus indignatio, ut comminetur, se illos ab æterno Convivio esse prohibiturum. Unam duntaxat conditionem postulat; videlicet, ne quis sine nuptiali tunica accedat; hoc est sine gratia sanctificante, sub hac conditione divites, & pauperes bona, & mala utentes valetudine, perfecti, imperfectique admittuntur omnes. Hoc nobis testatur Evangelium, & nequicquam causari velles. Fateor nos indignos esse, qui fiamus participes Corporis adorabilis JESU CHRISTI, & Sacerdos, diebus omnibus, antequam illud fidelibus distribuat, eos monet. Sed per hanc conditionem, vel cæremoniam, quæ requiritur, Ecclesia quid sibi vult? Nunquid arcere nos a Mensa Eucharistica? Non ita sane, sed nobis sensus immittere reverentiæ, humilitatis, annihilationis coram tanta Majestate. *Idem.*

Dei Filius se in Eucharistia magis humiliavit, quam in Incarnatione.

Si ullum in religione nostra Mysterium est, quod mentibus stuporem injiciat, hoc est, in quo Deus appareat sub specie magis a cogitatione nostra aliena. Cum videtur Homo inter homines, omnes obstupescunt, & jure, & multi hoc credere noluerunt; nam quid est Deus, & quid homo, ut una tantum, eademque persona sit? sed multo majorem stuporis caussam habemus, cum videmus illum apparere sub figura Panis ab homine ipso comedendi. Etenim hominem tandem esse, saltem hoc est aliquid esse, coram homine, qui nihil videt majus, neque præstantius se in orbe universo; sed esse Panem, & Vinum hominis, ut sit cibus, & potus hominis, hoc est certe esse infra hominem. S. Paulus de Incarnatione loquens, dicere non dubitavit hanc fuisse veram in Deo exinanitionem; sed audacter dicere possem, JESUM multo magis semet in Eucharistia annihilasse. Verum est, hominem cum Deo comparatum nihilum esse,; dicere tamen possumus, Deum-hominem factum, *sese conjunxisse* cum natura spectabili, libera, intelligente, quæ divinitatis est particeps, quæ illi multum gloriæ potest tribuere, & quæ capax est amicitiæ, adspectus, & possessionis Dei; sed in Eucharistia conjungens se cum accidentibus infirmis, transiens per os hominis transmittendus in stomachum, mixtum cum humoribus, & corruptionibus corporum nostrorum; hoccine non est descendere ad extremum usque nihilum; vel saltem, usque ad humillimum gradum rerum creatarum, atque efficere semet eidem obnoxium corruptioni, atque putredini? saltem enim singularis humanitas ista, cum qua se conjunxerat, &, quæ extrinsecus apparebat, ostendebat quid illam substineret, & cujus esset. Admirabiles *qualitates, quas illi communicat Divinitas*, suavis oris Majestas, Spiritus, verba, actiones eximiæ, miracula, sanctitas doctrinæ, & vitæ, hunc hominem adeo extollebant supra ceteros, ut haberetur, tamquam persona minime vulgaris, & divina. Vidimus illum, S. Joannes ait, Verbum Dei inter nos, sed ibi visus est modo adeo glorioso, & tanta in luce refulsit, plenum gratiæ, & sanctitatis, ut cognoverimus illum Dei Patris Filium: *Vidimus gloriam ejus, quasi*

Joann. 1. *Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & Veritatis;* sed in Eucharistia nihil tale visum est; neque enim ibi apparuit divinitas, humanitas, potentia, pulcritudo, gloria, sanctitas; immo, neque motus, neque vita, quibus rebus omnibus seipsum exuerat. *Pater Andreas Castillon 1. serm. Octava sua.*

Filii Dei Incarnatio, proculdubio magna fuit humiliatio, quæ effecit, ut ille vitam pauperem, & laboriosam transigeret, & per crudele, atque infame supplicium traduceretur; sed tamen aliquando visa est desinere in victricem, fulgentemque resurrectionem; in vitam Cælestem, atque divinam; in gloriosam elevationem supra omnia corpora, & omnes spiritus; supra humanas, angelicasque potestates, atque super absolutum imperium in universum terrarum orbem, quod omnes cogit Creaturas, quæ sunt in Cælo, in terra, & in inferis, flectere genu coram illo, ut eum confiteantur, eique omnia præstent obsequia; denique vero ad supremam potestatem judicandi totum genus humanum, atque statuendi beatam vivorum, atque mortuorum æternitatem. Huc cessit tandem Incarnatio, quam S. Paulus appellat exinanitionem Filii Dei: sed Eucharistia e contra, postquam suppressit omnem gloriam Divinitatis, & Humanitatis suæ; postquam deformavit omnem Corporis sui pulcritudinem, illud constituens in statu maxime admirabili, & redigens omnem extensionem, & magnitudinem ad punctum, sub abjectis Panis, & Vini speciebus, tandem post hæc omnia demittit illum in stomachum nostrum consummandum, & annihilandum per nosmetipsos, quemadmodum dicit

Sanctus Dionysius Alexandrinus: *hæc est exinanitio Dei facta ad usum nostrum. Idem.* In Epist. adversus Paulum Samosat.

Cum deveniendum est ad novissimum hunc transitum, in quo Anima doloribus afflicta, stimulis suæ conscientiæ perterrita, ad accessum Mortis, divinique Judicii relinquit quidquid est in Universo, ac violenter divellitur a Corpore suo, ingressura in Regionem prorsus novam, in regionem incognitam, & per has tenebricosas vias ad Dei tribunal profectura, & suæ æternitatis sententiam auditura: Ah Deus! quinam terrores, quinam agones, quænam convulsiones, quænam inimicorum nostræ salutis insidiæ, quænam prælia, quinam impetus! quis sine metu superaret gradum hunc adeo terribilem? Nisi JESUS CHRISTUS ipse cum omnipotentia, & bonitate sua nos manuduceret, & traheret post se? Quandoquidem sacrum hoc Viaticum nobis de Cælo fuit datum peculiariter, ut certam faceret nostram perseverantiam; non oportebat, ut nos novissima hac hora relinqueret, in qua hominis infirmitas extrema est, & maxime violenti incursus; & quæ nihilominus concludit iter nostrum, coronat vitam nostram, & nostram constituit æternitatem. *Idem.* De Viatico a Christiano in mortis articulo recipiendo.

Deus in divino hoc Sacramento constituit præcipuum robur nostrum, & totam fere consolationem nostram, atque præsidium inter vitæ mala, & terrores Mortis. Hoc fortasse versabatur ob oculos Regii Prophetæ cum dicebat: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala.* Quia tu mecum es, & ego coram te, quisnam mihi poterit terrorem incutere? timere ne possum, vel mortem, vel infernum, quia vita Dei ipsius, & Paradisi Omnipotentia datur mihi? ambigere ne possum, utrum Cælum mihi fauturum sit, quandoquidem mittit ad me invisendum? utrum pateat mihi, quandoquidem supremus rerum Dominus ad me videndum descendit? timores, fragores, tristes mortis umbræ ne oculis meis ultra appareatis; ne ultra terribiles minas mihi intentetis. Ecce Judex, quem adeo terribilem exhibetis mihi, accedit me certum facturus Misericordiæ suæ; Ecce Salvator, qui affert mihi pretium salutis meæ; Ecce Rex gloriæ, qui venit ad recipiendum spiritum meum, illum in gloriam deducturus: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Tibi, Domine,* mecum reddo spiritum, in manus tuas illum remitto; tu illius Creator fuisti, illius Redemptor es, & spero te ejusdem fore glorificatorem. Quodnam solatium Animæ in agone positæ? quam suavis est mors homini, illam cum hujusmodi cogitationibus, expectanti! sed quam bonus nobis fuit hic Salvator, qui has de nobis fovit cogitationes! Sed quas fovebit adhuc, non tantum pro vita nostra, quantum pro morte. *Idem.* Ejusdem argumenti continuatio. Psalm. 22. Luc. 23.

Unum, proprie loquendo, nobis est negotium in Mundo, cui cetera omnia referuntur, vel debent referri; & est ad Deum tendere, & per sanctum vitæ genus, sanctamque mortem nos dignos efficere, qui ipsum aliquando in Cælo *possideamus. Viæ, quæ nos ad illum adducunt, aliæ profecto sunt pro varietate conditionum, quas homines* amplectuntur, & proculdubio, nullæ sunt magis difficiles, & impediriores, nisi quæ sunt sensibus jucundiores. Tamen omnes, si iisdem noverimus uti, tendunt in illum; sed cavendum est, ne fatigemur itinere adeo longo, molesto, & difficili incedendi semper, ac tandem perveniendi; quorum uterque effectus est divini hujus Sacramenti. Nam hic alit, roborat, consolatur, animat, sustinet, vires præbet Animæ atque *constantiam, usque ad finem: omnes incipiunt iter (de fidelibus loquor) sed* quotusquisque *illud perficit*, & absolvit? quia pauci uti norunt, quemadmodum opus est, hoc Viatico; plerique raro utuntur in vita; quapropter evadunt imbecilles inter tot tentationes, & in morte ægros nemo terrere vult, & ad extremum infirmitatis, & oppressionum spiritus, & corporis differtur Viaticum, cum vix illud cognoscere possunt, ejusque virtutem experiri. Hoc efficit, ut plurium Christianorum exitus sit maxime incertus, atque ita plerique, & in vita, & in morte destituuntur maximo subsidio, quod Cælum illis præparaverat, ut illorum salutem operaretur. *Idem.* Divinum hoc Sacramentum nos roborat in vitæ hujus peregrinatione ut perveniamus in Cælum.

Dei Filius ulterius ferre non potuit immensam Caritatem suam, quam se nobis præbens in Cibum. Non poterat dare nobis Epulas magis exquisitas; hic est Panis, qui de Cælo descendit. Panis hic non poterat melius distingui ab alimentis communibus, quam per id, quod Panis est vivus. Non poterat melius innuere admirabiles ejus effectus, quam dicendo illum communicare vitam æternam, & tandem non poterat nobis vividioribus, & validioribus verbis exprimere bonum, quod inde expectare debemus, quam affirmando, hunc Panem, & Cibum, quem nobis pollicebatur, esse proprium Corpus ipsius; nam, ut dicit S. Augustinus, Deus, quantumvis dives, & Magnus, non poterat dare aliquid pretiosius, quam dando illum ipsum, qui est Auctor bonorum omnium, & qui in se uno complectitur bonum, quod sperare possumus in Cælo, & in terra. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiana argumenta, in 1. serm. octava sua.* Præstantia doni quod Dei Filius mundo largitus est tribuens nobis suum Corpus.

Hominum stupiditas, qui adeo parum ex hoc tanto proficiunt beneficio.

O divine Salvator! quinam esse debent Cordis tui sensus, adeo teneri, & generosi, ad aspectum ingratitudinis hominum, quam prævides, hoc pacto te tradens illis? oportebat ne tot miracula operari, ut tam frigide, & nonnunquam etiam tam indigne recipereris? oportebatne, per amoris excessum, cum illis permanere, usque ad consummationem sæculorum? Ah Christiani! Si fides vestra nondum extincta est, illam inflammare conamini ad aspectum hujus objecti, quod ob oculos vestros versatur; mementote, hunc esse Deum vestrum; hoc esse Corpus, & Sanguinem suum, quod vobis in hoc tribuit Sacramento; & vos cum hoc Corpore, & Sanguine assequimini omnes divitias, & thesauros Divinitatis; hoc bonum est, quo frui potestis, & quod, in hac etiam vita, vos beatos potest efficere. *Idem*.

Fides detegit Deum absconditum in Eucharistia, eumque nihil hæsitans, credit.

Deus in Scripturis vocatur Deus absconditus; sed nequidquam absconditur; fides enim ubique detegit illum. Visus illius adeo acutus est, ut neque gloriæ illius splendor, neque Mysteriorum suorum obscuritas valeant fidei oculos fallere. Hæc illum cognovit nascentem cum infirmitate Corpusculi teneri, & mollis, pannis involutum, stratum in Præsepio, obnoxium infantiæ defectibus, hærentem uberi Matris. Magi agnoverunt illum in humiliationibus ortus sui, & quin miser status, ad quem illum redactum viderunt propter amorem suum, nequaquam fastidiant illum, palam immo profitentur, oblatis muneribus, ipsum Deum esse, Regem, & hominem. Latro vidit illum in Cruce pendentem, tamquam Reum, & agnovit eum pro Rege Cæli, & terræ, petens ab eo, ut aliquam sibi in Regno suo partem concedere dignaretur, & miles, cum vidisset illum magno cum clamore expirantem, audacter illum Dei Filium esse testatus est. *Vide*, *quam oculata sit fides; cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem*. Fides jubet nos illum adorare in his Mysteriis adeo humiliantibus; Caritas infinita, quam Deus ibi præsetulit, exinanitio profunda, ad quam Filius suus ultro sese redegit, & excessus bonitatis, quem per humilitatem JESUS CHRISTUS ostendit. Sed Fides detegit JESUM CHRISTUM in annihilatione magis incomprehensibili, videlicet in Eucharistia, quæ illum oculis nostris abscondit, & vocatur fidei Mysterium, quod elevatum est super sensus omnes, atque rationem. JESUS CHRISTUS ibi præsens est, per realem Panis, & Vini mutationem, quin turbetur Veritatis hujus fides, & quin penetrare audeat, quod latet. *P. Leonardus de Massiot, tract. de Sacerdotio, & Sacrificio JESU CHRISTI cap. 5. §. 3.*

S. Bernardus ser. 2. de Epiph.

Quantum humiliatus sit Dei Filius in hoc Sacramento.

JESUS CHRISTUS, ut in hoc adsit Sacramento, non descendit solum de suprema altitudine Dei, usque ad extremam hominis humilitatem; sed quidquid accepit a Deo, & ab homine, ibi ad nihilum redactum est; in hoc Mysterio loquitur nobis per Regem Prophetam: *ad nihilum redactus sum per amoris excessum, propter quem oblitus sum gloriæ, qua amictus eram in Cælo, ne vos amitteretis memoriam humilitatis, quæ in terris amica mihi fuit Virtus; quidquid sum, latet, & aliquo modo ad nihilum redactum est* in Eucharistia: *ad nihilum redactus sum, & nescivi*. Corpus meum, licet glorioſum, & immortale, non subsistit ibi, nisi quoad ibi subsistunt species Panis, & Vini, quæ sensibus, in hoc Mysterio percipiuntur, & quæ infirmissima sunt in natura, quibus utor, ut vos *persuadeam de vi amoris mei*, & desiderio, quo flagro, *humiliandi meipsum in hoc Mundo*, & vos excitandi ad humiliationum mearum imitationem. *Idem lib. 3.*

Psalm. 72.

Dei Filius magis humiliatus est in hoc Sacramento, quã in Cruce.

Quantumvis parum homines ad Eucharistiæ Mysterium advertant animum, illis facile erit videre, JESUM CHRISTUM ibi magis, quam in Cruce, fuisse immolatum. Verum est, humiliationem Dei morientis in Cruce, incussisse Angelis, & hominibus stuporem, qui integrum illis non reliquit exprimere sensus suos, ubi viderunt Calvarium rubescere Sanguine illius, & fieri theatrum opprobriorum, quæ ibi ille substinuit; sed quæcumque fuerit humiliatio illius in ceteris Mysteriis, in Eucharistia magis profunda, atque extensa fuit; sive ratione ipsius, quia, quidquid est, & quidquid habet, est quodammodo exinanitum; sive ratione loci, ac temporis semel humiliavit se in Cruce, ubi suum consummavit Sacrificium, quod nonnisi cum vita ipsius, erat perficiendum: Calvarius Jerosolymæ proximus ostendit spectaculum Dei, propter hominum salutem mortui; sed ejus humiliatio in Eucharistia, nullis circumscripta est temporibus, aut locis. Pergit seipsum humiliare in Ecclesia, quæ in universum orbem effusa est, & sub finem sæculorum duntaxat, sese exinanire cessabit, ut Christiani, ibi semper inveniant valida argumenta, illum imitandi in humiliationibus suis, quia quidquid ibi facit, tendit solum ad coercendam hominis superbiam, & illi inspirandum amorem humilitatis, quæ cum sit amica Virtus JESU CHRISTI, nos disponere debet ad illum recipiendum. Itaque Salvator, cum sit in statu adeo abjecto, tanta auctoritate, quanta, dum viveret, nos docuit, jubet ab eo nos mansuetudinem, & cordis humilitatem discere: *discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Idem*.

Matth. 11.

Fidelis per Eucharistiam se cũ J.C. conjungit.

Primum Filii Dei consilium sese per Incarnationem naturæ nostræ conjungentis, fuit, se per Eucharistiam unire in Corpore fidelium, eaque uti ad beatam extensionem unionis, quam fecit cum natura nostra, & unitatis, quam habet cum Patre, effectus admirabilis amoris JESU, qui non potuit nobis ostendere majori cum Caritate vim, atque extensionem hujus amoris, quo ille primus dilexit nos, quin sperare posset aliquam a nobis grati animi vicem. Verum est, adoptionis gratiam nos cum Deo conjungere, qui illius principium est; JESU CHRISTO, qui per Sacrificium suum eam nobis promeruit; sed non ideo minus verum est, fideles, per Eucharistiæ usum conjungi cum naturali Corpore JESU CHRISTI, quod in hoc Sacramento recipiunt, & qui in seipsis, tantam experiuntur mutationem, ut videatur JESUS CHRISTUS ibi aliquam feciſse extensionem Incarnationis suæ; nam per hoc Mysterium ille in nobis est, & nos in illo; ille vivit in nobis, & nos in illo. *Idem lib. 3. §. 2.*

Filius Dei in hoc Mysterio omnes collegit causas propter quas illum amare debemus.

In Eucharistia collegit JESUS CHRISTUS urgentissimas causas, quas dedit nobis ipsum diligendi, & ejus amor efficere debet, ut sentiamus hanc Caritatem, & hoc beneficium, quod cetera complectitur, & succendere in nobis divinum ignem, quo in hoc Mysterio ille consumitur . . . Nos diligit amore, qui aliquo modo infinitus est, & sine termino; quia est ubique, & in omnibus terræ locis, ut nos persuadeat, ac triumphet de cordis nostri duritia, quod illius benevolentia, & beneficiis non flectitur; ut nobis ostendat extensionem amoris sui, & desiderium, quo se a nobis amari cupiebat; nihil prætermisit eorum, quæ poterant ipsum nobis tradere cognoscendum, & nos ad amorem rependendum impellere. Regius Propheta dicebat Deo: *multiplicasti magnificentiam*; sed addere possumus, ipsum multiplicasse effectum Caritatis suæ, Eucharistiam instituendo; si enim in Incarnatione sua se conjunxit sanctæ Humanitati suæ, & naturæ nostræ, conjunxit se fidelibus omnibus, quos pascit Corpore, & Sanguine suo, ut in illis efficiat beatam primi hujus Mysterii extensionem. Spiritus Sanctus effinxit in Mariæ sinu Corpus JESU CHRISTI, ille producit, & reproducit semper, & in omnibus Mundi locis ministerio Sacerdotum; semel conceptus fuit in Nazareth, natus in Bethleem, mortuus in Calvario, & in Ecclesia perennat hæc Mysteria per Eucharistici Mysterii instaurationem. *P. Massiot lib. 4. cap. 12. de JESU CHRISTI Sacrificio.*

Psalm. 7.

Qua puritate nobis accedendum sit ad Mysterium hoc adeo sanctum.

Quinam requiritur amor, quæ puritas, ut divinorum horum Mysteriorum participes efficiamur? si enim quis accedit cum conscientia criminibus onusta, bibit simul Calicem Domini, & Calicem dæmoniorum, & sit societas cum ipsis, quin fiat cum Deo, cui offertur Sacrificium Filii sui, & cum JESU CHRISTO, qui Sacerdos est, & Victima suæ immolationis: *nolo autem vos fieri socios dæmonierum; non potestis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*. Heu! plerique fidelium Mundo inhærentes per noxium amorem, majorem præcipiunt ex funestis voluptatibus gustum, quam in omnibus deliciis, quas JESUS CHRISTUS illis, se propinaturum pollicitus est per Eucharistiam, nisi obstiterint amori ejusdem. Illi a Mensa ejus abstinent, & illius Calicem rejiciunt, Babylonis Calicem bibituri. Rex terræ subditorum suorum animos demulcet ostendendo se solum illis; & si addiderit illis officiosum aliquod verbum, nihil ultro requiritur, ut cogantur suum, pro illo, cruorem effundere; sed si eorum quempiam eligit suæ Mensæ assessorem, hæc est insignis gratiæ nota, quam amico suo valeat tribuere. Quomodonam ipsi minime afficiemur bonitate Filii Dei, ejusque humilitate, qui non solum adhibet nos convivas, verum etiam propria Carne pascit, neque perhorrescit ingredi in stomachum nostrum propius accessurus ad Cor nostrum, atque facilius eodem potiturus. *Eusebius Nierembergius in lib. cui titulus: Amabilis JESUS.*

1. ad Cor. 10.

Quomodo in unione quam habemus cum Salvatore nobismet proponere debemus exemplum unionem Verbi cum humana natura.

Nobis proponamus in exemplum unionis, quam habemus cum JESU CHRISTO in hoc Sacramento, unionem naturæ divinæ cum humana natura; mirabilem hanc unionem, quæ efficit ut vere dicere valeamus, quamvis actiones naturæ utriusque sint adeo diversæ inter se, tamen eamdem personam agere. Agamus etiam, & cogitemus, ita ut aliquo modo verum sit, illum qui in nobis cogitat, & operatur, esse JESUM CHISTUM; id cogitantes sentiemus nihil nobis aggrediendum esse, quod dedeceat infinitam illius puritatem, qui esse debet principium omnium operum, & omnium cogitationum nostrarum. Meminerimus nos illius esse membra; nobis non esse tantum carnem similem suæ, sed nos quodammodo efficere unum, & idem corpus, postquam nosmet transfiguravit in se per vim Eucharistici Sacramenti. *Idem*.

Repe-

Honor, qui Salvatori defertur in festo die S. Sacramenti.

Repetite antiquos illos Romæ veteris Imperatores, cum spoliis captivarum gentium onusti, trahentes Reges currui suo revinctos in Urbem totius orbis principem, se conferebant honoribus triumphi decorandi; tunc cum florebat quam maxime Urbis ejusdem splendor, ejusque cives Monarchis ipsis præcedebant. Spectaculum hoc, quo nunquam majus obtulit Mundus oculis cultorum suorum, & cujus spectatorem esse cupiit Magnus Augustinus, potesne comparari cum anniversario cultu, quem adhibet Ecclesia Deo huic in Aris nostris abscondito? Cum proponens illum populis adorandum, eique efficiens, tamquam universalem triumphum omnium locorum Christiano Imperio subditorum; inter sollemnia publicæ lætitiæ cantica opponit profundam omnium filiorum suorum venerationem blasphemiis, quas hæresis contra hoc venerabile Sacramentum evomuit? *Abbas du Jarry serm. de magnalibus JESU.*

Convivium Assueri repræsentat illud gloriæ & Eucharistiæ.

Non sine caussa Spiritus Sanctus in libro Esther nobis proposuit locupletissimam hypotiposim magni illius, magnificique convivii, quod Rex Assuerus Aulicis suis, & universo Populo instruxit. Hæc figura nobis repræsentat gloriam, cum qua Deus replevit innumeram multitudinem electorum suorum torrente deliciarum, & Eucharisticum Convivium, in quo Christianos sua adorabili Carne pascit. Deus in utroque est infinite magnificus, quia ibi exhaurit infinitos amoris sui thesauros pro hominibus, eosque, ut ita dicam, mutat in totidem Deos. Sed Eucharistiæ Convivium institutum est, ut nos adducat ad gloriæ Convivium, & manducamus Agni Carnem sine macula immolatam sub integumentis Sacramenti, ut digni efficiamur, qui sine velo contemplemur hunc eumdem Agnum in throno suo glorificatum. *Abbas du Jarry serm. de hoc Mysterio.*

Filius Dei in Eucharistia facit cum Justis, quod in Cælo facit cum Beatis.

Quod in Cælo est JESUS CHRISTUS ratione Beatorum omnium, hoc est in Eucharistia ratione omnium Justorum. Hic cibus est invisibilis, quo in hac lacrymarum valle vescuntur, & qui illos vivere facit fide in hac vita, usquequo hæc luminis semita, quæ illos in hac tenebrarum via deducit, in diem perfectam mutetur. Per transversum hoc adorabile velum, quo verus Moyses se tegit ad temperandum suorum splendorum nitorem, Israelitæ, *quantum possunt*, contemplantur Dei *Majestatem*, quin gloriæ suæ pondere opprimantur; in hoc Mysterio Anima justa captivans omnem vim intellectus sui sub jugo Fidei, & sepeliens omnia rationis lumina in abysso densæ hujus noctis; in hoc, inquam, Anima feliciter evanescens, invenit se cum incremento luminum divinorum, & supernaturalium, quæ sacrificavit. *Idem.*

Mementote, Christiani, beatæ illius cæcitatis, qua percussus fuit S. Paulus eo in lapsu, ex quo pœnitens resurrexit, postquam peccator ceciderat; nubem densam operuisse triduo Sancti hujus Apostoli oculos, cum interea JESUS CHRISTUS maxima in luce revelabat illi omnia Religionis Mysteria, & effundebat omnes veritatis divitias in hoc vas electionis. Hoc præter propter accidit animabus JESUM CHRISTUM recipientibus, cum viva fide. Spissæ ignorantiæ, & humanæ infirmitatis squammæ decidunt de oculis earum, divinæ veritates in beata luce illa apparent; ita ut, omnes dissipent dubitationes. Illæ, non secus ac Israelitæ, plura fruuntur luce, cum interea Ægyptii tenebris obvolvantur. Submissio fidei earum promeretur ipsis gratiam, quæ omnes dissipat nubes, & umbras; atque illæ inde percipiunt, veluti quoddam beatificæ visionis specimen, in quo Deum vident; non quidem per nebulam, & velut in ænigmate, sed facie ad faciem, & qualis est. Ipsæ quodammodo transferuntur ad Ostia Cælestis Jerusalem, ubi colligunt sancta cum aviditate guttas ex hoc voluptatis torrente emanantes, quibus Deus inebriat beatos in Cælo, & identidem consolatur justos in terra. *Abbas du Jarry.*

Felicitas, quam Eucharistiæ Mysterium nobis in hac vita procurat.

Beatissimum Christianorum Fatum! esse in ea Religione, quæ non solum tanta pollicetur, post hanc vitam, præmia; sed efficit, ut eorum etiam in hac quoque vita specimen quoddam percipiant! Beati, qui serviunt Deo tribuenti sibi inchoatam in Eucharistia felicitatem, quæ illos perducit ad consummatam beatitudinem, quæ inter labores prælii miscet victoriæ delicias, quæ de Cælo exquisitissimas pluere jubet dapes, & divinum Manna in deserto; quæ aperit ambulantibus versus terram hanc promissam nonnullos ex pulcherrimis fructibus, quos affert; quæ tribuit illis comedendum sub velamine Eucharistici Sacramenti hunc Panem Angelorum, quem manducare debent cum illis sine velo in Convivio beatorum. Ecce, fratres mei, magnum illud Convivium, quod Pater familias nobis instruxit, ut mulceret hujus exilii nostri labores: *Homo quidam fecit Cœnam magnam.* Nostra utitur voce, ut nos ad Mensam invitet; Ministri Domini, illius nomine, dicunt, Agni Nuptias vobis sua tendit brachia, & sinum suum ostendit vobis in Eucharistia; tamen Mensa *Domini copiosa est*, & viæ Sion lugent, eo quod *non sint, qui veniant* ad sollemnitatem. *Idem.*

Humanitas Filii Dei unum tantum occupans locum, quocumque se extendit per Eucharistiam.

Fatendum est, Salvatorem imitari Divinitatem per extremum hoc Mysterium, & profecto, quemadmodum Judæa sola possedit diutius Divinitatem (fidem intelligo veri Dei) habuit etiam glorioſam hanc prærogativam aliquandiu possidendi Humanitatem JESU CHRISTI; Deus enim, & invisibilis, & visibilis se primum aperuit illi; sed Divinitas, & Humanitas perfregerunt cancellos impositos sibi; Divinitas quidem, ubique præsens erat, sed non ubique se cognoscendam tradiderat, & Humanitas Filii Dei, quæ unum dumtaxat tenebat locum per Incarnationem, sese latius extendit per Eucharistiam; ita ut, per Mysterium infinitis aliis Mysteriis repletum, *Deus, qui sese coarctaverat, magis adhuc se coarctet, ut in omnia se loca extendat. Auctor recens.*



DE DIVINITATE, ET MAGNALIBUS JESU.

MONITUM.



Titulus hic, quem adjiciendum putavimus Mysteriis Salvatoris, esse potest duorum variorum Sermonum argumentum, qui tamen differant parum inter se, ut si aliqua illis forma tribuatur, aut modus aliquis illos tractandi adhibeatur, alter necessario ad alterum referatur. Etenim agine potest de divinitate JESU CHRISTI, quin ostendamus hunc fontem esse omnium magnalium ejus? per hoc a reliquis hominibus secerni? & infinite supra omnes meras creaturas extolli? Similiter potest ne sermo haberi de magnalibus JESU, quin repetatur fons, unde fluunt, quæ ipsa est Divinitas, ostendendo, illum quatenus hominem Deum, esse opus eximium Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei; necnon omnium mirabilium ejus compendium.

Quod tamen non prohibet quominus duo hæc argumenta seorsim valeant pertractari. 1. Loqui simpliciter possumus de JESU CHRISTI divinitate adversus Socinianos, quorum numerus nimis est magnus, & contra quamdam speciem irreligiosorum hominum, qui putant religionem meram esse politicæ inventionem; cujus argumenti sermo opportunus esset sancta Epiphaniæ die, per occasionem Magorum venientium ad cultum adhibendum huic homini-Deo, vel potius ipsa in Transfigurationis sollemnitate, ubi Salvator divinitatis suæ lucem ostendit. 2. Possumus etiam sermonem habere seorsim de magnalibus JESU, præsuppositâ Personæ illius Divinitate, eo festivitatis die, quæ de illius Nomine appellatur, & celebratur in Ecclesiis omnibus Patrum Oratorii JESU. Illustris eorum fundator Cardinalis de Berule fusius, ac doctissime de hoc scripsit argumento; ita ut alibi non esset mihi perquirenda materia, nisi hanc sparsam procurandam elegissem afferendi quidquid in aliis auctoribus de Divinitate JESU CHRISTI dictu dignum collegissem?

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopsis.

DIVINITAS JESU CHRISTI probari potest per tres perfectiones, quæ uni tantum Deo possunt convenire. Prima est Sanctitas Vitæ, quæ ex Confessione acerrimorum inimicorum ejus, nequit in suspicionem peccati alicujus vocari, & talis est, ut nemo unquam innocentius vivere potuerit, neque majorem præsetulerit cordis rectitudinem, neque ardentiorem divinæ gloriæ cupiditatem. Ratio altera procedit ex infinita ejusdem Sapientia, qua futura prospexit, & cordium secreta scrutatus est; nemo enim est, qui lucem inferre *possit in hanc abyssum* alteri cuipiam impenetrabilem: *nisi illi, qui ejus est auctor*. Tertia probatio desumitur ex absoluta, atque *universali potestate*, quam habebat super omnem naturam, & cujus nitentia miracula ostenderunt, ipsum illius esse Dominum, ideoque verum Deum. Ex tribus hisce perfectionibus desumi possunt rationes invictæ de JESU CHRISTI Divinitate.

Pro puncto primo dicere possumus, cum Salvator satis palam Judæis declarabat, se illum esse Messiam, *quem illi tandiu exspectabant*; Pharisæos, & Legis Doctores, qui *docebant fore*, ut Messias sub illud tempus appareret, professos esse testimonium ejus non esse admittendum, quia ille in gratiam suam hoc testabatur. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Joann. 8. Sed liquet, illos fuisse deceptos, & animi cupiditatem, qua incensi erant contra JESUM CHRISTUM, prohibuisse, ne ita judicarent de hac probatione, quæ persuadebat veritatem ipsius testimonii; videlicet actiones ejus esse irreprehensibiles, & prorsus sanctas, atque, ut dicam melius, omnino divinas; etenim quemadmodum de caussa ab effectis judicium ferendum est, debebant a vitæ, & actionum ejus Sanctitate inferre, ipsum esse justum, præcipue cum publice illos provocaverit, ut ipsum arguerent de peccato: ita dixit illis, postquam eis facultatem tribuit exercendi severissimam censuram in vitam suam, quod homo probitatis minus probatæ non ausus esset proferre, cum periculo, quod aderat, ut mendacii redargueretur, & deprehenderetur gravissimam omnium impietatem protulisse, cujusmodi est, sibimet supremum cultum vindicare, uni dumtaxat debitum Divinitati.

Pro secundo puncto, quod continet secundam probationem Divinitatis Domini, quæ desumitur ex scientia ipsius, per quam cognovit præsens, & futurum; & cordium secreta revelavit; certissima cognitione prædixit eventus, nonnisi post plura sæcula futuros, quæ omnino ex hominum pendebant arbitrio. Hæc cognoscere, & penitiores aperire intentiones, hæc sunt illa, super quæ Deus expandit velum humanæ menti impenetrabile, & cognitionem quorum sibi unice Deus reservavit. Nam, quod attinet ad futurum, nonne Scriptura palam professa est, hunc esse divinitatis characterem? *annuntiate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quod Dii estis vos.* Eccli. 42. Ubi vero agitur de secretissimis cogitationibus, atque intentionibus; nonne Apostolus in hoc constituit propriam Dei Sapientiam? *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus;* Ad Hebr. 4. inde igitur erui hæc illatio potest; illum, qui novit, prædixit, revelavit, quod uni dumtaxat Deo cognitum est, esse vere Deum; itaque hæc est proprietas Personæ suæ, esse Increatam Sapientiam, Verbum divinum, Patris æterni cognitionem; ideoque nihil illi incognitum esse. Verum est, aperuisse Deum nonnulla secreta aliquibus Sanctis novæ Legis, & aliquibus Legis antiquæ Prophetis; sed hi Prophetæ, & Sancti confitebantur, se recepisse hæc lumina a Deo; præterquamquod ad aliquos dumtaxat eventus coarctabantur; cum lumina Salvatoris ab ipso procederent, & si eadem ab æterno Patre recepissent, communicata fuerant illi cum ipsa natura, eidemque communia erant cum illo, & præterea sese extendebant ad objecta omnia; ita ea, quæ Prophetæ de illo prædixerunt, & ea, quæ ipse prædixit, & detexit per se, æqualiter probant illius Divinitatem. *Est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joann. 2.

Pro tertio puncto: Supremam videlicet JESU CHRISTI Potestatem super naturam universam, invictam esse Divinitatis suæ probationem, & infensissimos gloriæ, Nominisque sui inimicos cessisse huic probationi: profecto, quænam est magis evidens probatio veritatis Dei? hæc est aspectus omnium operum ejus, quæ nonnisi Omnipotenti manu fieri potuerunt. Tales sunt Cæli, elementa, totusque admirabilis Ordo, quem in natura videmus. Quamvis divina revelatio fuerit necessaria ad cognoscendam JESU CHRISTI Divinitatem; videtur nihilominus ipse hoc probare voluisse eo pacto, quo omnem auferre posset dubitationem; idque per opera, & prodigia, quæ naturæ vires excedunt, quemadmodum ipse ille Judæis exprobravit: *Si non veniissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c.* Matth. c. 10. II.

Quod pertinet ad magnalia JESU, institui potest justus, & eloquens sermo in illa S. Pauli verba: *donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen;* Ad Philipp. 2. ostendendo, Patrem æternum coronasse ipsum gloria, quæ est super omnem gloriam, dando illi Nomen, quod est super omne Nomen. Pro hoc argumento, suppondum est, ad hoc, ut vera producatur gloria in aliquo, quicumque tandem ille sit, tria simul requiri. 1. Illum verum habere meritum, quo spectabilis fiat; 2. Meritum hoc cognitum esse, & ab omnibus in pretio haberi. 3. Pretium hoc laudibus excipi, quæ probent judicium amplum, quod passim fiat. Sed ad ingentem hanc gloriam producendam, meritum esse debet, non vulgare, & distinctum. Æstimatio, quæ de illo habetur, concipi debet multa cum Sapientia, & Justitia; & laus debet æque esse magnifica,

fica, & irreprehensibilis. Sed ubinam inveniemus tria hæc, & solidiora, & fulgidiora, quam in Persona hominis-Dei, quæ complectitur quidquid refulget in Creatore simul, & Creatura? ostendum ergo est, tria hæc inveniri in JESU CHRISTO eo modo, qui illum non solum attollit super omnes homines; verum etiam super omnes sublimiores intellectus, & creaturas possibiles. Videamus ergo

1. Quomodo JESUS CHRISTUS possideat meritum, quod decet Personam hominis-Dei, accipientes hoc meriti vocabulum, non in arcta significatione, quæ nonnisi virtuti conveniat, sed extendentes illud ad ea omnia, quæ jure honorem merentur, & complectuntur qualitates reverentia dignas, perfectiones, & privilegia naturæ, tum divinæ, cum humanæ, munera, gratias, &c. quæ tamen ad certa capita redigenda sunt, ne argumentum nimis late patens sese impediat.

2. Quomodo æquo jure sibi adeptus est in terris æstimationem, quæ respondet dignitati tanti hujus meriti, seu per virtutes, sanctitatem, & innocentiam vitæ; seu propter magnitudinem operum, propter quæ habetur, tamquam magnus Propheta ab aliis, ab aliis vero veluti Messias promissus, & tot sæculis exspectatus; necnon ab Ethnicis ipsis, tamquam vir minime vulgaris.

3. Quomodo, quamvis illum teterrima fureret invidia, ille sibi conciliavit non solum laudes, & plausus Populorum, sed elogia magnæ huic æstimationi paria, idque ab omnibus gentibus, & maximis Mundi totius ingeniis.

III. Ut nobismet æquam instituamus ideam Magnalium JESU CHRISTI; hic considerandus a nobis est ratione Dei Patris sui, ratione hominum generatim, & ratione habita Ecclesiæ suæ.

1. Ratione Dei habita: ille est ejus substantialis, & coæterna imago, splendor gloriæ ejus, Filius Patri consubstantialis ab æterno. In illo, & per illum Deus seipsum videt, tamquam in speculo, sibique fingit ideam operum suorum: quinam est hic fons Magnalium ejus! ad hæc est etiam imago perfectionum Patris sui, tamquam illius creatura, secundum suam humanitatem. In illo, & per illum invisibilis, factus est visibilis, & Creator cognitus *fuit a creaturis* suis, &c. Addi potest *etiam*, *ipsum* Primogenitum esse omnium creaturarum, tamquam homo primus in mente Dei, cum omnia facta fuerint propter illum, primus prædestinatus, &c.

2. Considerari potest, ratione hominum generatim, quod constituit fontem alterum. Magnitudinum ejus; quoniam, quatenus Deus-homo, est humanæ naturæ Reparator, Salvator hominum, illorum mediator, noster Prototypus, & exemplum. Ille, cui nosmet conformare debemus ex prædestinatorum numero futuri; unde inferri potest, unum fuisse Deum-hominem, qui posset attolli ad tantum magnitudinis apicem, ut perfungeretur officiis omnibus missioni suæ inhærentibus.

3. Considerari denique potest, habita ratione Ecclesiæ, cujus Caput est, quemadmodum illum S. Paulus appellat. Illa educta fuit ex aperto latere, inquiunt Mystici, illius est summus Pontifex consecratus per unctionem divinitatis suæ in Incarnatione; regit, & deducit illam per Spiritum suum, illam sanctificat per Sacramenta a se instituta; ex ea mysticum sibi Corpus efficit, illam sua Carne, & Sanguine pascit, quem pro eadem effudit. Ille Primusscondus est omnium gratiarum, quas effundit Deus super membra omnia illam componentia. Ipse pax est militantis Ecclesiæ; liberator est Ecclesiæ patientis; corona, & gloria est Ecclesiæ triumphantis. Ecce amplissimum argumentum ad JESU magnalia ostendenda.

IV. Ut loquar de magnalibus JESU, de quibus omnes, qui haberi possunt sermones; immo etiam, secundum dilecti Discipuli locutionem, libri omnes, qui scripti, scribendique sunt de hoc argumento, nunquam satis digne loqui poterunt, ratus sum, ne memet infinito impediam argumento, operæ facturum pretium, si ad fontem ipsum ascenderem, qui est Divinitas ejus principium, fundamentum, & regula omnis magnitudinis ejus. In unum igitur colligam omnes illius perfectiones, ideoque elogia omnia, & quidquid magnum excogitari potest in JESU CHRISTO, uno verbo dicens, hunc Deum-hominem esse, non quod contendam persuadere vobis, per omnes probationes, ex Fide, ac Theologia depromptas, vel per omnia testimonia Cæli, ac terræ, omniumque creaturarum, sed ut vobis ostendam.

1. Hoc primum esse objectum fidei nostræ, & cum hæc veritas nunquam in dubium vocari potuerit, efficit Christianam Religionem prorsus sanctam, atque Divinam; nam ubi semel hoc fundamentum labatur, quemadmodum hæretici plures illud evertere conati sunt; christianismus tantum abest, ut legi antiquæ, & præsenti Judæorum Religioni præferendus sit, ut nonnisi verus, morusque idolorum cultus esset habendus.

2. Veritatem hanc, unicum esse spei nostræ fundamentum, ut asserit S. Paulus. *Non* enim *aliud Nomen* Actor. 12.
est, *in quo oporteat nos salvos fieri.*

3. Divinitatem JESU CHRISTI palam adeo pro vera recognitam, esse debere regulam nostræ Caritatis; videlicet amoris, quem debemus Incarnato Verbo, tamquam Deo nostro, super omnia: *modus diligendi Deum*, *est diligere sine modo.*

Tria sunt potissimum, quæ reddunt hominem reve- V.
rentia dignum, & quæ illi hominum æstimationem acquirunt; videlicet 1. illustre genus, & nobile, quale est Principum, & Regum; tunc vero præsertim, cum genus hoc regiis virtutibus, & qualitatibus congruis sustinetur. 2. Magnæ expeditiones, & dignitates, quæ illis conciliant auctoritatem, & potestatem, ut sibi obedientia adhibeatur; talis est dignitas Judicis, Magistratus, &c. 3. Præclare res gestæ, cujusmodi sunt domitorum terræ, & eorum, quibus feliciter cessere magna facinora, & opera gloriosa. Filius autem Dei hæc tria in sua Persona collegit. Ipse magnus est ortu; seu æterno, quoniam æqualis est æterno Patri gloria, majestate, & omni genere perfectionum; sive temporali; namque inter majores suos numerat Reges quatuordecim, & vi divinæ Filiationis est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Magnus est officio, pro quo in terram descendit, & propter dignitatem Salvatoris, Reparatoris humani Generis, Mediatoris hominum apud Deum, &c. Magnus denique est, propter opera sua magna, sicut opera ingentia, quæ unus ipse exequi poterat, cujusmodi sunt evertere dæmonis imperium, Idololatriam ex Mundo auferre, Patris sui gloriam reparare, Religionem statuere, quæ Mundum universum posset sacrificare, &c.

Quamvis titulus, & qualitas, quam Filio Dei tri- VI.
buit Apostolus, cum illum vocat omnium creaturarum Caput, & Ecclesiæ potissimum, *ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*. Quamvis, inquam, hic titulus partem dumtaxat constituat magnalium Verbi Incarnati Dei simul, & hominis, non *verebor tamen* qualitatem hanc considerare, *tamquam illam*, quæ majorem habeat cum *nobis rationem*, & ceteras etiam *ad illam referre*, & *sub hoc glorioso titulo inspicere*, qui nobis ostendit, 1. Quomodo ipse super nos elevatus est, immo etiam super sublimiores intellectus, ut idem innuit Apostolus: *Supra omnem Principatum*, Ad Ephes. 1.
& Potestatem, *& Virtutem*, *& Dominationem*, *& omnia subjecit sub pedibus ejus*, *& ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam*, quod nobis ostendit, quam sublimes sensus erga illum inspirare debeat nobis tanta hæc magnitudo. 2. Quomodo nos considerare cogat arctam unionem, quam habere debemus cum illo, tamquam membra illius, quod constituit fontem magnitudinis nostræ, nostrorumque erga Deum meritorum.

Pro priori parte, *quæ sita est in ostendenda hac qualitate capitis*, *quæ nota est* magnitudinis Incarnati Verbi, satis est animadvertere, Caput, cujuscumque naturæ illud sit, & cujuscumque corporis, semper habere tria, quibus a ceteris membris distinguitur; videlicet eminentiam, vel celsitudinem, supra cetera; plenitudinem, quia in Capite omnes facultates, & sensus colliguntur; & tandem influxum, per quem fovet commercium inter illa. Hoc videtur in omnibus corporibus; ubi *invenitur commixtio quædam* diversorum membrorum, *illa componentium*, seu in corpore naturali, seu *politico in ditione*, & exercitu, in familia, & quacumque sibi libet *societate*. Dicere igitur, Filium Dei esse Caput nostrum, est dicere, illum infinite sublatum esse super nos, per gradum, quem illi tribuit dignitas ista; est fateri, in ipso esse plenitudinem perfectionum, quæ ad munus hoc præstantissimum sunt necessariæ; est tandem confiteri adesse legitimam, & naturalem super nos auctoritatem. Hæc ea sunt, quæ illius magnitudo operatur erga homines, quin de illa verba faciamus, quam ab æterno habet in sui Patris sinu. Ut autem enucleatius hoc in parte priori innotescat; ostendendum est, 1. necessarium *fuisse*, ut attolleretur supra nos perfuncturus muneribus, & officiis Capitis nostri, quæ sunt, *saluti nostræ* prospicere, mediatorem nostrum esse, exemplum, Ducem, &c. nam propter hæc omnia oportebat illum simul hominem esse, & Deum; ut Personæ dignitas infinitum tribueret pretium actionibus ejus, facilem accessum ad mediationem, æquum pondus exemplo, justam æqualitatem sanctificationibus suis, ac tandem satis validam intercessionem, ad obtinendum per merita sua, quidquid petere posset pro nobis, quod simul significat eminentiam, & superioritatem hujus Capitis; ideoque illius magnitudinem. 2. Plenitudo perfectionis, quæ esse debet in Capite, invenitur in Salvatore, quatenus Caput nostrum est; hoc nos docet Apostolus, per hæc verba: *in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Ad Colos. Plenitudinem divinitatis in illo habitare, & consequenter fontem omnium perfectionum, & *cum* dicit *omnem* nihil excipit, cum dicit *plenitudinem*, intelli-

git,

git, illum non recepisse gratiam, vel Spiritum Sanctum in mensura, quemadmodum alii receperunt; sed tantam, quantam capere poterat. Denique cum addit *corporaliter*, intelligit, ipsum illam possidere, tamquam Deum-hominem, cum plenitudo hæc deberetur illi, quia, quatenus Caput nostrum jugi influxu illam effusurus erat in membra. 3. Tertia Capitis proprietas est, effundere in membra vim, potestatem, & virtutem agendi, cum motu, & vita. Hoc in sensu, S. Joannes asserit, Incarnatum hoc Verbum, tamquam Caput nostrum, communicare nobis gratias, virtutes, & omnia supernaturalia bona, de quibus unice quæritur: *de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Facile est hinc elicere fructus, & illationes.

Pro parte altera. Si talis est relatio inter Caput, & membra, ut omnia illis communia sint, necessario consequitur unius dignitatem esse gloriam alterius, & sicuti qualitas capitis ostendit incomparabilem magnitudinem in Verbo Incarnato, reciproce ajo, universam, veramque hominum gloriam, & magnitudinem esse adhærere illi, quatenus membra. 1. Quia per hanc unionem contrahimus cum illo affinitatem, quæ quodam in sensu, attollit nos super Angelos, hac prærogativa destitutos. 2. Quia hæc affinitas nobis tradit medium acquirendi, per gratiam naturæ similitudinem. 3. Quia in virtutem hujus unionis sequemur Caput nostrum in gloria, ubi illi similes erimus, per unionem transfigurantem, atque divinam.

VII. Sicuti in hoc Mundo nihil agnoscimus majus, augustius, venerabilius Regis nomine, & regia dignitate, ratus sum, me non posse nobiliorem, & æquiorem vobis adstruere ideam magnalium JESU, quam vobis illum exhibendo, tamquam supremum Cæli, terræque Regem. Hoc Nomen illi tribuit Scriptura, cum celebrare vult dignitatem ejus, titulo satis digno, vocans illum Regem Regum, & Dominum Dominantium: Nomen, quod Angelus distincte declaravit Sanctæ ejusdem Parenti, eo momento, quo nunciavit ei Altissimi Filium ex illius utero nasciturum. *Et erit magnus, & dabit illi Deus sedem David Patris sui, & regnabit in Domo Jacob in æternum*. Hic honoris titulus datus illi fuit paucis diebus, postquam in lucem editus fuit ab iis Regibus ipsis, qui ad eum colendum accesserunt: *ubi est, qui natus est, Rex Judæorum*. Nomen, quod profecto renuit, dum viveret, ita ut fugam capere voluerit, cum sibi imponeretur, quod tamen confessus est coram Pilato: *tu es Rex Judæorum? tu dicis*. Nomen, ac titulus, quem illi detulerunt per irrisionem Judæi; sed qui, illis invitis, impositus fuit Cruci, non sine manifesto Mysterio, ut inter ignominiam mortis suæ, gloria coronaretur, ut inquit Apostolus: *Videmus JESUM per Passionem, gloria, & honore coronatum*. Modo tandem Rex gloriæ vocatur, quo nomine Cælum, ac terra personuit, *die triumphalis ejusdem* Ascensionis: *quis est iste Rex gloriæ*. Titulus magnitudinis simul, & gloriæ; quoniam, & merces est meriti sui, & signum elevationis suæ, usque ad altissimum magnitudinis apicem, qui est sessio ad dexteram Patris, ubi angelicis, humanisque adorationibus decoratur. Per vos igitur licet mihi concinnanti elogium magnalium divini hujus Hominis, illa omnia complecti sub titulo Regis, & Domini universorum. 1. Qualitas, quæ ad illum pertinet, jure divinæ Nativitatis; cum enim sit Filius æterni Patris, eique par Sapientia, Potestate, Majestate, eamdem habet auctoritatem, eamdemque possidet magnitudinem, quam confiteri debemus adorationibus, reverentiis, & obsequiis.

2. Rex est, & possidet, per electionem, hoc Nomen. Cum omnes creaturæ, Angeli, & homines, Cælum, & terra, ultro semet subjecerint legibus suis, simulac dignitas, meritum, finis, propter quem missus fuit, innotuerunt. Nam, quamvis Regnum illius non sit de hoc Mundo, quippe quod prorsus est Spirituale; tamen per universum Mundum se extendit; nam Ecclesia, quæ proprie ejus ditio est, effusa est quocumque, sine ullis locorum finibus, sine ulla personarum exceptione; quoniam ipsi Reges terræ, illi subditi sunt, & sine ullo durationis limite, quoniam æternum est Regnum ipsius. Verum est, hanc electionem proprie loquendo, non tantum ex parte hominum, quam ipsius, esse profectam, ut regnent æternum cum illo in Cælo, post hanc vitam. Sed huic appositæ est conditio, videlicet, si in hac vita illi fideles fuerint; igitur nostrum est videre, utrum ex hoc numero simus; an potius simus rebelles subditi clamantes cum Judæis; *nolumus, hunc regnare super nos*. Illum quidem in Regem nostrum elegimus, & per baptismum facti sumus subditi illius; sed hoc accidit, postquam ipse elegit nos; & nisi fidelem illi servierimus servitutem in finem usque, nunquam erimus ex numero electorum ejus, ad cælestem hæreditatem.

3. Tertio in loco Rex est alio titulo, videlicet per acquisitionem, eo quod evertit dæmonis imperium, Idolorum cultum exterminavit, novam Religionem instituit, novam Legem Mundo irrogavit, & Mundi faciem mutavit, efficiens, ut mutaret Regem, & Dominum.

Sermo de magnalibus JESU aliter, ac simplicius VIII.
efferri potest;

1. JESUM CHRISTUM, magnum esse per se, ac per naturam suam, quia Deus est, & consequenter infinitus in omni genere perfectionum, vel potius quia est ipsa magnitudo; ita ut nihil sit magnum, nisi quatenus ad ipsum refertur, & ad hanc supremam Majestatem accedit.

2. Quatenus homo-Deus magnus est, propter eminentes qualitates, quas possidet; namque ut Apostolus asserit, omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in eo continentur, omnia bona, omnes gratiæ, omnia divinæ, humanæque naturæ privilegia in supremo gradu, in hoc homine-Deo reperiuntur.

3. Magnus est, propter Ministerium, & suum finem, pro quo missus fuit, scilicet ad Mundum salvandum, & sanctificandum.

Re adhuc integra, videbor fortasse vobis, Audito- IX.
res Christiani, viam arripere longe oppositam consilio, quod mihi est ad vos loquendi de magnalibus JESU; si initium fecero ex ejusdem humiliationibus; sed, cum mihi proposuerim sequi Apostolum, quo nemo sollicitius gloriam quæsivit hominis-Dei, in hoc elogio instituendo; & cum aliunde Salvator ipse nobis tradiderit pro regula, & veræ gloriæ fundamento humiliationem, & humilitatem: *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur*; reor non posse me æquiorem assumere supremæ ipsius JESU CHRISTI elevationis mensuram, tribuentis nobis hanc legem metiendi gloriam, quam Judicium ferendo de gloria sua, ex ipsius humiliatione, & dicendo cum eodem S. Paulo: *humiliavit semetipsum, propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen*. Ad Philipp. 2.

Ut hanc veritatem in lucem proferamus, sciendum est JESUM CHRISTUM semet humiliasse tres ob causas, quæ illi fuerunt totidem suæ magnitudinis fontes. 1. Humiliavit se in persona sua faciens se hominem, & se in rerum creatarum ordine constituens, quæ humiliatio tanta fuit, & tam profunda, ut Sanctus Paulus illam *exinanitionem* vocare non dubitaverit: *exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Non quod Deus esse cessaverit; nam quamvis Deus sit, constituit se in gradu Entium Creatorum, quæ sunt totidem nihila coram ipso; ita ut, creaturæ humilitas resiliat super ipsum Deum, & infirmitas Entium creatorum tribuatur Deo, & nihilum essentiæ nostræ finitæ, & coarctatæ in Deum relabatur. Humiliatio, iterum dicam, quæ non potest melius exprimi, quam nomine exinanitionis. Ad monstruosam hanc autem humiliationem attollendam, jure ipse Apostolus asserit: Deum Patrem suum imposuisse illi Nomen super omne Nomen, & dedisse illi dignitatem, & ordinem superiorem rebus omnibus creatis, & quia induerat formam servi, constitutus fuit Dominus, & universorum Imperator; & quia se creaturam fecit, occupat locum super creaturas omnes possibiles, & excogitabiles: *donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen*; & propter supremam hanc magnitudinem, oportet, *ut in Nomine JESU omne genu flectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum*.

Alterum, in quo hic Salvator humiliatus est, fuit ratione loci, quemadmodum ille nos docuit. Humilitatis Causa, novissimum locum eligendum esse, ibique immorandum, ut qui nos ad convivium invitaverit, majorem conferat honorem, jubendo nos altius ascendere, & collocando nos eo in loco, qui maxime deceat meritum nostrum. Hoc illud est exemplum, quod Dei Filius dare voluit nobis; postquam enim reliquit Cælum, ut cum hominibus permaneret, receptus fuit, tamquam ignotus, locum non habens, in quo habitaret, coactus in stabulo nasci, & toto vitæ suæ intervallo, ne angulum quidem terræ possidens, cujus dominium obtineret; denique, cum ad humiliationis suæ cumulum descendisset, usque ad terræ centrum, post mortem, non habens locum humiliorem, ascendit; quemadmodum Apostolus animadvertit: *quis est qui ascendit, nisi qui & descendit primum in inferiores partes terræ?* ex quo mox infert, ipsum elevatum fuisse usque ad verticem omnium Cælorum, & positum fuisse ad dexteram Patris. Hic locus est, quo rebellis Angelus, per noxiam ambitionem, voluit ascendere, sed qui debetur illi tantum, qui extremum tenuit locum in terra; ita ut, hic Deus-homo, qui in Mundo novissimam elegit sedem, tamquam omnium novissimus, nunc teneat primum Empirei solium, qui altissimus est gloriæ gradus, & nota magnitudinis, qua distinguitur ab Angelis, & hominibus. Ad Ephes. 4.

Tertium illud, in quo Salvator seipsum in hoc Mundo dejecit, & humiliavit, est in honore, & existimatione sua, cum perpessus fuerit teterrima opprobria, calumnias contumeliosissimas, injurias, improperia, irrisiones, & quæque indignissima. Traductus fuit, tamquam seditiosus, nebulo, sycophanta, & ne-

quam,

quam, cui esset commercium cum dæmoniis. Ita illum inimici sui traduxerunt coram hominibus, auferentes illi antea famam, quam vitam, verum dicamus etiam, humiliationem hanc, quæ procul dubio est maxima, esse modo fontem maximæ gloriæ suæ, quoniam Nomen ejus fertur quocumque ejus Divinitas in pretio est, millia in honorem illius templa extruuntur, omnia aperiuntur ora ad prædicandam gloriam suam, & postquam contemptus fuit, & habitus tamquam terræ vermis ab omnibus populis, nunc tamquam verus Deus adoratur; honor, gloria, magnitudo, quam Cælum, terra, Angeli, & homines summa cum reverentia, & eo, quem illi debent
1. Ad Tim. 1. grati animi sensu promulgabunt. *Regi sæculorum immortali, soli Deo honor, & gloria.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde peti potest rerum copia, & Auctores de hoc argumento tractantes.

Sancti Patres. SAnctus Augustinus *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 4. probat JESUM servasse formam Dei, & formam servi, sine confusione, & perturbatione.

Idem *lib.* 2. *de actis cum Felice* ostendens æqualitatem Patris, & Filii in persona JESU CHRISTI, docet hunc, excepto peccato, esse hominibus parem.

Idem *lib.* 6. *contra Felicianum cap.* 10. enumerat perfectiones Dei, quas JESUS CHRISTUS possidet, tamquam Deus, & perfectiones humanas, quæ in persona ipsius divinizatæ fuerunt.

Idem *Epist.* 102. *ad Evodium*, loquitur de idiomatum communicatione, & usus communi similitudine Sermonis explicat, quomodo dici possit, Deum fuisse crucifixum.

Idem, *in tractatu suo in S. Joannem cap.* 16. verba illa, *Pater, & ego unum sumus.*

Idem *in Joannem serm.* 3. ostendit JESUM CHRISTUM passum non esse, per impotentiam, nam in ipsa Cruce ostendit se esse Deum.

Idem *serm.* 120. *in Joannem*, fusius agit de JESU CHRISTI Divinitate, & *serm.* 118. explicat, quomodo, Verbum Divinum se humiliaverit, ut nos attolleret.

Idem *serm.* 215. *de divers.*, explicat, quomodo JESUS CHRISTUS sedeat ad dexteram Patris.

Idem *serm.* 45. probat JESUM CHRISTUM esse caput Ecclesiæ.

Idem *in Exodo* probat JESUM CHRISTUM esse magni consilii Angelum.

Idem *serm.* 53. *de divers.*, enumerat diversa nomina, quibus JESUS in Scripturis vocatur, & quæ magnitudinem ejus ostendunt.

Idem *lib. de Innocentia vera cap.* 34. probat opus fuisse, ut Dei Filius homo fieret, ut homines ad Divinitatem extolleret.

Idem *lib.* 6. *de quinque hæresibus cap.* 5. ostendit Prophetas, & Apostolos loquendo de JESU CHRISTI Divinitate, consensisse.

Idem *de agone Christiano cap.* 18. probat, Divinitatem JESU CHRISTI, ostendens Verbi Divinitatem, per unionem humanitatis, non esse pollutam.

Idem, *in Epistola tota ad Volusianum*, probat, eximia similitudine, Divinitatem JESU CHRISTI cum humanitate conjunctam.

Idem *serm.* 58. *de verbis Domini*, fusius loquitur de generatione JESU CHRISTI, tamquam Dei, & de Conceptione ejus, tamquam hominis, & ait: ab illo creatum fuisse Adam in Paradiso.

Idem, vel alius auctor inter opera illius *de Fide ad Petrum*, probat JESU CHRISTI Divinitatem per Prophetas, & novum testamentum; & ostendit ipsum, Divinitatem quidem ab æterno Patre; humanitatem vero accepisse a Maria.

S. Chrysostomus, *contra Gentiles, quod CHRISTUS sit Deus*, probat in toto illo tractatu, Divinitatem JESU CHRISTI, præsertim per miracula, & contradictiones adversariorum.

Idem *Homil.* 66. *ad Populum Antiochenum*, enumerat ordine longo actiones JESU CHRISTI, & effectum Apostolicæ prædicationis; unde concludit, illum verum esse Deum.

Idem, *Homil.* 37. *in Matth.* hæc applicat verba: *Tu es, qui venturus es . . . & cæci vident &c.* Divinitati JESU CHRISTI.

S. Epiphanius *hæresi* 71. *contra Photinianos*, JESUM CHRISTUM fuisse probat ante Incarnationem, ut arguat, non solum hominem esse, sed & Deum, & hominem.

S. Justinus Martyr *de recta confess.* loquitur de æqualitate Verbi Incarnati cum Deo Patre, & *in respons. ad Orthodox. resp. ad quæst.* 144.

S. Hyppolitus Episcopus, & Martyr, apud Theodoretum dialogo 1. probat impeccabilitatem JESU CHRISTI tamquam effectum suæ Divinitatis.

S. Appollinaris *lib. compendiario*, apud Theodoretum *dialogo* 2. ubi probat mutatam non fuisse Divinitatem, neque Humanitatem, per unionem hypostaticam, sed duas hasce naturas conservasse suas proprietates.

S. Gregorius Magnus *Homil.* 9. *in Evang.* probat Divinitatem JESU CHRISTI.

Idem *Homil.* 29. latius tractat idem argumentum.

S. Hilarius *lib.* 10. *de Trinit.* ipse quoque prolixe de hac re agit.

Origenes *Hom.* 6. *in Gerem.* probat JESUM CHRISTUM esse splendorem Patris, & Salvatorem, per unionem utriusque naturæ.

Idem, *contra Eunomium*, idem tractat argumentum.

S. Athanasius *Orat. de Incarnat. CHRISTI*, probat invicte Salvatoris Divinitatem.

Idem *serm.* 6. & 7. ostendit, per duplicem naturam, quæ est in JESU CHRISTO, illum esse Deum.

Idem in *Epist. ad Maximum Philosophum*, & *Orat.* 3. *contra Arianos*, tractat idem argumentum.

Eusebius *lib.* 4. *de demonstrat. Evangel.* de hac re agit.

Tertullianus *in libris de Trinitate*, probat JESU CHRISTI Divinitatem.

S. Ambrosius *in illud Matthæi* 27. *Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce*, probat in Cruce præsertim JESUM CHRSTUM probasse suam Divinitatem.

Arnobius *in l. contra gentes*, & S. Justinus *in dialog. contra Triphonem*, probant multis argumentis JESU CHRISTI Divinitatem.

S. Leo *in Epistola* 24. *ad Flavianum*, multa habet, quæ mirum in modum probant Divinitatem, & humanitatem JESU CHRISTI.

S. Gregorius Nyssenus *in* 1. *Orat. pro die Paschatis*, probat JESUM CHRISTUM esse Deum, quia per seipsum, propria virtute resurrexit.

Sanctus Bernardus *Epistola* 18. explicat, quomodo JESUS CHRISTUS est Sapientia, Veritas, atque Æternitas.

Idem serm. super *Missus est* affert varias figuras, quibus nunciabatur JESUS CHRISTUS.

Idem *sermo.* 22. *in Cant.* prolixiorem enumerationem instituit.

Idem *in Exhort. ad Milites Templi cap.* 11. ostendit, quomodo JESUS CHIRSTUS probavit miraculis, oraculis Prophetarum, & voce Patris æterni suam Divinitatem.

Idem *serm.* 4. *Adventus*, præclaram habet hypothiposim Majestatis JESU CHRISTI in gloria, quam possidet.

Idem *serm.* 66. *in Cantica* explicat, quomodo illud intelligendum sit, JESUM CHRISTUM sedere ad dexteram Patris.

Idem *serm.* 2. *de Epiphan.* habet eximiam descriptionem JESU CHRISTI in Incarnatione, in die Judicii, & in gloria.

Idem *serm.* 63. *in Cant.* rationem reddit, cur Pater dederit Filio potestatem *judicandi*.

Idem *serm.* 59. *in Cant.* explicat, quomodo JESUS CHRISTUS, possideat terram in hæreditatem tamquam Homo. Quomodo tamquam Dominus illam subjecerit, & regat, tamquam Creator.

Idem *lib.* 3. *de Considerat.* explicat imperium JESU CHRISTI in Universum, cujus triplici titulo Dominus est; 1. titulo Creationis, 2. titulo Redemptionis, 3. titulo Doni, quod accepit a Patre.

Cum fere impossibile sit accurate omnes notare Patrum locos, ubi sermo est de Divinitate, & magnalibus JESU CHRISTI, arbitratus sum, non afferendos esse plures; præterquam quod plures adhuc inveniri possunt sub titulo Incarnationis, & aliorum Mysteriorum.

P. Causinus in *Aula sancta tract.* 2. *axiomate* 7. habet tractatum de Divinitate JESU CHRISTI. Ascetici alii-que.

P. Dozenne edidit Librum, qui inscribitur: Divinitas JESU CHRISTI, per opera sua, ubi fusius exponit, quid nobis adstruere potest sublimem ideam magnalium; & perfectionum illius divinarum.

Arias in parte prima Libri de Imitatione JESU CHRISTI, agit de bonis, quæ habemus in JESU CHRISTO Redemptore, & Rege nostro, ubi in tractatu 3. agit de eodem, tamquam Salvatore, & Mediatore; & tractatu 5. de eodem, tamquam Magistro, Legislatore, & Pastore.

P. Saint jure *lib. de cognitione, & amore Domini nostri cap.* 5. loquitur de infinitis perfectionibus Divinitatis ejusdem.

P. Daniel Beguin, de veritate Divinitatis CHRISTI.

P. de Argentano Cappuccinus, *in lib. de magnalibus JESU CHRISTI Dei, & Hominis* collat. 18. loquitur de thesauro gratiarum JESU CHRISTI *Collat.* 8. ostendit ingressum illius in Mundum, quamvis abjectum, Divinitatem illius patefacere; *collat.* 9. ipsum, ab incunabulis probasse se Deum, esse regnantem super Reges: *in* 13. ipsum, ubi cœpit sese in Mundum producere, perspicua dedisse suæ divinitatis argumenta: *in alia collat.* doctrinam suam ostendisse infinitam esse Sapientiam; *in* 15. rationem, qua suam constituit Religionem, probationem esse suæ divinitatis: *in* 16. miracula ipsius palam ostendere, ipsum esse Deum;

Deum; *in* 20. ipsum effundentem divina sua lumina in Mundum, hoc ipsum probare; *in* 22. verba facit de thesauro infinito meritorum ipsius.

Cardinalis de Berule institutor Festivitatis magnalium JESU, satis digne hoc argumentum pertractavit.

P. Dorron Oratorii Sacerdos librum edidit, cui nomen: JESUS CHRISTUS *in Scripturis, secundum interpretationem Patrum*, habet multa, quæ ad hoc argumentum pertinent, non secus ac Pater Bourgovin, ejusdem Congregationis in meditationibus.

In duce Spirituali P. à Ponte cap. 10. Sermo est de Mysteriis Salvatoris, secundum humanitatem.

P. Crasset *in alloquiis in Adventum alloq.* 21. agit de perfectionibus Animæ Domini nostri, & *in* 22. de gloria Humanitatis sanctæ suæ.

P. Maria *in solitudine* loquitur de perfectionibus, & magnalibus Domini nostri, in quantum illum dignum efficiunt omnibus affectibus nostris.

Boudinius *de Gloria CHRISTI*. Hic liber habet animadversiones, quæ magnam tribuunt ideam gloriæ, & magnitudinis hominis-Dei.

Liber, cui titulus: *Christiana Sapientia c.* 5. *& seq.* ostendit, quid sapientia jubeat, nos credere de JESU CHRISTO. Hujus auctor est Guilleminot.

P. Camaret *Tom.* 1. *puri, perfectique Christianismi*, referens rationes, propter quas amare debemus JESUM CHRISTUM, memorat præcipuos fontes magnalium ejus.

Liber, cui titulus: *Theologus in conversationibus cum Sapientibus, & Principibus Mundi, colloq.* 5. memorat omnes magnitudinis titulos, quos agnoscere debemus in JESU CHRISTO, & præsertim titulum Regis.

In libro, qui inscribitur: *Christianus incognitus, cap.* 5. ostenditur, JESUM CHRISTUM esse magistrum hominum, & quomodo, per illum Pater æternus præcipua revelaverit Mysteria.

P. Novet *in Homine Orationis, parte* 3. *ubi agit de gloriosa JESU CHRISTI Vita super terram: medit. pro feria* 2. *hebdomadæ* 5. *post octavam Paschatis*, loquitur de Potentia JESU CHRISTI ad excitandam in nobis Personæ ejusdem venerationem.

Liber, cui titulus; *Tractatus de JESU CHRISTI Divinitate*, ubi omnia afferuntur ejusdem argumenta, & ostenditur, si JESUS CHRISTUS non esset Deus, Christianam Religionem penitus corruere, & nullam habere præ Mahometana prærogativam.

Theologi Scholastici, aliique. S. Thomas, Suarez, & alii, qui scripserunt de Incarnatione, non prætermiserunt loqui de Divinitate JESU CHRISTI, & ejusdem proferre probationes, nobisque concinnandus esset Theologicus tractatus, ut singula in lucem proferremus.

Bellarminus *Tom.* 1. *lib.* 1. *de CHRISTO cap.* 4. *cui titulus: Divinitas Filii Dei adstruitur*, probat Salvatoris Divinitatem *ex locis* veteris, novique Testamenti; *& deinde aliis rationibus, quæ* afferri possunt contra Socinianos, & alios hæreticos.

P. Pettavius, *de Incarnatione* affert sententias, & auctoritates Patrum in hoc argumento.

P. Theophylus Renaud *lib. de Deo Homine*, agit de iis, quæ pertinent ad hoc argumentum.

Maranda *Tom.* 2. *Theologiæ suæ Gallicæ*, ostendit JESUM CHRISTUM esse verum Messiam contra Judæos, & citat omnes Scripturæ locos, & omnes rationes, quæ totidem sunt demonstrationes.

In tractatibus Evangelicis Patris Grand Amy *de summa CHRISTI gloria*, non agitur solum de Divinitate JESU CHRISTI, sed etiam de magnalibus ejus, & iis, quæ spectant ad gloriam Hominis-Dei.

Mathias Faber *in festo Nativitatis* Oratorie explicat titulos, & elogia, quæ Messiæ ab Isaia Propheta referuntur.

Concionatores recentiores. Molinier in *quadragesima serm. pro Sabatho* 1. ostendit JESUM CHRISTUM esse lumen Mundi.

P. Texier *in Tom. Mysteriorum*, loquitur de magnalibus Filii Dei, sub Regis titulo, *serm. de ingressu Salvatoris in Jerusalem*; Ecce Rex tuus venit.

P. Catillon, sermonem habet *de JESU CHRISTI Nativitate in Adventu*.

Lambert *Homil.* 58. *in Evang. fest. Nativ.* verba facit de Salvatoris Divinitate.

Auctor sermonum in omnia argumenta unum habet argumenti hujus. *Tom.* 1. *Mysteriorum, & Tom. eodem* alterum de JESU CHRISTI Divinitate.

Sarazin in *duobus Spissis Adventus sui Tomis*, plures habet sermones, qui continent titulos, & elogia Filii Dei, & qui idcirco aliquid conferre possunt ad efficiendum sermonem, de magnalibus ejus, quemadmodum in *serm.* 1. ostendit; Nihil dignius esse Dei magnitudine, neque utilius hominibus Mysterio Hominis-Dei.

Granatensis in locis communibus
Leoner
Labbatha
} *tract. CHRISTUS.*

Carthagena in Homiliis de Divinitate JESU.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, applicationes Scripturarum huic argumento.

Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis Nomen hæreditavit. Ad Hebræos 1.

Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit, & sæcula. Ibid.

Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens; sedet ad dexteram Majestatis in excelsis. Ibidem.

Cui dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu? ego hodie genui te, & rursum; ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Ibidem.

Cum iterum introducit Filium in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli ejus. Ibidem.

Ad quem Angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis, quoad usque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ibidem.

Ad Angelos dicit: qui facit Angelos suos spiritus; ad Filium autem: thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga Regni tui. Ibidem.

JESUS, sublevatis oculis, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Joann. 17.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; ut omne, quod dedisti ei, det eis Vitam æternam. Ibidem.

Hæc est Vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM. Ibidem.

Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Ibidem.

Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam Mundus esset, apud te. Ibidem.

Ecce Virgo concipiet, & pariet nobis Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum; nobiscum Deus. Isaiæ 7. & Matth. 1.

Ecce Vox de Cælis dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matth. 3.

Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus, & respondens JESUS ait illis: euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant. Idem cap. 11.

Respondens Simon Petrus dixit: tu es CHRISTUS Filius Dei vivi; respondens autem JESUS dixit ei; beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in Cælis est. Idem cap. 16.

Ecce nubes lucida obumbravit eos, & ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, audite illum. Idem cap. 1.

Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es CHRISTUS Filius Dei vivi, dicit illi JESUS tu dixisti. Idem cap. 26.

Centurio autem, & hi, qui erant cum eo, viso terremotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere Filius Dei erat iste. Idem cap. 27.

Respondent ei Judæi: de bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia, & tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Idem cap. 10.

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, & non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Idem cap. 10.

Ait illi, utique Domine, ego credidi, quia tu es CHRISTUS Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum venisti. Idem cap. 11.

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum. Idem cap. 15.

Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Idem cap. 21.

De Filio suo, qui factus est ei ex semine David. Ad Rom. cap. 1.

Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne. Idem cap. 8.

Quorum Patres, ex quibus est CHRISTUS, secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula Amen. Idem cap. 9.

Quoniam quidem Deus erat in CHRISTO, Mundum reconcilians sibi. Idem 2. Corinth. cap. 5.

Et ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Idem ad Galat. cap. 4.

Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Ad Philipp. cap. 2.

Quia in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Idem ad Colos. cap. 2.

Apparuit enim gratia Dei Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI. Idem ad Titum cap. 2.

Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis nobis locutus est in Filio suo. Ad Hebræos cap. 1.

Sic-

Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus: hic est verus Deus, & Vita aterna. Joann. 1. Epistola cap. 5.

Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Lucæ cap. 2.

Natus est vobis hodie Salvator, qui est CHRISTUS Dominus in civitate David. Lucæ cap. 2.

Et vox facta est de nube, dicens: hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Lucæ 9.

Dixerunt ergo omnes: tu ergo es Filius Dei? qui ait; vos dicitis, quia ego sum. Idem cap. 22.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum . . . & Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia, & veritatis. Joann. 1.

Respondit ei ergo Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba Vitæ aterna habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es CHRISTUS Filius Dei. Idem c. 6.

Tu credis in Filium Dei? respondit ille, & dixit: quis est, Domine, ut credam in illum? & dixit ei JESUS, & vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est; & ille ait: credo, Domine, & procidens adoravit eum. Idem cap. 9.

Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Israel. Matth. 2. & Micheæ 5.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Malach. 3.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psalm. 2.

Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis. Isaiæ cap. 9.

Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, &c. Psalm. 109.

Ante Luciferum genui te. Ibidem.

Quid vobis videtur de CHRISTO, cujus Filius est? dicunt ei: David, ait illis: quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum? dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Matth. 22.

Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in Cælis. Ad Hebr. 8.

CHRISTUS non semetipsum clarificavit, sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ibidem cap. 5.

Cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam. Ibidem.

Quoniam in ipso condita sunt universa, in Cælis, & in terra; visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia, per ipsum, & in ipso creata sunt. Ad Coloss. 1.

Qui autem in Navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes: vere Filius Dei es. Matth. 14.

CHRISTUS super omnia Deus benedictus in sæcula. Ad Rom. cap. 9.

Donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genuflectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS in gloria est Dei Patris. Ad Ephes. 2.

Exempla, Figuræ prophetica Hominis-Dei in veteri, novoque Testamento.

Angeli, qui apparuerunt Patriarchis legis antiquæ, figurabant Verbum hominem factum.

ANgeli, qui humanam formam mutuabantur, ut cum hominibus communicarent, eisque Domini voluntates nunciarent, deferebant jam characteres Incarnati Verbi, ejusque Divinitatis; ita ut JESUS CHRISTUS in umbris, atque figuris, quæ illum repræsentarunt, nobis designatus fuerit, tamquam Homo, & tamquam Deus. Profecto tres Angeli, qui apparuerunt Abrahæ quiescenti sub quercu Mambre, nonne habebant humanam figuram, qua utebantur, ut cum Dei famulo colloquerentur? Nonne Pater Æternus, jam loquebatur ad homines per Filium suum, sub hac forma in lege Naturæ, quemadmodum per eumdem Filium suum locutus est sub forma Prophetarum in lege Scripta? Nonne hoc ipsum dicendum est de Angelo, qui apparuit Jacob, & qui luctatus est cum illo? Angelus ille, nonne dixit ei? *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* & de altero illo, qui locutus est ad Moysem de Rubo ardenti: Quandoquidem Nomen Dei datur hisce beatis Spiritibus, & dicere possumus, illos repræsentasse Verbum hominem factum, a Propheta quodam vocatum, magni consilii Angelum? sed quod legimus in Daniele Propheta apertius est. Narratur, Nabuchodonosor ægre ferentem trium puerorum Hebræorum in aula sua educatorum repulsam, qui ipsius simulacrum adorare detrectabant, imperasse, ut conjicerentur in fornacem ardentem, cujus flammæ, usque ad quadragintanovem cubitorum altitudinem ascendebant; & non dubitasse, quominus essent statim in cineres redigendi, tamquam victimæ iracundiæ suæ; sed ille stupore correptus fuit, cum nunciatum sibi fuit primum, & mox oculis suis vidit tres adolescentulos incolumes, eosque auribus suis audiit inter flammas concinentes vero Deo laudes; sed multo magis obstupuit, cum ibi intuitus est, puerum quartum sibi specie ignotum, & referentem figuram Filii hominis: quod Patres, atque interpretes explicant de Filio Dei, qui semper hoc se nomine appellavit, dum viveret, & cujus imaginem quartus hic puer, qui erat Angelus, quemadmodum inquit Scriptura, formam acceperat.

Genes. 32.

Omnes summi viri legis antiquæ fuerunt figuræ J. C.

Cum JESUS CHRISTUS sit finis Legis, Sanctus Paulus ait; *finis legis CHRISTUS ad Justitiam omni credenti*: Sancti omnes, & summi Viri, qui præcesserunt illum in veteri Testamento, fuerunt figuræ, vel, si vultis, adumbrationes quædam hujus Hominis-Dei, tot sæcula exspectati, & concupiti ab omnibus gentibus; & quicumque illum secuti sunt in nova lege, fuerunt ejusdem imagines, vel exempla ad divini hujus Authographi exscripta; sed nulla figura, nullum exemplar ipsum totum integrum repræsentare valuerunt; quapropter voluit Deus illa, quasi in infinitum multiplicari, ut singula saltem repræsentarent illum ex parte aliqua; cumque eorum numerus nimis magnus sit, en præcipua, secundum singulas Mundi ætates.

Primus homo, & caput humanæ gentis fuit prima figura J. C. Ad Roman. 5.

Prima figura, vel, ut cum Tertulliano loquar, primum specimen Incarnati Verbi, fuit primus homo, formatus de limo terræ, & per manus Dei ipsius ad hunc finem. *Adam, qui est forma futuri.* Ita loquitur S. Paulus, quod locum præbuit Tertulliano asserendi, cum Deus manibus suis versabat limum, ut hunc primum hominem effingeret, illum attrectasse, atque variis modis conformasse, ut imprimeret ei lineamenta, quæ Filius suus aliquando habiturus erat, & reddidisse illum ita perfectum corpore, & spiritu, atque ornasse illum tot donis gratiæ, & naturæ, quæ illum poterant lucupletare, & efficere pulcherrimum opus, quod de manibus Dei egrederetur, dignum, quod esset prima illius imago, qui quatenus Homo-Deus, futurum esset, sanctissimum, & perfectissimum opus Altissimi. Sed collata figura cum rei veritate, & specimine cum exemplari, quod nonnisi post multa sæcula apparuit, in memoriam revocandum est, nos verba facere de Adam Creato in statu innocentiæ cum Justitia originali, cum luminibus spiritus, & rectitudine cordis, quæ illum effecere, ipsius divinitatis imaginem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Sed similitudo, quæ invenitur inter Adam, & JESUM CHRISTUM, qui a S. Paulo vocatur secundus Adam, hæc est, videri Deum deliberasse, & consilium cepisse, antequam utrumque produceret: utrumque opus esse manum Dei; Alterum quidem sine Matre *genitum, alterum sine Patre carnali: utrumque repletum Scientia, & Sapientia, quamvis diverso in gradu*; utrumque Dominos, & supremos Mundi hujus fuisse dominatores; alterum quidem, ut esset humani generis caput, alterum ut ejusdem esset reparator.

Noe in secunda Mundi ætate fuisse figuram viventem J. C. & Arcam, quam ædificavit, fuisse mortuam Figuram.

Quamvis omnes homines corrupti essent sub finem ætatis primæ hujus Mundi, Creator tamen invenit intertot sceleratissimos viros, hominem justum ad eum finem, quem sibi proposuerat, ferendi scilicet futuri Redemptoris lineamenta. *Hic fuit Noe, cui scriptura eos impertit honoris titulos, qui satis ostendunt virtutem illius nequaquam fuisse vulgarem,* & illum esse eum virum, qui præponendus erat secundæ ætati, ut esset Propheta Messiæ nomine, officio, ore, more, & re. S. Cyrillus Allexandrinus credidit quidnium salutis, quam attulit nobis JESUS CHRIquid illi contigit, imaginem esse, ac mutum vaticiSTUS; & addunt alii, ipsius nomen, & arcam ab illo ædificatam, æque prophetasse mediatorem hominum apud Deum, & Mundi per peccatum perditi reparatorem; alii denique animadverterunt, nihil esse in Sancti hujus hominis vita, quod non sit figura vitæ Salvatoris. Non venit in Mundum, nisi cum hominum nequitia ad extremum usque finem inoleverat; ita ut, *paucis exceptis*, non esset in terra vir alius, *cujus cor*, & cogitatio, ut Scriptura inquit, non essent prona in malum. Ubi natus est a Patre Lamec, appellatus fuit Noe, & ab eodem summo lætitiæ cumulo dictum fuit: ecce puer, qui consolabitur omnes labores, & ærumnas nostras in excolenda terra, cui Deus suam maledictionem jaculatus est. Noe, inquit Scriptura, erat vir optimus, justus, & perfectus in omni vita, Deo vero acceptus adeo, ut in gratiam illius humanum genus nequaquam omnino fuerit deletum; qua in re Sanctus hic Patriarcha magnam habet cum Messia similitudinem. Quis enim JESU CHRISTO justior, sanctior, perfectior, æterni Patris sui imperiis obedientior? quis unquam majorem habuit accessum apud illum? & quis negare

poteſt

poteſt eo temporis articulo, quo maxime Deus exarſerat in nos iracundia, ipſum nobis fuiſſe pacem, & reconciliationem, perfectius etiam, quam Noe? quod autem pertinet ad Arcam, quæ in univerſali diluvio ſervavit Naturæ humanæ reliquias, deditque Mundo prorſus novum principium; prætermitto applicationem, quæ illius fit, ab aliis quidem ad Sanctam humanitatem Salvatoris, ab aliis ad Crucem, & ad Eccleſiam ab aliis: ſemper ratione habita JESU CHRISTI, qui his rebus omnibus uſus eſt, ut Mundum peccato perditum, ſalvum faceret.

Nulla imago, aut figura attingere potuit hujus Dei perfectionem.

Antequam ad tertiam Mundi ætatem gradum faciamus, ut ibi intueamur magnos Viros, qui fuerunt figura Hominis-Dei, operæ pretium arbitror, ſemel admonere: Figuram, imaginem, exemplum, non poſſe unquam habere divini hujus Prototypi perfectionem; quoniam quidquid mere humanum eſt, comparari non poteſt, cum eo, quod divinum eſt, quemadmodum nulla eſſe poteſt proportio finiti cum infinito; ideoque, ubi ſummi Viri cum JESU CHRISTO comparantur, ſemper dicendum eſſe cum diſcipulo: *qui de Cælo venit, ſuper omnes eſt.* Nequaquam; nunquam viſus eſt, neque videbitur unquam homo, qui accedat ad JESUM, vel qui cum JESU ſit comparandus; *qui de Cælo venit, ſuper omnes eſt.* Hic Homo-Deus, qui de Cælo deſcendit, futurus Prototypus omnium hominum, infinite ſuperat quidquid in Mundo fuit unquam magnum, atque perfectum. Verum eſt, utplurimum perſonarum imagines fieri perſonis pulcriores; ſed perfectiſſima quælibet JESU CHRISTI exemplaria, toto Cælo ſunt infra ipſum JESUM CHRISTUM; & magnus illis defertur honor, ſi dicimus, ea leves eſſe adumbrationes, & deformationes illius, qui norma eſt omnis perfectionis, & qui in ſeipſo colligit omnia gratiæ, & naturæ privilegia; cum illi, qui præ ceteris melius eum repræſentarunt, non oſtenderint in ſeipſis, vel vita ſua, niſi peculiarem aliquam virtutem, in qua ſuper alios ſibi ſimiles enituerunt; immo aſſerimus multum intereſſe diſcrimînis inter virtutem Noe, & illam, quæ in hoc Deo-Homine refulſit; nam fidelitas Noe, patientia Job, pietas Melchiſedech, generoſitas Abraham, obedientia Iſaac, conſtantia Jacob, puritas Joſeph, bonitas Moyſis, virtus Joſue, robur Sanſonis, lenitas David, ſapientia Salomonis, zelus Eliæ, & omnes virtutes Virorum illuſtrium veteris Teſtamenti, nihil fere ſunt, ubi cum JESU CHRISTI virtutibus comparantur; ſi enim imago, & hominis figura habere non poteſt vitam, virtutem, actionem authographi; quanto minus imago, aut figura Hominis-Dei infinitas illius perfectiones poterit exæquare.

Abraham fuit una ex illuſtrioribus figuris Salvatoris.

Una ex præſtantioribus figuris Hominis-Dei, quam Mundus magis proclivis eſt ad credendam in eo Meſſiæ divinitatem, eſt Sanctus Patriarcha Abraham, cujus perſona, vita, & poſteritas profuit JESU CHRISTI conſiliis, eique locum tenuit, tamquam primi Præcurſoris. Deus illum in lucem protulit paullo poſt reſurrectionem Mundi diluvio perditi, eumque elegit futurum Parentem fidei ſimul, & Meſſiæ; nam duo hi favores conjuncti ſunt, & alter alterum conſequitur; quoniam primorum illorum ſæculorum fides non reſpiciebat, niſi Meſſiam venturum; & terrena felicitas, ac Cæli gratia ſita erat; non quidem in videndo, ſed in exſpectando hunc Meſſiam. Igitur ducentis annis poſt diluvium, paullo poſt diviſionem Populorum, Abraham ab æterna Sapientia electus fuit in Patrem Filii Dei, qui deinceps vocari dignatus eſt *filius Abrahæ*; idque in ipſis primoribus Evangelii verbis, perinde ac iſte Homo-Deus, qui in æterna Nativitate ſua erat gloria eſſentialis, & per temporalem Nativitatem nobilitaturus erat totum genus humanum, ſibi honori vertiſſet, & gloriatus eſſet, ſe genus ducere ab hoc Sancto Patriarcha, qui tot tribuit Reges Populo Dei; ſed qui æternum glorioſus erit, eo quod fuerit Pater veri Regis gloriæ, qui ſons eſt, & cumulus felicitatis, & gloriæ Abraham.

Iſaac figura Filii Dei.

In vita Iſaac plura occurrunt, quæ rationem habent cum Perſona Meſſiæ, ejuſque Myſteriis, ut dubitare non liceat, Sanctum hunc Patriarcham fuiſſe unam ex præſtantiſſimis figuris Hominis-Dei. Iſaac ardentiſſime cupitus fuit a Parentibus, & exſpectatus cum patientia, quæ ſignificat ardentia vota, cum quibus exſpectatus fuit ille, qui vocatur: deſideratus gentium, & exſpectatio ſæculorum: *utinam diſrumperes Cælos, & ipſe venires.* Nativitas illius vix promiſſa fuit Abrahæ, cum facta fuit objectum Fidei ſuæ; auxit Juſtitiam ejus, & dignum fecit, qui eſſet Pater fidelium; namque per Nativitatem Iſaac, Deus repleturus erat promiſſionem Abrahæ factam, Meſſiam ex illius ſemine naſciturum. Ne ipſum quidem nomen Iſaac Myſterio vacuum eſt; quippe quod illi inditum fuit, quod futurus erat Patris gaudium, & riſus Matris ſuæ; ſed credere poſſumus, illos magis gaviſos fuiſſe audientes Meſſiam ex hoc puero naſciturum, quam videntes ipſum ex ſe natum, eo tempore, quo effæta Patris ſenectus, & Matris ſterilitas, ſpem non relinquebat, eum in hoc nullum deprehenderetur Myſterium, & nulla videretur figura Meſſiæ ex Virgine nati, & cujus Nativitas peperit lætitiam, ac ſpem Mundi totius. Filius hic benedictionis adolevit, neque cum Iſmael habitare potuit, quin hic illum perſequeretur; imago perſecutionum, quas JESUS CHRISTUS paſſurus erat a Judæis fratribus ſuis, & earum, quas Chriſtianis Ethnici erant illaturi. Sed Iſaac Abrahamo felicior fuit, eo quod extitit figura Filii Dei, Patris ſui juſſu morientis in Calvario; quamvis enim Sacrificium, quo præſto erat, ut vitam ſuam offerret, conſummatum non fuerit; obedientia tamen, & cordis diſpoſitio tantam habet cum Sacrificio Crucis, & obedientia Filii Dei ad æterni Patris imperium ſimilitudinem; ut ex omnium Sanctorum Patrum ſententia, una hac de cauſſa tantum, Sanctus hic Patriarcha primum obtinere locum debeat inter Salvatoris figuras.

Iſaiæ 64.

In toto veteri Teſtamento, nihil plura continet Myſteria, quam ortus, eventus, & omnis enumeratio vitæ Patriarchæ Jacob, cujus, ſi quælibet actio Myſterium eſt, dubitandum non eſt, quominus ille fuerit figura, cujus Verbum Incarnatum oſtenſurum eſſet veritatem. Bellum, quod ultro citroque indixerunt ſibi gemini fratres Jacob, & Eſau, dum adhuc in Matris utero continerentur; vita, quam prior ille duxit paterna in domo, quin ne latum quidem unguem a Patris Iſaac, & avi ſui Abraham, pietate diſcederet; deinde vita ejus patiens, & laborioſa, itinera ſua, perſecutiones Eſau, labores, qui illi perferendi fuerunt in domo, & famulatu Laban, domeſticæ curæ, quas illi filii ſui pepererunt; hæc omnia ſuſcepta, vel ſublata juſſu Dei, merentur, ut Dominus ſe dicat, Deum Jacob, æque ac Deum Abraham, & Iſaac. Sed præterea caſus, & plurima ipſius facta complectuntur Myſteria, quæ deinceps decurſu temporum evoluta ſunt, cum veritas earum rerum, quæ ſignificabant, lucem tulit, in obſcuritatem umbrarum, atque figurarum. Ita fraus, qua uſus eſt ſuæ matris conſilio, ut ſibi præriperet benedictionem Iſaac, non ſine detrimento Eſau natu majoris, jus primogeniti, quod hic frater eſuriens vendidit illi, ſcalæ viſio myſtica, per quam vidit Angelos aſcendentes, & deſcendentes, & Dominum illius vertici inhærentem, ſunt Myſteria convenientia cum iis, quæ eventura erant Filio Dei; Myſteria, inquam, quæ exercuerunt Sanctorum Patrum calamum, & ingenium. Sufficit mihi conſiderare Sanctum hunc Patriarcham jamjam in lectulo ſuo moriturum, ubi fuit Propheta Meſſiæ venturi, poſtquam in vita ſua fuerat ejuſdem imago. Etenim, ut liquet, prædixit, & indigitavit tempus, quo ille venturus erat; ita ut hæc Prophetia perfectiſſime adimpleta, ſit non minimum fidei noſtræ argumentum.

Qua in re Jacob Patriarcha fuerit Salvatoris figura.

Audire ſatis eſt nomen Patriarchæ Joſeph ſalvatoris Ægypti, ut ſimul concipiamus præſtantiſſimam, & ſimillimam figuram Salvatoris Mundi, quam Scriptura, & Eccleſia oculis noſtris proponunt: hic viliſſimo pretio a fratribus ſuis in ſervum venundatus fuit; iniquiſſima fuit ille calumnia laceſſitus, & eo uſque humiliatus, ut ferreis adſtrictus vinculis, in tetrum carcerem conjiceretur. Sed mox ad ſupremam evectus fuit poteſtatem, qua nunquam uſus eſt, niſi ad ſalutem, & felicitatem magni ejus Imperii. Nominis fama, & auctoritas, quam ſibi ſuis beneficiis in Populo comparaverat, favor Regis, qui illum ad præcipuum ditionis ſuæ miniſterium extulit, & qui imperavit, ut illi iidem, qui ſibi, honor adhiberetur; ſapientia, quam præfetulit in omni agendi ratione; moderatio, qua uſus eſt in abſoluta poteſtate; venia generoſe fratribus conceſſa; benevolentiæ ſenſus erga eos, a quibus per ſummam indignitatem fuerat exceptus; hæc omnia, inquam, ſatis probant elogium, quod illi defertur, ipſum videlicet, ab incunabulis extitiſſe imaginem, & figuram veri Salvatoris Mundi: Qualis fuit etiam poſt mortem, quia quemadmodum Sanctus Auguſtinus animadvertit, non legimus in Scripturis, Populum Iſrael, dum ille viveret, ſeſe multiplicaſſe; ſed poſt mortem illius, tandem hoc dici incepiſſe; Quæ alia eſt veri Joſeph figura, qui, dum viveret, non vidit Populum Chriſtianum admodum frequentem, qui tamen, poſt mortem ejus, per Apoſtolorum prædicationem late per omnem terram ſeſe effudit.

Patriarcha Joſeph J. C. figura.

Cum loquimur de Viris ſummis, qui extiterunt viventes figuræ Salvatoris Mundi, prætermittendus non eſt Moyſes, qui nimis multa habet veritatis lineamenta, ita ut in perſona, & virtutibus ſuis dignoſci non poſſit. Hunc omnium primum memoraviſſemus, ſi ſecuti fuiſſemus ordinem temporum; & niſi animadvertiſſemus, hunc eſſe, ex quo lex vetus incœpit, in qua quidquid paratum eſt, figura fuit legis novæ, quemadmodum hic ille eſt, cujus miniſterio Deus illam inſtituit, ut Mundum diſponeret ad legem gratiæ, cujus auctor fuit Dominus JESUS. Quapropter, quin loquar de magnis qualitatibus, & prærogativis hominis hujus incomparabilis, cujuſmodi fuit, amicum Dei fuiſſe, familiariter cum divina Majeſtate verſatum

fatum fuisse, extitisse brachium Potentiæ ipsius in infinitis prodigiis; Ministrum voluntatum ejus, & Deum Pharaonis; elogia, & honoris tituli, qui distinxerunt illum inter summos viros legis antiquæ, redigi possunt ad id, quod est: figura fuit Incarnati Verbi, eo quod fuerit liberator, & legislator Populi Israelitici, ejusque mediator apud Deum, cujus iram coercuit, & brachium cohibuit, cum jamjam, expetiturus esset pœnas a Populo infideli; quippe reor, vos ex his lineamentis cognoscere posse, JESUM CHRISTUM Salvatorem Mundi, qui liberavit nos a servitute peccati, ac Dæmonis; qui constituit se mediatorem pro nobis apud Patrem; qui supremam exercuit potestatem in terra; qui instituit legem amoris, & gratiæ in locum legis timoris, & severitatis Moysis ministerio irrogatæ; qui nobis reddidit libertatem Filiorum Dei, quod Moysi non concessum fuit; & qui unus potest, postquam deduxerit nos, per vitæ hujus desertum, adducere etiam, in veram promissionis terram, quæ Cælum est.

Josue figura præliorum, & magnalium JESU CHRISTI.

Josue quoque figura est maxime naturalis Salvatoris nostri, & perfectissima magnalium ejus imago. Dux iste Populi Israel, de nomine JESU vocatus, dimicans pro Populo, & totidem victorias referens, quot inferebat prælia, evertens mœnia Jerichuntis, traducens Jordanem, ut in terram promissam Populum Israel induceret; victor hic, inquam, indigitabat prælia, & victorias JESU CHRISTI veri Capitis electi Populi, & a Deo missi, ut terræ, & inferni potestates superaret; non quidem vi armorum, quemadmodum Judæi sibi persuaserant, illum venturum cum magno potentissimi Monarchæ apparatu ad statuendum sibi thronum, & dominationem in Mundo; sed qui cum duodecim piscatoribus, sine armis, sine opibus, sine subsidiis, Mundum universum oppugnavit, destruxit leges ejus, subvertit omnia ejus placita, & produxit acquisitiones suas longius, quam omnes simul terrarum domitores. Hoc magnum illud est prodigium, quod hodierna die admiramur, prodigium majus, quam Solis cursum retardare, quemadmodum effecit Josue, & quod sublimiorem tribuit ideam magnitudinis JESU, quia nonnisi Deus-Homo poterat tantum hoc opus ad finem perducere.

Aliæ figuræ Salvatoris, & præsertim David.

Data opera, prætermitto figuras alias, quæ in lege veteri apparuerunt, *veluti Melchisedech*, Job, Gedeon, *Samson*, aliique nonnulli; cum, ne articulus hic fiat prolixior, tum, ut veniam ad præclarissimum, & celeberrimum, inter majores JESU CHRISTI, Regem David, qui fuit Figura, Propheta, & Pater hujus Hominis-Dei, qui honori sibi duxisse videtur, se ex illius progenie natum esse; quandoquidem voluit in ipsa prima Evangelii sui linea, ubi sua describitur genealogia, vocari Filius David; saltem inde Evangelistæ præcipuam eduxerunt probationem dignitatis, & missionis illius; ideoque magnitudinis Personæ suæ; sed præterquamquod, per hanc qualitatem, propius Salvatorem attingit, magnus iste Princeps extitit gloriosissima *Salvatoris figura per perfectissimam similitudinem, quæ inter utrumque invenitur*. Quod enim in Psalmis de Rege hoc Propheta scriptum est, simul est narratio actionum, passionum, & magnalium David, & Prophetia actionum, & passionum JESU CHRISTI, dum viveret, & gloriæ ejusdem, postquam resurrexit.

Salomon fuit una ex figuris Salvatoris.

Novissima figura, quam in lege veteri vobis exhibere volo, & quæ mihi non videtur prætermittenda, Salomon est autonomastice sapiens vocatus, & cujus sapientia, quæ illi tantam comparaverat nominis celebritatem, primis Regni sui temporibus, profecto fuisset præstantissima imago æternæ Sapientiæ, quæ est JESUS CHRISTUS, si exitus vitæ Regis hujus gloriosis ejusdem primordiis respondisset; quod tamen non obstitit, quo minus illius sit figura in admirabilibus placitis, & Sapientiæ præceptis, quæ nobis reliquit, & quæ non minorem constituunt Sanctorum librorum partem; sed in re hac ipsa possumus etiam uti verbis Salvatoris, ut ostendamus quantopere veritas figuram excedat. *Ecce plusquam Salomon hic*. Matth. 12. Tandem enim, ut judicium feramus ex effectibus; legimus quidem, multos primi subsellii viros quotannis, statо tempore, in Salomonis aulam convenire consuevisse, ut audirent lectiones, quas illis tradebat; sed nescimus, illustres discipulos, sapientissimos ex omnibus principibus, egressos fuisse ex augusta illa accademia, illis similes, qui de Salvatoris schola egrediuntur. Hæc effusio Spiritus sui, quam facit in spiritum Apostolorum, eamdem vim tribuit verbis eorum, eaque efficit quodammodo Omnipotentia, ad convertendas Animas maxime indociles, & gentes maxime infideles, eisque tradenda Mysteria, quæ rationem excedunt, & moralem disciplinam maxime oppositam studiis naturæ nostræ. Quanam virtute possunt igitur efficere tantam impressionem in eos, qui prorsus oppositis sententiis occupati sunt, nisi hoc sit prorsus virtute prorsus divina?

Figuræ mortuæ magnalium J. C. in lege veteri.

Quidquid magnum fuit in lege veteri, figurabat JESU CHRISTI magnalia. Numerus, & Sanctitas Sacrificiorum, templi Majestas, & augustæ cæremoniæ erant adumbrationes, quæ præparabant Spiritus ad hæc omnia videnda in illo collecta; erat enim finis legis, & objectum omnium Prophetiarum; ideoque Isaias Propheta in Spiritu prævidens magnalia JESU, portendit, hunc vocatum iri, *admirabilem Consiliarium, Deum fortem, Patrem futuri sæculi, Pacis Principem*. Et profecto S. Bernardus ait: Nonne fuit ille *admirabilis in Nativitate, Consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, Pater futuri sæculi in resurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine*? Isaiæ 9. S. Bernardus serm. 25. de diversis.

Discrimen inter Sanctos Legis antiquæ, & novæ.

Inter veteris Testamenti, & novi Sanctos, hoc discriminis intercst, quod illi fuerunt adumbrationes, & figuræ virtutum, perfectionum, & magnalium Messiæ venturi; cum isti sint exemplaria divini hujus Prototypi, videlicet, imitatores, atque, ut Sanctus Chrysostomus ait, pictores, qui conati sunt repræsentare aliquot lineamenta in tabula vitæ eorum. Sed, cum eorum multitudo sit infinita, sufficiat nobis, unum tantum proferre, qui, cum illum viderit, ostenderit, annunciaverit, & cognoscendum tradiderit, fuit ejusdem simul Præcursor, Præco, & Imago ita similis, ut nonnunquam alter pro altero fuerit acceptus. Nostis, me loqui de Sancto Joanne Baptista, qui ipse acceptus, & in honore habitus fuisset, tamquam Messias, nisi ejus obstitisset humilitas; dicebat enim illum, qui ab ipsis quærebatur, medium esse inter illos: *medius vestrum stetit, quem vos nescitis*; se vero, ne dignum quidem esse, qui solveret corrigiam calceamentorum illius.

Applicatio quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

De Divinitate, & magnalibus JESU CHRISTI.

IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. *Joann.* 1. JESU CHRISTI Divinitas, & quidquid dici potest, ad texendum elogium Personæ, & magnalium illius, continetur in primo Capite Sancti Joannis: *In principio erat Verbum, videlicet ante omnia tempora*; Verbum enim est Imago perfecta, quam Deus format sui ipsius, cognoscens seipsum, & Deus se ab æterno cognovit; Imago hæc erat in Deo, quod indigitat distinctionem, quæ subsistit inter illam, & eum, qui illam producit. Denique hæc Imago erat Deus, scilicet eadem res, ac Deus, qui producit illam, eadem in Natura, eadem in Potentia, eadem in Sapientia; Imago hæc substantialis, terminus hic subsistens cognitionis Dei, est Filius, quem Pater generat ab æterno. Hoc est, non quod ego comprehendere tenear, sed quod credere debeo: Verbum hoc factum est Caro, & habitavit in nobis *plenum gratiæ & veritatis*. Quæ *annihilatio ex parte Dei in unione Verbi cum Carne! Sed* quæ gloria pro hominibus? Ecce me igitur cum Natura divinq conjunctum per vinculum, quo unita fuit humanæ naturæ; vinculum arctum adeo, ut Deus vere factus fuerit Homo, & Homo in CHRISTO JESU sit vere Deus. Vidimus etiam hunc Hominem-Deum gloria cumulatum, vidimus illum repletum Spiritu gratiæ, & veritatis, ut decebat Filium Patris Æterni Unigenitum: tamquam Dei Filius per justitiam *accepit plenitudinem* Cælestium donorum, & *per misericordiam in eorum* partem vocavit homines fratres suos: accepit plenitudinem gratiæ, cujus nox factus est fons, unde in nobis effunditur. Joannes Baptista reddit hoc testimonium Salvatori, eumque magnifice, & magno cum fulgore reddit; illum reddit semetipsum humilians, & confitens JESUM CHRISTUM, infinitis spatiis, se superiorem esse; & sibi in omnibus præferendum. Hoc testimonium Sancti Joannis, nonne Salvatori gloriosum est? Nonne tribuit sublimem ideam magnitudinis hujus Hominis-Dei? accedat ad hæc hoc testimonium fideliter relatum esse a Sancto Joanne Evangelista, qui ipse quoque testis fuit gloriæ, & magnitudinis JESU. *Vidimus gloriam ejus*. Ex recentibus animadversionibus in Sancti Joannis Evangelium. Magnalia J. C. expressa in Evangelio S. Joannis, cap. 1.

Lex per Moysem data est; gratia, & virtus, per JESUM CHRISTUM. *Joann.* 1. Lex quidem per Moysem lata fuit, sed Moyses non dabat gratiam ad eam observandam: cum JESUS CHRISTUS nos erudierit de sublimibus veritatibus suis, & indigitans nobis perfectissimæ justitiæ vias, promeruerit etiam nobis gratias necessarias, ut in illis fideliter ambulemus. Quæ homini Christiano felicitas est, natum esse sub lege gratiæ, si tamen noverit ejusdem privilegia, & pretium eorum! hæc adeo sublimia Mysteria, excelsæ hæ veritates, pura hæc, & Sancta dogmata, quæ novam legem componunt, & quæ illam antiquæ legi præponunt, JESUS CHRISTUS hausit ex sinu Dei, cujus est Unigenitus, & cum quo facit Hominem-Deum. Opus erat Deo, qui legem adeo perfectam nobis irrogaret; opus erat *Deo*, qui nobis Discrimen inter legem Moysis, & J. C.

præberet exemplum, & vim obſervandæ legis; ſed cum hæc omnia facta fuerint a Deo, væ nobis, niſi Deo reſponderimus. *Eadem.*

Quomodo Pater æternus glorificaverit Filium ſuum.

Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Joann. 27. Utique, Salvator mi, tu glorificandus es a Patre tuo in Cruce eadem; Sol in Eclypſim incidit; contremiſcit terra; templi velum ſcinditur; hiſcunt monumenta, & reſtituentia mortuos, quos continent, annunciabunt quid es. Illi etiam, qui fuerunt inſtrumenta, ac teſtes mortis tuæ, agnoſcent te verum Dei Filium. Sed tu quoque honoraturus es Patrem tuum glorioſiſſimo Sacrificio, quod illi offerri poſſit. Tu, per mortem tuam vadis effecturus, ut omnes ubique illum cognoſcant, & adorent omnibus in Mundi plagis, & cumulaturus in æternum Cælum fidelibus Animabus, quæ in æternum ipſum amaturæ ſunt, & celebraturæ. *Eadem.*

Quomodo Salvator ſit via, veritas, & vita.

Ego ſum Via, Veritas, & Vita. Joann. 14. Utique, Domine, tu Via es, in qua nemo fatigari, nemo errare, niſi culpa ſua, poteſt; Veritas es, quæ ignorari non poteſt, ubi cum ſimplicitate ſtudium adhibeatur; æterna Vita es, quæ, cum poſſidetur, amitti non poteſt; Via es, per exempla; Veritas, per doctrinam, & promiſſionem; Vita, per retributiones. Mundus e contra dux eſt fallax, qui decipit eos, qui ipſius exempla, & uſus ſequuntur; placita ejus ſunt errores, promiſſiones, mendacia, bona, umbræ, quæ evaneſcunt, & quæ ſectatores ſuos in præceps adducunt. *Eadem.*

Diſcrimen inter ſanctitatem J. C. & Sanctorum.

Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior Cœlis factus. Ad Hebr. 7. Sanctitas non facit nos filios Dei, niſi per adoptionem, ſed Sanctitas JESU convenit illi, tamquam vero Dei Filio, per naturam. Talis eſſe decebat ſummus Pontifex noſter, cujus unius eſt, ingredi in Sanctuarium, ut agat cum Deo de hominum Sanctificatione; itaque debet ille ſegregatus eſſe, non a peccatoribus ſolum, verum etiam ab iis, qui magis Sanctitate florent, & ab excelſioribus Cœli Spiritibus: *excelſior Cœlis factus.* Ideo, Domine, haberis, tamquam *Sanctus Dei*, ut loquitur S. Lucas Evangeliſta: Sanctus antonomaſtice, & Rex virtutum, per incommunicabile privilegium; nam, quatenus Deus, per eſſentiam, poſſides perfectiones omnes, quatenus Homo, donatus fuiſti omnibus gratiis; & quatenus Homo-Deus, tibi comparaſti infinita merita, & fortaſſe, propter hæc omnia, Rex, & Propheta, myſticum illud tibi elogium elucubratus eſt: *Rex virtutum dilecti*, quaſi diceret: te amabilem præſtitiſti Creatori, & creaturis, per divinitatis tuæ perfectiones, & per incomparabiles virtutes tuæ Sanctiſſimæ Humanitatis.

Lucæ 4.

Pſalm. 87.

Perfectiones admirabiles J. C.

Vocabitur Nomen ejus admirabilis. Iſaiæ 9. Quidquid dici, vel cogitari poteſt de magnalibus JESU CHRISTI, continetur in illis Iſaiæ verbis: *Vocabitur Nomen ejus admirabilis, Deus fortis, &c.* Admirabilis, quia ſimul eſt, & Deus fortis, & infirmus homo; admirabilis in Corpore ſuo, effecto a Spiritu Sancto, tamquam opere perfecto, & organo omnium miraculorum; admirabilis in Anima repleta omnibus pulcritudinibus, quæ decent auguſtiſſimum divinæ Majeſtatis Sanctuarium; admirabilis in ſacro unionis nodo, quo triplex ſubſtantia, Corpus, Anima, & Divinitas in una, eademque Perſona conjungitur; cum adorabilis Trinitatis Perſonæ tres, unam habeant, eamdemque ſubſtantiam.

JESUS CHRISTUS eſt vere magnus.

Hic erit Magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Lucæ 1. Qui dicit hæc Angelus eſt, eadem annuncians Virgini, quæ futura eſt Incarnati Verbi Parens. Pauliſper immoremur aſſecuturi vim horum verborum: *hic erit Magnus*; ſed adnitamur attollere noſtras cogitationes ſuper ea omnia, quæ in creaturis magna videntur; quandoquidem Dei Filius non poteſt minus magnus eſſe Patre ſuo. Erit igitur Magnus ſapientia, Magnus ſanctitate, Magnus poteſtate, magnus operibus, & meritis; Verbo, infinite Magnus, ſine menſura, & ſine fine; hoc eſt, cum S. Chryſoſtomo, Magnus ſine ulla comparatione cum creatis magnitudinibus; vel cum Origene: *Magnus Magnorum*, & Princeps omnium magnitudinum. Omnes duces exercituum, omneſque Reges, qui nomen magni appetierunt, reipſa non ſunt, niſi pulvis, & athomi, & quoniam ipſe unus exhaurit omnem veram magnitudinem, illi habere non poſſunt, niſi commentitiam magnitudinem, quæ coram illo eſt inſtar puncti. Inclinate igitur capita veſtra, veſtraſque coronas ad pedes hujus Hominis-Dei, mundanæ magnitudines, neque fruſtra adfectetis gloriam, quam unus ille promeruit; vobis ſatis eſt ſervire illi, & hoc multo majus eſt, quam populis omnibus imperare: nimis beati, ſi vivitis ea in obedientia, quam legibus ejus debetis. *Hic erit Magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* En aliquid eorum, quæ continentur in verbis Cæleſtis Nuntii, qui hominum Salvatori, ceterorum Angelorum nomine præſtat obſequium.

Sequitur idem argumentum.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matth. 17. Audite, Pater æternus ait, audite, creaturæ, cujuſcumque ordinis eſtis, & quemcumque gradum in Mundo tenetis, & vos potiſſimum, Diſcipuli JESU CHRISTI. *Ipſum audite.* Ecce illum: *hic eſt.* Hic Homo, quem videtis coruſcantem ea luce, quæ hactenus delituerat ſub obſcura ſpecie, Homo eſt, cujus maximi Mundi hujus homines, qui ad ejuſdem latera apparent, nonniſi ſervi ſunt, ut illi ſua præſtent obſequia, ejuſque mandata capeſſant. Hic eſt Homo, quem Prophetæ verbis adeo magnificis pertierunt, &, quem terra exſpectat, pro reparatione ſua, tot ſæcula. Hic, non ſolum Homo eſt; Deus eſt, coram quo univerſus Orbis nihilum eſt, & omnes creaturæ ſunt umbræ.

Qualis eſt gloria, & elevatio J. C. quatenus Hominis-Dei.

Sedet a dextris Dei. Ad Hebr. 1. Quamvis videatur nihil addendum eſſe elevationi gloriæ Hominis-Dei, Apoſtolus tamen non coarctat ſe ad id; ecce quouſque procedit; *ſedet a dextris Dei*, & ibi vere elevatus eſt infinite ſuper omnia, quia nihil eſt, quod non ſit Deo ſubjectum. Sicuti gloria hæc cognoſci non poſſet, & Apoſtolus ejuſdem nobis tribuit ſublimiorem ideam; audiendus eſt, ubi loquitur de humiliatione, & elevatione Salvatoris; Non igitur illi ſatis eſt, eum collocaſſe ad dexteram Patris, ſed ait, gloriam ejus eſſe eamdem cum gloria Patris ſui. Ecce quomodo ille ſcribit ad Philippenſes: *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genuflectatur, Cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria eſt Dei Patris.* Ecce verba, quæ indigitant monſtruoſam Hominis-Dei annihilationem; verum etiam ecce, qua in re gloria noſtri Redemptoris eſt incomparabilis, cum ſit ſuper omnia, per ſuas humiliationes, cum recipiat poteſtatem ſuper omnia, poſtquam ſubjectus fuit omnium poteſtati, & tandem fiat omnium hominum Judex, quia ſubiit judicium omnium. Apoſtolus iterum deſcribit hanc JESU CHRISTI dignitatem, cum ait: *Deus conſtituens JESUM CHRISTUM ad dexteram ſuam in Cœleſtibus, ſupra omne principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne Nomen, quod nominatur in hoc ſæculo non ſolum, ſed etiam in futuro; & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.*

Ad Philipp. 2.

Ad Epheſ. 1.

Hoc miraculum eſt vere novum, Hominem eſſe vere Deum.

Novum creavit Dominus ſuper terram, Femina circumdabit virum. Jerem. 31. Ita ne novum, ac inaudium eſt, ut femina virum circumdet? hoc profecto non eſſet ita novum, neque ita admirabile, ſi hominem ſolum circumdaret, ſed novum, & admirabile eſt, quia Homo hic æque Deus eſt, ac Homo; qua propter Scriptura iis utitur verbis, quæ miraculi novitatem ſignificant; non eſt verbis celebrandum novum hoc opus eximium; dicere ſatis eſt: Verbo, Deum nihil unquam feciſſe, neque facere potuiſſe ſua dignius magnitudine, niſi Hominem-Deum, quia hoc eſt taliter naturam humanam cum divinitate conjungere; ut factus fuerit Homo, qui æque vere Deus eſt, ac Homo.

Vetus, & nova lex conſentiunt in ſtatuenda J. C. divinitate.

Finis legis CHRISTUS in ſalutem omni credenti. *Rom.* 10. Si JESUS CHRISTUS finis eſt legis veteris, ac novæ, opus eſt, ut teſtamentum utrumque probet JESU CHRISTI Divinitatem. Quod pertinet ad vetus, ecce veritates, quæ illud ſequuntur, & quæ aliæ ex aliis inferuntur. 1. Fuit Judaica Religio; factum in dubium revocari non poteſt. 2. Hæc Religio inſtituta erat a Deo, ideoque ſola vera, in qua Deus verus agnoſcebatur, & adorabatur. 3. Hæc Judaica Religio, Deum habens auctorem, prædixit Meſſiæ adventum, qui inſtituturus erat novam legem, & prædixit Meſſiæ hujus Divinitatem. 4. Quidquid dictum eſt, & prædictum de hoc Liberatore, de hoc Legislatore, de hoc deſiderato ab omnibus gentibus, perfecte invenitur verificatum, & adimpletum in JESU CHRISTO: igitur ille eſt hic Meſſias promiſſus, prædictus, deſideratus, atque tot figuris deſignatus. Ad hæc Judaica Religio, ipſa quoque erat figura Chriſtianæ Religionis, ad hanc manu ducebat, & ſicuti umbra non eſt a corpore ſeparata, Chriſtiana Religio, primum, & ab origine erat in veteri, & deinceps illinc evoluta fuit. Sed utraque hæc Religio æque concurrunt ad probandam JESU CHRISTI Divinitatem; ſunt utraque in hoc præcipuo Capite conjunctæ; nova loquitur, non ſecus ac vetus, & invenitur ubique JESUS CHRISTUS eſſe Homo, & Deus; ergo divinitas ejus expreſſa eſt in lege utraque, quaſi Sol cum radiis ſolaribus, quia: *CHRISTUS eſt finis legis in ſalutem omni credenti.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum applicabiles; alii quidem Divinitati, alii vero magnalibus JESU CHRISTI.

FOrma Dei accepit formam ſervi; uterque Deus propter accipientem Deum, uterque autem Homo, propter acceptum Hominem; neque enim illa ſuſceptione alterum eorum, in alterum converſum, atque mutatum eſt; divinitas quippe in creaturam non commutata eſt, ut deſe-

deſiſteret divinitas; nec creatura divinitatem, ut deſiſteret eſſe creatura. S. Auguſt. de Trinit. cap. 7.

Vita CHRISTI tota diſciplina morum fuit. Idem de vera Religione.

CHRISTI humilitatem, miſericordia, non impotentia fecit. Idem in Pſalm. 96.

CHRISTUS, propter ſe quærendus, non propter aliud. Idem in Pſalm. 118.

CHRISTUS de Patre natus ſine Matre, & de Matre natus ſine Patre. Idem tractat. 8. in Joann.

CHRISTUM quod non ſapit, inſipidum eſt. Idem ibidem tract. 9.

CHRISTUM in corde habere parum eſt, niſi ore confitearis: Idem in Pſalm. 118.

CHRISTUM Sapientiſſimum etiam gentes fatentur. Idem de conſenſu Evangel. cap. 7.

CHRISTUM etiam exteri Prophetæ prædixerunt. Idem in Epiſtola ad Roman.

Humanitas CHRISTI non eſt mutata in divinitatem, nec e contra. Idem in Epiſtola ad Roman.

Verbum Caro factum eſt, non mutato in carnem; aſſumpſit enim humanitatem, non amiſit divinitatem; itaque idem Deus, & idem Homo, in natura Dei æqualis Patri, in natura hominis factus eſt mortalis; in nobis, pro nobis, de nobis, manens, quod erat, ſuſcipiens quod non erat, ut liberaret, quod fecerat. Idem de actis cum Felice.

Sicut in homine quolibet, præter unum illum, qui ſingulariter ſuſceptus eſt, anima, & corpus una perſona eſt; ita in CHRISTO Verbum, & Homo una perſona eſt. Idem Epiſtola 102. ad Evodium.

Nullatenus dubites, unum filium, atque ipſum eſſe Deum verum, qui cum Patre Deo, Spirituque Sancto Deo, fecit omnia tempora, & in Monte Sinai legem dedit, & ipſum Deum Verbum Carnem factum, qui veniente plenitudine temporis, factus eſt ex Muliere, quam fecit, factus eſt ſub lege, quam dedit. Idem, vel incertus auctor de fide ad Petrum.

Vita æterna mortem aſſumpſit, Vita æterna mori voluit, ſed de tuo, non de ſuo; accepit a te, ubi moreretur pro te; ab hominibus enim aſſumpſit Carnem, ſed non more hominum; nam Patrem habens in Cælo, Matrem elegit in terra, & illic natus ſine Matre, & hic ſine Patre. Idem tract. 26. in Joann.

Divinitas Verbi æqualis Patri, facta eſt particeps mortalitatis noſtræ, non de ſuo, ſed de noſtro; ut & nos efficeremur participes divinitatis ejus, non de noſtro, ſed de ipſius. Idem lib. de vera Innocentia.

Quod Prophetæ præviderunt, & prædixerunt, hoc Apoſtoli viderunt, & prædicaverunt, qui erat, factus eſt. Quid erat? quid factus eſt? Verbum erat, Caro factus eſt; ſuſcepit humanitatem, non amiſit Divinitatem. Factus humilis, manſit ſublimis. Idem lib. de quinque hæreſ.

Quidam reddi ſibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus ſit, ut una fieret perſona CHRISTI, cum hoc ſemel opportuerit fieri, quaſi ipſi rationem reddant de re, quæ quotidie fit; quomodo miſceatur Anima Corpori, ut una fiat perſona hominis. Idem ſerm. 58. de verbis Domini.

Non jam deſperandum eſt, participatione Verbi poſſe homines fieri filios Dei, quando Filius Dei, participatione Carnis, factus eſt Filius Hominis. Idem de grat. novi Teſtam.

Ego ſum Via, Veritas, & Vita, tamquam diceret: qua vis ire? Ego Via, quo vis re? Ego ſum Veritas; ubi vis permanere? ego ſum Vita. Idem ſupra Matth.

CHRISTUS legis finis eſt. Ambroſius in Pſalm. 118.

CHRISTUS eſt Caput bonorum; ii autem Corpus ejus. Gregor. 4. Moral.

CHRISTUS, poſtquam per Prophetas locutus eſt, tandem proprio ore locutus eſt. Idem 24. Moral.

CHRISTUS non eſt alter in humanitate, alter in divinitate. Idem 48. Moral.

Corpus CHRISTI dicitur domus, & templum Dei. Idem 23. Moral.

CHRISTUS ante mortem gloriam fugit, poſt mortem cognoſci voluit. Idem in lib. 1. Reg.

CHRISTUS omnia nobis eſt. S. Ambroſius lib. de Virg. lib. 3.

CHRISTI velle, feciſſe eſt.

CHRISTI gloria inimicorum impugnatione crevit. Chryſoſt. in Epiſt. ad Hebr.

Nomen CHRISTI exprimit unitatem perſonæ in duabus naturis; exprimit etiam dignitatem regiam, & Sacerdotalem, & gratiæ plenitudinem, propter unctionis prærogativam. Joann. Damaſc. in Matth. cap. 16.

Diſcere JESUM omni ſcibili eſt ſalubrius. S. Bernard. in Epiſtolis.

CHRISTUS factus eſt nobis Sapientia in prædicatione, juſtitia in peccatorum remiſſione, Sanctificatio in converſione, Redemptio in paſſione. Bernardus ſermone 22. in Cant.

CHRISTUS humanitatem ſuam ab Eccleſia ſubtraxit, ut daret locum fidei. Idem ſerm. 75. in Cant.

CHRISTUS totus mihi datus, totus in meos uſus expenſus eſt. Idem ſerm. 3. de Circumciſ. ſerm. 3.

CHRISTUS, & Dominus nomina dignitatis ſunt. Idem Homil. 2. in Joann.

In CHRISTO Perſonæ conſideranda majeſtas, dignationis magnitudo, caritatis latitudo, humanæ naturæ exaltatio. Idem ſerm. 3. de adventu Dom.

Quidquid es, quidquid potes, debes Creanti, redimenti, vocanti. Idem de verb. Apoſt.

Putaſne Filium Dei reputet JESUM quiſquis eſt ille homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit. Idem in ſerm.

Incaſſum laborat in acquiſitione virtutum, qui eas alibi, quam in CHRISTO quærit. Idem ſermone 22. in Cantica.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia depromi poſſit in hoc argumento

Hodie etiam ſunt inter Chriſtianos homines J. C. divinitatem impugnantes.

HOC in loco bellum non gerimus cum Atheis, qui reſpiciendi non ſunt, niſi tamquam inimici imaginarii, qui per furioſam vanitatem videri volunt nequiores, quam reipſa eſſe poſſunt. Bellum iſtic gerimus cum iis, qui quodam licentiæ ſpiritu inter hæreſim, atque atheiſmum, tertium agmen conſtituunt contra Eccleſiam, & qui confitentes unius primi Entis divinitatem, non credunt illum ſeſe ita abjeciſſe, ut ſemet naturæ noſtræ arcte adco conjungeret, quemadmodum ipſi credimus, & qui ideo inficias eunt JESUM CHRISTUM Deum, & Hominem eſſe, Filium æterni Patris, divinum Verbum, quod carnem aſſumpſit, & mox ſubiit mortem pro mortalium ſalute; non quod minime credant, fuiſſe quondam Hominem vocatum JESUM, in Judæa natum eo tempore, quo narraverunt Evangeliſtæ, & quem fatentur inſignis fuiſſe meriti, ſed cui contra omnia fidei lumina, Scripturarum auctoritatem, indubia argumenta, quæ ipſe tradidit ſuæ divinitatis, per ea miracula, quæ ſuperant omnes naturæ leges, contra fulgidiſſima teſtimonia, quæ Cælum, ac terra perhibuerunt, quibus maxima quæque ingenia cedere, ac victas dare manus coacta fuerunt, qui, inquam, his non *obſtantibus*, diſputant, & in dubium revocant *Divinitatem* JESU CHRISTI *ubique hodierna die publicatam*, atque *recognitam*.

Verum eſt, in ipſis Eccleſiæ primordiis, ubi Evangelium prædicari cœptum eſt, plures de hoc argumento hæreſes obortas fuiſſe; ſed illæ in ipſo ortu a Sanctis Paulo, & Evangeliſta Joanne jugulatæ fuerunt. Lapſu temporum Ariani, Manichæi, Neſtoriani, aliæque ſectæ, diverſos ſubinde ſervaverunt errores, circa præcipuum fidei noſtræ articulum; ſed Eccleſia illas in Conciliis ſuis anathemate percuſſit; ita ut ſuperſint tantum auctorum nomina, quæ veri fideles perhorreſcunt; ſed gemimus, quia extat etiam hodierna die, multitudo Socinianorum inter Chriſtianos effuſa, & nonnullorum, *qui Deiſtæ vocantur, homines in omnem licentiam proſtituti, qui ſe Spiritus fortes appellant, & qui* JESU CHRISTI divinitatem negantes, evertunt Chriſtianiſmi fundamenta.

Duobus modis impugnari poſſunt inimici divinitatis J. C.

Divinitatem JESU probaturi, duplicem ſequi poſſumus viam, fidem videlicet, & rationem, quæ ſunt veluti duo armorum genera, cum quibus debellare poſſumus Salvatoris inimicos, pari cum fructu. Utimur fide, Sanctiſque bibliis contra Judæos, Arianos, alioſque hæreticos; neque reor, illos reſiſtere poſſe contra teſtimonia apertiſſima, & perſpicua, quidquid conentur, ut vim eorum *eludant*, & ſenſum detorqueant; ſed quoniam *integris opus eſſet voluminibus* ad diſcutiendos tot veteris, novique Teſtamenti locos, ad refellendas adſcititias explicationes, & auferenda omnia fallacia ſubterfugia, per quæ elabi poſſent; addimus invicta argumenta deprompta ex miraculis, & actionibus pluſquam humanis, atque perfectionibus, quas nemo unquam in dubium vocare auſus eſt, & quæ nonniſi Homini-Deo convenire poſſunt, quæ ſecunda eſt ratio impugnandi rebelles, & pertinaciſſimos homines confundendi.

Nexus, quem habent inter ſe eſſentiales Religionis veritates, adducit nos in cognitionem divinitatis J. C.

Eſſentiales Religionis veritates ita connexæ ſunt, ut imitentur hac in re Geometrarum principia, quorum alia ſunt veluti gradus quidam, ut ad aliorum cognitionem perducant. Ita in examine, quod fieri poteſt, præcipuorum argumentorum, quæ conſtituunt fidei noſtræ fundamenta, veritas exiſtentiæ Dei nos adducit ad veritatem religionis naturalis, & veritas religionis naturalis ad cognitionem Judaicæ, & Judaicæ religionis cognitio ad veritatem Religionis Chriſtianæ, & hæc omnia, per quamdam ſeriem illationum, ut nemo videatur illas inficiari poſſe, quin lumini naturali abrenunciet. Hic nexus, quem inter ſe habent magnæ veritates, nos longius adducit; quia ſufficit diligenti examine excutere fundamenta, quæ conſtituunt veritatem Religionis Chriſtianæ, ut perſuadeamur per eadem principia, probari JESU CHRISTI Divinitatem, ita ut, qui ambigit utrum JESUS CHRISTUS ſit vere Deus, dubitare debeat de veritate Oraculorum, quæ Chriſtianiſmum conſtituunt; & qui

& qui certus est de Oraculorum horum veritate, non dubitet amplius de JESU CHRISTI Divinitate.

Ex tract. de Divinitate JESU CHRISTI.

Divinitas J. C. nonnisi per revelationem potest cognosci.

JESU CHRISTI Divinitas considerari potest, tamquam Mysterium nobis absconditum, vel tamquam veritas nobis revelata. Primo intuitu dogma hoc est incomprehensibile, neque illius quæritur explicatio; sed illius tantum veritas probatur, & quin confugiamus ad humanas theorias, ut ostendamus, quomodo se habeat res, credamus reipsa ita esse, per probationes ex ipsa revelatione desumptas; nam vetus, & novum Testamentum, ita consentiunt in confessione JESU CHRISTI, tamquam veri Dei, ut, quod alterum promisit, prophetavit, figuravit, atque connotavit characteribus suis, alterum reipsa ostenderit, & cognoscendum præbuerit. Relationes ita justæ sunt, ut Judæi falli nequaquam potuerint, nisi per nefariam cæcitatem; neque Gentiles recusare potuerunt religionem certissimis probationibus suffultam; quapropter veritas Hominis-Dei non poterat non educere illos de erroribus suis, & docere eos, quo cultu excipere deberent supremam, & veram Divinitatem; quandoquidem reipsa, ita mutuo ex se pendent essentialiter JESU CHRISTI Divinitas, & Christianæ Religionis veritas, ut necesse sit, vel utramque subsistere, vel utramque evanescere.

Qui evidens est per utrumque testamentum.

Si fallimur in sententia de divinitate J. C. prohibere non possumus, quominus in idololatriam labamur.

Naturalis religionis præ ceteris omnibus antiquissimæ principium est, infinitum esse intervallum, Creatorem inter, & creaturam, quod efficit, ut citra impietatem, Deus nequeat usque ad creaturam demitti, & citra idololatriam, creatura nequeat ad Deum usque elevari. Si igitur JESUS CHRISTUS Creator est, supremus universorum Dominus, & vere Deus; nequit dici, sine impietate, ipsum simplicem esse creaturam; sin autem JESUS CHRISTUS non est, nisi creatura simplex, sine idololatria haberi nequit pro Deo, & pro Creatore Cæli, ac terræ: ita ut, si fallimur in ea sententia, quam tenemus, JESUM CHRISTUM eamdem habere essentiam, eamdemque naturam cum æterno Patre suo, & consequenter Deum esse, & supremum Mundi dominatorem, nonne liquet, nosmet excusare non posse a crimine idololatriæ, *quia illum quatenus talem*, adoramus; neque putandum est, *creaturam*, *quia est præstantissima*, fieri posse objectum adorationis, *quæ nonnisi Deo*, supremo Enti, potest adhiberi. Qui enim adorant sydera, non minus idololatræ sunt, quam qui adorant lignum, & lapidem; & illi, qui adorarent Angelos, non minus idololatræ essent, iis, qui astra venerantur; eorum quidem idololatria esset minus crassa; non ideo tamen esset minus vera; quippe idololatria non in eo sita est, ut honores divini tribuantur vili, abjectæque creaturæ; sed simpliciter creaturæ, & pro divinis hisce honoribus, semper illi sunt intelligendi, qui unum decent Deum, cujusmodi sunt, adoratio, supremusque cultus, quem adhibere non licet *ulli Enti creato*, ad quamcumque extolli possit *dignitatem*.

Idololatria æque opposita est gloriæ Dei, & saluti nostræ.

De fide est, & hoc *principium solo etiam rationis* lumine cognitum fuit, idololatriam esse crimen oppositum duobus magnis finibus Religionis; magnam, eamque perspicuam habere oppositionem ad gloriam Dei, quoniam exuit Deum gloria sua, ut eam transferat ad creaturam; ideoque videmus in Scripturis, nullum esse crimen, quod Deus magis explicite prohibuerit, & in quod nunquam severius animadverterit, & quod professus *palam fuerit* se nequaquam passurum; ut alter *quipiam sibi eriperet gloriam*, vel impune eam sibi usurparet. *Gloriam meam alteri non dabo.* 2. Hoc scelus oppositum est saluti nostræ; quoniam Spiritus Sanctus aperte declarat, idololatras nunquam futuros hæredes Regni Cælorum. Hinc autem sequitur: si JESUS CHRISTUS non esset vere Deus, quod ne cogitari quidem potest, citra impietatem; & si non esset coæqualis Patri suo, sed illius sibi gloriam usurpasset, sibi vindicans divinitatem; sequitur, inquam, Christianismum, qui innititur fidei Dei Hominis facti, nihil habere, in quo distinguatur a paganismo: JESUM CHRISTUM Sanctum Sanctorum, & eamdem sanctitatem, e contra esse id, quod, sine horrore, non potest audiri, maxime impium, & sceleratissimum mortalium omnium; quia usurpasset Divinitatem; & Religio non solum mendax esset, sed furentissimi tyranni jure suo omnes conatus exercuissent ad illam exterminandam; Pontifices, Judæi merito interfecissent auctorem, per supplicia crudelissima, & ne diutius immorer teterrimis illationibus, quæ eliciendæ essent ex hac superstitione; sequeretur, Christianos non solum futuros mortalium omnium miserrimos, uti dicebat S. Paulus, nisi aliquando essent resurrecturi; verum etiam futuros maxime impios, & insipientes, necnon divina dignissimos iracundia, adorantes hominem, qui noxia ambitione affectasset titulum, & honores Divinitatis: sed habeantur Deo gratiæ: Nos per divinam Misericordiam evocati fuimus in Religionem prorsus sanctam, & Auctoris ejus divinitas fuit certissimis testimoniis comprobata.

Patet inter omnia possibilia, nihil majus esse Homine-Deo. Quærunt Theologi utrum Deus producere possit effectum infinitum, qua in re probabilior opinio est in rebus mere creatis nihil esse posse infinitum, namque infinitas est proprietas naturæ, quæ a nemine pendet, & quæ in semet totam Entis plenitudinem continet. De Dei infinitate idem sentiendum est, ac de Omnipotentia, de immensitate, de æternitate, & incomprehensibilitate: quæ omnia propria sunt Entis supremi attributa incommunicabilia rebus omnibus, quæ non sunt Deus. Verum, si fieri posset, ut extra Deum, & in creatis rebus quidquam esset infinitum, hoc tamen absolute infinitum non esset; quia non comprehenderet in unitate essentiæ suæ, perfectiones omnes excogitabiles; ita ut, si Deus dare vellet Omnipotentiæ suæ terminum, quo nihil perfectius esse posset, & qui, ut ita dicam, exhauriret omnem potestatem suam, quæ est infinita; opus esset, ut ille produceret effectum, qui non esset mere creatus, neque absolute creatus, neque absolute extra ipsum, & tali medio contineret, per hoc eximium opus, infinitatem essentiæ suæ increatæ. Sed hoc ille præstitit faciens Hominem-Deum, quia hoc modo effectus, quem produxit, illi vere par est, perfectione, quia in eo ille ipse comprehenditur, cumque Deus ingressus sit cum humana Natura in compositionem Dei-Hominis, dicendum est, hoc esse divinum reddidisse istud compositum infinitum in omni genere perfectionum.

J. C. possidet omnes possibiles perfectiones, quia Deus est æque, ac homo.

Extra omnem dubitationis aleam est, divinum hoc Hominis-Dei compositum majorem Deo honorem, & gloriam afferre, quam afferre possent omnes homines, omnes Angeli, & omnes creaturæ, non solum quæ sunt, sed quæ etiam produci possent; quia actiones gratiarum, & adorationes, & amor infinite magis æstimabiles sunt. Et ratio est; honoris magnitudinem desumi præsertim a qualitate illius, qui honorem fert, & qui sese humiliat, ut per submissiones suas, ostendat quo in pretio habet excellentiam, cui hoc adhibet obsequium. Cum ergo nulla detur proportio inter quidquid est possibilium creaturarum, & Hominem-Deum; ita nulla esse potest comparatio inter gloriam, quam recipit ab illo Deus, & illam, quam recipere posset ab omnibus spiritibus creatis, ita ut postquam Deus Deum honoraverit, hæc reverentia in maximam cesserit Dei sui gloriam, qua non potest majorem recipere. Hoc nobis testatur Ecclesia, cum ait: *gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam.* Te, Domine, laudamus, & benedicimus tibi, propter majorem gloriam tuam, videlicet, quia nobis dedisti Hominem-Deum, qui eximium opus est Omnipotentiæ suæ, & quod tibi in infinitam cedit gloriam. Videtur etiam Deus, non recipere tantum gloriam infinitæ suæ parem excellentiæ, sed quodammodo crescere, cum adoratur a Deo; quia, qui honoratur, tenet locum superiorem loco honorantis; ita ut in relatione hac Dei adorantis, & Dei adorati, Deus, ut ita dicam, videatur nobis supra seipsum evectus.

Homo-Deus majorem tribuit honorem, & gloriam divinæ Majestati, quam omnes possibiles creaturæ possint tribuere.

Loquentibus de Divinitate Salvatoris, opportunum *est*, *semper meminisse* JESUM CHRISTUM, cum sit admirabile *illud* compositum, comprehendens, & continens quidquid proprium est, utriusque Naturæ, divinæ scilicet, & humanæ; hinc sequi, necessaria illatione, actiones, quæ prodeunt ex hac beata unione, illis esse communes, & licet meritum, & perfectio, quæ illas commendant, ex Divinitate procedant; tamen humanitatem contulisse nonnihil ad effectum, quem sibi proposuit Deus, & ad gloriam, quam inde recepit; Exempli Gratia, ut esset hominum Salvator, qui ille finis est, propter quem Dei Filius venit in Mundum, qualitas ista, & iste effectus, taliter erat proprius Hominis-Dei, ut melioris theologiæ sententia, si opus erat Salvatore hominibus post peccatum, decebat Sapientiam divinam, ut hic esset Homo-Deus; & si Deus de Cælo descendere debebat, ut cum hominibus habitaret; opus erat, ut hoc, propter illos salvandos, accideret; ita ut, cum consideratur Verbum hoc Incarnatum, qui seorsim ordinem constituit supra omnia, quæ creata sunt, novus status existat propter statum Naturæ, statum gratiæ, & gloriæ, medius inter mera creata, & Creatorem. Si ratio quæritur admirabilis hujus portenti, hæc est, quia, ut esset Salvator, opus fuit, illum esse Deum, alioquin, non potuisset ad extremum usque quadrantem satisfacere Justitiæ Dei læsi, & etiam Hominem esse, alioquin, non potuisse pati, nec sese humiliare ad reparandam Patris sui gloriam. Oportebat, illum Deum esse simul, & Hominem, ut Personæ dignitas daret infinitum pretium actionibus, quæ videbantur esse propriæ hominis tantum.

Quamvis pretium, & meritum actionum Salvatoris oriatur a persona divina, opus tamen erat, ut homo esset æque ac Deus, ut hominum salutem mereretur.

Omnia, quæ dici possunt de JESU CHRISTI Nativitate, redigi videntur ad divina verba a S. Spiritu, per S. Joannem prolata: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum ... & Verbum Caro factum est.* In quibus S. Ambrosius, & post illum Theologi, statuunt, & Verbi consubstantialitatem, & JESU CHRISTI Divinitatem contra Arianos, aliosque hæreticos. Piscator hic, laudatus Pater ait, per qua-

Divinitas J. C. Probata, contra Arianos, & alios Hæreticos. Joann. 1.

per quatuor, vel quinque hæc verba, quæ hausit ex sinu Divinitatis, quo Aquilæ instar ascendit, oppugnat, & evertit hæreses omnes in hoc argumento, *quod enim erat in Principio, non includitur in tempore; ergo Arius conticescat, qui Filium Patri coæternum negat: quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Dei apud Patrem, solida perfectione distinguitur, ut Sabellius, & Photinus obmutescant, qui nullam in divinis Personis distinctionem agnoscebant.* Et si Verbum erat Deus, æterna ejus Divinitas, consubstantialitas, & unio inseparabilis cum Patre invicte probatur, per eadem verba, quæ confundunt Eudoxium, & Eunomium de JESU CHRISTI Divinitate. Legantur eruditissimæ litteræ S. Paulini in hoc argumentum; quot verba sunt, tot sententiæ; necnon tot victoriæ, quæ confundunt hæreticos; veluti cum profert hanc S. Pauli sententiam ad Roman. *CHRISTUS super omnia Deus, benedictus in sæcula.* Et cum idem Apostolus scribit ad Titum, nonne dicit, nos exspectare adventum glorioſum magni Dei Salvatoris nostri? *exspectantes beatam illam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI.*

Ambrosius l. 1. de Fide Trin. cap. 5.

Ad Titum 2.

Quomodo Scriptura attribuit Divinitatē JESU CHRISTO.

Scriptura, cui Christianus quilibet fidem habere debet, vel abrenunciare nomini, quod gerit; Scriptura, inquam, sexcentis in locis, Dei Nomine JESUM CHRISTUM appellat, eique tribuit omnes titulos, & attributa, quæ Divinitati solum conveniunt. Sanctus Paulus nonne conceptis, explicitisque verbis ait: *JESUM non rapinam arbitratum fuisse, esse se æqualem Deo*; in illo *habitare plenitudinem Divinitatis corporaliter*; S. Joannes nonne tribuit illi Omnipotentiam, qui unus est ex characteribus Divinitatis, dicens, omnia per illum facta fuisse. *Omnia per ipsum facta sunt*, quibus S. Paulus addit: per ipsum, & in ipso: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*; si æternus sustinet hanc Mundi machinam, nonne illam sustinet vi Verbi sui Hominis facti: *portans omnia Verbo virtutis suæ?* Hæc virtus est Verbi propria; æque hujus est, ac Patris: *virtutis suæ*: nam sicuti Pater est omnipotens, Filius æqualiter omnipotens est, quia eamdem habet naturam: *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius*; quod ipsum dicendum est de ceteris perfectionibus, quas Scriptura pariter tribuit Salvatori, & quæ totidem sunt invicta argumenta probantia divinitatem, uti mox dicemus.

Ad Philipp. 1.
Ad Colos. 2.
Joann. 1.
Ad Hebr. 1.
Symbolum Athanasii.

JESUS per se, vel per servos suos, de se loquens, palam ostendit suam divinitatem.

Rite perpendatur JESU CHRISTI sermo, seu cum loquitur per se, seu cum loquitur ministerio discipulorum suorum, innotescet, ipsum palam dicere; se esse Deum, vel id satis significare, per ea, quæ dicit, veluti, cum asserit, se fuisse antequam Abraham fieret: ipsum habuisse gloriam suam apud Patrem, antequam sæcula nascerentur; ipsum esse Alpha, & Omega, principium, & finem; ipsum applicuisse sibi quidquid Prophetæ de Messia vaticinati sunt, & manifeste declarat, se esse lumen Mundi, viam, veritatem, & vitam, quin attingamus ea, quæ Evangelistæ, & S. Paulus scripserunt illius nomine, quin repetamus antiqui Testamenti locos, qui nonnisi de illo possunt intelligi; dico solum, novum Testamentum tribuere JESU CHRISTO omnia Dei opera; creationem rerum omnium, qui semper fuerat character proprius Dei Israel; conservationem omnium rerum, quod unice spectat ad Creatorem; redemptionem Mundi, quam Prophetæ unice Deo acceptam referebant. In omnibus tandem videtur JESUS CHRISTUS nobis repræsentari, tamquam æqualis Deo, Dominus Deus, &, Verbo, Deus verus.

Luæ 14. Matth. 22.

Sanctitas J. C. probat illius Sanctitatem.

Hic Homo vocatus JESUS, qui se Messiam dixit, & qui, dum viveret, pro tali habitus fuit a nonnullis gentis suæ; hic Homo, inquam, adeo insignis, & cujus fama in omnes Mundi plagas personuit, vitam duxit prorsus sanctam, docuit, & exercuit virtutes omnes in sublimi perfectionis gradu; vulgo habitus fuit vir pietatis non vulgaris, & gavisus est æstimatione constanti contra omnia calumniæ tela, quæ illi tetrum loliginis succum voluit allinere. Vita illius, usque ad annum trigesimum, fuit irreprehensibilis, transacta quidem in tenebris, & in silentio, verumtamen in summa innocentia, & qui objecerunt illi generis sordes, & vitæ caliginem, tanto temporis spatio, nihil invenerunt, quod objicerent ex parte virtutis, & probitatis; & si quid in dedecus illius commenti sunt, confinxerunt specimen suo præjudicio conforme, illum videlicet non esse Messiam, quem exspectabant, quia videbant illum ea luce, ac pompa destitutum, qua septum putabant in lucem esse prodituram. Sed quod ad illius pertinet mores, ac disciplinam, hanc non ausi sunt attingere, sine manifesta calumnia, tamen illum propius observarunt incredibili cum assiduitate, illum quocumque sequentes, & investigantes opera, & Verba singula ad examen vocantes; ita ut nihil fallere posset zelotypos oculos, & censorios spiritus, quibus odium, & invidia ingerebant sexcentas suspiciones, ac dolos, ut illum arguerent: *& ipsi observabant eum . . . Venerunt, ut caperent eum in sermone.* Consulendum est Evangelium,

ut innotescat, quomodo sese gererent, ut liqueat, illos hunc quovis subsecutos esse, ut essent totidem testes, & censores actionum illius, necnon importuni observatores verborum ejus conati illius scrutari consilia, & penitissimas etiam cordis ejus latebras. Sed quonam evaserunt omnes istæ illorum curæ? Confinxerunt illi quasdam criminationes. Fateor; interpretati sunt illius verba in partem sequiorem, & actionibus ejus eum affinxerunt sensum, quem nequitia, & mala eorum affectio illis suggerere poterat; sed illumne unquam veri criminis insimularunt? vel criminis, quod ullam haberet speciem veritatis? *Ejus* inimici nihil inausum, vel intentatum reliquerunt, ut illius æstimationem perderent, & fidem, quam apud homines sibi conciliaverat, abrogarent. Falsos testes, calumnias reatum perduellionis, leges fractas, populos fallaci doctrina deceptos; sed probarunt ne unquam fallacissimas criminationes? hoc tantum abest, ut Judex ipse, quem vi facta coegerunt, ut injustam illi mortis sententiam inferret; primus agnoverit, & palam innocentiam suam declaraverit: *Nullam invenio in eum causſam.* Pilatus ipse, teste Tertulliano, Romam scripsit pro illo, atque ibi deliberatum est, utrum divini honores illi essent tribuendi, tamquam Homini prorsus Cælesti, & virtute humana majori.

Joann. 19.

Dici nequit, ipsum hominum oculis non ostendisse, nisi quod in ipso erat boni; sed *vitia illius* ita latuisse *in vitæ privatæ tenebris*, & consanguineos suos eadem silentio obvolvisse, neque permisisse, ut in vulgus emanarent; sed ille cum omni personarum genere, cum omni sexu, & omni conditione versatus est; cum eruditis æque, ac cum imperitis, cum summis, æque ac cum imis, cum justis, æque ac cum peccatoribus. Seipsum ostendit in templo, in Synagogis locutus est; palam prædicavit, inventus est in cœtibus, ubi ab omnibus invisus, & a plurimis observatus, tot inter oculos intentos ad mores ejus explorandos, ac tot testes, qui totidem erant censores; tamen nihil unquam in eo deprehensum fuit, quod posset redargui, & totum illud crimen, *cujus reus habitus fuit*, & propter quod *morte fuit damnatus*, est confessio facta coram *judicibus*, *se esse Messiam, & verum Dei Filium. Cum vitæ ejus sanctitas esse deberet probatio, atque convictio hujus veritatis, amabo vos*, nonne opus erat, hunc Hominem (vocemus illum hoc nomine, donec omnino de illius nobis divinitate persuasum sit) nonne opus erat, hunc Hominem probum esse, ab omni calumniæ, & impietatis suspicione vacuum, & qui nollet os sublinire mortalibus, sine alio fructu operis sui, præter mortem contumeliosissimam, quæ illi parabatur, & quam ipse prædixerat? testimonium Hominis hujus recti, atque integerrimi, quemadmodum illi ipsi testati sunt, a quibus illi struebantur insidiæ: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*: hoc, inquam testimonium, quod ipse *perhibet de se, testificans se* Messiam *esse, & Dei Filium*; hoc testimonium, *iterum dicam*, innixum, & suffultum omnibus circumstantiis temporis, & loci, per Prophetas connotatis, & rerum omnium, quæ validissimam possunt aliunde conjecturam probare, recusandumne est, ubi agitur de Nationis felicitate, & totius Mundi salute?

Idem sequitur argumentum.

Matth. 22.

In S. Joannis Baptistæ Nativitate, Pater illius, divino repletus Spiritu, prædixit, quid aliquando futurus esset hic Puer; applicavit illi propheriam Isaiæ, simulque ostendit illum, cujus *Puer iste futurus erat* Præcursor, fore Messiam *Altissimi Filium*, & verum Deum dicens: *& tu Puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis Plebi ejus in remissionem peccatorum eorum*: Patet in duplici hoc Oraculo Isaiæ, & Zachariæ omnes eos terminos Dominum Deum nostrum, Deum summum, vel Altissimum, significare eamdem Personam. Omnes Scriptores sacri, attribuunt hæc nomina eidem Personæ, quæ est Ens infinitum, aut supremum; si igitur JESU CHRISTO conveniunt; JESUS CHRISTUS habendus est pro Deo summo, pro Ente infinito, & ejusdem essentiæ cum Patre. At nonne videmus hæc omnia divina Nomina tribui JESU CHRISTO per Spiritum Sanctum? Eventus nonne probat, illum, quem Joannes Baptista præcursurus erat, esse *JESUM CHRISTUM*? quantum spectat ad me, hic Sanctus Præcursor ait: Baptizo vos in Aqua, sed qui venturus est post me, cujus dignus non sum corrigiam calceamenti solvere, hic vos est baptizaturus in Spiritu Sancto? Nonne liquet, illum, quem S. Joannes Baptista præivit, illum esse eumdem, qui vocatur Dominus Deus noster, Filius Altissimi? *præibis enim ante faciem Domini . . . Propheta Altissimi vocaberis . . . Rectas facite semitas Dei nostri.* Profecto Oraculum hoc convenire non posset, nisi Deo Patri, vel JESU CHRISTO considerato, quatenus Salvatore, & Deo; si hæc locutio litteralis est, convenire nequit æterno Patri, quia non venit; si figurata, Joannes Baptista non est Præcursor magis connotatus, quam Noe, qui prædicavit Diluvium, antequam accideret, neque modo diverso a Moyse, qui locutus est ad Pharaonem,

Isaiæ 14.

Explicatio Isaiæ per Zachariā Patrem Joannis, per quam probatur J. C. esse Deum. Canticum Zachariæ.

ut illum delimiret, & ad Populum Israel, ut illi persuaderet, quod sibi fuerat revelatum. Ita Noe, & Moyses erant Præcursores Dei, præparantes Populum ad recipiendas Dei Misericordias. Hæc sententia subsistineri non potest. Joannes Baptista vocatur Domini Præcursor eo modo, qui illius efficit characterem, atque illum distinguit.

Scientia quam habuit Deus Salvator futuri, & cognitio cordium probat illius divinitatem.

Non postremus Divinitatis character est scientia infinita, per quam Deus præterita æque cognoscit, atque futura, quin aliquid ipsum fallere possit; hoc autem sexcentis in occasionibus Salvator ostendit. Profecto Apostoli, quibus hoc erat persuasum propria experientia, nonne, dicebant illi, *Domine tu nosti omnia:* S. Paulus nonne addit: *in CHRISTO JESU sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei absconditi.* Angeli, cælestesque Spiritus non cognoscunt cordium secreta; hoc est privilegium Divinitatis JESU CHRISTI tamquam Dei: *tu solus nosti corda filiorum hominum*; hoc ipsum sæpe experti sunt Pharisæi cum JESUS CHRISTUS aperiebat cogitationes eorum, iisque respondebat, antequam loquerentur: *cum vidisset Deus cogitationes eorum, dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* ita, per effectum hujus Scientiæ, futurum prædixit Jerosolymæ excidium, progressum Ecclesiæ suæ, proditoris Discipuli perfidiam, negationem Principis Apostolorum, fugam Discipulorum, cum Pastor percuteretur, gloriosam Resurrectionem suam, triumphalem Ascensionem, effusionem Spiritus Sancti. Tempora omnia, sunt punctum præsens JESU CHRISTO. In ipso nihil præteritum est, nihil futurum, quis igitur credere abnuat JESU CHRISTI divinitatem? *annunciate nobis, quæ ventura sunt*, inquit Scriptura, *& dicemus, quia Dii estis.* Quis ergo ille est, qui religioso timore non corripiatur, cum animat fidem suam, & cogitat JESUM CHRISTUM verum Deum, & verum Hominem spectatorem esse omnium cogitationum suarum? Verbum hoc divinum esse, *sermonem Dei vivum, & efficacem, penetrabiliorem omni gladio ancipiti, pertingentem usque ad divisionem Animæ, & Spiritus, & nullam esse creaturam invisibilem ante ipsum.* Nonne ex corde nostro ejicere debemus pravas omnes cogitationes, omnesque motus abnormes jugulare, qui lædere possent majestatem illius, qui videt secreta cordium, eaque tandem universæ terræ manifesta facturus est?

Joann. 2. Ad Colos. 2. Paralippom. Matth. 9. Isaiæ 4. Hebr. 12.

Probationes, quas Salvator ipse dedit suæ divinitatis. Matth. 28.

Si alia quæruntur Divinitatis JESU CHRISTI argumenta, nonne ipse eam satis probat per effectus prorsus divinæ Potestatis? etenim, ut ait ille: *data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*; sed potestas adeo universalis, ac suprema, illi data non est, nisi, ut probet missionem suam; quin autem ostendat illam per apparatum, nitorem, & magnificentiam, quæ Judæi credebant futura ejusdem indicia; reipsa oportebat, ut indubias traderet probationes, quibus ostenderet, se illum esse Messiam, qui ab ipsis exspectabatur; *sed, cum illi nequaquam e re visum fuisset, in Mundum prodire, cum hoc fulgore, & magnifico* apparatu, quem sibi proposuerant *Judæi, oportebat* quidem, ut præberet argumenta magis probantia statum, quem elegerat, aptiorem esse ad eorum animos avertendos, quam ad oppositum illis persuadendum. Omnis ergo probatio, quam illis tradere poterat, ut persuaderet illis quid esset, humanitus loquendo, nihil esse poterat, nisi hæc sine limite potestas, manifestum suæ Divinitatis indicium, inquit Tertullianus: *Opera divina asserunt in illo divinam Potestatem*, & Salvator judicavit probationem hanc adeo validam esse ad persuadendum, ut Populo huic exprobraverit, ipsum execusatione indignum esse, eo quod miraculis illius non crediderit: *si non veniissem, & opera non feciissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent &c.* aliquam habere possent excusationem, & prætexere aliquem infidelitati suæ colorem; sed opera, quæ feci, perhibent testimonium de me: videlicet, superant naturæ vires, quale est certissimum miraculum, nonnisi a Deo proficisci posse, & miraculum præcipue patratum ad constituendam fidem veritatis, quale erat, hunc Hominem missum esse a Deo, & esse Messiam, quem præstolabantur, argumentum esse, quod omnem debebat dubitationem, omnemque, hac in re difficultatem auferre: cum autem JESUS CHRISTUS fecerit plurima id genus miracula, de quibus nemo dubitavit unquam, frustra Judæi conati sunt illis offundere caliginem. Nimis enim erant frequentia, nimis publica, nimis in Mundo celebrata, ita, ut nemo dissentire posset, & sola resurrectio Lazari satis est, ut quisque persuadeatur, & arguat, illum vere fuisse Deum; alioquin Deus sua auctoritate comprobasset mendacium, atque calumniam, quod omnino fieri non potuit.

Tertullianus in lib. de Trinit.

Alia probatio quam dedit Salvator suæ divinitatis, peccatorum remissio. Matth. 10.

Hæc potestas est, quæ unum decet Deum, & quæ unus est ex characteribus divinitatis, secundum testimonium inimicorum ipsius JESU CHRISTI; remittere peccata commissa contra divinam Majestatem. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* nam, quamvis post Legem novam, hæc potestas communicata fuerit Ministris Domini; hi non habent eamdem ex se, quemadmodum illam habebat tunc JESUS CHRISTUS, quatenus Homo-Deus; antequam illam cuipiam communicaret. Unde hæc inferri poterat argumentatio, cui Judæi non potuissent respondere; Dei unius est peccata remittere, hic effectus est divinæ Potentiæ, & nemo potest hanc sibi potestatem vindicare, eamque independenter exercere, quia unice pertinet ad auctoritatem Dei: Cum Salvatoris inimici principium hoc constituissent, ab illis non poterat in dubium revocari: *quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* atqui JESUS CHRISTUS peccata remisit, & Evangelium explicite pluribus in locis, hoc docet: *Vade, & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat . . . dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum . . . . tunc ait Paralytico: dimittuntur tibi peccata tua:* Atque ut evinceret hos homines gloriæ suæ invidentes de hujus potestatis veritate; & probaret, Filium Hominis vere Filium Dei esse; miraculum operatus est, ut tribueret gradum integræ certitudinis hujus articulo, ut sciatis, inquit, Filium Hominis habere hanc potestatem dimittendi peccata, dixit Paralytico: *tolle grabatum tuum, & ambula*; hic erat etiam unicus finis, propter quem Filius Dei venit in Mundum, cui reliqui fines erant substituti, remittendi peccata. Angelus loquens ad Joseph, nonne asserit: vocabis illum nomine JESUM; salvum enim faciet Populum suum a peccatis eorum; igitur verum quoque est, illum esse Deum verum, & verum Hominem. Locutus est, & se gessit, tamquam hominem: hic erat finis actionum, prodigiorum, & doctrinæ suæ, ostendere in semetipso utramque naturam, & efficere, ut in verbis, & actionibus suis cognosceretur simul Divinitas, & Humanitas.

Joann. 11. Matth. 10. Matth. 9. Ibidem.

Spiritus Sanctus addidit se socium æterno Patri ad procurandam Salvatoris gloriam, testimonium perhibendo Divinitatis ipsius, & exequendo id, quod JESUS CHRISTUS sibi ipse promiserat: *ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Clarificabit me, dicebat Apostolis suis; adhibebit sua lumina, & flammas in honorem meum, efficiens, ut cognoscar, & ut mihi amorem conciliet; adhibebit, quod recepit a me in gloriam ejus, quod ab illo recepi, videlicet humanitati meæ, cum mea divina Persona conjunctæ; profecto meminerimusne, quod Angelus de Cælo missus ad B. Virginem, nunciavit illi de magnalibus Filii, quem ipsa erat paritura; non dubites, quo minus Spiritus Sanctus, qui grande hoc miraculum operaturus erat, posuerit in ore interpretis sui verba, quæ protulit; *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Obliviscinequaquam potestis cum Salvator hic baptizaretur, & cum Pater æternus vocem suam protulit; Spiritum Sanctum apparuisse sub Columbæ figura; & intelligitis, hoc accidisse, ut per præsentiam suam honoraret Deum, qui se usque humiliabat, ut semet in peccatorum ordine constitueret; sed quoniam Spiritus sanctus, tunc sese in silentio continuit, audiamus nunc vocem ejus, vel potius legamus Scripturas, quæ sunt opus digiti *hujus Dei*, ut intelligamus quid ipse fecerit in gloriam Messiæ, & testimonium, quod perhibuit illi plura post sæcula, post suam nativitatem. De fide enim est, ea, quæ in veteri Testamento sunt nobiliora, referri ad gloriam JESU CHRISTI, & quidquid ibi dictum est, & factum ad gloriam ejus, dictum, factumque fuisse ad afflatum Spiritus Sancti. Fecit etiam, ad ipsius gloriam aliquid illustrius in lege nova ex ipso momento Incarnationis Verbi; ubi enim efformavit Corpus illius, satis non putavit replere Animam ejus omnibus donis suis, voluit, ut fons omnium donorum suorum totus effunderetur ad ostendendum hominibus donum Dei, per excellentiam in persona Hominis-Dei. Mox visibiliter apparuit super Salvatorem in Jordane, quemadmodum dictum est; per missionem divini hujus Spiritus aggressus est munus prædicandi Populis Evangelium suum, & ipse Apostolos animavit, ut perhiberent testimonium de Magistro suo, postquam super illos descendit in forma linguarum ignis, quod quomodo contigerit, nostis.

Spiritus Sanctus perhibuit testimonium de divinitate, & gloria Salvatoris.

Hoc in loco paucis verbis, cum Principe Apostolorum S. Petro, c. 3. Actuum, dicere possemus, Prophetas omnes, post Samuelem locutos fuisse de Adventu Domini nostri, & omnia vitæ suæ Mysteria prænunciasse; quorum recensio inutilis esse non potest, quandoquidem probat ad evidentiam, gloriam, & dignitatem Salvatoris; *scrutamini Scripturas*, dicebat Salvator ipse Judæis, *illæ sunt, quæ perhibent testimonium de me.* Diligenter legite Scripturas, & admirabimini videntes descriptiones, & peculiares circumstantias earum rerum, quæ ad me pertinent: profecto S. Augustinus ait: universum Judæorum Populum fuisse magnum Prophetam, per sanctas litteras veteris Testamenti, cujus adhuc sequester est, tanto magis fidæ dignus, quanto magis favent Christianis contra illum ipsum. Isaias Propheta prædixit illum, qui venturus erat ad Mundum salvum faciendum, de Matre virgine esse nasciturum. Michæas prædixit locum, ubi nasceretur; & iidem Prophetæ, qui prædixere temporalem illius Nativitatem, meminerunt etiam æternæ: *ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

Testimonium Prophetarum.

Joann. cap. 5.

August. contra Faustum lib. 9. cap. 22.

Isaiæ 7.

Mich. 5.

Mich. ibid.

David

Pſalm. 72. David prædixit Magorum adorationem; Jeremias cædem innocentium, & Herodis perſecutionem; Oſee fugam in Ægyptum, non ſecus ac reditum, ille, qui ex Prophetis meritus eſt nomen Evangeliſtæ, eo quod de rebus futuris eadem perſpicuitate locutus eſt, ac de præteritis, memorat reprobationem Judaici Populi, & gentilium vocationem, quemadmodum etiam fundationem Eccleſiæ, & Legis novæ prædicationem.

Oſee 11.

Zachar. 9. Zaccharias prophetavit ingreſſum JESU CHRISTI in Jeruſalem; mox opprobria, quibus afficiendus erat, poſtquam triumphans fuerat exceptus; duorum latronum circumſtantia, inter quos crucifixus fuit, ab Iſaia narratur; Amos verba facit de generali eclypſi, quæ tunc tenebris terram univerſam cooperuit; Oſeas verba facit de JESU CHRISTI victoria, de inferno, quo ille deſcendit, & de morte per glorioſam Reſurrectionem ſuam; Malachias locutus eſt de auguſto Altarium noſtrorum Sacrificio; Zacharias de adorabili Euchariſtiæ Sacramento, denique omnes fere de ſecundo Adventu in fine ſæculorum, deque univerſali Judicio; ſed nemo melius locutus eſt de Myſteriis Meſſiæ, quam Rex ille, de quo originem, & genus ducturus erat, & qui illum proſpexit in duplici ſtatu maxime oppoſito, videlicet in paſſionibus, & opprobriis Crucis, & in gloria Reſurrectionis, & Aſcenſionis ejuſdem. Verum, quæ major Divinitatis, & magnalium JESU CHRISTI probatio proferri poteſt, quam hoc ipſum prædictum, & prophetatum fuiſſe tot ſæculis, antequam appareret?

Iſaiæ 53. Amos cap. 8. Malach. 1.

Teſtimonium Apoſtolorum de divinitate, & magnalibus JESU.

Hic locus non eſt ad examen vocandi teſtimonium Apoſtolorum, tum eorum, qui ſcripſerunt, vitam, & actiones Salvatoris, cum eorum, qui Populis annunciaverunt ejus Myſteria, & religionem. Apoſtolorum, inquam, teſtimonium, quanti faciendum ſit, & quanti ponderis eſſe debeat eorum auctoritas; dicere nobis liceat modum, quo ſcripſerunt alii, alii vero prædicarunt veritates, quas a ſuo Magiſtro didicerant; ſatis oſtendere, neutros incidere potuiſſe in aliquam ſuſpicionem alicujus cupiditatis, & quemadmodum non potuerunt aliquem affectum inducere, quem illis non afflaret Spiritus Sanctus, illos nunquam potuiſſe, neque auſos fuiſſe id exequi, niſi ab eodem Spiritu impellerentur, & agerentur; quoniam nihil illis exſpectandum, vel ſperandum erat *ab hominibus*. Sed e contra ſe *objiciebant contradictionibus Judæorum, odio gentilium*, furori, & perſecutioni tyrannorum; ideoque ſuppliciis teterrimis, ex quibus inferendum eſt, illis, ante alios, perſuaſum fuiſſe de Divinitate Magiſtri ſui, & de veritate Religionis, quam inſtituere volebant. Ecce igitur pars teſtimoniorum, quæ illi perhibuerunt: S. Thomas, unus omnium maxime incredulus, qui profeſſus fuerat, ſe nunquam crediturum, niſi propriis ſenſibus; poſtquam convictus fuit, illum vocat ſuum Dominum, & Deum: *Dominus meus, & Deus meus*. S. Joannes incipit Evangelium ſuum per hæc verba: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, &c.* quæ omnes indicant characteres Divinitatis. S. Petrus *perhibet teſtimonium* gloriæ Salvatoris hujus, quam viderat, & verba, quæ audiverat, cum ille ſibi in Thabor transfiguratus apparuit: *accipiens a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſmodi a magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, & hanc vocem audivimus de Cælo allatam, cum eſſemus cum ipſo in Monte Sancto*. Alii Apoſtoli, & Diſcipuli oſtenderunt ſe perfecte convictos fuiſſe de Divinitate illius, a quo mittebantur, & de veritatibus, quas nomine ipſius annunciabant; alioquin, ſi credidiſſent, ſe deceptos fuiſſe, nunquid omnia reliquiſſent, & omnia paſſi eſſent; ut calumniam foverent, ſumptibus ſuæ quietis, honoris, & vitæ?

Joann. 20. 2. Petri c. 1.

Animadverſio in probationes veritatis, & in teſtimonia divinitatis J. C.

Miſſa faciamus cetera argumenta, & innumera teſtimonia, quæ de Salvatoris Divinitate, ejuſque magnalibus afferri poſſent, ut id animadvertamus, quod nos in ea, quam habemus, fide, poteſt confirmare. Profani hiſtorici, majoremne merentur fidem, ubi loquuntur de Cæſarum imperio; Exempli gratia, & de rebus geſtis, quas ſcripſerunt, quam Prophetæ, Evangeliſtæ, Apoſtoli, Martyres, & plurimi etiam auctores infideles de mirabilibus Nativitatis Domini, de miraculis vitæ illius, de prodigiis mortis, de Reſurrectionis gloria, de Aſcenſionis triumpho? & omnia hæc facta, quæ teſtata reliquerunt tot auctores, qui, ut loquitur Scriptura, efficiunt teſtium nubem, nonne ſunt ſatis validæ probationes, ut nobis perſuadeant, hunc Hominem, de quo præbentur teſtimonia adeo ampla, & authentica, eſſe infinite ſupra homines? ſcio, cum agitur de hiſtoria, auctores, qui, ut plurimum, majorem merentur fidem de his rebus, quæ ævo ſuo contigerunt, &, ut ita dicam, ſub oculos eorum, non ſemper ſatis eſſe in plurimis tutos, namque favor, metus, ſpes, & affectus varii efficere nonnunquam poſſunt, ut veritatem diſſimulent, & ſæpe minus ſcribant hiſtoriam, quam Principum ſuorum Panegyricum. Sed nulla ſimilis cogitatio impellere poterat eos, qui de JESU CHRISTO locuti ſunt, ut illum, tamquam Deum traducerent, niſi illis omnino de hac re perſuaſum fuiſſet. Hoc ſaltem dici non poteſt de Prophetis, & de Patriarchis, qui tot ſæculis illum præceſſerunt; quod vero ad Apoſtolos, & Evangeliſtas attinet, non video, quænam cauſſa illos impellere potuerit, ut in honorem ejus, facerent, & paterentur quidquid fecerunt, & paſſi ſunt. Si temporum decurſu agnoviſſent *illum*, tamquam calumniatorem, & Sycophantam, dum viveret; ſi mors tandem illis errorem abſtuliſſet, non erat quid ſibi ab illo vel timerent, vel ſperarent; & fidelitas, amor Patriæ, gloria veri Dei, quem adorabant, ac ſexcentæ aliæ rationes humanæ, & divinæ ſuadebant illos, ut facerent prorſus oppoſitum eorum, quæ fecerunt.

Quod ſpectat ad teſtimonium hominum, quamvis illud inimicorum ſuorum in favorem Salvatoris Mundi, ſit irreprehenſibile, & Deus ſæpe oblectatus fuerit ex illorum ore elicere confeſſiones Filio ſuo decoras; infideles tamen, non ſatis illum cognoverunt, ut de illo pro meritis loquerentur. Quidam ex illis, qui maxima ingenii laude floruerunt, quærens regulam morum, quæ tuta eſſet, & certa, ait; hominem parem non eſſe, ut ſit morum norma, hanc Deum eſſe debere, præcipue vero, ſi Deus fieret Homo; *non Homo, ſed Deus eſt, maxime vero, ſi Deus fiat Homo*; Cumque ab hoc Philoſopho quæreretur, quouſque leges illius ſervare teneremur, reſpondit: id, quod innuit aliquam cognitionem Incarnationis divinæ Perſonæ: donec ſit in terra Legislator, qui ſit homine major, *& qui omnibus hominibus fontem veritatis aperiat*. Videtur etiam alius neſcio quis, qui tanta non gaudet Nominis celebritate, nequaquam magnum hoc ignoraſſe Myſterium, cum ait: Opus eſſe, ut Filius Dei mitteretur ad medelam afferendam malis omnibus, quibus terra erat infecta, atque, ut ita dicam, obruta, & ſubmerſa, quaſi univerſali colluvione; ſed fortaſſe duo iſti, ethnici ſapientes, cum hoc pacto loquerentur, hauſerant lumina ſua ex libris noſtrorum Prophetarum, & ſane liquet, eorum mentis aciem, nequaquam pervenire potuiſſe ad intelligendum ſenſum eorum verborum, quæ proferebant; *quandoquidem hic* Homo-Deus, quem credebant *neceſſe eſſe*, ut in Mundum veniret, *nondum apparuerat*, ut ferrent judicium *de miraculis ejus*, & *placitis* Evangelii ſui, *auctorem* tot prodigiorum, & legum vere Sanctarum, vere Deum eſſe. Imperatores nonnulli, poſt illius mortem perciti rumore miraculorum, & ſanctitate vitæ ipſius, voluerunt, illum accenſere diis ſuis, & Tertullianus teſtatur, Pilatum de hac re litteras deriſſe ad Imperatorem Tiberium, a quo propoſita fuit in Senatu hæc Apotheoſis. Alius decreverat illi templum ædificare, ſed falſorum deorum Sacerdotes illum de hac mente ejecerunt, & Alexander Severus, ob inſignem, & peculiarem æſtimationem, quam de JESU CHRISTI Perſona conceperat, imprimi juſſit ejus Imaginem in operibus publicis, *æque ac in ædibus ſuis*, quod *ſatis oſtendit quanti JESUS CHRISTUS ab infidelibus fieret*, quamvis aliunde illum *dedecore* afficerent, rati, illum quidem hominem eſſe non vulgarem; vel ad ſummum, dignum, qui inter deos ſuos, idola videlicet, accumberet.

Teſtimonium infidelium pro divinitate J. C.

Plato Divinus vocatus.

Triſmegiſtus.

Imperator Adrianus apud Lampridium.

Nonne mirum eſt videre, veritatis vim coegiſſe infeſtiſſimos Salvatoris inimicos, ut illius divinitati perhiberent teſtimonium; nam nonne ipſe impius Porphirius apertiſſimus Chriſtianæ Religionis inimicus, qui nihil intentatum reliquit, ut illam *exſcinderet, convelleretque*, teſtatus eſt *ex ipſa dæmonum confeſſione*; JESUM CHRISTUM *ſingulari virtute*, beatam meritum fuiſſe immortalitatem. Quid de Mahometto dicam; nonne fatetur, JESUM verum eſſe Meſſiam miſſum a Deo, cujus habebat ſpiritum, & virtutem? Nonne fatetur, illum Verbum eſſe Dei in ſinu Virginis, cui nomen Maria: Legem recentem, quam hominibus tulit, & quam in Judæa prædicavit, nihil, niſi verum complecti, & ipſum poſtquam adimplevit miſſionem ſuam, in Cælum ſublatum fuiſſe ad reciendam mercedem laborum ſuorum. Quid dicemus modo de dæmoniis, & de honore, quem inviti JESU CHRISTO detulerunt? Lactantius refert partem oraculorum, quæ ſuperbi iſti ſpiritus divinitatem appetentes, coacti fuerunt proferre in laudem Divinitatis Domini noſtri; & plurimi Doctores aſſerunt, inanium horum deorum ſilentium, ſæpe veri Dei gloriam publicaſſe; cum ſervi eorum permiſere tantum, ut dicerent ſibi auguſto, ac terribili nomine JESU, *os obſtrui*.

Infeſtiſſimi inimici J. C. teſtimonium perhibuerunt de illius divinitate.

Silentio prætermittamus quidquid infidelitas nobis ſuppeditat in hoc argumento, & conjiciamus oculos in magnum illud lumen, quod accendit Deus in paganiſmo, ut ſpiritus ad lumen majus præpararet. De ſybillis loquor, Virginibus Prophetiſſis, quarum virginitas merita eſt donum prævidendi noſtra Myſteria adhuc futura; nam, quamvis Sancti Patres uſi fuerint oraculis harum Virginum Ethnicarum perſuaſuri de noſtris veritatibus cultores idolorum; quomodo detrectari poſſunt teſtes, quos ipſi etiam Pontifices, & idolatriæ miniſtri venerati ſunt? S. Juſtinus, *Theophylus* Antiochenus, Clemens Alexandrinus, *S. Auguſtinus*, aliique multi Eccleſiæ Doctores uſi ſunt pluribus

Teſtimonium Sybillorum.

in locis ad probandas res plures, quas ab Evangelio docemur; & Lactantius, qui fuerat idolorum Sacerdos, post conversionem suam, sedulam navavit operam, collecturus ea, quæ supersunt pretiosa antiquitatis monumenta. Nihil singillatim profero de harum Sybillarum Vaticiniis, quia hæc omnibus patent, præcipue vero duæ insignes prædictiones, de quibus Latinorum Oratorum, poetarumque Principes, satis perspicuis verbis sermonem habuerunt.

Adoratio tribuitur J. C. in Scripturis; igitur Deus est, sicut est homo.

JESUS CHRISTUS; qui suam probavit cum Patre æqualitatem, attulit etiam argumenta, quibus probavit sibi eumdem, quem Patri, honorem esse deferendum, cum quo unum tantummodo efficit per unitatem Naturæ, omniumque perfectionum, quæ illius sunt attributa; petit etiam honorari cultu eodem, iisdemque obsequiis, tamquam Deus unus cum illo;

Joann. 5. *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Propheta nonne prædixerat hanc cultus æqualitatem,

Psalm. 55. cum dixit: *adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei?* Nonne Omnipotentis imperio Angeli, & omnes creaturæ jussi fuerunt adorare JESUM

Ad Hebr. 1. CHRISTUM simulac in Mundum prodiret: *& cum primum introduxit Primogenitum in Orbem, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus.* Uni Deo adoratio reservata est. *Soli Deo omnis honor, & gloria;* Cur enim Pater æternus jussit JESUM CHRISTUM sedere ad dexteram suam? nonne, ut reciperet easdem adorationes, ac ipse ab omnibus rebus creatis, quia ille est divinitas eadem: *sedet a dextris meis; sic a dextris,* S. Chrysologus ait, *sede Filius, ut Pater non sedeat a sinistris: unica, & singularis est divina confessio,*

Serm. 28. *ubi Superna Virtus recipit nihil sinistrum:* ita cognitio JESU CHRISTI, & cognitio Patris, nobis proponuntur, tamquam duo æqualia objecta, vel potius, tamquam objectum unum, quod constituturum est electorum beatitudinem. Vita æterna in eo sita est, ut cognoscamus Deum verum, & JESUM CHRISTUM

Joann. 17. Filium ejus: *hæc est Vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM.* Ita Sanctus Joannes explicite ait, JESUM CHRISTUM ve-

1. Joann. ult. c. re esse Deum, & esse Vitam æternam: *Hic est vere Deus, & Vita æterna.* Cur autem JESUS CHRISTUS non adoretur tamquam Deus, quandoquidem est substantialis imago Patris, splendor gloriæ illius, lumen luminis illuminantis omnem hominem venientem in

Ad Hebr. 1. Mundum? *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Ille accipiens servi formam, humiliavit se, ita tamen, ut non amiserit formam Dei; Divinitas, per hanc affinitatem, nullam passa est imminutionem,

Tractat. 7. in Joann. S. Augustinus inquit: *semetipsum exinanivit formam servi accipiens: non ergo se exinanivit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat.* Ne separemus ergo adorationes nostras. Pater nonnisi per Filium potest honorari; ad Patrem itur dumtaxat per Filium, creata omnia *cultus* suos adhibent Omnipotenti, & Agno *super Thronum illius sedenti.* Nostrum est, non secus ac Spirituum beatorum, *quos Æternus* jussit adorare JESUM CHRISTUM, statim ac in *Mundi* lucem prodiret, in præsentiarum, cum exuit quidquid in eo terrenum erat, per unionem carnis nostræ; adoremus illum in Cælo a dextris Patris sui, & nosmet conjungentes cum Senioribus viginti quatuor, & cum universa Aula Cælesti clamemus, Agno, qui sedet ad dexteram Patris, honor, & gloria omnis in *sæcula sæculorum.*

Ascetici distinguunt tres nativitates in J. C. Divinam, Humanam, & ex sinu sepulcri.

Cum S. Paulus dixit nobis JESUM CHRISTUM prædestinatum fuisse, ut esset Filius Dei, in suprema Potestate, secundum Spiritum sanctitatis, per resurrectionem ex mortuis; nonne palam probat tres admirabiles Nativitates JESU CHRISTI? profecto nonne declaratus fuit Dei Filius per potestatem, quam in omnem naturam exercuit, in omnia elementa, in omnes *morbos*? hæc sententia est Theophylacti dicen-

Theophylactus in cap. 1. ad Roman. tis: *manifestatus est Filius Dei in virtute per Spiritum sanctificationis.* Ecce ergo divinam hanc generationem substantiæ, & sinus Patris, ad producendum cum illo amorem æternum, & consubstantialem: si hæc generatio ineffabilis est, miracula JESU CHRISTI nonne fidem ejus constituunt? *prædestinatus est in virtute*

Ad Rom. 1. *Filius Dei.* Humana Nativitas, ac temporalis ex substantia, & sinu Mariæ connotatur per hæc verba: illum prædestinatum esse Dei Filium, per Spiritum sanctificantem, cum ex purissimo Sanguine pudicissimæ Virginis, Spiritus divinus effinxit Corpus æterno Dei Verbo; denique Nativitas JESU CHRISTI ex sinu sepulcri in gloria, & in immortalitate, ad statuendum Dei Regnum, & Ecclesiam suam, designatur per

Ibidem. Resurrectionem mortuorum: *qui prædestinatus est Filius Dei, ex resurrectione mortuorum.* Immoremur stabiles in tribus hisce articulis Fidei nostræ, adoremus JESUM CHRISTUM in sinu Patris, penetraturi hoc ineffabile, & incomprehensibile Mysterium; adhibeamus illi omnia obsequia in hoc humiliationis Mysterio, ubi non exinanivit seipsum, nisi nobis daturus secundam Nativitatem, & ablaturus illam, quam accepimus ex infecto primi hominis fonte. Resurgamus cum illo non amplius morituri, per gloriam, quam sperамus ab illius divinitate, quæ illum Patri coæquat suo; quandoquidem nobis pollicitus est nos futuros Deos, profecto jam promissionis hujus arrhas accepimus, quia recepimus, ut JESUS CHRISTUS, vitam Spiritualem in Sacramento illuminationis, & denique, cum ille sit vita, & resurrectio, resurgemus cum illo, & cum ille apparebit, similes erimus illi, per adoptionem, quemadmodum ipse similis est Patri per naturam: *cum apparuerit tunc similes ei erimus.* 1. Joann. c. 3.

Divinitas per Incarnationem immutata non est, igitur J. C. est Deus. Lib. 1. de Trin. cap. 7.

JESUS CHRISTUS, qui est consubstantialis imago Patris accipiens formam servi, nequaquam amisit formam Dei. Deus est, & Homo est, inquit Augustinus: *uterque Deus, & uterque Homo.* Creator est rerum omnium, pergit Pater idem, per Divinitatem, & est Salvator hominum per Humanitatem. Impassibilis est in seipso per divinam Naturam, quemadmodum passibilis est per humanam; taliter conservavit proprietates duplicis hujus Naturæ, ut per hoc probaverit, se a Matre veram carnem recepisse, & ab æterno Patre privilegium Divinitatis. Hæc est eadem Persona divina, quæ perfecte in se una conjunxit proprietates adeo oppositas, ita ut semper servaverit, quod proprium erat divinæ Naturæ, & nihil de illa, per hanc affinitatem fuerit imminutum; ita JESUS CHRISTUS, per Divinitatem suam est immensus, & per Humanitatem, intra exiguos sane terminos coarctatus est. Per carnis suæ infirmitatem, sequitur laudatus Pater, crucifixus fuit, & mortuus est, &, per vim Divinitatis suæ, non mansit in Sepulcro. Vita igitur mortem passa est, sed per carnem hanc mortalem, quam vita acceperat; & caro facta est immortalis, sed per virtutem divinitatis, cum qua *erat conjuncta*; cum ergo dicimus: Filium Dei esse immutabilem, & coæternum Patri suo, loquimur de Filio Dei, considerato, quatenus Verbum est, & cum dicimus Dei Filium sepultum fuisse, loquimur de Filio Dei considerato, secundum carnem, qua indutus est: *unde idem Filius Dei inecommutabilis Patri, atque coæternus Patri, sed in Verbo solo; & sepultus est Filius Dei, sed in carne sola.* Igitur diligenter distinguendum est, quod dicimus de Filio Dei; neque enim numerus trium Personarum Divinæ Trinitatis crevit, cum Verbum caro factum est; nam, sicut in Homine corpus est, & Anima, & nihilominus una tantum persona est: similiter in JESU CHRISTO Verbum, & Homo non sunt, nisi una eademque persona, quam Dei Filium vocamus; atque ut familiari utar similitudine, Philosophus ita vocatur solum propter perfectiones Animæ, quæ sedes est ratiocinationis, & Philosophiæ; & nihilominus bene dicimus, Philosophum interfectum fuisse, & fuisse sepultum, quamvis hæ loquendi rationes non intelligantur nisi de corpore Philosophi, & non secundum partem, per quam vere Philosophus est; ita non male dicimus, JESUM CHRISTUM esse Filium Dei, Verbum æternum, Deum gloriæ, Patri suo æqualem in omnibus, & simul dicimus bene, Deum esse mortuum, Deum fuisse crucifixum, quia neque mortuus est, neque crucifixus, nisi secundum carnem, qua indutus fuit, non autem, quatenus est Filius Dei, Rex gloriæ, & summus Dominator, *&, sicut Homo. Verb. Grat. Philoso-* Idem ibid. *phus non dicitur, nisi secundum animam, nec tamen ideo absurde, sed congruentissime, & usitatissima locutione dicimus: Philosophum cæsum, Philosophum mortuum, Philosophum sepultum, cum totum, secundum carnem accidat, non secundum id, quod est Philosophus; ita CHRISTUS, Deus, Dei Filius, Dominus gloriæ, & si quid hujusmodi, secundum Verbum dicitur, & tamen recte dicitur, Deus crucifixus, cum hoc secundum carnem, passum esse, non secundum id, quod Dominus Rex gloriæ est.*

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Magnum, & difficile opus est loqui de magnalibus JESU.

SI Verbum Incarnatum est mundus integer perfectionum, quemadmodum a quodam S. Patre vocatur, & si, secundum Apostolum, Deus in se uno collegit quidquid magnum est in Cælo, & in terra; velle, hodierna die, unico sermone complecti omnia ejusdem magnalia, nonne tantæ temeritatis opus est, quantæ audere immensam maris extensionem cava manu complecti? hæc tamen illa est necessitas, ad quam me redactum video, & extrema difficultas, cui memet implicui cum hanc ingressus sum provinciam exornandi elogium magnalium JESU CHRISTI, in quo omnes Scientiæ, & Sapientiæ Dei thesauri continentur. Etenim quin loquar de Perfectionibus omnibus, quas habuit ab æterno in sinu Patris sui, ubi splendor est gloriæ, figura substantiæ, & vivens imago bonitatis ejus; tunc etiam, cum exinanivit se, servi formam accipiens, ut loquitur S. Paulus, videlicet faciens se hominem, non ita delevit omnes characteres magnitudinis suæ, qui semper distinxerunt illum a reliquis

homi-

hominibus, ut non paſſus fuerit aliqua identidem elabi ſibi lineamenta, quæ fecerunt, ut haberetur pro Filio Dei Vivi, & quæ coegerunt Populos, ut ad adſpectum mirabilium prodigiorum ſubinde clamarent: *quis eſt hic?* quia Mare, & procellæ obediunt illi? *Auctor Sermonum in omnia argumenta tom.* 1. *Myſteriorum.*

Cur Evangeliſtæ majori cura de JESU CHRISTI humiliationibus egerint, quam de ejuſdem Magnalibus.

Mirum eſt, Dei Filium in terram delapſum, ut ab hominibus dignoſceretur, majorem impendiſſe curam in celandis, quam in detegendis Magnalibus ſuis in oculis omnium; illud vero auget admirationem noſtram, quod voluerit, ut Evangeliſtæ, qui ejus Nativitatem, vitam, & mortem nuntiarunt, latius differerent de humiliationibus, quam de Magnalibus ſuis; de quibus, nonniſi obiter habetur ſermo. Videmus enim ibi Incarnationem ſuam in ſinu Virginis, quæ cum Apoſtolo vocari poteſt exinanitio; Nativitatem ejus in ſtabulo; Circumciſionem, per quam geſſit characterem peccatoris, vitam ad trigeſimum uſque annum abſconditam, labores, perſecutiones, paſſiones, opprobria, & ignominias mortis, quæ totidem ſunt ſuarum infirmitatum indicia. Hæc omnia diligentiſſime memorantur, in lucem ſuam proferuntur, viviſque coloribus repræſentantur; ſed quod pertinet ad ejus Magnalia; Perſonæ dignitatem, & divinam filiationem, necnon æqualitatem cum Patre, aliaſque perfectiones, vel, ne leviter quidem perſtrinxerunt Evangeliſtæ, vel ſatis putarunt, ea eſſe, quæ a Prophetis prædicta ſunt, vel minimam duntaxat retulere partem eorum, quæ ſibi a Magiſtro ſuo fuerant revelata. Hæc agendi ratio, oppoſita viſa fuiſſet conſilio Salvatoris deducendi homines ad Veri Dei cognitionem, & inſtituendi novam religionem in idololatriæ ruina; niſi Dei conſilia infinite eſſent ſublimiora conſiliis hominum, & ſi, quod apud illos inſaniæ habetur loco, reipſa, Apoſtolo teſte, non eſſet imperſcrutabilis Sapientia. Quin igitur hanc agendi rationem cenſoria nota perſtringere audeamus, aſſequamur complurium Doctorum ſententiam aſſerentium, ſatis fuiſſe Salvatori præbere valida argumenta ſuæ Divinitatis, per tot publica miracula, per glorioſam reſurrectionem ſuam, per teſtimonia, quæ Spiritus Sanctus perhibuit de illius Perſona, ut homines credere tenerentur ea, quæ de divinis perfectionibus ſuis fuere *revelata*, per Prophetas, nolens *afferre apertiores probationes ejus*, quod erat, ut fidei, quam efficere cupiebat præcipuum humanæ ſalutis medium, relinqueret aliquod exercitium, ad eam promerendam; eo uſque, ut aliquando interdixerit tribus diſcipulis ſuis in publicum proferre exiguum illud gloriæ ſuæ ſpecimen, quod iiſdem in Thabor oſtenderat, veritus ne hinc nimis cognoſceretur, & mori prohiberetur per invidiam, quam ejus inimici jam contra ipſum conceperant, propter magnam nominis celebritatem. Poſt mortem vero, non ſolum paſſus eſt, verum etiam imperavit, & præcepit Apoſtolis, ac Miniſtris omnibus verbi ſui, ut ſua nuntiarent Magnalia, divinitatem, æternam Nativitatem, *voluitque omnes ſcire, quinam eſſet, ad* quem finem in terram veniſſet, doctrinam, quam docuerat; religionem, quam inſtituerat; cultum, qui ſibi debebatur; & gloriam, quam omnia ſimul creata præſtare debent tamquam Domino Univerſorum; quod dilectus diſcipulus, & S. Paulus Apoſtolus, magnifice nuntiarunt: *Regi ſæculorum immortali; ſoli Deo honor, & gloria.* Idem.

Quomodo loquendum ſit de Magnalibus JESU ad exemplum S. Pauli.

Aſſuefcamus fideles, loqui S. Pauli linguam, ubi verba facit de magnalibus JESU. Ille hæc didicerat in tertio Cælo, quo fuerat raptus, & licet ille prædicaſſet omnia ſecreta, quæ revelare eidem minime licuit, audeo dicere, illum, nihil majus, vel glorioſius fuiſſe dicturum de hoc Homine-Deo, quam dicendo, ut dixit, illum omnem ſuperare magnitudinem, ordinem, elevationem: *donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen.* Erat neceſſe, ut elevaretur hoc pacto ſuper homines omnes, & Angelos, & Poteſtates, ut ipſe loquitur, *ſupra omnem principatum, & Poteſtatem*, pro officiis muneris ſui, ad quod in terras deſcendit, atque ut omnia ejuſdem adimpleret munera, cujuſmodi ſunt, nos ſalvos facere, eſſe Caput noſtrum, Magiſtrum, mediatorem noſtrum, & conſtituere nos in omnia jura, de quibus excideramus; ad id enim, oportebat, illum eſſe Deum, & Hominem ſimul, ut perſonæ dignitas infinitum præberet actionibus ſuis pretium, aditum mediationi ſuæ, juſtum pondus exemplo, æqualitatem Juſtitiæ ſatisfactionibus ſuis, ac tandem ſatis validam interceſſionem ad obtinenda per meriti viam, ea omnia, quæ ipſe in favorem noſtrum petere poſſet. Cum igitur hæc omnia eſſent neceſſaria ad satis digne obeunda omnia ſuæ dignitatis officia, & omnia hæc ſuſcepta facinora illi beneverterent, oſtendit præſtantiam, ſuperioritatem, &, ut verbo dicam, Magnitudinem, atque Naturam.

Ad Phil. 2.

Ad Epheſ. 1.

Incarnati Verbi gloria reſilit in nos membra ſua: & intereſt noſtra illiam

Eſto quidem Dei Filius ſeſe infinitum abjecerit, &, uti loquitur Apoſtolus, ſe exinaniverit, ſe faciens nobis ſimilem; nihil tamen imminutum eſt de illius Magnitudine, quoniam ſemper eſt Deus, Verbum Æternum, Splendor gloriæ Patris ſui, & infinitus in omni genere perfectionum, quod exigit a nobis omnia officiorum genera, ſubmiſſionis, reverentiæ, & fidelitatis erga ipſum; ſed præſertim noſtra intereſſe debet, gloriam ejus procurare, tamquam id, quod redit in nos ipſos, quoniam, quo major eſt ille, eo glorioſius eſt nobis ad ipſum pertinere, & adeo prope ad illum accedere, ut, cum *ipſo*, faciamus unum idemque Corpus, cujus ipſe Caput *eſt*. Cur ergo non ineſt nobis idem deſiderium, *efficiendi*, ut cognoſcatur, & idem ardor ad gloriam illius *promovendam*, quem ſubditi omnes gerunt pro gloria Domini ſui, & milites pro Imperatore, qui illis præpoſitus eſt? Cur non eodem animi affectu illum tuemur, cum ab impiis laceſſitus ſit, quem membra ſentiunt pro capite, ſuopte ingenio objiciendo ſe pro illo, & non minori cura illius incolumitatem procurando, quam propriam? Videmus quanta cura ſalutem noſtram quæſierit, qui illius membra ſumus; quomodo ſeſe objecerit, quomodo fecerit omnia, donaverit omnia, & omnia paſſus fuerit, ut nos defenderet; quomodo voluerit nos efficere participes gloriæ ſuæ, quomodo adierit poſſeſſionem pro nobis, quomodo nobis pepererit jus ad id contendendi, quod non poteſt ultra in dubium revocari. Cur igitur membra non efficient aliquid ſimile pro Capite? Verum eſt Magnitudinem ſuam, æque ac interiorem, & eſſentialem gloriam, cum ab illius perſona nequeat ſeparari, ſemper eamdem futuram, quæ fuit ab Æterno; ſed illa, quæ illi accidit ab extra, pendet quodammodo a nobis, a ſubmiſſionibus, & obſequiis noſtris, quemadmodum gloria Capitis, Domini, & Magiſtri, eſt habere membra, ſubditos, diſcipulos, ſibi penitus devotos, & a quibus plurimi fiant, & diligantur, in quo proprie exterior gloria conſiſtit. Sed ubi nam eſt honor, quem profitemur Salvatori Mundi eminenter omnes has qualitates poſſidenti, cum in ipſum inſurgimus noxiis rebellionibus noſtris? Ubi nam obſequium eſt, quo illius mandata capeſſimus; tunc cum impune infringimus illa? Ubi nam gloriæ *ſuæ cura*, *cum* qui deberemus nobis honori *vertere*, *& profiteri* ſervitutem noſtram, *ſæpe erubeſcimus*, *eo* quod Chriſtiani *videmur*, *& hoc ipſum* præclarum Nomen, per actiones *illuſtri* hoc Nomine indignas inhonoramus? *Idem.*

procurare cum ille ſit Caput noſtrum.

Divinitas eſt fons omnium Magnalium JESU.

Ad Coloſſ.

Fons, ac principium magnalium Verbi hujus Incarnati eſt hæc divinitatis plenitudo, quam Apoſtolus illi tribuit per hæc Verba: *In ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Cum dicit *omnis* nihil excipit, cum dicit *plenitudo*, ſignificat, ſe non recepiſſe gratiam, vel Spiritum Sanctum in menſura, quemadmodum ceteros; ſed tantam, quantam capere poterat; & cum addit *plenitudinem Divinitatis*, exprimit omnes perfectiones poſſibiles, & excogitabiles, & cum dicit, *Corporaliter*, intelligit, ipſum illas poſſidere, quatenus Hominem-Deum, *eodem in ſenſu*, in quo alibi dicit: *ſe continere in ſeipſo omnes Scientiæ & Sapientiæ Dei theſauros; in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ reconditi*. Illos theſauros vocat, ut ſignificet plenitudinem, divitias, & copiam; nam, ſicuti theſaurus non uno tantum conſtat aureo nummo, ſed acervo conquiſito ſollicite, & jam pridem ſeorſim repoſito; ita Divinitatis theſauri in hoc Homine-Deo continentur, quia omnes poſſibiles perfectiones ibi congeſtæ ſunt: & ſi ſcire cupis quænam ſint hæ opes, hæc bona, hæ *perfectiones*, *cum* Sancto Bernardo reſpondebo, *hanc eſſe plenitudinem* gloriæ, Majeſtatis, & poteſtatis in ſinu *Patris ſui*; plenitudinem gratiarum, & donorum *Spiritus Sancti*, plenitudinem meritorum, & ſatisfactionum in Cruce. *Idem.*

Ibidem.

Si Deo Homini ſunt excogitabiles omnes perfectiones, undenam adeo Parum illum diligimus? Prov. 3.

Ne diutius immorer perfectionibus divini hujus Hominis, ſatis ſit ea dicere, quæ de illo dicit Scriptura ſub nomine increatæ Sapientiæ. *Omnia, quæ deſiderantur huic non valent comparari*. Quinam fons amabilitatis ad ciendum in nobis amorem ſui? ſi enim pulcritudinis radius nos illicit; ſi ſplendor gloriæ Mundi nos perſtringit, & faſcinat; ſi ſpes poſſidendi id, quod placet, jucunde adeo nos allicit; unde nam fit, ut Cor noſtrum minime afficiatur amore illius, qui poſſidet plenitudinem omnium perfectionum, in quibus Deus complacet ſibi? Nonne erit illis ſatis illecebrarum, ut amorem noſtrum promereantur? Fateor perfectiones ſuas nimis enituiſſe in ſinu Patris Æterni, & ipſa propria lumina effeciſſe, ne *quis* propius ad illum accederet; ſed Homo factus, temperavit nimium illorum fulgorem, ut eoſdem noſtræ aptaret infirmitati. Heu nimis in ceteris ſenſibiles perſequimur exigui boni umbram; & rivulos fonti, ac plenitudini bonorum omnium præferimus! Ah! habemus pro Capite hunc Deum-Hominem; omnes ſunt in illo ſpes noſtræ; omnis felicitas noſtra adhæret amori, quo illum proſequimur; ille poſſidet omnes perfectiones, quæ ſibi Cor noſtrum conciliare poſſunt; Cur igitur, cum cetera tanto proſequamur amore, nullo in diſcrimine habemus eum, qui totam meretur noſtram dilectionem? tu vero, auditor mi, cui nam reſervas amorem tuum, ſi illum detrectas merenti tot

titulis, quot habet perfectiones? quid amare potes præter illum, qui cum infinite supra te positus esset, sese usque dimisit, ut fieret frater tuus? nunquid Mundus, cum mendacibus illecebris suis, fallet mentem tuam, & auferet Cor tuum, & Verbum hoc Incarnatum, hic Homo-Deus offeret se tibi cum omnibus gratijs, & perfectionibus suis, & rejicietur? Quid comparabitur illi modicum bonum, quod nonnisi speciem habet boni; & bonum hoc, licet minimum ponderi, & plenitudini bonorum omnium anteferetur? Ecce quænam sit hominum cæcitas, & Cælorum stupor? Jerem. 2. *obstupescite Cæli super hoc*. Sed hoc proficiscitur ex admirabili ignorantia perfectionum, & Magnitudinum hujus Hominis-Dei, in qua omnes homines vivunt. *Idem.*

Cum J. C. sit Deus, necessario possidet omnes perfectiones. Si JESUS CHRISTUS est vere Deus, quemadmodum illius Sanctitas, miracula, proprium testimonium, probatissima sanctitate, & actionibus prorsus divinis suffultum, dubitationi locum minime permittunt; quam vim, & quem magnalium cumulum non possidet? quandoquidem omnia in hoc uno titulo continentur; vos satis id nostis; cum enim sit Deus, nulla perfectio, ideoque nullum magnitudinis genus illi deesse potest; possidet illa omnia eminenter; possidet illa ex semet, & jure suo; possidet quin ab aliquo pendeat, & præstantissime; sed quid ipsi debemus huic eidem JESU summopere Magno, summopere Sancto, summopere perfecto? huic Homini-Deo, huic Verbo Incarnato? debemus illi cultum omnem, adorationem, obsequium, famulatum, submissionem, gratitudinem: Ad Philipp. 2. *ut in Nomine JESU omne genuflectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum*. Quatenus Deus noster Creator est, noster finis novissimus, nostrumque supremum bonum; & quatenus Homo-Deus, Salvator est noster, mediator, & Judex; sed potissimum sanctitas ejus, quæ præcipua est probatio suæ Divinitatis, nos cogit illum intueri, tamquam Prototypum nostrum. Dubium non est, quo minus nomine suo, non secus ac æterni Levit. 11. Patris sui jubeat nos sanctos esse: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*; quia hoc nos constituit Filios Dei per adoptionem, quemadmodum ipse est per naturam; & hoc primum debemus illi, quod nobis medium suppeditavit, quo sancti fieremus; quia hic fons est, & principium veræ magnitudinis nostræ, Spei nostræ fundamentum, & jus acquisitum ad æternam beatitudinem, quæ erit nostra retributio. *Idem in Serm. de Nativitate JESU CHRISTI.*

JESUS in sinu Patris Æterni. Ut colamus JESU magnalia, ille nobis considerandus est in omnibus relationibus suis, eæque redigendæ sunt, tamquam ad centrum, ad sacram personam illius, quæ magnum est sollemnitatis hujus objectum. Incipiamus ergo, fratres mei, sequi dilectum discipulum volatu nostro ascendentes usque in sinum Divinitatis; humilis, & reverentialis fides, & ardens amor, *duæ sint alæ, quæ nos illuc attollant*; ne vereamur *nosmet conjicere in lumina inaccessa*, in quibus habitat hoc adorabile Verbum. *Fides, tamquam velum*, illius temperabit claritates; igitur in sinu Patris Æterni, O JESU Rex Angelorum, Redemptor, omnium universorum dominator, unice Fili Dei, unice Fili Matris Mariæ, die hac te veneramur. Æterna generatio tua, in sinu Æterni Patris, prima est magnitudo, quæ nos percellit, quia fons est omnium magnalium tuorum. Tu altera es Sanctæ Trinitatis Persona, sed æqualis primæ, & principium tertiæ. Tu es *splendor, & gloria Patris Æterni*; tu illius Potentia, atque Sapientia. Tu imago vivens, & consubstantialis; tu es Filius unicus, & Verbum Æternum illius; tu Deus de Deo, Lumen de Lumine. *Sermo Manuscriptus.*

JESUS æqualis Patri per generationem æternam. Rapina non est, fratres mei, cum JESUS se Patri suo facit æqualem; quoniam possidet omnia Patris magnalia *jure* Nativitatis suæ, & Nativitatis, quæ exæquat potestatem, & posteritatem Omnipotentis. Ipse unum, idemque est, cum Patris divinitate. Prodigium est in Essentia increata. Primum est Æternitatis miraculum, quoniam JESUS est prima productio Patris Æterni, & cum illo est fons Spiritus Sancti, qui extrema est productio. Per admirabilem hanc Nativitatem, JESUS est infinitus, tanquam Pater suus, Omnipotens sicut ille, Deus sicut ille, Fons, & Principium divinæ Personæ sicut ille, & non aliud intercedit discrimen, nisi quod in eadem divinitate, in æquali Æternitate, in communi majestate, ille Pater est, & JESUS est Filius; sed Filius, sine dependentia, sine indigentia, sine inæqualitate, sine posteritate. Filius est ejusdem Æternitatis, qua Pater, ejusdemque auctoritatis. Deus est, sine principio, ut ille, Filius est sine varietate Essentiæ, Potentiæ, Sapientiæ, habens unitatem essentiæ, & diversitatem Personæ, in qua est Deus unus cum illo, adoratur ut ille, Creator, Conservator universorum Dominus, ut ille. *Idem.*

Æternitas JESU per comparationem probata. Joann. 1. Concipite, S. Augustinus ait, Æternitatem JESU, tamquam Verbi, ex verbis illis: *In principio erat Verbum*. In principio fecit Deus Cælum, & terram, sed Verbum jam erat; fateamur, illum esse Creatorem, qui fecit omnia; cum enim audimus hæc Verba: *Verbum erat*; in quo igitur erat? intelligimus Ibidem. fuisse in Patre, qui nec fecit, neque creavit illum, sed genuit: nam per quem Pater fecit Cælum, & terram? Per Verbum, quod erat in illo: *Et Verbum erat apud Deum*. Sed quodnam est hoc Verbum? efficiebat ne rumorem transeundo? Non transibat, neque evanescebat, quia erat in Deo: *Deus erat Verbum*, & erat Deus; cum ita loquimur, Deus non multiplicatur: *quando audimus: & Deus erat Verbum, non duplicamus Deum, sed intelligimus Filium*, quia hoc Verbum est Filius Dei; sed concipere debemus, hunc eumdem esse Deum cum Patre, per quem ille fecit omnia, & qui creatus non fuit; nam erat ille in principio, & si quæris aliquid ante hoc principium, quod fecit omnia, laberis in summam insaniam: *insanit, qui aliquid quærit ante principium*. Talis est prima magnitudo JESU. Ipse est Sapientia, quæ habitat in sinu ejusdem Sapientiæ. Ille genitus erat antequam Montes collocarentur, & hic est Sapientia illa, quæ disponebat omnia in numero, pondere, & mensura. Ille est splendor Patris Æterni, JESUS ergo in partem obtinuit Æternitatem; nam Pater nunquam fuit sine splendoribus, vel inde sequeretur, Patrem non possedisse hæc inaccessa lumina, quæ in scripturis illi tribuuntur: divinus hic Sol igitur fuisset sine splendoribus, & sine luminibus; da mihi lumen sine splendore: da mihi ignem sine calore, & sine lumine; intelligite, fratres mei, quantum sit argumentum, de quo loquimur: est enim de Verbo Incarnato, & Coæterno Patri suo, ille, qui intelligit hæc JESU magnalia, obsequium illi præstare debet per interiorem lætitiam, per cordis voluptatem, per amorem immutabilem, sed ille, cujus acies minis infirma est, ut adeo in sublime se attollat, credere debet has veritates cum profunda humilitate, & pulsare, & perseveranter petere, donec JESUS, qui lux est, illuminans omnem hominem venientem in Mundum, illum illustrare dignetur. *Da mihi lucem, sine candore, si aliquando non* Augustin. Ibid. *erat Filius, Pater lux obscura erat . . . . . ergo semper Pater, semper Filius . . . . Da mihi sempiternum ignem, & dabo tibi sempiternum splendorem . . . . Semper lux, semper candor ejus; qui intelligit, gaudeat; qui autem non intelligit, credat*. Auctor recens.

JESUS consideratus tamquam Verbum est ubique. Similitudo ex S. Augustino desumpta. Serm. 120. Evangelista, qui dixit nobis: In principio Verbum fuisse, illud contemplatus est tamquam positum supra omnes creaturas, supra potestates, Dominationes, tanta est magnitudo JESU; & quis est ille, Sanctus Augustinus ait, qui verbis explicare possit adeo infirmis, qualia sunt hominis verba? *Quantum est enim hoc videre Verbum Dei! Quis humanis explicet verbis?* Ille ubique est, tamquam lumen, quod oriens perstringit oculos mortalium omnium, ille momento paret usque in occidentem, tamquam vox, quæ aures ferit illam audientium; ita, ad explicanda ineffabilia JESU Mysteria, divinum Verbum totum est in nobis, non secus ac lumen, & vox; sed cum ea perfectione, ad quam, nec lumen, nec vox valent pervenire; lumen enim non potest penetrare locos absconditos, neque viscera terræ perfodere, neque montium densitatem, sed JESUS CHRISTUS consideratus tamquam Verbum, abditissimos penetrat locos, & *non est, qui se abscondat a calore ejus*, & lumine. Di- Psalm. 18. vinum hoc lumen non egreditur de Patris æterni sinu, tamquam vox, quæ exauditur ab omnibus, non egreditur ex me, me non relinquit; cum tamen ab omnibus audiatur; ita divinus hic JESUS adorabile hoc Verbum *in Sole posuit tabernaculum suum*, hoc est Psalm. 18. in sinu Patris sui semper est, quia ille cum Patre unum est: *Ego, & Pater unum sumus*. Ille semper agit Joann. 5. cum Patre; *Pater meus semper operatur, & ego semper operor*; & nihilominus JESUS semper est in Patre suo, & semper in nobis; si miraculum Verbi mei, quod se communicat omnibus, & manet in me, magnum est miraculum JESU CHRISTI, Verbi divini, non est ineffabile, & explicari potest verbis, quæ præterlabuntur? *O Miraculum Verbi mei! Quid est ergo Ver-* S. Augustin. serm. *bum Dei*? totum est in sinu Patris sui, totum est in 40. Cælo, totum in terra, totum in Angelis, totum in Virgine, totum in æternitate, totum in inferis, & totum in singulis nostrum. *Sic cogitato Verbum totum* S. Augustin. serm. *in Cælis, totum in terris, totum in Angelis, totum in* 29. *Patre, totum in Virgine, totum in inferis, totum in Carne. Idem.*

Magnalia JESU oculos perstringunt, sub velo carnis sunt considerandæ. Sed obruimur, JESU, pondere Majestatis tuæ, sicut Petrus prostratus in Thabor ad pedes tuos, everfus fulgore, qui ex facie tua emanabat, & cujus vim subsistinere non poterat. Illud ipsum adhibemus tibi obsequium, quod ille Princeps Apostolorum; cum illo fatemur duo: alterum quidem, per adorationis nostræ silentium, quia oculos non licet nobis attollere in hanc magnitudinem tuam, quin cæcutiant; alterum vero verbis, non secus ac hic idem Apostolus cum illo dicentes tibi: bonum fore habitare in Sancto Monte hoc, ubi tantus es, tantoque lumine circumfusus, & in hoc luminis fonte, non secus ac S. Joannes dilectus

dilectus tibi Discipulus, inebriari. Non possumus ergo, o JESU, ferre pondus tuæ Majestatis in sinu Patris tui, & nihilominus ita Majestatem hanc diligimus, ut petamus licere nobis per te ibi semper incolere, ibique mansionem nostram constituere : *Faciamus hic tria tabernacula*. Amamus lumina tua, quæ oculos nostros perstringunt eo usque, ut velimus nosmet in iisdem immergere, non secus ac Angeli tui, qui te vident, & alarum suarum velamento se abscondunt ; possunt videre te incessanter, quod eos beatos efficit, & cessarent esse beati, nisi viderent. Nihilominus alis suis se ipsos tegunt, quasi, ne videant, quod videre desiderant, & quod videbunt in omnem æternitatem. Tunc in æternitate aperies nobis, Deus, hoc Mysterium! cum umbræ cessaverint, & nos videbimus non amplius in ænigmate, sed facie ad faciem ; in cujus beatissimi momenti expectatione nosmet coarctamus, adorantes æterna Magnalia tua, quæ oculorum nostrorum aciem infirmant. In terræ hujus tenebris ea contemplari non possumus, non secus ac Angeli tui, velamus oculos nostros ad aspectum throni tui, testimonium perhibente quodam Propheta ; sed, cum temperaveris in te hæc lumina, temet nobis similem præstans, sub velamento carnis tuæ debemus adorare te, atque contemplari. *Idem*.

Marc. 9.

Isaiæ 51.

Magnalia JESU in Mysterio Incarnationis.

Postquam contemplati sumus JESUM CHRISTUM in æterna generatione sua, nonne illum considerare debemus in generatione temporali? utræque sunt nobis æque ineffabiles : *generationem ejus quis enarrabit ?* JESUS æque magnus est in humiliationibus suis, quia ibi semper est Deus. Admiratio ferme sola portio nostra est. Quod reipsa admirabile consilium! JESUM conjunxisse Divinitatis suæ privilegia, cum infirmitatibus nostræ humanitatis ; & quin cessaret esse Deum infinitum, æternum, immensum, immortalem, a nullo pendentem, factum fuisse hominem-Deum, inclusum inter angustos cancellos Corporis, stabuli, & pannorum, quibus involutus fuit in ipsa infantia ; JESUM CHRISTUM fecisse in persona sua affinitatem cum nostra humilitate magnalium suorum ; immortalitatis suæ, cum nostra mortalitate ; divinæ naturæ suæ, cum nostra humana natura, factum Filium hominis, & Filium Mariæ in omnem æternitatem, *quemadmodum* ab æterno est Filius Dei, *& Filius unicus* æterni Patris. Debemus *igitur* adorare JESUM in hoc novo statu, & hoc profundo Mysterio, in unitate divinæ Personæ suæ, & diversitate suarum naturarum, quarum altera divina, atque æterna est, altera humana, atque temporalis. Divinum hoc objectum intuiti, o JESU, attollentes in te corda nostra, ut debita persolvamus tibi obsequia, adoramus te, recipientem æternam essentiam Patris æterni, & dantem essentiam, atque substantiam tuam humanæ naturæ, quam tibi conjunxisti in æternum, unione intima, potenti, gloriosa, & divina. O adorabilem statum! O Mysterium ineffabile! O beatum Incarnationis momentum, quod facit hominem-Deum, & Deum-hominem, *quod dat* Cælis Regem gloriæ ; terræ Dominatorem ; Angelis Reparatorem ; Hominibus Salvatorem! O Deus, qui voluisti unigenitum Filium tuum, qui Deus est, ab æterno in te hominem fieri in tempore, & in omnem æternitatem pro nobis, præsta nobis, ut incessanter adoremus vitam hanc ineffabilem, & prorsus divinam Verbi in humanitate, & humanitatis in Verbo vitæ, ut illius spiritu animemur in terris, & perfruamur eodem in Cælis illum contemplantes, qui est vita, & gloria nostra . . . . . *Excerptum ex opere Cardinalis de Berulle de Magnalibus JESU.*

Collecta ex Magnalibus JESU.

JESUS igitur in duplici statu adorandus est : altero quidem æterno, altero temporali ; altero divino, & altero humano ; simulque per omnem æternitatem conjuncto. Adorandus nobis est JESUS homo-Deus ; nihil enim amisit de magnalibus suis, se pro nobis hominem fecit, pro nobis toto vitæ suæ curriculo egit, & operatus est. Nativitas ejus, & quæ illam consecutæ sunt humiliationes ; ejus infantia, in qua ratio ipsius involuta visa est ; vita ejus ad trigesimum annum abscondita ; Prædicationes ejus, divini, apostolicique cursus ; prodigia, passiones, non alium habuere scopum, nisi hominem sanctificandi, atque instituendi divinam hanc Religionem, in qua omnes homines, novam assumentes Nativitatem, gignerentur JESU per JESUM, & pro JESU. Igitur, pro me, (dicendum est mihi) O JESU, nasceris in stabulo, & paleis ; pro me vitam ducis humiliatam, laboriosam, patientem ; pro me moreris in Calvario Cruci confixus ; pro me denique in gloriam ascendis. O Nativitas! O vita! O mors! O vita divina, gloriosa, Cælestis! O beatum monumentum Incarnationis, mortis, glorificationis Filii Dei! O status JESU in sinu Patris, & in sinu Mariæ, in sinu Crucis, & a dextris Dei! O Mysteria JESU, in Judæa, in Ægypto, in Galilæa, in Bethleem, in Nazareth, in Jerusalem, in Præsepio, in Cruce, in sepulcro, in terra, in inferis, & in Cælo! Quis assequi dicendo posset cogitationes tuas, dolores tuos, secreta cordis tui, ac Mysteriorum tuorum in sanctis his locis? Cælum hæc nobis revelabit aliquando, & illa erunt tota occupatio nostra in omnem æternitatem ; interim terra hæc ignorare debet, revereri, & contenta esse micis, quæ decidant de Mensa Sanctorum tuorum, quos nutris hoc pane vivificante, qui vivificat omnia in terra, & in Cælo. *Idem*.

JESUS igitur in suis prædicationibus in itineribus, & in Mysteriis.

JESUS commendat humiliationes suas per sua Magnalia.

Ad Sanctorum exemplum, eorumque imitationem, debemus igitur contemplari, & adorare JESUM in iis omnibus, quæ ipse est in magnalibus, & in humiliationibus, in Cruce, & in gloria, in vita, & in morte. Illum adorare debemus, celebrantes humiliationes ejus, per ipsius magnalia, commendantes per divinam, vitam ejus humanam ; opprobria per gloriam, per statum ejus impassibilem, immortalem, immutabilem, æternum, statum ejus mortalem. JESUS ipse nonne adoravit magnalia sua, per suas humiliationes? non adoravit Divinitatem suam, per humanitatem ; Nativitatem suam in sinu Patris, per Nativitatem in sinu Matris, & in præsepi ; supremam auctoritatem, per profundam humilitatem ; increatam essentiam suam, per essentiam creatam ; & postquam illum ita fuerimus contemplati in seipso, debemus considerare illum, tamquam communicantem se, atque semet effundentem, replentemque Cælum, & terram divina gratia sua, gloria, donis, Mysteriis, & denique seipso, per diversas hasce cogitationes, tamquam per totidem gradus attollentes nosmet ad JESUM, nacti solatium nostrum, & gaudium, in usibus diversis, quos faciemus de statibus JESU. In contemplatione harum veritatum ita sublimium, evanescere debemus, atque immergi, ut assequamur incomprehensibilem hanc communicationem, quam Pater Cælestis facit cum JESU per æternam generationem, ut honoremus ineffabilem hanc Communicationem Divinitatis JESU, cum humanitate, debemus admirari, & adorare JESUM, qui seipsum exinanivit, & exhausit, ut se hominibus tradat ; JESUS enim, ut ita dicam, exhaurit opes Divinitatis suæ, ut locupletet humanitatem ; annihilat Humanitatem suam, illam consumans incessanter in fornace amoris sui, eamque sacrificans in holocaustum in Cruce pro hominibus. *Idem*.

Magnalia & perfectiones J. C. exprimi non possunt.

Si dilectus Discipulus, qui singulari privilegio hausit in sinu JESU lumen, tamquam in fonte, de Magistro suo dicere non potuit, nisi ea, quæ ipse, per se nequaquam intellexisse videbatur ; quid tandem solius fidei ope, quæ nos, tamquam cæcos deducit, detegere possumus? & si Mundus universus, ut hic ait Evangelista, non satis magnus est, ut continere posset quidquid scribi potuisset de miraculis JESU CHRISTI ; quomodonam loqui potero de magnalibus ejus in adeo brevi temporis intervallo? Domine, dicebat illi Sanctus Augustinus, etiamsi totus orbis plenus esset voluminibus, & hæc omnia volumina *de re uno loquerentur, nondum sufficientem præberent tuarum perfectionum cognitionem, & quia non est lingua, quæ illas unquam exprimere valeat*, ne manus quidem est, quæ illas possit describere, nec volumen, quod eas capere possit. Hæc est rerum immensarum natura cujusmodi sunt JESU magnalia, non pati se satis considerari, nisi sub ea conditione, ut nequaquam se intelligi patiantur ; sui copiam facere, ut ita dicam, nobisque simul se abscondere, perstringere acerrimum intellectum fulgore gloriæ suæ, & obruere pondere Majestatis suæ. Hoc expertus *est Sanctus Petrus in* Thabor, cum nequicquam conatus est exprimere parum illud gloriæ, quod viderat in JESU CHRISTI transfiguratione. Ita vult Deus, Filium suum a nobis hic infra glorificari, per extremum desiderium efficiendi, ut cognoscatur, & per absolutam impotentiam, optatum finem consequendi ; & nescio, utrum humile silentium aptius elogium sit omnibus laudibus, quibus eum extollere possumus. *Pater Dozenes lib. de Divinit. JESU CHRISTI ex operibus ejus.*

Sapientia, & fortitudo Verborum Salvatoris omnes rapuit in admirationem, qui illum audierunt.

De JESU CHRISTO multo melius, quam de Salomone dicere possumus, *impletum esse, quasi flumen, Sapientia*. Hæc sententia non est effectus præventionis cæcæ populi rudis, atque carnalis, qui illectus erat his verbis ; sed ipsa etiam Synagogæ capita, & Doctores legis, licet eidem inviderent, stuporem suum celare non potuerunt ; doctiores, & sapientiores sunt in templo circum JESUM duodecim annos natum, tamquam pueri ; ille Magister est, quin Discipulus fuerit, & fortasse jam de illo dicitur, quod dicetur deinceps : nunquam aliquem locutum fuisse, ut illum, neque tam sublimes sensus protulisse : sed, quod melius adhuc deinceps ostendit, illum, qui loquitur, Deum esse ; hoc est, quod verba illius non sunt infirma, & languentia qualia erant Scribarum, & Pharisæorum : *erat docens eos, tamquam potestatem habens, & non sicut Scribæ* ; namque persuadet veritates, quæ sensum, & naturalem rationem ostendunt ; obscuritas Mysteriorum quæ docet, indigitat incomprehensibilem eorum magnitudinem, & hoc sic quidem imperiose, sed non violenter ; nam Divini hujus Magistri Sapientia insinuat in Spiritus tanta vi, & suavitate

Matth. 7.

vitate Verbum suum, ut auditorum illius multitudo, sequentium illum, obliviscatur omnium curarum, & victus, & vitæ. Ita est, S. Bernardus ait, hærebant illi sola voluntate, qua afficiebantur videntes, & audientes illum; præsentia, & sermo illius, tot illecebris erant refertæ, ut omnes gratiæ viderentur in labiis, & vultu ejus diffusæ. Omnia in ipso prædicabant, illecebris adeo validis, nemo unus reluctabatur, &, ut inimicorum verbis utamur, Mundus universus, post illum abibat: *Ecce totus Mundus post eum abit. Idem.*

Joann. 12.

Nullus unquã fuit Magister similis Salvatori, qui docuerit veritates adeo sublimes.

Ubinam Magistrum invenies, qui docuerit adeo sublimes veritates, easque docere, persuadere, explanare potuerit in temporis articulo, iis etiam, qui obtusioris erant ingenii? Nonne verum est, præcipua naturæ ingenia, nonnisi multo tempore, ac labore, doctrinam suam tradere potuisse, iis etiam, qui maximo pollebant acumine inter Discipulos suos, qui sæpe etiam impugnarunt suorum præceptorum sententiam. Omnia lustrare sæcula, & apud omnes terræ populos quære Magistrum huic similem, qui nobis de Cælo descendit, & quem Prophetæ omnes nostrum Consiliarium, atque Doctorem nostrum vocarunt; fateri teneberis, ipsum, unicum esse, quemadmodum de seipso ille testatus est, & per Sapientiæ eminentiam, & per Eloquii sui facundiam. *Magister vester unus est CHRISTUS.*

Matth. 23.

Verum etiam, quisnam alius præter ipsum, Spiritum suum suis Discipulis largiri potuit, & quamvis aliis id facere licuisset, erantne illi cum ipso comparabiles? *O Sapientia! quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine, usque ad finem fortiter, veni ad docendum nos*, S. Bernardus exclamat, ut veræ prudentiæ viam doceamur. *Idem.*

Potentia J. C. signum Divinitatis & magnitudinis suæ.

JESU CHRISTI Potentia nullis finibus coercebatur in effectibus suis, & æque rebus in omnibus eminebat. 1. In Corporibus anima carentibus, puta in ventis, in procellis, in cadaveribus, & in sepulcris, in elementis, & in syderibus, quod palam ostendit veritatem illius rei, quam aliquando Discipulis suis significavit; *data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Potestas, quam exercuit per imperium, & vocis tonum, qui satis ostendit, satis fuisse, ut loquentis ad hoc, ut sibi obediretur. Mare recipit illius

Matth. 28.

imperia, non alium habet motum, nisi imperatum. Permittit illi, ut quibusdam momentis debacchetur, ac terreat qui audiendo ejusdem fremitu assueti sunt, & simul ait, *obmutesce*, sile, compesce furorem hunc tuum, & statim hoc elementum indomitum ad alterius cujuspiam potentiæ imperium, illico furentes mulcet fluctus suos: cum vult educere de sepulcro mortuos, hos vocare satis est, ut alteram illis conferat vitam, & clamat: *Adolescens tibi dico, surge: Lazare veni foras*, nihil ulterius requiritur, ut illos educat, vel de sandapila, vel de sepulcro, & dies erit, cum

Luc. 7. Joann. 11.

unico verbo, unico motu, unico ictu, ut Apostolus ait, eruet *de sinu terræ mortuos, qui ibi* latent sepulti. Hæc autem imperia adeo *absoluta mari*, & morti imposita, hæc medendi morbos conclamatissimos ratio; hæc verba; curare; assentior; volo; fiat; sicut vis; & hujusmodi alia sunt verba imperantis, & quæ nonnisi hominem-Deum decent exercentem supremam potestatem in omnem naturam. *Idem.*

Miracula J. C. fuerunt testimonia Divinitatis æque ac potentiæ suæ. Joann. 3.

Ad persuadendum Judæis, CHRISTUM reipsa fuisse Messiam, quem præstolabantur, promissum in lege, & prænuntiatum a Prophetis, opus erat miraculis, quæ inexcusabilem redderent eorum incredulitatem, & eos cogerent dicere, quod Nicodemus: *Scimus, quia a Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo*; si enim Dei Filius se non manifestasset per miracula, cum Divinitas videri non posset, non poterat agnosci, cum appareret eo in statu, qui tanta Majestate videbatur indignus; & Salvator nonne ipse dixit, si ipse non fecisset opera, quæ nemo alius, præter Deum-hominem facere poterat; illi satis justam prætexissent caussam recusandi illius testimonium, declarans hoc pacto, missionem suam miraculis fuisse probatam; tandem enim rationabiliterne poterat objici hæc miracula esse fabulosa, & mendacia, qualia fuerunt nebulonum quorundam? Salvatoris miracula probata sunt per testes irreprehensibiles, & authentica testimonia; miraculorum ejus fama trahebat post illum tantam mortalium frequentiam, ut non omnes decipi possent, & quinque hominum millia fuerunt spectatores mirabilis multiplicationis panum quinque, quibus immensa illa multitudo fuit saturata. Scio equidem, Pharisæorum, & Doctorum Legis invidiam traducere voluisse facta, de quibus dubitare non poterant, tamquam illusiones dæmonis, atque magicæ artis præstigia; sed quis nexus lucis cum tenebris? Magi, & venefici visne unquam fuerunt, talia operari portenta? Visne unquam sunt curare cæcos a Nativitate, & mortuos ad vitam revocare? Ceterum homo adeo sanctus, & pro tali cognitus, qualis erat JESUS, itane voluisset uti dæmonum organo, & ministerio? vel dæmon potuissetne uti opera hominis, qui idolis omnem auferebat potestatem, & oraculis illius silentium indicebat? Quomodonam conciliares cum arte magica opera, quæ nunquam facta fuerunt, nisi in confirmationem doctrinæ, quæ diabolicas id genus operationes execratur? præterea, hæc opera admirabilia, nonne ad examen revocata sunt a severissimis censoribus, & secundum artis criticæ leges, & judicum relationes, qui longissime aberant ab omni favoris suspicione, & super eas, quot homines ex numero Judæorum spectatissimi, confessi sunt, illum Prophetam esse de Cælo missum? quot alii, qui ea cordibus suis credebant, non ausi sunt publicam fidei professionem emittere; ne ex Synagoga ejicerentur! & post illud tempus Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata Mahumedes infestissimi JESU CHRISTI inimici, nonne bona fide confessi sunt, virum hunc miraculosum esse; ideoque perhibuerunt testimonium doctrinæ, meritique illius, & consequenter, etiam Divinitatis? *Idem.*

JESU CHRISTI opera probant verba & vicissim in iis quæ pertinent ad Divinitatem.

Non immoramur excutiendæ veritati miraculorum Salvatoris per unanimem sententiam summorum virorum, qui sese vades, ut ita dicam, præbuerunt; cujusmodi fuerunt Dionysius Areopagita, Sergius Paulus, insignes triumphi Apostoli, a quo nomen accepit; S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, aliique plures Ecclesiæ doctores, qui nunquam habiti sunt pro spiritibus imbecillis, & nimis credulis. Confiteamur cum illis Potentiam JESU prorsus esse divinam: opera adeo mirabilia probari verbis illius; quod ipse fecit in nomine Patris sui; reddere fidele testimonium ipsi, & ejus miracula, post S. Gregorium, appellari posse, *sigillum Dei*: Sigillum, quod defert impressionem dexteræ illius, & characterem illius Potestatis. Cum enim JESUS CHISTUS, de quo verba facimus, diceret se Filium Dei, æqualem Patri, eique duntaxat inferiorem in eo, quod a nobis fuerat mutuatus; creditis ne, Deum eundem, per potentiam suam probare voluisse adeo horribilem blasphemiam, si quod ille asserebat, non fuisset verissimum, & veritas eadem? plures ex illis, qui Jerosolymam incolebant, & qui testes fuerant resurrectionis Lazari, crediderunt in illum, propter hoc miraculum; aliique plurimi, eo quod, illum loquentem duntaxat audierant, receperunt in Civitatem suam, tamquam Messiam verum, quem Deus illis miserat: *præterea obviam* Joann. 12. *venit ei Turba.* Ipse idem gratias agens Æterno Patri potestatis, quam sibi dederat miraculum illud operandi, testatus est, se nil aliud velle, quam eorum fidem sibi conciliare: *propter populum, qui circumstat*, Joann. 11. *dixi, ut credant, quia me misisti*: Post multiplicationem Panum, quinque hominum millia, qui saturati fuerant, non dubitarunt ultra, utrum ille verus esset Propheta, qui venturus erat in Mundum: *quia hic est vere Propheta, qui venturus est in Mundum.* Quæ igitur veritatis species est, si hic fuisset nebulo aliquis, aut pseudopropheta, futurum fuisse, ut Deus, qui Spiritus est infinite sanctus, vellet, per effectus insuetos facere, ut adoraretur Homo, qui suam usurpare voluisset Divinitatem? non ita: nunquam veritas cum mendacio consentiet, neque sibi unquam contradicet. *Idem.*

Testimonium Patris Æterni de Divinitate & magnalibus J. C. a S. Paulo allatum. Ad Hebr. 1.

Magnus Apostolus docebit nos, quomodo JESUS CHRISTUS fuerit Magnus coram Patre suo; & nobis audiendum est id solum, quod de hoc scribit ad Hebræos, ut persuadeamur. *Novissime diebus istis* Deus *locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit, & sæcula.* Nihil afferri potest, quod melius Redemptorem nostrum commendet; in hoc tamen Apostolus non constituit magnitudinem ejus, sed addit ille: *cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita Apostolus describit magnitudinem JESU CHRISTI per comparationem institutam cum Angelis, quæ meræ sunt creaturæ, quibus præcipit Deus, ut adorent Filium suum, & Spiritus, quorum munus est, esse nuntios, atque ministros; denique ecce quomodo concludat Apostolus quidquid magnificentius dici possit de JESU CHRISTO in ea comparatione, quam cum Angelis cœpit. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Nihil addi potest, quod melius extollat gloriam hominis-Dei, quam ita vocare hæredem rerum omnium, Creatorem Mundi, splendorem gloriæ, characterem substantiæ Dei, & illum exhibere supra Cælos omnes sedentem ad dexteram Majestatis supremæ, & inducere Deum ipsum loquentem, ac dicentem illi, se illius esse Patrem; se, ab æterno, illum genuisse, thronum ejus æternum esse, & sceptrum Imperii sui, esse sceptrum æquitatis, atque Justitiæ; Cælos quidem perituros, ipsum vero in æternum mansurum: tandem, Angelos non esse, nisi Ministros suos, eosque jussos fuisse adorare illum; quæ omnia privilegia singularia sunt, & alteri cuipiam, præter quam Deo-homini, incommuni-

municabilia. *Sarazin tom. 2. Adventus sui titul. de JESU legislatore pro Regibus, atque Principibus.*

Dei Filius in Cruce præbet nobis divinitatis suæ documenta.

Solum Dei Crucifixi spectaculum expositum adorationi mortalium omnium certissima est Divinitatis ejusdem probatio. Impietas pervicacissima debet huic veritati testimonium. Consilium hoc adeo magnum, adeo novum, adeo inauditum efficiendi, ut sibi in Cruce posito præstetur obsequium, tantum abest, quod per hominem valeat adimpleri, ut ne in mentem quidem hominis possit incidere Crucifixio Dei in semet considerata, vere scandalum videtur; sed Crucifixio hæc conjuncta cum iis, quæ illam præcesserunt, & subsecuta sunt, proculdubio, est factum maxime admirabile, & in quo homo palam confiteri debet potentiam sua majorem, quam in alio quopiam, quem ipse sibi fingere posset. JESUS CHRISTUS volens persuadere nobis, se Deum esse, & fieri objectum cultus hominum omnium, non poterat illis major, & adorabilior videri, quam in Cruce, quam constituit instrumentum mirabilium suorum, & thronum suorum magnalium. Ex hoc abysso annihilationis, in qua spiritus evanescit, ratio turbatur, omnesque confunduntur humanæ cogitationes, attollit sibi gloriam adeo coruscantem, radios vividissimos veritatis Animæ, quæ per meditationem ingreditur in hujus Mysterii magnalia, & quæ, cum Propheta exclamat: O Domine! *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Cæci Judæi! videre voluistis Messiam vestrum habentem Caput redimitum pretioso diademate, non autem ex spinis contextum; videre voluistis humeros ejus fulgenti exornatos purpura, non cruentata Sanguine; voluistis videre manus illius onustas sceptro pretioso, non clavis perforatas; voluistis videre pedes magnificum solium calcantes, non Cruci confixos; sed hæ spinæ, hi clavi, hæc flagella, hæ humiliationes, quæ vobis absconderunt Messiam vestrum, glorioſa sunt signa, quæ illum vobis debebant ostendere. *Abbas du Jarry ſerm. de Magnalibus JESU.*

Psalm. 92.

Errores Ethnicorum sine cognitione JESU CHRISTI.

Ad quem insaniæ, & erroris spiritum non evasit homo in cognitione, & perquisitione veri Dei, cum curiositatem, & ambitionem ducem secutus est, quam multitudinem innumerabilem *ridiculorum superstitionum*, instabilium *divinitatum*, insanarum religionum peperit hic *Divinitatis* radius, qui nitet intra nos, ubi naturæ nostræ corruptio illi caliginem offuderit? quis non obstupescit videns sapientes antiquitatis adeo admirabiles in scriptis suis, & in Religione sua cæcos; videns, inquam, hinc humanam rationem in sublimi gradu excellentiæ suæ, & inde errores magis deplorabiles, humani spiritus in impio, & sacrilego cultu eorum? Mente repetite horribilem hypotiposim, quam S. Paulus Apostolus proponit in Epistola sua ad Romanos, ubi nobis repræsentat ingenia hæc, alioquin superiora tradita in reprobum sensum Serpentibus, ac monstris sacrificantia, & derelicta affectionibus suis *execrabilibus, ubi natura, non minus, quam Religio lacessita est. Quænam vero fuit caussa cæcitatis eorum inter tot cognitiones, nisi illa fuit superbia spiritus? hoc lumen rationis humanæ, quod illos ad Deum, verumque illius cultum deducere debebat, fuit, tamquam fax in manu furentis, & insipientis, qui, dum lumen præferre debebat, homini intumescenti, illius interitum maturavit. Sydus hoc, quod lucebat adhuc in Cæli vertice, in nocte humanæ ignorantiæ, factum est per superbiam unus ex ignibus errantibus, qui sequentes se adducunt ad mortem. Dux, quem dederat Deus hominibus ad illos deducendos, tractus fuit in errorem, & præceps, unde illos debebat avertere, & Deus, ut illos a funesto hoc errore revocaret, misit Filium suum in terram, ut esset illis via veritas, & vita. Filius iste se cognoscendum præbuit certissimis argumentis, & hoc lumen densas dissipavit tenebras, ac tandem illuminavit cæcos, oculos eorum aperiens veritati, & cognitioni veri Dei.* *Idem paulo mutatus.*

Diversæ actiones J. C. locum dederunt diversis hæresibus.

Actiones JESU CHRISTI, quarum aliæ indigitabant infirmitatem, aliæ vero vim, & virtutem humana majorem, occasionem præbuere duobus diversis erroribus de Verbo Incarnato. Alii quidem considerantes illum subditum humanis infirmitatibus, vel potius omnibus vitæ hujus necessitatibus obnoxium, illum Deum esse credere non potuerunt; alii vero e contra considerantes actiones illius prorsus divinas, sibi persuadere non potuerunt, illum vere hominem esse, sed habere Corpus duntaxat phantasticum, & labores, passiones, & mortem illius, nonnisi speciem habere. Errores isti, tam varii, profecti non sunt, nisi quod hæretici non crediderunt, vel potius credere noluerunt, id quod nos docet fides, & quod Salvator ipse, per actionum suarum varietatem ostendebat; scilicet distinctionem duarum naturarum in una eademque persona, & ita agentem conformiter utrique naturæ, modo egisse, quatenus Hominem, & modo quatenus Deum. Agebat quatenus Homo, laborans, quiescens, manducans, patiens, & moriens &c. modo vero agebat quatenus Deus, per miracula supra naturæ vires posita, qualia erant, mortuos resuscitare, cæcis visum reddere, omniaque prodigiorum genera facere, quæ in ipso superiorem, ac prorsus divinam potentiam indigitabant. Cum vero hæc operaretur miracula ad probandam suam divinitatem, & Missionis suæ veritatem, satis non erat, ut, per adeo diversas actiones probaret, se Deum, & Hominem simul, & duplicem naturam, Divinam, & Humanam, simul esse conjunctas, sine ulla proprietatum suarum confusione, & singulas operatas fuisse secundum proprietates suas. Nonne sufficiebat, inquam, ipsum dare perspicua, & certissima hujus rei documenta, ut omnem tolleret occasionem, & prætextum errori, & ut diversos confunderet hæreticos, qui insurrexerunt contra fundamentalem hanc Religionis nostræ veritatem? *Auctor recens.*

De verbis Filii Dei loqui possumus, tamquam de actionibus illius; nonnunquam enim loquebatur ut Deus, & oblitus videbatur suæ Humanitatis, loquebatur alias ut Homo, & videbatur suæ Divinitatis oblitus. Nunquid necesse erat, ut in singula verba admoneret, se loqui, vel tamquam Deum, vel tamquam Hominem? quemadmodum vita ejus, nonnisi series erat contexta ex usu diverso proprietatum duplicis hujus naturæ, lingua ejus fuisset *insolita*, neque satis fuit, ipsum declarasse, & ostendisse; *se esse* Deum, & Hominem, ut illi, qui fidem haberent, judicarent, utrum loqueretur, tamquam Homo, an tamquam Deus, quemadmodum ferendum erat judicium de actionibus illius, utrum ageret, tamquam Deus, an tamquam Homo; quod Sancti Patres satis esse censuerunt ad evolvendas difficultates, & quæstiones omnes, quæ suboriri possunt in verbis Evangelii, in quibus aliqua excogitari possit contradictio: ita dicente JESU; *Pater meus, & ego unum sumus*; patet, illum locutum esse, quatenus Deum: *sine ambiguitate divinum est*, S. Leo inquit. Cum vero dicebat: *Pater meus major me est*; liquebat, ipsum, tamquam Hominem fuisse locutum. *Evidenter humanum est. Similiter*, cum dicebat: se ignorare horam, & *diem extremi Judicii*, & suum *non esse ponere quempiam* ad dexteram, *vel ad sinistram; quia hoc jus* prorsus divinum erat, non autem humana prærogativa; quemadmodum dicit Sanctus Augustinus: *non est humanæ potestatis hoc dare*: Ita JESUS CHRISTUS, per verba, & actiones suas tribuebat manifestas probationes duplicis naturæ, quæ erat in ipso, quia revelans, quod erat, tutam præbet regulam ad intelligenda verba sua, & judicium ferendum de actionibus suis, sive divinis, sive humanis, se Deum simul, & Hominem esse. *Idem.*

S. Leo Ep. 24. ad Flavianum.

S. Augustin. l. 1. de Trin. c. 12.

Cum omnis Christianorum pietas vacare debeat adorationi magnalium Dei, Hominis facti, non possumus nimis attollere fidem eorum *in cognitione privilegiorum, & magnalium, quæ illius Humanitati communicata fuerunt, quæ a Divinitate* accepta fuit, ut divinitatis particeps fieret, si ita loqui fas est; verum est, Verbum, non accepisse illam, ut mutaret in se; Fides enim confundere duas in JESU CHRISTO naturas, vetat. Sed ut natura humana non amittens hominis naturam, neque hominis vitam, reciperet cum essentia divina divinam vitam, & divinas actiones operaretur: hæc sunt privilegia, quæ Divinitas communicavit Humanitati Salvatoris, & quæ *illius* constituunt magnitudinem. Non *ideo* admittimur auferre Humanitati Filii Dei vitam, vel actionem hominis propriam; eadem quippe fides, quæ duplicem vetat naturam confundere; non ideo permittit actiones confundi; sed agnoscere & Deum miracula operantem, & Hominem injurias perferentem: at fides docens hanc veritatem, vult nos credere humanas actiones JESU CHRISTI, licet abjectissimas, semper fuisse divinas, & uti Sancti Patres, ac Theologi loquuntur *Theandricas*, hac de caussa; volunt quidem, eas, quæ sunt contemptibiliores, ac magis remotas, & etiam magis indignas divina natura, quales sunt, esurire, sitire, pati, mori, volunt, inquam, illas humanas fuisse, quia hominis natura illas produxit; sed volunt etiam, fuisse divinas, *quia productæ* fuerunt a divina Persona, cujus *actiones* necessario divinæ sunt, ut docet Theologia, quæ ita duas in JESU CHRISTO naturas confitetur, ut unum duntaxat JESUM CHRISTUM confiteatur, cum uterque simul, S. Augustinus ait, non sint duo, sed unus JESUS CHRISTUS, qui cum sit una tantum Persona non humana, sed divina, efficere non potest, ut actiones suæ non sint divinæ. In hoc Dei magnitudo ineffabilis est, quin non solum habet divinam essentiam, sed actiones quoque divinas. *Idem.*

Non sunt confundendæ naturæ in J. C. neque duæ actiones, divina scilicet & humana.

Homines cognoverunt magnitudinem ejus, & fuerunt testes potestatis ejusdem.

Homines satis fuere testes magnalium, & Supremæ Potestatis ejusdem, quoniam ipsi voluerunt illum Regem creare, & ille coactus fuit capessere fugam, & ex eorum manibus elabi, ne hos honores reciperet. Postquam illos pavit monstroso quinque Panum miraculo, quos tali in copia multiplicavit, ut inde quinque hominum millia fuerint saturati: post, inquam, actio-

actionem hanc magnificam, & Rege dignam, coactus fuit sese in Montem recipere, ne hunc reciperet honorem, &, ut omnibus hominibus relinqueret exemplum honores fugiendi; illos etiam, qui legitime debentur. Igitur magnitudinem, Potentiam, & Magnificentiam Regis relinquebat, quam cogebatur complecti, ut pro Rege haberetur, Regnum quidem merebatur, sed hæc dignitas, quamtumvis suprema, & maxima, quæ habeatur in Mundo, nimis erat exigua homini-Deo, cujus Regnum non erat *hujus* Mundi, secundum sensum, in quo vulgo homines intelligunt. Sed hoc minime obstat, quod deinceps Christianismus præbeat nobis alium conceptum magnitudinis ejus, confitens illum Cæli, terræque Regem, ita etiam, ut summi Principes Mundi, comparati cum JESU CHRISTO parvi sint, & credere debeant se auctos honore summo, si primi fuerint subditi illius. Novi quænam reverentia, & cultus debeatur Principibus, qui sunt viventes Divinitatis Imagines. Nullus est Populus, qui illos majori habeat in honore, quam Christiani, quia, ut Tertullianus inquit, nihil majus illis cognoscunt, excepto Deo: *uno Deo Imperatorem minorem putamus*; sed quamcunque illis adhibeamus reverentiam, dicimus: maximam eorum gloriam, & ditionum suarum felicitatem esse, ad unguem parere, & obsequi legibus hujus Salvatoris adorabilis, quia omnes tenentur observare illas, omnes illi debent rationem reddere administrationis imperii sui, & omnes prodire debent ante thronum illius, non secus ac subditorum suorum novissimus quilibet, judicandi. Tenentur quoque fateri, hunc divinum esse Hominem, qui quatenus supremus Universorum Dominator, Regna largitur, & aufert; mutat, ac transfert diademata; familias attollit, & deprimit; statuit, & evertit Respublicas, atque Imperiorum faciem invertit. Verbo, tenet ille præ manibus Regum fortunas, & Populorum felicitatem, & Mundus totus ab illius pendet imperio. *Ex variis Auctoribus.*

Magnitudo J. C. seipsa tantum indiget, ut fulciatur.

Mundi Optimates, cujusmodi sunt Reges terræ, subditorum suorum *indigent auxilio*, ut suam magnitudinem teneant; Majestas enim eorum, per se non satis nitet, neque eorum virtus satis habet meriti, ut sola sibi conciliet reverentiam, ac timorem ejicat. Auser Regi arces, & Oppida, finium suorum præsidia, maritimas Classes, Exercitus, Excubias, Ministros, Prætorianas Cohortes; illum objicis contemptui Principum suorum, rebellioni subditorum, & finitimorum incursui. At JESUS CHRISTUS non eget hac pompa, & comitatu: sicut invenit omnia consilia sua in sua Sapientia, vires, & potestatem suam in seipso; possidet etiam in se quidquid necessarium est, ut seipsum substineat, quin *debeat aliquid consiliis*, vectigalibus, manibus, & præsidiis subditorum *suorum; quibus*, si quando utitur, ad gloriam suam promovendam, *hoc potius fit*, ut illos in gloriæ suæ partem vocet, quam, ut auxiliorum indigeat. *Auctor recens.*

Filium Dei Angeli honorarũt, quod argumentum est Magnitudinis & Divinitatis. Ad Hebr. 10.

Angeli honore exceperunt Verbum Incarnatum ingredientem in Mundum, & cognoverunt quantum Dei Filius superet magnitudine servos suos: *quanto differentius præ illis Nomen hæreditavit*. Illi famulati sunt in mortali vita, ac patiente, non secus ac in augusto suæ mortalitatis statu; hoc enim significant illa verba: *videbitis Cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium Hominis*; illi, inquam, famulati sunt in vitæ ejus curriculo, & ipsi nostis, quam servitutem præstiterint illi in deserto, post Dæmonis tentationem; ipsum in doloribus ejus consolati sunt, & fleverunt mortem illius eo modo quo lacrimas possunt effundere. *Angeli pacis amare flebant*, cum gaudio nuntiaverunt Resurrectionem ejus discipulis, eumque subsecuti sunt, donec invisibilis in terra permansit; Ipsi fuerunt pompa triumphi illius ingredientis in Cælum; ipsi erunt duces in apparatu Universalis Judicii; ipsi in Cælo illum circumdabunt: eorum nobilissimi, præstantissimique honori sibi vertunt esse sub pedibus ejus, & quantumvis Angeli sint, agnoscent hominem, tamquam Regem suum in throno Dei ipsius. *Pater Dozennes.*

Joann. 1.

Isaiæ 33.

Honor, quem Dæmones invitì præbuerunt J. C. prædicantes ejusdem gloriã & divinitatem.

Quid dicemus de dæmonibus, & honore, quem inviti præstiterunt JESU CHRISTO? Lactantius plura narrat oracula, quæ superbi illi Spiritus divinitatis gloriam appetentes, pronuntiare coacti fuerunt in honorem Divinitatis JESU, & ab aliis etiam auctoribus intelligimus, Scientiam inanium horum Deorum, sæpe publicasse Veri Dei gloriam, cum servi eorum prohibuerunt ne loquerentur; vel illis permiserunt duntaxat, ut dicerent; os suum claudi augusto, ac terribili Nomine JESU: Impius ipse Porphyrius infestissimus JESU CHRISTI inimicus testatur, ipsorum dæmonum confessione, JESUM, per singulam pietatem meritum fuisse beatam immortalitatem; sed ipsa etiam dæmoniorum testimonia, ut videre est, licet a mendacii patre edita, non abludunt ab illo veritatis ipsius in Evangelio, ubi legimus: *Exibant autem dæmonia a multis, clamantia, & dicentia: quia tu es Filius Dei.* Quod illustrius testimonium illo, quod excerpitur ex ore ipso inimicorum acerrimorum? *Idem.*

Luc. 4.

Præ ceteris, quæ probant gloriam, & divinitatem J. C. illud plurimi faciendum est quod ille promissus & prædictus fuerit antequam in terra appareret. Joann. 5.

Paucis cum Apostolorum Principe *Actor. 3.* dicere possemus: Prophetas omnes, post Samuelem, locutos fuisse de adventu Salvatoris, quatenus Messiæ, & Hominis Dei, atque vitæ illius nunciasse Mysteria: *scrutamini scripturas*, dicit idem Salvator, loquens ad Judæos; *illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Scripturas legite, & admirabimini, invententes ibi descriptiones, & circumstantias peculiares, quæ spectant ad me. Et sane Sanctus Augustinus in hunc locum inquit: totum Judæorum Populum fuisse, tamquam Magnum Sacerdotem, per Sanctas antiqui testamenti litteras, cujus sequester est eo credibilior, quo illæ favent Christianæ Religioni, contra eosdem. *Idem.*

Magnus conceptus quem S. Joannes Baptista habuit de J. C. & testimonium, quod illi perhibuit.

Si viri alicujus gloria sita est in judicio favorabili, quod viri probi, atque sapientes ferunt de meritis illius, & in pretio, in quo illum habent; quanti glorioſus Salvatoris Præcursor magnus Sanctus Joannes Baptista existimandus est fecisse Divinitatem, & Magnalia illius, cujus adventum nuntiabat, ut his loqueretur verbis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi . . . . . & de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Quam ideam ipse concepisse credendus est, ut se indignum æstimaret, qui abjectissima quæque illi præstaret ministeria, atque ut illi tribueret elogium, quod ipsum super omnes Creaturas extollit? *qui de terra est, de terra loquitur*; dicit ille, seipsum humilians: *qui de Cælo venit, super omnes est.* Vos, qui me magnum aliquid creditis, audite, quod dicere vobis debeo, de Homine Cæleſti, infinite majori, quam homines reliqui; Scitote, me nihilum esse, & illum, de quo loquor, esse omnia; si apud vos in pretio habeor, vel, si reipsa aliquid sum, hoc esse illius beneficio, & gratia; cum ipse sit per se, sicuti est, Deus Magnus per naturam, & pendens a nemine. Reddine potest testimonium magis sincerum, atque favorabile huic Messiæ, ad quem annuntiandum venerat? testimonium Salvatori glorioſius, a quo palam celebratur, tamquam Dei Filius ab homine illius meriti, qualis erat S. Joannes, qui creditus fuisset Messias, si pro tali haberi, per ambitionem voluisset; testimonium denique, quod ipse Salvator protulit, tamquam fundamentum divinitatem suam contra Judæorum incredulitatem comprobans. *Idem.*

Joann. 1.

Joann. 3.

Quanti momenti esse debeat testimonium Apostolorum de J. C.

Apostolorum testimonium hodierna die non minoris esse debet momenti apud incredulos, & infideles, quam illud Sancti Joannis apud Judæos, apud quos testimonium hoc erat indubitabilis persuasio Divinitatis JESU CHRISTI; etenim quemadmodum quæ illi scripserunt, & prædicarunt de miraculis, & actionibus Salvatoris, ejusque maxime glorioſis Mysteriis, puta, de Resurrectione, Ascensione, aliisque nonnullis, non potuerunt in dubium revocari, neque haberi, tamquam figmenta, aut calumniæ; & aliunde hæc omnia secum gerebant certissimum Divinitatis characterem, ne minima quidem cum ratione dubitari potest, quominus illi primi omnium convicti fuerint de hac re; tandem enim, quæ consideratio illos cogere posset ad ipsum pro Deo traducendum, nisi illis de hoc fuisset persuasum? Non video quænam ratio illos agere potuisset, ut facerent, & paterentur quidquid fecerunt, & passi sunt; si temporum decursu cognovissent, illum pro sycophanta, qui eos fefellisset, & præstigiis suis, dum viveret, fascinasset. Nam, si mors tandem errorem illis abstulisset, nihil vel metuendum, vel sperandum erat ab Homine, cui non erat amplius integrum de illis bene mereri, vel male; & fidelitas, honor, amor Patriæ, gloria veri Dei, quem adorabant, sexcentæque rationes aliæ, humanæ, & divinæ, politicæ, & religioſæ suadebant illos, ut facerent prorsus oppositum illius, quod fecerunt. Sed cum sensus proprii, postquam viderant illius acta, & miracula, ejus sermones audiverant, & testes fuerant Resurrectionis ejus, & prodigiorum, quæ illam fuerant subsecuta, quemadmodum, ipsum, plusquam ceteri cognoverunt, majorem etiam conceperunt æstimationem, & acti divino Spiritu, ut de illo testimonium perhiberent, ita fecerunt, ac pertulerunt gloriam, & Nomen ejus in universam terram zelo adeo generoso, ut veriti non fuerint ejus Divinitatem prædicare coram tirannis ad intuitum cruciatuum teterrimorum. *Idem.*

Excidium Idololatriæ effusæ in omnem orbem, nonnisi Dei opus esse potuit.

Constat, maximum opus, quod unquam factum fuerit inter homines, ab ipsis Mundi incunabulis, esse eversionem idololatriæ, quæ ubique grassabatur, antequam JESUS CHRISTUS nasceretur; sed quæ mox delata fuit, per doctrinam JESU CHRISTI, & Evangelii sui prædicationem. Mirum est, superstitionem adeo oppositam recto sensui, & lumini ratio-

rationis, ita late sese extendisse, & errorem hunc adeo universaliter mentes possedisse; etenim in terra universa exiguo tantum Syriæ angulo excepto, videlicet Judæa, ubi verus Deus colebatur, reliqua pars repleta erat *idolis*, quæ passim adorabantur. Populus Romanus, qui in Urbe deos omnes, omnesque nationum omnium superstitiones receperat, unice rejiciebat Deum, qui solus adorari volebat; ita ut, nihil difficilius fuisset, quam Populis omnibus persuadere Religionem, a qua ceteræ damnabantur. Sed quin verba faciamus de eo modo, quo Salvator voti summam assecutus est, ac de mediis, quæ fuerunt adhibita, ut tale consilium adimpleretur, quæ res integrum Sermonem exposceret; hic unus effectus nonne omnes superat vires creatæ Potentiæ? *Auctor recens.*

Sanctitas immutabilis J. C. nulli vitio est obnoxia.

Humana natura, cum divina in JESU CHRISTO conjuncta, ita immutabiliter Sancta est, sicut est impeccabilis; & in felici, atque absoluta impotentia ne levissimum quidem peccatum patrandi. Hoc sanctitatis genus est hominis-Dei privilegium, & hic unus est, ad quem hæc gratia pertineat. Adam in Paradiso, Sanctus Fulgentius ait, creatus fuit Sanctus, & innocens; sed non ita qualis fuit JESUS CHRISTUS; & hoc statuit inter utrumque discrimen: Adam receperat gratiam, per quam poterat non peccare, si peccare noluisset; sed non receperat gratiam, per quam nollet, & minime posset peccare. Ex hac doctrina innotescit statum Adæ Sanctum fuisse, sed non ita, ut Sanctitas ejus stabilis, & immutabilis esset; quia hæc erat Sanctitas Creaturæ propria, quæ cum suapte natura mutabilis sit, & deficere possit, semper amittere potest maximam Sanctitatem. Homo-Deus autem longe aliter Sanctus fuit; etenim ita immutabiliter fuit Sanctus, ut fieri omnino non posset, quod Sanctitas ejus minimam admitteret mutationem; quia œconomia in homine-Deo, talis est, ut, quod est Deus in illo, sit Homo, & quod est Homo, sit Deus. Unde nam ergo oriri posset suæ Sanctitatis mutatio? non quidem a Deo, qui est immutabilis, at ne ab Homine quidem, quandoquidem in Deo-homine, sicuti, quod Deus est, est Homo, ita, quod est Homo, est etiam Deus; ideoque supra mutationem omnem in eo, quod pertinet ad Sanctitatem, cum *fieri non possit*, ut concipi valeat *neque homo-Deus*, quin Sanctus sit, neque homo-Deus, qui postquam Sanctus fuit, non sit amplius Sanctus; ita si duæ naturæ separarentur, non possent amplius vocari naturæ duæ hominis-Dei. *Idem.*

S. Fulgentius l. de Incarn. & gratia.

Magna consilia quæ Salvator concipit vivens in terra, sunt signa magnitudinis animæ suæ digna homine Deo.

Consilia, quæ Spiritus in semetipso format, gerunt semper nonnulla similitudinis lineamenta, & semper sese prodit proclivitas, & propensio; elevatio, vel abjectio, illa concipientis; non secus ac pueri consueverunt illos imitari, a quibus vitam acceperunt, & esse conditionis eorum hæredes; ita ut accidat raro, ut modicus Spiritus, & Anima abjecta producat aliquid magnum, atque *sublime*: quemadmodum econtra, *Spiritus Magnus*, & Anima nobilis rubore suffunderentur productionis, quæ ipsis non esset placitura. Maxima hominum consilia, nonnisi puerilia sunt oblectamenta, & magna hujus Mundi negotia, fere sunt nugæ magnæ: sed JESUS CHRISTUS nihil concipere potuit, nisi divinum; cumque nihil divinius sit sanctitate hominis conjuncta cum gloria Dei, non alia efficere potuit consilia, quam Mundum sanctificandi, & glorificandi Patrem suum; Quare? quia ipse, per essentiam, est gloria interior Patris æterni; hoc est, terminus infinitus cognitionis ipsius, non secus ac Verbum substantiale, quod intrinsecus efficit elogium perfectionum divinarum, & alioquin Deus glorificari nequit extrinsecus, nisi per Sanctitatem creatarum rerum, quæ efficiunt, ut in universo terrarum Orbe cognoscatur, ametur, eique serviatur. *P. Dezennes.*

Quantum Pater Æternus honoraverit & glorioſum effecerit Verbum Incarnatum. Joann. 13.

Sanctus Joannes mirum in modum significat amorem, quo Pater Æternus prosecutus est Filium suum, & ad quem gloriæ cumulum elevavit Verbum Incarnatum, cum dixit illi, Deum omnia posuisse in manibus illius: *sciens, quia omnia dedit illi Pater in manus*; illum regnare fecisse, ac dominari in Cælo, & in terra, illi subjecisse altissima Seraphim, partitum cum illo fuisse thronum suum, eique communicasse Gloriam, Majestatem, magnitudinem, Potentiam suam; constituisse illum super omnia opera manuum suarum, velle, ut in Carne nostræ similima adoretur ab Angelis, atque hominibus; illum elegisse, ut esset Caput prædestinatorum; fecisse eum Primogenitum omnium Creaturarum; propter illius amorem nobis peccata nostra dimittere; ad gloriam ipsius, Mundum ædificasse; ac tandem in illius Nomine gratias omnes concedere: quomodo igitur aliquid efficere poterimus, quod non sit pro gloria ipsius? quomodo non imitabimur, quantum per nos fieri poterit, Patrem Æternum, qui, ut illum honoraret, eique suum testaretur amorem, constituit ipsum judicem in locum suum; illum accumbere jussit in solio suo, & omnem auctoritatem suam in manibus ejusdem deposuit. Hæc etiam est probatio amoris erga Filium suum, nihil ipsi in Mundo placere, nisi in JESU, & per JESUM, & ea tantum, quæ hoc charactere connotata sunt, illi accepta esse, & jucunda. *Eusebius Nierembergius in libro, cui titulus: Amabilis JESUS.*

Ad Ephes. 1.

Quid constituat magnitudinem JESU, & quid mirum sit in hoc adorabili compositio hominis-Dei, Conjunctio divinæ naturæ cū humana.

Quid mirabilius; quam videre creatam naturam substantialiter cum Creatore conjunctam; ita ut in duabus naturis, una tantum sit Persona; quod Deus facit ab homine fieri, & vicissim, quod Homo facit fieri a Deo. Has sibi suas communicare proprietates, quod alteri convenit, alteri quoque tribui; in eadem Persona inveniri magnitudinem, & abjectionem; Æternitatem, & infantiam; vitam, & mortem. Anima, & Corpus JESU CHRISTI ita plena sunt Divinitate, ut eorum unio fortior sit, & magis intima, quam ferri, & ignis in fornace; quam chrystalli, & radii illam permeantis; quam aeris, & Lucis per aerem effusi; quam Corporis, & Animæ illud vivificantis. *Idem.*

Quanti J. C. facere, & adorare debeamus.

O mortales! possetis ne modico in pretio habere Salvatorem vestrum, eximium hoc opus Omnipotentis, hoc miraculum Bonitatis, & Caritatis infinitæ Dei, qui nihil facere potuit excellentius? Maximi sit, quod rarum est, hac una de caussa, quia non est commune, & nihil illi *simile* videatur; quanti ergo faciendus est Homo iste, de quo dicebat Jeremias, a Domino aliquid novum factum in terris fuisse? Hoc sane aliquid est hominibus valde necessarium, quia in uno JESU reperiunt vitam, thesaurum, gloriam, omnemque suam felicitatem. Induit ille naturam nostram, ut nos suæ participes faceret, & assumpsit in se paupertatem nostram, ut nos donis suis locupletaret. *Idem.*

Tota Salvatoris gloria est, esse Filium Dei.

Post omnia, fatendum tandem est, gloriam Salvatoris contineri in sola qualitate Filii Patris Æterni, & hunc unicum esse fontem omnium potestatum, omniumque titulorum amplissimorum, qui Filium Hominis decent. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Et quemadmodum alioquin homo *non potuisset infinite glorificare* Deum, *ita nunquam potuisset* mereri gloriam infinitam. Sed nostis ne, quomodo Æterni Patris Filium viam nactus fuerit glorificandi Patrem, & vicissim Pater Filium suum glorioſum efficiendi? Præclara hæc est Sancti Bernardi sententia, quam etiam vetus quidam Orator attigit, ut blandiretur Principi suo, sub quadam specie modestiæ. Videlicet, alterum sese demisisse, ut posset alterum elevare; & a Patre elevatum fuisse Filium, prout magis hic sese demittebat. Profecto, quamvis excelsi, & potentes sint Mundi Principes, possunt tamen fieri sublimiores, quia non deest unquam illis gradus, ad quem ascendant, & novus aliquis triumphus; quem referant. *Unus est Dei Filius, de quo vere dici possit; cum ipse, per Divinitatis suæ privilegium*, crescere nequeat magnitudine; medium inveniſſe crescendi, sese demittendo, si ita dicere fas est; quia addidit infinita merita perfectionibus infinitis, ut procuraret gloriam Patri suo, & Pater, eodem pacto humanam evexit naturam usque ad thronum suum, eamque eo in loco constituit, ad quem mera Creatura adspirare non poterat. *Idem.*

Suprema Verbi Incarnati Potentia.

Quis non mirabitur Supremam potestatem, quam Verbum die suæ Nativitatis præsetulit, cum inter cetera miracula, quæ magno in numero nituerunt; Cælum novum sydus accendit, ut detegeret Magnitudinem Dei humiliati, & latentis in stabulo! Sed si alia revocaveritis miracula vitæ, mortis & Resurrectionis suæ; inde liquebit, Sanctus Bernardus ait, terram recognovisse illum Dominum suum, cum ad illius vocem, & imperium, emisit mortuos de Sepulcris; Mare illum tamquam Dominum coluisse, cum sedavit fluctus suos ad nutum ejusdem, & solidum factum fuit sub pedibus ejus. Infernum confessum fuisse illum, tamquam Victorem, ubi portas ejus confregit, & terribiles potestates perdomuit: quid igitur illi reliquum superesse poterat, quam ad Cælorum apicem ascendere, ibique sedere ad dexteram Æterni Patris, ut ostenderet, se supremum esse terræ, & Cæli Dominum? Ecce quomodo Deus JESU CHRISTO perhibuerit testimonium: si horum miraculorum pars, ut Evangelista testatur, fecit, ut in Judæa plurimi ita loquerentur: *CHRISTUS, cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam, quæ hic facit?* & si satis fuit, ut illos induceret ad eum, quatenus Messiam confitendum, quomodo multo magis non tenemur in illum credere, post multo plura ejusdem Potentiæ prodigia? si quis autem fidem habere nollet tot prodigiis; nonne esset ille prodigium maximum? at enim, fortasse inquies: hæc omnia miracula, & miraculose facta a Discipulis tantum referuntur, & Discipulorum testimonia nequaquam admittenda sunt; ubi de ipsorum agatur Magistro. Sed, si hoc verum

Joann. 7.

esset,

esset, quod, ne in suspicionem quidem cadere potest, ob eas rationes, quas supra memoravimus; cur illis nemo exprobravit falsitatem rerum earum, quas prædicabant, tunc cum facilius fuisset illos convincere? Et unde nam tot Sacerdotes, & Doctores legis adeo succensi contra Religionem nascentem illius, quem Cruci confixerant, non reclamarunt unquam actu quopiam publico, & authentico? quin immo e contra; publica ista, & in dubium non revocanda miracula coegerunt infestissimos JESU CHRISTI inimicos, ut exclamarent: *Quid facimus? quia hic Homo multa signa facit.* Si ergo, per ipsorum confessionem, constat de factis hujusmodi, credibile ne est, Divinam Omnipotentiam, auctoritate sua probare voluisse blasphemiam, qualis est Hominis, qui se Dei Filium ferebat, & reddere Mundum multo magis idololatram, quam ante, per cultum novæ Divinitatis? Ubi nam est Princeps, qui in gratiam insensissimi inimici sui, omnibus utatur viribus contra propriam utilitatem, ut collocet in solio injustissimum usurpatorem? Hæc ratio ita evincit, ut cæcus ipse a Nativitate, omnem illius vim videre non possit. Heu! quomodo fieri potest, exclamat ille, ut peccator tanta hæc prodigia valeat operari? Ullum ne in Bibliis extat exemplum similis facti ab homine nequam patrati? *Idem.*

Joann. 11.

Elogium, quod Pater Æternus fecit de Magnalibus Filii sui.

Creaturæ omnes, quæcunque sint, pares minime sunt ad glorificandum Salvatorem, quemadmodum ille meretur; nemo est, neque inter homines, neque in primo purorum Spirituum Ordine, qui dicere non debeat, quod tres pueri Hebræi in Babylonis fornace psallebant: *Superlaudabilis, & superglorioſus in sæcula.* Omnes excedit laudes, & sufficere nequit æternitas, ut debitus illi honor adhibeatur. Unus duntaxat Deus exornare potest Elogium JESU CHRISTI, verba facere de magnalibus ejus, & gloriæ ipsius coronam imponere; nam sicuti Filius Sapiens, inquit Scriptura, est corona patris sui; Pater infinite Sapiens pariter potest esse Filii sui corona. Sed cum hic Filius, qui est Patris Sapientia, sit etiam Verbum illius, intra Divinitatem suam, illius facit panegyricum, sed extrinsecus permittit, ne testimonium suum recipiatur. *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui me glorificat.* Si ore meo me commendo, nolo, ullam haberi rationem suffragii mei; sed Pater meus me suo dignatur suffragio. Loquere igitur de me, Pater Æterne, dum vivo; post mortem meam, Spiritus Sanctus exornabit Elogium meum. Pater profecto illud edidit in Thabor, dum Filius apparuit in luce suæ Transfigurationis, cum protulit verba illa, quæ auribus excepta fuerunt: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Testimonium hoc, quod

Daniel. 3.

Joann. 8.

Matth. 17.

Cælum Salvatori perhibuit, quemadmodum ille ipse testatur, sine ulla comparatione, glorioſius est illo, quod ipsi Præcursor suus prædixerat. *Ego testimonium habeo majus Joanne . . . . . quia, qui misit me, Pater ipse, testimonium perhibuit de me.* Pater jam perhibuerat testimonium in Filii sui Baptismate in Jordane, & iterum glorioſius illud perhibet in triumphali Resurrectione, atque Ascensione in Cælum, & super terram celebrans Nomen illius, & illum tradens cognoscendum pro vero Dei Filio.

Joann. 3.

Quamvis tota magnitudo, Gloria, & Salvatoris præstantia fluat a Divinitate, tamquam fonte; crederes ne tamen, humanitatem, & Carnem ipsius, quamvis patientem, atque mortalem, esse, ut inquit Propheta, tamquam indutam Majestate, & pulcritudine pluſquam humana, & liquere, quod Sanctus Paulus Apostolus inquit, omnem plenitudinem divinitatis habitasse in illo corporaliter, & de illo potiori jure dici potuisse, quod vetus quidam Panegyrista dicebat de primo Christianorum Imperatore: *ex decore membrorum colligi potest quantus illo Cælestis Spiritus intraret habitator.* Venustas Corporis satis ostendebat magnitudinem divini Spiritus, quo animabatur; namque, dum splendor iste sensibilis oculos perstringebat, dicit S. Hieronymus, Spiritus Sanctus efficiebat, ut nitescerent in cordibus suprema Majestas Dei hominis facti. Ipsa ejus modestia, atque Humilitas, quin illi offunderet caliginem, ipsum maxime commendabant, & exterior hic oris habitus, tamquam augustum indumentum, illum a ceteris hominibus distinguebat; *fulgor ipse Divinitatis occultæ in humana facie relucebat. idem.*

Quot illecebras habeat sancta humanitas ad cor sibi captivandum.

Eumenius Constantino Augusto.

S. Hieron. l. 1, in Matth.

Multa mihi superessent dicenda, quæ Patres Ecclesiæ mihi suppeditarent in disertissimis Apologiis in gratiam Divinitatis, & magnalium JESU CHRISTI conscriptis. Ad loquendum inducerem humanam rationem, quæ licet in Divinis Mysteriis cæcutiat; hoc tamen detexit propter insignia ejus vestigia; & non dubitarem afferere, ipsam etiam naturam omni sensu carentem aliquod perhibuisse testimonium. Accedite huc ergo Principes, & Monarchæ, quos profana vetustas, tamquam Deos adoravit; accedite adoraturi vos ipsi illum, qui Dominus est, Judex, Rex, & Deus Regum omnium. Vos, inquam, quibus error Populorum, & cæca superstitio decrevit honores divinos. Confitemini, hunc unum esse, inter omnes homines, qui sit Deus, & Rex antonomastice, cui Pater suus sceptrum orbis Universi promiserat. Ita est, solum Imperium tuum, Divine Salvator, verum est, cetera non aliud sunt, nisi magnitudinis phantasmata. Tuum solum pendet a nullo; cetera tuo subjecta sunt; nam tu nullius indiges, & omnes Mundi Potentatus indigent te. *Idem.*

Cum Mundi Salvator habitus fuerit supremus creaturarum Dominus; terræ potestates illi esse debent subjectæ.



DE AMO-

DE AMORE,
ET DE IMITATIONE SALVATORIS MUNDI.

MONITUM.

POſtquam fuſius in primo Bibliothecæ noſtræ volumine verba fecerimus de *Amore Dei*, inutile eſſet de *Amore Domini noſtri* peculiariter verba facere; quia cum vere ſit Deus, illum ex toto Corde diligere debemus, quod nequaquam dividi poteſt. Aliquod tamen intereſt diſcrimen inter duos hoſce Amores, licet alter ad alterum referatur; quoniam ille, de quo agimus iſtic, pertinet ad ſanctam Humanitatem Salvatoris noſtri, videlicet ad JESUM CHRISTUM, quatenus Deus-homo eſt.

Fateor equidem me admiratione capi, videntem inter Concionatores, qui in lucem edidere opera ſua, tam paucos eſſe, qui integros ſermones de hoc argumento fuerint elucubrati; alii quidem Amorem Domini noſtri cum Amore Dei confuderunt, & aliis ſatis fuit ex Myſteriis, actionibus, beneficiis divini hujus Hominis, prout ferebat occaſio, elicere concluſionem: ſed, vice verſa Aſcetici Libri, atque integri tractatus, qui de hoc argumento ſupperſunt, abunde nobis ſuppeditant, unde Concionatorum numero ſane exiguo ſuppleamus.

Quamvis ergo hoc argumentum ita diſtinctum non conſtituat peculiare Myſterium, nequeo meliori modo, finem facere Incarnati Verbi Myſteriis, quam per amorem, quem debemus illi in retributionem Myſteriorum, quæ nobis revelavit, in quibus noſtræ eruditioni, ſaluti, atque æternæ felicitati particulariter proſpexit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

1. AD noſmet *excitandos* ad amorem Salvatoris Mundi, tamquam objectum infinite dignum amore noſtro, fert animus vobis oſtendere, in JESU CHRISTO non deeſſe neceſſarium meritum ad ſibi conciliandos animos noſtros, atque illos ſibi inſeparabiliter devinciendos. Hoc primi puncti erit argumentum. Secundo loco vobis oſtenſurus ſum, non deeſſe Salvatori, unde nos in ſpem adducat retributionis, quæ nos ad illum perfecte diligendum impellat, quod puncti alterius erit argumentum. Cognitio meriti, & retributionis celſitudo, duæ ſunt validæ cauſſæ amandi Filium Dei, quæ erit *hujus Sermonis* partitio.

Punctum primum. Quæritur abſolute meritum in iis, quos amare volumus; nam ſicuti amor eſt Sacrificium cordis, immo etiam Sacrificiorum omnium perfectiſſimum; cumque homini nihil ſit antiquius, & pretioſius ſua libertate, & quodammodo ille ſeſe devoveat illis, quos amat; adnititur ſemper detegere in amicis, quos diligit, meritum, quo probare poſſit propenſionem, & affectionem ſuam erga illos; meritum quo approbetur munus, quo largitur cor ſuum, libertatem, & ſe ipſum illis, quos vere tanto munere dignos exiſtimat. Malum in eo totum eſt, quod per illuſionem nimis familiarem, nobiſmet ſexcentas confringimus fallaces ideas meriti, quod deprehendere credimus in objectis mere creatis, quibus amorem noſtrum impendimus; ſed ſi habeatur ratio Salvatoris Dei ſimul, & Hominis, amari hic ſane poteſt, quin noſmet objiciamus errori, & incidamus in illuſionem; quia 1. Meritum ejus reale, & verum eſt, oppoſitum merito plerorumque objectorum, quæ ſpecioſa videntur, & quibus adhæreſcimus. 2. Perfectiſſimum eſt meritum ſine labe, oppoſitum imperfectis hominum meritis; 3. meritum permanens, & fixum, oppoſitum merito perfunctorio, labili, ac pereunti Entium creatorum, eorumque etiam, quæ magis completa videntur. Eminentes prærogativæ meriti Salvatoris ſuperant quidquid in Orbe univerſo abſolutiſſimum, & perfectiſſimum eſt, atque adorabile. Hæ prærogativæ, inquam, rite conceptæ; & luculenter expoſitæ, excitare debent, in corde Auditorum meorum amorem ardentem erga JESUM CHRISTUM, eæque in paragrapho ſexto invenientur.

Punctum alterum. Certitudo reditus in amando Filium Dei adeo amabilem, non debilis ratio eſt, ad amorem ſemper majorem excitandum in nobis, quandoquidem ibi invenimus ſolidiſſimas cauſſas, quarum tres potiſſimum ſtatuo; & quarum prima eſt: per hunc mutuum amorem, nos recenſeri in numero amicorum illius, & per eumdem, nos ad incomparabilem dignitatem attolli: altera eſt: amorem, quo nos ille complectitur, fontem eſſe bonorum, & gratiarum, pro hac, & altera vita; tertiam denique certitudinem mutui amoris Filii Dei, iis cumulare gaudiis cor noſtrum, ut nullus in terris eventus illa turbare poſſit, & amantem redigat in eum ſtatum, in quo aliquid ſibi non poſſit vereri, niſi culpa ſua amicitiæ Dei ſui faciat jacturam.

Primum *igitur conſtat, Deum, qui fidelis eſt in promiſſionibus ſuis*, ſuam concedere amicitiam diligentibus ſe, ſibique fidelitatem inviolabilem promittentibus. *Ego diligentes me diligo*; ſi enim dignatus eſt nos diligere non diligentes illum, cum per peccati ſtatum, in quem lapſi fueramus, noſmet præbueramus amore ſuo minime dignos, quibus bonitatis, ac liberalitatis ſenſibus amicus hic tener, & beneficus Dominus nos proſequetur, ubi viderit nos in ſtatum gratiæ *reverſos*, & nihil intentatum relinquentes, *ut ipſi amorem noſtrum* teſtatum faciamus? non *ſatis eſt illi* integram nobis veniam concedere; nos efficit dilectiſſimos ſibi amicos; & per gratiam ſanctificantem, quæ eſt tamquam vinculum amicitiæ, quam contrahit cum nobis; nobis impertit qualitatem filiorum Dei, per adoptionem prorſus divinam, per quam evadimus fratres, & cohæredes illius; ita ut tali medio jus acquiramus ad Regnum Cæleſte, quod revocari in dubium non poteſt. Quinam honor! quænam prærogativa! ad quem gloriæ gradum mutua hæc hominis-Dei amicitia nos non attollit!

2. Hæc Salvatoris amicitia nobis eſt fons gratiarum omnium, omniumque bonorum, quibus cumulat *in hac*, & in altera vita amicos ſuos. Non loquor hoc loco de gratiis, quas præter Ordinem ſubinde concedit amicis ſuis, & quæ exiguo ſane animarum delectarum numero reſervantur; ſed loquor tantum de gratiis, quæ communes ſunt Fidelibus omnibus, qui vere JESU CHRISTO deſerviunt; cujuſmodi ſunt peculiaris protectio in omni vitæ noſtræ ratione; luminum, & gratiarum affluentia; peculiare ſubſidium in periculis, quibus per ſtatum, ac munus quiſque ſuum objicitur, &c.

3. Hæc amicitia, de qua certi ſumus, quantum in hac vita fieri poteſt, inſpirat illis pacem, & tranquillitatem Animæ, quam nullus hujus Mundi caſus perturbare poteſt; ubi illis perſuaſum

est, amantem se non ignorare quidquid pertinet ad illos, eorumque commodis magis invigilare, quam illi ipsi &c. *Hoc argumentum majori ex parte desumptum est ex sermone manuscripto de Amore Dei.*

II. Utilis institui sermo potest de amore Filii Dei, ostendendo nos teneri ad illum diligendum ob nostram utilitatem; quia 1. Amor JESU CHRISTI nostram in hac vita constituit felicitatem; si enim JESUS CHISTUS factus fuit pro nobis, nos facti fuimus pro illo; aliud quodvis objectum fallere potest cor nostrum; hoc unum ei satisfacere potest; & ratio constat, quia cum æque sit Deus, ac Homo, summum Bonum est, & omne possibile Bonum: *ostendam tibi omne bonum*: Itaque amare JESUM CHRISTUM, est amare Deum, qui, ut sibi amorem nostrum conciliet, semet sensibilem præbuit in hoc homine-Deo, & tamquam accommodatum captui nostro, & cordis nostri propensioni. Quid autem suavius est, quam amare objectum hoc infinite amabile? possidere objectum hoc, quod omnia bona complectitur; & in Cælo beatitudinem summam constituit? illud, inquam, possidere modo prorsus singulari, quia vivit in nobis, & nos in illo, secundum Sancti Pauli verbum; illud, inquam, realiter possidere per Eucharistiam, per quam facit quodammodo partem nostrummetipsorum: sed præterea illud possidere per gratiam, quæ ipsum nobis ita arcte conjungit, ut nihil nos ab eo, si voluerimus, valeat separare, & cum certa spe ipsum possidendi tandem aliquando modo perfectiori. Nonne hæc est felicitas incomparabilis? ulla ne hac major in vita desiderari potest? Nonne hæc illa est prærogativa, quam amor JESU CHRISTI procurat nobis? hæc illa melior est pars, quam sibi Magdalena delegit, & nonne infelix esse meretur, si quis alibi suam inquirit felicitatem? 2. Amor JESU CHRISTI tutissimum est pignus futuræ nostræ felicitatis; certissimum nostræ prædestinationis indicium. Aliæ notæ, puta misericordia erga pauperes, *devotio erga Deiparam*, & aliæ id genus sunt *profecto sensibilia prædestinationis* argumenta, non tamen omnino certa; *sed haberi non* potest sincerus, & constans erga JESUM CHRISTUM amor, & prædestinatum non esse, cujus rei patent rationes. 3. Quia amor JESU CHRISTI non solum est signum futuræ nostræ beatitatis in altera vita; sed etiam efficacissimum; & probatur, quia prædestinatio effectus est distinctionis beatæ, quam facit Deus personarum aliquot, quas educit ex massa perditionis, & illas peculiari amore complectitur. Sed quibus habet ille amorem hunc particularem? nisi illis, qui peculiariter diligunt Filium suum? Ille eos amat amore *infinito; illi nihil amant*, nisi hunc; vel nihil amant, nisi *propter hunc; ita ut nos* amemur secundum magnitudinem amoris, quo JESUM CHRISTUM amamus; quem nisi amamus, non amamur, & reprobamur a Patre.

III. Non possumus hoc in argumento aptiorem eligere propositionem, quam exponere rationes illas, quibus cogimur diligere Mundi Salvatorem, quarum tres efficere possunt sermonis partitionem.

Prior est, cum JESUS CHRISTUS sit *unicum objectum*, in quo Pater Æternus sibi ab æterno complaceat, nostrum amorem illi omnem in hac vita impendendum esse. Hæc est Patris voluntas, quia non misit illum in hunc Mundum, nisi ut ab hominibus timeretur: homines non placent illi, nisi quatenus pertinent ad Filium hunc dilectum, neque diligit eos, nisi quatenus amant illum, neque *illos* ad æternam prædestinat felicitatem; nisi quatenus sunt cum eodem Filio conformes: *quos scivit, & prædestinavit, conformes fieri Imagini Filii sui.*

Ratio altera est, JESUM CHRISTUM non venisse in Mundum, nisi ut homines ad hunc amorem impelleret. Omnes cogitationes, desideria, actiones, & passiones in hoc præcipuum objectum tendebant; & profitetur, se in terras non venisse, nisi ut in cordibus omnium hominum ignem accenderet divini hujus amoris sui, & se nihil præterea concupiscere: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12.

Tertia. Sancto Spiritui in Animas nostras venienti non alius finis est, quam efficere, ut nos cognoscamus, diligamus, & imitemur JESUM CHRISTUM. Hoc ipsum nobis testatur Salvator, cum ait in Evangelio: Unam ex præcipuis caussis Adventus Spiritus Sancti futuram, ut perhibeat de se testimonium hominibus, videlicet ut imprimat cognitionem sui in mente, & sui amorem in corde eorum.

IV. En tres alias rationes Salvatorem amandi, quæ & ipsæ quoque sermonis partitionem possunt efficere. 1. Debemus amare JESUM CHRISTUM, quia est amabilis; 2. quia CHRISTUS primus amavit nos; 3. quia vehementer cupit, se a nobis amari.

Pro primo puncto. Quidquid speciosum est, & quidquid est perfectum, suapte natura est amabile, & quidquid infinite speciosum est, & infinite perfectum, sequitur infinite, ac necessario esse amabile. Hinc oritur, Beatos, qui perspicue intuentur pulcritudinem, & perfectiones Dei, illum necessario ita diligere, ut ipsis non sit integrum non amare, & infinite illum diligerent, si infinitum amorem capere possent. Hæc igitur nobis beata esset necessitas amandi Verbum Incarnatum; si omnes ejusdem perfectiones diligeremus, & similiter, si crebro meditaremur illas, quæ nobis exploratæ sunt, quia ille omnes continet in se creatas, & increatas, humanas, & divinas, Spirituales, & corporeas, & consequenter ea omnia, quæ menti nostræ placere possunt; ea omnia, quæ possunt sibi conciliare cor nostrum; ea omnia, quæ palpare possunt cupiditates nostras; ea omnia, quæ illicere possunt sensus nostros, ideoque amorem nostrum mereri. Nonne igitur quædam prodigii species est, si JESUS nos minime attrahat, & si resistimus tot rationibus illius diligendi. De perfectionibus illius infra fusius verba fient.

Quoad punctum alterum, Salvatorem a nobis esse amandum; quia ille primus dilexit nos: sicut amor est solum pretium, quo amor juste rependi possit, ita dicere possumus, hanc præsentissimam esse viam ad amorem sibi conciliandum. Quinam ergo esse debet amor noster erga Salvatorem, qui nos amavit tantum, quantum amare potest? Ille magis amavit nos, quam nos nosmetipsos diligamus; & nihilominus quousque procedit amor proprius? tantum amavit nos, ut quamvis omnes Angeli, & omnes homines simul consentirent, ut nos omnibus viribus suis diligerent, amor illorum minorem haberet proportionem cum illo, quo nos JESUS CHRISTUS complectitur, quam habeat una aquæ gutta cum toto Oceano. Quapropter Sanctus Joannes verba faciens de amore *Domini nostri* erga homines, dicit: illum nos usque ad excessum dilexisse, ea in occasione amorem ipsius ad apicem usque evasisse, & illum licet Deum, licet potentem, adductum fuisse quodammodo ad impotentiam ulterius amandi, & agendi propter homines: *cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Rationes autem hujus veritatis, deinceps occurrent. Joann. 13.

Pro tertio puncto. Si ardenter cupimus hominum amicitiam, eam cupimus, vel propter voluptatem, quam inde percipimus, vel propter utilitatem, quam inde speramus, vel propter honorem, *qui nobis* inde cedit. Nulla ex his causis impellere poterat *Filium Dei*, ad perquirendam hominis amicitiam. Hoc multum nobis, ut mihi videtur, fuit, Deum pati voluisse, ut ipsum diligeremus, & hæc indulgentia singularis gratiæ loco nobis esset habenda. Quid igitur erit videre JESUM hominem-Deum hunc nostram perquirere amicitiam, eamque flagitare? In iis, quæ inferius dicenda sunt, satis multa occurrent ad partem hanc exornandam.

V. Tot dicenda sunt de Salvatoris amore, & hoc argumentum tam amplum est, ut nequeat exhauriri; quamobrem necessarium est illud in plures sermones dividere. En adhuc tres aliæ rationes, quæ argumentum suppeditare possunt sermoni a Superioribus distincto. 1. Debemus amare Salvatorem Mundi pro infinitis bonis, quæ nobis procuravit. 2. Debemus amare, quia sese nobis dedit, & fecit se Bonum nostrum. 3. Illum amare debemus propter mala, a quibus nos liberavit, & quæ sine ope illius evitare nobis non licuisset.

In puncto primo, postquam explicuerimus Apostoli sententiam, ubi asserit, JESUM CHRISTUM locupletasse, & cumulasse nos tot bonis, ut nihil nobis deesse possit eorum, quæ cupimus: *in omnibus divites facti estis in CHRISTO, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia;* ut aliquo modo intelligamus multitudinem, & magnitudinem, satis est exponere: nos illi debere omnia bona naturæ, gratiæ, & gloriæ; nos debere illi inæstimabilia beneficia Redemptionis, Prædestinationis, vocationis, Justificationis, & illud quod ceteris cumulum additurum est, glorificationis. *Operæ* pretium est immorari præcipue in beneficio Redemptionis, quod ceterorum principium est, & unum complectitur plura; namque, ut nos redimeret, nonnisi cogitavit de nobis a primo vitæ suæ articulo ad extremum usque Spiritum; non egit, non locu-

locutus est, non pertulit, non laboravit, verbo, non vixit, nisi pro nobis, ita ut Salvatoris beneficia liceat memorare pro singulis motibus cordis sui, quorum nos fuimus objectum, & finis, ac pro singulis momentis vitæ suæ, quorum, ne unum quidem (ut ita dicam) Sacrum non fuerit, ac devotum nostræ utilitati.

In altero puncto supponendum est; quæcunque bona Dominus contulerit nobis, & quæcunque munera fuerit nobis elargitus, futurum fuisse, ut hæc non possent implere, neque Dei studium, neque humani Cordis captum, nisi ille dedisset semetipsum. Ostendendum est, JESUM, postquam nobis omnia dedit, tandem dedisse semetipsum, secundum illa Sancti Bernardi verba: *non jam sua, sed semetipsum nobis impendit*. Hoc autem ille præstitit in Eucharistia, in qua totum seipsum donavit, Corpus, Animam, Sanguinem, Divinitatem; idque modo omnium perfectissimo. Nam in Passione, nonne dedit nobis vitam suam, & merita? Vitam quidem, ut nobis esset exemplo, totum illud, quod est, totum illud, quod habet, nonne impensum fuit in nostros usus, tamquam si omnia illius essent nostra?

In puncto tertio. Operosum non est, ea ostendere mala, a quibus Salvator nos liberavit; quis enim ignorat, unice hoc accidisse, ut nos eriperemur de tyrannide peccati, quod proprie unicum est in Mundo malum; & deinceps, a pœnis æternis, quas meriti fueramus, & quibus peccatum nos subjecerat; ita ut, nos minus debeamus illi, propter infinita mala, a quibus præservavit nos, quam propter innumera bona, quibus nos cumulavit. Etenim liberans nos a peccato, liberavit quoque ab iis, quæ peccatum consequuntur, videlicet a servitute dæmonis, ab odio, & iracundia Dei, a morte æterna, & a pœnis inferni.

VI. Ut nosmet ad Salvatoris Mundi amorem excitemus, ille considerari potest, tamquam verus amicus, quo nomine vocat omnes veros Christianos, non secus ac Apostolos suos; ubi ostendere possumus

1. Honorem, quem confert nobis Dei Filius, & dignitatem amici dominatoris universæ terræ; talem esse, ut nunquam ausi fuissemus, hoc nomine appellare eos, quos ipsi Reges terræ *se minores existimant*; nisi eodem CHRISTUS ipse fuisset usus, vocans homines amicos suos. Quapropter loquens ad Apostolos suos, declarat illis, a se non haberi illos, tamquam servos, atque mancipia; sed pro veris amicis, quibus aperit cor suum, & quos non celet secretum aliquod sibi a Patre communicatum. Quid magis debemus admirari? indulgentiam ne Dei sese demittentis eo usque, ut amicitia sua dignetur homines; an hominum ingratitudinem, & stupiditatem, qui adeo parum tanto hoc amore afficiuntur?

2. Quod si CHRISTUS JESUS assumit erga nos amici qualitatem, perfectissime etiam hujus replet officia; quia amicus est generosus, fidelis, & constans; ostentat generositatem *hujus amicitiæ erga nos*, sacrificans nobis suam requiem, lætitiam, gloriam, vitamque ipsam, ut nobis amoris in nos sui præbeat testimonia. Ejus apparet fidelitas in eo, quod nunquam deest in aliquo amicitiæ munere, nos inter ærumnas consolatus, opitulatus in necessitatibus, gratiis suis fovens, & in partem vocans omnium bonorum suorum; denique constans est amicus, quia nunquam fastidit frigus nostrum; immo neque nostras infidelitates, & non deserit, tunc etiam, cum deserimus illum; *Desumptum ex tom. 3. Considerationum Patris Nepveu*.

VII. Ut prædestinemur, debemus amare, & imitari JESUM CHRISTUM, qui, ut Sanctus Paulus ait, primus est Prædestinatorum inter fratres suos; qua in re supponendum est, omnem salutis œconomiam tribus inniti Mysteriis. 1. Mysterio Prædestinationis. 2. Mysterio Incarnationis. 3. Mysterio Regenerationis per Baptismum. Oportuit prædestinatos esse re adhuc integra, dicit Apostolus, quia *elegit nos* Pater Æternus *in ipso* Filio suo, *ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti*; deinde oportuit, ut Omnipotens Pater mitteret Filium suum in Mundum ad illum non quidem judicandum, sed salvandum: *Non enim misit Deus Filium suum, ut judicet Mundum, sed ut salvetur Mundus per ipsum*; denique opus fuit, ut per Baptismum applicaretur nobis fructus Redemptionis, ut essemus hæredes, & cohæredes JESU CHRISTI: *Si Filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem CHRISTI*. Unde sequitur necessario

Ephes. 1.

Joann. 3.

Rom. 8.

1. Nos salvari non posse, si prædestinati non sumus, & non posse prædestinari, nisi amaverimus JESUM CHRISTUM, eique similes non fuerimus.

2. Nos non salvari, nisi assequamur mentem Æterni Patris dantis Filium suum nobis, per Incarnationis Mysterium. Nos vero mentem illius non assequi, nisi jugiter contendimus ejicere amorem Mundi, ut in locum ejus collocemus amorem JESU CHRISTI.

3. Nos salvari non posse, nisi Redemptionis nostræ pretium applicetur nobis per Baptismum, quo Christiani efficimur, & nos veros non esse Christianos, nisi diligamus JESUM CHRISTUM, & eas exerceamus virtutes, quarum ille nobis reliquit exemplum.

Pro puncto primo; quin excutiamus, utrum prædestinati simus ante, vel post meritorum nostrorum prævisionem, dicere possumus. 1. Prædestinatos duntaxat ad beatum hunc terminum perventuros. 2. Prædestinatos nunquam in Cælestem Patriam ingressuros, sine bonorum operum exercitatione; ex quibus duabus certissimis veritatibus, sequitur perspicue meritum potissimum, tutissimumque medium ad hanc beatitatem acquirendam, esse amare, & imitari JESUM CHRISTUM. Profecto Sanctus Joannes in una Epistolarum suarum dicit: *qui non diligit, manet in Morte*; quod dicendi genus non exaggerat Sanctus Paulus, cum ait: *qui non diligit Dominum JESUM CHRISTUM, sit anathema*. Et sane nonne amor hic probatus operibus ille est, qui facit perfectam hanc conformitatem nostram cum JESU CHRISTO, & qui certos nos facit simul, & vocationis, & prædestinationis nostræ? Hoc statuit divino Oraculo idem Apostolus; eos omnes, quos Deus per æternam præscientiam suam novit futuros ex numero Electorum suorum, hos quoque omnes prædestinasse, ut sint conformes Imagini JESU CHRISTI Filii sui: *quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri Imagini Filii sui*. Sed hæc conformitas bene concepta necessario secum trahit amorem, & imitationem JESU CHRISTI, cujus vita semper hoc duplex habuit exercitium amandi Patrem suum, & ad ejus exemplum, vacandi sanctis operibus dignis Deo: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*.

Joann. c. 1.

Ad Rom. 8.

Pro puncto altero. Dicere possumus, 1. Consilium Æterni Patris in Creatione Entium omnium intelligentium, fuisse inserere omnibus naturale studium amandi substantialem Imaginem *suam*, Verbum Æternum, & sese perficiendi per augmentum perenne *virtutum omnium, ut sint illi* conformia; nam sicuti Pater non invenit felicitatem suam, nisi in productione substantialis hujus Imaginis, in qua sibi complacet, & quæ terminus est cognitionis suæ, sequitur terminum perfectionis omnium Entium intelligentium, & altissimum felicitatis eorum gradum, tum in hoc exilio, cum in Cælesti Patria, esse amare, & imitari JESUM CHRISTUM, quatenus Verbum. 2. Infelicitatem Angeli, & hominis esse nunquam amavisse, neque imitatos fuisse Verbum hoc adorabile, quia, quin imitarentur illius bonitatem, & diligerent illud, uterque voluerunt imitari illius Magnitudinem, atque Dominationem, & ut Sanctus Bernardus animadvertit, *uterque dixerant: similis ero Altissimo*. Cum igitur de vera excesserint via, quomodonam illuc reverti possunt? possunt amantes, & imitantes divinum hoc Verbum infirmitatibus nostris indutum; & in hoc Evangelium constituit vitæ præsentis felicitatem, & futuræ etiam beatitudinem; Amare, cognoscere, imitari JESUM CHRISTUM. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM*.

Galat. 3.

Isaiæ c. 4.

Pro 3. puncto. Dicere possumus: 1. Neminem mereri Christiani Nomen, nisi diligat JESUM CHRISTUM, & nisi illum in omnibus imitetur; Christianus enim a JESU CHRISTI Nomine vocatur. Frustra enim, Sanctus Cyprianus ait, aliquis gloriosum hunc titulum ostentat, nisi quotidie prototypum suum exæquare contendat: Christianus nemo dicitur recte, nisi qui CHRISTO moribus, quoad valet, coæquatur. Et Sanctus Malachias, cum quidem illum deterreret a facto digno sanctitate sua, nonne respondit: *frustra sum Christianus, si CHRISTUM non sequor*. 2. Hoc munus est nostrum, quod in Baptismo contrahimus. Sanctus Paulus illud nobis ob oculos ponit, cum ait: *quicunque in CHRISTO baptizati estis, CHRISTUM induistis*: Tamquam vestimentum, quod ita vos tegit, ut homo vetus non debeat amplius apparere; ille sepultus est, tamquam mortuus, & JESU CHRISTI vita in vobis enitescere debet, & operari. Profecto in mentem revocantes quidquid in augusta illa cæremonia peractum fuit, videbimus, nos abrenuntiasse Sathanæ operibus, & pompis ejus, ut hæreremus JESU CHRISTO per amorem, qui in hac quidem incipit vita, & in altera perficitur: *Abrenuntio diabolo, & operibus ejus, & adhæreo tibi, CHRISTE*.

Rituale Rom.

VIII. Si cupimus scire, quomodo potissimum a nobis diligendus sit JESUS CHRISTUS: S. Bernardus nobis praxim tribus verbis ostendit. *Disce, o Christiane, quemadmodum diligas CHRISTUM; disce amare dulci-*

dulciter, *amare prudenter*, *amare fortiter*. Hæc tria ſunt media diligendi JESUM CHRISTUM, quæ continentur in amore, quem ipſe erga nos habet. Diſce, Chriſtiane, ab ipſo JESU CHRISTO, quomodo amandus ſit. 1. Ama illum ſuaviter. 2. Ama illum prudenter. 3. Ama illum fortiter.

Magnus iſte Sanctus, qui conſummatus erat Magiſter in hac ſublimi ſcientia, rationem afferens, quia tres hæ qualitates ſimul junctæ requirerentur in amoris divini exercitio, proponit nobis tres obices, qui occurrunt in praxi. Primus eſt cordis noſtri affectus erga ea, quæ videntur, quæ ita illud alliciunt, ut quæ Dei ſunt, minime ſapiant: *non ſapis ea, quæ Dei ſunt*; quemadmodum Salvator Principi Apoſtolorum objiciebat. Secundus eſt, ſi quando ullam experimur illecebram, vel guſtum aliquem rerum divinarum, noſmet derelinquere imprudentiæ, quæ Sancti hujus exercitii meritum corrumpit. Tertius demum eſt, ſi eodem prudenter utimur, ignaviam efficere, ut fructum omnem amittamus. Hinc ad tres hos obices ſuperandos, S. Bernardus in praxi amoris erga Salvatorem, requirit ſuavitatem, prudentiam, & fortitudinem.

1. Debemus illum amare cum dulcedine, & ſuavitate; ne quemadmodum ipſe invenit ſuas delicias in nobis, creaturarum rerum illecebræ corrumpant Cor noſtrum, & nos ab illius amore detorqueant. Itaque videmus illis, qui vere Salvatorem diligunt, jugum eſſe leve, eoſque in Dei ſervitute gaudio ſuperabundare, quemadmodum ſcribit Apoſtolus: *Superabundo gaudio*.

2. Illum amare debemus prudenter, ne amoris proprii, vel dæmonis illuſiones nos trahant in quædam opera parum prudentia, in quæ, niſi ſciti alicujus directoris normam ſequamur, ſemper adeſt periculum, ne labamur.

3. Amor noſter debet eſſe fortis, & conſtans, ne ſinamus, nos vinci, aut ſuperari iis difficultatibus, quæ adſunt in JESU CHRISTI imitatione, & ſequela, quam hic Amor ſuadet. Ita loquitur S. Bernardus: *dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi, ab amore Domini avertamur*. Hoc argumentum deſumptum eſt a P. Haineuve in libro, qui inſcribitur: *Reſponſa ad interrogationes de vita Spirituali. 2. part. tract. 9.*

IX. Amare debemus JESUM CHRISTUM propter eas, quas cum nobis habet rationes; ſi enim non amare non poſſumus illos, cum quibus nexu aliquo conjuncti ſumus, qui aliqua ſpecies eſt illecebræ ſecretæ, ſed validæ, quæ ſuaviter adſtringit Corda, & inviſibile quoddam vinculum, quo invicem alligantur; ſi illos, inquam, non amare non poſſumus, non amabimus JESUM CHRISTUM, qui cupiebat non ſolum amorem noſtrum, verum etiam benevolentiam mereri & qui habere voluit cum nobis eas omnes rationes, *quæ nos* excitare poſſent ad amandum? Etenim, *quin loquar de illis, quas* habemus cum eo, tamquam cum Deo noſtro, Creatore noſtro, & ſummo Bono, tres aliæ ſuperſunt, quæ aliam Sermonis partitionem poſſunt conſtituere; 1. relatio Regis, quia per Baptiſmum ſumus ſubditi illius; 2. relatio Magiſtri, quia nos docet doctrinam prorſus Cæleſtem; 3. relatio Fratris, per peculiarem affinitatem, quam contraxit nobiſcum; ſed ſi ſingulæ hæ relationes ſeorſim ſumptæ ciere poſſunt amorem noſtrum; quid tandem erit, ſi omnes ſimul conjungantur? *quonam* ardore Cor noſtrum inflammare non debent?

X. Aſſumi etiam poteſt pro Sermonis argumento. 1. Noſtram perfectionem, & ſanctitatem in hac vita conſiſtere in amore, quo JESUM CHRISTUM proſequimur, & in ſimilitudine, quam habemus cum illo per virtutum ejus imitationem; ita ut quo magis illum diligimus, eique ſimiles evadimus, eo ſanctiores ſimus, atque perfectiores. Ubi oſtendi poteſt præſtantia hujus praxis exercendæ in amore JESU CHRISTI, quæ ſuperat ceteras quaſcunque devotiones. 2. Quænam ſint vera media ad perfectum hunc amorem acquirendum, & in quo hæc imitatio conſiſtat. Media autem acquirendi hunc amorem, ſunt bene meditari rationes, quas habemus amandi illum, quas jam attulimus, & quæ ſi ſatis penetravimus, parere debent in cordibus noſtris ſaltem illius amandi deſiderium. Medium alterum acquirendi hunc amorem eſt illum enixe, & ſæpe a Deo flagitare; ſi enim flagraremus vero hoc deſiderio, non aliud votum, præter hoc nuncuparemus; & unum ſatis eſſet ad nos beatos efficiendos. Tertium eſt, noſmet aſſuefacere, ut JESUM ſemper præſentem habeamus, ipſum imitaturi, & in omnibus actiones noſtras ad exemplum illius compoſituri.

XI. Amare debemus Filium Dei; 1. Quia nos amavit, nos infinita Caritate complectens per quam nihil prætermiſit facere amoris noſtri cauſſa.

2. Quia dignus eſt omni affectione noſtra, habens omnes amabilitates divinas, & humanas, quæ Cor noſtrum ſibi poſſunt conciliare.

3. Quia illi debemus omnia bona, quæ ab ipſo accepimus, & accepturi ſumus. Vel quod idem eſt, debemus amare illum triplici amore, Juſtitiæ, affectionis, & gratitudinis.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad propoſita argumenta pertractanda, & Auctores de illis agentes.

SAnctus Auguſtinus ſerm. 86. explicans hæc verba *ex cap. 8. Sancti Matthæi: abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*; quibus addit illa Sancti Joannis *in Epiſt. 1. capit. 2. Qui non diligit* &c. in toto ſermonis Corpore plura habet pulcherrima. Sancti Patres.

Idem *de Catechizandis rudibus cap. 4.* in illa Sancti Joannis verba, 1. *Epiſt. capit. 4. Quoniam ipſe prior dilexit nos*; invicte probat neceſſitatem amandi JESUM CHRISTUM, qui prior nos amavit.

Idem *lib. 4. Confeſſ. cap. 9.* multa habet ſatis pathetica de hoc argumento.

Idem *in Man. cap. 10.* Multa cum unctione hoc argumentum pertractat.

Idem *lib. 15. de Civ. Dei cap. 38.*

Idem *de Civ. Dei lib. 12.*

Idem *ſerm. 19.* fuſius agit de hoc argumento.

Idem *Homil. 84.* ubi probat JESU CHRISTI vitam eſſe in Evangelio, & nos illam in omnibus ſequi debere.

Idem *Enchir. capit. 53.* habet deſcriptionem Vitæ JESU CHRISTI, quam imitari debemus.

Idem *in Pſalm. 56.* Ubi prolixe probat per traditionem, nos imitari debere JESUM CHRISTUM, quemadmodum Apoſtoli, ſucceſſores Apoſtolorum, & primi fideles illum imitati ſunt.

Idem *in Pſalm. 64.* diſtinguit amorem Dei ab amore Mundi, ubi præbet argumenta ad intelligendum utrum JESUS CHRISTUS ametur.

Idem *de Catechizandis Rudibus*, ubi dicit: Verbum ideo Hominem factum, ut nos ad ſe amandum impelleret.

Idem *in Epiſt. ad Maced.* Ubi explicat, quid nobis proſit, vel obſit, videlicet amor JESU CHRISTI, vel odium, in quo habentur ſancta illius placita.

Idem de moribus Eccleſiæ, ubi docet, quomodo amandus ſit JESUS, & affert rationes.

Idem in verba illa: *mandatum novum do vobis*; ubi præclara ait de amore JESU CHRISTI.

S. Hieronymus *in Epiſt. ad Demetriad.* explicat quid ſit amare JESUM CHRISTUM, addens amare idem eſſe ac imitari, & recenſet Virtutes JESU CHRISTI, quæ eſſe debent noſtræ.

Idem in Joſue Homil. 1. ubi oſtendit abrenuntiandam eſſe ſæculi amicitiam, ut JESUM CHRISTUM diligamus.

Sanctus Ambroſius *de fuga ſæculi*, ubi probat amorem JESU CHRISTI non poſſe cum Mundi amore conjungi.

Idem *in Pſalm. 118.* ubi probat, amare JESUM, eſſe imitari actiones illius.

S. Gregorius *lib. 2. Moral.* multa habet hujus argumenti.

Idem *lib. 5. & 16. Moral.*

Idem in Homil. *Maria ſtabat ad monumentum.*

Idem *in Ezech.* fuſe loquitur de hoc argumento.

Sanctus Bernardus in toto lib. ſuo *de Amore Dei.*

Idem *in Cant. ſerm. 20.* ubi docet modum amandi Sapientiam increatam.

Idem *in Cant. ſerm. 30.*

Idem *in tract. de diligendo Deo.*

Ven. Beda *in Cant.* Summa cum elegantia & ordine, hoc tractat argumentum.

Sanctus Baſilius *in Hexameron* diſſerit de Amore JESU CHRISTI.

S. Cyprianus *in dominicali Orat.*

S. Baſilius pulcherrimos habet hujus argumenti locos in ſerm. de tentatione.

Auctor de imitatione JESU CHRISTI *lib. 1. Aſcetic. cap. 10.*

Pater Gaudier in lib. de Nat. & ſtatibus perfectionis ad libri calcem duos habet egregios tractatus, ubi theologice explicat quidquid ad hoc pertinet argumentum, quorum tractatuum prior inſcribitur: *de Sanctiſſimo CHRISTI JESU, Dei, & Hominis amore*; alter vero *de vera CHRISTI JESU, Dei, & Hominis imitatione.*

Pater Euſebius Nieremberg. librum edidit, qui invenitur inter opera illius ſub tit. *JESUS amabilis*, ubi collegit quidquid ſolidiſſimum eſt, & concionatoribus aptiſſimum, ex quo potiorem partem elegimus eorum, quæ in hoc argumento dicta ſunt.

Adeſt quoque Liber Anonymus, qui inſcribitur:

De Amo-

De Amore Domini noſtri, vel *Aſſociatio ad petendum Amorem Domini noſtri, & ejuſdem Amoris argumentum*. Ubi multa videntur in hoc argumentum allata, ſed ex Nierembergio deſumpta.

P. Saintjure in lib. de Cognitione, & Amore Domini *part.* 1. collegit, & more ſuo tractavit rationes omnes, propter quas illum amare tenemur.

P. Haineuve, in 2. *part. reſponſion. ad interrogat. de vita Aſcetica, tract.* 9. de particulari amore JESU CHRISTI in 1. *Colloq.* oſtendit, qua neceſſitate teneamur amare Dominum noſtrum, & quinam ſit amor iſte peculiaris: in 2. oſtendit exemplis ex Scriptura depromptis qualitates, quas habere debet amor iſte; in 3. oſtendit quid plus, vel minus ſpectabile inveniatur in hoc particulari amore JESU CHRISTI, quam generatim in amore Dei. In 4. verum eſſe, ſacram JESU CHRISTI perſonam conſtituere objectum æquiſſimorum deſideriorum noſtrorum; & in 6. oſtendit imitationem JESU CHRISTI, certiſſimum eſſe indicium amoris, quo illum proſequimur, & in quo ſita ſit hæc imitatio.

P. Nepveu habet quemdam ſeceſſum de Domino JESU CHRISTO, ubi loquitur de amore, quo a nobis diligendus eſt, & de mediis, quæ ſuppetunt nobis ad hunc amorem excitandum.

Idem in tom. 3. Chriſtianarum conſiderationum, oſtendit, nobis amandum eſſe JESUM CHRISTUM, quia amamur ab ipſo.

Idem in tom. eodem, pro die 29. Septembris, oſtendit, JESUM CHRISTUM eſſe amicum perfectum.

Idem ibidem *conſiderat. pro die Julii tertia* loquitur adhuc de amore JESU CHRISTI.

Idem in libro, cui titulus: Spiritus Chriſtianiſmi, fuſius verba facit de imitat. JESU CHRISTI, & qua in re illum imitari debeamus.

Granatenſis tract. 2. de amore Dei, inducit Salvatorem Mundi amare conquerentem de hominibus, eo quod, cum rationes omnes adſint ut ab illis ametur, relinquitur, ut illorum amor terrenis rebus impendatur.

Idem in *Catechiſ. part.* 1. Dialogum habet de amore Salvatoris.

Abbas Trappenſis *tom.* 1. *collat.* habet *collat. pro Dominica* 4. *Adventus*, ubi loquitur de imitatione JESU CHRISTI, & quotuſquiſque illum imitetur.

Mathias Faber *Domin.* 17. *Concion.* 3. affert rationes, quæ nos debent in JESU CHRISTI amore inflammare.

Labbatha tit. CHRISTUS, Articulum habet, ubi agit, quomodo illum amare, & imitari debemus.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Joann. 13.

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos. Ibidem.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Ibidem.

Si diligitis me, mandata mea ſervate. Joannem cap. 14.

Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Ibidem.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ibidem.

Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Ibidem.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Ibidem.

Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic & vos, niſi in me manſeritis. Ibidem.

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Ibidem.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Ibidem.

Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione; Ibidem.

Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Ibidem.

Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Ibidem.

Jam non dicam vos ſervos; quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Ibidem.

Qui me odit, & Patrem meum odit. Ibidem.

Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti JESUM CHRISTUM. Ibidem.

Et pro eis ſanctifico meipſum, ut & ipſi ſint ſanctificati in veritate. Ibidem.

Et notum feci eis Nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Ibidem.

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego CHRISTI. 1. Ad Cor. cap. 11.

Vos autem eſtis Corpus CHRISTI, & membra de membro. Idem 1. ad Cor. cap. 12.

Nemo in Spiritu Dei loquens dicit Anathema JESU. Ibidem.

Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. Ibidem.

Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ſit anathema. Idem, ibidem cap. 14.

Caritas CHRISTI urget nos . . . . pro omnibus mortuus eſt CHRISTUS, ut & qui vivunt non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. 2. Ad Cor. cap. 5.

Si qua ergo in CHRISTO nova Creatura, vetera tranſierunt. Ibidem.

Scitis enim gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI; quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia divites eſſetis. 2. Ad Cor. cap. 8.

Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM. Ad Epheſ. cap. 6.

Mihi vivere CHRISTUS eſt, & mori lucrum. Ad Philipp. 1.

Aſpicientes in Auctorem fidei, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta. Ad Hebr. cap. 12.

Fac ſecundum exemplar, quod tibi in Monte monſtratum eſt. Ibidem 16.

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Matth. 17.

Et in hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. 1. Joann. Epiſt. cap. 2.

Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. Ibidem.

Qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Ibidem.

Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam . . . . . qui non diligit manet in morte. Idem cap. 3.

Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Caritas eſt. Idem cap. 4.

Omnis, qui credit, quoniam JESUS eſt CHRISTUS, ex Deo natus eſt; & omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex Deo. Ibidem cap. 5.

Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes, propter quam cauſſam non confunditur, fratres eos vocare. Ad Hebr. cap. 2.

Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi. Ad Epheſ. 5.

In hoc enim vocati eſtis; quia, & CHRISTUS paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. 1. Petri cap. 2.

Elegit nos in ipſo, ut eſſemus Sancti. Ad Epheſius 1.

Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri Imaginis Filii ſui. Ad Rom. 1.

Ut ſit ipſe Primogenitus in multis fratribus, ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam. Ad Rom. 8.

Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me CHRISTUS. Ad Galat. 2.

Ipſe enim Pater amat vos, quia me amaſtis. Joannem 16.

Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum. Joann. 17.

Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Joann. 12.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, Joann. 8.

Exempla ex veteri, & novo teſtamento deprompta.

Amor, & reverentia Angelorum erga Verbum Incarnatum.

PRimum, & vetuſtiſſimum teſtimonium amoris, & venerationis, qua Creaturæ coluerunt Sanctam Filii Dei Humanitatem, exemplum eſt Angelorum. Deus enim vix illos creavit, & ex nihilo eduxit, cum declaravit illis conſilium ab Æterno Verbo ſuſceptum, ſeſe Hominem faciendi, & illis imperavit, S. Paulus ait, ut confiterentur, & adorarent illum, tamquam Dominum ſuum, atque Deum. Neceſſe non eſt hoc in loco referre, quomodo tota eorum felicitas, & prædeſtinatio penderet a cultu latriæ, quem ab illis exegit ea in occaſione, nec quomodo repulſa, quam pars horum rebellium Spirituum retulerunt, cauſſa fuerit reprobationis, atque æternæ eorum infelicitatis: ſed, quod attinet ad argumentum, hoc eſt, Illos, qui Creatoris ſui paruerunt imperio, concepiſſe ex illo temporis articulo amorem ingentem

erga Verbum Incarnatum, quod magna cum reverentia, & alacritate adoraverunt, quin aliquid considerarent, propter naturales ipsorum perfectiones. Illud sibi esse inferius, & postquam Homo factus fuit, quamquam non eas omnes rationes haberent, quas ipsi, amandi illum, & quamvis illos nequaquam redemerit, neque pro illis Sanguinis guttam fuderit, quem tamen amorem illi testati non sunt? quæ illi non præstiterunt obsequia? Ubi natus est in stabulo mortalis, atque passibilis, illi tamquam Domino obsecuti sunt, quin naturæ humanæ inviderent honorem, quem in persona illius recipiebat. Ubi post *jejunium* dierum quadraginta esuriit, illi epulas ministrarunt, genibusque in terram flexis famulati sunt; cum in horto Olivarum incidit in agonem, miserati dolorem illius, unus præ ceteris opem tulit, ac consolatus est: quando mortuus est, *Angeli pacis*, ut loquitur Isaias, amare fleverunt; cum in Cælum ascendit, Cherubim contenderunt, ut certatim sese pedibus ejus subjicerent, atque substernerent; cum ingressus est in Empyreum, magna cum pompa receperunt illum, & modo amor, quo illum prosequuntur, efficit, ut sese demittant eo usque, ut nostri sint duces, atque custodes. Itaque nobis in omnibus necessitatibus ferunt opem, semper præsto sunt ad preces nostras recipiendas, atque deferendas ad Thronum Dei, & gloriæ sibi vertunt, se eorum esse socios, quos JESUS suos fratres appellat; *id autem, post quam Verbum divinum factus est Homo*, ad innuendum amorem, & reverentiam, quam adhibent illi in personis suis.

Amor antiquorum Patriarcharum & Prophetarum erga J. C.

Patriarchæ, & Prophetæ veteres non viderant humanitatem, neque experti fuerant suavitatem Filii Dei, qui nonnisi pluribus sæculis post eos prodiit in terram, attamen ardenti amore illum prosequebantur. Eminus tantum respiciebant illum, neque sibi fingere poterant ideam, nisi confusam, & nihilominus ad illum anhelabant, ardebant illius videndi desiderio, & lætabantur spe adventus illius, clamoresque in Cælum attollebant, ut ejus adventum maturarent. *Rorate Cæli desuper*, clamabat Isaias, *& Nubes pluant Justum*, Aggæus vocabat illum *desideratum gentium*, & Jacob, *spem, ac desiderium Collium Æternorum*. David jugiter de illo cogitabat, & nunquam cogitabat, nisi exprimeret tenerrimos affectus suos. Job inter ærumnas semet consolabatur memoria Redemptoris, quem ipse visurus erat, & quem oculi ejus erant conspecturi; quamquam nonnisi post satis diuturnum temporis intervallum venturus esset in Mundum. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum.*

Isaiæ 45.

Aggæi 2.

Job 19.

Joann. 8.

Moyses fuit perfectus imitator J.C. eumque dilexit, antequam in mundum prodiret.

Credendum non est, eruditus quidam interpres ait, Tabernaculum fuisse solum objectum, cui Deus Moysem præfecerit, cum dixit illi: *fac secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*. Sed illi etiam detexit omnes novæ legis veritates, quæ connotatæ erant, *tamquam sub obscuris adumbrationibus*, per omnes umbras, & *figuras novæ legis*. *Profecto Moyses* taliter erat Legis antiquæ Minister, ut esset etiam hæres novæ legis, Sanctus Augustinus ait, *Moyses testamenti veteris Minister, hæres novi*. In hoc Tabernaculo, & universo apparatu, qui illi monstratus fuit, videbat igitur JESUM CHRISTUM, ac legem universam, & quanam cum sedulitate debebat replere se divino illo prototypo, servans illum in mente sua, per cognitionem, & in Corde per amorem, deferens illum *manibus suis* per opera bona, & sæpe repetens sibimetipsi: *fac secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*. Sanctus Paulus hanc adstruit cogitationem, ubi asserit Moysem vidisse in spiritu Salvatorem, & certissime credidisse JESUM CHRISTUM Nasciturum, & Moriturum propter homines, eumque prætulisse hanc JESU CHRISTI ignominiam omnibus thesauris Ægypti. *Majores æstimans divitias improperium CHRISTI, thesauro Ægyptiorum*. Moyses ergo in tota lege veteri non videbat nisi JESUM CHRISTUM, qui illius erat terminus, & finis; non videbat, nisi hunc Salvatorem in Tabernaculi Ædificio; illi jam devovebat mentem, & Cor suum; JESUS CHRISTUS jam erat scopus omnium actionum illius, cujus jam imitabatur humilitatem, quandoquidem, secundum Sanctum Paulum, thesauris Ægypti præferebat Opprobria JESU CHRISTI. Hic igitur Princeps Israelitici Populi jam discebat a JESU CHRISTO lenitatem, & Cordis humilitatem; jam accipiebat super se jugum illius, ejusque suavitatem gustabat; dicebat jam, discipulum non esse super Magistrum suum, & honoris, atque perfectionis suæ cumulum esse, amare, & imitari JESUM CHRISTUM sub umbris legis, omnia componens ad hoc exemplar, quod ipsi in Monte fuerat monstratum: *fac secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*. Igitur semper, & quovis tempore habuit JESUS CHRISTUS in lege veteri imitatores, qui totam Religionem suam ad id redegerunt, ut amarent illum, atque imitarentur. Mementote, fratres mei, vestrorum, & Principum, qui vobis Domini Verbum nuntiarunt, probantes, ex prima ipsa Mundi ætate, JESUM CHRISTUM fuisse magnum objectum cultus vestri, cui & amorem, & imitationem virtutum suarum debetis. Imitamini igitur eorum facta, tamquam dilecti Filii; Moyses iterum repetit: nam Dei Verbum per os illius loquitur; vobis iterum dico, uti ad Israel; *fac secundum exemplar, quod tibi in Monte monstratum est*.

Exod. cap. 25.

Auguſt. Epiſt. ad Bonifacium lib. 3. cap. 4.

Exod. cap. 15.

Ad Hebr. 11.

Novum Testamentum erat in veteri, tamquam puer in Matris sinu; JESUS CHRISTUS Synagogæ Filius Matrem hanc honoravit, sese subjiciens legibus, & cæremoniis illius, & magis adhuc illam perficiens per Spiritum adoptionis, qui exterminavit spiritum timoris. Non deerant igitur in antiqua hac lege Christiani; *Christiani*, Sanctus Augustinus ait, *re, non Nomine*. Erant membra JESU CHRISTI, novæque Ecclesiæ; vivebant de Spiritu illius; virtutes ejus colebant; amantes humilitatem, paupertatem, obedientiam, quemadmodum JESUS CHRISTUS has virtutes amavit. Hoc erat centrum actionum eorum, & thesaurus, in quo Cor erat eorum. *Ecclesiæ membra erant illi Sancti, quamvis in hac vita fuerunt, antequam secundum Carnem CHRISTUS nascereturi*. Josue, David, Samuel, Elias, Prophetæ omnes, & cum illis exiguus numerus Sanctorum latentium, & incognitorum, vivebant de fide JESU CHRISTI. In anteceſſum per gratiam fuerunt Christiani, quamquam hoc nomine minime vocarentur, & dicere debemus cum Sancto Augustino, eos omnes, qui partem habuerunt in electione Dei ab ipsa Mundi Creatione, usque ad JESUM CHRISTUM, Salvos factos fuisse, intuitu JESU CHRISTI humiliati, & eo quod in partem accesserunt Vitæ ejusdem patientis. Omnes isti, magnus hic Doctor ait, *sanati sunt ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo. Quicunque homines humilitatem CHRISTI, per revelationem, antequam fieret, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt*.

Josue, Daniel, Samuel &c. viderunt amarût, & imitati sunt J. C.

S. Auguſt. de Catechizandis rudibus c. 19.

Ibidem.

S. Auguſt. in Epiſtol. ad Galat. cap. 3.

In Testamento novo Cæli Regina, Virgo Sanctissima, Dei Mater amavit JESUM præ omnibus Creaturis, non solum quia illius erat Parens, sed quia præ ceteris cognoscebat illius dignitatem, ac meritum. Amor, quo illum prosequebatur adegit illam, ut solum verteret, *in Ægyptum* fugam capesseret, & cum gaudio diuturni, molestique exilii substineret incommoda. Quis dicere posset, quinam fuerint Heroici virtutis actus, quos amabilis ista Genitrix exercebat, cum ita pro Filio suo pateretur? Quos sensus fovebat illa, cujus Cor plenum Spiritu Sancto purissimis divini Amoris flammis æstuabat? Amor JESU tot ex oculis illius elicuit lacrymas, cum de Jerusalem rediens amisit illum, nesciens ubi esset. Quæsivit illum triduo extremis cum laboribus, atque sollicitudinibus. Hic ipse amor coegit eam, ut Filium ad mortem usque sequeretur, & eo tempore, quo videbat illum ab hominibus exagitatum, satis virium præbuit, ut inter milites, atque Carnifices, usque ad Calvarium sequeretur, & optaret, *etiam cum vitæ suæ periculo*, ipsum a morte liberare. Denique dicere possumus, illam eo usque amavisse, ut mortua non fuerit, nisi per hunc amoris excessum.

Amor Sanctiſſimæ Virginis erga JESUM, Filium Deumque ſuum.

Joann. 8.

Ex numero Sanctorum, qui magis dilexerunt Verbum Incarnatum, post Sanctissimam Virginem possumus primas concedere Sponso illius S. Joseph, qui cum illa partitus est hunc affectum, & qui similis fuit illi, & Caritate, & virtutibus ceteris; sed qui cum Nomine Patris, quod justo detulit titulo, quamvis nihil contulerit productioni Sanctæ Humanitatis in Salvatore; semper tamen gessit Cor paternum, videlicet Cor plenum amore, & benevolentia erga hunc Filium, quo nihil erat eidem antiquius in Mundo universo. Etenim secundum commune Dei Consilium, cum aliquem extollit ad aliquem dignitatis gradum, illi simul tribuit sensus, & affectiones huic recenti statui conformes. Ita Pater Æternus cum S. Joseph elegisset, ut suum teneret locum in terra, & Patris loco huic Deo-Homini deserviret; quandoquidem non debuerat hunc vere Patrem illius constituere per realem fœcunditatis suæ participationem; talem effecit per participationem amoris sui, tradens illi erga hunc Filium verum Cor Patris, cujus proprius Character est fortitudo, & suavitas. In eo requirebatur amor fortis, & generosus; in hoc dissimilis ab amore Matrum, quæ amorem habent magis tenerum, quam fortem. Oporrebat, ut amor hic tener esset, & ardens, ut summa cura ea procuraret, quæ ad divinum hunc Puerum pertinebant, & ad vivum omnes illius cognosceret necessitates. Joseph autem conjunxit duas hasce qualitates, amoris paterni in summo perfectionis gradu, quomodo facile conjici potest ex paucis illis verbis, quæ de illo facit Evangelium, & quomodo in tali munere erat apprime necessarium.

Amor S. Joſeph erga Verbum Incarnatum.

Primus inter Prophetas, qui Salvatoris Adventum cognoverit, fuit Joannes Baptista, qui præ gaudio exultavit in ventre Matris suæ; ubi cognovit illum, amavit

Quomodo Sanctus Præcurſor Jo: Baptiſta J.C. dilexerit.

Joann. 3.

amavit eum, & quoad vixit, semper adhæsit illi tanto cum amore, ut *amicus Sponsi* vocaretur. Mittebat ille discipulos suos ad JESUM tamquam ad verum Magistrum, & nihil prætermittebat, ut digne Præcursoris munere fungeretur: In id unum maxime intentus, ut honorem ei procuraret, & humiliaret sese, ut illum attolleret. Denique dicebat ille; *gaudium meum impletum est, illum oportet crescere, me autem minui*; Et seipsum indignum putabat, qui vilissima quæque ipsi præstaret officia: Vox erat, ut illum traderet cognoscendum; lingua, ut adventum illius prædicaret; & Cor, ut illum amaret.

Quomodo Apostoli J. C. dilexerint.

Apostoli ex omnibus Sanctis illi sunt qui maxime experti sunt suavitatem, affabilitatem, & humilitatem JESU, utpote quibus contigit felicitas familiariter cum eo conversandi, ac videndi quidquid ille pro nobis operatus, vel passus fuit. Salvator ipse se ab illis amari intellexit, cum dixit illis: *Pater amat vos, quia vos me amastis*. Cum primum eos allocutus est, ut alliceret eos ad sequelam suam, illexit illos taliter, per nescio quem divinum fulgorem, qui nitebat, & in facie, & in verbis illius; ut ne momento quidem hæsitaverint, quominus eum sequerentur. Post mortem vero illius jugiter de illo erant solliciti, & cogitatio hæc replebat eos consolatione; sed nihil majori eos gaudio cumulabat, quam videntes se dignos habitos esse, qui pro Nomine JESU contumelias paterentur.

Joann. 16.

Amor quo S. Petrus amavit Filium Dei.

Præter eam fidem, quam Dei Filius exegit a Sancto Petro Apostolo, antequam illum Ecclesiæ suæ Caput constitueret, petiit ab eo tamquam necessariam ad tantum hoc munus conditionem amorem ardentem, ter ex eo percontatus, utrum ab ipso plus quam a ceteris diligeretur: *Simon Joannis, diligis me plus his*? doluit Apostolus iterata hac perquisitione, veritus ne amor suus talis esset, qualem teste Conscientia sua ausus erat asserere: *Domine*, respondit, *tu omnia nosti: tu scis quia amo te*. Ita est, Magne Apostole! Salvator hoc videt, & novit, sed elicere vult ex ore tuo confessionem, ac testimonium amoris tui, æque ac fidei tuæ; per hanc tu præ ceteris illuminatus fuisti, per illum vero opus est, ut præ ceteris ardentiori caritate sis inflammatus; opus est, ut majorem præ aliis habeas ardorem, & zelum, quemadmodum plus habes luminum. Satis fuit illi unica fidei tuæ confessio, sed trinam quærit caritatis tuæ, antequam dicat tibi: *Pasce agnos meos*. Constituo te Ducem, & Pastorem Ecclesiæ meæ, quæ grex meus est; sed ut digne hoc munere perfungaris, indiges caritate non communi, tum erga me, tum erga illos, quibus regendis te præficio.

Joann. 15.

Ardens amor S. Pauli erga Filium Dei.

Sanctus Paulus, quamvis nunquam vixerit cum Filio Dei, neque inter primos Apostolos fuerit recensitus; Sanctus Paulus, inquam, ita illius amore fuit captus, ut in singula, quæ proferebat verba, & singula; quas scribebat lineas, sanctificaret, & labia, & calamum suum sacrato Nomine JESU, quod semper gerebat in ore, & quod in Epistolis suis ducenties, & vicies repetitum invenitur. Ferunt etiam, post quam carnifex Caput ejus abscidisset, ter adhuc Nomen illud protulisse. Per impetum caritatis suæ, non vivebat in se, sed in JESU, qui reciproce vivebat in illo: non gloriabatur, nisi de opprobriis, & Cruce Magistri sui: ferebat se nihil aliud scire, quam JESUM CHRISTUM Crucifixum; omnia illi videbantur tamquam stercora, ubi fieret comparatio eorum cum amore JESU CHRISTI: semper paratus ad vitam suam effundendam; non verebatur asserere, se nulla re separatum iri ab amore JESU CHRISTI. *Quis nos separabit a caritate CHRISTI? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Denique fervens hic, & indefessus fervor causa fuit, ut longa, & periculosa ingrederetur itinera, & lustraret magnam Orbis partem, & sufferret invicta constantia infinita mala, quæ ipse recenset.

Ad Galat. 2. Ad Galat. 6. 1. ad Cor. 2. Ad Philip. 3.

Ad Rom. 8. 1. ad Cor. 4.

Amor Magdalenæ erga Dei Filium.

Illustre quoque ardentis amoris exemplum erga Salvatorem est amor Magdalenæ, quæ semper ad JESU CHRISTI pedes versabatur. Hæc ab eo recedere non poterat; illum usque in Calvarium subsecuta est; & illum post Resurrectionem quæsivit in tumulo, eoque non invento nullam admittere poterat consolationem. Satis est dicere, ipsam non amplius vixisse, nisi in illo, pro quo Sanctæ dilectionis affectum conceperat; ita ut non modo sit pœnitentiæ; sed ardentissimi amoris exemplum erga Mundi Salvatorem.

Electarum animarum portio fuit amare J.C. tenere, & constanter.

JESUM CHRISTUM singulari amore complecti, in Christiana Religione fuit semper indicium, & pars animarum ad cælestem gloriam electarum. Infiniti esset operis afferre exempla omnia, quæ singula sæcula protulerunt. Satis sit illud Sancti Ignatii Martyris, in cujus corde, & ore adeo frequenter versabatur Nomen JESU, ut post ejus Mortem inventum fuerit insculptum in Corde illius. Extat testimonium magni illius amoris, quo Salvatorem prosequebatur, in Epistola, quam scripsit ad Christianos Romæ. Damner, ait ille, Morti, aut per ignem, aut in Cruce: devorer bestiis, in Equuleo distendar; in frusta succidar; toto Corpore molar, & confringar; afficiar omnibus cruciatibus, quos dæmonum rabies poterit excogitare; patiar omnia; modo ne amittam Salvatorem meum. Sanctus idem Ephesiis suasit, ne quid facerent, immo ne Spiritum quidem reciprocarent sine JESU CHRISTO; hic, dicebat ille, Spes est mea, gloria mea, thesaurus meus, qui nunquam mihi auferetur. Oh Rex gloriæ! nolo vivere sine te. Hoc ipsum sentientes tot Martyrum millia dederunt vitam suam, & totum effuderunt Sanguinem suum propter Caritatem, qua divinum Salvatorem complectebantur.

Vis exempli Sanctorum ad persuadendum amorem & imitationem J. C.

Quis est, qui renuere possit sequi horum Sanctorum vestigia? illi unicam hanc, regiamque viam secuti sunt, ut nos quoque in eamdem pertraherent. Nonne illi nostra sunt Capita, & Patres fidei nostræ? tueamur ergo pretiosam hæreditatem, quam nobis legarunt. Hæc de Cælo venit, & ad Cælum adducit. Profecto JESUS CHRISTUS asserit nobis, se amare Patrem suum, & nihil facere, nisi ad Cælestis hujus Patris imitationem. Ipse nobis amorem hunc sensibilem fecit, ipse perfecit ea, quæ docet a Patre suo profecta: ecce igitur amor, & exemplum de Cælo descendentia. Talis est eorum origo, JESUS CHRISTUS illis addidit Signum. Apostoli nonne secuti sunt divinas has voces: *fecerunt Apostoli, quod ab illo*, CHRISTO, *didicerunt, & nobis faciendum prædicaverunt: faciamus & nos*. Nonne eadem nos quoque adstringimur necessitate? nam quamvis infinitum adsit discrimen inter nostram, divinamque Naturam, per quam JESUS CHRISTUS nos creavit; nihilominus sumus, ut ille, per Naturam, quam a nobis mutuatus est, nam erat Deus, & Homo, & has actiones divinitus humanas discipuli imitati sunt: *in eo, quod Homo erat, imitati sunt servi Dominum, & discipuli Magistrum, & fecerunt, qui nos præcesserunt in familia ejus*. Nunquid JESUS CHRISTUS præciperet, *ut illum amaremus, & imitaremur, si duplex hoc præceptum nobis esset impossibile*? si cogitantes magnitudinem, & pondus infirmitatis vestræ, dissideretis posse a vobis divinum hoc repleri mandatum, vosmet excitate omnium Sanctorum, qui vobis præcesserunt, exemplo: *si consideras infirmitatem tuam, deficis sub præcepto; confortare in exemplo*. Exempla, quæ tibi occurrunt, magno sunt in numero, & validum est hoc subsidium; sed illud, quod tibi expectandum est ab exemplo, & gratia JESU CHRISTI, qui amavit, & imitatus est Patrem Cælestem, subsidium est longe validius: *adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat auxilium*. Illi omnes, qui in Ecclesia prima tenent subsellia, & *virtute nitent, discipuli sunt amoris JESU CHRISTI*, & si jugi profectu superant adhuc fideles omnes, quos post se longo relinquunt intervallo, habent adhuc JESUM CHRISTUM, qui ipsis erit exemplo, usque ad finem sæculorum: *JESUS CHRISTUS remanet, quem usque in finem sequantur*.

Joann. 13. Idem ibidem. Idem ibidem. Idem ibidem

Applicationes nonnullorum Scripturæ locorum, huic argumento.

Tantum abest, quod Mundus causas habeat odio habendi J. C. ut omnes debeant illum amare.

Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem odio habuit . . . . oderunt me, & Patrem meum . . . . Odio habuerunt me gratis. Joann. 15. & Psalm. 24. JESUS dignissimum omnium desideriorum objectum, & perfectissimus filiorum hominum, Humani Generis gloria, perfectissimum humilitatis, & suavitatis exemplum; principium bonorum omnium; JESUS, propter cujus amorem Deus nos amat, & ipse etiam amavit eo usque, ut vitam suam pro nobis impenderet; JESUS, inquam, jure conqueritur, Mundum non solum non amare se, verum etiam, odio ipsum persequi. Hoc non vult a Discipulis ignorari, sed illos meminisse. O Mundi Salvator! O spes omnium Populorum! O summa pulcritudo! quæ efficis lætitiam Angelorum, & quam beati Seraphim jugiter contemplantur, & semper contemplari desiderant! illumina mentem meam, ut te cognoscam, & te diligere incipiam. Hominum Salvator, dic mihi; cur te homines oderunt? quam illis injuriam feci̇sti? quam odii causam habent, & accepe- runt a te? nisi tuæ bonitatis argumenta? Nunquid qui Morti se tradidit, ut ingratos peccatores salvaret, & qui teterrima passus est supplicia, ut inimicis suis infinita procuraret bona; hiccine par est, ut alicui mala velit, & faciat? Pater Æterne, qui vides Dilectum Filium tuum, & objectum, in quo complaces tibi, adeo parum ab hominibus diligi, quibus tu illum dedisti, ut ex eo discerent amare teipsum, amantes illum! Filium hunc, quem Angelis proponerent, tamquam Deum suum! Fac, ut diligam illum, tamquam Filium tuum, & Salvatorem meum; quandoquidem ipse effudit Sanguinem suum, ut il-

1. Petri 1.

lum amare tenerer; & tu, Divine Spiritus, Amor Patris, & Filii, infiamma Cor meum, & per Caritatem, illud conjunge cum hoc Homine-Deo, in quo æternam tibi mansionem constituisti. *Liber, cui tit. Amabilis JESUS.*

Amare J. C. unica, & perennis esse deberet occupatio nostra.

Si exaltatus fuero a terra, omnia trahem ad meipsum. Joann. 12. Adimple, Domine, in me, quod alias dixisti, videlicet; cum exaltatus fueris a terra, omnia ad te pertracturum. Quam occupationem, vel suaviorem, vel præstantiorem, vel magis necessariam habere possumus, quam contemplandi, & amandi ex tota Anima, & ex toto Corde hunc Hominem-Deum; eximium hoc opus Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis Dei; Hominem numeris omnibus absolutissimum, quo Deus nihil perfectius facere, concipere, aut cupere potuit! Cui nam tenemur hærere magis spiritu, & corde nostro, quam divino huic operi, in quo Creator concluſit quidquid præstantius est, & mirabilius, seu in Natura, seu in gratia? Aliquid ne æquius est, quam ordiri, ac finem imponere omnibus operibus nostris per illum, quem respicit Deus, tamquam principium, & finem omnium operum suorum? *Idem.*

Cupere deberemus amare J. C. sicut ille amavit nos.

Ecce quomodo amabat eum. Joann. 11. Judæi cum vidissent Salvatorem super Lazari tumulum, lacrymas emittentem, dicebant inter se: Ecce quomodo amabat eum. Nos autem non minori amore prosequitur; in Cruce enim, cum jam deficeret Sanguis, addidit ploratus precibus, quas pro nobis fundebat. Poteratne ille meliori modo probare amorem suum, effundens ex facie quidem tantum sudoris in itinere suo, ex oculis tantum lacrymarum in precibus suis, ac tantum Sanguinis in Passione sua? Ecce quomodo amavit singulos nostrum. Ah si nos reciproce amaremus illum, præberemus sane aliquot similia amoris nostri monumenta: effunderemus compassionis lacrymas in tristissima morte, quam pro nobis passus est; illas effunderemus per pœnitentiam; eo quod fuimus cruciatuum ejus causſa; gemeremus videntes stupiditatem mortalium, qui adeo parum amant illum; cuperemus ad extremam usque guttam Sanguinem profundere, nostram illi fidelitatem testaturi. Nulli essent labores, nulla tormenta, quæ libentissime pro illius gloria non sustineremus. Ne satis esse putemus oretenus dicere; ipsum a nobis amari; sed si loquitur Cor, hoc testabimur per effecta, quæ amoris nostri solidiora sunt argumenta: *Filioli diligamus non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Idem.

1. Joann. 3.

Veritas æterna sumpsit corpus simile nobis, ut amaretur a nobis.

In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut Homo. Ad Philipp. 2. Cum Verbum Æternum sciret nil aptius esse ad corda conjungenda similitudine, voluit se nobis similem facere, factus Homo. *In similitudinem hominum factus.* Neque satis illi fuit nobis similem fieri per id, quod in nobis præstantius est, videlicet per animam hanc intelligentem, & rationabilem, qua brutis præstamus; sed ut integram, perfectamque cum nobis haberet similitudinem, dignatus est secum conjungere, quod in nobis vilius est accipiens Corpus ejusdem naturæ, cujus est nostrum. Quamobrem Tertullianus dixit, Deum formantem Corpus primi Hominis, cogitasse Corpus, quod aliquando Filius suus erat accepturus: *jam tum cogitatur Deus-Homo futurus.* Ita ut Deus idem, qui in Mundi primordiis efformaverat hominem ad similitudinem, & Imaginem suam, vicissim hominis similitudinem mutuatus est, ut se illi præberet amabilem.

JESUM CHRISTUM ignoramus, si non diligimus illum.

Discipulus ille, quem diligebat JESUS *dixit: Dominus est. Joann.* 21. Amor solus causſa est, propter quam distinguit JESUM præsentem quidem, sed ab aliis Apostolis minime cognitum; *Dominus est*, dicit Joannes; Cor meum hoc mihi testatur, & hoc teste falli non possum. Oculi Magdalenæ credebant, se videre Hortulanum, sed amor suus detegit amabilem Magistrum suum. *Rabboni.* Quomodo discipuli duo, qui in Emaus proficiscebantur, cognoverunt eum in fractione panis? Nonne quia in itinere JESUS illos amare docuerat: *Nonne Cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* amor igitur prodit JESUM CHRISTUM; mens id ne cogitat quidem, si Cor ad id non advertit; & mentem admovet. Nihil videt in omnibus Mysteriis Domini, si non amat; illis sunt Symbolicæ litteræ, quas expedire non potest, enygmata, quorum amor unus clavim habet; spiritus non æstimat, nisi quod Cor cupit, & amat. De JESU CHRISTO dicendum est id, quod Sanctus Augustinus dixit de veritate: *non intratur in veritatem, nisi per Caritatem*, Magnum hoc principium suam haurit auctoritatem, & robur ex divinis Scripturis; nonne enim Sanctus Paulus, pluribus in locis nos docet, Caritatem cognoscere veritatem, & operari bonum? *veritatem Caritatis, facientes veritatem in Caritate.* Principium hoc verum est de JESU CHRISTO, qui est Suprema Veritas. Non cognoscitur, nisi per amorem, si illum non amas, indignus es, qui illum cognoscas; quemcumque locum obtineas, & quamcumque cum illo familiaritatem adeptus videaris.

Luc. 24.

Sine amore J. C. doctissimus quisque in tenebris est.

Confiteor tibi Domine, quia abscondisti hæc a Sapientibus &c. Matth. 11. Unde nam proficiscitur, quod eorum plures, qui nitent ingenio, qui lumine præditi sunt, & aliis facem præferunt, nihilominus versentur in tenebris? omnia vident per hoc lumen, & lumen ipsum non vident, quia huic terga vertunt, qui in illud faciem, & oculos suos deberent convertere; illi sibimet umbram pariunt: *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cæci isti videntes consenescunt in Scripturis assiduo studio, ibique JESUM CHRISTUM non inveniunt, quamvis Scripturæ non loquantur nisi de JESU CHRISTO, qui est finis Legis; quia deest illis amor JESU CHRISTI. J. C. vita non est illis, nisi historia, quæ placet, non autem doctrina, quæ regat mores eorum. Tamen eruditi isti callent criticas quæstiones, quæ spectant ad locos, tempora ceteraſque Evangelii difficultates, sed minime attingunt fructum, videlicet JESU CHRISTI imitationem. Ita excæcas illos, Domine; oculos habent, qui te vident, & qui minime te vident: Aures habent, quæ te loquentem audiunt, & quæ non audiunt. Enodatio specioſi hujus paradoxi est, quia aggravatum est Cor eorum, & amore destitutum est. JESUS CHRISTUS illis quidem Magnus videtur Homo; immo etiam Deus, ubi agitur de actionibus illius; ubi vero de præceptis, & factis ejus in exemplа convertendis, JESUS CHRISTUS ignoratur, non colitur amplius; immo etiam scandalo est. Aperi, Domine, oculos Sapientium horum superborum, operare in illis illud ipsum prodigium, quod operatus es in Saulo. Respiciant tamquam lutum, ac tenebras omnes cognitiones, propter quas intumescunt; tuam vero humilitatem, amorem tuum, veras putent divitias, & intelligant, Idiotam te diligere, & imitari scientem, majorem habere cognitionem, & majus acumen præ illo, qui difficillimas Theologiæ quæstiones evolvit; quemadmodum fidelis quidam ex famulis tuis nos docet: *qui autem vult plene, & sapide Verba CHRISTI intelligere, oportet, ut totam vitam suam illi studeat conformare! Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si cares humilitate, unde displiceas Trinitati?*

Joann. 3.

L. 1. de Imit. J. C. cap. 1.

Amor J. C. ad illius cognitionem adducit.

Instructi in Caritate . . . in agnitionem Mysterii Dei Patris, & CHRISTI JESU. Sanctus Paulus hoc in loco nos docet, per amorem JESU CHRISTI, perveniri ad cognitionem Mysteriorum illius. Profecto nunquam investigatæ fuerunt immensæ divitiæ, atque hi thesauri gratiarum, & luminum absconditorum in Deo-Homine facto, quorum abyssus impenetrabilis est; *investigabiles divitias CHRISTI*, nisi præferendo amorem illius omnibus cognitionibus, & omnibus Ægypti divitiis; cum enim ille sit objectum admirationis, & felicitatis Sanctorum, nunc esse debet objectum studii nostri, amoris, atque imitationis. Quæcumque cognitio non tendit ad amorem JESU CHRISTI, inanis est occupatio superbiæ, sterilis meditatio mentis; fermentum, quod nutriens curiositatem, fovet superbiam, uber fons inutilium quæstionum, sæpe etiam periculosissimarum; denique, qui cognitiones suas non dirigit ad amorem JESU CHRISTI, tamquam ad scopum, ad quem unice referendæ sunt; hic ambitione tumet; *superbus est nihil sciens*; & laborat morbo spiritus, qui illum in verborum certamina adducit: *sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum.*

Ad Coloss. 2. Ad Ephes. 3. 1. ad Timoth. 6.

Incarnationis causſa fuit inducere homines ad amorem, & imitationem J. C.

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Joann. 3. Magna Incarnationis Verbi ratio est, sese humanis oculis subjicere, quia non erat amplius in Corde suo; JESUS CHRISTUS igitur illum attentum reddidit miraculis suis, delinivit illum suis beneficiis, & postquam amorem illius sibi conciliavit, se invisibilem reddidit, migrans ab oculis ejus ad Cor, eumque admirabili hac arte ad se revocavit. Ille *descendit huc*, qui est, *vitа nostra, & tulit mortem nostram, & occidit eam de abundantia vitæ suæ, clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu, clamans, ut redeamus ad eum per amorem, & discessit ab oculis, ut redeamus ad Cor, & inveniamus eum; abscessit enim, & ecce hic est. Noluit nobiscum dici esse, & non reliquit nos.* Ita Verbum Divinum accipiens Corpus, fecit hominem Spiritualem, loquens ad sensus nostros, curavit Spiritualem Animæ nostræ surditatem, & factus quod sumus, invitavit nos ad illum amandum, & liberavit nos ab amore proprio, & accommodans se propensioni, qua ea tantum amamus, quæ videmus oculis nostris, se amabilem reddidit, & nos curavit ab omni alieno amore; ostendens se fratrem nostrum, ostendit se Deum esse, & assumens in se omnes infirmitates nostras, ostendit se Liberatorem, Patrem, & Medicum nostrum.

Amare J. C. est amare paupertatem, passiones, &c.

Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Luc. 7. Amor JESU CHRISTI non est amoris sermo; sed ries

ries est actionum probatarum, factarumque, ut placeant objecto, quod amat. Nolite diligere lingua, Sanctus Joannes ait, sed operibus, & veritate. Amor igitur verus non est, nisi probetur effectu. Dicere JESUM CHRISTUM a nobis amari, quin imitemur sanctam vitam, cujus nobis præbuit exemplum, hoc est scandalizari de JESU CHRISTO, ut Judæi, qui nolebant Messiam pauperem, sed triumphantem; hoc est incidere in crimen Gentilium, qui opprobrium Crucis JESU CHRISTI insaniam putabant. Potest igitur aliquis oretenus dicere, se amare JESUM CHRISTUM, amoris actus producere, cum laude loqui de hujus amoris necessitate, legere, & recitare pulcherrimas precum formulas hujus argumenti, emittere etiam suspiria, & cum omnibus hisce æquivocis signis, Judæos esse in corde, immo etiam Ethnicos operibus nostris JESUM CHRISTUM negantes: *Factis Deum negant.* In hoc ergo vertitur cardo, ut nos redigamus ad Oraculum Spiritus Sancti prolatum per os Sancti Joannis: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Homines quidem verebantur sese redigere ad praxim amoris JESU CHRISTI, amplectendo paupertatem, Crucem, passiones, & humiliationes; appetebant opes, gloriam, vitæ commoda, a nemine pendere cupiebant. Duo hæc principia illos a Deo semoverant, & reditui suo invictum obicem opponebant. JESUS CHRISTUS errorem illis abstulit, eosque curavit, eligens sibi quidquid homo verebatur, & exuens se iis omnibus, quæ homo vehementius optabat. Dedecore affecit, & de gradu deturbavit fallacia bona, respuens illa. Ipse amabiles reddidit passiones, nobisque promeruit gratiam illos superandi, sese pro nobis illis subjiciens; & hoc pacto adeo efficaci, ac brevi, omnia vitia destruxit, & faciles effecit virtutes omnes, quarum nobis dedit exemplum. Itaque per artem dignam Sapientia Dei, nos non amamus solum JESUM CHRISTUM miracula operantem, sed etiam ipsum exinanitum, & pauperem diligimus: Et arbitramur veram magnitudinem nostram, verumque thesaurum nostrum esse, humilitatem, & paupertatem illius imitari.

Ad Titum 1.

1. Joann. 2.

Distractiones in precibus oriuntur ex defectu amoris J. C.

Non habet amaritudinem conversatio illius. Sap. 8. Frustra conquerimur de modica attentione in oratione; de indocilitate spiritus, quæ omnia rapit, omnia dissipat. In vacuum querimur de levitate mentis, quam nihil figit; de tædiis, quæ solidissimæ considerationes, & urgentissimæ rationes superare non possunt. Nonne æquum est, nos tradi iis, quæ ipsi elegimus, & Cor vacuum amore JESU CHRISTI nullum invenire solatium, quia alio amore transfertur? Cor ita dispositum, quocunque gerit principium dissipationis suæ; cumque habeat alias voluptates, alios timores, alias spes, quam in JESU CHRISTO, sequitur objecta, quorum amore trahitur. Cum Cor imperet omnibus, sequitur, omnia evanescere, cum Cor errat, & in alienos amores divagatur. *Si JESUS CHRISTUS esset amor, atque thesaurus illius, hunc sequeretur, & ei bene esset cum illo.* Amoris pondus revocaret quam primum mentem ad objectum suum; distractiones tunc non essent, nisi effectus infirmitatis Carnis suæ, quæ mentem aggravat, & vagæ imaginationis parum rationi subjectæ. Sed hæ nubes brevi cessarent, prout major esset amor; Evagationes minus essent frequentes, & minus diuturnæ. Amor imbecillus, diutius disputat, & preces semper essent distractæ, si Cor minorem in illis sibi partem vindicaret. Tutius remedium igitur sola est vigilantia, & minus adhuc molestus nisus mentis, qui nauseam auget, augens laborem; sed hic sincerus est amor JESU CHRISTI, quia hic amor sanat omnia cordis vulnera, satisfacit omnibus egestatibus, sollicitudines figit, & aufert ardentem febrim, quam cupiditas accenderat, & quæ prohibebat, ne gustaretur, quam suavis sit Dominus. Tunc Anima oblectatur consuetudine JESU CHRISTI, requiescit super pectus illius, ut olim dilectus discipulus, cum inclinavit se super Cor Domini sui, atque in Beato sinu, in quo amor illum constituit, nihil veretur, nisi inde Marthæ importunitate divelli.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, & Sententiæ hujus argumenti.

Durum, & grave videtur, quod Dominus imperavit, si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me. Sed non est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat . . . . quidquid enim durum est in Præceptis, ut sit leve, Caritas facit. S. August. serm. 96. *Quo sequendus est Dominus? quo iit novimus . . . Resurrexit enim, & ascendit in Cælum: illo sequendus est . . . Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est: a gradu incipe . . . Dominus autem ostendit gradum. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: qui quæritis apicem, potestis bibere Calicem quem ego bibiturus sum? tollat ergo prius Crucem suam, & sequatur me.* Idem ibidem.

Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos . . . . Unde si amare pigebat, saltem redamare non pigeat; nulla enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando; & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere. Idem de Cathechizandis rudibus cap. 4.

Manifestum est, nullam esse majorem caussam, qua, vel inchoetur, vel augeatur amor, quam cum se amari agnoscit, qui Mundum amat, & redamari se vel posse sperat, vel jam probat, qui prior amat; & si hoc etiam in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia CHRISTI. Idem ibidem.

Hoc est, quod diligitur in amicis; & sic diligitur, ut rea sit humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit. Idem lib. 4. Confess. cap. 4.

Da, speciosissime præ Filiis hominum! ut amem te quantum volo, & quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari, & præsertim a nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta, & talia fecisti. Idem lib. Manual. cap. 10.

O Amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! dulcis CHRISTUS, JESU bone, Caritas, Deus meus, accende me toto igne tuo, desiderio tuo, jucunditate, exultatione tua, pietate, & suavitate tua . . . . Qua est Sancta, & bona, qua est Casta, & Munda; ut totus dulcedine amoris tui plenus diligam te Deum meum dulcissimum . . . . ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Idem ibidem.

Princeps Mundi hujus mittitur foras, ut ergo amaretur CHRISTUS, prior amavit; ut pro Nomine ejus, nemo mori timeret. Ad hoc ergo, ut ædificaret in Cordibus hominum Caritatem, misit Diabolum foras, scilicet de Cordibus hominum; Cupiditas intromittit illum, seu Diabolum, *Caritas foras emittit illum.* Idem lib. 15. de Civitat. Homil. 38.

Semper ante te habes, quem sequaris; Dominus exemplum in terra posuit, cum Evangelium ibi reliquit. In Evangelio tecum est, ut sequaris illum. Idem Hom. 34.

Quidquid gestum est in Cruce CHRISTI, in sepultura, in Resurrectione tertio die, in Ascensione in Cælum, & in sede ad dexteram Patris; ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana, qua hic geritur. Idem l. Enchir. c. 53.

Fecit CHRISTUS, quod docuit, fecerunt Apostoli, quod ab illo didicerunt, & nobis faciendum prædicaverunt: faciamus & nos; quia & si non sumus quod ille, secundum id, quod creavit nos, quod ille tamen, secundum id, quod factus est propter nos, & si solus fecisset, forte nemo nostrum deberet audere imitari. Idem supr. Psalm. 56.

Ita enim Homo ille erat, ut & Deus esset; sed in eo, quod Homo erat, imitati sunt servi Dominum, & Discipuli Magistrum, & fecerunt, qui nos præcesserunt in familia ejus, Patres quidem nostri, sed tamen conservi nostri. Idem ibidem.

Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile hoc judicaret, quod ab homine fieret; si considerans infirmitatem tuam, deficis sub præcepto, confortare in exemplo; sed etiam exemplum ad te multum est, adest ille, qui præbuit Exemplum, ut præbeat auxilium. Idem ibidem.

In Ecclesia iste Ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur, & qui præcedunt, exemplum se præbent sequentibus, & qui sequuntur, imitantur præcedentes, sed & illi, qui exemplum se præbent sequentibus, nunquid nemem sequuntur? Si enim non sequuntur, errabunt; sequuntur & illi aliquem, ipsum scilicet Christum, meliores quippe in Ecclesia, quibus non remansit jam homo, quem sequantur, & imitentur, quia omnes jam proficiendo superaverunt; ipse CHRISTUS eis remanet, quem usque in finem sequantur. Idem Psalmum 39.

Tota igitur vita CHRISTI, per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Idem lib. de Virginibus.

Sequendus Deus erat, qui videri non poterat, sequendus homo non erat, qui videri poterat; ut ergo daretur homini, & quem videret homo, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo. Idem.

Summum igitur studium nostrum sit in vita JESU CHRISTI meditari. Lib. 1. de Timor. CHRISTI, cap. 10.

Propter hoc naturam nostram ipse suscepit, ut in se, velut in tabula quadam, veram virtutem depingeret, eamque nobis omnibus, tamquam archetypum imitandum, proponeret. Basyl. sermon. de tentat.

Sua quisque vita pictor est; artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, Exemplar CHRISTUS esse debet. Gregor. Nissenus.

Jubes te, Domine, diligi a me, da quod jubes, & jube quod vis. S. Augustin.

Amo te, Domine, ſed quia parum eſt, amem te validius. Idem.

Pulcritudo tam antiqua, & tam nova, ſero te amavi. Idem.

Deus meus, & omnia. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia in hoc argumento depromi poſſit.

JESUS CHRISTUS eſt objectũ amoris quatenus Deus, & Homo-Deus.

AMor JESU CHRISTI cum ita perfectus eſt, ut eſſe poteſt, & debet in hac vita, vera paſſio eſt, ſed Paſſio ſancta, legitima, naturalis, & ſupernaturalis, quoniam nonniſi per gratiam ſuam diligimus illum, & gratia perficit caritatem, per quam amamus illum, tamquam Creatorem, tamquam Liberatorem, & tamquam Patrem, & tamquam Benefactorem. Divus Thomas docet, bonitatem eſſe amoris principium, & cauſſam, quæ gignit illum, & Sanctus Doctor addit; bonum ita cum cordis propenſione eſſe paratum, ut ſit illius objectum naturale, & humanum cor huic illecebræ nequeat repugnare: ſed JESUS CHRISTUS, quatenus Deus, bonum eſt per eſſentiam, & ſupremum hominis bonum, & quatenus Homo-Deus, nos ſumus pro illo, & per illum, Sanctus Paulus inquit, & ſicuti ſecundum hanc qualitatem, ille totus pro nobis ſit totus noſter, & uſibus noſtris devotus, conſequenter objectum eſt amoris noſtri naturalis, & ſupernaturalis, quoniam altera ex parte bonum eſt per eſſentiam; & ex altera, omnes eas poſſidet perfectiones, quæ cor noſtrum poſſunt ſibi conciliare.

Oportuit Deũ ſe viſibilẽ præbere, ut ſe redderet amabilẽ.

Deus ſuapte natura inviſibilis eſt, & illum cognoſcere non poſſumus; ideoque nec amare, niſi quod cadit ſub ſenſibus noſtris. Oportuit igitur nobis ob oculos objectum ſenſibile proponi, in quo videre poſſemus divinas perfectiones: oportuit, ut Dei Filius, *qui eſt imago ſubſtantiæ* Patris, noſtra indueretur carne, *ut facilius corda noſtra ſibi conciliaret*. Illi idem accidit, quod magneti, *qui cum ferro præcinctus eſt*, majori cum vehementia ferrum trahit, quam cum ſolus eſt. Divinitas, proculdubio, in ſeipſa, magnas habet illecebras, quæ a duriſſimis etiam cordibus ſentiuntur; ſed ex quo ſemet cum natura conjunxit, ejus illicia facta ſunt validiora. Oportet eſſe nequam uſque ad exceſſum, qui non cedit ſuaviſſimæ violentiæ, quam facit voluntatibus ſibi reſiſtentibus, ut ab eadem cogitationem, & affectum detorqueant; ne audiamus verba ſuaviſſima, quæ nobis dicit, & quæ toties repetit, quoties nobis benefacit. *Fili mi, præbe mihi cor tuum.*

Quemadmodum ad amandum, cognoſcendum eſt, *& cognitiones noſtræ pendent a ſenſibus noſtris*, opus fuit, ut Deus ad hoc, ut ſe *amabilem nobis* præberet, ſenſibus noſtris ſubjiceretur, ut illum poſſemus cognoſcere. Lumen hoc nimis nitidum erat in ſinu Patris; opus fuit, ut fulgorem moderaretur: Thronus illius nimis ſublimis erat, ut illuc noſtra oculorum acies pertingeret, & ejus Majeſtas nimis formidabilis, ut ad illam auderemus accedere; quid ergo? ſeſe viſibilem præbuit, ut illius videndi medium nobis largiretur; & ſi voluiſſet ſe cognoſcendum *præbere in terris*, quemadmodum Beatis in Cælo, ſatis erat, ut per lumen gloriæ intellectum noſtrum attolleret, illum aptaturus objecto ſuo; ſed maluit aptare ſeipſum nobis, idque non ſolum vi intellectus noſtri; verum etiam oculis ipſis, omnibuſque ſenſibus viſibilem, palpabilem, omnibuſque modis ſenſibilem; ut quidam ex Apoſtolis inquit, *quod vidimus, quod audivimus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ*; idque, ut ſe ſubmitteret captui amoris noſtri, ut ita dicam. Quamvis nihil a Deo longinquius fuit, quam cadere ſub ſenſibus noſtris; illum, quem naturæ ſuæ præſtantia infinite attollit, etiam ſuper noſtras cogitationes; illum, qui per immortalitatem ſuam nequit intra Mundi hujus fines contineri; illum, qui per ſimplicitatem eſſentiæ ſuæ longius abeſt a compoſitione, accidentibus, forma, figura, ceteriſque, quam lumen a tenebris.

1. Joann. 1.

Dei Filius abſtulit duos obices, qui adverſabantur amori, quem illi debemus.

Noſtro erga Deum amori duo potiſſimum obices adverſabantur. Primus ex parte ipſius Dei, & erat magnitudo Entis hujus infinite ſupra nos elevati. Terribilis iſta Majeſtas, quæ aptior eſt ad injiciendam reverentiam, quam amorem, & fatendum eſt, mirum eſſe, bonitatem, quæ impulit Deum, ut magnis ſumptibus ſibi comparare vellet amorem hominum; namque cum eſſet ille nimis ſupra nos, quomodo audere licebat nobis ad ipſum uſque amorem noſtrum attollere? oportuit illum deſcendere, ut ſe infirmitati noſtræ accommodaret, & infinitis ſpatiis demitteret ſupremam hanc Majeſtatem, per quam fiebat inacceſſibilis, & quæ in quamdam velamenti ſpeciem, propriam ipſius magnitudinem convertebat. *Qui habitat lucem inacceſſibilem.*

Obex alter, ex humano corde oriebatur, in quo alienus regnabat amor, videlicet amor Mundi, & rerum omnium ſenſibilium. Sed Verbum Incarnatum abſtulit utrumque obicem, qui antea videbantur invicti: altera enim ex parte accommodat ſe amori noſtro, nobis ſe ſimilem præbens; ex altera autem, exemplo ſuo delet quidquid erat in Mundo illecebrarum, ut ipſi omnes affectus noſtros divino huic Homini devoveamus.

Amor Salvatoris præſentiſſima ratio eſt nos conjungendi cũ Deo, & inflammãdi nos amore illius. Lucæ 12.

Tenera devotio erga JESUM CHRISTUM, & ſublimis conceptus perfectionum illius, medium eſt præſentiſſimum ad accendendum in cordibus divini amoris ignem, & ad illa paria efficienda unioni intimæ cum Divinitate. Hoc Salvator ipſe nobis innuebat, cum dicebat; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Re vera Mundum univerſum inflammavit, ex quo divina Natura, & humana coaluerunt in una ejus Perſona; Omnia enim divinæ Bonitatis beneficia nunquam calefeciſſent Mundum glacie ipſa frigidiorem, niſi tranſiſſent per cor, & manus JESU, cujus Sancta Humanitas detegit nobis immenſam magnitudinem Dei, qui oſtendit ſeſe in omni lucis ſuæ nitore, ſed eo modo, ut illuminaret quidem nos, quin ſua obrueret luce. Itaque una ex præcipuis rationibus, propter quas Pater Æternus miſit in Mundum Filium ſuum, hæc fuit, ut nobis proponeret Hominem ſimilem nobis; ſed infinite amabilem, & omni dignum honore, ut tenere amaremus illum, eumque amantes, Divinitatem quoque amaremus corporaliter in ipſo habitantem.

Deus voluit Filium tuum hominem fieri, ut homines magis illum diligeret.

Si ſcire vis cur Æternus Pater dederit nobis Filium ſuum Unigenitum, proculdubio fuit, ut videntes illum noſtra indutum Natura, eum magis diligeremus. Nam quemadmodum in ipſo ſæculorum primordio propoſuit illum Angelis, ut ab illis tamquam Dominus amaretur, & coleretur in Spiritu, deinde propoſuit illum Mundo, in humano corpore, ut a creatis omnibus, ſed potiſſimum ab hominibus, qui dignati fuerunt illius fraternitate, adoretur, & diligatur. Sancti Angeli alacriter imperata fecerunt, & quamvis Verbum Caro factum non ſit ejuſdem naturæ ac *illi*, neque Redemptor eorum, quia non effudit pro illis Sanguinem ſuum, neque ſuam vitam impendit; eum tamen ſemper amarunt, neque ab illius amore ſunt unquam ceſſaturi. Angeli nequam, qui propter inflexibilem pertinaciam, ac ſtatum damnationis, in quo ſunt, eum amare non poſſunt; inviti licet illum confeſſi ſunt, atque venerati; & omne genu flexum fuit, etiam in Inferno, audito Nomine JESU. Quomodo igitur nos homines non amabimus illum, a quo ſalvi facti ſumus? Quomodo nullum illi grati animi ſenſum teſtabimur? Cur non honorabimus illum, & lætabimur, pro fratre habentes illum, quem Deus profitetur *Filium ſibi Unigenitum*, Quæ pœna expiare poſſet ingratitudinem noſtram, ſi poſt affinitatem, quam cum nobis contraxit, poſtquam natus eſt, & mortuus pro nobis, dedignabimur illi honorem præſtare, quem debemus, ſi nullum pro ipſo effectum, nullum gratitudinis ſenſum habebimus?

Pater Æternus nos docuit exẽplo ſuo amare JESUM.

Quamvis rationes ceteræ nequaquam ſatis eſſent ad nos impellendos, ut Mundi Salvatorem diligeremus, ſatis eſſet conſiderare quanto in honore Pater Æternus habuerit Naturam humanam in Perſona ſua, & quouſque illam evexerit, ut ſeſe ad accipiendam ſervi formam demitteret. Sufficeret nobis proponere exemplum, quod nobis tribuit erga illum, non ſolum, quia Filius ejus eſt, ſed quia eſt frater noſter, ac noſter Salvator. Quemadmodum enim miſit illum in Mundum, ut amaretur a Mundo; ita Mundum docuit, quo pacto eſſet amandus? Amor tener, quo ipſum diligebat, coegit illum, ut duplici in occaſione palam ediceret, ipſum eſſe *dilectum Filium ſuum, in quo ſibi bene complacuit*. Præcepit etiam, nec ſemel Angelis ſuis, ut illum adorarent, eique ſervirent; ſubjecit illi univerſa, eique, ut ita dicam, oppignoravit divina attributa ſua; ita ut iiſdem ad libitum utatur; Adhibet omnipotentiam ejus in miraculis operandis; miſericordiam in peccatis dimittendis; Sapientiam, atque Juſtitiam, in ſecernendis bonis a malis; in his quidem puniendis, illis vero remunerandis; itaque videntes, quod Pater omnia ei dedit in manus, poſſumuſne detrectare illi cor noſtrum, quod totum illud eſt, quod poſſumus illi tribuere?

Matth. 3. & 17.

Ipſi magis, quã Angeli tenamur amare Deum.

Comparemus quæſo, quid Angeli debeant Salvatori, cum iis, quæ debemus illi, & illinc feramus judicium, utrum æquum ſit, ut, qui majoribus devincti ſunt beneficiis, minus pro illo operentur, & dominus diligant illum? quot ſunt Doctores, qui docent hominem unum debere plus CHRISTO pro mi-
nima qualibet gratia, quam cælitus accipit, quam
omnes

omnes Cæleſtes Hierarchiæ, propter ea, quæ unquam acceperunt, ac pro gratia, & gloria, qua perfruuntur? & ratio conſtat, quia JESUS CHRISTUS vitam ſuam pro homine impendit, & Pater Æternus pro hujus hominis ſalute, ſacrificavit Unigenitum ſuum, quem tamquam ſeipſum diligebat. Unigenitum hunc, nequaquam paſſum fuiſſe, ut mortem ſubiret ad promerendas Angelis gratias, cum ad eas hominibus comparandas, opus fuerit, ut Homo fieret, & moreretur in Cruce. Denique illum non pro Angelis apoſtatis, ſed pro peccatoribus hominibus ſuum effudiſſe Sanguinem; & hac in re naturam noſtram Angelicæ prætuliſſe; unde inferendum eſt nos multo magis teneri, quam beatos Spiritus, Deum-hominem ſumma caritate complecti.

Cauſſæ, quibus urgemur, ut Mundi Salvatorem diligamus.

Prævalidæ rationes nos adigunt, ut Salvatorem diligamus, præter eas, quas jam attulimus. Præcipuæ, & quæ ad nos impellendos ad id ſunt aptiſſimæ; hæ fere ſunt. Prima; beneficia, queis inceſſanter ab illo cumulamur; altera; Amor, quo diligimur; tertia, & præcipua; infinita illius dignitas; quarta; perfectiones omnes infinite amabiles. Hæ omnes cauſſæ ſunt amandi illum, quem nunquam ſatis pro munere noſtro, & pro meritis illius diligemus. Ita eſt. Mundi Salvator, adeo perfectus es, ut quamvis nos non diligeres, quamvis de nobis bene non merereris, deberemus amare te magis, quam vitam noſtram; aliunde vero tanta nos caritate proſequeris, ac nos tot cumulas beneficiis, ut licet non eſſes adeo perfectus, ut es, non liceret nobis non amare te, præ illis omnibus, quæ in Mundo maxima ſunt, & pretioſiſſima; quouſque igitur amabimus te, cum ſciamus, te eſſe infinite perfectum, ſimulque cum nos ad exceſſum uſque diligas?

Quam amabilis eſt J.C. propter Sanctitatem ſuam.

Salvatoris Anima in gradu ſummo poſſidet virtutes omnes, omnia habet Spiritus Sancti dona, cum habituali gratia, quam Spiritus ſanctificator adeo ubertim effudit, ut Sanctitate ſuperet Angelos omnes, omneſque beatas Animas; cujus tamen præcipuum decus eſt Sanctitas infinita, quam illi communicat Verbum æternum per unionem, quam habet *cum illa*, & quæ efficit, ut in JESU CHRISTO vero Deo, & *vero Homine* humana natura Sancta ſit eadem Sanctitate, qua Natura divina: ecce quid magis commendet ſacram illius Humanitatem, eamque dignam præbeat cæleſtium Spirituum admiratione, reverentia, & amore.

Amandus eſt per perfectiones naturales, & ſupernaturales animæ ſuæ.

Præter gratiam, quæ primum eſt ornamentum Animæ ſanctæ Salvatoris, & quæ illam infinite amabilem reddit in oculis Dei; in omnibus ejuſdem facultatibus adſunt admirabiles virtutis habitus, qui merentur admirationem, & amorem omnium hominum. Intellectus illius continet theſauros increatæ Sapientiæ: *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ reconditi*. Poſſidet ſcientias omnes excogitabiles, ſive naturales, ſive ſupernaturales, ſive acquiſitas, ſive infuſas; & præterea ſemper vidit perſpicue, & ſine velamine in hac etiam vita divinam Eſſentiam; unde oriebatur in voluntate ſua ardens amor Dei, & hominum. Semper certam habuit cognitionem præteriti, præſentis, & futuri. Quæ perfectiones, & quinam amabilitatum fontes? Si Populus Iſrael videns conſummatam in Salomone ſapientiam, beatos ſe ferebant, eo quod haberent Principem, qui poſſet prudenter, ac ſuaviter illis imperitare; ſi Principem adeo ſapientem, numeriſque omnibus abſolutum, tanto amore, & obſequio complectebantur; quem amorem, quam venerationem Populus Chriſtianus habere non debet erga JESUM CHRISTUM? cum ſciat Regem ſuum, non ſolum ſapere, ſed eamdem eſſe ſapientiam, & ſe aberrare non poſſe ſecutum eumdem in via, quæ ducit in Cælum?

Ad Coloſſ. 2.

Spiritus Sanctus formās Salvatoris humanitatem procuravit illā exornare omnibus perfectionibus, quæ illam amabilem efficere poſſunt.

Quemadmodum Deus fecit ſanctam Filii ſui Humanitatem, eo conſilio, ut illam amabilem redderet univerſo terrarum Orbi, opus fuit, ut illa omnimodo eſſet adimpleta . . . . . Fecit illam, ut eſſet Templum, & Sanctuarium divinæ Majeſtatis ſuæ, igitur neceſſe fuit, ut corpus, & Anima, qua conſtabat, omnes haberent perfectiones, quas poterant; quamobrem Spiritus Sanctus, ubi illi formandus fuit hic Homo-Deus in ſinu ſanctæ Genitricis ejuſdem, curavit, ut illum omnibus exornaret illiciis, ut fieret objectum dignum amore hominum, Angelorum, omniumque creaturarum. Itaque ſancta hæc Salvatoris Humanitas eſt eximium omnipotentis opus, præſtantiſſima amoris productio, & abſolutiſſimum opus Spiritus Sancti, qui ipſe amor eſt, & qui illam formans, eamdem amore digniſſimam facere conatus eſt.

Salvator nos amat; ergo mutuum illi amorem debemus.

Natura ipſa nos docet amare amantem nos, & ſatis eſt ſcire, nos amari, ut non amare nequeamus. Si igitur certum eſt, nos a JESU diligi, & ipſum ſalutem noſtram vitæ ſuæ prætuliſſe; quomodo nam naturam ipſam ita exuemus, ut minime intelligamus quantum debeamus illi, & tantum hunc amorem contemnamus? habemus gratiam homini quantumvis abjecto, ſi verbum protulerit, quod nobis in laudem cedat. Animantia ipſa, quæ nobis ſubſerviunt, nobiſque fidelia ſunt, amamus, iiſque blandimur: non amabimus autem illum, qui verbis multo minus, quam operibus oſtendit nobis ſui amoris exceſſum, & qui cum ſit Unigenitus Dei, dignatus eſt nos amicos vocare, & tamquam fratres habere? Ampliora dico; ſola ejus beneficia, conſiderata etiam ſine amore, ſi id fieri poſſet, ſatis eſſe deberent, ut nos ad ipſum diligendum impellerent; ſed ut magis illum teneremur diligere, & ipſe fieret cordium noſtrorum Dominus, voluit beneficiis amorem addere, & amor hic, qui a beneficiis ſepoſitus poterat nos ad amorem mutuum excitare; hic amor, inquam, multifariam ſeſe oſtendit, per ea omnia quæ operatus eſt, & quæ pro nobis eſt paſſus: adde his amorem, quo JESUS proſecutus eſt nos, nequaquam ſterilem, & inefficacem fuiſſe, qualis plerumque eorum eſt, qui nobis amorem aliquem profitentur; quippe ille plura, ac realia præbuit amoris ſui argumenta, cumulans nos infinitis bonis, & ſeſe pro nobis, malis objiciens infinitis.

Mala a quibus nos Salvator eripuit exigunt amorem noſtrū per gratitudinem.

Ad excitandum amorem noſtrum erga Salvatorem, ea cogitemus mala, a quibus nos liberavit, ut eidem animi noſtri teſtemur gratitudinem. Eramus inimici Dei, & objectum illius iracundiæ; Angeli nos perhorreſcebant; Dæmones, infeſtiſſimi illi noſtræ felicitatis inimici, in infami ſervitute nos detinebant; malum noſtrum conclamatum erat expers medicinæ; nulla nobis ſpes ſalutis erat reliqua. Etenim licet fieri poſſet, ut Cælum cum terra jungeretur, ut omnia Mundi animalia in holocauſtum offerrentur, ut omnes homines laboribus, ac pœnitentiæ doloribus conficerentur; omnes Angeli fierent homines, ut millies mortem ſubire poſſent, ut pro uno tantum ſceleris apicem minime poſſent pro *uno tantum* crimine, quantumvis levi, *neque poſſent* peccatorem a *minima pœna liberare*. Igitur ſupererat Verbum Incarnatum, quod tot malis mederi poſſet; hic autem tanta repletum fuit caritate, ut in ſemet peccata noſtra ſuſciperet, & adeo potens, ut juſtam pro illis faceret ſatisfactionem. Quid igitur non debemus illi tanto pro munere? cumque tantum munus ab illius amore profectum ſit, poſſumuſne unquam ſatis teſtari amorem noſtrum?

Amare debemus Filium Dei non ſolum quod nos amat, ſed *etiam quia nos* amabiles reddidit Patri ſuo per gratiā Sanctificantem.

Cum quidquid JESUS CHRISTUS per exceſſum largitatis operatus, vel paſſus fuit, non ſatis cordis noſtri mereri poſſet imperium, cogitandum eſſet; nos debere meritis illius gratiam Sanctificantem, quæ nos in Patris ſui oculis reddit acceptos. Si enim *gloriosum eſt dare cor ſuum Deo, quanto magis gloriosum eſt ſibi delinire, & poſſidere* Cor Dei ipſius? tantam vero, ac tam inſignem gratiam Salvatori debemus: igitur tanti, quanti debemus, inſigne hoc bonum faciamus, quale eſt gratiam coram Domino inveniſſe; quæ enim creatura ita poſſet eſſe perfecta, ut in ſe Dei oculos traheret, ſi ille, qui Creatorum omnium Sanctiſſimus eſt, vel potius Sanctitas eadem, non dignaretur illi communicare Sanctitatem ſuam? mirum non eſt, Deum a creatura amari, *cum ille ſit ſuprema pulcritudo*; ſed quis non mirabitur in creatura eſſe, quod ſibi conciliare valeat amorem Dei, ita ut ab ipſo Deo perquiratur? JESUS unus hoc miraculum poteſt operari; ille nos tantum amavit, ut medium invenerit efficiendi, ut ab Æterno Patre ſuo diligeremur, atque ut digni efficeremur, qui placeremus illi, lavit nos in Sanguine ſuo. Ita illi debitores ſumus æque, & amoris, quo nos ille proſequitur, & illius quo nos proſequitur Creator, cui gratia Sanctificans nos reddit acceptos; quod unum beneficium meretur, ut illi omnes affectus noſtros devoveamus.

Ut bene amemus J. C. illum imitari debemus.

Non ſatis eſt Dei Filium amare, & venerari; illum imitari oportet. Amor, quo illum proſequimur, immorari non debet in affectibus teneræ, ac piæ devotionis, ſed ad effectus debet procedere; non enim vere eſt Salvatorem amare, illum non imitari; quia amoris proprium eſt gignere ſimilitudinem inter amicos. Quemadmodum igitur amor JESU erga nos, ſuaſit illi, ut humanam indueret formam, ut ſe nobis ſimilem redderet; ita quicumque diligit ſanctam hanc Humanitatem, cui Verbum adeo arcte conjunctum eſt, & quæ eſt templum, in quo Divinitas reſidet; quicumque, inquam, amat illam, uti opus eſt, adniti debet, ut illam imitetur, & unum tantummodo, ſi fieri poſſit, cor habeat cum illa. Hinc, cum Pater Æternus illam propoſuit nobis tamquam objectum amoris noſtri, eamdem quoque propoſuit, ut noſtrum eſſet exemplar; ita ut nihil vehementius deſideret, quam videre nos tra aſſimutatos prorſus in illam.

Præ-

Imitatio J. C. non est ab illius amore separanda.

Præterea supponendum est, JESUM CHRISTUM amare, eumque imitari, non esse duo separata præcepta. Evangelium enim, plane decidit. 1. JESUM CHRISTUM amari, cum fideliter illum imitamur. 2. Quia, per imitationem cognoscitur, & innotescit, utrum in cordis penitiori parte adsit amor hic, de quo Christiani omnes gloriantur; nam monstruosum esset dicere: JESUM CHRISTUM non amari. 3. Quia hoc est vere non amare illum eo amore, qui affectivus dicitur, cum in nobis deest hic affectivus amor, qui situs est in actione, & in operibus. Ille non diligit me, JESUS CHRISTUS inquit, qui mandatum meum non servat.

J. C. amare debemus, quia se fecit similem nobis.

Amor supponit similitudinem, vel facit, ut vulgo dicitur; sed similitudo quoque gignit amorem. Ratio eadem, quæ nos impulit, ut nosmet diligeremus, nos quoque adigit, ut amemus illos, qui aliquam habent cum nobis rationem. Ita JESUS CHRISTUS volens quocumque pretio amorem nostrum mereri, voluit se perfecte reddere similem nobis. Sed si ea similitudo, quam cum aliquo habemus, quæ est fortuita, & nullo labore, aut sumptu comparatur; & quæ sæpe nobis etiam est funesta, tantam vim habet ad cor nostrum deliniendum, quam impressionem efficere non debet in cordibus nostris similitudo, quam habere voluit cum nobis JESUS CHRISTUS, quæ effectus est electionis æternæ Sapientiæ, & infinitæ bonitatis? si hominem diligis, Sanctus Thomas ait, quia homo est similis tibi, quomodo non amas Deum, qui propter amorem tui factus est Homo?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentibusque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Dei Filius amandus est propter se, propter perfectiones humanitatis Sanctæ cum divina ejus Persona conjunctæ.

COnjiciamus oculos in adorabilem Salvatoris Personam, & videamus, quomodo ipse mereatur coli, & amari, non habita nostræ utilitatis ratione. Quamvis illos tot bonis non cumulasset, neque prior illos dilexisset, illum tamen amare deberent, quia ille, per se, est summopere amabilis. Consideremus ergo perfectiones Sanctæ hujus Humanitatis, sive in anima, sive in corpore, præcipue vero plenitudinem divinitatis in eo residentem, & inveniemus, nullum esse objectum, neque in Cælis, excepto Deo, nec in terris dignius affectibus nostris. Cum Deus admirabilis ille Opifex universorum proposuit archetypum Tabernaculi legis antiquæ, connotavit minimas etiam illius partes, minimosque ornatus, quin aliquid prætermitteret, hac sola de causa, quia illa futura erat Imago Corporis Salvatoris. Jussit quoque *Salomonis Templum* esse pulcritudinis, & magnificentiæ non *vulgaris*, *ut melius repræsentare* posset illud, quod Dei viventis Templum nuncupatur; Sanctissimum illud Templum, quod factum fuit, non quidem ad servandam Fœderis arcam, tabulasque Legis, sed ad continendam Divinitatem substantialiter conjunctam Humanitati in Persona Verbi. Quod si tanta fuit opus diligentia in describenda rudi, ac pingui figura hujus Hominis-Dei, qua Deus usus est sedulitate, ut formaret illum, tamquam operum suorum *præcellentissimum*? quibus gratiis, quibus muneribus, atque virtutibus, Sanctam hanc Animam non exornavit? quibus divitiis non cumulavit hanc Humanitatem, quam Sanctus quidam Pater appellavit Mundum perfectionum, ut eam redderet Angelis, atque hominibus amabilem? Non ita, Salvator mi! necesse non erat, ut ad inflammandum amorem meum erga te, mihi gloriam Cæli promitteres, neque, ut ab inferni ignibus salvum faceres; quamvis Sanguinem tuum, pro me, non effudisses; non ideo minus diligerem te, sine ullo sumptu, & tamquam servus, qui omnino tuus est, deservirem tibi. Remunerationem non posco, & si hodierna die viderem te ita pauperem, qualis eras, cum deerat tibi locus, ubi Caput tuum reclinares, si scirem tibi deesse, quod mihi dono dares, sicuti amo te, ita semper amarem. *Pater Eusebius Mieremberg in lib. cui tit. Amabilis JESUS.*

JESUS CHRISTUS amandus est, quia hæc est voluntas Patris sui, qui ad hoc misit illum.

Hæc nobis validissima ratio est Salvatorem amandi, scire ipsum a Patre nobis datum fuisse, ut amaremus illum, eique serviremus non solum tamquam Regi nostro, verum etiam fratri. Voluit illum nostram carnem induere, ut Homo factus similis nobis facilius amorem nostrum sibi conciliaret. Etenim nonne Natura ipsa constitutum est, ut illi, quos Sanguis, & cognatio simul conjunxit, invicem alii alios se diligant? quomodo igitur non diligamus hunc Deum-Hominem, qui arctum adeo cum nobis fœdus percussit? quomodo amabimus Deum nostrum, si non diligimus Dei Filium factum pro nobis Hominem, & similem nobis? O quam perfecte adimpleri videmus in Salvatoris Persona verba illa Sancti Joannis: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt: Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Fingamus nobismet potentem Principem, in omni ditione sua præcipientem, ut Filius suus habeatur legitimus hæres coronæ, atque ut in antecessum illi deferatur obsequium. Si quis imperata facere detrectaverit, potestne ille contra subditos non indignari? malum est, nos similes esse vinitoribus Evangelicis, qui cum deberent honorifice excipere Dominum suum, eumque amore complecti, sese conjecerunt in illum, extra vineam ejecerunt eum, & sexcentis affectum contumeliis interfecerunt. Ne sinas, Domine, nos adeo cæcos esse, & ingratos, atque perfidos: proficiamus potius eo consilio, quod habuisti, mittens hunc Unigenitum: gaudeamus habentes illum, tamquam fratrem; hoc titulo amemus illum, & hanc affinitatem respiciamus, tamquam præstantissimum honorem, quem Naturæ nostræ præstare potuerat. *Idem.* 1. Joann. 4. Matth. 21.

Quam amabilis erat Salvator, ubi conversabatur cum hominibus, & vivere: super terram.

Piarum nonnullarum animarum ad supremum Sanctitatis gradum evectarum pia, & Sancta praxis est; exhibere sibi Salvatorem, qualis erat in terra; hæc hypothipotis revera non potest, nisi ciere in nobis devotionem, atque benevolentiam; Nunquam fuit aliquis pulcrior, nullius facies suavior, & quæ majorem cieret reverentiam. Satis erat illum videre, ut homines ipsius amore tenerentur, etiam si ejus qualitas ad examen non revocaretur; omnes post illum confluebant, ut verbum ejus audirent, & Apostoli ne momentum quidem hæserunt, ut sequerentur eum, ex quo illos appellavit; ne una quidem oris illius voce opus fuit, ut persuaderet illis bona, domosque suas deserere; etenim, ut Sanctus Hieronymus inquit, Divinitas in facie illius emicabat. Populi catervatim sequebantur illum in deserta sermonibus ejus illecti; Nemo illo suavior, de omnibus benemerebatur, respuebat neminem, quicumque ad ipsum confugiebant, hilari vultu excipiebantur; denique nemo unquam illo amabilior, & humanior fuit, vel qui amari impensius mereretur.

Salvatorem amare debemus non solum propter ea, quæ passus est pro nobis, verum etiam, quia pati concupivit, si opus fuisset.

Cum scimus, aliquem de nobis bene sentire, licet nunquam de nobis benemeritus fuerit unquam, Natura ipsa ad *illum* diligendum impellimur. Cur non ita nosmet gerimus erga Dei Filium? quidnam egit, ut mereretur sibi a nobis negari cor nostrum, quod flagitat; & quod jure debetur ipsi post tot bona nobis collata? post tot amoris sui erga nos argumenta, tot desideria ardentia magna faciendi, & patiendi propter amorem nostri? Quamvis nihil pro nobis vel operatus fuisset, vel passus, ardor, qui semper illum egit, ut plura perferret, nonne æternam meretur gratitudinem? sed quid facere poterat amplius? nos per Prophetam suum interrogat: *Quid ultra potui facere, & non feci?* illi proculdubio multum debemus, quia semel mortuus est, *sed quantum magis* debemus illi, quia centies mori concupivit? dicere etiam possumus, ipsum non solum contempsisse vitam, sed in singulas horas illam sacrificasse, quoniam amor suus illi jugem mortem inferebat; incessanter enim hæc versabatur ante oculos ejus, & summa cum impatientia præstolabatur novissimum vitæ suæ diem, diem, quo dolorum vi erat moriturus; quæ adeo tristis imago, quin caritatem ejus imminueret, in dies magis magisque inflammabat. *Idem.* Isaiæ 5.

Debitores sumus Filio Dei bonorum omnium, quæ habemus; & illi propter grati tudinem amare tenemur.

Quis potest considerare Filium Dei Salvatorem, & universalem mortalium omnium benefactorem, quin illius amore rapiatur, quin illius illecebris, suavitate, ac bonitate illiciatur? David in se oculos ejus pertraxit, atque lucratus est cor totius ulciscens improperia, quæ Goliath in Dei Populum evomebat; hoc ipsum fecit Judith, illum de manu liberans Holofernis extremum excidium populo minitantis. Heu! quomodo nam possumus non amare te, qui non solum es præsidium, & gloria Israel, sed humani generis totius: eripuisti nos ab irrisionibus, ac minacibus verbis non quidem hominis unius, sed a crudeli tyrannide diaboli, & peccati. Quem grati animi sensum Joseph testatus non est hero suo, quia hic humanior fratribus, a quibus venundatus fuerat alienigenis, nequaquam illum excipiebat durius, & velut mancipium! Credamus firmiter quidquid boni in nobis est, hoc deberi meritis Salvatoris. Si de nobis benemerentur homines, & Angeli; si Deus ipse aliquod nobis largitur bonum, omnia Salvatori debeamus, quia omnia sunt fructus Mortis, & Passionis illius, & nonnisi sub hoc intuitu nobis donantur. *Idem.*

Dei Filius nobis sua tribuit bona, & se nostris onerat malis per admirabilem caritatem.

Si terræ Princeps fecisset pro nobis minimam earum rerum partem, quas præstitit JESUS, nosmet illi sacrificaremus. Quid ergo? Nunquid beneficium minus magnum est, & minoris faciendum, eo quod ab Unigenito Dei Filio procedit? quicumque Salvatorem tenera dilectione non prosequitur, hic profecto non noverit, quid sit Deus, habita homi-

477913

000310 R
14 DIC. 1998